R. P.
JO. ERARDI FULLONII
E SOCIETATE JESU

COMMENTARII
ET EXCURSUS
AD
PRIMUM LIBRUM
MACHABÆORUM.

COMMENTARII

HISTORICI ET MORALES

PERPETUI

AD PRIMUM

MACHABÆORVM LIBRVM

ADDITIS LIBERIORIBUS EXCURSIBUS,
Ubi plurima Eccleſiaſtis, Theologis, Aſcetis, Chriſtiano-Politicis
explicatè traduntur.

A R. P. JO. ERARDO FULLONIO Leodienſi,
Societatis JESU Theologo & Eccleſiaſte.

Præmittitur Tabula topographica Iudææ; deinde Indices Quæſtionum, Excurſuum, Locorum Iudææ & vicinorum. Subjiciuntur Indices luculenti concionatorii, & Index materiarum.

Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. 1. *Machab.* 3.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LX.
SVPERIORVM PERMISSV

SERENISSIMO PRINCIPI

MAXIMILIANO HENRICO

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

SACRI ROMANI IMPERII

ELECTORI,

PER ITALIAM

ARCHICANCELLARIO,

SEDIS APOSTOLICÆ

LEGATO NATO,

EPISCOPO AC PRINCIPI

LEODIENSI ET HILDESIENSI,

ADMINISTRATORI STABVLETENSI

ET BERGTESGADENSI,

DUCI BAVARIÆ UTRIUSQUE,

SUPERIORIS PALATINATUS, WESTPHALIÆ,

ANGARIÆ, BULLIONII,

COMITI PALATINO RHENI,

LANTGRAVIO LEUCHTEMBERGENSI,

MARCHIONI FRANCHIMONTANO,

COMITI LOSSENSI, HORN. LONG. &c.

QVO ſublimior eſt animi magnitudo, & quò propiùs ad divinæ Majeſtatis ſimilitudinem admota generoſæ mentis excelſitas, SERENISSIME PRINCEPS: eò benigniùs quoſlibet, quantumvis infra ſe poſitos,

 intuetur,

intuetur, nihilque ab ullo ſibi oblatum aſpernatur, quamvis exiguum. Quotidianum enim aſſectari tentat imitando, quà quidem mortali fas eſt, Dei immortalis exemplum: qui cùm nullius egeat, vel minima tamen, etiam poſtremorum hominum, dona non admittit modò, ſed inter nomina reponit, & creditor licèt in ære noſtro eſſe, ac debitor teneri vult: tantùm abeſt, ut reſpuat, dedignetúrve, tamquam incongrua, aut indecora magnitudinis ſuæ immenſitati. Eum in modum Serenitas Tua, in ſublimi ſacrarum civiliumque dignitatum faſtigio collocata, ſeſe tamen ad noſtra benevolè aſpicienda demittit, & hoſce Commentarios Nomini Tuo adſcribi patitur: non quia munus magnum eſt, ſed quia Tu magnus es; nec quia dignum Te eſt, ſed quia generoſa & excelſa Tua eſt dignatio. Hanc unicam habeat accipiendi rationem Serenitas Tua: ego verò offerendi plurimas; ſive Patriam adſpicio, in qua ortus ſum; ſive Societatem, in qua adolevi; ſive familiam, cui natura me junxit; ſive locum, ubi poſtremo hocce ſeptennio verſatus ſum. Patriæ meæ, ex quo ad Principatum, & Epiſcopatum, ſummo ejus bono electus es, id fuiſti unus, quod Judææ Mathathias, filiique

ejus

ejus univerſi. Liberè jam loqui licet, Deo gratiæ, Tibíque. Menelai, Jaſones, Lyſimachi, Alcimi, *turbatorésque alii domeſtici, in civitatem ditionemque Leodienſem, quomodò olim in Judæam irruperant: eos prudentiâ, fortitudine, fælicitate Tuâ exturbâſti; ut talia dehinc vel non audeant alii, vel nequeant, & in ipſo, quod per Septembrem proximè elapſum contigit, audendi conatu opprimantur.* Serones, Apollonii, Lyſiæ, Nicanores, Gorgiæ, Bacchidæ, Timothei, Tryphonesque *varii, agrum Leodienſem multis jam annis uſu quaſi ſuum fecerant: undique populationes nuntiabantur, incendia ſpectabantur, cædes plorabantur, inſtabatque præſens deteriorum metus; cùm & ruſticanis oppidanisq., obniti non auſis, obeſſet ſua timiditas; & reſiſtentibus parum prodeſſet adversùs majorem vim audacia. Surrexiſti pro populi Tui ſalute, eumque de tot diſcriminibus ac calamitatibus aſſeruiſti,* Mathathia *nove*, & donum Dei: Machabææ Juda, ſimilis factus leoni, & ſicut catulus *Bavarici* leonis: Jonatha, Domini munus, & de cælo auxilium: Simon, Princeps ſimul & Sacerdos magne in Haſaramel, ac Principe Deo.

Vidimus Te pulcerrimo ad omnes deinceps Succeſſores Tuos documento, adversùs minarum impulſus infractum, adversùs promiſſorum, munerumque blanditias incorruptum. Exceptæ, ſignatæque ad immortalem memoriam, generoſæ voces Tuæ; cùm multis magnisq; pollicitationibus urgerêre, ut externi militis hiberna in ditione noſtrâ tantiſper patereris: numquam Te compendium de ſubditorum Tuorum damnis facturum; valdè malè de Te ſentire, ac mereri, qui Te ſic putarent ſolicitari poſſe. Armis deinde tentatus, arma expediſti: & ingruentibus undique periculis, militi militem, auxiliis auxilia, terroribus interritum animum oppoſuiſti. Donec Thenis de juſta honorificâque pace conventum, Archiduce Leopoldo allaborante, Cæſare patrocinante, Regibus approbantibus, ſciſcentibusque quod jam olim fuerat Cæſares inter ac Reges conſtitutum, deincepsque inviolatum ſemper fuiſſe debuerat: ut Leodienſis ditio, utrique diſſidentium parti amica, neutri obnoxia, ſtabili quiete frueretur; quam quicumque militum violarent, eos pro prædonibus habere, occidereque liceret. Itaque quinquennium jam totum ſilet terra noſtra à præliis, *& ad extremos uſque limites, agri fermè univerſi ſecurè coluntur: accinentibus ſummis, infimisque redivivum* Henrici *Leodienſis*

dienſis quondam Præſulis, Pacifici *nomen; perpetuamq; illam Tibi eximiam laudem, & acceleratâ totius Europæ pace cumulatam, optantibus. Congerantur in Te licèt omnia Bavaricorum noſtrorum Principum encomia; cum amabili Ferdinandi humanitate, perſpicax Erneſti ingenium; cum Theoduini munifica pietate, magnanima Reginaldi fortitudo: nondum tamen conſummata laus fuerit, niſi oleam prætenderes, & dici meritò poſſes,* Princeps pacis. *Hanc ante cætera, cum avitæ & intactæ religionis conſervatione, à Te ſperabant univerſi, præcipiebantq; animis, quando primùm ad aras, Regiis jam per Te operibus exornatas, in D. Lamberti æde feciſti: ſpectante, & vota cum Tuis ſua jungente, Ordinum omnium multitudine innumerâ. Cùm enim tam magnificè Pontificis Sacerdotisq; munus implentem viderent; non dubitaverunt, quin & Principis partes eumdem in modum ageres, pedíque ſimul & gladii uſu publicam rem, ſacram juxtà ac civilem, religionis & pacis, fæliciter fortiterq; adminiſtrares. Nec verò deſciſcere Te à Majorum Tuorum* legis æmulatorum *moribus, animíſque, fas fuerat: quorum ſancta & unanimi, ad avitam fidem, quietémque publicam tuendam, cum finitimis Principibus conſpiratione, ſtetit fermè quidquid in Germania religionis ſanum eſt, corrupta multa ſanata ſunt.*

In iis proavus Tuus Albertus, Sereniſſimo patri Tuo cognominis, Guilielmi abavi Tui cæpta conſiliaque ſecutus, muniendis adversùs gliſcentes in vicinia ſectas finibus ſuis, religioſa præſidia hominum Societatis noſtræ, variis in Bavaria ſtationibus, in excelſa præſertim nobiliſſimæ Ingolſtadienſis Academiæ ſpecula collocavit: tam proſpero ſucceſſu, ut ejus exemplum alii paſſim Catholici, ex utroque Ordine, Proceres ſequerentur. Cumque liberis ſuum de Societate judicium inſpirâſſet, benevolentiamque communicâſſet: ii deinceps affinitatibus Regiarum familiarum illigati, eumdem in illas affectum intulerunt. Una nominatim Bavaricæ ſtirpis Heroina Maria, proamita Tua, Ferdinandi Secundi Cæſaris, & Margaretæ Hiſpaniarum Reginæ, mater, ita ſuam erga nos propenſionem ingeneravit ſuis; ut totum fermè ipſi debeamus, quidquid exinde eximium innatumque ab Auſtriacâ domo amoris experimur. Guilielmi verò avi Tui, paternarum ditionum virtutumq; hæredis, & ut boni hæredes ſolent, ampliatoris & propagatoris, ſumma planè erga nos benevolentia in Monachienſi Collegio, aliiſque ſingularis munificentiæ operibus, æternæ memoriæ ſacrata eſt: indeq; in Lotharingiam, unde Renata ipſi lectiſſima conjux, maritoque ſimillima advenerat, ac paullò pòſt in Galliam ad Chriſtianiſſimos Reges imitatione tranſiit.

Sed

Sed Patriæ noſtræ limitibus exeundum non eſt; ut Bavaricæ erga nos beneficentiæ ac liberalitatis teſtimonia in oculos incurrant, gloriamque magnam accipiant, & nomen æternum. *Erneſtus primùm propatruus Tuus, Catholicæ Eccleſiæ in Germania inferiore firmiſſimum columen, naſcentem Leodii Societatem in deſignatas ſedes immiſit, paternaque curâ providit, ne ad templorum ſcholarumque labores, quos ipſe coram frequenter ſpectatum animatumque veniebat, alimenta deficerent. Ferdinandus deinde patruus Tuus, avitæ fidei amantiſſimus, in Erneſti locum pariter, affectumque ſucceſſit, res noſtras non aliter accipere, fovereque ſolitus, quàm publicas & ſuas. Alterius patrui Tui Maximiliani Bavariæ Ducis generoſa liberalitas, religioniſque quaquaverſum defendendæ ac propagandæ ſtudium, quo ferè tempore in templi noſtri magnificis ſubſtructionibus Coloniæ viſebatur, Leodii ſimul in Anglicani Collegii dotatione ſpectatum eſt: ut noſtri deinceps ex Anglia ſocii patriam in exilio inveniant, & avitis licèt ſedibus pulſi, in ſuo tamen apud exteros domicilio, virtutum ac ſcientiarum ſubſidia, ad ingratæ patriæ decus & auxilium comparent. Iſtis familiaribus domeſticiſque exemplis Serenitas Tua adjicit ſuum, nobiſque traditam à parentibus ſolicitudinem, ac benignitatem*

impendit:

impendit: novis olim tranſituram ad poſteros hæreditarii affectûs monumentis. Tot Tibi nominibus obſtricta cùm ſit Societas ſimul & Patria mea: ſocius in illa malus ſim, nec bonus in hac civis, ſi, quod debent univerſi, privatim etiam à me deberi non agnoſcam. Quemadmodùm enim qui aliquid in commune commisêre, ſinguli tenentur in ſolidum: ita quibus univerſim beneficia collata ſunt, ad gratitudinem & omnes obligantur & ſinguli. Eas quidem ego præcipuè ob cauſſas Serenitati Tuæ Commentarios hoſce, & nuper abſenti, cùm adhuc ſcriberentur, deſtinavi; & nunc præſenti, quando lucem propiùs intuentur, inſcribo: ut communium in Patriam, Societatemque beneficiorum, ex Te Tuisque profectorum, debitorem eſſe ſemper me velle profitear. Exſolvere enim iſthæc tanta non poſſum, qui ne illis quidem, quæ paternam privatim familiam tangunt, par umquam facilè futurus ſim. Nam edomitâ, Sereniſſimi patrui Tui Ferdinandi auſpiciis, rebellium aliquorum ferociâ, cùm urbem Leodienſem diſcordiæ victor, factionum pacator, tranquillitatis reſtitutor intrares: patrem meum, liberosque omnes, & eorum familias, cum magno proborum numero ſedibus ſuis extorres, reduxiſti. Cumque ipſis patriam reddidiſſes, ipſos etiam patriæ reddidiſti: ut pro ſuo quiſque gradu ac facultate,

variis

variis in publica re, muniis, ad communem utilitatem procurandam incumberent. Adeoque quidquid ex illo ad Patriæ commoda & ornamenta præſtiterunt, Tibi inprimis tribuendum eſt: à quo accêpere, ut bono publico cum ſecuritate ac dignitate ſtudere poſſint, cui antè etiam inter pericula & damna ſeſe penitùs, ex naturali familiariq; diſciplina, devoverant. Id enim à teneris edocti ſumus, quod proborum omnium animis inſitum eſt: Deo naturæque deberi communis præ privata utilitatis ſtudium; & qui ſeſe neſciant illi magis natos eſſe, quàm ſibi, vix ſemihomines eſſe, cùm potiſſimâ deſtituantur parte humanitatis. Nec verò ab ea lege mortalium quemquam ulla vitæ, quamvis ſemotæ, ratio ſolvit: non quietiſſimorum Aſſidæorum cætus, non abditiſſimi ſolitudinum ac ſpeluncarum ſinus, quò vel Syrorum terror, *vel temporum tædium, vel odium vitiorum adegerit. Manu operâve adſint, qui poſſunt: voce juvent, quibus manu non licet: qui voce etiam nequeunt, at votis ſaltem publicè proſint. Mihi certè, in dicendi munere, nihil tam neceſſariæ legis debito potius fuit: neque aliud mihi magis in ſcribendo propoſui: neque antè quidquam ſpectavêre, quorum benevolentia noſtros illos vocis & calami labores nec diſplicuiſſe dicendo, neque infructuoſos ſcribendo fore,*

fore, judicavit. Pleraque enim eorum quæ in hoſce Commentarios relata ſunt, & in alios ad ſecundum Machabæorum conferentur; cùm in civitatibus aliis, tum Leodii præſertim pro concione dixi. Prorsùs ut, vel hoc uno nomine, Tibi deberetur fructus qualiſcumque: quia de cathedra Tua ſatus, in Tuo natus, auſpiciis Tuis ad eam maturitatem perductus eſt, quæ ferendæ per typos ætati par eſſe poſſit. Excipe itaque Præſul Maxime, PRINCEPS SERENISSIME, ſacram ſummorum Sacerdotum Principumq; hiſtoriam, laboribus Eccleſiaſtæ Tui elucidatam, de ſe ſatis ex argumenti varietate & utilitate commendabilem. Quam ſi Tu aliquando, Tuique ſimiles, per occupationum publicarum diverticula, ſumatis in manus, & lectione dignemini: id mihi forſan aliquis metuendum putet, quod Lyrico quondam poëtæ, ne peccem in commoda publica, tempus veſtrum morando longis ſermonibus. Sed quamvis longi ſermones, oneroſi non ſunt, ſi non ſunt infructuoſi: infructuoſi autem non erunt, imò nec longi, ſi ea quiſque ſibi deſumat & annotet, in tanta argumenti varietate, quæ conditioni ſuæ aptiora ſunt; cujuſmodi hìc, ad publicæ rei adminiſtrationem, ſunt plurima. Videre poterit Serenitas Tua, in populi unius dimidiatique ſæculi hiſtoria, mores univerſi generis

humani,

humani, temporumque omnium viciſſitudines, velut in compendium contractas. Cernet bella civilia, & externa; occaſus urbium, ſenium regnorum, excidia provinciarum; redivivam ex bellis pacem & ſecuritatem inſperatam, mox rurſus alternis occubituram, & emerſuram: eorumque omnium cauſſas, tum in mobilibus hominum affectibus manifeſtas, tum arcanas in clementibus juſtisque Dei conſiliis. Spectabit in Judæ Machabæi fortitudine *generoſitatem ſuam: cui finium Leodienſium ſecuritatem, recuperationem amiſſorum, promiſſorum exſolutionem debemus. Amabit* in Simonis Thaſi *SAPIENTIA ſuam: quam hodie in rerum ſacrarum ac civilium recto atque ordinato curſu, & domeſticæ atque externæ pacis fructu, jucundè ſentimus; ſuſpiciet olim, imitabiturque, aut deſiderabit poſteritas.* In Pontificali Principalique Apphii Jonathæ magnificentia, *gradûs ſui altitudinem intuebitur, aliquamque ejus muneris cernet imaginem, quod eximiâ ſuaque omninò PIETATE, & inſigni facundiâ, in ſacrando, coronando, fauſtis ominibus cumulando Cæſare Leopoldo nuper implevit. Ego interim ſupplicibus ad Deum orationibus, quotidianiſque ſacrificiis, SERENITATI* Tuæ annos Mathathiæ *apprecabor: mihique ingeminatis fælicibus votis,*

votis, reſpondebit Leodienſis civitas univerſa, cui Paſchalium feriarum lætitiam duplicat præſentia PRINCIPIS, jucundúmque Pontificis ſui ſacrificantis ſpectaculum. Circumſonabunt ex ultimis uſque ditionis finibus voces populorum, diuturnam proſperitatem ac ſanitatem ſoſpitatori ſuo acclamantium, idemque animitùs exoptantium, quod

SERENITATIS VESTRÆ

Humillimus & obſequentiſſimus
ſubditus ac cliens

Jo. ERARDUS FULLONIUS
è Societate JESU.

Leodii feriis Paſchalibus
anni 1659.

Digitized by Google

IN EFFIGIEM
SERENISSIMI PRINCIPIS
SCULPTAM IN IUDÆÆ TABULA,
AD URBEM JERUSALEM,
SEU VISIONEM PACIS.

AUCTOR.

Viva Tui, PRINCEPS, vultûs cùm ſigna nequiret
Complecti anguſto parva tabella ſinu:
Teq; magis, qualem nuper juvenilior ætas,
Quàm qualem modò bis luſtra quaterna, daret.
Ingenio manus adjuta eſt, induſtria ſcalpro
Affuit, artiq; ars adpropcravit opem.
Frugiferis Solymæa *comis Te clauſit* oliva;
Nec Chriſti & pacis *ſigna ſtetêre procul.*
Hoc Tibi quippe caput ſtudii eſt, faciesq; laborum
Perpetua, hoc totâ fronte oculisq; geris:
Ut Chriſto *cultus per gratâ ſilentia* pacis;
Chriſtiadumq; gregi conſtet amica quies.
Corporis effigies ſit quadam expreſſior olim:
At melior nulla eſt mentis imago Tua.

QUADRAIN
SUR LE MESME PORTRAIT.

LE trop foible burin, dans un Tableau ſi mince,
Ne pouvant reſſerrer la face d'un grand *PRINCE:*
L'art, afin d'y aider, y a mis quelques traits
Du deſſein, que ce *PRINCE* a formé, de la *Paix.*

FOULLON.

(:) ODE

ODE RYTHMICA DE PACE.

Age Pax benigna prodi,
Pax tot invocata votis,
Quot bona ſunt mentium:
Pax ſpes egeni, & divitis,
Pax dulce munus cælitum,
Gratia jucunda nutrix, cara mater gaudii.

Sine te doli triumphant,
Vna lex eſt nolle leges,
Iura cedunt viribus.
Tecum reviviſcit fides,
Honos habetur legibus,
Exulat vis, arma cedunt, jura terris imperant.

Tua cura ſi receſſit,
Rura ſqualent, prata nullis
Emicant coloribus:
Mæret domus, mæret ſuis
Vrbs deſtituta civibus:
Mars, egeſtas, peſtis, omnis fax malorum conſluit.

Tua cura ſi redivit
Rura fulgent, læta pictis
Prata rident floribus:
Gaudet domus, gaudet ſuis
Vrbs reſtituta civibus:
Sanitas, opes, bonorum tota turba convenit.

Procul, ô procul tumultus,
Martiæ procul cohortis
Fervor ardens ſanguinem:
Enſes figuram vomeris,
Vel induant rubiginem:
Ite cædes, ite diris bella fata cædibus.

Refer, ô refer ſerenum,
Pax refer beata vultum;
Blanda pax, pax aurea:
Depelle quidquid hoſticum
Sæcla intulêre ferrea:
Iunge fratres, corda firmo ſtringe nexu fæderum.

Iſthæc, exſuſcitata tantiſper veteri modulatione, conabar per Aprilem exeuntem anni 1659. in ſpem optatæ pacis inter Principes Chriſtianos: quæ utinam non fallat! Certè non defuerint curæ & ſtudia Pacifici Principis, nec Patriæ Societatiſque vota.

QUÆSTIONES

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ, HISTORICÆ, CHRISTIANO-POLITICÆ SELECTIORES:

Omiſſis minutioribus plurimis, præſertim ad Scripturæ explicationem ſpectantibus, quas Lector paſſim reperiet.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ.

I. *AN libri duo Machabæorum ſint auctoritatis divinæ, & æquè primò Canonici ac cæteri Scripturæ libri: & quamobrem ab heterodoxis oppugnentur?* Proleg. ſect. 3.

II. *Cur Deus Scripturam ſacram obſcuram & difficilem eſſe voluerit?* ibidem num. 12.

III. *An ſpiritu privato poſſint Scripturæ veræ à falſis internoſci, & quàm inanis iſte ſpiritus?* ibid. num. 7. & ſect. 6. num. 1.

IV. *An in Eccleſia Chriſti non ſit poteſtas ſtatuendi Canonem Scripturæ, cùm fuerit in Synagoga?* Proleg. ſect. 3. num. 10.

V. *Cur Circumciſio Hebræis imperata?* Ad c. 1. v. 16.

VI. *An rectè inſtituta Cinerum ſacrorum impoſitio ineunte Quadrageſima?* Excurſu 1. ad cap. 1. num. 6. 7.

VII. *An Deus poſſet, alio quàm nunc rerum ordine, innocentem addicere æternis cruciatibus?* Excurſ. 5. ad caput 1. ſect. 2. num. 3.

VIII. *An omnia hujus vitæ mala quibuſvis hominibus, etiam juſtis, ſint pœnæ peccatorum?* ibid. num. 4. & 5.

IX. *An publicæ omnes calamitates ob peccata immittantur?* ibid. à num. 6. ad 11.

X. *Cur Deus peccata permittat?* Exc. eodem, ſect. 3.

XI. *Quando hominibus liceat exemplo Dei peccata pati, & permittere?* ibid. ſub finem ſect.

XII. *Præceptáne fuerit Sacerdotibus monogamia in Moſaïca lege?* Ad c. 2. v. 2.

XIII. *Quo jure Mathathias Iudæum ſacrificaturum idolo, & miniſtrum Regium occiderit?* Eodem c. ad v. 25.

XIV. *Zeli quæ natura, quis effectus primarius?* ibid. ad v. 26.

XV. *Peccârintne Iudæi, qui ſabbathis non repugnavêre?* ibid. ad v. 34.

XVI. *An iidem Martyribus accenſendi?* ibid.

XVII. *Rectène Mathathias ſanxerit ſabbathis repugnandum?* ibid.

XVIII. *Licueritne Iudæis ſabbatho bellum non repellere modò, ſed inferre?* ibid.

Digitized by Google

XIX. *An feſtis paſſim bellare liceat?* Ibidem.

XX. *Baptizarine poſſint apoſtatarum filii, invitis parentibus?* ibid. ad v. 46.

XXI. *An gloriæ apud homines appetitus ſit laudabilis?* Ibidem ad v. 51. Et ad cap. 9. verſ. 10. alibique ſæpiùs.

XXII. *An ſancti in Lege veteri æternam mercedem ſpectârint in agendo?* Ad c. 2. v. 56.

XXIII. *An vindicta publica, & revindicatio ſeu repreſalia ſit licita?* Ad cap. 2. verſ. 67. Et Excur. 4. ad cap. 1. num. 5. 6. Et Excur. 2. ad cap. 2.

XXIV. *An cæremoniæ & loca ſacra in funeribus curanda?* Ad cap. 2. v. penult.

XXV. *An milites bello ſacro cæſi ſint Martyres?* Excur. 1. ad cap. 2. num. 8.

XXVI. *An juſta bella pro ſacris habenda?* Ibidem num. 9.

XXVII. *Cur Deus bonis mala immittat?* Excurſ. 3. ad caput 2. ſect. 2.

XXVIII. *An de fide ſit, orationes ad Deum eſſe infallibiliter efficaces?* Exc. 2. ad c. 3. ſect. 1.

XXIX. *Cur aliquando orationes non ſint efficaces?* Ibid. ſect. 2.

XXX. *An etiam peccatoris oratio ſit infallibiliter efficax?* Ibidem ſect. 3. tota, præſertim num. 1 & 2.

XXXI. *Cur orationes communiter factæ ſint efficaciores privatis?* Ibidem ſect. 6.

XXXII. *Cur Eccleſiæ conſuetudo puerulos albatos in templis, & ſupplicationibus, patiatur?* Ibidem à num. 21.

XXXIII. *Quæ conditiones neceſſariæ ſint, ut perſeverantia in orando non cenſeatur interrupta?* Ibid. ſect. 3. num. 13. 14.

XXXIV. *An timor Servilis ſit virtus Theologica ad ſpem pertinens, ut timor Filialis ad caritatem?* Excur. 1. ad cap. 4. ſect. 2. num. 7.

XXXV. *Quotuplex Dei contemptus in unico peccato mortali includatur?* Excurſ. 3. ad idem caput ſect. 1.

XXXVI. *Cur unicum peccatum mortale ſupplicio æterno puniatur?* Ibidem ſect. 2. ad num. 3.

XXXVII. *An citra amplificationem, & ex vero, dici poſſit peccator Chriſtum rurſus crucifigere?* Ibid. ſect. 3.

XXXVIII. *An juſtè deleti Ephronitæ propter tranſitum recuſatum?* Ad c. 5. v 47.

XXXIX. *An Ioſephus & Azarias, contra Iudæ mandatum pugnando, peccârint mortaliter?* Ad cap. 5. v. 60.

XL. *An ob unius peccatum juſtè multi puniantur?* Excur. 2. ad c. 5. à num. 9. ad finem.

XLI. *Sintne aliqua peccata venialia?* Excurſ. 3. ad caput 5. num. 1.

XLII. *An venialia ſint cauſſa calamitatum publicarum?* Ibidem ſect. reliquâ.

XLIII. *An poſſit Hagiographi fides pendere à fide ſcriptoris unde ſua deſumpſit?* Ad cap. 6. num. 28.

XLIV. *Peccaritne Eleazarus elephantum hoſtilem occidendo, cum manifeſto vitæ ſuæ diſcrimine?* Ibid. ad v. 43.

XLV. *Quomodò Machabæus annonæ penuriâ laborârit anno Sabbathico, contra Dei promiſſum?* Ibidem ad v. 53.

XLVI. *Pluréſne Catholicorum ſalvabuntur, quàm damnabuntur?* Ibidem ad v. 54.

XLVII. *Pecca-*

KLVII. *Peccarintne Sacerdotes Iudæi orãdo pro impio Rege?* Ad cap. 7. v. 33.

XLVIII. *Liceátne alteri præbere occaſionem deceptionis nobis commoda?* ibid.

XLIX. *Quæ ſint peccata reipublicæ, & quotuplicia?* Exc. ad c. 7. ſect. 1. uſque ad num. 6.

L. *An immunitas ſacerdotum ſit ex jure naturæ?* ibid. ſect. 2. num. 12.

LI. *Cogine poſſint ſubditi ad veram religionem?* ibid. num. 11.

LII. *Peccaritne Iudas poſtulanda Romanorum ſocietate?* Ad cap. 8. v. 22.

LIII. *An ſocietas cum impiis aut Infidelibus vetita ſit Lege naturæ, aut divina: & cur à Deo aliquando reprehenſa?* ibid.

LIV. *Cur magis liceat pactum cum Infideli, quàm cum dæmone?* ibidem.

LV. *Cur Deus malos florere velit, aut patiatur?* Exc. ſect. 1.

LVI. *An in ſtatu innocentiæ futuri fuiſſent aculei, ſpinæ, venena?* Excur. ſect. 2. num. 1.

LVII. *Cur Deus malos bonis permiſtos toleret?* ibid. ſect. reliqua.

LVIII. *An Iudas in extremo prælio, quando confractus eſt corde, timiditate peccârit?* Ad cap. 9. v. 6. &c.

LIX. *An temeritate peccârit, progreſſus obviàm tantis hoſtium copiis cum exigua ſuorum manu?* ibidem.

LX. *An vanitate, cùm crimen gloriæ ſuæ inferre noluit?* ibid.

LXI. *An pertinaciâ, cùm acquieſcere noluit benè ſuadentibus?* ibidem.

LXII. *An ſuperſtitioſa fati obſervatione, cùm dixit:* Si appropiavit tempus noſtrum, moriamur? ibidem.

LXIII. *An Chriſtus dici poſſit inferorum tormenta ſuſtinuiſſe, & quo ſenſu?* Excur. ſect. 1. num. 21. & 22.

LXIV. *Cur Chriſtus à D. Paullo appelletur peccatum, & quomodò peccatorem ac peccatum Paſſione expreſſerit?* ibidem ſect. 3.

LXV. *Quo jnre Ionathas Alexandro Syriæ tyranno contra Demetrium legitimum Regem adſuerit?* Ad c. 10. v. 46.

LXVI. *Quando & quomodò licita ſit cum injuſtis bellatoribus ſocietas?* ibidem.

LXVII. *Qno jure Ionathas donatam ab injnſto poſſeſſore Accaronem poſſederit?* Cap. eodem ad v. 89.

LXVIII. *Ignis antecurſor extremi judicii, an etiam cælos exuret?* Exc. ſect. 1. num. 15.

LXIX. *Quod ſit objectum formale ſpei virtutis Theologicæ?* Excur. ad cap. 11. ſect. 1. num. 8. 9. 10. 11. 12.

LXX. *Quàm chimarica ſit Calviniſtica fides de ſalutis certitudine?* ibidem ſect. 4. num. 1.

LXXI. *An peccator dicere poſſit,* Credo in Deum? ibid. num. 12.

LXXII. *An Ionathas Spartanos potuerit vocare fratres, citra mendacium?* Ad cap. 12. v. 5. &c.

LXXIII. *An infælicibus infælicitas ſua, & reis pœna bona ſit, etiam invitis, & malè utentibus?* Exc. 1. ad c. 12. ſect. 2. tota.

LXXIV. *Licueritne Simoni pecuniam, & Ionathæ liberos, dare in Tryphonis manus, fraude præviſa?* Ad c. 13. v. 17. &c.

LXXV. *Peccaritne Simon vanitate, aut magnificentiâ nimiâ, in ſumptuoſo monumento excitando?* Cap. 20. ad v. 24. &c. Et Excur. ſect. 1. num. 1. 2. 3.

Index Quæſtionum

LXXVI. *Chriſtus à morte an ad limbum deſcenderit?* Exc. & ſect. iiſdem, num. 9. 10. 11.

LXXVII. *Peccaritne Ioannes Hircanus, utendo equeſtri militiâ?* Ad c. 16. v. 4.

LXXVIII. *An Simon credulitate nimia erga generum peccârit?* ibid. ad v. 2. 14. &c.

LXXIX. *An ipſe & filii ebrietate graviter peccârint?* ibid.

LXXX. *An à levi etiam culpâ vacârit ejus ebrietas?* ibid.

LXXXI. *An poſſit juſta eſſe cauſſa inebriationis, ſeu voluntariæ per potum amentiæ?* ibid.

LXXXII. *Recténe ab Vlpiano definiatur juſtitia?* Excur. 1. ad c. 16. ſect. 1. num. 2.

LXXXIII. *In quo juſtitiæ Diſtributivæ natura propriè ſita ſit?* ibid. num. 4.

LXXXIV. *An ſanguine junctis officia diſtribuere liceat?* ibid. num. 9.

LXXXV. *Liceátne officia judiciaria vendere?* ibid. ſect. 2. num. 8. & 9.

LXXXVI. *Detractionis quæ natura, quæ obligatio?* ibid. ſect. 3. tota.

LXXXVII. *Contumeliæ quæ natura, quomodò à detractione differat?* ibid. ſect. 4. tota.

LXXXVIII. *An contumelia gravius ſit detractione peccatum?* ibid. num. 12.

LXXXIX. *Quotuplices ſint injuriæ in bona proximi?* ibid. ſect. 5.

XC. *An rectè quidam docere voluerit, fures non eſſe capitis damnandos?* ibid. num. 10.

XCI. *An apud judices dari poſſit caſus pro amico: ſive an poſſit judex in æquali jure ferre pro altera parte ſententiam, citra gravem culpam acceptionis perſonarum?* ibid. ſect. 6. num. 2. 3.

XCII. *An caſu ullo liceat cædes innocentis?* ibid. ſect. 7. num. 3. 4.

XCIII. *Lex talionis quàm æqua ſit, & Gentium moribus recepta?* ibidem num. 12. 13.

XCIV. *In quo propriè ſita ſit natura juſtitiæ Legalis?* ibid. ſect. 8. tota, præſertim à num. 8.

XCV. *An ſingula membra reipublicæ pro ejus cõſervatione facultates omnes, & vitam ipſam obligatam habeant?* ibid. num. 4. 5. 6.

XCVI. *Lex Naturæ quid ſit?* ibid. num. 10. & 11.

XCVII. *Quid jus Gentium?* ibid. num. 12.

XCVIII. *An populis & urbibus ſingulis ſua ſit à Deo præfixa culparum menſura, quidq́ue illa ſit?* Exc. 2. ſect. 1. tota.

XCIX. *Sitne hominibus, ante impœnitentiam finalem, ſtatuta certa gratiarum menſura, quâ expletâ nullas ampliùs accipiant, quamvis maximè velint?* ibid. num. 13. & 14.

C. *Sitne Chriſtus, quà homo, futurus Iudex vivorum & mortuorum?* Indice 2. in Adventum, Dom. 1.

CI. *Cur Chriſtus pauperes, indoctos, ignobiles ad Apoſtolatum vocârit?* Indice eodem, in feſto D. Andreæ.

CII. *Poſſitne Deum inter & homines eſſe vera amicitia?* Indice eodem Dom. 3.

CIII. *Chriſtus ſitne verè & in ſolidum Dominus univerſorum, & quotupliciter?* Indice eod. Dom. 4.

CIV. *Regnum Chriſti fueritne & ſit merè ſpiritale, an potiùs etiam temporale?* Ind. eodem die Epiph.

CV. *Vulnerum quinque à Chriſto in beato corpore ſervatorum, an cauſa totidem ad utilitatem noſtram?* Indice ſecundo in Quadrag. Dominicâ Quaſimodò, Themate altero.

CVI. *Qualis infantibus, qualis adultis ex originali peccato cæcitas?* Indice eod. Feriâ 4. poſt Dom. 4.

CVII. *Peccata occulta quænam ſint?* Elapſam iſtam ex ordine ſuo quæſtionem hîc redddimus: explicatur Exc. 3. ad c. 4. ſect. 5. num. 10. 11. 12.

QUÆSTIONES HISTORICÆ.

I. *VNde Iuda data appellatio: an à ſigno militari?* Proleg. ſect. 1. num. 5. &c.

II. *A quo ſcriptus liber primus Machabæorum?* ibid. ſect. 3. num. 3.

III. *Liber poſterior à quo ſcriptus?* ibid. num. 5.

IV. *Liber prior an ſcriptus Hebraïcè?* ibidem num. ult. Et ad cap. 1. v. 1. &c.

V. *Alexander Magnus an verè Philippi filius?* Ad c. 1. v. 1.

VI. *Qui populi Cethim: & qua inſula gentium?* ibidem.

VII. *Cur Alexander dictus bicornis?* ib.

VIII. *Alexander veneno, an potu ſublatus?* ibidem ad v 6.

IX. *Alexander an ſuis per ſe monarchiam diviſerit?* ibidem ad v. 7.

X. *A quo tempore inchoëntur anni Seleucidarum, ſeu Græcorum, & in quem annum ante Chriſtum incurrant?* ibidem ad v. 11.

XI. *Cur diſcrepent inter ſe prior & poſterior Machabæorum libri in chronologia, & an plus anno dimidio?* ibidem.

XII. *Quo loco arx Hieroſolymis ædificata per Seleucidas, munita per Epiphanem?* ibid. ad v. 35. Et ad c. 13. v. 53. & alibi ſæpiùs.

XIII. *An Mathathias ex Sacerdotali ſimul & Regio genere fuerit?* Ad c. 2. v. 3.

XIV. *An fuerit Pontifex ſummus?* ibid.

XV. *Iudas fueritne ejus primogenitus, & cur præpoſitus primogenito?* ib. ad v. 2.

XVI. *Aſidæi qui & unde ſic dicti: iidémne qui Eſſeni?* ibidem ad v. 42.

XVII. *An ſedes Epiſcopalis Tongrorum umquam Trajecti ad Moſam fixa fuerit: & cur Tongrenſes Epiſcopi dici debeant, qui ab aliquibus Trajectenſes non commodè appellantur?* Ad c. 3. v. 46.

XVIII. *Cur varii à bello abeſſe juſſi lege divina?* ibid. ad v. 56.

XIX. *An Iudas Pontifex fuerit continuò à morte Mathathiæ?* Ad c. 4. v. 36.

XX. *Quoto poſt profanationē anno mundatum fuerit Templum, & quomodo in ea re liber prior cum poſteriore, & cum Danielis prophetia conveniat?* ibid. ad v. 54.

XXI. *Quæ præcipua ſit Hiſtorici regula?* Ad c. 5. in fine.

XXII. *Perſepolis an omninò ab Alexandro diruta ſit?* Ad c. 6. v. 1.

XXIII. *Quomodò conveniant numeri copiarum Eupatoris in libro utroque?* ibid. ad v. 28.

XXIV. *Cur elephantis ſuccus mori & vinum ad iram acuendam oſtendantur?* ibid. ad v. 34.

XXV. *Elephanti Eupatoris an duos ſupra triginta pugnatores geſtârint ſinguli?* ibid. ad v. 37.

XXVI. *An quæ de Romanorum rebus narrata Machabæo dicuntur, vera ſint, & quomodo?* Ad c. 8 initio.

XXVII. *Inſignis pars ſanctæ Crucis, quæ Trajecti ad Moſam aſſervatur, à quo illuc miſſa: & quid characteres thecæ inſcripti ſignificent?* Ad c. 9. Exc. Mor. in fine ult. ſect.

XXVIII. *Hierothecam ſanctæ Crucis, cum ſpectabili ejus parte, quis Eccleſiæ Leodienſi dederit: quis aliam Tongrenſi, & quæ hujus inſcriptio?* ibid.

XXIX. *An ſummum Pontificatum ab Alexandro Rege Ionathas acceperit?* Ad c. 10 v. 15.

XXX. *Quis olim in Aſia honor aureæ fibulæ?* ibid. ad v. 88.

XXXI. *An ex Scriptura certò colligatur Lacones fuiſſe Hebræis cognatos?* Ad c. 12. v. 5. &c.

XXXII. *Nix, qua Tryphon ab arce prohibitus eſt, fuéritne æſtiva, & Auguſto quidem menſe?* Ad cap. 13. v. 22.
XXXIII. *Nilus fluvius unde oriatur?* Exc. 2. ad cap. 15. ſect. 2. num. ult.
XXXIV. *An Ioannes Hircanus fuerit Simonis ſecundogenitus, & cur primogenito in præfecturis anteponatur?* Ad cap. 16. v.

Chorographicæ & Topographicæ quæſtiones plurimæ, quæ Hiſtoricis quæſtionibus adnecti poterant, ex Indice locorum facillimè inveniuntur.

QUÆSTIONES CHRISTIANO-POLITICÆ,

Et documenta morum civilium ex legibus rationis ac fidei.

I. *An à Deo Principatus & civitates ſtabiliantur?* Exc. ad c. 14. ſect. 1.
II. *Quo fine ſocietates hominum coaluerint, an tantùm ad commodiùs vivendum: an potiùs ad vivendum meliùs ex Dei legibus?* Exc. ad c. 7. ſect. 1. num. 7.
III. *Quo vinculo eæ ſocietates colligentur, & contineantur, an juſtitiâ?* ibid. num. 8.
IV. *Quanti rerumpublicarum interſit religionem, & juſtitiam colere?* Excurſu eodem toto.
V. *Principi ſumma ſit religionis cura, & ab illa res ſuas incboet.* Ad c. 4. v. 16. &c.
VI. *Princeps & Magiſtratus ſitne in gratiam populi, an contrà?* Ad c. 12. v. ult. Et ad c. 14. v. 4. & alibi paſſim.
VII. *Principes paullatim regendo aſſueſiant.* Ad c. 13. in fine. Et ad c. 16. v. 3.
VIII. *Principis quæ virtus præcipua erga populum, an beneficentia?* Ad c. 12. v. 30. Et ad c. 14. v. 14. Et Exc. 1. ad cap. ult. ſect. 7. num. 5. 10. 11.
IX. *Multitudo populi, gloria Principis.* Ad cap. 12. v. 39. &c.
X. *Quanto ſtudio curandus amor ſubditorum in Principem, & quæ ad illum via certiſſima?* Ad cap. 14. v. 4.
XI. *Severitas clementiæ jungenda, & quatenus in puniendis malis?* Exc. ad cap. 7. ſect. 3. num. 7. 8. 9. Et Exc. ad c. ult. ſect. 7.
XII. *Severitas poſt rebelliones & tumultus publicos quæ temperatione adhiberi debeat?* Ad c. 9. v. ult.
XIII. *An Principem magnificentia deceat?* Exc. ad c. 13. ſect. 1. num. 3. Vide & Quæſt. Theol. 75.
XIV. *Sic temperanda magnificentia, ut ſubditus oneri non ſit.* Ad cap. 3. v. 30.
XV. *Principum ſæcularium adminicula, liberi.* Ad cap. 2. v. Et ad c. 16. v. 3.
XVI. *Quanti interſit officia rectè diſtribuere, & dignos eligere?* Exc. ad c. 7. ſect. 3. num. 6. & Excur. ad c. ult. ſect. 1.
XVII. *Quàm fæda ſit licitatio officiorum, & quàm meritò odioſi, qui id faciere?* Ibid. num. 12. & 13. Et ſect. 2. num. 8. & 9.
XVIII. *Pueris nec ſacra, nec civilia munia, credenda.* Ad cap. 13. in fine. Et Exc. 1. ad c. ult. ſect. 1. num. 11.

XIX. *Quanta*

XIX. *Quanta cura patria & avita leges, ac mores antiqui ſervandi?* Exc. ad c. 7. ſect. 3. num. 4. & 5. Et Exc. 1. ad cap. 16. ſect. ult. præſertim à num. 8.

XX. *Quanti facienda conſilia, & Conſiliarii?* Ad c. 2. v. 65.

XXI. *Quæ potiſſimæ ſint boni Conſiliatoris conditiones?* Ibid. Et ad c. 14. v. 9.

XXII. *Quàm pernicioſi ſint conſiliis ſuſurrones, & ſatores diſcordiæ?* Ad c. 9. v. 69.

XXIII. *Quanti ſit in conſiliis fortis executio?* Ad c. 2. v. 66. Et ad cap. 14. v. 4.

XXIV. *Conſiliis deceſſorum quando, & cur inſtandum?* Ad cap. 13. v. 8. Et ad cap. 16. ſub finem.

XXV. *Quatenus in conſiliis & aulis utendum familiaritate magnatum, ut libertas Chriſtiana ſervetur?* Ad cap. 11. v. 7.

XXVI. *Dedecet Principes negotiis noctu tractandis aſſueſcere.* Ad cap. 4. v. 13.

XXVII. *Membra reipublicæ ab antiquo tria.* Excur. 2. ad cap. 3. ſect. 6. num. 18.

XXVIII. *Singula reipublicæ membra quàm obligentur ad ſtudium boni communis?* Exc. 2. ad c. 3. ſect. 5. num. 10. Et Exc. 1. ad cap. 16. num. 4. 5. 6. Vide Quæſt. Theol. 94.

XXIX. *Concordia membrorum reipublicæ quanti ſit momenti ad ejus ſalutem?* Ad cap. 3. v. 2. Et ad cap. 8. v. 14. &c.

XXX. *Quod Eccleſiaſticorum munus?* Exc. 2. ad cap. 3. ſect. 6. num. 18.

XXXI. *De immunitate Sacerdotum.* Vide Quæſt. Theol. 50.

XXXII. *Quanti ſint eorum peccata?* Exc. 4. ad cap. 5.

XXXIII. *Orationes ad Deum in publicis rebus quàm magni ſint momenti?* Exc. 2. ad c. 3. ſect. 6. Et Exc. ad c. 14. ſect. 2. & alibi paſſim.

XXXIV. *Qui nobiles novi, noviſſimi, veri: & quot veræ nobilitatis capita?* Exc. 2. ad c. 1. num. 1. 2. 3.

XXXV. *Nobilium peccata quanti?* Ibidem Excur. reliquo.

XXXVI. *Iudiciorum & litium labes quàm exitioſa, & quàm cavenda?* Exc. ad cap. 16. ſect. 6.

XXXVII. *Quàm utilis ſit Rebuſpublicis bonus miles?* Excur. 3. ad cap. 1. ſect. 2. num. 3.

XXXVIII. *Miles peregrinus ſitne aliquando utilior domeſtico: & qua moderatione illo utendum?* Ad cap. 11. v. 38. Et ad cap. 14. v. 9. &c.

XXXIX. *Cur milites à Septemtrionibus ferè eſſe ſoleant Meridionalibus meliores?* Exc. ad c. 9. ſect. 1. num. 6.

XL. *Quàm expediat militem eſſe natandi peritum?* Ad cap. 9. v. 48.

XLI. *Quanti ducis interſit exactè copias ſuas nôſſe?* Ad cap. 3. v. 55.

XLII. *Lupæ & libidines publicæ an inter milites tolerandæ?* Exc. 3. ad c. 1. ſect. 1. num. 1. 2. 3. 8.

XLIII. *Quàm exitioſa militi ſocietas timidorum?* Ad cap. 3. v. 56.

XLIV. *Iuſtâ belli cauſſâ quantum animetur miles?* Ad cap. 3. v. 21. Et ad cap. 12. v. 49.

XLV. *Militum animos quàm acuat deſperatio: & quàm pericloſum eos tunc aggredi?* Ad c. 3. v. 43.

XLVI. *Quàm neceſſaria Principi militarium ſtipendiorum exſolutio?* Ad cap. 3. v. 28.

XLVII. *Quæ tributa æquiſſima, & ærario publico fructuoſiſſima?* Ad cap. 14. v. 10. Et Excur. 1. ad c. ult. ſect. 1. num. 8.

XLVIII. *Quanti ſit publicè negotiatio?* Ibid.

XLIX. *Quanti ſit maris imperium?* Ibidem.

L. *Quid ſpectandum maximè ad bellorum juſtitiam?* Excur. 4 ad cap. 1. num. 5. & 6.

LI. *An publica vindicta liceat?* Vide quæſt. Theol. 23.

LII. *Spernen-*

Index Quæſtionum Chriſtiano-Politicarum.

LII. *Spernendáne amicitia populorum, quamvis exiguorum & imbecillium?* Ad c. 12. v. 5. &c.

LIII. *Quando & quatenus liceant fœdera cum Infidelibus: quomodò item cum injuſtis invaſoribus?* Vide Quæſt. Theol. 52. 53. 65. 66. 67.

LIV. *Quàm pernicioſa ſit victoribus præpropera cupiditas ſpoliorum?* Ad cap. 4. v. 18.

LV. *Hoſtium deceptio qualis & quando licita?* Ad cap. 7. v. 33.

LVI. *Civilia odia an exitioſiora hoſtilibus?* Ad cap. 9. v. 61. Et Excur. ſect. 1. num. 6.

LVII. *Seditionum, & rebellionum cauſſa.* Ad cap. 3. v. 29. Ad cap. 11. v. 38. Et alibi paſſim.

LVIII. *Quis pacis redintegrandæ modus certiſſimus?* Excur. ad cap. 14. ſect. 2.

LIX. *In pace cavenda ſecuritas nimia: de viris atque armis providendum: munimenta curanda.* Ad cap. 13. verſ. 33. Et ad cap. 14. v. 6. &c.

LX. *Conducátne paci & proſperitati domeſticæ vicinos æmulos inter ſe committi?* Ad cap. 8. v. 21. Et ad c. 10. v. 1.

LXI. *Quæ certiſſima exitii publici cauſſa?* Exc. 5. ad c. 1. ſect. 2. num. 6. ad 11. Et Exc. 2. ad c. ult. ſect. 1. tota.

LXII. *Quæ peccata publica dicenda ſint: & cur illa præcipuè populis perniciem accerſant?* Excur. ad cap. 7. ſect. 1. uſque ad num. 7.

LXIII. *Cur exitioſiſſimum publicorum omnium criminum ſit injuſtitia?* Exc. eodem, ſect. 3. num. 1. 2. 3. Et ad cap. 15. v. 37.

LXIV. *Pranoſcine poſſit, ſoleátve præſignificari divinitùs, exitium populis & urbibus imminens?* Excur. 2. ad cap ult. ſect. 1. num. 11.

LXV. *An ex populari veſtium, ſermoniſque mutatione, indicium aliquod duci poſſit ſtatus mutaturi?* Proleg. ſect. 3. num. 3.

LXVI. *Sapientis ac boni Politici, & Principis, exemplar exhibent Mathathias & liberi: delineatur* cap. 14. v. 4. &c. *in Simone, qui cæteris ſuperſtes fuit.*

LXII. *Pſeudo-Politici & Tyranni exempla ſpectantur in Antiocho Epiphane, Alcimo, Ptolemæo Philometore, & c omnium expreſſiſſimè in Tryphone.* Ad cap. 12. v. 39. &c. Et ad cap. 13. v. 31. Et ad c. 15. v. 37.

INDEX

INDEX PROLEGOMENΩN ET EXCURSUUM MORALIUM AD LIBRUM PRIMUM MACHABÆORVM.

PROLEGOMENON

SECT. I. *Quod nomen, & unde?* pag. 1
SECT. II. *Quot libri Machabæorum? Quis auctor?* 3
SECT. III. *Quæ librorum auctoritas?* 5
SECT. IV. *Quæ horum, librorum utilitas privatim?* 10
SECT. V. *Horum librorum utilitas pro ſcholis.* 15
SECT. VI. *Horum librorum utilitas pro pulpitis.* 19

TOTIUS HISTORIÆ SERIES.

Ingreſſus in hiſtoriam. pag. 23
Antiochi Epiphanis adverſus Iudæos perſecutio. 24
Mathathiæ Principatus. 26
Iudæ Principatus. 27
Ionathæ Principatus. 37
Simonis Principatus. 41
Ioannis Hircani Principatus. 42
Series Regum Syriæ & Ægypti. 43
Series Pontificum eodem tempore. 44

EXCURSUS MORALES.

AD CAPUT I.

EXCURSUS I. ad v. 6. *Cognovit, quia moreretur.*
Cineres Alexcterii, & fictiles.
EXC. II. ad v. 11. *Radix peccatrix.*
Ignobilis nobilitas cauſſa malorum publicorum.
EXC. III. ad verſ. 15. *Ædificaverunt gymnaſium.*
Voluptates rebus-publicis amariſſimæ.
SECT. I. Primum voluptatum damnoſarum genus.
SECT. II. Coniectanea.
SECT. III. Alterum voluptatum rebuſpublicis perniciosarum genus.
EXC. IV. ad verſ. 17. *Vt regnaret ſuper duo regna.*
A bellis internis externa.
EXC. V. ad v. 26. *Factus eſt planctus magnus.*
Cauſſæ communes malorum publicorum.
SECT. I. Calamitatum omnium bellicarum cauſſæ peccata.
SECT. II. Etſi non omnium calamitatum privatarum, omnium tamen publicarum cauſſæ peccata.
SECT. III. Cur peccata, cauſſas tot malorum, Deus permittat?

AD CAPUT II.

EXCURSUS I. ad v. 37. *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra.*
Multis calamitates bellicas cæli ianitrices eſſe.

EXC. II.

Index Excurſuum.

Exc. II. ad v. 67. *Vindicate vindictam populi veſtri.*
Solatium calamitatum bellicarum ex conſiderationibus humanis.

Exc. III. ad v. 64. *Vos ergo filii conſortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis.*
Conſolationes divinæ.

Sect. I. Quæ conſideranda Chriſtiano in calamitatibus publicis.

Sect. II. Cur Deus bonis mala immittat?

AD CAPUT III.

Excursus I. ad v. 2. *Præliabantur prælium Iſraël cum lætitia.*
De bello ſpirituali.

Sect. I. Pax Chriſtiana, militia eſt.

Sect. II. Quadrageſimæ tempus, militia.

Exc. II. ad v. 46. *Congregati ſunt, & venerunt in Maſpha, quia locus orationis erat in Maſpha, &c.*
Oratio ad Deum fons eſt bonorum, malorum remedium.

Sect. I. Efficacia orationum.

Sect. II. Cur ſæpè orationes ſint inefficaces?

Sect. III. Prima orationis conditio à cauſſa efficiente.

Sect. IV. Altera conditio orationis à fine bono.

Sect. V. Orationis conditio tertia à bona materia.

Sect. VI. Quis modus orationi adhibendus?

Sect. VII. Orationis ſubſidia.

AD CAPUT IV.

Excursus I. ad v. 8. *Ne timueritis multitudinem eorum, &c.*
Inſpiciuntur animorum motus.

Sect. I. Tranquillitas Chriſtiano militi neceſſaria.

Sect. II. Malus timor proſcribitur, bonus commendatur.

Exc. II. ad v. 36. *Aſcendamus mundare Sancta, & renovare.*
Emundatio culparum in bellis.

Sect. I. Peccata præterita bellicis calamitatibus expurgantur: alia in præſens impediuntur.

Sect. II. Peccata in futurum bellicis calamitatibus præveniuntur.

Exc. III. ad v. *eumdem.*
Peccati mortalis gravitas expenditur.

Sect. I. Natura peccati mortalis.

Sect. II. Pœna peccati mortalis.

Sect. III. Remedium peccati mortalis.

Sect. IV. Tres peccantium gradus.

Sect. V. Peccatorum genera quinque.

AD CAPUT V.

Excursus I. ad v. 54. *Aſcenderunt in montem Sion cum lætitia, & gaudio, & obtulerunt holocauſta.*
Caritatis ad Deum aſcenſus, & via.

Sect. I. Qualis ſit via caritatis.

Sect. II. Caritatis affectæ partes pœnitentiæ.

Exc. II. ad v. 60. *Facta eſt fuga magna.*
Unius peccato laborat univerſa reſpublica.

Exc. III. ad v. 61. *Non audierunt Iudam, & fratres ejus, exiſtimantes ſe fortiter facturos.*
Peccata venialia cauſſæ calamitatum.

Exc. IV. ad v. 67. *Ceciderunt Sacerdotes in bello.*
Peccata Eccleſiaſticorum publicis malis punita.

AD CAPUT VI.

Excursus ad v. 54. *Remanſerunt in Sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames.*
Bella velut publicas purgationes eſſe.

Sect. I.

Index Excurſuum.

SECT. I. Bella univerſum exonerant, & exornant.

SECT. II. Bellis reſpublicæ mundantur.

AD CAPUT VII.

EXCURSUS ad v. 43. *Contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe primus in prælio.*

Communium miſeriarum cauſſæ præcipuæ.

SECT. I. Peccata publica maximè implent Menſuram divinæ Juſtitiæ.

SECT. II. Impietas populis exitioſa.

SECT. III. Maxima rerumpublicarum pernicies injuſtitia.

AD CAPUT VIII.

EXCURSUS ad v. I. *Audiit Iudas famam Romanorum, &c.*

Fortuna improborum in hac vita.

SECT. I. Cur Deus malis det proſperitatem?

SECT. II. Cur Deus malis utatur ad puniendos bonos?

SECT. III. Cur mali bonis permiſti?

AD CAPUT IX.

EXCURSUS ad v. 21. *Quomodò cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël?*

Salvator noſter patiens, & moriens.

SECT. I. Extremum Chriſti certamen in Iuda expreſſum.

SECT. II. Teſſera militaris, ab imperatore Chriſto militibus ſuis data: Vigilate, Suſtinete, Orate.

SECT. III. Peccatum & peccator in Paſſione adumbrantur: ad illud 2. Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

SECT. IV. Chriſtus crucifixus: ad hæc Paulli Gal. 2. *Chriſto confixus ſum cruci.*

SECT. V. Quinque Chriſti vulnera, trigemina: ad iſtud Iſaiæ cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

SECT. VI. Paſſio Chriſti in dimenſiones quatuor tribuitur: ad illa Eph. 3. *Poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum.*

AD CAPUT X.

EXCURSUS ad v. 84. *Succendit Ionathas Azotum.*

Quàm inania mortalium bona.

SECT. I. Rerum humanarum vanitas agnoſcitur ex morte ſingulorum, morte urbium, morte Univerſi.

SECT. II. Vanitas amatorum mundi oſtenditur: ad illa Luc. 18. *Cæcus ſedebat ſecus viam mendicans.*

SECT. III. Rerum mortalium *modicum.*

AD CAPUT XI.

EXCURSUS ad v. 71. *Scidit Ionathas veſtimenta, & oravit.*

Fiducia in Deum excitatur.

SECT. I. Fundamenta fiduciæ in Deum.

SECT. II. Spes in Deum maximè rebus deſperatis erigenda.

SECT. III. Spes Chriſtiana in Chriſto fundata: ad illa cæci, Luc. 18. *IESV, Fili David, miſerere mei.*

SECT. IV. Fidei prærogativæ.

AD CAPUT XII.

EXCURSUS I. ad v. 13. *Nos autem circumdederunt multæ tribulationes; & multa prælia.*

Virtutes per bella perfici.

SECT. I. Mala ſemen ſunt bonorum omnium.

SECT. II. An etiam malè uſuris calamitas bona ſit?

Index Excurſuum.

Excursus II. ad v. 15. *Habuimus de cælo auxilium.*
Geniorum partes in bellis.
Sect. I. Piis ſæpè Angeli militant.
Sect. II. Mali genii non rarò in bellis, ac motibus publicis, partes ſuas agunt.

AD CAPUT XIII.

Excursus ad v. 27. & 28. *Ædificavit Simon ſuper ſepulcrum, &c. & ſtatuit ſeptem pyramides.*
Chriſti & Chriſtianorum reſurrectio, gaudium, pax.
Sect. I. Pyramides ſeptem ſuper Chriſti ſepulcrum erectæ.
Sect. II. Eriguntur pyramides ſeptem ad ſingula Chriſtianorum piè mortuorum ſepulcra.
Sect. III. Cantus reſurgentium Beatorum, Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Sect. IV. Ad illa verba Angelorum Mar. 16. *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum.*
Sect. V. Chriſti reſurgentis teſſera, *Pax vobis.*
Sect. VI. Pax Chriſto naſcente promulgata.
Sect. VII. Pax à Simeone cantata.

AD CAPUT XIV.

Excursus ad v. 27. *Sub Simone Sacerdote magno in Aſaramel.*
Princeps populorum Deus.
Sect. I. Providentia divina rerumpublicarum ſuprema gubernatrix.
Sect. II. Ad aſylum orationis confugiendum, ubicumque publicæ calamitates ingruunt.
Sect. III. Miſericordia & Iuſtitia, Providentiæ divinæ comites, figurantur in Chriſti Transfiguratione.

BONA VOLUNTAS OPTIMÆ CONSENTIENS.

Prooemium. Quæ ſit bona voluntas?
Pars prima. Fundamenta bonæ voluntatis.
Sect. I. Primum fundamentum: Providentiam divinam Univerſo regendo præſidere.
Sect. II. Alterum fundamentum: A Providentia divina res etiam minimas, & fortuitas, curari.
Sect. III. Fundamentum bonæ voluntatis tertium, ac præcipuum: Cura Dei de homine, præſertim probo.
Pars Secunda. Officia bonæ voluntatis.
Sect. I. Primum officium: Acquieſcere Deo, ſive ſeſe reſignare in malis pœnæ quibuſlibet, etiam per malam hominum voluntatem inflictis.
Sect. II. Alterum bonæ voluntatis officium: Fidere Providentiæ divinæ in malis quibuſlibet.
Sect. III. Tertium bonæ voluntatis officium: A Providentia divina in futurum pendere, ſeu indifferentem eſſe.
Pars tertia. Adjumenta Bonæ voluntatis.
Sect. I. Adjumentum primum: Conſideratio modi, quo agit Providentia, ut noſtra omnia illi permittamus.
Sect. II. Alterum adjumentum: Conſideratio providentiæ humanæ.
Sect. III. Tertium adjumentum: Conſideratio inſaniæ, & infælicitatis illorum, qui à Providentia divina ſeſe regi non ſinunt.
Pars quarta. Fructus bonæ voluntatis.
Sect. I. Primus conformatæ cum divina voluntatis fructus; Gloria Dei.

Sect. II.

Sect. II. Fructus alter: Meritorum ſeges ampliſſima.

Sect. III. Fructus tertius: Excelſa tranquillitas animi.

Epilogus. Dicta omnia recenſentur.

AD CAPUT XV.

Excursus I. ad v. 40. *Cendebaus capit conculcare Iudaeam.*
Peccata Fidelium citiùs Menſuram ſuam implent, quàm Infidelium ſuam.

Excursus II. ad verſ. eumdem.
Effecta bellorum.

Sect. I. Bellicarum calamitatum mala effecta.

Sect. II. Bona belli effecta generatim proponuntur.

AD CAPUT XVI.

Excursus I. ad v. 13. *Ptolemaeus volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adverſùs Simonem.*
Quadripartitae juſtitiae quina vulnera, ſeu multiformes injuſtitiae deteguntur.

Sect. I. Peccata contra juſtitiam Diſtributivam.

Sect. II. Corruptrix juſtitiae Diſtributivae, ambitio.

Sect. III. De juſtitia Commutativa, vitiiſque oppoſitis, nominatim detractione.

Sect. IV. Contumeliae natura expenditur.

Sect. V. De injuriis in bonà fortunae.

Sect. VI. Perſtringuntur injuſta litium.

Sect. VII. Expenduntur defectus juſtitiae Vindicativae.

Sect. VIII. Quid ſit juſtitia Legalis, & ut adversùs illam peccetur?

Excursus II. ad v. 20. *Miſit occupare Ieruſalem, & montem Templi.*
Menſura peccatorum.

Sect. I. Civitatibus ac populis, peccatorum ac ſuppliciorum certa à Deo menſura dicta eſt.

Sect. II. Menſurae exemplum in natione Iudaïca, ex parabola vineae, Matth. 21.

Sect. III. Gentis Iudaïcae extrema pernicies, à Chriſto defleta, ac pronunciata, Luc. 19.

INDEX LOCORUM JUDÆÆ, ET FINITIMORUM;

Quæ in tabella chorographica maximam partem annotantur, in Commentariis deſcribuntur, ſituique ſuo accuratè redduntur. Ad calcem Indicis adjectæ ſunt notæ in tabulam topographicam Iudææ & Hieroſolymæ.

A.

ABILINA, cap. 3. v. 13.
Accaron, capitis 5. verſu v. 21. & c. 10. v. 29.
Acco, ſive Accon, vide Ptolemaïs.
Acra, c. 1. v. 35. c. 13. v. 53.
Acrabbim, c. 5. v. 3.
Acrabathane, ibidem.
Acrabata, ibid.
Adarſa, c. 7. v. 40.
Adazer, ibid.
Addus, c. 12. v. 38. c. 13. v. 13.
Adiada, ibid.
Ador, c. 13. v. 20.
Ægyptus, c. 1. v. 18. 19. &c.
Æmath, c. 12. v. 25.
Alima, c. 5. v. 26.
Amathitis, vide Æmath.
Ammonitæ, c. 5. v. 6.
Amorrhæi, ibid.
Antaradus, c. 15. v. 37.
Antilibanus mons, c. 3. v. 13.
Antiochia, c. 3. v. 37.
Antipatris, c. 7. v. 31.
Apamea, c. 15. v. 37.
Aphærema, c. 11. v. 34.
Aqua Geneſar, c. 11. v. 67.
Aquæ Merom, c. 9. v. 33. & c. 11. v. 67.
Arabia deſerta, vide Zabadæi.
Arabia fælix, vide Nabatha.
Arabia Petræa, ibid.
Aradus, c. 15. v. 23.
Arbata, c. 5. v. 21.
Arbella, c. 9. v. 2.
Arnon torrens, c. 5. v. 6.
Arx Syrorum, c. 1. v. 35. c. 7. v. 32. c. 13. v. 35.
Aſcalon, c. 10. v. 86.
Aſcenſus ſcorpionis, vide Acrabbim.
Aſor, c. 11. v. 67.
Aſphaltites lacus, c. 9. v. 33.
Aſphar lacus, ibid.
Aſaremoth, c. 14. v. 15.
Aſſima, ibid.
Aſſemoth, ibid.
Azmaveth, ibid.
Aſtaroth-Carnaïm, c. 5. v. 37.
Atargateum, ibid.
Azotus, c. 4. v. 15. c. 10. v. 77.

B.

BAal-pharaſim, c. 9. v. 66.
Baraia, c. 5. v. 2.
Baſcama, c. 13. v. 23.
Baſan, c. 5. v. 4.
Batanæa, ibid.
Bean, ibid.
Berea, c. 9. v. 4.
Beſor torrens, c. 3. v. 24.
Bethanath, c. 5. v. 4.
Bethbeſſen, c. 9. v. 62.
Bethel, c. 9. v. 50.
Bethoron, c. 3. v. 16.
Bethſan, c. 5. v. 52.
Bethſetta, c. 7. v. 19.
Bethſura, c. 4. v. 29. & ult.
Betzachara, c. 6. v. 32.
Betzecha, c. 7. v. 19.
Boſor Moabitica, c. 5. v. 24.
Boſor Galaaditica, c. 5. v. 26.
Boſra, ibidem.

C.

CAdes, c. 11. v. 63.
Cæſarea Philippi, c. 9. v. 5.
Campus magnus vallis illuſtris, c. 5. v. 52.
Campus magnus Galilææ, c. 12. v. 49.
Capharſalama, c. 7. v. 31.
Caphethetha, c. 12. v. 37.
Carmelus mons, vide Dora.
Carnion, vide Aſtaroth-Carnaïm.
Carnaïm, vide ibidem.
Caſbon, c. 5. v. 36.
Caſphin, c. 5. v. 21. &c.
Caphor, c. 5. v. 26. 36.
Caſſiotis, c. 12. v. 25.
Cedron urbs, c. 15. v. 39. c. 16. v. 6.
Cedron torrens, ibid.
Cethim, c. 1. v. 1.
Characa, c. 5. v. 21. &c.
Chebron, c. 5. v. 65.
Ciſon torrens, c. 5. v. 14.
Citium, c. 1. v. 1.
Cenereth, c. 9. v. 5.
Civitas David ſeu ſuperior, vide Arx Syrorum.
Civitas inferior, ibid.
Cœleſyria, c. 3. v. 13.
Cyprus, c. 1. v. 1.

Index locorum Judææ.

D.

DAmaſcus, c. 11. v. 62. vide etiam Cœleſyria.
Datheman, c. 5. v. 9. 29.
Dioſpolis, c. 2. v. 1. c. 11. v. 34.
Doch, c. 16. v. 15.
Dora, c. 15. v. 14.
Doreon, vide Ador.

E.

ELeutheropolis, c. 12. v. 38.
Eleutherus fluvius, c. 11. v. 7.
Elymaïs, c. 6. v. 1.
Emath, vide Æmath.
Emmaüs, c. 3. v. 40.
Ephron, c. 5. v. 45.
Epiphania, vide Æmath.
Eſdrelon, vide Campus magnus Galilææ.

F.

FLumen Ægypti, c. 3, v. 32. & c. 13. v. 20.
Fluvii Damaſci Abana & Pharphar. vide Eleutherus.

G.

GAddera, c. 4. v. 15.
Galaaditis, c. 5. v. 9.
Galgala, c. 9. v. 2.
Galilæa, c. 5. v. 14.
Garizim, c 3. v. 10.
Gaza, c. 11. v. 61. c. 13. v. 43. 54.
Gazara, c. 4. v. 15. c. 7. v. 45.
Gazer, vide Jazer.
Gedor, c. 4. v. 15. c. 15. v. 39.
Geneſar & Geneſareth, vide Aqua Geneſar.
Geth, c. 2. v. 1.
Gezeron, c. 4. v. 15.

H.

HEbron, vide Chebron.
Hemath, vide Æmath.
Hetthim, vide Cethim.
Hieromace torrens, c. 5. v. 27.
Hor mons, c. 5. v. 25.
Horræorum montes, c. 5. v. 5.

I.

IAboc torrens, c. 5. v. 6.
Jamnia, c. 5. v. 21.
Jazer urbs, c. 5. v. 6.
Jazer torrens, ibid.
Idumæa, c. 5, v. 3.
Jericho, c. 9. v. 50.
Jeruſalem, vide Acra, Arx Syrorum, & alibi paſſim.
Joppe, c. 5. v. 21.
Jordanis, c. 9. v. 33. c. 11. v. 6. 7.
Ituræa, c. 3. v. 13. & c. 12. v. 31.
Judæa, c. 3. v. 24. c. 5. v. 8.

L.

LAïſa, c. 9. v. 5.
Leſemdan, ibidem.
Libanus mons, c. 3. v. 13.
Lidda ſeu Lyda, vide Dioſpolis.
Luza, vide Bethel.

M.

MAchmas, c. 9. v. 73.
Madaba, c. 9. v. 36.
Mageddo, vide Campus magnus Galilææ.
Mageth, c. 5. v. 26.
Mare Galilææ, & Tiberiadis, ſeu Cenereth, vide Aqua Geneſar.
Mare Jazer, vide Jazer.
Mare mortuum, vide Aſphaltites lacus.
Mare ſalſum, ſeu ſalis, ibidem.
Mareſa, c. 5. v. 65.
Maſaloth, c. 9. v. 2.
Maſpha Judæ, c. 3. v. 46.
Maſpha Gaditica, c. 5. v. 29.
Maſpha Galaaditica, ibid.
Moabitæ, c. 5. v. 4.
Modin, c. 2. v. 1.
Mons Moria. c. 13. v. 53.
Mons Templi, ibid.
Mons Oliveti, c. 15. v. 39.
Montana Judææ, c. 2. v. 30. c. 4. v. 5.

N.

NAbatha, c. 5. v. 25.
Nabuthæi, ibid.
Neheleſcol, vide Beſor.
Nicopolis, vide Emmaüs.
Nilus Fluvius. Exc. 2. ad c. 15. ſect. 2. ult.

O.

ODolla, c. 5. v. 65.
Orontes fluvius, c. 3. v. 37.
Orthoſias, c. 15. v. 37.

P.

PAlæſtina, c. 3. v. 24.
Paneas, vide Cæſarea Philippi.
Peræa, c. 5. v. 9. c. 10. v. 30.
Perſepolis, vide Elymaïs.
Petra, c 5 v. 25.
Phara, c. 9. v. 50.
Pharaton, ibid.
Phaſeron, c. 9. v. 66.
Philadelphia, c. 5. v. 6.
Philiſtiim, c. 3. v. 24. c. 11. v. 59.
Phœnicia, c. 5. v. 14.
Ptolemaïs, ibid.

R.

RAbbath, vide Philadelphia.
Ramatha, c. 11. v. 34.
Raphon, c. 5. v. 37.
Recem, vide Petra.
Rhinocorura, c. 3. v. 32.

S.

SAmachonitis lacus, vide Aquæ Merom.
Samaria, c. 3. v. 10.
Scythopolis, vide Bethſan.
Secunda pars Hieroſolymæ, c 15. v. 25.
Seir mons, & regio. vide Idumæa.
Seleucia, c 11. v. 8.
Sephêla, c. 3. v. 40. & c. 12. v. 38.
Sichem, c. 3. v. 10.
Sidon, c. 5. v. 14.
Sion mons, vide Arx Syrorum.

Socho,

Index locorum Judææ.

Socho, c. 9. v. 50.
Sorec torrens, c. 3. v. 24.
Stagnum Geneſareth, vide Aqua Geneſar.
Superiores regiones, c. 3. v. 37.
Suſa, c. 6. v. 1.
Syria, vide Antiochia, & Cœleſyria.
Syria Maacha, & Soba. vide Cœleſyria.

T.

TAphüe, c. 9. v. 33.
Tephon, c. 9. v. 50.
Terra ſancta, c. 5. v. 8.
Thamnata, ibid.
Thecue, c. 2. v. 30. c. 9. v. 33.
Tiberias, vide Cenereth.
Tob, c. 5. v. 9.

Torrens Ægypti, vide Flumen Ægypti.
Torrens botri, vide Beſor.
Tortoſa, vide Orthoſias.
Trachonitis, c. 5. v. 4 c. 12. v. 31.
Tripolis, c. 7. v. 1.
Tubianæi, vide Tob.
Tubin, vide Tob.
Tyrus, c. 5. v. 14.

V.

VAllis Save, vide Campus magnus vallis illuſtris.
Vallis Joſaphat, c. 15. v. 30.

Z.

ZAbadæi, c. 12. v. 31.
Ziph deſertum, c. 2. v. 30.

NOTATIUNCULÆ AD TOPOGRAPHICAM IUDÆÆ TABULAM.

I. ETſi multæ & uberes admodùm tabulæ ejuſmodi chorographicæ prodierint, à variis Scriptoribus concinnatæ: viſum eſt tamen & noſtram huic operi præmittere; tum quia aliæ non omnibus ſunt ad manum; tum quia non uſquequaque inſtituto noſtro congruunt.

II. Lectoris commodo parvam, præ aliis plerisque, confecimus: ut primo aſpectu pateret tota, neque explicando & replicando moleſta eſſet.

III. Ad ejuſdem commodum, rectâ fermè lineâ deſcripſimus nomina non urbium modò, ſed & montium, & aquarum: ne ſæpè obvertere oporteret ad legendi facilitatem.

IV. Sic illam hiſtoriæ Machabæorum aptavimus, & præcipua ad ejus intelligentiam loca deſignavimus: ut tamen non prætermiſerimus, quæ ad reliquæ Scripturæ intelligentiam ſufficiant.

V. In eas anguſtias nec potuimus omnia locorum vocabula contingere, nec voluimus: ne alioqui legentium oculis tenebras offunderet ſpiſſitudo literarum, & confunderet intelligentiam vocabulorum non neceſſariorum multitudo.

VI. Ob eamdem cauſſam noluimus ſcribendo characterem tam minutum adhiberi, ut legentes moraretur, non ſine faſtidio, & jacturâ temporis.

VII. Chalcographo uſi ſumus, qui erat ad manum; magiſque opportunitatem inſtandi & corrigendi ſpectavimus, quàm characteris elegantiam: ne ſi elegantiæ majoris ſtudio mitteremus ad alium, plurimi errores abſente me irreperent, cùm aliqui etiam præſentem fugerint.

VIII. In dimetiendis locis, quorum hiſtoria noſtra meminit, quàm accuratiſſimi fuimus. Eorum quædam diverſo prorſus à cæterorum deſcriptionibus ſitu poſuimus; nominatim Nabatham, Iazer, Caſphin, Iamniam. Cur autem nos ab aliis diſcedere oportuerit, ratio in Commentariis redditur.

IX. In reliquis Iudææ locis deſcriptiones probatiſſimorum Auctorum, quotquot nanciſci licuit, ſecutus ſum. Ubi autem inter ſe diſſentiunt, quod non infrequenter accidit: illorum ſententiam ſum amplexus, non qui numero vel famâ, ſed qui ratione vincunt, & magis conveniunt cum noſtris ſacræ hiſtoriæ obſervationibus.

X. Tribuum Iſraëliticarum ſitum annotavi, non fines: tum quia de his inter Scriptores non uſquequaque convenit; tum quia in tam arctâ tabella ſine incommodo notari non poterant.

XI. Extra Terræ promiſſæ fines, non tantùm Ægypti aliquid ad Mare rubrum & Idumæam Auſtralem, ſed etiam Syriæ partem

partem, Antiochiam, uſque annotare oportuit.

XII. Cùm autem in iſtorum finium menſuris magna ſit apud Chorographos varietas; uti & in Maris rubri dimenſione, ac ſolitudinis per quam Iudæi annis quadraginta erravêre: eâ nos menſurâ uſi ſumus, quam vel probatiſſimi tenuêre, vel ratio ſuaſit.

XIII. In Ægypto Nilum fluvium longiùs à Mari rubro ſejunximus, quàm Tirinus; propiùs paullò admovimus, quàm Bonfrerius: non quia ſic fluit, cùm ex geographia conſtet dimidio circiter gradu remotiorem eſſe: ſed quia ſic commodum erat, in tantillo tabellæ ſpatio, ad aliquam ſitûs ideam & deſignationem. Idem in Syria fecimus urbi & regioni Palmyrenæ, Tirinum imitati: quamquã aliquantò longiùs à Damaſco poſuimus, & verò etiã longiùs abeſt ex Ptolemæi geographia.

XIV. In flexu litoris totius ad Mare mediterraneum, quia conſtare videtur Adrichomium, celebrem Terræ ſanctæ geographum, aberrâſſe, ab eo diſceſſimus, propeque ad alios acceſſimus.

XV. Cypri inſulæ partem appoſuimus: tum occupando illic vacuo ſpatio; tum quòd in hiſtoria Machabæorum de Iove Olympio & Cypriis ſit mentio, in Commentariis de Citio. Quia tamen parum ad nos attinet, eamobrem non adeò exactè ſpatia terræ, ſinuum, ac fretorum dimenſi ſumus: præſertim cùm & hîc Chorographi fermè inter ſe conveniant, ſicut philoſophi & horologia apud Senecam in Apocolocynthoſi.

XVI. Hieroſolymæ etiam tabulam curavimus commodo Lectoris; cui vel ad manum non eſſent aliæ Hieroſolymorum deſcriptiones, vel inſtituto noſtro minùs idoneæ.

XVII. Ambitum urbis & mœnium flexum efformavimus, qualem ferè optimæ quæque & noviſſimæ aliorum deſcriptiones exhibent: ſub Aſſamonæorum Principum ætatem.

XVIII. Urbis partes, & munimenta, de quibus in Machabæorum hiſtoria fit mentio, quàm accuratiſſimè ſitui ſuo reddidimus: numerumque adſcripſimus Libri & capitis.

XIX. Montem Sion, quem intra Civitatem aliqui valdè ſinuoſum efformant, tectum alii: nos, quia non occurrebat unde quæſtionem iſtam decideremus, rectum efformare maluimus, ut munitiones aſpectabiliores forent.

XX. Clivo, inter montem Sion ac Civitatem inferiorem interjecto, tantum ſpatii dedimus, quantum neceſſe videbatur ad ſtatuenda commodè adverſa munimenta.

XXI. Eumdem clivum profundiorem effinximus, quâ parte Occidentem ſpectat, quàm quâ Orientem: quia montem Sion illa parte conſtat eſſe altiorem, & urbi reliquæ imminere, ideoque ibi à Iebuſæis olim arx poſita fuit, poſtmodùm à Syris.

XXII. Bethſuram, de qua frequens admodùm in Machabæorum hiſtoria fit mentio, poſuimus ad urbis latus Auſtrale, eo paſſuum intervallo, quod Scriptura indicat.

XXIII. Loca extra urbem alia, Golgotham, fontes Gion ſeu Siloë, torrentem Cedron, montem Oliveti, vallem Ioſaphat, etſi ad Machabæorum hiſtoriam non pertinentia, addidimus in Lectoris gratiam, ſitu quàm proximè ad verum deſcripto, ex probationibus obſervationibus.

XXIV. Cætera ad Auſtrale urbis latus confragoſa, & nuda, non tam ad verum efficta ſunt, etſi montes erant in circuitu ejus, quàm ad belli faciem exhibendam: quod etiam Angeli & Machabæi habitu, teſſeriſque ac ſymbolis militaribus, ſignificatur.

XXV. Ad latus Boreæ & Europæ objectum, ubi Angelus ſeu nuntius pacis, gradum promovet, lætiora omnia, magis ad pacis quàm ad loci faciem indicandam, expreſſa ſunt.

PRÆNO-

PRÆNOTATIO

DE DIVINA HORUM LIBRORUM AUCTORITATE.

DIſputamus ubertim de iſto argumento, Prolegomeni ſectione 3. totâ. Eâ jam excusâ, inveni apud ternos celebres Scriptores, Græcum unum, Latinos duos, non inefficacia & cæteris meritò adjungenda teſtimonia, quæ nuſquam meliùs poni, quàm hoc loco, poſſunt.

CLEMENS ALEXANDRINUS libro 1. Stromatum ſub medium.

IN hac captivitate, agit autem de captivitate Babylonica, *fuit Eſther & Mardochæus*, *cujus etiam habetur liber, ſicut & Machabæorum.* Enumerat ibi doctiſſimus Scholæ Alexandrinæ & Origenis magiſter libros Sacros, eodemque ordine recenſet hiſtoriam Machabæorum, quo librum Eſtheris, conſequenter ad Prophetas duodecim, aliosque antè recenſitos.

IUNILIUS FIRMICUS Epiſcopus Africanus lib. 1. de partibus divinæ legis cap. 3.

DIſcipulo interroganti, *Nulli alii libri ad Divinam hiſtoriam pertinent?* Reſpondet Magiſter: *Adjungunt plures, Paralipomenon duos, Iob unum, Eſdræ duos, Iudith unum, Eſther unum, Machabæorum duos.* Vides apertè ab eruditiſſimo Patre librum utrumque Machabæorum reponi in *Divina hiſtoria*: eodemque omninò loco, ac libros Paralipomenon, Job, & Eſdræ. Nec refert quòd poſtmodùm ſubditur, libros tamen iſtos omnes inter Canonicos non currere. Nihil enim aliud vult iſtâ loquendi formulâ, ut mox indicat, quàm in Canone Hieronymi non eſſe: etſi paſſim ad *Divinam hiſtoriam* adjunguntur, quod reipſa eſt eſſe Canonicos. Eumdem Hieronymi canonem attendebat D. Gregorius lib. 19. Mor. cap. 13. cùm hiſtoriam Eleazari, ſub elephanto concidentis, ait ſe excerpere *ex libris, licèt non canonicis, ad ædificationem tamen Eccleſiæ editis.* Quam nos ſententiam, ab aliis quibuſdam malè capiti 17. adſcriptam, ut Proleg. ſect. 3. num. 11. notavimus, poſtmodùm reperimus cap. 13. Vide dicta eo numero.

ALCIMUS AVITUS Viennenſis Epiſcopus, poëmate ad Fuſcinam ſororem.

Porrò etiam unde animi poſſis deſumere mores,
Ter quinquagenos conſcriptos ordine Pſalmos,
Et quidquid docti Salomonis dextera ſcripſit,
Quodque bis octoni poſt ſe vidére Prophetæ,
Et Machabæorum fortiſſima prælia fratrum.
Vis uno breviùs complectar ut omnia verbo?
Tota Inſtrumenti veteris tibi pagina nota eſt.

En diſertè adſcriptam veteri Inſtrumento ſeu Teſtamento Machabæorum hiſtoriam, æquè ac Pſalmos & Salomonis ac Prophetarum libros, à Præſule ex ævi ſui præcipuis ac ſapientiſſimis.

Cætera huc ſpectantia vide infrà, paginâ 5. 6. 7. &c.

LECTO-

LECTORI.

INGREDERIS mecum, mi Lector, uberem ac luculentam in paucis materiam, aptam temporibus, privatim ac publicè ad ſacra juxtà & profana utilem; ubi paſſim rerum humanarum vanitas, divinarum fixa ſtabilitas, inſignia morum documenta, vitiorum ſupplicia, præmia virtutum, arcani Divinæ Providentiæ ductus, Iuſtitiæ ac Miſericordiæ Dei alternæ vices, multiplici hiſtoria, velut in clara luce, ſub aſpectum ponuntur. Antequam progrediare, in ipſo limine te ſiſto, ut finem intelligas quem mihi in hoc Opere præfixerim, & rationes accipias, cur hoſce potiſſimùm Libros ſelegerim, quibus ſubciſivas meas horas impenderem, tuas occupare auderem. Cùm ſacrarum Literarum Commentatori propoſitus eſſe debeat Dei honor in publica utilitate, nullam Scripturæ partem mihi ad eum finem magis conducere exiſtimavi. Etſi enim admodùm illuſtris ſit, ſententiis, exemplis, myſteriis valdè fæcunda; cùm ad ſermonum popularium materiam, tum ad doctarum diſputationum argumenta mirè fertilis: pauciſſimos tamen adhuc habuit Commentatores, eosq́; ſoli ferè Hiſtorico ſenſui inhærentes. I. Finis operis.

Rabanum excipio, cujus perpetui Morales Commentarii, pii ſanè ac docti, in Gloſſa Ordinaria ad hoſce Libros leguntur. Liranus in Annotationibus ſuis Literam primùm enodare conatur, Myſticos deinde ſenſus indicat ſolùm, eosq́; ſæpe nimis detortos ac duros. Scripſit & in hoſce Libros Literalem explanationem lucidè ac breviter, more ſuo, S. Thomas: nam ad eum pertinere Commentarium in Machabæos benè probat Serarius noſter. Dionyſius Carthuſianus Lirani ferè veſtigiis inſiſtens, etiam horum Librorum ſenſum Hiſtoricum attigit. Fecère idem aliquot alii, quibus Scripturam totam illuſtrare conſilium fuit. Qui in Machabæos ſcripſerunt ex antiquioribus?

Habet è recentioribus Lorichius proprium in Machabæos Commentarium. Tum Serarius noſter, qui, pro ingenio ſuo, ſolidè ac doctè commentatus eſt in Harmoniam Machabæorum, id eſt, uti modò loquuntur, in Concordantiam ex utriuſque Libri textu confectam; meliùs forſan, ex quorumdam ſententia, facturus, ſi utrumque ſejunctim, & ordinatiùs explicaſſet, ac brevitatis ſtudio multas difficultates non tranſcurriſſet. Acceſſerat ad iſtos Interpretes Bonfrerius noſter, quem præſtantes in Literæ explanatione Commentarios ad Hiſtoriam Regum, aliamq́; deinceps totius Veteris Teſtamenti, edere parantem, mors occupavit. Alii nulli quos ſciam, multò minùs quos viderim, in Machabæos ſcripsêre. Cùm igitur tam pauci, & in alio quidem ſcribendi genere, hanc luculentam materiam tractârint, putavi à me retractari poſſe, non ſine fructu in publicum. Qui recentiores?

Deinde,

II. Occaſio ſubeundi. *Deinde, cùm in ea tempora & loca inciderim, quæ Iudaïcis ætate Machabæorum diſſimilia non eſſent, ubi armorum ſtrepitus & tumultus bellici perpetuò fermè auribus inſonuêre, non ſolum eminus, quod totâ Europâ factum, ſed circùm etiam ex vicino: viſum eſt ad plebis ſolatium, & Divinæ Providentiæ in publicis calamitatibus commendationem, ex Machabæorum Libris argumenta popularium meorum ſermonum aliquando, per Quadrageſima præſertim curſum, aſſumere. Quod quia pluribus locis & annis facere licuit, aggeſta eſt paullatim multa materies, quam in hiſce Commentariis ad aliorum uſum digererem. Poſſem itaque de Fine hujus ſcriptionis quærenti, reſpondere Vincentii Lirinenſis verbis, Opuſculo contra hæreſeon novitates: Ad eam* me non ſolùm fructus operis, ſed etiam conſideratio temporis, & opportunitas loci adhortatur. *Vtinam Deo propitio, ars materiæ, facultas argumento, vires animo reſpondeant.*

III. Modus ſcriptionis. *Ad finem mihi propoſitum hunc modum adhibui, quem publicè magis placiturum, & profuturum putavi, ex mea aliorumq́; experientia. Hiſtoricum ſenſum Capitis totius, quàm planiſſimè poſſum, exſequor, & quidquid in Litera nodoſum eſt, diſſolvere conor, inſertis carptim ad mores documentis, è re nata, vel ex ſenſibus quos Myſticos vocant. Deinde Capitis explicationi liberiores aliquos Excurſus ad Mores ſubjicio, ex iiſdem ſenſibus; aut Hiſtoricis, aut Myſticis, prout res fert.*

IV. Scripturæ ſenſus reconditiores. Scriptura enim, *ut Auguſtinus loquitur ep. 3. ad Voluſ.* Invitat omnes humili ſermone, quos non ſolùm manifeſtâ paſcat, ſed etiam ſecretâ exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. *Et Hilarius 1. de Trin.* Sermo Dei, etiamſi ad opinionem religioſæ intelligentiæ proficit, tamen plus ſignificationis introſpectus ſenſu continet, quàm exceptus auditu. *Quibus verbis latentia ſub Hiſtoriæ & Literæ velamento myſteria inquiri volunt, quæ neſcio quomodò dulciùs guſtantur, quia difficiliùs eruuntur.*

Inquirendi ſunt. *Rabbinus aliquis de ſcientia loquens:* Malogranatum, *inquit,* invêni, corticem abjeci, interiora comedi. *In Scripturæ ſcientia, quam forſan malogranatorum figuris ad Templi ornatum adhibitis Salomon adumbravit, & cortex, & interiora utilia ſunt: Senſus Hiſtorici & Myſtici paſcunt, & medentur: de tam pretioſo ac ſalubri fructu nihil abjiciendum. Pulcrè Aug. Tract.* 24. *in Ioan. ait, Chriſti miracula non picturæ, ſed literis ſimilia eſſe: illam elegantiâ ſolâ placere, has elegantiâ ſimul & ſignificatione: ita in miraculis Chriſti præter externam illam ſpeciem latere ſignificationem abditorum myſteriorum, quorum inveſtigatio & intelligentia longè jucundiſſima ſit. Quod Auguſtinus de Evangelica, idem de omni ſacra Hiſtoria, imò de reliquis Scripturæ partibus dixeris.*

Myſtico-

Myſticorum autem ſenſuum nomine, non eos tantùm intelligo, qui ad mores, aut fidem, aut beatitudinem æternam referuntur, Moralem, Allegoricum, Anagogicum: ſed etiam Accommodatitium, quem ego quidem frequentatiſſimum exiſtimo. Imò hunc ſenſum Scripturæ arbitror ab ipſis Evangeliſtis celebratum, cùm interdum, quæ neque Hiſtorico, neque obvio ſaltem Myſtico ſenſu de Chriſto dicta ſunt, ei tamen accommodant, cum hoc dicto, Vt adimpleretur, quod ſcriptum eſt. *Tale iſtud, mihi quidem videatur, pace aliter ſentientium:* Ex Ægypto vocavi Filium meum. *Tale & iſtud de Innocentium cæde:* Vox in Rama audita eſt, &c. *Vbi quod Evangeliſta dicit:* Factum eſt, ut adimpleretur: *perinde mihi eſt, ac ſi dicat: Vnde factum eſt, ut de Chriſto dici poſſet, aut ei commodè aptaretur hæc ſententia. In eumdem modum multas vulgò Scripturæ ſententias celebramus: tamquam:* Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam, *cùm familiam nimiâ multitudine laborare, diſciplinamq; vacillare ſignificamus:* Mors intravit per feneſtras, *cùm peccata per oculos aut aures in animum admitti indicamus: aliaq; ejuſmodi fermè innumera, quæ in Scripturæ textu diverſam ab hac omninò, cui aptantur, ſententiam Hiſtoricam & Myſticam habent. Sic figuræ Antiqui Teſtamenti, & hiſtoria varia, paſſim à ſcriptoribus, & concionatoribus ad Sanctorum laudes adhibentur, eleganter, & piè, non alio quàm Accommodatitio ſenſu, eoq; lectoribus & auditoribus gratiore, quò minùs detortus eſt, & magis ex facili fluens.* V. Senſus Accommodatitius.

De Accommodatitiorum ſenſuum fœcunditate credo intelligi voluit Drogo Oſtienſis, quæ dixit Sermone ſuo de Paſſione: Intelligo Domine vaſa vacua, eſſe Literales quoſdam & Hiſtoricos ſenſus Scripturæ tuæ, quæ non pauca ſunt, ut totus mundus ea capere non poſſit. *Veri enim Hiſtorici ac Literalis ſenſus, imò & Myſticorum à Spiritu ſancto intentorum, certi ſunt fines: ſed Accommodatitiorum, qui & iſti Patri mirè placuerunt, finis nullus eſt. Et nos igitur quædam ad res præſentes ex hiſce libris aptabimus, quia utilem aliquam, & congruam habebunt, cùm rebus convenientiam, non quòd in ſenſu Myſtico, à Spiritu Sancto intento, contineantur.* Fœcundiſſimus eſt.

Quidquid verò tractem iſtorum, inſtruere tibi conabor ſacrâ, imò & interdum profanâ, ubi uſus erit, hiſtoriâ, & auctoritate. Curabo potiſſimùm ut ex Patribus, quos eo fine jam olim ſtudiosè cœpi perlegere, decentem poſſis habere Scripturæ ſacræ comitatum. Nonnulla etiã inſero mea, privato ſtudio excogitata, quorum tibi ſpecimen in ipſo ſtatim Prolegomeno daturus ſum. Neque enim is ſum, qui vel à Patribus accepta, tanquam obſoleta, aut aliena negligam; vel mea producere nimis verecundè reformidem. Vtrumque vitium eſt; illud inſolentis vanitatis: hoc ſupervacuæ timiditatis, aut affectatæ modeſtiæ. Illud Bernardus damnat ep. 77. ad Hugonem de S. Victore, agens de homine VI. Varia in his Commentariis materies.

qui videbatur plus novitatis curioſus, quàm ſtudioſus veritatis; gravarique de omni re ſentire cum aliis, & dicere, quod aut ſolus non dixerit, aut primus. *Alterum vitium Senecæ diſplicuit, cùm amico, alienas ſententias perpetuò inculcanti, ait epiſt.* 33. Turpe eſt ſeni, aut proſpicienti ſenectutem, ex commentario ſapere. Hoc Zeno dixit, tu quid? Hoc Cleanthes, tu quid?

VII. Eorum uſus.

Vſum hujuſce mei qualiſcumque opuſculi commendare non audeo: commendabit ipſa, ſi qua tamen ſequetur, utilitas. Si enim multa præfari velim, mihi ſtatim, & meritò, objicias ſuber Æſopicum, eminus conſpicuum, cominus vile; & Promiſſorem, qui magno hiatu dignum nihil profert, mavultq; ex igne fumum dare, quàm ignem ex fumo. Hoc ſolum te moneo, curâſſe me, ut in hiſce commentariis operam non perdas, id eſt, non reperias ab aliis paſſim decantata, & ex ſcriptis hodiernorum Commentatorum compilata, quod aliquando fit, magno æris, majori temporis diſpendio: ut cùm ingentia volumina emeris, plures libros, non plus rei habeas.

Quãdoque dictor opportuna loquitur.

Cæterùm an meo tractandi modo finem præfixum aſſecutus ſim, tu, Amice Lector, ex uſu judicabis, &, pro tuâ benignitate, ignoſces quod erravero, ſupplebis quod omiſero, Deo tribues quod non infructuosè ſcripſero: ſcieſq; cum Aug. lib. 6. de Muſica, Non vilis poſſeſſionis vilem eſſe viam poſſe.

VIII. Quomodo ſcriptura tractanda.

Ad extremum, ut rectè, tum his Machabæorum, tum cæteris Scripturæ libris utare, audi, & obſerva Vincentii Lirinenſis præceptionem, quam utinam ego ſervare pro tenuitate meâ potuerim: O Timothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrinâ; eſto ſpiritualis Tabernaculi Beſeleel, pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtriùs, quod antea obſcuriùs credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antè vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didiciſti, ita doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova. *Tracta, commentare, explica Scripturam: ſed ſic, ut, etſi pedibus tuis, Deo adminiculante, ambules, nuſquam tamen diſcedas à Spiritus Sancti ductu, & à Patrum veſtigiis, ne & tu exerres, & aliis ad errandum præeas.*

PROLEGOMENON HISTORICVM ET MORALE DE LIBRIS MACHABÆORVM.

SECTIO PRIMA.

Quod Nomen, & unde?

APUD Euſebium lib. 6. c. 25. Origenes dicit horum I. *Vetus apud Hebræos horum librorum inſcriptio.*
librorum Hebraïcam inſcriptionem fuiſſe σαρβὴθ σαρβανὲ ἔλ: *Sarbeth Sarbane El.* Etſi enim, ut notat Serarius noſter, vox *El* deſit in verſionibus Euſebii Latinis, habetur tamen in exemplaribus Græcis. Ejus autem inſcriptionis interpretationes, pro varia ſyllabarum conjunctione, varias profert idem Serarius. Prima eſt; *Princeps domûs, Princeps Filiorum Dei: Sar* enim Principem, *Beth* domum, *Ben* Filium, *El* Deum ſignificat. Altera; *Princeps in anguſtia Filiorum Dei.* Tertia; *Sceptrum rebellium Dei.* Quarta; *Flagellum rebellium Dei.* Quinta; *Sceptrum Principis Filiorum Dei.* Omnes hæ interpretationes Libris Machabæorum optimè conveniunt, cùm in iis agatur præſertim de Juda Machabæo, *Principe domus* Haſamonæorum, *Principe domus Dei, Principe Filiorum Dei*, idque tempore *anguſtiæ*, quo *Sceptrum* tyrannicum, & *flagellum* impiorum dominabatur in Judæa.

Hodie non alia eſt iſtorum Librorum inſcriptio, quàm Machabæorum apud La- II. *Hodiernus Titulus à Juda Machabæo*
tinos, Μακκαβαίων apud Græcos. Id verò nomen, ut ait Prologus Hieronymianus à D. Thoma citatus, Nicetas in Orationem 22. Greg. Nazianz. omneſque jam conſtanter, à Juda Mathathiæ filio ductum eſt, cui Machabæi appellatio disertè tribuitur 1. Mach. 2. v. 4. & alibi ſæpiùs. Ejus enim præſertim egregiis facinoribus enarrandis, rerum magnitudine, & exitu maximè ſpectabilibus, Libri utriuſque Auctores immorantur: prioris quidem, totis capitibus quinque, & eo plus: Poſterioris autem, à capite octavo ad Libri finem uſque, quem facit in nobiliſſimâ Judæ, de Nicanore victoriâ. Potuiſſent quidem hi Libri non malè inſcribi, *Haſamonæorum* חַשְׁמוֹנָאִים, quod toti Mathathiæ domui apud Judæos gentilitium nomen fuit: placuit tamen ab illuſtriſſimo Duce, & nulli priſcorum ſecundo, nomen mutuari: quæ res ad Judæ Machabæi gloriam illuſtrandam non parum facit. Quomodò enim Hieronymus ex ſimili dignitatem trium illuſtrium fœminarum colligit, ep. 141. ad Principiam: *Ruth*, inquit, *& Heſther, & Judith, tantæ gloriæ ſunt, ut ſacris voluminibus nomina indiderint.* Sic nos vel hinc æſtimemus, quantus ſit Judas noſter, quamque commendabilis virtutis, cùm Libris duobus Canonicis appellationem ab ejus nomine Spiritus Sanctus indiderit.

Sed ſi à Juda Machabæo nomen acceperunt, cur Machabæorum dicuntur, ſeu III. *Cur non Machabæi, ſed Machabæorum dicuntur.*
Μακκαβαίων, non verò Machabæi, ſeu Μακκαβαίου? An forſan quia cæteris Judæ fratribus, de quibus etiam hæc Hiſtoria mentionem facit, Machabæorum nomen, ob virtutum & rerum geſtarum ſimilitudinem, paſſim à Patribus jam olim attributum eſt: Imò cùm iſte Librorum titulus antiquiſſimus ſit, putârim non ab Eccleſiâ ſolùm, ſed etiam à Judæis fratres Judæ iſto Machabæorum nomine inſignitos: tum quia in partem liberandæ patriæ, & aſſerendæ avitæ Religionis cum ipſo venerunt, ut meritò etiam *Meccabæ*, ſeu *extinctores* dicerentur, aut *Maccabæ*, ſeu *ſubjugatores:* tum ad celebrandam Judæ ipſius memoriam, cognomine ad fortitudinis ac Principatûs hæredes tranſmiſſo. Quomodò aliis alibi nominibus factum, apud Ægyptios Pharaonis nomine

ac deindè Ptolomæi, apud Armenos Tigranis, apud Parthos Arſacis, apud Romanos Cæſaris, Auguſti, Antonini, apud Æthiopes Candacis, apud Perſas Artaxerxis, quod commune Regibus omnibus fuiſſe vulgaris hodie opinio eſt, uti & Darii, quorum hoc *Repreſſorem*, illud *Magnum Bellatorem* ſignificat.

IV. *Machabæi Martyres ſic à Machabæo dicti, vel à libris Machabæorũ, non contrà.* Utcumque iſtud ſit, ita jam communicandi cum aliis Machabæi titulum, mos obtinuit, ut etiam ſeptem Fratres, quorum glorioſum pro Fide certamen lib. 2. c. 7. deſcribitur, vulgò non aliter, quàm Machabæi vocentur: licèt non familiâ modò junctos non fuiſſe cum Juda Machabæo, ſed ne tribu quidem credibile ſit: conjici ſaltem non poſſit junctos fuiſſe, ex ullo firmæ auctoritatis aut rationis probabilis fundamento. Qua de re ad eum locum fuſiùs altero Commentariorum Tomo diſputare licebit, vitâ comite, & Deo propitio. Pace igitur Angelici Doctoris, non eſt admittenda ejus ſententia, opinantis, hoſce Libros ab iſtis ſeptem Martyribus Machabæorum appellationem ſortitos. Quo enim modo Libris nomen dare potuerint, quod ipſi potiùs à Libris mutuati ſint, ubi eorum Martyrium deſcribitur, aut à Juda ſaltem Machabæo, cujus ætate vixerunt?

V. *Machabæi nomen unde?* Unde verò Machabæi nomen oriatur, incertum eſt. Joſephus Gorionides apud Serarium מְכַבֶּה *Meccabbe* dictũ putat, id eſt, *extinctorem*, forſan à radice כָּבָה *Cabah*, quia eximiis viribus fuerit, & in extinguendis ac profligandis hoſtibus acerrimus. Neque inepta eſt hæc divinatio auctoris, alioquin ſæpe vani, ac levis: nam lib. 2. c. 2. v. 66. ab ipſo Mathathia Judas à robore commendatur, diciturque *fortis viribus* fuiſſe *à juventute ſua*. Quid autem ſi à radice כָּבַשׁ *Cabas*, id eſt, *ſubjugavit, vi cepit*, deducamus, & inde conficiatur *Micabas*, id eſt, *Quis ſubjugavit?* Etſi enim auctorem non habeam, quidni in re dubia & obſcura conjicere liceat? Et hæc quidem derivatio eò magis mihi placet, quòd iſtud verbum eodem modo effertur Syriaca Dialecto, quæ tunc Hebræis familiaris eſſe cœperat. Poterit etiam non abſurdè deduci à קָבַב *Kabab*, id eſt, *vi rapuit*.

VI. *Etymologia notior.* Aliam Etymologiam, auctore Rabbino quodam Iſaaco Benſchola, afferunt Sixtus Senenſis lib. 1. Bibliothecæ, ac Genebrardus Chronol. lib. 2. & apud Serarium Mercerus ac Reuchlinus, nec Serarius improbat: Quòd nempe Judas adversùs Antiochum præliaturus, ſuis pro teſſera dederit, & militaribus ſignis inſcribenda curaverit hæc verba ex Moſis Cantico, Ex. 15. v. 11. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *Mi Chamocha Baëlim Adonai: Quis ſimilis tui in fortibus, Domine*: expreſſis tantùm primis ſingulorum verborum litteris, Mem, Caph, Beth, Jod, id eſt, M, C, B, I. E quibus ab ignaro vulgo, ut fit, conjunctis, cœpta ſit celebrari vox Meçabi vel Macabi, unde Judæ populare Machabæi nomen adhæſerit. Cornelius Agrippa lib. 3. de occultâ Philoſophiâ c. 29. dicit Judam ab Angelo hæc verba accepiſſe, ipſorumque characterum vi hoſtes perterritos. Sed hoc ad Cabaliſticas nugas amandandum eſt: uti & quod alii dicunt, ideò à Juda eas literas pro ſymbolo ſumptas, quòd illis ſeptuaginta Dei nomina ſignificarentur.

VII. *Non rejicienda.* Iſtam autem conjecturam de Machabæi nomine ducto ab Ex. 15. v. 11. etſi aliqui valdè explodant, & inane figmentum exiſtiment, ego incredibilem non putarem, imò ultro ac lubens amplecterer, tantùm ſi auctoritate aliquâ vetuſtiore niteretur. Pia enim eſt, & ipſa fronte blanditur, nec quidquam habet abſoni. Nam quod objicitur, Machabæi nomen Judæ datum, cùm Dux nondum eſſet, patre etiam ſuperſtite, ut colligitur ex lib. 1. v. 4. & 66. facilè reſponderi poteſt: ſolere frequenter in Scriptura, nomina, quæ poſtmodùm ex eventu aliquo obtigerunt, antea dari per occupationem ſeu anticipationem. Sic Gen. 21. v. 14. Agar dicitur erraſſe in ſolitudine *Berſabée*, quod tamen vocabulum poſtea loco inditum eſt v. 31. Item Geneſis 31. v. 21. dicitur Jacob pergere *Galaad* versùs, quod tamen nomen loco inditur v. 48. Ita Judicum 15. v. 9. & 14. locus, ubi Philiſtæi percuſſi ſunt à Samſone, vocatur *Maxilla* per prolepſim, ut benè notat Aug. in fine locutionis in Lib. Judicum: nam v. 17. habetur ſolùm impoſitio nominis: Hagiographus tamen anticipat appellationem, quia hiſtoriam ſcripſit, cùm jam loco inditum eſſet nomen. Eumdem in modum 1. Regum 7. imponitur cuidam loco nomen *lapis adjutorii*, jam tamen c. 4. per anticipationem ſic vocatur.

VIII. *Imò plauſibilis.* Deinde dici non improbabiliter poſſit, Judam, etiam patre vivente, imò & ante turbas ab Antiocho Epiphane excitatas, alicui cohorti, aut turmæ, ob natalium ſplendorem, & roboris præſtantiam, præfectum fuiſſe, quandoquidem jam tunc *fortis viribus* appelletur: adeoque etiam iſto tempore ſignum aliquod militare proprium habere potuiſſe. Denique ſi iſta diſplicent, nihil prohibebit dicere, Judam egregiæ indolis, & magnæ pietatis, excelſæque in Deum fiduciæ juvenem, ſolitum à teneris iſtam ſententiam, *Quis ſimilis tui in fortibus Domine*, vice ſymboli in ore habere, unde per contractionem ſyllabarum, aut decurtationem Hebræis familiarem, Machabæus ſit vocatus.

Quidni

Quidni & ſæpe eam ſententiam ſcripſerit? Quidni & ipſe contraxerit, nominique ſuo in epiſtolis ſubnotârit?

IX. Chriſtianus ſit Machabæus.

Ex iſtis, magis conjectando quàm aſſerendo dictis, Tu ſaltem Chriſtiane, hunc fructum obiter percipe: Te, ſi Chriſtiani nomine dignus eſſe vis, non *Judam* ſolùm eſſe debere, id eſt, *Confitentem* ſeu *Profitentem* fidei dogmata, ſed etiam *Machabæum*, id eſt, *Extinctorem*, *Subiugatorem*, *Raptorem violentum*. Quorſum tibi nomen Chriſtiani, & credendorum confeſſio, ſi fidei conformiter non vivis? Si hoſtes Dei non *extinguis*, id eſt peccata, præter quæ nihil Deo hoſticum eſt, nihil ipſius ſummæ Bonitati adverſatur? Si paſſiones, & tumultuantes animi motus non comprimis, & rectæ rationi non *ſubiugas*? Si otioſus laborantium præmia expectas, neque illius oraculi meminiſti, *Regnum Cœlorum vim pati, & à violentis rapiendum eſſe*? Si Dei Amori & Gloriæ, aut honorem tuum, aut aliarum creatarum rerum amorem præponis, nec ſemper pro ſymbolo habes præclarum iſtud, *Quis ſimilis tui in fortibus*, in bonis, in amabilibus, in deſiderabilibus, *Domine*? Sed iſthæc fuſiùs poſtea, nunc ad inſtitutum redeamus.

SECTIO SECUNDA.

Quot Libri Machabæorum? Quis Auctor?

I. Machabæorum Libri quatuor.

QUATUOR ſunt omninò Libri, qui Machabæorum nomine circumferuntur. Primos duos Canon Eccleſiæ in Biblia ſacra admiſit, ut mox dicemus. Tertius, in veteribus Bibliorum editionibus duobus illis ſubjungebatur, nunc penitùs de Latinis expunctus eſt, & ne ipſis quidem Tertio & Quarto Eſdræ Apocryphis accenſetur. Quartus nunquam in Bibliis, ne inter Apocryphos quidem Libros, locum invenit. Tertio Libro narratur hiſtoria inductorum Alexandriæ in hippodromum Judæorum, juſſu Ptolomæi Philopatoris, ut ab efferatis Elephantis protererentur. Quæ res cùm multis annis Judæ tempora anteceſſerit, neque ad Machabæos pertineat, non video cur tertius Machabæorum Liber vocatus ſit, niſi ob aliquam argumenti cum prioribus ſimilitudinem. Quartus, quia Joannis Hircani, qui Simoni patri in Pontificatum, & Principatum ſucceſſit, res geſtas complectitur, multò magis ad Machabæos ſpectat, quàm Tertius, eſtque appendicis inſtar ad ſacram Hiſtoriam.

II. Duorum ſacrorum Auctores diverſi.

De Auctoribus Tertii & Quarti Libri fruſtra ſit diſputare, cùm ad rem noſtram nihil faciant, quia ſacri non ſunt. Quis autem Primum & Secundum ſcripſerit, vix etiam operæ pretium eſt diſputare, cùm nihil certi erui poſſit. Hoc tamen indubitatum, non eumdem eſſe utriuſque Libri Auctorem. Nam & dicendi character planè diverſus eſt; & eædem plerumque hiſtoriæ in utroque narrantur, diverſo tamen modo, & circumſtantiis; & ad extremum ipſa conſignandorum annorum ratio diverſa eſt. Etſi enim uterque æram Seleucidarum, ſeu Regni Græcorum ſequatur, prior tamen annos inchoat à menſe Niſan, qui ferè Martio noſtro reſpondet; poſterior toto ſemeſtri ſeriùs à menſe Tiſri, qui incidit in Septembrem noſtrum, ut dicendum eſt in Commentariis ad *l.* 1. c 1. v. 11.

III. Auctor prioris Sacerdos.

Prioris Libri ſcriptorem exiſtimârim fuiſſe unum de primariis Hieroſolymitanis Sacerdotibus, cùm & linguâ Hebraïcâ uſus fuerit, ut mox dicemus, & multa ex Archiis templi eruta hiſtoriæ ſuæ inſeruerit: tamquam, exempla litterarum à Juda & Simone Pontificibus ad varios ſcriptarum, & contrà; quæ ex gazophylacio, ubi iſtiuſmodi ſcripta aſſervari ſolebant, excerpere Sacerdoti quàm alteri proclivius fuit. Prætereà apud Hebræos conſuetudo fuiſſe videtur, ut Regum ac Principum res geſtæ à Sacerdotibus aut Prophetis ſcriberentur; quod de Libris Gad & Addo Videntium certum eſt, de Libris Judicum, Regum, Paralipomenon communis eſt opinio: forſan quia, cùm fides Hiſtorici debeat eſſe integra & incorrupta, non alibi integrior futura viſa eſt quàm apud Sacerdotes, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam. Adde Joſephum lib. 1. con. Appionem dicere; apud Judæos Sacerdotibus demandatam curam publicarum deſcriptionum & tabularum. Eam præſertim ob rationem Euſebius Nieremb. de Origine ſacræ Scripturæ l. 10. c. 18. poſt Bellarminum, & Sanctium, putat priorem

Librum ab ipſo Joanne Hircano Simonis filio conſcriptum : firmatque rationem conjecturâ ductâ ex argumentis Libri, quæ ipſius ſolùm ferme familiam tangunt.

IV. Quo tempore ſcripſerit.

Hoc certius ; Qualiſcumque demum prioris Libri ſcriptor fuerit, non videri ſcripſiſſe, niſi totis ferme triginta & unò annis ab interfecto Simone, ſub extremum Joannis Hircani Pontificatum, aut ipſo jam mortuo. Nam cap. ultimo: v. ultimo, mentio fit Libri rerum ab ipſo geſtarum, ſeu *Libri dierum Sacerdotii eius*. Ergo Hircanus exegerat dies Sacerdotii ſui, cùm iſthæc ab Hagiographo ſcripta ſunt. Niſi dicas extremos duos verſus adjectos, ſcripto jam antè libro, aut Librum per partes ſcriptum à variis Sacerdotibus, prout res gerebantur, quomodò Libris Regum factum communis ſententia eſt. Sed longè probabilius exiſtimo uno calamo, & ab uno Auctore conſcriptum totum priorem Librum Machabæorum, adeoque vel poſt mortem, vel ſub mortem Hircani : cùm omnia uno textu, eodemque ubique dicendi charactere narrentur.

V. Liber poſterior non eſt ſcriptus à Joſepho aut Philone.

Librum Secundum ex Jaſonis Cyrenæi fuſiore hiſtoriâ in epitomen contractum fuiſſe, conſtat ex lib. 2. c. 2. v. 24. Breviatoris nomen ignoratur. Sixtus Senenſis Bibl. lib. 1. ait, Joſepho Mathathiæ filio, celebri illi rerum Judaïcarum Hiſtorico, per Hieronymum tribui. Eamdem ſententiam Hieronymo affingunt Wittakerus Calviniſta; & Reineccius Lutheranus apud Serarium. Sed Hieronymus loco per Sixtum citato, id eſt, lib. 2. cont. Pel. & lib. de Script. Eccleſiaſt. non dicit ſcriptum à Joſepho Librum ſecundum Machabæorum, verùm alium aliquem περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, ſeu de perturbationibus animi ratione ſedandis, in quo ſeptem Fratrum Machabæorum hiſtoriam & Martyria digeſſit. Nec verò potuit Hieronymus libri, quem aliquando ſacrum nominat, & pro Canonico habet, ſcriptionem veroſimiliter Auctori profano, fidei ſæpè fluxæ, imò religionis incertæ, deputare. Quamquam forſan quis dicat, non intereſſe, cujus manu Spiritus Sanctus ad libros ſcribendos utatur, quomodò parvi refert cujus ore ſua fundat oracula; nec profani ſcriptoris calamum magis indecorum eſſe veritatis inſtrumentum, quàm linguam aſinæ, aut Prophetæ aſinâ ſuâ bardioris. Apud eumdem Sixtum Honorius Auguſtodunenſis lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. paullò minùs abſonè librum ſecundum Machabæorum adſcribit Philoni Judæo. Non favet tamen huic opinioni libri ſtylus, qui non admodùm accedit ad iſtius Auctoris elegantem & claram concinnitatem. Adde Philonem Chriſto poſteriorem fuiſſe, imò & ab ipſo alienum : quia Chriſto poſterior fuit, ſi librum iſtum Hagiographum ſcripſiſſet, ad Novum Teſtamentum pertinere deberet, quandoquidem tempus Veteris Teſtamenti condendi aut ampliandi jam præteriſſet ; pertinere autem non poſſet ad Novum, tum ratione materiæ, tum ratione Auctoris à Chriſto alieni : adeoque hoc argumento ab utroque excludendus videretur. Sed argumentis in commentum, quod per ſe ruit, pugnare, ſupervacaneum eſt.

VI. Veroſimiliter à Juda Eſſeno.

Veroſimillima eſt Serarii noſtri, & eum ſecuti Tirini ac Nierembergii, conjectura de Juda Eſſeno, cujus meminit Joſephus lib. 3. Antiq. c. 19. aitque virtute, & vaticiniis celebrem fuiſſe. Afferrique poteſt pro hac ſententia argumentum non leve ex lib. 2. cap. 1. v. 19. ubi Judas quidam nominatur, quem videri alium non fuiſſe, quàm hunc Eſſenum, dicemos eo loco, probabimusque ab eo ſcriptam epiſtolam, quæ velut extra ordinem Libro Secundo præfixa eſt : unde colligere licet, eumdem Libri Secundi, & ejus epiſtolæ auctorem eſſe.

VII. Parum intereſt quis ſcriptor ſit Canonicorum librorum.

Quidquid tamen hujus ſit : non magni intereſt ſcire, quo canali, ligneóne an lapideo, æreóne an ferreo, ad nos derivetur ſalubris ac limpidus liquor, dummodò nihil ex illo trahat : nec laborandum nobis eſt, quo calamo ad noſtra uſque tempora fluxerit ſacer ille ac divinus latex Hiſtoricæ de Machabæis veritatis, quandoquidem à calamo nihil ſit, quàm fluendi ratio quædam, id eſt dictionis character, totus autem liquor, id eſt res ac rei veritas à Deo ſint. Judicum 15. fontem maxillâ aſini percuſſa tellus effudit : æquè avidè illo ſitim Samſon extinxit, ac ſi maxillâ leonis ſui aut nobilioris animalis eum elicuiſſet : nihil enim inſtrumentum ad naturam liquoris attinebat. En tibi aquas limpidas Hiſtoriæ divinæ de Machabæis : parum refert quâ maxillâ eductæ, quo dente eruperint. Bibe tu miles Chriſti, & ſitim leva. Gen. 29. Jacob inſigni virium documento ſolus aperit os putei ; bibêre paſtores, bibêre pecora : bibiſſent tamen, ſi minùs nobili manu recluſus puteus patuiſſet. *Ridiculum profectò eſſet*, inquit Greg. in Præf. Mor. cap. 1. *ſi non epiſtolarum & auctorem ſcire, ſenſúmque cognoſcere, ſed quali calamo earum verba expreſſa fuerint, indagare ſtudeamus.* Libri ſacri epiſtolæ ſunt ad nos cœlitus miſſæ : *Digitum Dei* ſcribentis attende, Spiritus Sancti verba expende ; de calamo, ſi ignotas quis fuerit, parum labora.

Hebræâ

VIII.
Quâ linguâ ſcriptus liber Machab.

Hebræâ linguâ ſcriptum fuiſſe Librum priorem jam indicavi. Argumento ſunt loquendi formulæ, & phraſis tota Hebraïſmum ſapiens, uti in Commentariis advertemus: præterquam quod, Hieronymus in Prologo Galeato eum à ſe Hebræâ linguâ viſum fuiſſe teſtetur. De Secundo item nemo dubitat, quin Græcè conſcriptus fuerit, cùm paſſim Græcanicam linguam redoleat. Imò vix dubitari poteſt, quin libri quinque Jaſonis Cyrenæi etiam Græcè editi fuerint, cùm Jaſonis nomen indicet Auctorem, etſi genere Judæum, ut ad lib. 2. cap. 2. v. 24. videbimus, Græcis tamen affinem: & Cyrenæi cognomen ſignificet Cyrenis natum, urbe Lybiæ, ſub Imperio Ægyptiorum Macedonico, linguâ & inſtitutis Græcanicis utente. Atque hæc ſatis de ſcriptione: nunc de auctoritate diſſerendum.

SECTIO TERTIA.

Quæ Librorum Auctoritas?

I.
Quartus Machabæorum liber planè profanus eſt.

DE Tertio ac Quarto Machabæorum nulla jam controverſia eſt, quin Canonici non ſint. Ac de Quarto quidem, numquam ab ullo Concilio, vel ab antiquis Patribus, aut à recentioribus Doctoribus motum eſt dubium, quod ſciam. Athanaſius quidem in Synopſi eodem loco reponit, quo alios libros Machabæorum, ſed omnes habet extra Canonem, ſeu regulam Scripturæ ſacræ. Adde, quod in nullis umquam ſacrorum Bibliorum codicibus editus fuit, vel inter Apocryphos. Denique ipſæ dictionis character gravitatem, & ſanctitatem Scripturæ ſacræ non reſipit.

II.
Tertius poteſt eſſe inter Apocryphos.

Tertius paullò majoris auctoritatis eſt: tum ob argumenti ſanctitatem, cùm mortem religionis odio multis Judæis inflictam commemoret, quæ res etiam à Joſepho refertur lib. 2. cont. Appionem: tum quia multis veteribus Bibliis additus reperiatur: tum quòd in Canonibus Apoſtolorum, qui Clementi tribuuntur, Can. 84. inter ſacræ Scripturæ libros, æquè ac primus & ſecundus Machabæorum, numeretur. Scio quidem hunc Canonem, ex meliorum Auctorum ſententiâ, ſuppoſititium atque adulterinum eſſe, & unum ex illis, qui neſcio quà in Canones Apoſtolorum irrepsêre. Nam, ut benè notat Bonfrerius noſter in Præloquiis in Pentateuchum, c. 3. ſect. 3. nullus umquam tot Canones Apoſtolorum agnovit: Humbertus lib. cont. Nicetam, & Tomus primus Conciliorum, tantùm quinquaginta: Zephyrinus Papa ep. 1. ſummùm ſeptuaginta; nam alii legunt vel ſexaginta, vel quinquaginta. Unde certò colligitur Canonem 84. fictitium eſſe; qua de re conſulere potes etiam Bellar. lib. 1. De Verbo Dei cap. ult. Et verò ſi eſſet Clementis, qui & ſummus Pontifex fuit, & Apoſtolorum diſcipulus, procul dubiò Tertius Machabæorum inter Canonicos, pariter ut alii, recipiendus foret. Valent nihilominus hæc argumenta, ut ſaltem locum aliquem honeſtum inter non inutiles libros Apocryphos invenire poſſit: magiſque in angulum Bibliorum rejici mereatur, quàm Quartus Eſdræ, inſulſus planè, & ex ſententiis ſacrorum Librorum & inanibus viſis ineptè conſarcinatus, qui etiam apud Græcos ne invenitur quidem.

III.
Primus & Secundus ſunt Canonici.

De Primo autem & Secundo, quin ſint Canonici, Catholicorum nemo jam dubitare poteſt; poſtquam à Tridentino Conc. Seſſ. 4. disertè in Catalogum ſacræ Scripturæ relati ſunt. Addubitavêre olim Patres aliqui, imò & à Canone exclusêre, cùm nondum Eccleſia certi quidquam ſtatuiſſet: at modò omnis controverſia & dubitatio ſublata eſt, poſtquam Eccleſia de eâ re conſtituit, & dictante Spiritu Sancto decretum infallibile condidit. Moneri enim non debes, Catholice Lector, in *domo Dei quæ eſt Eccleſia, columna & firmamentum veritatis*, ut Paulus cum Timotheo loquitur 1. 3. fieri non poſſe, ut aliquid ejus auctoritate credendum proponatur, quod certum & fidei divinæ non ſit: adeoque nec pro ſacrâ Scripturâ edi libros, qui vera Scriptura non ſint, cùm Scriptura non tantùm ſit de credendorum numero, ſed etiam Regula credendorum.

IV.
Æquè primò Canonici ac cæteri Scripturæ libri.

Quod autem quidam, è quibus eſt Sixtus Senen. lib. 1. Bibliot. duplicem in Canone ordinem ſtatuunt, primarium unum, alterum ſecundarium; in primario locant libros, de quorum auctoritate divinâ nunquam dubitatum fuit, quos Proto-Canonicos vocant; in ſecundario, de quibus aliquando diſceptatum, & hos nominant Deutero-Canonicos: cui bono iſtam diſtinctionem inducant, neſcio. Poterat id olim prodeſſe, cùm varia de quibuſdam erat Catholicorum ſententia, nec certi aliquid de illis

universali

univerſali Eccleſiæ conſenſu aut definitione receptum. Tunc enim valebat illa Auguſtini Regula lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ c. 8. *Tenebit hunc modum* (Scripturarum ſtudioſus) *in Scripturis Canonicis : Primò, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt : Secundò, in iis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures graviorésque accipiunt, eis quas pauciores minorîsve auctoritatis Eccleſiæ tenent : Tertiò, ſi autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus (quamquam hoc facilè inveniri non poſſit) æquali tamen auctoritatis habendas puto.* En apud Auguſtinum, pro temporum iſtorum ratione, habes, non tantùm Proto-Canonicos, & Deutero-Canonicos, ſed etiam Trito-Canonicos. Nunc autem cùm Catholicus & Orthodoxus nemo ſit, qui eumdem Scripturarum Canonem non recipiat, non video quorſum utilis eſſe poſſit iſta duplicis ordinis diſtinctio, cùm æquè primò inſit his & illis infallibilis & divina auctoritas, nec de eâ, poſt Eccleſiæ oraculum, ambigi queat.

V. *Cur Eccleſia id definierit.* Fundamenta hujus decreti ac definitionis quærere Catholico ſupervacaneum eſt, at non inutile ad obſtruenda ora obgannientium Eccleſiæ adverſariorum. Primùm igitur, Libros Machabæorum jam inde à quarto ſæculo Innocentius 1. ep. 3. ad Exuperium, receperat: Adde & Gelaſium Decreto de Libris Canonicis. Etſi enim in eo Gelaſii decreto dicatur, *unus Liber Machabæorum*, duo tamen libri unius nomine comprehenduntur, quia de una re agunt, quomodò ibidem dicitur Eſdræ unus, librum Nehemiæ ſub eodem intelligendo, ut benè advertit Serarius: niſi forſan id Gelaſii Decretum ſuppoſititium dicere malueris, cum Patre noſtro Halloix Apologiæ pro Origene ſuo quæſt. XI. Eoſdem libros recipit Can. 47. Concilium Carthaginenſe tertium, alii quintum nominant, cui interfuit S. Auguſtinus, fuitque paullò pòſt confirmatum ab Oecumenicâ Synodo.

Græcorum Patrum ſenſus. Secundò Patres Græci paſſim eos pro Canonicis habent, & allegant. Dionyſius c. 2. de Cœl. Hier. agens de ſymbolis, quibus Angeli naturam ſuam ac dignitatem hominibus apparentes manifeſtant, refert apparitionem equitis, à quo Heliodori temeritas caſtigata eſt 2. Mach. 3. aitque eam ſpeciem Ducum haſtatorum *δορυφόρυς ἀρχιςρατήγυς*, effictam eſſe *ἱεροπλάςως, arte, ſeu formatione ſacrâ*. Orig. lib. 2. *περὶ ἀρχῶν* cap. 1. eis abſolutè nomen *γραφῶν Scripturarum* tribuit, ſententiiſque inde exceptis utitur. Baſ. in Conſt. Monaſt. c. 18. Greg. Naz. Orat. 20. Chryſoſt. Hom. 37. in Matth. Iſid. Peluſ. lib. 3. epiſt. 4. certaminis ſeptem Fratrum, quod in lib. 2. c. 7. deſcriptum habemus, meminerunt, & Chriſtianis admirandum proponunt. Damaſc. Orat. pro fidelibus defunctis, *ſacram Scripturam*; Hegeſippus, procemio librorum de excidio, *Propheticum ſermonem* nominat.

Et Latinorum. Tertiò apud Latinos idem ſenſit S. Leo, qui in Nativitate Sanctorum Machabæorum eam hiſtoriam vocat *ſacræ Scripturæ lectionem*. Rabanus, epiſtolâ ad Ludovicum Regem, inter Canonicos recenſet, dicitque tempus eſſe, quo Romana Eccleſia conſtituit legi libros Machabæorum in Eccleſiâ, id eſt, ſub ipſum tempus quo epiſtolam iſtam ſcribebat, rediiſſe lectiones annuas ex Machabæorum hiſtoriâ, in Officiis divinis ſecundùm ordinem Romanum. Hoc enim velle Rabanum, patet ex ipſius verbis, etſi aliter intellecta ſint à Serario, Præloquio tertio in Machabæos. Caſſiodorus numerat inter Hagiographos, eoſque jam tunc ait Commentariis illuſtratos à Preſbytero Bellatore, ſumptâ ſcilicet non incongruè nomini ſuo lucubrationum materiâ. Iſid. Hiſp. lib. 6. Orig. cap. 1. de illis agens, *Quos*, inquit, *licet Hebræi inter Apocrypha ſeparent, Eccleſia tamen Chriſti inter divinos libros & honorat, & prædicat.* Ambroſius variis locis, præſertim lib. 2. de Jacob. cap 10. appellat eos *Divinam Scripturam*. Bachiarius Ambroſio ſuppar aut æqualis, cùm plura è Scripturis ſacris exempla protuliſſet, ac poſtremum de Juda Machabæo, qui pro cæſis fratribus orandum curavit 2. Mach. 12. ſubjicit: *Ut quid rogo medicus noſter* (Chriſtus) *inter Librorum ſuorum loculos, tot conſtituit genera pigmentorum?* Ubi vides clarè libros Machabæorum Sacris accenſeri. Lucifer Calar. lib. de non parc. in Deum delinq. quæ ex Machabæorum libris affert, vir in Scripturis ſacris verſatiſſimus, *ſacram Scripturam* nominat. Hieronymus altero in libros Machabæorum prologo; *Machabæorum*, inquit, *libri, licèt non habeantur in Canone Hebræorum, tamen ab Eccleſiâ inter Divinorum voluminum annotantur hiſtorias.* Cyprianus lib. 1. ep. 3. ſententiam recitat ex 1. Mach. 2. v. 62. Divinamque Scripturam vocat: *Cùm moneat, & occurrat Divina Scriptura dicens, verba viri peccatoris ne timueris, quia gloria ejus in ſtercora erit, & in vermes.* Clariſſimè omnium & conſtantiſſimè Auguſtinus eos inter Canonicas Scripturas collocat, uti lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8. cùm refert Canonem Scripturæ. lib. 18. de Divi. cap. 36. ait; *Machabæorum libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*: Eccleſia ſcilicet, cujus nemo

minorem

minorem dicere audeat, in ſtatuendo Scripturarum Canone, quàm Synagogæ auctoritatem: Idem in Speculo; *Non ſunt omittendi & hi libri, quos quidem ante Salvatoris adventum conſtat eſſe conſcriptos, ſed eos non receptos à Judæis, recipit tamen eiuſdem Salvatoris Eccleſia:* Item libro de cura pro mortuis; *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium; ſed etſi nuſquam in Scripturis Veteribus omninò legeretur, &c.* ubi vides Libros Machabæorum vocari *Scripturas Veteres.* Denique lib. 1. cont. epiſt. Gaudentii, eorum auctoritatem firmiter defendit, & cap. 31. vocat *Scripturam, Scripturam ſanctam, Scripturam Dei.*

VI. Quare ab hæreticis non recipiantur?

Poſt tot argumenta, & tantam auctoritatum congeriem, hærent etiam pertinaciter obfirmati omnes ferme hodierni Eccleſiæ adverſarii; non alia magis de cauſſa, quàm quòd variæ ipſorum hæreſes apertis horum librorum teſtimoniis revincantur. Cùm enim ipſis, verbi cauſâ, proferuntur orationes Jeremiæ & Oniæ pridem mortuorum pro populo Judaïco, ad probandam Sanctorum de nobis curam, & ex ea invocationem illorum colligendam; poſtulata per Machabæum à Sacerdotibus ſacrificia, & orationes pro defunctis, ad Purgatorii & ſuffragiorum pro mortuis ſtabilimentum; Dedicatum templum, Indicti feſti dies, ad auctoritatem Eccleſiæ fulciendam pto legibus condendis: nihil illi habent quod reſpondeant, niſi libros iſtos non eſſe Canonicos, ſeponique extra regulam fidei.

Priſcorum hæreticorum more faciunt.

Faciunt nempe, quod ſoliti olim apud Tertullianum hæretici lib. de Præſcript: *Quibus fuit propoſitum aliter docendi, eis fuit neceſſitas aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ,* aut potiùs inſtrumenta doctrinæ ſubtrahendi. *Ad quos meritò* cum eodem Tert. *dicendum eſt. Qui eſtis? Quando, & unde veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique iure Marcion,* Luthere, Anabaptiſta, Calvine, *ſilvam meam cædis?* Lutherus enim & Calvinus, & quivis alius de eo grege, quemadmodum & Marcion, *manus intulit veritati exertè & palàm. Machærâ non ſtylo uſus eſt, quoniam ad materiam ſuam cædem Scripturarum fecit.* Quibus & illud convenit Auguſtini de Manichæis lib. de bon. perſev. cap. 11. *Scripturas ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, imò ſacrilegio, quod volunt ſumant, quod nolunt reiiciant.*

Lutheri, Scaligeri, Calvini ſententia.

Sic Lutherus ſympoſiacorũ cap. 59. *Huic,* inquit, *libro ſecundo Machabæorum & libro Heſtheris adeò inimicus ſum, ut eos omnino in rerum naturâ eſſe nollem.* Diceres ardere Lutherum ad conquirendos & exurendos hoſce libros, quomodò Antiochi juſſu ſacri Libri exuſti ſunt. Nota autem, ſolum à Luthero librum poſteriorem rejici; nam præfatione in priorem, dicit eum eſſe *dignum qui in numerum ſacrarum Scripturarum referatur.* In quo tamen eum ſpiritus vertiginis longè à recto ſenſu abduxit, licèt ad veritatem ptopiùs admoviſſe videatur. Si enim alter è libris Machabæorum de Canone Scripturæ expungendus eſſet, poſteriorem potiùs retinere oporteret, quàm priorem, ex auctoritate Patrum, longè frequentiùs illum, quàm hunc, citantium & laudantium. Lutherum ſecutus Scaliger lib. 5. de Emend. Temp. fol. 406. prius Machabæorum volumen vocat, *Eximium opus.* At Calvinus magiſtro ſuo Luthero, & diſcipulo Scaligero audacior in cap. 22. Matth. indiſcriminatim ait, à ſe, ac ſuis, Eccleſiaſticum, & Machabæos iſtos rejici, quomodò ab Sadducæis omnes libros Canonicos, præter Pentateuchum. Optimè ſanè, & plauſum mereris, Calvine, qui tam ingenuè ac verè, te ipſe, ac tuos, Sadducæis, in truncanda pro inſano arbitrio Scriptura comparâris.

VII. Ex quàm futilibus argumentis.

Operæpretium erit audire quo jure, quóve fundamento putent à ſe libros Machabæorum inter Apocryphos relegari poſſe, ut vel hinc pateat quàm verè ſint *Paleæ leves fidei,* quomodò loquitur Tertull. Non tantùm quia à nobis avolavêre, & de areâ Dominicâ, id eſt Eccleſiâ, Spiritus Sancti oraculo expulſi ſunt, ac ſeparati à tritico, per eum *cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam:* ſed etiam quia inſtar vani aceris, & ſiccæ paleæ, vel minimo ratiunculæ vento moventur, & disjiciuntur. Involvunt quidem illi objectiones ſuas, ſed evolvemus omnes, cum bono Deo, & rumpemus vel incîdemus, ùſque dicemus, quod Aug. Alipio 3. cont. Acad. *non ideò quia involvit, evolveris.*

VIII. Prima Objectio de privato Spiritu.

Primum igitur argumentum ſit, quod *non tam concordi ac communi Eccleſiæ ſenſu, quàm interiori dictamine Spiritus Sancti, doceantur iſtos libros non eſſe Canonicos.* Ita Hæretici Galliarum Art. 4. Confeſſionis Calvinianæ. Ubi vides ſub ſpecioſo titulo, *Dictaminis Spiritus Sancti,* nihil latere niſi *Spiritum privatum Calviniſtarum,* quem pto ſuâ modeſtiâ, *communi ac concordi Eccleſiæ ſenſui præferunt.* Nos verò jam pridem didicimus *Spiritum privatum* merum eſſe Spiritum vertiginis, qui obſequentem ſibi tamdiu circumagat, donec præcipitem deturbet à tenebris interioribus in tenebras exteriores. Dicimus illis quod Auguſtinus Manichæis lib. 32. conr. Fauſt. cap. 19. *Videtis id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & ſuus*

cuique

cuique animus auctor ſit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id eſt, ut non auctoritati Scripturarum ſubiiciatur ad fidem, ſed Scripturas ipſe ſubiiciat. Scimus cum Vincentio Lirin. lib. adversùs Hæret. Novit. fidei depoſitum, *rem eſſe non ingenii, ſed doctrinæ, non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis.* Multorum infælicium errorum deploranda experientia nos docuit, quanti ſit periculi, obtentu inſtinctûs divini humano ſuo judicio nimiùm fidere, & ex ſuo ſibi ingenio, non fidem ſed fides tot ac tam diſſonas fingere, ut non jam modulatio ſit, ſed feralis ululatus.

Diſſenſionis fontes. *Mentior*, Tettulliani de iſtiuſmodi hominibus verbum eſt, lib. de Præſc. *ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodùm de ſuo arbitrio compoſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino:* idem Calvinianis, quod Calvino. Tam enim ſuus illorum cuilibet, quàm Calvino ſpiritus privatus eſt, & ſæpiſſimè non tantùm aliis, ſed & ſibi diſcors, adeóque & excors. Hinc tot pugnantes de articulis fidei inter multos ipſorum ſententiæ, tot ſectiones ſectarum, tot minutiæ fractionum, ut Arithmetico eas numerare labor ſit, & multi ex ipſis ignorent quid ſentiant, aut quid ſint. *Plerique*, illorum inſtar, de quibus ibidem Tertullianus, *neque Eccleſias habent, ſine matre, ſine ſede, orbi fide, extorres quaſi ſibi, latè vagantur*, per prærupta errorum duce ſpiritu privato, qui ſub amici habitu ſicarium tegit. Valeat itaque figmenti illius, de diſcernendis per dictamen interius Scripturis Canonicis & Apocryphis, inanitas: quæ ipſa de ſe cuivis cordato homini, & vel tenuiter Chriſtiano, ridenda eſt.

IX. Altera de conſenſu Eccleſiæ. Paullò aliter Genevenſes loquuntur, in Præfatione ad Libros Apocryphos, Pſeudobibliis ſuis præfixa. Nihil enim illic de ſpiritûs privati ad diſcernendum ſacra à profanis indicio: ſed varias alias rationes coacervant, & complicant, nullam explicant: tangemus omnes. Præcipua eſt, quam initio ponunt: *Libros iſtos ſemper habitos eſſe pro Apocryphis*: quod vel ſplendidum eſſe mendacium, vel illuſtrem inſcitiam, maniſeſtiſſimum eſt ex dictis ſuprà numero 5. adeóque refutatione non eget. Imò & ipſi, quaſi dicti pudeat, aut potius immemores, illud paullò poſt retractant, cùm dicunt: *Ab Eccleſia Chriſtiana, cùm pura eſſet, non alios, ſaltem certis locis, libros pro Canonicis agnitos, quàm ipſi agnoſcant.* Longè aliud eſt generatim, & abſque exceptione pronuntiare: *Libros iſtos ſemper habitos fuiſſe pro Apocryphis*; aliud dicere: *Certis locis non agnitos pro Canonicis.* Illud falſiſſimum eſſe aſſerimus, & patet ex antè dictis; hoc verò ipſimet ultro fatemur, ſed addimus, ex quo ab Eccleſia Catholica inter Canonicos relati ſunt, nullum jam verè Chriſtianum de eorum auctoritate divina ullo loco aut tempore dubitare poſſe.

X. Tertia ab auctoritate Synagogæ. Aiunt *ab Eccleſia Judaïca eumdem ſacrorum Antiqui Teſtam. librorum Canonem ſtatui, qui ab ipſis: præterea non poſſe probari certò, quemquam eorum, quos inter Apocryphos eliminant, Hebraïcâ linguâ ſcriptum eſſe.* Reſpondemus: ſi de Canone agunt, qui ab Eſdra vel ſub ejus tempora confectus dicitur, mirum non eſſe, illuc non receptos Machabæorum libros, cùm Eſdras totis ferme trecentis annis tempora Machabæorum præceſſerit: ſi de Canone, ſeu verſione 70. neque ab his referri potuiſſe, quæ centum minimùm annis poſt eorum ætatem contigerunt: ſi de poſterioris Synagogæ Canone ſub tempora Chriſti, non improbabiliter dici poſſe, tunc pro ſacris agnitos, cùm Joan. 10. v. 22. Chriſtus præſentiâ ſuâ honoret anniverſarium templi à Juda dedicati diem, cujus inſtitutio narratur 1. Mach. 4. v. 59.

Duplex Hebræorum Canon. Dupliccm certè fuiſſe Canonem Judæorum, Genebrardus, aliíque affirmant: Primum, qui Eſdræ temporibus in Synodo magna confectus eſt: alterum, in quem poſtmodùm conjecti fuere libri poſteriùs ſcripti: etſi anterioribus quidpiam reverentiæ majoris conciliaret antiquitas. Probat autem Serarius noſter, non eſſe vanam hujuſmodi de duplici Canone conjecturam, ex Ioſepho, qui lib. 2. cont. Appionem allegat verba iſta celebria ex Eccleſiaſtico: *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, tamquam ſententiam Legis, ſive Scripturæ ſacræ. Conſtat autem Librum Eccleſiaſtici non potuiſſe eſſe in Canone Eſdræ, cùm longè pòſt ſcriptus ſit: erat ergo alius Canon poſterior in quem receptus fuerit. Itaque dicere poſſimus non incommodè, in hunc poſteriorem Canonem aſcitos fuiſſe à Judæis Libros Machabæorum: cùm etiam Iulius Firmicus, lib. 1. de parr Divinæ Legis, affirmet, hoſce libros eadem auctoritate olim apud Judæos fuiſſe, quo erant Paralipomena, Job, & Eſdras.

Canon Eccleſiæ. Sed demus Libros Machabæorum numquam à Synagogâ habitos pro Canonicis, nihil inde contra nos confici poteſt, qui non alium Canonem quàm ab Eccleſiâ Catholicâ probatum agnoſcimus. Imò in ipſoſmet adverſarios tetotquebitur tota vis argumenti: qui cùm fateantur, in Eccleſia Iudaïca auctoritatem fuiſſe conficiendi Canonem;

in

in Ecclesia Chriſtiana, ſuper petram firmata, adversùs omnes inferi portas munita, Spiritus Sancti oraculo, columna & firmamento veritatis, eamdem poteſtatem nolunt agnoſcere, Chriſtoque ipſi calumniam impingunt.

Variis linguis ſcripti libri ſacri.

Quod verò ſubjiciunt *linguâ Hebraïcâ* ſcriptos non eſſe, verbo reſpondemus; Deum non uni linguæ oracula ſua aſtrinxiſſe: Neque ideo cum Daniele Deum non locutum, quia Chaldaica dialecto utitur; neque Jobi librum non eſſe Divinum, quia Arabicam phraſim ſapere videatur; nec Novi Teſtamenti libros à Deo non eſſe, quia Græcè, & forſan pars Latinè, conſcripti ſunt.

XL.
Quarta à Patribus.

Afferunt Canonem Synodi cujuſdam Laodicenæ, qui de Libris Machabæorum non meminit: ſed advertere debuerant, etiam de Apocalypſi Joannis ibi non fieri mentionem, adeoque nullam eſſe debere in ea re auctoritatem ejus Synodi, quæ utique Provincialis fuit; non Oecumenica, neque confirmata ab Oecumenica. Addunt à Greg. Naz. præteriri in catalogo Scripturarum. Adducere præterea poterant Melitonem & Origenem apud Euſebium, Athanaſium in Synopſi; Hierooymum in Prologo Galeato, & in Proverbia Salomonis, alioſque, qui vel inconſtanter de Libris Machabæorum loquuntur, & omninò à Canone excludunt.

Reſpondetur generatim.

Reſpondendum eſt, eos Patres vel agere de Canone Hebræorum; vel non affirmatè, ut adverſarii noſtri, ſed dubitanter loqui, adeoque pro illis non eſſe; vel denique eo tempore ſcripſiſſe, quo cuique liberum erat de ea re ſentire quæ vellet, nullo ab Eccleſia decreto edito, cui, ſi reviviſcerent, jam ſeſe ſubmitterent, ne deſinerent eſſe Catholici.

De Auctore libr. de Mirab. Script.

Sunt & alii auctores, quibus Libros hoſce in Canonem referre non placuit, de quorum auctoritate nobis laborandum non eſt: cujuſmodi eſt auctor librorum de Mirab. Script. inter opera Aug. Hæc habet lib. 2. in fine: *In Machabæorum libris, etſi aliquid mirabilium numero inferendum conveniens fuiſſe huic ordini invenіatur, de hoc tamẽ nulla cura fatigabimur: quia tantùm agere propoſuimus, ut de Divini Canonis mirabilibus exiguam hiſtoriam texeremus.* Non agnoſcit itaque Libros Machabæorum pro Canonicis. Sed nec nos de ſcriptore iſto, fluxæ fidei, quidvis hac de re ſenſerit, ullâ curâ fatigari debemus.

De Greg. Mag.

Peculiaris eſt de Gregorio Magno difficultas, qui 19. Moral. cap. 17. eos fertur rejicere, cùm tamen diu poſt Carthaginenſe Concilium, & Pontifices ac Patres ſuprà citatos vixerit. Ut verum ſit id apud Gregorium reperiri, quod ſanè ego nuſquam deprehendere potui: nec verò in 19. libro Mor. habentur 17. capita, ſed ſedecim tantùm. Vel hinc intellige, mi Lector, quâ fide interdum recitentur ſententiæ Patrum, & quanti interſit allegationibus temerè non credere, quamque meritò ſuſpectæ nobis eſſe debeant, quæ ab hæreticis contra nos adducuntur. Ut igitur verum id ſit, rejici Machabæorum Libros à Gregorio; reſponderi tamen varia poſſunt: Gregorium, ſicubi fortè ſic loquitur, ex priſcorum aliquorum, non ſuo ſenſu loqui: agere de veteri Canone, ſeu de eorum ordine, quos Proto-Canonicos ab aliquibus vocatos diximus: loqui de Canone Judæorum: ut privatum Doctorem laborare potuiſſe *μνημονικῷ ἁμαρτήματι*, immemorem definitionis à ſummis Pontificibus factæ, quæ etſi æquè valida, non tamen æquè nota eſſe ſolet, quàm Conciliorum Oecumenicorum definitio.

De poſterioribus Doctoribus.

Veroſimillimum erit, ipſum inhæſiſſe iis, quæ apud S. Hieronymum de auctoritate horum Librorum dubitantem legerat, neque in eo articulo ad argumenta in contrarium facientia advertiſſe. Quod etiam de Rabano dici poſſet, ſicubi obſcuriùs loquitur, cùm tamen aliàs diſertè auctoritatem horum Librorum canonicam agnoſcat. Idem dicendum foret de Radulpho, Richardo, & Hugone Victorinis, Hugone Cardinali, Lirano, Occamo, Carthuſiano. Hi enim, ſi quando vacillare videntur, planè putandi ſunt Eccleſiæ decretum tunc vel omninò neſciiſſe, vel non attendiſſe, & unius Hieronymi ſententiam retuliſſe.

De Hieronymo ipſo.

Quem tamen Hieronymum etiam hiſce Libris multùm tribuiſſe, vel ex eo patet, quòd in cap. 3. epiſt. ad Gal. exempla Eleazari & Martyrum Machabæorum profert contra Judæos, quaſi neque ipſe, neque illi de eorum auctoritate dubitârint. Imò in cap. 11. & 12. Dan. diſputans contra Porphyrium, qui ex hiſce Libris quædam excerpſerat, nuſquam eos rejicit, quod ad omnem argumenti vim elidendam breviſſimum erat, ſi eos pro Canonica Scriptura non agnoviſſet: eum certè modum eludendi Porphyrii uſurpat in hiſtoria Tobiæ & Suſannæ.

De Damaſceno.

Adducitur & Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 18. ubi diviſo Vetere Teſtamento in quatuor Pentateuchos, & unum binarium, in iis Libros Machabæorum non recenſet. Reſponderi poſſent quædam quæ de Gregorio ſuprà: niſi mavis de eo dicere, quod in alia materia de Cypriano Aug. ep. 48. vel correxiſſe errorem poſtea, ut ſuprà num. 5. vidimus, vel *operuiſſe ubere caritatis nævum candidiſſimi pectoris.*

XII. *Quinta ab Anachroniſmis & Antilogiis.*

Denique Calv. 1. Inſt. cap. 5. v 8. &c. aliique congerunt varios in ſpeciem Anachroniſmos, Antilogias, Abſurda, & Abſona: de quibus hoc generatim habe, non tam multa in libris Machabæorum contineri pugnantia in ſpeciem, & conciliatu difficilia, quàm in libris Regum & Paralipomenon, quos tamen nemo ſanus ideò fidei dubiæ putaverit.

Cur Scripturam ſacram Deus difficilem eſſe voluerit

Cur autem Spiritus Sanctus eos in libris ſuis nodos & difficultates eſſe voluerit; An ad fidem exercendam, & *intelligentiæ perſpicuitatem impetrandam per fidei puritatem*, ut loquitur Auguſt. ep. 57. ad Dardanum? An ad acuendam diligentiam, & *ad intellectum à faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata, plerumque vileſcunt*, ut idem ait l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 6.? *An ad edomandam labore ſuperbiam*, ut ibidem loquitur? An quia pretioſæ res in abdito eſſe ſolent, margarita latent in conchyliis, aurum in terræ viſceribus, ignis ipſe in lapide pyrite? An ut eò ſuavior eſſet cognitio, quò inventu difficilior, ut indicat Aug. lib. de Mor. Eccl. c. 1. quomodò venatoribus eò præda plerumque gratior eſt, quò quæſita diutiùs? An ut, *ſi ad liquidum cunctis pateret, ne fortè ſubiaceret deſpectui, aut pravè intellecta à mediocribus, in errorem induceret*, quæ Greg. VII. ad Ducem Bohemiæ ſententia eſt, apud Bar. Tom. 11. anno 1080.? An ut vel hinc diſceremus, quàm nihil ſimus & ſciamus à nobis, & humiliati ad eum accurreremus, *qui docet hominem ſcientiam*? Nam ut benè Voluſianus ad Aug. *Magis ignoratur veritas, quando præſumptum eſt quòd poſſit agnoſci.* An alias ob cauſſas, quas plurimi Interpretes & Theologi ex inſtituto tradiderunt? Vide apud illos: nos, quà poſſumus, noſtra tantùm, vel quæ ad rem noſtram ſunt, explicatiùs perſequimur.

XIII. *Perſtringũtur Antilogiæ.*

Antilogias, & cætera ex Textu adducta argumenta contra horum librorum veritatem, ſuis quæque locis particulatim diſſoluta invenies. Quæ contra primum afferri poſſunt, vide præſertim cap. 1. v. 1. 7. & 10. ubi de regno & morte Alexandri, & annis Seleucidarum agitur. Tum cap. 8. ubi quædam dicuntur de Romana Republica, quæ cum profana hiſtoria non conveniunt.

Secundi libri.

Contra ſecundum plura congeruntur ab adverſariis, quia ex illo potiſſimùm eorum errores impugnantur. Cap. 1. v. 19. de abductis in Perſidem Judæis. Cap. 2. v. 1. de deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ; v. 5. de Arca per Jeremiam abſcondita; v. 24. de Jaſone Cyrenæo, cujus hiſtoriam breviavit Hagiographus; v. 27. de labore, quem in ſcribendo Hagiographus ait ſe ſumpſiſſe; v. 29. de veritate, quam idem ait alteri ſe concedere. Cap. 5. v. 2. de oſtentis equitum in aëre concurrentium. Cap. 12. v. 43. de Purgatorio, & Orationibus pro mortuis. Cap. 15. v. 12. de Sanctorum mortuorum cura, & oratione pro vivis; v. 39. de venia erratorum, quæ Hagiographus deprecatur.

XIV. *Veritatis firmitas.*

En tibi collecta in ſummam, è quibus hæretici arbitrantur enervari divinam horum librorum auctoritatem; ut videas à me difficultates vitatum non iri; ſed, cum bono Deo, futurum, ut omnium ſolutionibus cuivis ſatisfiat homini cordato, nec pertinaciter & obſtinatè veritatem reſpuenti, atque ideò Hæretico. *Veritas*, inquit Hier. lib. 1. adv. Pelagia. *laborare poteſt, vinci non poteſt.* Et Tert. lib. 2. ad Natio. *Multa ſunt, quibus temeritas conſcientiæ obduratur in calloſitatem voluntarii erroris. Ingenti manu veritas obſidetur; at ipſa de ſua virtute ſecura eſt.* Apud eumdem Tertull. lib. de Præſc. adv. Hæret. Valentini error fuit: *Inprimis eſſe Bython & Silentium; ex his proceſſiſſe Mentem & Veritatem; ex quibus erupiſſe Verbum & Vitam.* Quid ſi hæc ſymbolicè intelligantur? In alto ſanè latet Mens & Veritas, & in ſilentio quærenda eſt: at ubi de fundo, ubi abdita erat, ſemel erupit in apertum, amat propalari, vult videri, audiri cupit & agnoſci; vivit, viget, pugnat, dominatur, indomita & invicta eſt.

SECTIO QUARTA.

Quæ horum Librorum utilitas privatim?

I. *Tria genera utilitatũ ex Scriptura.*

SANCTUS PAULLUS diſcipulo ſuo Timotheo, cujus Feſto die hæc ſcribebam, ſuadens Scripturæ ſtudia continuanda, epiſtolâ 2. cap. 3. *Ab infantia*, inquit, *ſacras Literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Deinde ſubjungit: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia.* Denique addit v. 17. *Ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Quibus verbis Apoſtolus tria utilitatum,

ex

ex Scripturæ lectione manantium, genera videtur voluiſſe complecti. Primùm enim prodeſt privatim ipſis legentibus, & juvat ut homo perfectus ſit in ſe, & inſtructus ad omne opus bonum, quæ eſt ſententia verſus 17. Deinde & privarim & publicè facit, ad ſtabilienda Eccleſiæ dogmata, & confirmandam fidem, quæ eſt janua ſalutis; & hoc indicatur v. 15. Ad exttemum non privatæ ſolùm ſaluti, ſed & publicis moribus fingendis, firmandis, caſtigandis, utillima eſt, idque ſignificat verſus 16. Eam diſtributionem hîc ſequemur, ut oſtendamus, quàm fructuoſa futura ſit ſacra Machabæorum hiſtoria, ad eam legendam accedentibus cum pietate ac diligentia, quæ præcipua duo ſunt ad ſacræ Scripturæ ſtudium adminicula, quemadmodùm ſæpe Auguſtinus monuit, nominatim lib. de Mor. Eccl. cap. 1. *Et diligentia*, inquit, *& pietas adhibenda eſt: altero fiet, ut ſcientes inveniamus; altero, ut invenire mereamur.* Sed de iſtis alii.

II. *Sacræ hiſtoriæ lectio commendatur.*

Vetus præceptum eſt, ut in documentis virtutum *Utile Dulci* miſceatur; ne vel nimia auſteritas audientes & legentes abſtetreat; vel nimia ſuavitas eos à ſe abductos ſine fructu dimittat, cum inani voluptatula: hinc profanus Poëta facturum ſe ait, quod novercæ, *pueris abſynthia tetra medentes*, quæ oras poculi melle circumlinunt, ut ægros, alioquin amaritiem remedii averſaturos, utiliter fallant. Nullum autem eſt genus ſcriptionis, quo id præceptum certiùs ac meliùs ſervari poſſit, quàm hiſtoria. Ejus enim tanta utilitas eſt, ut nulli non ordini, & ætati ejus lectio aut auditio ſuadenda ſit. Quod ſapientiſſimè fecit Baſilius Imperator ſapienti filio Leoni, cùm inter ſeptuaginta ſex monita ipſi data & hoc inculcet, ut hiſtorias veterum legat, inde enim virtutum & vitiorum perfectam cognitionem addiſci, & à juvenibus canam experientiam ex præteritorum ſæculorum contemplatione hauriri: uti Baronius refert ex aliis tomo IV. an. 886. Tanta etiam ejus ſuavitas eſt, ut nihil nos magis delectare ſoleat, quàm narratio, non pueros tantùm, ſed & confirmatos rerum uſu & cognitione, ut quotidie ipſi experimur in nobis, & in aliis. Alphonſo certè Regi narrant tam jucundam fuiſſe, ut ſola Curtii lectione ex morbo aliquando convaluerit. Quid verò de ſacræ Hiſtoriæ lectione, cujus eò utilitas major, quò auctor ſapientior; id eſt ipſamet æterna Sapientia: eò major ſuavitas, quò res narrantur antiquiores & veriores, ab ipſomet Antiquo dierum, & Veritate æterna dictatæ. Nolo hîc tibi comparationem Hiſtoriæ ſacræ cum profana inſtituere: habes luculentè deductam apud Mend. in lib. Reg. Tom. 1. Ann. 2. totâ. Et, ſi plura voles, conſule etiam Salmeronem Tom. 12. Tract. 1. & 2. ubi confert Sacram Actorum hiſtoriam cum Profana, Eccleſiaſtica, Apocrypha.

III. *Quãti Deus ſacram hiſtoriam faciat?*

Hoc ſolùm adverto, Deum, cui notum eſt figmentum noſtrum, ut nos ad lectionem Scripturarum ſuarum ſuaviter alliciat, ab hiſtoria Libros ſuos inchoare. Imò veroſimile eſt primum librorum omnium, qui in publicum prodierit, hiſtoriam fuiſſe. Neque enim ſcimus, quidquam ante Moſen editum: etſi Auguſt. Q. 42. in lib. Num. cap. 21. ſuſpicetur, Chaldæis & Ægyptiis libros jam antè notos fuiſſe. Sed neque à Moſe editum aliquid ante librum Geneſeos, aut ſaltem ante librum Job, quem aliqui ab eo ſcriptum aiunt, ad Iſraëlitas à Pharaone oppreſſos exemplo patientiæ animandos. Vel hinc vides, quanti ad utilitatem generis humani Deus hiſtoriam eſſe judicaverit, cùm à primo inter mortales ſcriptore, primam omnium ſcribi, vel primo ſaltem ac digniſſimo inter Scripturas ſuas loco poni voluerit.

IV. *Experientiâ uſus probatur.*

Ad hoc, ipſimet experientiâ quotidianâ tangimus, nihil magis in pulpitis placere & prodeſſe, quàm hiſtoriarum ſacrarum narrationem: etſi delicati quidam Oratores vilem illam eſſe putent, & nimis popularem, malintque inanibus & malè fultis conceptibus aërem pulſare, & plauſum à malis ac diſtortis judiciis quærere: quod corruptæ ſacræ eloquentiæ genus poſtmodùm perſtringendi locus erit. Privatim autem ita juvat & delectat earum lectio, ut quod generatim Damaſus & Aug. de Scriptura dixerunt, illis præcipuè aptandum ſit: Eſſe *de melle cæli melleas, & de lumine Dei luminoſas*, Aug. lib. 9. Conf. cap. 3. *Quo nihil puto in hac luce iucundius, quo anima pabulo omnia mella ſuperantur.* Dam. ep. 124. apud S. Hier. Novi quempiam, cùm adoleſcens eſſet, tam perditè effuſum in fictarum hiſtoriarum, quas magno numero vana ingenia linguis vernaculis quotidie protrudunt, lectionem, ut dies ac noctes totas in illis indefatigabilis contereret, ab ea inſania revocatum commendatione ſacræ hiſtoriæ. Quam ubi ſemel guſtavit, abjectis illis librorum quiſquiliis, maxima aviditate, & nova ſemper fame lectam, relectamque ſæpiùs, in animi ſui alimentum convertit, ac deinceps in parvulorum Chriſti nutrimentum diſtribuit. Unum narro, cùm ſexcentis in dies idem eveniat, quibus per Hiſtoriæ ſacræ cognitionem deſipuêre, imò oblita omninò cæpe, & alia Ægyptiacarum iſtarum narrationum, præ divinis hiſce ferculis; & aquæ turbidæ de via Aſſyriorum fuêre faſtidio, præ limpidi hujus fontis inexhauſta ſcaturigine: ut ſeriò cum Propheta canerent; *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.*

V. *Scriptura Paradiſus Terreſtris.*

Rupertus illud Cant. 8. v. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*, explanans; *Quibus*, inquit, *in hortis habitat dilecta, niſi in amœnitate Scripturarum, in delectatione virtutum pulchrè florentium, benè olentium, ſemper virentium?* Quam ſimilitudinem forſan mutuatus eſt ab Iſidoro Peluſiota 3. ep. 388. ad exprimendam utilitatem Scripturarum cum ſuavitate conjunctam, eas vocante, λειμῶνας εὐανθεῖς, *Prata pulcherrimè florentia*: aut potiùs à Chryſoſtomo, qui pluribus locis, nominatim hom. in Eutropium, utitur comparatione Scripturarum cum amœniſſimo prato, in quo ſemper ſupereſt quod decerpas, quo te oblectes, quo reficias. Ego nullum aut pratum aut hortum dignum invenio, qui cum Scriptura componatur, præter Paradiſum Terreſtrem: plantatum divinis manibus, quomodò Scriptura ejus Digito ſcripta eſt:

Parallela. Poſitum ad Orientalem plagam ἐν ἐδὲν κατ' ἀνατολάς, ut legunt 70. ubi nos habemus *à principio*, quomodò Scriptura ad Orientem eſt, imò Oriens & fons lucis perpetuus: Primum hortorum omnium, quomodò Scriptura prima eſt librorum omnium, non dignitate tantùm, ſed & tempore: Extra quem argillaceus homo conditus eſt, ut ſciamus homini à naturæ viribus non dari, ut ingrediatur ad Scripturæ contemplationem: Ad quem homo admiſſus eſt, ut operaretur & cuſtodiret illum, quia prima verorum hominum, id eſt Chriſtianorum, occupatio eſſe debet operatio & ſtudium Scripturæ: De quo poſt peccatum homo expulſus eſt, quia peccatoribus arcana Scripturæ non patent: Cujus aditum obſidet Cherubinus, aut ut 70. legunt Cherubini, & flammeus ac verſatilis gladius, ut diſcamus neminem ad Scripturæ germanam intelligentiam accedere, niſi Angelicis moribus ſtudeat, niſi diſcendi deſiderio ardeat, niſi eo gladio noxia reſecet, quem Dominus venit mittere in terram, ut ſeparet malos à bonis. Plura ad convenientiam Scripturæ cum Paradiſo, ex te comminiſci poteris, aut forſan apud aliquos Doctores invenies, quos non viderim. Legerunt enim & alii Ambroſium ep. 31. ad Sabinum, ubi hanc comparationem attingit: *Deambulat*, inquit, *in Paradiſo Deus, quando divinas Scripturas lego. Paradiſus eſt Geneſis liber, in quo virtutes pullulant Patriarcharum. Paradiſus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta. Paradiſus Evangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ ſpei mandata diffundit per univerſos populos.* Iſthæc, & plura Ambroſius: ſed nos cœptam comparationem proſequamur.

VI. *In ea Arbor Scientiæ.*

Habes in hoc Scripturæ Paradiſo Arborem Scientiæ, cujus radices, quod de homine arbore inverſa Plato philoſophabatur, in cælo ſunt. Inde enim ſacrarum Literarum origo. Inde ſuccus, & alimentum. Inde perpetuus viror, & fructus. Tot ejus arboris rami, quot genera ſcientiarum, quæ omnia ex Scripturis manavêre: non Theologicas tantùm loquor, ſed & naturales.

Scientiarum parens. Habet hic Philoſophus arcana ſua: Ars Politica, Militaris, Oeconomica illic principiis ſuis innititur. Ipſa inde politior literatura penum ſuam locupletavit. Invenies apud Mend. Ann. 2. Proëm. ſect. 2. à numero 22. uſque ad 45. quomodò profanæ literæ, imò diſciplinæ omnes, præcepta ſua ex Scriptura hauſerint.

Deifica. Convenit præterea huic divinæ arbori, quod de illa Paradiſi mendaciter finxit Pater mendacii, *Eritis ſicut Dii*: facit enim divinos divina lectio, & qualitatem ſuam alimentum communicat comedenti. Diſce hoc à Clem. Alex. in Exhortatoria ad Gentes, ubi ait; *ſunt verè ſacræ Literæ quæ ſacros faciunt & deificant.* Anteriùs illo, & magnificentiùs Juſtinus Martyr orat. 2. *Hæc non Poëtas modò, non Philoſophos, non Oratores efficit: ſed præceptis ſuis reddit de mortalibus immortales, ex hominibus Deos*, τοὺς θνητοὺς ἀθανάτους, τοὺς βροτοὺς θεούς. Vis Dei de hac deificatione auctoritatem? Audi Chriſtum Joan. 10. v. 35. *Illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt.*

Inexhauſta. Eſt item Scriptura *Arbor Scientiæ*, quia in illa ſemper ſupereſt quod diſcas, quantumcumque didiceris. Auguſtinus ep. 3. reſpondens ad illud Voluſiani: *In aliis Sacerdotibus toleratur inſcitia, ſed cùm ad antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt, quidquid contigerit ignorari*: rogat ut iſtam de ſe opinionem deponat; *Tanta* enim, inquit, *eſt Chriſtianarum profunditas Literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolùm ab ineunte pueritia, uſque ad decrepitam ſenectutem, maximo ſtudio, ſummo otio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Eumdem ferè in ſenſum poſt ſimiles laudes loquitur cum Januario ep. 119. ut aptiſſimè dici de ſacris Literis poſſit, quod de arbore poëtica: *Uno avulſo, non deficit alter Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.*

Boni & mali cognitione erudiens. Nec Scripturam vocare dubitârim *Arborem*, non modò *Scientiæ*, ſed etiam *ſcientiæ boni & mali*: quia hinc virtutum exempla proponuntur, inde vitiorum. *Inſtruunt*, inquit Ambroſius 1. de Abraham. cap. 6. *Patriarchæ non ſolùm docentes, ſed etiam errantes, ideò iteratum eſt exemplum ebrietatis, ut confirmetur magiſterium cautionis.*

Neque

Digitized by Google

VII. Et Arbor Vitæ.

Neque in Paradiſo noſtro *Arborem Vitæ* deſiderari putaveris. Audiſti enim nunc Juſtinum affirmantem lectione Scripturæ de mortalibus fieri immortales. Hebræorum diſertiſſimus Philo lib. Alleg. & poſt eum Orig. hom. 7. in cap. 15. Exo. eam Mannæ comparavit, ob eximiam ſuavitatem. Quomodò enim de Manna Iſraëlitæ mirabundi dicebant, *quid eſt hoc?* ita ſtudioſi Lectores, delicioſo Scripturæ ſapore delibuti, exclamant, quid eſt hoc? quæ hæc divina dulcedo? Duci facilè poterant alia multa ſimilitudinis capita, à Mannæ origine, materia, colore, quantitate, loco, modo colligendi, populo cui præparabatur: hoc præſertim quod non vim tantùm nutritiam, ſed etiam medicam haberet, & quamdiu illo Iſraëlitæ veſcebantur, *non erat in tribubus eorum infirmus.*

Sanitatem conſervans

Eumdem in modum Scriptura ſic animæ cibus eſt, ut non alat eam modò, ſed & ſanitatem perpetuò conſervet veſcentibus. Et hæc etiam potiſſima cauſſa eſt, cur *Arbori Vitæ* ſimilem eſſe dixerim, quæ fructus prolatura erat, non ſolùm ad hominis alimentum, ſed etiam ad reparandos, mirabili & arcana vi, quoſlibet, quamvis contrarios, defectus ſanitatis.

Et reddens,

Quædam Regina Ægyptia, apud Diodorum Siculum, Bibliothecæ ſuæ limini inſcribenda curavit tituli vice hæc verba, ἰατρεῖον ψυχῆς, *animæ medicatorium*, ſeu *officina medica*. Benè illud quidem de ſapientum libris, etiam profanorum. At quantò meliùs hunc titulum præponas ſacris Bibliis? Sunt enim nobis inſtar immenſæ Bibliothecæ, & infinitè ſuperant quantumvis celeberrimas, Reginæ iſtius Ægyptiæ Memphiticam, Alexandrinam Philadelphi Ptolomæi, Conſtantinopolitanam Conſtantini & Juliani, aliaſque innumeris differtas voluminibus.

Vi medica

Dicebat priſcus aliquis, opinor Euripides, ſcitè penès Tertull. lib. de Pallio: *Sermone me ſuaſiſti, medicamine ſapientiſſimo.* Quod autem ſermone divino ſapientius medicamen? Ideoque à Tertulliano ſignificanter ad rem noſtram dicitur *Vivificator*, lib. de Reſurrectione carnis: *Sermonem*, inquit, *conſtituens vivificatorem*; qui etiam ſit, *proinde in cauſſam vitæ appetendus, & devorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.* De hac vi medica Scripturæ quædam ab his diverſa ſi voles, ex Aug. Baſil. Dion. Vide Creſſolium lib. 3. Myſtag. cap. 17. ubi de uſu Scripturæ & utilitate. Alia item habet Mend. ex Chryſ. Cypr. Bern. Hugon. à S. Vict. Hier. &c. Ann. 1. Proœmiali ſect. 2. à n. 9. ad 17.

VIII. Fons item quadrifidus

Ad extremum etiam limpidiſſimi fontis ſcaturiginem in hoc Scripturæ Paradiſo inveniemus, aut, ſi mavis, ipſammet, & Paradiſum eſſe, & Paradiſi fontem. Vetus eſt, apud ſacros auctores, aquarum non modò cum ſapientia generatim, quod Philo facit libro de Profugis, ſed cum divinis Scripturis comparatio. Iſaiæ 12. promittitur Poſtfuturis Eccleſiæ filiis: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: ubi Chaldæus aquas interpretatur *Doctrinam*: Procopius λόγους πνευματικοὺς *ſermones ſpirituales*, ſeu divinos: Theodoretus, *ſacras Literas*.

Scriptura aquis comparata.

Aliud Iſaiæ 11. *Repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes*: Et hoc Zach. 14. *Erit in illa die, exibunt aquæ vitæ de Jeruſalem*: uti & iſtud Chriſti 1. Joan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Hier. & alii de Scriptura intelligunt. Piè admodum Aug. Con. 3. in Pſ. 103. iſtud, *inter medium montium pertranſibunt aquæ*, applicat Scripturis; quæ in medio poſitæ ſunt, ut omnibus pateant; quæ tam largè fluunt, ut magnis ſufficiant; tam temperatè, ut vel lepuſculos non terreant, quomodò ſtrepitus vocis Tullianæ. Greg. lib. 16. Mor. in Job c. 9. per puteos quos Iſaac fodit Gen. 26. & quos allophyli replevêre, Scripturam vult adumbrari: *Puteos fodimus, cùm in Scriptura ſacra abditis ſenſibus alta penetramus. Quos tamen occultè replent allophyli, quando, nobis ad alta tendentibus, immundi ſpiritus terrenas cogitationes ingerunt, & quaſi inventam divinæ ſcientiæ aquam tollunt.* Idem lib. 17. cap. 14. Aquas in nubibus ligatas interpretatur ſacrorum eloquiorum ſcientiam, quam nubes, id eſt Doctores, non totam terræ, id eſt auditoribus, ſimul profundunt, ne indoctiores onerent: eidemque ſenſui applicat iſtud Exo. 21. de ciſterna claudenda, ne bos in eam cadat. Bernardus ſermone 64. ex parvis, per *Berſabee*, id eſt *Puteum ſatietatis*, Scripturam eamdem ſignificari putat, eoque accommodat iſtud de Helia 3. Reg. 19. *qui dimiſit ibi puerum ſuum*; quia qui ad Scripturæ puteum accedit, *dimittere debet*, inquit, *puerilem ſenſum, vel priſtinorum actuum debilitatem.*

Et puteo Iſraëlitarũ,

Expreſſior videtur Scripturæ figura Num. 21. in eo puteo, in quem, ut gratitudinem ſuam erga Deum teſtarentur, cantico compoſito, filii Iſraël pro intercalari verſu concinebant, *Aſcendat Puteus*, deſertum irrigans, arentem potans multitudinem, non homines modò, ſed & jumenta, ſeu peccatores ſatians, quem *Principes*, ſeu Doctores Eccleſiæ *fodiunt in datore legis, & in baculis ſuis*, de cujus mellea ſuavitate

loquens poſtmodùm Pſalmiſta, cecinit, non tam aquam fuiſſe, quàm *mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.*

Irrigat terram

Expreſſiſſima omnium ſimilitudo petenda eſt ex Fonte Gen. 2. quem Paradiſo ſuo ad amœnitatem loci & ubertatem, alioſque uſus deeſſe Deus non voluit. Quot capitibus aquæ generatim cum Scriptura conveniant, tu ex te ſatis, ingenioſe Lector, comminiſcêris, ſi utriuſque effecta conſideres. In rem noſtram peculiare eſt: quòd fons Paradiſi *irrigabat univerſam ſuperficiem terræ*, & numquid jam tibi ab Iſaia dictum: *Repletam eſſe terram ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes?* Aug. 2. de Gen. contra Mán. c. 6. *Nomine fontis aſcendentis & irrigantis univerſam faciem terræ inſinuata eſt*, inquit, *inundatio veritatis, animam ſatians ante peccatum*. Quidni etiam ſignificetur ejuſdem veritatis per Scripturam poſt peccatum inundatio?

Ex occulto profluit

De eodem fonte dicitur, *Aſcendebat de terra*, & paullò pòſt, *egrediebatur de Paradiſo*. Fons enim Scripturæ arcanam habet ſcaturiginem, ſeu, ut Job loquebatur, *ſapientia trahitur de occultis* c. 28. quemadmodùm & fons Paradiſi de viſceribus terræ erumpebat. Aut, ſi mavis, quomodiò iſte de Paradiſo egrediebatur, ita Scriptura è cœlo ad nòs derivata eſt, & eumdem nobis exhibet hauriendum, & guſtandum, à quo beatæ mentes inebriantur torrente voluptatis.

Partibus quatuor.

Denique Fons iſte dividebatur in capita quatuor, quemadmodùm Scriptura in quatuor librorum genera, Hiſtoricos, Legales, Sapientiales, Propheticos. Scio equidem alios aliter diſtribuere, ſed hodie iſta diviſio in quaternarium, quia perfectior cæteris, & clarior, magis Theologis placuit.

IX.
Ex partes conſiderantur.

Si his aptate volueris, quæ quatuor fluminibus tribuuntur: deprehendes non ineptè Euphrate quarto flumine Propheticos libros exprimi, qui frequenter extremâ ſui parte, id eſt Apocalypſi, Babylonis meminerunt. Tigrin, ſeu, ut Heb. 70. Chald. habent, *Hidekel*, non malè dicere poſſimus Sapientiales libros, qui vadunt contra Aſſyrios, id eſt brevibus, aculeatiſque ſententiis quælibet vitia impugnant. Nec detorta erit accommodatio, ſi ſecundo flumine adumbraveris ſacrorum Librorum genus ſecundum, id eſt Legales, qui circumeunt, lambunt, rigant, fæcundant terram Æthiopiæ, nigram, arentem, ſiticuloſam Synagogam, &, abſque legibus foret, penitùs ſterilem & infæcundam Aptiſſimè verò Hiſtorici Scripturæ libri referentur per fluvium primum, qui terram lambit auri optimi, bdellii, lapidis onychini feracem. Si enim hiſtoriam Tullius 2. de Orat. celebri elogio apellavit *Magiſtram vitæ*, quòd & vivere, & benè vivere doceat, propoſitis quæ ſequare, oppoſitis quæ fugias: ſi certum eſt ab hiſtoria brevi tempore diſci poſſe, quam longiſſimo experientia vix docet, Prudentiam, eleganter à Magno Antonio apud Caſſ. Coll. 2. nominatam *gubernatricem vitæ*: ſi dubitari non poteſt longè brevius iter eſſe ad virtutem per exempla, quàm per documenta: neque erit ambigendum, ex omnibus ſacræ Scripturæ non alios libros hiſtoriis aptiores eſſe ad formandos mores, & docendum genus omne virtutum, quæ nobis auro, bdellio, pretioſis lapidibus ſignificantur. Multa de Scripturæ, & ſingularum ejus partium laudibus invenies apud Interpretes paſſim, alioſque auctores, præſertim apud ſuprà indicatos. Mihi ab aliis dicta recudere non eſt animus, & ſcripta auctorum compilare, ut meis inferciam: neque hæc ipſa de Paradiſo Terreſtri ſcripſiſſem, niſi mea eſſe putâſſem.

X.
Hiſtoriæ Machabæorum ſuavitas, utilitas.

Sed nihílne, inquis, de libris Machabæorum privatim? Hoc igitur habe: ſi verum eſt, lectionem nullam meliorem eſſe, quàm quæ *Utile dulci miſceat*, id inſigniter in hiſce libris præſtari. Fidenter dico, nullam eſſe Hiſtoriæ ſacræ partem, in qua plures ſint rerum mutationes, eventorum varietates, inexſpectati exitus, illuſtria facinora: adeoque ſuaviorem nullam. Item vix ullam utiliorem: quia nullibi eminentiora fortitudinis, ad omnium ætatum, & ordinum incitamentum, exempla efficaciùs congeruntur; vix uſquam ſpiſſiora & ſapientiora de Providentia Divina, humanæque voluntatis cum illa conformatione, documenta proponuntur, aliaque paſſim inſerta, & interſperſa, ubi fert occaſio. Nolo denique mihi credas, crede tibi, *Veni*, ipſe, *& vide*, ut Chriſtus & Philippus, Joan. 1. dicebant: vel ex ipſo compendio hiſtoriæ, quod tibi brevi proponam, guſtum totius accipe.

SECTIO QUINTA.

Horum Librorum utilitas pro Scholis.

I. Fides firmanda diſputationibus.

SCHOLAS appello, loca quælibet, ubi per diſputationes fides ſtabilienda, quod ſæpe etiam in pulpitis & popularibus ſermonibus faciendum è re nata, ubi auditor id poſtulat. Ad Tranſalpinos noſtros id nobis frequens eſt, ubi inimicus homo dormientibus ſervis patris-familias ſuperſeminavit zizania. Atque utinam in iſtis etiam fælicioribus regionibus, ubi de fide intacta populi gloriantur, aliquando vice tinnulorum & evanidorum conceptuum ejuſmodi diſputationes proponerentur. Non haberet, opinor, Pater Nierembergius quod in ſuo de cauſſis calamitatum patriæ ſuæ libello tam acerbè declamaret, de ſuorum in fidei rebus inſcitia. Non videremus aliunde erumpentes de furtivis prælis perniciofiſſimos, & ipſa hæreſi peſtilentiores libros, recuſum centies Machiavellum, & ſuppares illi de Libertinorum, ut vulgò loquimur, ſynagoga, & Politicorum ac ſemi-Atheorum arcana Cabala, quibus religio pro veſte eſt, quia ejus fundamenta vel numquam, vel tenuiter audivêre. *Quomodò autem audient ſine prædicante?* Non meritò quereremur tot Chriſtianos nomine tenus, *inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt*, quia cæleſtia numquam didicerunt, tum ſuâ tum magiſtrorum culpâ, iſthæc, quia magis neceſſaria minùs ſpecioſa ſunt, docere dedignantium.

II. Ex Scripturis Hæretici impugnandi.

Atqui ad firmandam diſputationibus fidem, nihil ejus primâ regulâ, id eſt Scripturâ, validius. Tot acies inimicas habet fides & Eccleſia Dei, quot ſectas Hæreticorum. Notat Spond. an. 1535. Calvinum primæ Inſtitutionum ſuarum editioni præfigendam curâſſe imaginem gladii flammei, cum hac epigraphe, *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Affatim id, ſed non Chriſti ſenſu impletum eſt ab ipſo & ſectatoribus, aliiſque omnibus hæreticis, qui orbem totum horrendis motibus agitavêre, & quod caput eſt, Eccleſiæ pacem plus vexavêre, quàm perſecutores quilibet. Adversùs iſtos hoſtes armis Reſpublica, Eccleſia ſacris litteris pugnat. Ita ſentiebat Stephanus tertius, cùm apud Anaſtaſium bibliothecarium, ſacerdotes omnes ſuos & Clericos in Lateranenſe Patriarchium congregatos, ſedulò hortabatur, ut impensè Scripturæ ſtudiis ſe dederent, *ut efficaces invenirentur in omni reſponſo, & aſſertione adverſariorum Eccleſiæ Dei.*

III. Cùm ipſi ex Scripturis pugnent.

Sapienter omnino pius & providus Pontifex. Semper enim ſolenne fuit Eccleſiæ adverſariis Scripturâ ad errorum ſuorum velamentum abuti. *Sive apud ſuos*, inquit Vinc. Lirin. lib. cont. profanas hære. novit. *ſive alienos; ſive privatim, ſive publicè: ſive in ſermonibus, ſive in libris; ſive in conviviis, ſive in plateis, nihil umquam pæne de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſaten. opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarúmque peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non Novi aut Veteris Teſtamenti ſententiis fucata, & colorata ſit.* Subdit deinde idem auctor Hæreticos in eo veneficis ſimiles eſſe, *qui noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant; ut nemo ferè ubi ſupraſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum.* Eſſe Pſeudoprophetas, lupum ovinâ pelle tegentes, à quibus attendendum monebat Chriſtus: *Quid* enim *eſt veſtitus ovium, niſi Apoſtolorum & Prophetarum proloquia, quæ iidem, ovili quadam ſinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccata mundi, tamquam vellera quædam texuerunt? Qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi?* Eſſe Pſeudo-apoſtolos *& operarios ſubdolos*, 1. Cor. 11. transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti: quia Scripturæ & auctoritates & exempla proferunt, ut Apoſtoli. Eſſe inſtar Satanæ transfigurantis ſe in Angelum lucis, *qui ipſum Dominum Maieſtatis Scripturarum teſtimoniis appetivit.* Quomodò enim ipſe Chriſto dixit, *Mitte te deorſum ſi filius Dei es*: ita hi dicunt, *ſi filius eſſe vis Dei, & hæreditatem regni cæleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte.* Alia multa in hanc rem eleganter diſputata, vide apud eumdem. Cùm itaque Eccleſiæ adverſarii adversùs illam Scripturæ armis ſacrilegè abutantur, & veritate ipſa veritatem conentur opprimere, pudendum ſanè erit Eccleſiæ filiis, ſi iiſdem armis veritatem defendere, imò & falſitatem jugulare non poſſint.

IV. Scriptura Armamentarium.

Apoſtolus Chriſti & Eccleſiæ militem inſtruens Eph. 6. facit juſtitiâ loricatum, Evangelio ocreatum, fidei ſcuto obarmatum, galeatum ſalute, ſeu ſalutari, id eſt Chriſto: dat ipſi denique in manus gladium ſpiritualem, quem ipſemet vocat *Verbum Dei*: hoc verò eſt, ut Tertullianus loquitur, eſſe *totum de Apoſtolo armatum*. Ego in Scriptura, non gladium ſolùm Chriſtiani militis, ſed & omne invenio genus armorum, quo vel arceri hoſtes poſſint, vel impugnari; vel defendi Eccleſia, vel offendi ſynagoga novantium. Ut jure ſacras Literas locupletiſſimum Armamentarium varii nominaverint: & Greg. hom. 15. in Ezech. eam turri Davidicæ comparârit, quam belliger ille Rex Hieroſolymis ædificatam comportatis undique armis impleverat, ne poſteris deeſſent ad ſubitos motus, pro inſtruendo quamtumvis numeroſo exercitu. *Univerſa*, inquit, *noſtra munitio in ſacro eloquio continetur*: & paullò pòſt: *in hac turri armaturam noſtræ mentis invenîmus.* Quod armorum genus adeò dæmonibus eſſe formidandum aſſerit Chryſ. conc. 3. de Laz. ut ipſos, vel conſpecta tantùm, effuget. Quid verò ſi à forti & exercitato milite in ipſos vibrentur? *Quomodò enim*, inquir, *arma regia in ædibus repoſita, etſi nemo utatur, ipſo tamen conſpectu tutelam aliquam & ſecuritatem præſtant: ita ubi libri iſti ſpiritales ac divini aſſervantur, omnis diabolica vis & impetus prohibetur.*

V. Et gladius.

Audiſti jam ab Apoſtolo Verbum Dei militi Chriſtiano datum pro gladio. Idem notat Tertullianus, lib. 3. adversùs Marcionem, exprimi in Apocalypſi cap. 1. v. 16. *Apoſtolus Joannes*, inquit, *enſem deſcribit in Apocalypſi, ex ore Dei prodeuntem, bis acutum, præacutum, quem oportet intelligi Sermonem divinum, bis acutum duobus Teſtamentis Legis, & Evangelii, acutum ſapientiâ, infeſtum diabolo, armantem nos adversùs hoſtes ſpiritales nequitiæ, & concupiſcentiæ omnis, &c.* Similem in modum Aug. iſtum verſum Pſal. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum*, ſeu, ut ipſe legit, *Frameæ bis acutæ*, interpretatur Scripturam: *Sermo Dei*, inquit, *gladius bis acutus. Unde, bis acutus? Dicit de temporalibus, dicit de æternis. In utroque probat quod dicit, eum quem ferit ſeparat à mundo.* Amb. in illud Luc. 22. v. 33. ubi diſcipuli à Chriſto, ſe ad Paſſionis pugnam comparante, juſſi, etiam venditis tunicis, gladios emere, duos ei gladios offerunt: *Duos*, inquit, *gladios diſcipuli obtulerunt, unum Novi, alterum Veteris Teſtamenti, quibus adversùs diaboli armamur inſidias. Denique dicit Dominus, ſatis eſt; quaſi nihil deſit ei, quem utriuſque Teſtamenti doctrina munierit.*

Geminus, & aureus.

Duos invenio gladios hoſtibus ſingulari certamine proſtratis detractos, quibus poſtmodùm victores uſi ſunt. Goliathi enſis Davidi datur ab Achimelecho in Nobe, cùm Saülem inermis fugeret, 1. Reg. 21. Judas Machabæus Apollonii, quem manu ſua obtruncârat, enſe deinceps ſemper in præliis uſus eſt, lib. 1. Mach. cap. 3. Illis videbatur non malè ſignificari, à Catholico Doctore, & Eccleſiaſte, de Hæreticorum manibus extorquendum Veteris ac Novi Teſtamenti geminum gladium, quibus prælia ſua fæliciter conficiant. Certè D. Greg. Mor. in Job lib. 18. cap. 11. agens de Davide Goliathi enſem ſumente: *Cùm ſuperbientes hæreticos*, inquit, *& ſacræ Scripturæ ſententias deferentes, eiſdem verbis atque ſententiis, quas proferunt, vincimus, quaſi elatum Goliam ſuo gladio detruncamus.* Eamdem Scripturam meliùs adumbrat gladius aureus 2. Mach. ult. à Jeremia Judæ per viſum donatus, ad *dejiciendos adverſarios populi Iſraël*, quem etiam *Sanctum & munus à Deo* nominat Propheta, quæ omnia Scripturæ exactè conveniunt: nam *Dei* ſingulare *munus* eſt, & *Sancta* ab Auctore, à rebus, à fine; & *Aurea* ob pretium, quo à Patribus merita eſt vocari *Theſaurus Fidelium*; denique ad eumdem uſum datur, ut *dejiciantur adverſarii* Iſraëlitarum, id eſt à Chriſti generoſo milite omnes Infidelium acies, plumbeis argumentorum mucronibus armatæ, diſſipentur.

VI. Et arcus, ac ſagittæ.

Si ſagittarius eſſe mavis, quàm gladiator, ſubminiſtrabit tibi Scriptura & arcum, & pharetram. Iſaias cap. 42. v. 2. de Chriſto vaticinans, *Dabit*, inquit, *Deus quaſi pulverem gladio ejus, & ſicut ſtipulam vento raptam arcui ejus.* Ubi Liranus per gladium quo pugnatur cominus, intelligi putat doctrinam voce traditam; per arcum, quo eminus hoſtis petitur, doctrinam ſcriptam. Numquid idem innuebat Jacob, cum Joſepho, ſapientiſſimo, ac cariſſimo filio, *ſemper accreſcenti, Pſontomphanecho, ſive arcanorum Revelatori*, dabat extra fratres ſuos partem, quam tulerat *in gladio & arcu ſuo*? Luctator enim noſter Chriſtus, per quem ſupplantatus eſt major natu Eſaü, id eſt hirta & venatrix bonorum temporalium Synagoga, Doctrinam cæleſtem, voce & ſcripto per Prophetas ſuos, & Evangeliſtas traditam, dedit Eccleſiæ Patribus ac Doctoribus, ad quos pertinet *interpretatio ſermonum*, velut hæreditario jure poſſidendam, & ad nos poſteros ſuos tranſmittendam. Eodem ſpectat illud 4. Reg. c. 13. ubi Samariæ Rex Joas ab Eliſæo jubetur arcu contento Syriam versùs jaculari, qui ſi ſæpiùs ac conſtantiùs

jaculatus

Digitized by Google

jaculatus fuiſſet, *Percuſſiſſet*, inquit Propheta, *Syriam uſque ad conſumptionem.* Ut intelligas, ſi conſtanter Catholici diſputatores arcu & ſagittis Scripturæ adversùs Fidei hoſtes utantur; ad exterminandam Infidelitatem, & Hæreticorum acies ad internecionem delendas, nihil eſſe potentius.

Quibus uſus Chriſtus.

Certè moderator ipſe noſter Chriſtus ſagittatorem agit apud Pſalmiſtam *Pſal.* 44. *Sagittæ tuæ acutæ*, &c. Quem locum ſic expendit Tertull. lib. adversùs Judæos: *Sagittæ tuæ*, inquit, *acutæ; per volantia utique Dei præcepta: minantes traductionem uniuſcujuſque cordis; compungentes & tranſfigentes conſcientiam quamque: populi ſub te cadent, utique adorantes: ſic bellipotens, ſic armiger Chriſtus eſt; ſic accipiet ſpolia, non ſolius Samariæ, verùm & omnium gentium.* Et nos exemplo Ducis *per volantia Dei præcepta*, per divina oracula, arcu Scripturæ vibrata, fœlices ſagittarii accipiemus ſpolia non Samariæ ſolùm, id eſt miſeræ Hæreſeos, ab Eccleſia & viſione pácis, adoratione vituli, id eſt ſpiritûs privati, ſeparatæ, ſed etiam omnium Gentium Infidelium.

VII.
Etiam Funda.

Fundarum uſus apud profanos auctores celebratus, etiam in ſacris Literis non ignobili loco eſt. Fundibulariorum mentio fit tum alibi, tum 1. Mach. 9. ubi *fundibularii & ſagittarii* præeunt exercitum. In libro Judicum cap. 20. Benjaminitæ funditores mirè à jaculandi ſcientia commendantur. Nihil ad ejus artis laudem illuſtrius, quàm Davidis cum Goliatho certamen 1. Reg. 17. ille enim *elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente*, cumque ad pugnam ventum eſt, *tulit unum lapidem, & fundâ iecit, & circumducens percuſſit Philiſtæum in fronte.* Auguſtinus in titulum Pſalmi 143. de hac victoria pro epinicio ſcripti, per lapides electos quinque, quinque libros Legis legendos interpretatur, per unum qui miſſus eſt, librorum iſtorum concordiam, quæ ex pluribus unum facit: *Quinque*, inquit, *lapides poſuit, unum miſit: libri quinque lecti ſunt, ſed unitas vicit.* Auguſtinum ſecutus Caſſiodorus in eumdem Pſalmum, quinque libros Legis iſtis lapidibus ſignificari ait; quia limpidiſſimi lapides fuêre, *Lex Domini eſt immaculata*; lapide percuſſus Philiſtæus, Legis verbis Dæmon dejicitur. D. Bern. ſerm. de David & Golia iiſdem quinque lapidibus aptat ea quinque verba, de quibus Apoſtolus 1.Cor.14. *In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui*, ut & alios inſtruam, *quàm decem millia verborum in lingua.* . Convenientiam lapidum iſtorum cum Verbis divinis, vide apud Bernardum, vel ipſe potiùs excogita, nam facilè poteris. Hoc tantùm noto, longè plus prodeſſe contra quævis vitia, præſertim Infidelitatis, *quinque verba in ſenſu* Apoſtolico, quàm *decem millia verborum in lingua*, volubili dictione, & tinnulis, ut initio dicebamus, conceptibus.

VIII.
Et arietes, ac baliſtæ.

Turris Babel à Nemrod robuſto venatore, & aliis rebellibus lumini ædificata, præclara eſt, ex multorum ſententia, Hæreſis figura. Ante illam *terra erat labii unius, & ſermonum eorumdem*, ante Hæreſin Chriſtiani labio electo, & humero uno, Domino ſerviebant. At poſtquam ſuperbi Hæreſiarchæ facere ſibi nomen voluerunt, & minitantes cælo moles exſtruere, confudit Dominus linguas eorum, ut alter alterum non intelligat, pugnantibus mira confuſione diſſonis verbis ac diſcordibus ſententiis. Turrim aliam arcémve invenio Hieroſolymis, à Jebuſæis inſeſſam, à claudis ac cæcis per ludibrium defenſam, à Davide demum occupatam, quâ nobis aptè Hæreſis deſcribitur, infeſta ſanctæ Hieroſolymorum civitati, id eſt Eccleſiæ; & à claudis ac cæcis propugnata, quos interpretor Hæreticos, fidei cæcos, moribus claudicantes. In hiſtoria noſtra Machabæorum mentio fit multarum ab illis captarum turrium, ad quas alienigenæ Judæorum hoſtes refugerunt, junctis apoſtatis religionis deſertoribus, ac patriæ proditoribus. Fit item mentio arcis Hieroſolymitanæ, à perfidis Judæis & Syris præſidiariis inſeſſæ, ac Templo vehementer infeſtæ, quæ denique vênit cum cæteris in poteſtatem Judæorum. His turribus varia Infidelitatis genera adumbrari exiſtimo; nominatim arce Hieroſolymitana ſummopere infeſtam Templo, id eſt Eccleſiæ, & muniis ſacerdotalibus, ſectam Calviniſtarum, arcem hodiernæ Hæreſeos, quæ in ipſis fermè Europæ viſceribus exſtructa eſt.

Deturbandis Hæreticorum turribus.

Ut has omnes Catholica Eccleſia, depulſis hoſtibus, in poteſtatem redigat, non aliis meliùs machinis & arietibus utitur, quàm tubarum ſacerdotalium clangore, oracula divina ſonantium, ad ſubruendos aggeres & muros Jerichuntinos. Si baliſtas præterea ad oppugnandum adhibere voluerit, eaſdem in Scriptura inveniet. *Viſa eſt*, inquit Joannes Apoc. 11. *Arca Teſtamenti eius in Templo eius: & facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.* Cùm enim *in Templo Dei*, ſeu Eccleſia, *Arca Teſtamenti*, id eſt Scriptura reſeratur, ſimul fragor, fulgor, impetus excuſſarum tormentis pilarum mentes adverſariorum exterrent, & vel obſtinatiſſimos Hæreſeon propugnatores cogunt ad deditionem. Hi ſunt *lapides grandinis*, quos Deus in adverſarios plebis ſuæ depluit, hæ baliſtæ petrariæ, & tormenta tonantia.

Sed

IX. *Item ſcuta.* Sed quoniam Hæreticorum multis tam perfricta frons eſt, & tam projecta audacia, ut non ſuſtinere tantùm Catholicorum impetum, verùm etiam ultro interdum inferre audeant; quò propugnare ſimul & impugnare poſſis, Scriptura tibi erit pro ſcuto impenetrabili. Quod nobis à Spiritu Sancto demonſtratum arbitror, *per mille clypeos pendentes dr turri David, ædificata cum propugnaculis* Cant. 4. ſeu ut legunt 70. *ædificata in thalpioth*, id eſt *ſcientiis*: per clypeos aureos à Salomone in templo repoſitos: per ſcutula aurea, quibus Judas Machabæus ornavit faciem Templi, adjunctis coronis aureis, quia Scriptura ſacra defendit ſimul, & ornat, & coronat benè utentem Eccleſiam. Clariſſimè Sapiens Prov. 3. *Omnis ſermo Dñi ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe*: cujus uſum Salvinæ commendat Hieronymus ep. 9. *Semper in manibus tuis ſit divina lectio, & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum ſagittæ, quibus adoleſcentia percuti ſolet, hujuſmodi clypeo repellantur.* Ambroſius præfatione in Pſalmos, eos vocat; *nocturna arma, diurna magiſteria; ſcutum in timore, feſtum in ſanctuario.* Meliùs eum *ſcuti* titulum generatim toti Scripturæ tribuit Conſtantinus Magnus oratione ad Sanctum Cœtum, dicens rerum divinarum cognitioni ineſſe οὐ μετρίαν ἀσπίδα, *clypeum non imbellem.* Eâ parmâ telis hoſtis antiqui quaquaverſum objectâ, ejus artes & vires dexterrimè Imperator noſter Chriſtus eluſit. Quare Burgenſis in illa verba, *Scuto circumdabit te veritas eius* Pſ. 90. *Cùm*, inquit, *adverſarius tentando circumiret per diverſa vitia, Chriſtus ſe circumdedit ſcuto veritatis. Quamlibet enim tentationem contra eum commiſſam evacuavit per auctoritatem ſacræ Scripturæ, quæ eſt veritas divina.*

Et galea. Si præter clypeum deſideras & galeam; hujus quoque uſum tibi præbebit Scriptura. Quomodò enim caſſis capitis tegumentum eſt, ita Scriptura fidei, quam capitis nomine indigetat Auguſtinus: cùm dicit prudentes fore nos ex Chriſti conſilio inſtar ſerpentium, ſi quemadmodùm hi capiti tuendo cætera membra objiciunt, ita nos quodlibet potiùs eripi nobis patiamur, quàm fidem in Chriſtum amittamus.

X. *Denique turris munitiſſima.* Denique in eadem Scriptura reperies propugnaculum, quò te recipias, ad eludendos inſequentium hoſtium incurſus. Inſtar eſt munitionum, quas Machabæus noſter Templo, id eſt Eccleſiæ, circumdedit, ad frangendos hoſtium ex arce conatus. Jam audîſti deſcriptam in *turri Davidis*, non armis inſtructa ſolùm, ſed etiam *cum propugnaculis ædificata.* Baſilius in cap. 16. Iſaiæ profanas ſcientias appellat murum teſtaceum; ſacra autem doctrina dici poteſt *Murus litus*, ſuper quem ſtat Dominus, *Amos* 7. ſeu ut Symm. Aquila, & 70. vertunt, *Murus adamantinus.* Chryſ. certè lib. 4. de Sacerd. Sancti Paulli epiſtolas vocat τεῖχος ἐξ ἀδάμαντος murum ex adamante, quo omnis Eccleſia circumvallatur. Idem de cæteris Scripturæ partibus dixeris, omnes enim ſunt æquè inexpugnabilis veritatis.

Et murus firmiſſimus. Ammonitæ Judæis murum Hieroſolymitanum reſtaurantibus inſultantes, 2. Eſd. 4. dicebant: *ſi aſcenderit vulpes, tranſiliet*, Hebr. *diſſipabit, murum eorum lapideum.* Sed fruſtra iſta jactavêre; ſtetêre invitis ac frendentibus hoſtibus muri civitatis Dei. Stabit Scripturæ pro Eccleſia lapideus ex adamante murus, quantumvis per ludibrium vulpes hæreticæ tranſilire eum, vel diſſipare poſſe, cæcis invidiâ hoſtibus videantur. Contrà autem, etſi ferreis muris munitam ſe putet errantium ſynagoga, eos quaſi fictiles frangent, quaſi papyraceos perrumpent generoſi Chriſti milites, ejus verbis animati, & quomodò illi 2. Machabæorum 11. etiam *parati muros ferreos penetrare.*

XI. *Tria Infidelitatis genera ex Machabæorũ libris oppugnantur.* Tres ſunt hodie adverſariorum Eccleſiæ, Catholicis permiſtorum, acies. Prima ſemi-Atheorum: altera Politicorum: tertia Hæreticorum. Adverſùs ſemi-Atheos, abortiva non Eccleſiæ, ſed naturæ monſtra, homines nihil fermè niſi ſenſibus credentes, ut de reliqua Scriptura taceam, habebis ex Libris Machabæorum, quæ afferas pro animorum immortalitate, & pro Angelorum natura, & cura de rebus infimis, juſſu Providentiæ Divinæ. Etſi enim auctoritatem divinam non agnoſcant in Scriptura: tribuent ſaltem tantum fidei, ſi aliquid ſapiunt, Hagiographo, quantum profano hiſtorico. Qui ſi res ejuſmodi clara luce viſas, parum à temporibus ſuis remotas, nullo mendacii fructu, narraret, prudens lector prudenti ſcriptori fidem adhibendam eſſe cenſeret: imprudentis ergo & pervicacis ingenii erit, non credere, humana ſaltem fide, quæ de Angelis, &c. narrantur. Politici, quibus præ Statu, ut loquimur, nihil penſi eſt, apud quos Reipublicæ ancillatur Religio, habebunt unde diſcant in Politicorum Jaſonis, Menelai, Alcimi, Antiochorum, aliorumque infælici vita, exitu miſeriore, Providentiam Divinam adorandam, ejuſque cultum primo loco habendum, ſi reſpublicas ſtabiles eſſe voluerint. Hæreticorum errores unde redarguas hiſce libris, ſuprà monui ſect. 3. numero 6. & in Commentariis docebo fuſiùs.

SECTIO SEXTA.

Eorumdem Librorum utilitas pro pulpitis.

I. Materia Hortatoriarum ex libris Machabæorum.

PRÆTER diſputationes & doctrinam de fide, duo ex pulpitis ad concionem Orationum ſacrarum genera ab Eccleſiaſte haberi poſſunt, Hortatoriæ, Panegyricæ; quibus illuſtrandis amplam materiam libri Machabæorum ſubminiſtrabunt. Paſſim enim proponunt inſignia vitioſorum hominum exempla, qui ſuppliciis ſuis monuêre, quàm timenda ſit juſti judicis manus. Invenies ſacrilegos, ambitioſos, inceſtos, injuſtos, raptores, ebrioſos, quorum errores & pœnæ documenta ſint poſterorum. Miſta ſunt vitiis egregia facinora, virtuteſque præclarorum Heroüm eximiæ, unde ad legum Chriſtianarum obſervantiam, contemptum terrenorum ac vitæ, ſpem futurorum, de Providentia Divina fiduciam, aliaſque populares & Heroïcas virtutes Auditor efficaciſſimè moveri poſſit; atque inde retrahi, hinc trahi.

Hæretici è libris Machab. concionati.

Valentianis, qua in urbe nunc admodùm pia & Catholica Eccleſiaſtem agens hæc ſcribere incipiebam, hæreticorum olim anteſignani de cathedra peſtilentiæ, non aliunde vehementiùs, ad ſubeunda quælibet diſcrimina, & ferenda pertinaciter incommoda, rebelles Geuſios animavêre, quàm petitis ex hiſtoria Machabæorum exemplis. Apud illos valuêre, qui hanc hiſtoriam pro ſacra cæci non agnoſcunt: quanti ergo ponderis erunt apud illos, qui ea accipient, non ut narrata verbis hominum, ſed, ut verè ſunt, verbis Dei? Tertull. in Scorpiaco notat, ab Aarone, vitulum, ex plebis inconditè tumultuantis voto, conflare parante, poſtulatas in eum finem inaures fœminarum: quo facto putat præſignificatum, fore ut Judæi, obſtinata gens, & Deo rebellis, *aurium ſuarum ornamenta*, id eſt verbum Dei, amitterent, legitimo ejus uſu, atque interpretatione ad Chriſtianos tranſeunte.

Spiritus privatus Calvini eſt Vitulus aureus

Verba ejus Doctoris ſunt: *Urgetur Aaron: & jubet inaures fœminarum ſuarum in ignem conferri. Amiſſuri enim erant in judicium ſibi vera ornamenta aurium, Dei voces.* Pari modo de Hæreticis dicere poſſim: quia vitulum aureum, id eſt judicium ſeu ſpiritum privatum, quem ipſi ut aureum magni faciunt, at revera vitulus eſt, caſſum, inane, mutum idolum, ac ſtupidi animalis ſimulacrum, & quidem ſtylo formatum *γραφίδι*, ut 70. habent, Exo. 32. v. 4. Quia igitur vitulum iſtum adoravêre, ademptas ipſis inaures, hoc eſt, nec germanam Scripturam, neque ejus ſenſum apud ipſos manſiſſe. Gen. 24. Rebeccæ offeruntur ab Eliezere inaures & armillæ, gemina aurium & manuum ornamenta. Eccleſiæ, ſponſi nomine, datur verbi divini auditus, & ex auditu recta operatio: benè enim diſcere & benè agere ſolorum Catholicorum eſt.

II. Item Panegyricarum.

Si ab inſequendis vitiis, & ſuadenda virtute, ad floridam Panegyricorum tractationem divertere volueris, memento hiſtoriam Machabæorum, non ſolùm Armamentarium eſſe, ſed etiam Paradiſum Terreſtrem, & in illa cum armorum horrore junctam florum amœnitatem, neque in hoc genere aliis Scripturæ partibus diſconvenire. Exempli cauſâ, ſi ad Sancti Sanctorum Chriſti Salvatoris noſtri laudes digredi cupies, habebis luculentas ejus figuras in rebus à Juda, & per ejus fratres geſtis, quas ſuis locis indicabimus.

Libri Regũ Prophetia de Chriſto Rege.

Rupertus lib. de vict. Verbi cap. 18. cùm dixiſſet Scripturam intelligendam nomine libri bellorum Domini, de quo mentio fit Num. 21. hanc dicti ſui rationem affert: *Quid enim aliud continetur, vel agitur in Scripturis ſacris, niſi bellum & certamen Verbi Dei, ad deſtructionem peccati & mortis?* Id multò meliùs, opinor, de hiſtoria Machabæorum privatim dixero, eſſe *librum bellorum Domini*, typicam deſcriptionem certaminum Chriſti adversùs hoſtes humani generis. Aug. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 24. totum Iſraëlitarum regnum, ac Reges omnes, propheticam quamdam animatam de Chriſti regno fuiſſe opinatur: *Dico*, inquit, *illorum hominum non tantùm linguam, ſed etiam vitam fuiſſe propheticam, totúmque illud regnum gentis Hebræorum, magnum quemdam, quia & magni cujuſdam, fuiſſe Prophetam.* Vide eumdem lib. 1. de conſ. Evangeliſtarum cap. 11. Quam Aug. ſententiam ſequitur Bonaventura in princ. ſacræ Scripturæ: *Liber*, inquit, *Regum illum ſignificat, in cujus femore ſcriptum eſt, Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Libri Machabæorũ Prophetia de Chriſto bellatore.

Simili modo dicamus, res geſtas Machabæorum ejus fuiſſe prænuntias, cui nomen à Propheta inditum fuerat, *Accelera ſpolia detrahere feſtina prædari:* hiſtoriamque in horum librorum fronte prætendi; propheticam autem, ſi benè attendas, latêre in receſſu. Eruemus poſtmodùm, quà licebit, iſta myſteria, ad laudem Chriſti, Sanctiſſimæ Matris, & variorum Sanctorum, cùm occaſio feret.

Antequam

III. *Sacræ eloquentiæ corruptio.*

Antequam progrediamur, cùm de popularibus ſermonibus mentio inciderit, non poſſum, quin deplorem corruptam apud multos ſacræ eloquentiæ formã, longè à priſca illa, non Apoſtolorum dico, ſed Patrum, ſed ſapientium Doctorum degenerem: quæ profectò apud rectè ſentientes, non leve argumentum eſt corruptorum morum, imò & adjumentum corrumpendorum. Sic olim poſtquam Reſpublica Romana fælicitate nimia ſanitatem amiſit, animadverſum eſt, ſimul fractas germanæ eloquentiæ vires, & cum labe morum, etiam virilem orationis habitum mutâſſe.

Corrupta oratione corrupti mores.

Verba Senecæ hæc ſunt ep. 114. ad Lucilium: *Ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque à recto deſciviſſe non erit dubium. Quomodò conviviorum luxuria, quomodò veſtium, ægræ civitatis indicia ſunt: ſic orationis licentia, ſi modò frequens eſt, oſtendit animos quoque à quibus verba exeunt, procidiſſe. Mirari quidem non debes corrupta excipi, non tantùm à corona ſordidiore, ſed ab hac quoque turba cultiore: togis enim iſti inter ſe, non iudiciis diſtant.* Notavêre jampridem, qui de Politica civiliſve arte ſcripſerunt, inclinantium ad mutationem & ruentium regnorum, ac rerumpublicarum, non leve argumentum eſſe, ſi paſſim externæ veſtes ſumantur, & peregrinæ voces amentur præ patriis. Idem de morum Chriſtianorum inclinatione dixero. Si præ robuſto fortique majorum noſtrorum ſermone, argutulus, elumbiſque, & pictus placeat; vana proculdubio judicia eſſe, & affectus non ſanos, proſcriptamque virtutẽ, aut brevi exulaturam.

Formæ corruptorum ſermonum.

Dicebat Tert. lib. de Pallio, non aliter civitatum mores caſtigari poſſe, quàm gravi ac caſtigata oratione. *Has*, inquit, *purulentias civitatis quis eliciet, & exvaporabit, niſi ſermo palliatus?* Eámne, uos gravem, ac palliatam, id eſt Chriſtianam orationem cenſebimus, quæ tota in congerendis minutis aculeis, & ſubtilitate ſua oculos fugientibus, tactum fallentibus, conteritur? Eámne, quæ omnem ferme auctoritatem à profanis neſcio quibus, aut ſemiprofanis atque apocryphis mutuatur, neglecta Scripturæ majeſtate? Eámne, quæ cultu fæmineo ornata, & de pyxide tota, horret pallii ſeveritatem? Eæ ſunt tres hodiernæ corruptorum ſermonum formæ, quas utinam de templorum pulpitis ad nundinaritias cathedras ablegare poſſimus. Sunt & aliæ, quas nõ tango, quia nemo pauxillum ſapiens non damnet, ludionum non concionatorum, hiſtrioniã facientium, cauponantium verbum Dei. Has ſolùm perſequor, quas à nimis multis probari dolendũ eſt, magno auditorum, magno morum publicorum, maximo Eccleſiæ, & gloriæ Divinæ detrimento. Ego quidem idoneum me non exiſtimo, qui ſacris Orationibus præcepta obtrudam, aut errores alienos corrigam, ipſe meis plus ſatis occupatus: non tamẽ ita mihi aures aut oculos occludere poſſum, ut quædam non incurrant, quæ diſſimulare difficile eſt. Itaque, ut de ſe Hilarius lib. 7. de Trin. *Quæ loqui non audemus, ſilere non poſſumus.*

IV. *Fugienda minutulorum conceptuum congeries.*

Certum eſt nullam magis lectionem ſacro Eccleſiaſtæ neceſſariam, quàm Scripturæ: qui eâ inſtructus non eſt, ſine ſumma temeritate cathedram conſcendere non poteſt, niſi extra ordinem à Deo jubeatur. Hac de re multa à variis congeruntur: præſertim, apud Salm. Tom. 1. pluribus Tract. Mend. Ann. 2. Proœm. ſect. 4. à n. 52. Creſſ. lib. 3. cap. 17. Eò etiã referri poteſt, quod Gregorius notat Moralium in Job lib. 8. c. 22. agens de Baldad Suite: quatuor eſſe genera loquentium; qui copioſè ſentiant, & loquantur; qui ſentiendi ſimul, & loquendi inopiâ laborent; qui ſentiendi acumen non habeant, ſed copiam dicendi; qui inopes ſint verborum, ſenſu abundent. Primum genus eſſe laudandum, ſecundum miſerandum, quartum adjuvandum, tertium deſpiciendum & reprimendum.

Sciendæ Scripturæ neceſſitas.

Unum hîc ſufficiat pro omnibus. Eccleſiaſtæ munus eſt, verbum Dei, non ſuum, prædicare: *O Timothee depoſitum cuſtodi*, inquit Paullus: hoc eſt, Vincentio Lirinenſi, *Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubjicias: nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed naturam planè.* Quomodò autem verbum Dei prædicabit, qui vel non legerit, vel non intellexerit? Qui vero ac germano Scripturæ ſenſui, ſeu quem hiſtoricum nominamus, ſeu quem myſticum, non ſtudeat? Qui nil ferme de Scriptura conquirat, niſi inuſitatum & inexſpectatum; eoque arripiat avidiùs, quò contortius eſt, & longiùs arceſſitum? Qui alias ex aliis conceptiunculas accumulet & inferciat, non aliunde ſuffultas, quàm malè intellectâ, & ad ſenſum alienum coactè inflexâ, Patris alicujus ſententiâ, eò gratioris, quò minùs noti, quaſi ad auctoritatẽ novitas valeat? Quæſo, quid iſtis logis colligitur præter inanem plauſum? Inanem, inquam, quia non tantùm ſine ſolido fructu, ſed quia ſine judicio.

Quantum Concionatorum munus.

Ingeramus ejuſmodi Oratoribus, de vento, ut mulæ, neſcio quæ fabuloſæ concipientibus, verba Senecæ ep. 85. *Non te pudet in aciem deſcendere pro Diis, hominibúſque ſuſceptam ſubulâ armatum?* Inculcetur & ipſis epiſtola 82. tota: & hæc ex epiſt. 75. *Quid aures meas ſcalpis? Quid oblectas? aliud agitur: urendus, ſecandus, abſtinendus ſum. Ad hæc adhibitus es. Curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Tantum negotii habes, quantum in peſtilentia medicus: circa verba occupatus es?* aut, quod verbis proximum eſt,

circa

circa tinnulas & evanidas conceptiunculas? In amphitheatrum deſcendiſti, cum feris cō-miſſus es; in vitia plebis, undique incurrentia, tibi pugnandum eſt, & tu leones, urſos, pardales aciculâ excipis? Altè mihi morbus ſedit, tentanda ſunt viſcera: tu cutim extimā perſtringis? Tu ſcabiem perfricas? Secanda ulcera ſunt, exprimenda ſanies intus latens; Tu cutem pungis? Tu acumen ingeris ipſa ſua ſubtilitate retundendum? Age, Dei mihi oracula ingemina, rationibus inſta, experientiâ urge, vix etiā à me quidquam iſtis tam fortibus impetrabis. Quid autē ſi inanibus tantū crepitaculis obſtrepas? Ridet Seneca in proœmio lib. 9. Crontrov. neque immeritò, declamatores ætatis ſuæ, qui lenocinia tantùm conquirere ſoliti, argumentationes fortes refugiebant, & alia plùs virium minùs floris habentia: ***Quia***, inquit, ***cupiunt ſe approbare, non cauſſam.*** In Oratore Chriſtiano non ridendum fuerit modò, ſed & pudendum, ſi otioſi inſtar & vani declamatoris, malit ſe inutilibus logis commendare ad maleſanam plebem; quàm animarum, & Dei ipſius cauſſam agere.

Proximum huic genus eorum eſt, qui ex profanis auctoribus ſententias, hiſtoriolas, emblemata, ſymbola aggerunt, ut Verbum Dei in iſto aggere penitùs lateat. Scio ab Iſraëlitis vaſa Ægyptiaca verſa in uſus ſuos: quemadmodùm eleganter notat, & extendit Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 40. Scio Davidem Goliathi enſe, Judam Apollonii uſos. Scio Jonatham Judæ fratrem à Nabuthæis Arabibus apparatum bellicum commodato accepiſſe. Scio Judæos, ſub Machabæorum principatu, cum Spartiatis & Romanis amicitiam, & ſocietatem armorum coluiſſe. Scio eoſdem Syrorum aliorumque Infidelium ſpolia cepiſſe, iis militem inſtruxiſſe, domos ditâſſe, templum ipſum, cùm inſtauraretur, ornâſſe. Scio eumdem in modum, ab Ethnicis, & profanis ſcriptoribus ſacrum Oratorem inſtrumenta, & arma, ad vitiorum expugnationem, utiliter poſſe mutuari; idcoque à Clemente Alexandr. iſtud literarum genus vocari eleganter, ***ſrprm Dominicæ vineæ***; Baſiliumque advertere, ***Solem aliquando in aqua ſpectari.*** Abſit itaque, ut damnare audeam, aut cogitem, Eccleſiaſten profanis interdum ſententiis utentem, cùm Apoſtolus ipſe commodo loco poëtarum ſententias aptare dedignatus non ſit, infimæ quamvis inter ſcriptores ſæcularium literarum auctoritatis. Eos incuſo, nec ferendos puto, qui in iſtis toti ſunt, qui magnam horæ partem, &, ut Aug. 6. de Muſica loquebatur, ***bona ingenia in nugis conterunt***, qui, ut in ſimili Seneca dixit lib. de brevit. vitæ, ***operoſè nihil agunt.***

V.
Vitanda nimia ſæcularium literarum oſtentatio.

Parcè utens laudabitur.

Ad iſtos aggrego, qui apocryphas hiſtorias, eruta ex araneoſis ſcriniolis exempla & miracula, ſine auctore, ſine teſte, vaticinia incertis oraculis arrepta, plebeculæ novorum avidæ occinunt: quibus commodè Jeremias totum caput ſuum 23. recitabit, monebitque, ut v. 28. ponderent verba iſta: ***quid paleis ad triticum, dicit Dominus***? Iiſdem inculcabit Spondanus Conſtitutionem Leonis X. vetantis vaticinia & leviculas narrationes populo venditari: ſed ex Scriptura & Patribus cauſſam Dei & animarū agi volentis, an. 1516. Idem auctor anno 1579. narrat: apud Moſchos ſacerdotibus injunctum, ut vice concionum ſcripta Patrum Græcorum, in Sclavonicam linguam traducta, populo prælegant: putatque id cautum potiſſimùm eſſe, ad præcidendas vanitatis ac novitatis occaſiones: quod, inquit, profectò ſatius eſſet uſurpari à Concionatoribus noſtris, quàm ut ſoli vanitati declamantes nec intelligantur, nec intelligant. ***Et tamen plerique pluris iſtam inaniloquam, quàm verbi Dri prædicationrm faciunt, ad aurrs, non ad animas dicentes.*** Quid ſi & huc reſpoxit Innocentius X. cum anno 1649. decrevit, ne Concionatores, in ſuis ad populum ſermonibus, laudent, aut citent, hodiernos, ſeu recentiores auctores, præſertim adhuc viventes?

Apocryphæ hiſtoriæ, miracula, &c.

Tertio loco reprehendendi ſunt, qui nimiâ verborum curâ vim rerum ac ſententiarum præfocant, cùm tamen teſte Hilario 4. de Trin. *Non ſermoni res, ſed rei ſit ſermo ſubiectus*: aut quomodò Albutius apud Senecam dicebat in proœmio lib. 7. Controv: ***Cùm res animū occupavêre, verba ambiunt.*** Hinc Auguſtini præceptum eſt, 4. de doctr. Chriſt. cap. 28: ***Nec Doctor verbis ſerviat, ſed verba Doctori.*** In iſtiuſmodi mancipia verborum, & ſervos politularum periodorum acerrimè declamat Salm. Tom. 8. tract. 5. In eoſdem invehens Seneca ep. 115: ***Cuiuſcumque***, inquit, ***orationem videris ſolicitam & politam, ſcito animum quoque non minùs eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſiùs loquitur, & ſecuriùs: quæcumque dicit plus habent fiduciæ, quàm curæ. Nôſti complures juvenes barba & coma nitidos, de capſula totos? Nihil ab illis ſperaveris forte, nihil ſolidum. Oratio vultus animi eſt: ſi circumtonſa, & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti.*** Offeret idem Seneca exempla Philoſophorum ætatis ſuæ, qui hortatorias ad mores Romæ in auditoriis habere ſoliti, non id quærebant, ut cum laude, ſed cum fructu dicerent; & mentes rerum ſolida gravitate, non aures crepera verborum volubilitate, paſcerent. Ita ep 108. fatetur ſe ab Attali hortatoriis multa in reliquam vitam benè facere didiciſſe. Ita ep. 52: ***Diſſerebat***, inquit, ***populo Fabianus, ſed audiebatur modeſtè. Erumpebat interdum magnus clamor laudantium: ſed quem magnitudo rerum evocaverat, non ſonus inoffenſa & molliter lapſa orationis.***

VI.
Cavenda denique nimis elaborata elocutio.

VII. *Elocutio à Patribus neglecta.*

Mavis exempla noſtrorum? Audi Ennodium de ſe dicentem in dict. pro dedic. Auditorii: *Quærite apud me non blanda, ſed neceſſaria; non delitioſa, ſed fortia. Numquid pompam iuvat texere, præcepta daturum?* Lege Patrum ſcripta; pleroſque invenies, qui ex induſtria abjecêre ſtylum, quod de ſe Aug. initio lib. 1. de Gen. cont. Man. profitetur: cujus etiam parum intereſt lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 10. & in Pſal. 138. *Oſſúmne* dicat an *Os*, & mavult ſolœciſmo aut barbariſmo peccare, quàm nō intelligi: qui Conſentio longâ ſcriptâ epiſtolâ, petit, *ut doctrinæ det operam, linguæ veniam*: qui etiam cùm elegantiùs loqueretur, ultro ignorantiam ſuam in re Grammatica profitetur ep. 151. ad Nebridium. Similem in modum Hieronymus lib. 12. in Ezech. ad cap. 40. *Non enim*, inquit, *curæ nobis eſt vitare ſermonum vitia, ſed Scripturæ ſanctæ obſcuritatem quibuſcumque verbis diſſerere.* Quid ſi jam te ad Apoſtolicam dictionem, ſi ad Chriſti ipſius elocutionem appellem, ſi ad omnem Scripturæ phraſim? Pudebit, opinor, curæ in verbis ſupervacuæ hominem, qui verbum Dei à ſe prædicari profitetur. Apud Arnobium lib. 1. con. Gen. paullò ante finem, objiciunt Ethnici, *trivialem & ſordidum eſſe ſermonē* Literarum noſtrarum, *barbariſmis, & ſolœciſmis obſitas eſſe res noſtras.* Reſpondet ipſe ſapienter: *Pueriles atque anguſti pectoris reprehenſionem eam eſſe; non ideò abities ex uſibus noſtris quædam fructuum genera, quòd cum ſpinis naſcuntur, & purgamentis aliis: non ideò minùs verum eſſe, quod dicitur, ſi in numero peccetur, aut caſu, præpoſitione, participio, coniunctione, &c. Cùm de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſſe, non quali cum amœnitate dicatur.*

VIII. *Eloquentia, & elocutio diverſa ſunt.*

Nec mihi hîc objicias, è Patribus aliquos eleganter locutos, quales ferè ſunt antiquiores Græci: imò & aliquos è Prophetis ab eloquii elegantia & majeſtate commendari. Non enim hîc elegantiam damno, ſed elegantiæ affectationem: non eloquentiam rejicio, ſed oſtentationem eloquentiæ. Si lingua tibi eſt nitida, ſi perfecta elocutio, ſi facundia victrix, utere, impende, quis vetet? Quis talentū defodi in terram ſuadeat, more pigri negotiatoris? Sed ſic utere, ut nihil ſit fucatum, nihil arceſſitum, nihil exquiſitum, omnia ex pleno & nativè fluentia. Sic utere, ut ſi publicè ſimplicior eloquendi forma utilior ſit, ad captum plebis te accommodes; memineriſque præcepti à Proſp. traditi lib. 1. de vi. Cont. cap. 23. *Tam ſimplex & apertus, etſi minùs Latinus, debet eſſe ſermo Pontificis, ut ab intelligentia ſui nullos quamvis imperitos excludat. Fac*, eodem Proſp. monente cap. 24. *ut inter te & declamatorem aliquid interſit. Illi rebus inanibus pretioſa verborum induunt ornamenta: iſti veracibus ſententiis ornant, & commendant verba ſimplicia.* Lege, obſecro te, libros S. Auguſtini de Doctr. Chriſt. quartum præſertim, ſapientiſſimis ac ſolidiſſimis ad Oratores & Doctores Chriſtianos præceptis refertum.

Verba rem ſequantur.

Utinam legant, intelligant, ſequantur, quicumque dicendi ad populum munus profitentur! Tot certè vitioſas eloquentiæ ſacræ formas, cum magno Chriſtianæ rei detrimēto non deploraremus. Nota igitur apud Aug. lib. 4. quàm verè aſſerat, & clarè probet, in ſacris Scripturis, non germanam ſolùm ſapientiam, ſed & veram eloquentiam contineri. Expende iſtud monitum c. 6. *Verba, quibus dicuntur* (res ſacræ ad populum) *non à dicente adhibita, ſed ipſis rebus ſponte ſubiuncta videantur: quaſi ſapientiam de domo ſua, id eſt pectore ſapientis, procedere intelligas, & tamquam inſeparabilem famulam, etiam non vocatam, ſequi eloquentiam.* Adverte & hæc cap. 11. *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt; quandò nihil quærimus, niſi patêre quod clauſum eſt?* Pondera & iſta cap. 20. ubi agit de grandi dicendi genere ad flectendum adhibendo: *Verba congruentia non oris eligantur induſtriâ, ſed pectoris ſequantur ardorem*: tum ſubdit ſimile, ab eo ductum, qui aurato utatur gladio in pugna, hoſtemque lædat illo, non quia auratus, ſed quia gladius eſt, *non quia ſpecioſa, ſed quia arma ſunt.*

IX. *Spectandus dicendi finis.*

En tibi, Lector, notatas tres vulgarium errorum formas, in eloquentia ſacra publicè admodùm noxias, variiſque locis ſparſas, prout corrupti mores eloquentiam vitiant. Non me tamen tam putabis auſterum, ut vel conceptus aliquos argutos numquam afferri, vel profana aut apocrypha penitùs abjici, vel cultûs rationem nullam haberi velim. Ultro fateor dandum aliquid auribus vulgi, ſed aliquid, non omnia. Cùm delectaveris, memento tibi inprimis propoſitum, ut proſis. Ita medicamentum melle tempera, ut vim non amittat; ita bellariis menſam inſtrue, ut ſolido cibo convivam non fraudes, ne famem fallas, non pellas. Sic fecêre illuſtria omnia nomina avorum, noſtraque memoriâ: ſic hodieque ſapientiſſimi Concionatorum, fruſtra trahente in oppoſitum vitioſa quorumdam conſuetudine. Utinam & ego tibi ad eam viam ineundam, ſi dicendis ſermonibus exemplo non fui, incitamento ſaltem, & adjumento ſcribendis hiſce Commentariis eſſe poſſim.

TOTIUS HISTORIÆ SERIES.

CONCINNANDAM ex libro utroque unam Hiſtoriæ ſeriem, & hoc loco præmittendam putavi, ut ſit Lectori vice Indicis, quo velut manuducatur ad reperienda quæ volet, imò & ad intelligendum rerum geſtarum ordinem; unde faciliùs varias, & inter ſe pugnantes in ſpeciem, libri prioris & poſterioris narrationes conciliabit. Confecerunt ante me ejuſmodi ſeriem omnes Annalium Veteris Teſtamenti ſcriptores, ſed mutilam in quibuſdam, adeoque in finem noſtrum non ſatis commodam. Accurarior eſt apud Serarium noſtrum, qui cùm in univerſam Machabæorum Hiſtoriam Commentarios continuos facere inſtituiſſet, ex utroque libro capitum ſegmenta compoſuit, & ex eis quaſi quamdam concordiam fecit, ſed in aliquibus aggeſtam nimis & confuſam. Diſtinctiùs digeſſerat Bonfrerius noſter, quem mors ante eripuit, quàm ultimam operi manum imponeret. Eorum ego exemplo hanc ſeriem confeci, quàm licuit ordinatiſſimè, ac breviſſimè: eoque fine in ſectiones illam ac numeros diſtribui, indicatis utriuſque libri locis. Temporum rationem ex prioris libri chronologia ad margines adſcripſi: additis ante Chriſtum annis ex Saliani chronologia, quia paſſim nota eſt, etſi forſan aberret biennio, ut indicabimus ad cap. 1. v. 11.

Ingreſſus in Hiſtoriam.

I. QUÆ habentur libro poſteriore cap. 2. à v. 20. ad finem capitis, de rebus Iudæ Machabæi ac Fratrum per Iaſonem Cyrenæum ſcriptis, & in compendium redigendis, ſunt præfationis inſtar in totam Hiſtoriam, ut ipſemet ſcriptor Hagiographus loquitur, ejus capitis verſu ultimo.

II. Initium Hiſtoriæ faciendum ab eis quæ de Alexandro Magno, ejus victoriis, Monarchiâ à Perſis ad Græcos traductâ, rum in aliquot regna diviſâ, lib. 1. cap. 1. decem primis verſibus narrantur. Hæc enim tam altè repetuntur ab Hagiographo, ut Lector ſciat, quæ origo ſit Seleucidarum, Aſiæ & Syriæ Regum, ad quorum atrocem in Iudæos tyrannidem deſcribendam aggreditur. Prodiêre illi à Seleuco Nicanore, uno è primariis Alexandri Ducibus: qui poſt duodecimum ab ejus morte annum Regium diadema ſumpſit, firmato ſibi, poſteriſque, in Aſia & Syria dominatu. Ab eo tempore cæpti Græcorum anni numerari.

Anno Græcorum 128. Ante Chriſtum 183.

I.I. Subnectendum totum libri 2. c. 3. ubi invitante Simone Benjaminita homine impio, Oniamque Pontificem & templi libertatem apud Apollonium criminante, à Rege Seleuco mittitur Heliodorus, expilaturus Templi ærarium. Horrebat ad immanis ſacrilegii metum tota civitas Hieroſolymitana, & in lamenta ac ſupplices ad Deum orationes effuſa, opem de Cælo poſcebat: cùm Regius emiſſarius, in ipſo facinoris apparatu, ab Angelis tam malè multatus eſt, ut à ſuis de templo elatus, haberetur pro depoſito. Reſtituitur tamen incolumitati per Pontificis Oniæ preces, ac demum ad Regem irrito conatu revertitur, divinæ in Templo Hieroſolymitano cuſtodiæ non vanus teſtis.

IV. Accuſatus apud Seleucum Onias Pontifex, de prohibito à Templi expilatione Heliodoro, & interverſa Regi neceſſaria pecunia, ad eum Antiochiam, ſe purgaturus, itemque Simonis & Apollonii molitionibus obviam iturus, proficiſcitur. lib. 2. c. 4. ſex primis verſibus.

Antiochi Epiphanis adversùs Judæos perſecutio.

Anno Græcorum 137. Ante Chriſtum 174.

V. OCCISO Seleuco, Antiochus Epiphanes ejus frater regnum invadit. Transfugæ & Apoſtatæ Iudæi ab eo impetrant poteſtatem, Græcanica inſtituta & mores Hieroſolymam invehendi. In iis Iaſon Oniæ frater, promiſſa Regi magna vi pecuniæ, fratrem de Pontificatu deturbat, eumque adeptus, gymnaſium & ephebiam, ad fœdiſſimæ libidinis illecebras, Hieroſolymis conſtituit. lib. 1. c. 1. à v. 11. uſque ad 17. & lib. 2. c. 4. à v. 7. uſque ad 13.

VI. Gliſcit Hieroſolymis ſuperſtitio paganica, Sacerdotibus ipſis deſerto templo ad certamina gymnica confluentibus, præeunte ad ſacrilegia Iaſone, qui eò denique venit inſaniæ, ut Regi, quinquennalem agonem Tyri celebranti, pecuniam ad Herculis ſacra ſubmiſerit: ea tamen in profanos uſus verſa eſt, ſatagentibus qui tulerant. lib. 2. cap. 4. à v. 13. uſque ad 21.

VII. Antiochus Epiphanes, Ptolemæorum Philometoris & Phiſconis avunculus, eorum matre ſorore ſua mortua, Ægypto per tutelæ ſpeciem inhians, mittit eò Apollonium: intellecto autem, ſe per Regni Ægyptiaci primores ab ejus adminiſtratione excludi, bellum cogitans Ioppen venit, tum Hieroſolymam, ubi ab Iaſone magnificè exceptus, in Phœnicen regreditur. lib. 2. cap. 4. v. 21. 22.

VIII. Coactis ingentibus tum terreſtribus tum navalibus copiis Antiochus in Ægyptum irrumpit, Ptolemæum cædit ac fugat, multasque civitates captas exſpoliat. lib. 1. cap. 1. v. 17. 18. 19. 20.

IX. Reverſo ab hac expeditione Antiocho Iaſon pecuniam ſubmittit per Menelaüm, qui ſibi ipſe Pontificatum mercatur à Rege, majorem pecuniæ ſummam pollicitus. Hac arte Iaſon in ordinem redactus, profugit ad Ammonitas. lib. 2. cap. 4. v. 23. 24. 25. 26.

X. Cum Menelaüs Soſtrato, arcis Hieroſolymitanæ & Regiorum vectigalium Præfecto, pecuniam Regi promiſſam non repræſentaret, Antiochiam cum Soſtrato evocatur, Sacerdotioque exuitur, ſuffecto in ejus locum fratre Lyſimacho. lib. 2. c. 4. v. 27. 28. 29.

XI. Profecto

XI. Profectò ad compeſcendos Tharſenſium & Mallotarum motus Antiocho, Menelaüs ſacrilega ſua furta ab Onia reprehendi non ferens, Andronicum, Antiochiæ per Regis abſentiam Præfectum, ad ejus necem impellit: quâ perfidè viro ſanctò inflictâ, commoti non Iudæi ſolùm, ſed & Gentiles, reum agunt Andronicum apud reducem Antiochum, & obtinent ut capitis damnetur. lib. 2. cap. 4. à v. 30. uſque ad 39.

XII. Lyſimachus ſuaſu Menelai multa ſacrilegia perpetrat, & à populo tamdem opprimitur: nequidquam armis ſe tueri conatus. lib. 2. cap. 4. v. 39. 40. 41. 42.

XIII. De his Menelaüs Tyri accuſatus apud Regem à ſenioribus Iudæorum, promiſſis corrupto Ptolemæo, & per hunc Regis animo, abſolvitur, imò accuſatores, velut falſæ criminationis rei, morte multantur: cujus ſententiæ iniquitas ne Tyrios quidem latuit. Aulicorum favor Menelaum priſtinæ dignitati reſtituit, in civium ſuorum perniciem. lib. 2. cap. 4. à v. 43. ad finem.

XIV. Antiochus Epiphanes alteram in Ægyptum expeditionem apparat lib. 2. cap. 5. v. 1. de ejus exitu Scriptura mentionem non facit: ex profanis hiſtoriis diſcimus, fruſtra fuiſſe, fractámque ſeverâ legati Romani auctoritate, temerariam ac perfidam Antiochi ambitionem.

XV. Interim Hieroſolymis in aëre diſcurrentes equitum turmæ, aurato habitu fulgentium, colliſæ inter ſe catervæ, armatorum congreſſiones, telorum jactus, motus ac ſplendor armorum, & cætera accenſi prælii ſigna, diebus quadraginta cum horrore ſpectantur. lib. 2. cap. 5. v. 2. 3. 4.

XVI. Falſo rumore ſparſo de morte Antiochi, Iaſon Hieroſolymam invadit cum magna civium cæde: ſed refugiente in arcem Menelao, cùm Principatum obtinere non poſſet, reverſus in Ammanitidem, quæritur ad necem ab Arabum Principe, & nullibi tutò conſiſtere ſinitur; tamdemque cogitur Lacedæmonem proficiſci, ubi moritur illamentatus & inſepultus. lib. 2. cap. 5. v. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

XVII. Antiochus ſecundam expeditionem deſerere, & ex Ægypto re intentata excedere coactus, bilem ſuam in Iudæos, quòd dubiæ erga ſe fidei eſſe arbitraretur, exonerat, Hieroſolymam vi captam cædibus implet, Templum diripit, ſacra & profana ſus deque vertit: relictis qui reliquos Iudæos atterant, Antiochiam prædâ gravis revertitur. lib. 1. cap. 1. v. 21. uſque ad 30. & lib. 2. c. 5. à v. 11. uſque ad 24. Anno Græcor. 143. Ante Chriſtum 168.

XVIII. Poſt biennium mittit Rex Hieroſolymam Apollonium tributorũ Præfectum, cum mandatis, ut omnes maturæ ætatis interficiat, immaturos ac mulieres vendat. Hic ſimulata pace Hieroſolymam ingreſſus, Sabbatho quodam quietos ac ſecuros cives adoritur, & promiſcua cæde ſternit, igni multas ædes abſumit, alias diſturbat, mœnia disjicit, ſpolia multa & captivos plurimos abducit. lib. 1. cap. 1. à v. 30. uſque ad 35. & lib. 2. cap. 5. v. 24. 25. 26. Anno Græc. 145. Ante Chriſtum 166.

XIX. Dum hæc geruntur, Iudas Machabæus, & pauci comites qui cum illo ſe furori tyrannorum ſubduxerant, vitam in deſertis & montibus agebant ferarum more. lib. 2. c. 5. v. ultim. niſi hanc Iudæ fugam malis eamdem eſſe, quæ narratur. lib. 1. cap. 2. v. 22. qua de infrà numero. 24.

XX. Syri arce in monte Sion extructa, & præſidio firmata, templum infeſtant, ac cædibus polluunt, unde Iudæi coguntur Hieroſolymâ excedere, & eam externis ac Gentilibus habitandam relinquere. lib. 1. à v. 35. uſque ad 43.

XXI. Antiochus edicto ſancit, ut ſubditi omnes ſui, eliminata ſectarum varietate, in unius religionis gentilitiæ certos ac ſtatos ritus conſpirent: Parent

populi Gentiles univerſi, iisque permiſti non pauci Iſraëlitæ. Defertur edictum in Iudæam à miniſtris regiis, in quibus erat ſenex quidam Antiochenus, qui Iudæos ad violandam ac deſerendam religionem minis, vi compelleret, ſacros Libros exureret, aras ac delubra paſſim erigeret, ſacerdotalia in Templo munia prohiberet, invecto etiam illuc Iovis Olympii ſimulacro. Iſto cum adminiſtris mandata regia ſtrenuè urgente, templum omni ſpurcitia fœdè contaminatur, Iudæi impiis ſacris adeſſe coguntur, idem furor ad Iudæos, qui in Gentilium civitatibus habitabant, porrigitur. lib.1. cap. 1. à v. 43. uſque ad 60. & libro 2. cap. 6. à v. 1. uſque ad 10.

Anno Græcorum eodem.

XXII. Cæduntur multi avitæ religionis retinentes: Libros ſacros ſervare, cibis vetitis veſci nolle, aliósve legis Iudaïcæ ritus ſacros habere, capitale eſt. Matres, quæ liberos circumcîdiſſe deprehenſæ ſunt, ipſis ad cervices ſuas appenſis circumductæ, ac demum de mænibus datæ in præceps. lib. 1. cap. 1. à v. 60. uſque ad finem. & libro 2. cap. 6. v. 9. 10.

Mathäthiæ Principatus.

XXIII. MATHATHIAS Sacerdos è præcipuis, qui cum liberis Hieroſolymâ in civitatem Modin conceſſerat, populi ſui calamitatem, innocentium cædes, Templi profanationem, religionis exitium acerbè deplorat. lib. 1. cap. 2. uſque ad v. 15.

XXIV. Regii miniſtri non Hieroſolymis ſolùm, ſed & totâ Iudæâ religionē conantur opprimere. In urbe Modin multi metu adacti regio edicto parent, & ad idololatriam prolabuntur. Mathathias cum filiis firmus perſtat, negatque ſe umquam eò impietatis adductum iri: Iudæum idolo ſacrificare parantem, & miniſtrum Regium, qui ad ſacrificia compellebat, confodit, aramque ſubvertit: cumque velut dato ſigno inclamaſſet, ut qui religionem ſalvam vellent ſe ſequerentur, deſerta domo & civitate, ad montem cum filiis ſe recipit. lib. 1. cap. 2. v. 15 uſque ad 29.

XXV. Iudæi quidā ſubducunt ſe cum ſuis Hieroſolymâ in vicinas ſolitudines, ut ſecurè in ſpeluncis Sabbathi diem agere poſſint; eos aſſecutus cum militum manu Philippus urbis Præfectus, invitatosque, ut ad evadendam mortem de ſpeluncis egreſſi Sabbathum violent, atque id facere recuſantes, nec repugnantes, flamma ac fumo enecat, non pauciores millenis. lib. 1. cap. 2. v. 29. uſque ad 39. & lib. 2. cap. 6. v. 11.

XXVI. Perferuntur hæc ad Mathathiam, & ſocios, qui deploratis fratrū funeribus, ne eorum exemplo omnes pereant, ſtatuunt deinceps, vim hoſtilem arcere diebus Sabbathi, neque id religioni ducendū eſſe. lib. 1. cap. 2. v. 39. 40. 41.

XXVII. Sub hoc tēpus accidit in Iudæa Eleazari ſenis nonagenarii illuſtre martyrium, qui perſuaderi ſibi non paſſus, ut vetitas carnes vel ſimularet ſe guſtaſſe, fuſtuario tamdem enectus eſt: cui narrationi præmittit ſacer Hiſtoricus ſapientiſſimam monitionem, de Dei in caſtigandis aliter amicis atque inimicis providentia. lib. 2. cap. 6. v. 12. ad finem.

XXVIII. Tunc etiā fratres ſeptē cum matre comprehenſi, & ad ipſum Regem Antiochum perducti, variè tentatâ conſtantiâ, omnes exquiſitis ſuppliciis conficiuntur, ſpectatrice, hortatrice, ac denique comite martyrii matre. lib. 2. cap. 7.

XXIX. Interim Mathathias acceſſione Iudæorū, avitæ religionis amantium, auctis copiis, & juſto exercitu coacto, deſertores religionis perſequitur, idolorum

idolorum aras evertit, cæremonias Iudaïcas reſtituit, Gentilibus paſſim fit formidabilis. lib. 1. cap. 2. v. 42. uſque ad 49.

XXX. In hunc modũ cœpta reſtitui re Iudaïca, Mathathias, ex morbo decumbens, præclara ſuis dat monita, præſertim ne impiorum fælicitate moveantur, & totam in Deo fiduciam collocent, mortuuſque in Modin ſepelitur. lib. 1. cap. 2. à v. 49. uſque ad finem. Anno Græcor. 146. Ante Chriſtum 165.

Judæ principatus.

XXXI. GENEROSI ſenis fortiſſimus filius IUDAS Machabæus, nulli Ducum aut Imperatorũ ſecundus, principatũ à morte patris ſuſcipit, & ſtatim collecto ſex millium exercitu, plurimos variis locis, partim Iudaïſmi deſertores, partim Gentiles, improviſus adoritur, & opprimit, magnumque ſibi facit ac celebre nomen. lib. 1. cap. 3. uſque ad v. 10. & lib. 2. cap. 8 uſque ad v. 8.

XXXII. Primum Iudæ juſtum prælium cum Apollonio fuit, quem numeroſo exercitu ſtipatum aggreſſus occidit, retulitque pro opimis ſpoliis ipſius enſem, quo deinde in præliis uſus eſt. lib. 1. cap. 3. v. 10. 11. 12.

XXXIII. Secutus cum Serone, avido gloriæ homine, congreſſus, atque inſignis victoria, proſtrato penitùs ejus exercitu, & reliquiis ad Philiſtæos fugâ ſe recipere compulſis. lib. 1. cap. 3. à v. 13. uſque ad 27.

XXXIV. Hac duplici clade exacerbatus Antiochus Epiphanes, ſtatuit totis viribus Iudæos aggredi: in eumque finem coactis copiis omnibus, ſtipendia in annum viritim diſtribuenda curat. Sed animadverſo, ærarium exhauſtum eſſe, veritusque ut ſumptibus neceſſariis par eſſe poſſet, ipſe cum magna exercitûs parte, Euphrate tranſmiſſo, ducit in Perſidem, & ſuperiores regiones, ad earum tributa colligenda, & coacervandam pecuniam, belli nervum: relicto interim ad tutelam regni ac filii, & ad vexandos Iudæos, Lyſia, cum altera copiarum parte. lib. 1. cap. 3. v. 23. uſque ad 38. Anno Græcor. 147. Ante Chriſtum 164.

XXXV. Lyſias bellum adversùs Iudæos gerendũ tribus ducibus demandat, Ptolemæo Dorymini filio Phœnicis ac Cœleſynæ Præfecto, Nicanori, & Gorgiæ: atque in id educi jubet è Syria ad provincias Iudææ vicinas quadraginta peditum millia, equitum ſeptem. Dum iſta parantur, Iudas ſtrenuè tempore uſus, rem ſuam ita per hoſtium abſentiam promovit, ut perculſus Philippus, arcis Regiæ Hieroſolymis Præfectus, ad Ptolemæum ſcripſerit, feſtinaret ſuppetias ferre, niſi res ſuas penitùs perditas vellet. Iubentur itaque Nicanor & Gorgias cum expeditis viginti millibus ſtatim in Iudæam proficiſci, retentis copiis cæteris ad ſupplementum. lib. 1. cap 3. v 38 39. & lib. 2 cap 8. v. 8. 9.

XXXVI. Vanus homo Nicanor, præceptâ animo certâ victoriæ ſpe, ratusq; ſe, ad ineundam Regis Antiochi gratiam, ipſi ex ſpoliis & mancipiis Iudaïcis magnam pecuniæ vim conficere poſſe, quâ uteretur ad dependendam duorum millium talentorum Romanis debitorum ſummam; mangones ex civitatibus maritimis ad emptionem, & velut ad nundinas, invitat. Hoc apparatu territi Iudæorum multi aliò alii profugiunt. At Iudas bonæ ſpei plenus, animatisque ſuis, ſeptem omnino militum millia ducit in Nicanorem, & cæſis millibus novem, fundit illum fugatque, impedimentis potitus, & in iis, paratâ ad mancipiorum Iudaïcorum emptionem pecuniâ. Fugientes diu perſequi non placuit, quia Sabbathum inſtabat, quod collectis hoſtilibus armis

ac ſpoliis læti tranſigunt, & exeunte Sabbatho, poſtridie partem in egentes diſtribuunt. lib. 2. à v. 10. uſque ad 30.

XXXVII. Paullò pòſt ſuppletis, ut par eſt credere, copiis, ac reparatis viribus, Nicanor, & Gorgias ad Emmaüntem caſtra locant, quò rurſus confluunt mercatores, inani ſpe emendorum mancipiorum. Iudas & ſocii mutuis hortationibus ad patriæ ac religionis defenſionem ſeſe animant: & quia ad Templum Hieroſolymis accedere non dabatur, in Maſpha, locum olim publicis orationibus & conventibus celebratum, ſe conferunt, ibique lugubri habitu opem ſupplices à Deo expoſtulant. Deò propitiato, ordinibus diſtributis, ac præmiſſis quæ Deus in ejuſmodi præliis ſervanda ſtatuerat, Iudas in hoſtem movet, pugnamque ſuis in poſterum diem edicit. lib. 1. cap. 3. v. 40. uſque ad finem.

XXXVIII. Iudas cognito Gorgiam cum parte exercitûs ad caſtra ſua noctu invadenda à Nicanore ſeſe disjunxiſſe, tempus pugnæ præfixum antevertere ſtatuit, & ſilentio motis copiis, id eſt exigua trium millium manu, prima luce venit ad Emmaüntem in conſpectum Nicanoris, eumque vallo ad pugnam egreſſum fundit, cæſis tribus millibus: deinde ſuos ab inſequendis fugientibus ad pugnæ locum reverſos, monet, ut tantiſper ab hoſtium ſpoliis abſtineant, donec prælium cum Gorgia confecerint, qui in Iudæorum caſtris invento nemine, arbitratus Iudam fugiſſe, cum ſuis ad caſtra revertebatur: ſed eminus conſpecto illorum fumo, & Iudæorum acie inſtructa, ſuſpicatus quod res erat, ad Philiſtæos profugit. Tunc denique ſecuri Iudæi caſtra hoſtium diripiunt, & prædâ divites ſe recipiunt. Conſternatur ad hæc nuntia Lyſias. lib. 1. cap. 4. uſque ad v. 28.

XXXIX. Secutum cum iiſdem ducibus, adjunctis Timotheo & Bacchide, aliud prælium, cæſorum numero & victoriæ fructu maximè memorabile. Deſiderata enim fuerunt è Syris viginti millia: validæ munitiones Iudæis ceſsêre, & præda ingens, cujus æqua pars pauperibus data. Collectis hoſtium armis, & ad loca commoda deportatis, Hieroſolymam demum proficiſcuntur. Ibi Philarchen quempiam, Timothei ſocium, Iudæis inſigniter infeſtum, occidunt: Calliſthenem, qui templi januas exuſſerat, vivum cum ædibus in quas confugerat exurunt. Nicanor Antiochiam incomitatus revertitur, & inani faſtu poſito, palàm prædicat Iudæos auxilio Dei invulnerabiles eſſe. lib. 2. cap. 8. à v. 30. uſque ad finem.

Anno Græcor. 148. Ante Chriſtum 163. XL. Anno proximè ſequenti Lyſias ipſe, magno appatatu bellum renovaturus, Iudæam ingreditur: ſed Iuda cum decem militum millibus occurrente, fuſus, amiſſis quinque millibus, Antiochiam ſe recipit, novam expeditionem moliturus. lib. 1. cap. 4. à v. 28. uſque ad 36.

XLI. Tot rebus proſperè geſtis, cogitatum à Iudæis de profanati Templi expurgatione: quò ut ventum, & triſtis ſacratiſſimæ ædis facies occurrit, ingens orta comploratio. Diſpoſitis militibus, qui Syros arcis præſidiarios ab inferenda vi prohiberent, ſordes de Templo exportantur: altare novum exſtruitur, veteri quod profanatum fuerat, deſtructo, & ſepoſitis lapidibus: vaſa ſacra inſtaurantur, ipſoque die, quo templum, & altare à Gentilibus polluta fuerant, cœpta offerri ſacrificia: Encæniorum ſeu novæ Dedicationis feſtum anniverſarium ad dies octo edicitur: ne deinceps Gentiles in templum irrumpere, aut ſacra miniſteria interturbare poſſint, mons templi munitionibus firmatur, & Bethſura, arx Hieroſolymæ vicina, neceſſariis rebus inſtruitur, lib. 1. cap. 4. à v. 36. uſque ad finem. & lib. 2. cap. 10. uſque ad v. 9.

XLII. Gentiles

XLII. Gentiles Iudææ contemnini, intellecto templum & ſacrificia Hieroſolymis reſtituta, prò inveterato ſuo in Iſraëlitas odio, id ægerrimè ferunt, iramque ſuam in Iudæos, qui inter ipſos habitabant, effundunt. Cogitur Iudas ad tribulium ſuotum necem vindicandam, arma in illos Gentiles convertere, ac primùm Idumæos ingenti clade afficit, tum Beanitas popularur, exuſtis eorum turribus: deinde Ammonitas, Timotheo Duce & numeroſo exercitu fretos, crebris præliis frangit, eorumque civitatem Iazer, atque alia oppida capit, ac ſpoliat. libro 1. cap. 5. uſque ad v. 9.

XLIII. Antiochus Epiphanes obitis ſuperioribus regionibus, cùm Elymaïden ſeu Perſepolin veniſſet, quondam Regiam Perſarum, etiam tunc illuſtrem & opulentam, templum quoddam in ea dives conatus eſt expilare: ſed à civibus prohibitus, & ad turpem fugam compulſus, ac dolore, tum fruſtratæ ſpei, tum dedecoris accepti, confectus, Babylonem versùs regreditur. lib. 1. cap. 6. v. 1. 2. 3. 4. & libro 2. cap. 9. v. 1. 2.

XLIV. Non longè aberat ab Ecbatanis Mediæ, quando ipſi nuntiatæ ſunt clades ſuorum in Iudæa, & templi Hieroſolymitani inſtauratio. Quo nuntio percitus curſum accelerari jubet, animo verſans ultimum Iudaïcæ gentis exitium. Inter properandum diro primùm viſcerum cruciatu percuſſus, tum de curru ad terram alliſus, cùm currus agitationem ampliùs ferre non poſſet, in ſella geſtatoria deportatur: donec ingraveſcente vi morbi lecto affixus, putreſcentibus & verminantibus membris, ne ſibi ipſi quidem tolerabilis, altos ſpiritus ponere cæpit, Deique vindicem manum ſerâ nec verâ pœnitentiâ agnoſcere, atque ingentibus promiſſis vitam ſupplex deprecari. Verùm creſcente cruciatu, inſtantem mortem ſentiens, conſtitutis, quà poterat, regni rebus, ac Philippo familiarium fidiſſimo commendatis, amicisque literis ad Iudæos datis, infælicem animam peregrè in montibus evomuit: & morte ſua docuit, gloriam, peccatoris ſtercus ac vermem eſſe, venerandique Mathathiæ ea de re vaticinio fidem fecit. lib. 1. cap. 6. à v. 5. uſque ad 17. & libro 2. cap. 9. à v. 3. uſque ad v. ult. Item lib. 2. cap. 10. v. 9. Anno Græcor. 149. Ante Chriſtum 162.

XLV. Lyſias, cognita Epiphanis morte, filium ejus Antiochum adhuc impuberem, indito ipſi Eupatoris nomine, Regem conſtituit, & ab ipſo viciſſim Cœleſyriæ ac Phœnici præficitur; Ptolemæo vel præfecturâ amoto, quòd in Iudæos æquior eſſet; vel veneno vitam finire compulſo, quòd proditionis inſimularetur. lib. 1. cap. 6. v. 17. & lib. 2. cap 10. v. 11. 12. 13.

XLVI. Inter hæc Philippus, cui regni adminiſtratio ab Epiphane moriente commendata fuerat, ejus corpus deportabat in Syriam: ſed ab Eupatore & Lyſia ſibi metuens, in Ægyptum ad Philometorem deflectit. lib. 2. c. 9. v. ult.

XLVII. Per hanc rerum mutationem tempore uſus Iudas, hoſtes, qui in ipſis Iudææ viſceribus loca munitiora tenebant, exſtirpare aggreſſus eſt: atque inprimis Idumæos, duce Gorgia Iudæis admodum infeſtos. Horum varias muniriones cepit, cæſis viginti millibus: alios, qui ſeſe duabus benè magnis & munitis turribus concluſerant, obſedit; ſed quia lentior obſidio futura videbatur, relictâ illic copiarum parte, ipſe otii impatiens ad alia converſus eſt. Intellecto tamen, quorumdam Iudæorum proditione obſeſſorum aliquos è turribus evaſiſſe, eò confeſtim rediit, ſumptoque de proditoribus ad cæterorum exemplum ſupplicio, turres vi cepit, ac cecîdit ſupra viginti hominum millia. lib. 2. cap. 10. à v. 14. uſque ad 24.

XLVIII. Sub idem tempus, Timotheo cum ingenti exercitu Iudæam ingreſſo, ejusque excidium minitanti, it obviam Iudas cum ſuis. Commiſſis Anno eodem.

exercitibus,

exercitibus, cùm anceps eſſet certamen, cælitus miſſi equites quinque, ipſis etiam hoſtibus ſpectabiles, quorum duo medium Iudam tuebantur, & in hoſtes tela ac fulmina jaciebant: unde ipſorum acies turbata ac fuſa, & ſupra viginti millia periere. lib. 2. cap. 10. v. 24. uſque ad 32.

XLIX. Timotheum, ex hoc prælio Gazaram elapſum, Iudas aſſequitur, & obſidet. Cumque obſeſſi, loci firmitate freti, maledictis obſidentes inceſſerent, hi ſumptis ex ipſa rei indignitate animis, præſidium undique aggrediuntur, & in illud, partim ſcalis per muros, partim portis ac turribus ſuccenſis evadunt, Timotheumque de latebris extractum, & fratrem ejus Chæream præſidio Præfectum, atque Apollophanem obtruncant: tum læti Deo de proſpero ſucceſſu gratias agunt. lib. 2. cap. 10. à v. 32. uſque ad finem.

L. Cupidus ſuæ ac ſuorum cladis vindicandæ Lyſias, in interiora Iudææ penetrat, cum octoginta peditum millibus, multo equitatu, elephantis octoginta, Bethſuramque obſidet. Eum Iudas, præeunte ſuos è cœlo equite armis aureis conſpicuo, de victoria ſecurus ferociter aggreditur, in turpem fugam avertit, cæſis ampliùs duodecim millibus. lib. 2. cap. 11. uſque ad v. 13.

LI. Peperit hæc victoria Iudæis quietem aliquam. Nam Lyſias toties expertus, illos auxilio Dei tutos eſſe, ultro miſit qui pacem offerrent, honeſtas conditiones nullas ſeſe aut Eupatorem, pro quo ſponſor ipſe eſſet, recuſaturum. Excepta hæc pronis auribus à Iudæis, ſcriptumque de pacis legibus ultro citroque: item ab Eupatore ad Lyſiam, & à Romanis ad Iudæos. lib. 2. cap. 11. à v. 13. uſque ad finem.

LII. Per hanc pacem feriati tantiſper à bellis Iudæi, agriculturam repetebant: ſed diu pax firma ſtare non potuit, perfidiâ Syrorum, ejus leges violantium. In his numerantur, Timotheus, Apollonius Gennæi filius, Hieronymus, Demophon, & Nicanor Cypriarches. lib. 2. cap. 12. v. 12.

LIII. Turbati captum à Timotheo apud Tubianæos Trans-jordaninæ regionis Iudæos; cæſis mille viris, captis uxoribus, ac liberis. Tentati deinde Galaaditæ, quorum non paucis interfectis, alii in Datheman locum munitum refugerant, unde ad Iudam ac fratres miſerunt rogatum auxilium. Repetenda hæc ex lib. 1. cap. 5. v. 9. 10. 11. 12. 13.

LIV. Nondum perlecta erat Galaaditarum epiſtola, cùm in ipſo tempore veniunt nuntii ex Galilæa, rogantes ſuis mitti ſuppetias, in quorum certam perniciem Syrophœnices totâ Galilæâ effuſi eſſent. lib. 1. cap. 5. v. 14. 15.

LV. Conſilio è re nata capto, Iudas, adſcito fratre Ionatha, cum octo virorum millibus Galaaditicam expeditionem ſuſcipit, Simon abit in Galilæam cum expedita trium millium manu. Ioſephus & Azarias cum cæteris copiis ad remp. curandam relinquuntur, priùs moniti à Machabæo, ne quid ſe abſente in hoſtes moveant. lib. 1. cap. 5. v. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

LVI. Iudas ex itinere in Galaaditim ad maritimas urbes deflectit, recentes earum in Iudæos injurias ulturus. Ac primùm Ioppen noctu aggreſſus, portum ac naves ſuccendit, magnamque cædem edidit eorum, qui incendium evaſerant: eò quòd Ioppitæ Iudæorum ducentos, per ludum ac communis lætitiæ ſpeciem, ad ſcaphas ſecum conſcendendas adductos, demerſiſſent. Iamnitas, ſimilia Iudæis parantes, noctu improviſus opprimit, & portum cum navibus ſuccendit, ita ut ignes ab uſque Hieroſolymis conſpici poſſent. lib. 2. cap. 12. v. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

LVII. Progredienti ad Timotheum & regionem Transjordaninam Arabes occurrunt, & cum illo congreſſi ac victi, pacem poſtulant, polliciti deinceps

deinceps amicos ſe Iudæis fore. Iudas conditionem admittit. lib. 2. cap. 12. v. 10. 11. 12.

LVIII. Poſt hæc aggreditur ad oppugnandam civitatem Caſphin, quam incolebat promiſcua Gentilium multitudo. Cùm autem cives, loci munitione & reliquo apparatu confiſi, remiſſiùs agerent, probriſque impudenter Iudam laceſſerent, ipſe implorato Dei auxilio fidenter muros invadit, & urbe impetu capta, tantam edit civium ſtragem, ut adjacens ſtagnum ſanguine fluere videretur. lib. 2. cap. 12. v. 13. 14. 15. 16. Anno eodem.

LIX. Interea Simon in Galilæa rem præclarè gerebat, fuſos frequentibus præliis hoſtes, cæſis facilè tribus millibus, actaque ingenti prædâ, ad portas uſque Ptolemaïdis perſecutus. lib. 1. cap. 5. v. 21. 22.

LX. Iudas, poſt captam Caſphin, tranſito cum Ionatha Iordane, in Galaaditim ducit per Arabiæ ſolitudines. Occurrunt Nabuthæi Arabes, Iudæorum amici, à quibus intellecto ſuorum Galaaditarum extremo periculo, Iudas celeritate utendum ratus, eodem die ante noctem venit in Galaaditidem, & primo impetu urbem, in ipſo aditu poſitam, occupat, omnemque maſculum jubet interimi. lib. 1. cap. 5. v. 24. uſque ad 29.

LXI. Statim, nulla ſuis data quiete, noctu progreſſus Datheman verſùs, eò venit prima luce, videtque ſcalas ac machinas, cum magnis obſidentium atque obſeſſorum clamoribus, ad oppugnationem admoveri: invocato Deo, tribus ordinibus invadit obſidentes, territoſque ſubito ſuo adventu, ac trepidâ fugâ palantes inſecutus, octo circiter virorum millia interficit. Tum Maſpha, aliaſque Galaaditicas urbes aggreditur, captaſque ſpoliat & incendit, cæſis omnibus maſculini ſexus. lib. 1. cap. 5. à v. 29. uſque ad 37.

LXII. Dum iſthæc à Iuda & Simone geruntur, Ioſephus & Azarias, qui ad Iudææ cuſtodiam relicti fuerant, vana gloriæ & nominis etiam ſibi faciendi cupiditate, contra quàm diſertè Iudas edixerat, expeditionem adverſus Iamnitas ſuſcipiunt, à qua nihil retulêre niſi cladem & ignominiam, amiſſis ſuorum duobus millibus, à Gorgia in fugam compulſi, & interfecti. lib. 1. cap. 5. à v. 55 uſque ad 63. & verſu 67. Anno eodem.

LXIII. Simon cùm in Galilæa debellaſſet, ne Iudæi qui eam incolebant deinceps finitimorum Gentilium excurſionibus obnoxii eſſent, eos convaſatis omnibus in Iudæam traducit. lib. 1. cap. 5. v. 23.

LXIV. Interim ex alia parte, Timotheus ingentem centum viginti millium peditum, bis mille quingentorum equitum exercitum coëgerat, ex confuſa populorum Galaaditicæ regioni conterminorum multitudine, & conductis mercede Arabibus. Arbitratus Iudas eos à ſe apud Tubianæos repertum iri, procedit Characam verſùs. Sed Timotheus, relicto ad vexandos Tubianæos firmo præſidio, diverſo itinere in Galaaditim deflexerat. Iudas igitur eum abſque mora ſubſequitur, juſſo ad expugnandum præſidium ſubſiſtere cum duobus virorum millibus Doſitheo, & Soſipatre; qui ſtrenuè mandata executi, capto præſidio, decem hominum millia peremêre. lib. 1. cap. 5. v. 37. lib. 2. cap. 12. v. 17. 18. 19. 20.

LXV. Timotheus, poſitis tuto loco transtorrentem Iaboc caſtris, audito Iudam adventare, impedimenta in Carnaïm ſeu Carnion, munitiſſimum præſidium præmiſerat, ut expeditior eſſet ad pugnam. Iudas miſſis exploratoribus, diſcit Timotheo multitudinem ſupereſſe, nec deeſſe animos: accedit nihilominus ad torrentem, qui eos dividebat. Eo conſpecto Timotheus, ex loco de futuri certaminis exitu conjecturam capiens, ac velut præſagus, ad

ſuos

ſuos agit: Iudam, ſi torrentem tranſgredi audeat, victorem fore; ſi formidet, ſe tranſmiſſuros, & cunctantem oppreſſuros. lib. 1. cap. 5. v. 37. 38. 39. 40. 41. & lib. 2. cap. 12. v. 21.

LXVI. Nec diu cunctatus Iudas, primus ipſe torrente tranſmiſſo, conſtitutis qui ſuos omnes ad tranſitum urgerent, rectâ duxit in hoſtes; eosque ita facti audaciâ perculit, præterquam quòd immiſſo divinitus terrore velut lymphati agerentur, ut abjectis paſſim armis conciti fugam capeſſerent. Inter fugiendum triginta millia periêre, pars alii ab aliis protriti, pars mutuis vulneribus conciſi, pars ab inſequentibus Iudæis obtruncati. Præterea viginti quinque millia oppreſſa in Carnaim ſeu Carnion, capta urbe, & ſuccenſo fano, quò ſe trepidi receperant. Timotheus ipſe fuga elapſus, in Doſitheum & Soſipatrem à præſidii Tubianæi expugnatione redeuntes, incidit, à quibus cùm mox perimendus eſſet, vitam ſupplex deprecatus eſt, pollicitus ſe multos Iudæorum, quos captivos tenebat, remiſſurum. lib. 1. cap. 5. à v. 42. uſque ad 45. & lib. 2. cap. 12. à v. 22. uſque ad 27.

Anno eodem. LXVII. Quomodò à Simone in Galilæa factum, ita & à Iuda in Galaaditide, ut Iudæos ejus regionis incolas in interiorem Iudæam traduceret, ne ampliùs injuriis Gentilium paterent. Ventum igitur ab eo cum turba migrantium, & militari manu, ad Ephronem munitiſſimam transjordaninam civitatem, à miſcellanea Gentium multitudine habitatam. Poſtulato pacato tranſitu, quod illac neceſſarius eſſet, & inhumaniter recuſato, offenſus Iudas civitatem expugnat, direptamque incendit, ac ſolo æquat, cæſis maſculis omnibus ad viginti quinque millia hominum. lib. 1. cap. 5. à v. 46. uſque ad 51. & lib. 2. cap. 12. v. 27. 28.

LXVIII. Tranſmiſſo Iordane, perventum Bethſan, ſeu Scythopolin, cujus incolæ Iudæi cùm teſtarentur ſe humaniter habitos, gratiæ illis actæ, rogatique ut eoſdem animos ſervarent. Venitur tandem Hieroſolymam paullò ante Pentecoſten, ubi feſtivæ victimæ cæſæ, lætisque acclamationibus exceptus Iudas, quòd eorum, quos ad expeditionem duxerat, nemo cecidiſſet. libro 1. cap. 5. à v. 52. uſque ad 65. lib. 2. cap. 12. v. 29. 30. 31.

LXIX. Poſt Pentecoſten in Idumæos, qui Iudææ ad Auſtrum erant, arma converſa. Occupata Hebron cum oppidis ei attributis, atque ſuccenſa. Inito cum Gorgia Idumæorum Præfecto certamine, cecidêre Iudæorum aliqui. Parum tamen abfuit, quin Gorgias ipſe vivus à Doſitheo quodam caperetur: ſed ereptus ab auxiliari Thrace, in Mareſa ſe recepit. Trahebatur interim prælium, incertâ adhuc victoriâ. Iudas igitur ad vota converſus, auxilium de cælo poſtulat, & confeſtim immiſſus hoſtibus panicus terror, omnesque in fugam averſi. Cùm Sabbathum inſtaret, ad illud agendum Iudas recepto exercitu, ſe Odollam urbem proximam confert. lib. 1. cap. 5. v. 65. lib. 2. cap. 12. à v. 32. uſque ad 39.

LXX. Peracto Sabbatho itur ad condenda corpora Iudæorum, qui in prælio ceciderant: ſub eorum tunicis deprehenſa cædis cauſſa, rapta ſcilicet donaria idolorum è Iamniæ delubris, quæ Iudæi tangere vetabantur. Iudas eo Iuſtitiæ exemplo hortatus ſuos ad perfectam legis obſervationem, collectaque ab illis pecuniâ, mittit Hieroſolymam, ut preces ac ſacrificia fiant pro iſtorum ſalute. Quo facto Immortalitas animorum, eorum poſt mortem Purgatio, corporum Reſurrectio, manifeſtè aſtruuntur. lib. 2. cap. 12. à v. 39. uſque ad finem.

LXXI. Iudas

LXXI. Iudas ad purgandos undique ab hoſtibus fines peragratâ Samariâ, ducit in Philiſtæos Azotum versùs, ubi idolis exuſtis ariſque dirutis, cum præda revertitur. lib. 1. cap. 5. verſu 66. & 68.

LXXII. Luſtratis finibus, Iudas animum adjicit ad obſidendam arcem Hieroſolymitanam, Templo, & confluentibus eò Iudæis infeſtam. Obſeſſorum aliqui, præſertim qui de Iudæis ad Gentiles defecerant, ex arce elapſi, Regem Eupatorem adeunt, poſtulatum auxilium. Audit Rex transfugarum preces, & numeroſiſſimum exercitum colligit. lib. 1. cap. 6. à v. 18. uſque ad 31: & lib. 2. cap. 13. duobus primis verſibus.

LXXIII. Adjungit ſe Regio exercitui Menelaüs Pſeudo-Pontifex Antiochiæ exulans, ſpe recupetandi Principatus, auſus etiam ea de re Regem interpellare: ſed hic edoctus à Lyſia illũ caput eſſe malorum omnium, apprehendi cum jubet, duciſque in Berœam: ubi de turri in ſubjectos cineres præcipitatus ac ſuffocatus eſt, familiari Syris ſupplicio. lib. 2. cap. 13 à v. 3. uſque ad 9. Anno Græc. 150. Ante Chriſtum 161.

LXXIV. Eupator per Idumæos in Iudæam movet. Apud Iudæos continuæ orationes fiunt, ad avertendum imminens patriæ, ac religioni diſcrimen. Iudas de re præſenti cum ſenioribus deliberat, ſtatuitque obviàm Antiocho procedere, antequam in interiorem Iudæam penetret. lib. 1. cap. 6. v. 31: & lib. 2. cap 13. à v. 10. uſque ad 14.

LXXV. Iudas animatis ſuis ad Templi patriæque tutelam, Regis caſtra, non procul à Modin in ipſo Iudææ aditu, per noctem improviſa irruptione perturbat, interemptiſque quatuor millibus, & elephantorum maximo, cum armatis qui ab illo geſtabantur, diluculo recedit. lib. 2. cap. 13. v. 14. uſque ad 18.

LXXVI. Antiochus promovet copias ad Bethſuram, eique aſſidet dies multos exiguo operæpretio, obſeſſis ſtrenuè artem arte, vim vi repellentibus, & Iuda per occultos meatus neceſſaria ad victum, quorum penuriâ laborabant, ſubminiſtrante. Ii meatus à Rhodoco quodam perfidè proditi hoſtibus, & occluſi, maximo obſeſſorum incommodo. Deprehenſus paullò pòſt proditor, & in vinculis aſſervatus. lib. 1. cap. 6. v. 31: & lib 2. cap. 13. v. 19. 20. 21.

LXXVII. Iudas deſerta arcis obſidione, totis copiis movet in Regem, & non procul ab ejus caſtris ſua collocat ad Betzacharam. Rex aciem inſtruit: Elephantis vino & ſucco è moris expreſſo ira acuitur, fremitu & clangore omnia reſonant. Conſertis manibus, primo impetu ſexcenti è regiis cadunt. lib. 1. cap. 6. v. 32. uſque ad 43.

LXXVIII. Eleazar Auran viſo elephantorum maximo, arbitratus eo invehi Regem, ſanctoque patriæ amore & honeſta gloriæ cupiditate ſtimulatus, viam ſibi ad illum multa cæde aperit, & ſub ejus ventrem ſuccedens, eum perfodit, morientis lapſu & ipſe obtritus, ac ſuo triumpho ſepultus. Interim Iudas tentatis Regis viribus, ratus ultimo diſcrimini ſuos objici non debere, receptui canit. lib. 1. cap. 6. v. 43. uſque ad 48.

LXXIX. Redit Rex ad Bethſuræ obſidionem, Iudæiſque ad deditionem, alimentorum, quæ difficulter convehebantur, præterquam quod annus Sabbathicus eſſet, inopiâ compulſis, eam capit, ac præſidio munit. lib. 1. cap. 6. v. 49: & lib. 2. cap. 13. v. 12. 43.

LXXVIII. Captâ Bethſurâ, Antiochus animum adjicit ad expugnandas Templi munitiones, quas cum ſuis Iudas tenebat, & ſtrenuè propugnabat: ſed cùm ob annonæ penuriam obſeſſorum multi dilaberentur, parumque abeſſet ut Iudas cum ſuis de deditione cogitaret, Deus aliter inſperato eventu Templi religioni, & Iudæorũ ſaluti, cõſuluit. lib. 1. cap. 6. v. 48. 51. 52. 53. 54: lib. 2. c. 13. v. 23.

LXXIX. Nuntiatur Eupatori & Lyſiæ, Philippum, cui ab Epiphane moriente regni adminiſtratio, & filii tutela, commendata erat, in Syriam reducem, per eorum abſentiam rerum adminiſtrationi inhiare. Perculſi nuntio Antiochus & Lyſias: & ille, hujus hortatu, ultro de pace Iudæos interpellat, oblatis quas vellent conditionibus. Avidè ab his acceptæ ſunt, & in eas conventum. lib. 1. cap. 6. à v. 55. uſque ad 61. & lib 2. cap. 13. v 23.

LXXX. Concluſa pace, Iudas Templi munitionibus excedit. Eas Rex ingreſſus & contemplatus, ſolo præter pacta conventa æquari jubet Non deſiit tamen Templum muneribus & hoſtiis honorare, Machabæum amplexari, & augere honoribus ac præfecturis, ad invidiam uſque Gentilium. Ea enim de cauſſa Ptolemaïde cæptum erat tumultuari, niſi Lyſias concione habita, plebis animos mitigaſſet. lib. 1. cap. 6 v. 62. lib 2. cap. 13. v. 23. uſque ad 27.

LXXXI Rebus ita compoſitis, Antiochus & Lyſias citatis itineribus Antiochiam veniunt, ubi jam Philippus regni procurationem invaſerat, ut Antiocho neceſſe fuerit vi aditum ſibi in urbem facere. lib. 1. cap 6. v. ult.

Anno Græc. 151. Ante Chriſtum 160. LXXXII. Demetrius Soter Seleuci Philopatoris, qui ante Epiphanē Antiochū regnârat, filius, Roma, ubi obſes tenebatur, cum paucis comitibus elapſus, Tripolin appellit, & Regē Aſiæ ſe nominat Cæpta à rerū novarū cupidis ad eū inclinatione, exercitus ipſe Antiochū & Lyſiam cōprehenſos illi ſiſtere parabat: vetuit hic, & utrumque illico voluit interfici. Secuta hanc cædem regni totius ad Demetrium defectio. lib. 1. cap. 7. v. 1. uſque ad 5: & lib 2. cap. 14 v. 1. 2.

LXXXIII. Alcimus ambitioſus ſacerdos, rerum mutatione in ſpem ſummi Sacerdotii erectus, ad Demetrium abit, adjunctis ſibi nonnullis Iudaïcæ religionis deſertoribus: multa apud illum de Iuda, fratribusque ejus, ac ſociis queritur: creatur à Rege ſummus Pontifex, remittiturque in Iudæam cum Bacchide, qui de accuſationis capitibus cognoſcat, pœnasque à ſontibus expetat. lib. 1 cap. 7. à v. 5. uſque ad 10.

LXXXIV. Bacchides & Alcimus cū valido exercitu Iudæā ingreſſi, Iudā & fratres blando pacis nomine atque amicitiæ ſpecie captāt: ſed hi fraudē odorati nuntios reſpuunt. Malè creduli Scribarum quidā, inter quos Aſſidæi, eis ſe cōmittunt, accepta ſecuritatis fide, & jurejurando firmata. Fidem ac jusjurandū impius Alcimus violat, & ex illis cōprehenſos ſexaginta interimit. Tam inſigni perfidia cæteri in poſterum cautiores fuerunt lib. 1. cap. 7 à v 10. uſque ad 19.

LXXXV. Bacchides conſtituto Hieroſolymis Pontifice Alcimo, movet in Bethzecha, retractosque è fuga multos Iudæorum, qui ipſum deſeruerant, & alios quoſdam interimendos curat, eorumque cadavera in altum puteum projicienda. Rebus denique, ut volebat, compoſitis, & commiſſa parte copiarum Alcimo ac regionis cura, ipſe ad Regem revertitur. lib. 1. cap. 7. v. 19. 20.

LXXXVI. Ad Alcimum, firmando ſibi quavis arte Sacerdotio intentum, impiiſſimi quique & factioſiſſimi ſeſe aggregant, totaque paſſim Iudæâ excurſiones faciunt, & bonos vexant, ſed à Iuda, regiones quà opus erat obeunte, & ſuis ſuppetias ferente, ſtrenuè comprimuntur. Quare Alcimus illi parem ſe eſſe poſſe diffidens, rurſus novas de illo, ac fratribus, & Aſſidæis, apud Regem criminationes depoſiturus, abſcedit: quoque illas credibiliores faciat, viam ſibi muneribus ſternit, ſacrilegè de Templo, ut ſuſpicio erat, ſublatis. Addunt dictis pondus alii Iudaïſmi deſertores, Demetriumque adverſus Iudam ac ſocios inflammant. lib. 1 cap. 7. à v. 21. uſque ad 26: lib. 2. cap. 14 à v. 3. uſque ad 12.

LXXXVII Demetrius Nicanorem, elephantorum Regiorum præfectum, cum exercitu ire in Iudæam jubet: dato in mandatis, ut Iudam vivum comprehendat,

comprehendat, ſocios ejus diſſipet ac perdat, Alcimum in Pontificatum reponat. Adjungunt ſe gregatim Nicanori Gentiles, quos Iudæ metus expulerat ex Iudæa. Iudæi, de rerum eventu ſolicitì, ad Deum confugiunt, eoque propitiato ad caſtrum Deſſau armati conveniunt. lib. 1. cap. 7. v. 26. lib. 2. cap. 14. à v. 12. uſque ad 17.

LXXXVIII. Præmiſſus cum parte copiarum Simon obviàm hoſti, ſeu ut tantiſper diſtineret, ſeu ut vires tentaret, repentino illius adventu territus in fugam avertitur. lib. 2. cap. 14. verſu 17.

LXXXIX. Nihilominùs Nicanor, cognito vires & animos ſociis Iudæ ſupereſſe, veritusque certaminis cum veterano duce aleam, ad pacis conſilia inclinat, legatosque ea de re ad Iudam mittit. Re in conſilium adducta, placuit amicitiam non reſpuere. Dictis die ac loco, ventum à Ducibus ad colloquium. Aſſident, de conventionibus conveniunt, pax firmatur. Iudas tamen, non ignarus fidem Gentilium fluxam, certo loco ad ſecuritatem ſuam milites locat: ſuos dimittit Nicanor: pacatè & benevolè ab utroque ſimul Hieroſolymis agitur. Nicanor Iudam hortatur ad nuptias, hic conſilium amplectitur. Urebat Alcimum hæc concordia: abit igitur jam tertiò ad Demetrium, Nicanoremque, quaſi hoſtium Regis fautorem, acerbè criminatur. Commotus Rex, ſeverè ſcribit ad Nicanorem, multa interminatus nî pacem abrumpat, & Iudam ad ſe quamprimùm mittat in vinculis. lib. 2. cap. 14 v 18. uſque ad 28.

LXXXX. Perculſus juſſis Demetrii Nicanor, hæret animi dubius, trahente in diverſum hinc fide, inde metu: ſi obtemperare nolit, Regis offenſam ſe incurſurum; ſi velit, violati fœderis dedecus. Pluris tamen illi fuit Regis gratia, quàm viri boni officium, ſtatuitque præter fas amicum hominem, ſocietate non obnuntiata, comprehendere. Eum Nicanoris erga ſe animum Iudas, ex auſteriori ejus conſuetudine, & ſeveriore vultu, ſagaciter odoratus, clam ſe cum paucis periculo ſubducit. Ubi Iudam Nicanor abeſſe ſenſit, ratus ſacerdotes fugæ illius & latebrarum conſcios fore, eos ſuis in Templo muniis intentos adit, Iudamque ſibi oſtendi imperat: pernegantibus his ſe quidquam iſtorum ſcire, Templo ſacrilegè extrema minatur, nî faciant quod poſtulat. Poſt jactatas furioſè minas abiit; quò, incertum; ad Regémne, ut ſe purgaret; an ad educendas è præſidiis Iudaïcis copias, quibus Iudam perſequeretur. Interim conſternati minis Sacerdotes ad orationem ſe convertunt. lib. 2. cap. 14 à v. 28. uſque ad 37. Anno eodem.

LXXXXI. Regreſſus Nicanor cum exercitu, Iudam & fratres tentat per tectæ amicitiæ ſpeciem: petit cum paucis ad colloquium venire liceat: fit ſa... ratio. Diſpoſiti interim fuerant, qui Iudam ex inſidiis comprehenderent: at hic, fraude patefacta, trepidè ſeſe eripuit, neque umquam ex illo venire voluit in conſpectum Nicanoris. lib. 1. cap. 7. v. 27. uſque ad 31.

LXXXXII. Eluſa fraude, Nicanor vim parat, exercitumque movet in Iudæam. Concurritur ad Capharſalama: cæſis Syrorum ferme quinque millibus, reliqui Hieroſolymam refugiunt. Nicanori paullò pòſt ad Templum adeunti ſacerdotes, ſalutandi cauſſâ, obviàm procedunt, & deliniendo ejus animo, holocautomata, quæ pro Regis ſalute offerebantur, oſtendunt. Accipit omnia per ludibrium furioſus homo, & contumelioſè habitis ſacerdotibus, Templo interminatur incendium, niſi Iudas, ejusque copiæ in ſuam poteſtatem dentur. Lacrymabundi ſacerdotes iterum ad Deum confugiunt, orantque, ut de ſacrilego homine ſupplicium ſumat. lib. 1. cap. 7. v. 31. uſque ad 39. Anno eodem.

LXXXXIII. Nicanor intellecto Raziam quemdam è ſenioribus Iudæorum, virum innocentiſſimæ vitæ, pro altero patriæ patre & religionis columine à cæteris haberi, mittit milites quingentos, qui eum comprehendant, certus omnem in eum animi ſui acerbitatem expromere, aut in partes ſuas maximo Iudæorum dolore traducere. Iam milites vi in ædes Raziæ irrupturi erant, parumque aberat quin caperetur, cùm ipſe ſibi ac religioni ludibria Gentilium veritus, ut ea antevertat, gladio ſe configit, ſed incerto præ feſtinatione ictu. Interim domum irruperant emiſſarii Nicanoris. Razias igitur feſtinarò ad murum recurrit, & inde in ſubjectum vicum ſe dat præcipitem, turbaque ſeſe dividente, per cervicem ſolo alliditur: adhuc tamen ſpirans magnis animis exſurgit, & ut erat ſaucius ac cruentus, curriculo per mediam turbam in præruptam aliquam petram evadit: ubi deficiente ſanguine, inteſtina defluentia utrâque manu complexus, eaque in adſtantes diſpergens, ac Deum obteſtatus, ut ſibi in Reſurrectione reſtitueret, tamdem exanimatus eſt. lib. 2. cap. 14. à v. 37. uſque ad finem.

LXXXXIV. Comperto Iudam in Samariæ finibus agere, Nicanor eò movet, & caſtra locat ad Bethoron, novuſque ei ex Syria exercitus adjungitur. Cùm autem Iudam aggredi Sabbatho ſtatuiſſet, dehortantibus Iudæis, qui ipſum coacti ſequebantur, monentibuſque diei religionem vereretur, ſuperbè atque impiè reſpondet, non jam ipſos Dei juſſis, ſed imperiis ſuis obtemperare debere. Sabbatho tamen, etſi maximè cuperet, & certam ſibi victoriam deſtinaret, pugnare non potuit. Iudas interea in Adazer ſeu Adarſa erat, cum exigua trium millium manu. lib. 1. cap. 7. v. 39 40 lib. 2. cap. 18. uſque ad v. 27.

LXXXXV. Iudas, fiducia divini auxilii plenus, ſuos in ſpem certæ victoriæ erigit variis rationibus, ab exemplis majorum, à Dei promiſſis per Legis oracula, à ſua ipſorum tot præliis experientia, à jurisjurandi religione ab hoſtibus violata, Deum vindicem invocante, denique à ſomnio victoriæ prænuntio; quo videre ſibi viſus erat Oniam Pontificem pro Iudæis Deo ſupplicem, cui comes Ieremias non orabat modò pro populo & ſancta civitate, ſed gladium etiam porrigebat, quo religionis hoſtes proſterneret. His animati Iudæ ſocii, ac præterea tuendi ab impiis Templi ſtudio accenſi, ardent ad pugnam. lib. 2. cap. 15. à v. 7. ad 20.

Anno eodem. LXXXXVI. Nicanor applicat in Adarſa. Explicatis utrimque ordinibus, Iudas formidabilem hoſtium apparatum contemplatus, in orationem effunditur, Deum precatus, ut Angelum ſibi mittat ad ſacrilegi & fœdifragi hominis frangendum furorem, quemadmodùm olim Ezechiæ adversùs Sennacheribum. Nec vanæ fuêre preces. Die decima tertia menſis Adar inito conflictu, primus omnium blaſphemus Nicanor corruit. Ducis cæde cognita, tantus cæteros terror invaſit ut lymphatis ſimiles, abjectis armis, per agros ferrentur. Iudas diem totum palantes Gazaram perſecutus, evocatis clangore tubarum ad victoriæ partem finitimorum oppidorum incolis, tanta ſtrage graſſatus eſt, ut ne cladis quidem nuntius ex eo numero ſuperfuerit. Omnino triginta quinque millia cecidêre, quantus erat Regis exercitus. lib. 1. cap. 7. à v. 40. uſque ad 47. lib. 2. capult. à v. 20. ad 28.

LXXXXVII. Iam

LXXXXVII. Tam nobili parta victoria læti redibant Iudæi, cùm ecce nuntiatur, repertum etiam inter cæſos Nicanoris cadaver. Geminatâ lætitiâ, magnis clamoribus in Dei laudes erumpitur. Iudæ juſſu caput Nicanoris & brachium dextrum amputantur, futura prædæ pars non exigua. Ea Hieroſolymam perlata civibus triumphabundi oſtentant. Sacrilega lingua, impiarum minarum inſtrumentum, eradicata, avibus voranda objicitur. Caput exadversùm arci, brachium & manus dextera Templo adverſa, ſuſpenduntur. Feſta dies, ad anniverſariam tantæ victoriæ memoriam, indicitur. lib. 1. cap 7. à v. 47. ad finem. lib. 2. cap. ult. à v. 28. uſque ad 39. ubi finem hiſtoriæ ſuæ auctor libri ſecundi imponit.

LXXXXVIII. Iudas audita Romanorum fama, ſperansque Iudæos, ſi ab eis in amicitiam & ſocietatem reciperentur, ab acerbo Græcorum jugo liberos fore, Eupolemum & Iaſonem ea de re legatos mittit. Grata fuit Romanis legatio, ſcriptæque in tabulis æreis, Senatûs juſſu, ſocietatis conditiones, & Hieroſolymam remiſſæ. lib. 1. capite octavo toto. Notandum tamen, hanc legationem, ejusque exitum, multum temporis proculdubio tenuiſſe, adeoque legatos non reverti ſſe, niſi poſt Iudæ mortem. Narrantur tamen hîc omnia uno textu, quia non decuit inſtructionem legationis ab exitu disjungere.

LXXXXIX. Simul Demetrius audiit cæſum Nicanorem, mittit illico Bacchidem & Alcimum in Iudæam cum toto exercitus ſui dextro cornu, ad delendam cladis ignominiam. Hi capta Maſaloth, multisque Iudæorum trucidatis, rectâ Hieroſolymam ducunt: ubi intellecto, Iudam cum tribus virorum millibus eſſe in Laiſa, Bacchides cum viginti peditum, equitum duobus millibus, in eum movet. Conſpecta hoſtium multitudine, ſocii Iudæ priſtinæ virtutis obliti, trepidè maximam partem diffluxêre: manſêre ſolùm conſtantiores octingenti. Cum hac manu Iudas, nequidquam dehortantibus ſuis, prælium init, dextram Bacchidis aciem perrumpit, fuſamque ad montem Azoti perſequitur: quod ſiniſtra Syrorum acies conſpicata, ipſi à tergo incumbit. Prælio renovato, Iudas fortiſſimè dimicans moritur: amiſſo duce, cæteri diffugiunt. Tollitur à Simone & Ionatha Iudæ corpus, ſepelitur, plangitur. cap. 9. ad v. 23.

Anno Græc 152. Ante Chriſtum 159.

Jonathæ principatus.

C. OCCISO Iuda, paſſim Bacchidi à Iudæis fit deditio. Per impios ejus adminiſtros, ac Iudaïſmi deſertores, dirè boni omnes vexantur: præſertim quicumque Iudæ amici fuerant. Ad hæc acerba fames tota regione graſſatur. Tantæ denique calamitates uno tempore Iudææ incumbunt, quantæ à plurimis retro annis non viſæ. Reliqui ſociorum Iudæ cùm viderent ſe, ſi diutiùs ſine capite eſſent, extremum exitium evadere non poſſe, Ionatham rogant, ut in locum Iudæ ſuffici ſe patiatur. Hoc audito, Bacchides ei inſidias ſtruit: quibus vitandis, Ionathas cum fratribus & paucis ſociis fugit in ſolitudinem Thecüe: ubi de bello gerendo cogitans, fratrem Ioannem ad Nabuthæos Arabes mittit, rogatum pro amicitiæ jure, ut apparatum bellicum, quo abundabant, ſibi commodare velint. Eum in itinere comprehenſum, atque omnibus ſpoliatum, obtruncant filii Iambri è primoribus Madabenſis civitatis. Fratris necem paullò pòſt præclarè ulti ſunt Ionathas & Simon. Cùm enim quidam ex filiis Iambri principem

puellam, genere Chananæam, duceret, magnoque ambitu atque apparatu nuptialis comitatus procederet, in eum repentè ex inſidiis irruêre, multisque cæſis, ac reliquis diſſipatis, cum magna vi prædæ ad Iordanis ripam, ubi caſtra poſuerant, rediêre cap. 9. à v. 23. ad 43.

CI. Bacchides his auditis, in Ionatham movet: Hic ſuos ex fuga deſperatione hortatus ad prælium, commiſsâ pugnâ, cæſis hoſtium mille, conatus ipſum Bacchidem percutere, ſed eo congreſſum declinante, cùm nequîſſet, verereturque, ne multitudine tamdem paucitas ſuorum obrueretur, primus ipſe in Iordanem deſiliit, cæteri ejus exemplo tranavêre, aut tranſvadavêre. Subſequi non auſus Bacchides Hieroſolymam revertitur. Tum variis per Iudæam præſidiis excitatis, quibus Iudæi continerentur, (Anno Græc. 153. Ante Chriſtum 158.) aut vexarentur: Primorumque liberis obſidum loco in arce concluſis: impio denique Alcimo in ipſo deſtruendorum Templi murorum conatu, paralyſi percuſſo, uſu linguæ, ut ne rem quidem familiarem ordinare potuerit, orbato, ac demum cruciabili morte ſublato, in Syriam retro ad Regem concedit. Per ejus abſentiam annos duos Iudæa fuit pacatior. cap. 9. v. 43. ad 58.

(Anno Græcor 155 Ante Chriſtum 156.) CII. Poſt biennium Bacchides à perfidis religionis deſertoribus in Iudæam revocatus, ut Ionatham incautum, & ex longa quiete ſecurum opprimat, eluſo conatu, iram ſuam in Iudæos conſilii auctores convertit, trucidatis ipſorum quinquaginta. Ionathas & Simon in Bethbeſſen arcem, in deſerto Iudææ poſitam, refugiunt, eamque muniunt. Illos obſeſſum it Bacchides. Ionathas relicto ad urbem tuendam Simone, ipſe cum parte copiarum è præſidio ſe ſubducit, per Iudæam in Syrorum amicos graſſatur, & quoſdam non ignobiles variis locis improviſus occupat. Simon eruptione facta, machinas Bacchidis incendit, ejusque exercitum perturbat, multis interfectis. Hic deſperata expugnatione, rei malæ geſtæ dolore percitus, iterum in malos conſultores bilem exonerat, multosque interficit, & ad regrediendum in Syriam accingitur. Quo cognito Ionathas mittit, qui Bacchidi pacem offerant æquis conditionibus: convenitur; à bellis quieſcitur. Bacchides in Syriam revertitur, in Iudæam ultrà non rediturus. Ionathas in Machmas concedit, ibique ſede Principatûs tantiſper conſtituta, judicia exercet. cap. 9. à v. 58. ad finem.

(Anno Græcor. 160. Ante Chriſtum 151.) CIII. *Alexander Veles, occupata Ptolemaïde, Syriæ Regem ſe dicit: Demetrius bellum in eum apparat: uterque ingentibus promiſſis ac muneribus Ionatham ad ſe conatur pertrahere. Iudæi priùs ab Alexandro ſollicitati, in eum inclinant, ipſisque auxilia ſubmittunt. cap. 10. uſque ad v. 48.

(Anno 162. Græcorum, Ante Chriſtum 162.) CIV. Concurrunt Regii exercitus, Demetrius infæliciter pugnans occumbit. Alexander victoriam ac Regnum adeptus, de nuptiis cogitat: à Ptolemæo Rege Ægypti filiam petit, & impetrat. Nuptiæ Ptolemaïde celebrantur: ad quas etiam invitatus Ionathas multis à Rege honoribus augetur, frendentibus nequidquam invidis, & ejus conſpectum ferre non audentibus. cap. 10. à v. 48. uſque ad 67.

(Anno 165. Græcorum, Ante Chriſtum 146.) CV. Demetrius Nicanor, Demetrii nuper occiſi filius, è Creta in Syriam appellit. Eo nuntio perculſus Alexander, Antiochiam ad ſedem Regni ſe confert. Ionathas ab Apollonio, uno ex Demetrii ducibus, ad Iamniam cum copiis agente, ſuperbè provocatus ad prælium, cum decem millibus expeditorum, adjuncto cum alia manu Simone, Ioppen primùm intercipit: deinde

deinde Apollonium aſſecutus, fiduciâ equitatûs in campum prodeuntem, denſaris ad frangendum equitum impetum ordinibus, tum repentè laxatis, in fugam avertit: Azotum, quò Syri refugerant, capit, fanum Dagonis cum incluſa multitudine incendit, abſumptis, quà gladio, quà flamma, ferme octo millibus hoſtium. Inde Aſcalonem profectus, honorificè à civibus excipitur. Denique reverſus Hieroſolymam, ab Alexandro, fama rei geſtæ permoto, novis honoribus ac muneribus afficitur. cap. 10. à v. 67. uſque ad finem.

CVI. Ptolemæus generi regno inhians, cum innumeris copiis in Syriam ingreditur. Alexandri juſſu, nil hoſtile à ſocero metuentis, paſſim ei urbes aperiuntur, quibus præſidia imponit. Azotenſes, ut ipſum adverſus Ionathan inflamment, ſtragis & ignium reliquias oſtendunt. Nihilominùs occurrentem ſibi Ioppæ Ionathan amicè excipit, progreſſuſque cum eo ad flumen Eleutherum, eo inde Hieroſolymam dimiſſo, ipſe Seleuciam ad mare venit. Ibi de amicitia agit cum Demetrio, eique filiam ſuam Alexandro ademptam tradit, pignus ſocietatis: ac denique Antiochiam ingreſſus, regium Syriæ diadema aſſumit. Re ſeriùs intellecta, Alexander è Cilicia revolat, armis regnum recuperaturus; confligit, victus in Arabiam fugit, ubi à Zabdiele Arabe capite truncatus eſt, quod etiam ad Ptolemæum mittitur. Ptolemæo tertia die mortuo diuturna lætitia non fuit. cap. 11. uſque ad v. 19.

CVII. Per Alexandri & Ptolemæi mortem, Demetrius Nicanor pacatè regnum obtinet. Interea Ionathas, tumultuum Syriacorum occaſione opportunè utens, comportatis machinis arcem Hieroſolymitanam quatiebat. Diſcit hoc à perfidis Iudæis Demetrius, confeſtimque Ptolemaïdem progreſſus, Ionathæ mandat, obſidione deſerta ſtatim ad ſe veniat. Venit cum muneribus Ionathas, conciliatoque Regis animo, multa impetrat ſibi ac ſuis, eaque litteris Regiis, in templo proponendis, firmata. cap. 11. v. 19. ad 38. Anno 167. Græcorum. Ante Chriſtum 144.

CVIII. Demetrius omni metu ſolutus, exitioſo conſilio, militem exauctoratum dimittit, retento tantùm peregrino: quæ res, tum militum, tum cæterorum ſubditorum animos, mirè ab eo abalienavit. Ea occaſione Tryphon, novandarum rerum cupidus, Emalchueli Arabi, apud quem Antiochus Alexandri Velis filius alebatur, perſuadet, ut eum ſibi tradat, in ſedem Regiam, pulſo Demetrio, evehendum. Poſtulabat interim Ionathas, ut præſidium Syrorum ex arce Hieroſolymitana deduceretur: ſed à Demetrio ſpecioſis promiſſis protrahitur, rogaturque viciſſim, ut ipſi auxilia adverſùs factioſos ſubmittat. Miſsa Iudæorum tria millia commodè, cùm aperta defectione Antiocheni cives, ad centum viginti millia, ſumptis armis, Regem ad necem quærerent. Auxiliares Iudæi, juſſu Regis, ita in turbam tumultuantem ſæviêre, ut cæſis facilè centum millibus, parte urbis incenſa, ſpoliis divites, ad officium cæteros compulerint. Ingratus tamen Demetrius Ionathæ pro beneficiis malefacta repoſuit. cap 11. v. 38. ad 54.

CIX. Adductus ex Arabia à Tryphone Antiochus Velis filius, Rex conſtituitur: exauctoratus à Demetrio miles certatim ad eum confluit: pugnat cum Demetrio, eoque fugato Antiochiam ingreſſus, ſcribit ad Ionatham, eumque variis muneribus, ac Principatu donat, adjectis ad Iudæam urbibus quatuor: Simonem ornat præfecturâ urbium à Tyro ad Ægyptum uſque. cap. 11. à v. 54. ad 60.

CX. Ionathas adjuncto Syrorum exercitu, Palæſtinam petambulans, venit Aſcalonem, & à civibus honorificè ſuſcipitur: Gazam non admiſſus, eam obſidet, cogitque ad deditionem: acceptis obſidibus ac miſſis Hieroſolymam, Damaſcenam regionem perluſtrat; ubi nuntius affertur, duces Demetrii in Galilæa turbare. Eò citatis itineribus excurrit, relicto in provincia Simone, qui minimè otioſus Bethſutam, arcta & longa obſidione fatigatam, redegit in poteſtatem. Duces Demetrii audito Ionatham adventare, partem ſuorum locârant in inſidiis, in quas incautus ſe induit, & cùm à fronte atque à tergo premeretur, à maxima ſuorum parte deſertus, non longè abfuit ab extremo periculo. Invocato tamen ſuppliciter Deo, cum paucis prælium redintegrat, ordinesque hoſtium perturbat: quod conſpicati qui fugerant Ionathæ ſocii, reſumptis animis, ad eum redeunt, hoſtemque cæſis tribus virorum millibus, in ſua caſtra compellunt, Ionathas hinc Hieroſolymam revertitur. cap. 11. à v. 60. ad finem.

CXI. Deinde tempore uſus, ad Romanos & Spartiatas mittit, renovatum amicitiam. Intellecto, duces Demetrii auctis copiis reverti, illis extra fines occurrit, cumque exploratores nuntiaſſent, eos nocte caſtra Iudæorum aggredi ſtatuiſſe, ſuos jubet totam noctem in armis eſſe. Territi Ionathæ vigilantia & conſtantia Syri, & æquum Martem veriti, accenſis ad eludendos Iudæos ignibus, ſilentio convaſant, tranſitoque flumine Eleuthero, Ionathæ ſpem eos aſſequendi auferunt. Deflectit itaque in Arabiam, & Zabadæos prædatur ac vaſtat, tum rurſus obit regionem Damaſcenam. Simon ex alia parte maritimis præſidiis luſtratis, Ioppen, quæ ad Demetrium non obſcurè inclinabat, intercipit, ac præſidio munit. cap. 12. uſque ad v. 35.

CXII. Regreſſus Hieroſolymam Ionathas, ad munitiones excitandas convertitur: conſilio cum ſenioribus habito, urbis mœnia inſtaurat: inter urbem & Syrorum arcem murum excelſum excitat, quo præſidiarii omni commercio prohibiti arctentur. Sub idem tempus Simon in Sephela locum aliquem opportunè communit. cap 12. à v. 35. ad 39. Inter hæc Iudæi Hieroſolymitani ſcripsêre ad Iudæos Ægyptios, de agendis Deo gratiis, celebrandoque anniverſario feſto inſtaurati templi. Quæ epiſtola, alteri eorumdem Iudæorum inſerta, compendio refertur. lib. 2. cap. 1. v. 7. 8. 9.

CXIII. Cùm Tryphon Antiocho vitam & regnum adimere cogitaret, etiam Ionathan tollere ſtatuit, veritus ne conſiliis ſuis adverſaretur, & in eum finem venit in Bethſan. Ionathas, ſuſpicatus ipſum aliquid in Iudæam moliri, cum valido quadraginta millium exercitu obviam progreditur. Tanto apparatu territus Tryphon, ſcientiſſimè amicitiam ſimulat, ac denique Ionathæ perſuadet, ne ſe vanis ſumptibus, ſuos inani labore fatiget; exercitum dimittat, cum paucis ſecum Ptolemaïdem veniat, ejus urbis præfecturam, vicinaque præſidia, ac militem omnem ei ſe traditurum; eo conſilio ſe veniſſe. Credulus Ionathas tria ſolum virorum millia retinet: duobus illorum millibus in Galilæa relictis, cum reliquis mille Ptolemaïdem ingreditur. Ptolemæenſes cives, ſigno dato, portas occludunt, Ionatham comprehendunt, ſocios trucidant. A Tryphone miſſi, qui relictos in Galilæa invaderent, ſed paratos ad pugnam, & ex fugæ deſperatione feroces, aggredi non auſi, re infecta Ptolemaïdem rediêre. Socii Ionathæ, in Iudæam reverſi, ejus captivitate & cæterorum cæde nuntiata, luctu patriam complent. Nationes Iudæis finitimæ ipſos capite deſtitutos cogitant opprimere. cap. 12. v. 39. ad finem.

Simonis

Digitized by Google

Simonis principatus.

CXIV. CUM Tryphon totis viribus Iudææ immineret, in maximâ omniũ conſternatione Simon pro concione populi animos erigit, ſeque in Ducem offert, & magno omnium conſenſu accipitur: moxque Principatum à perficiendis Hieroſolymæ munitionibus auſpicatur. Deinde Ioppen novum præfectum ac præſidium, deducto veteri, mittit: tum in Tryphonem movet. Hic ad ſolitas artes converſus, per legatos illi nuntiat, Ionathan non teneri, niſi quòd ærario regio de certa pecunia obnoxius eſſet; dimiſſum autem iri, ſimul centum talenta, ac præterea filii ejus obſides ad ſe mitterentur. Simon intellecta fraude, ne tamen apud populum in invidiam vocaretur, ſi poſtulatis non annuiſſet, miſit quæ petebantur. Ionathas nihilominùs in vinculis retentus. Perfidus Tryphon, in Iudæam conatus irrumpere, à Simone arcetur: conatus item arci Hieroſolymitanæ commeatum inferre, nivibus prohibetur. Cùm itaque nihil vel vi vel fraude ageret, Ionatha & filiis ad Baſcamam occiſis, retro abit in Syriam. Simon ſublatis Ionathæ & liberorum oſſibus, altum ac magnificum parentibus, fratribuſque, ac ſibi monumentum in Modin ædificandum politis lapidibus curat, quod etiam longè ex mediterraneo mari eſſet conſpicuum. cap. 13. uſque ad v. 31.

CXV. Tryphon, ſublato Antiocho, regnum invadit, vexatiſque ſubditis, omnium odia incurrit. Simon munitis Iudææ præſidiis, per legatos Demetrio pollicitus ſe ad ejus partes tranſiturum, ſi libertas Iudæis reſtituatur, eam impetrat, litteraſque regias ea de re accipit. Captæ ex illo tempore tabulæ publicæ conſignari annis Simonis Summi Sacerdotis, Ducis ac Principis Iudæorum. Tum Gazam profectus, eam deditione capit, juſſiſque migrare civibus, ac fanis mundatis, Iudæos in ea urbe collocat. Paullò pòſt arcis Hieroſolymitanæ præſidiarii, fame coacti, deditionem fecêre. Arcem cum feſtis lætitiæ ſignis ingreſſus Simon, anniverſarium hujus gaudii diem ſuis edicit. Denique monte templi communito, & ad ſuam habitationem electo, Ioannem filium principem militiæ creat. cap. 13. à v. 31. uſque ad finem.

[Anno 170. Græcorum. Ante Chriſtum 142.]

[Anno 171. Græcorum. Ante Chriſtum 140.]

CXVI. Demetrius cum copiis in Mediam profectus, ad nova auxilia contra Tryphonem contrahenda, victus ab uno è Ducibus Arſacis Parthorum Regis, captuſque, ad eum abducitur. Sub Simone Principe Iudæi pace ac copiis florent. Romani ac Spartiatæ Simoni per litteras gratulantur, & amicitiam renovant. Mittit ipſe Romam legatum cum aureo clypeo, ad confirmationem & monumentum ſocietatis. Summa conſenſione animorum, Simoni liberiſque hæreditarius Iudææ Principatus cum Summo Sacerdotio à populo confirmatur, ob beneficia ab ipſo ac fratribus accepta, eaque cum inſigni elogio in tabulis deſcripta, ad poſteritatis memoriam conſpicuo loco in Templi peribolo proponuntur, ejuſdemque exemplum Simoni datur in ærario aſſervandum. Toto cap. 14.

[Anno 172. Græcorum. Ante Chriſtum 139.]

CXVII. Antiochus Sidetes, Demetrii apud Parthos captivi frater, ſcriptis ad Simonem honorificis litteris, confirmataque Iudæis libertate, venit in Syriam: ad eum paſſim à Tryphone deficitur: quem denique Doræ, ubi ſe rebus ſuis diffiſus concluſerat, ingenti exercitu circumvallat. Redit

[Anno 174. Græcor. Ante Chriſtum 137.]

interea

interea Româ legatus Simonis, cum literis Lucii Conſulis ad Reges & provincias, quibus denuntiabatur, ne quid à quoquam in Iudæos Romanorum ſocios moveretur. cap. 15. uſque ad v. 25.

CXVIII. Reſumit Antiochus Doræ oppugnationem: ſubmiſſa ad ſe à Simone munera, & bis mille electos auxiliares reſpuit; & contra fidem litteris datam, ab eo abalienatus, per legatum repetit Gazaram, Ioppen, arcem Hieroſolymitanam, aut pro illis talenta argenti quingenta, aliaque item quingenta pro damnis illatis. Reſpondet Simon, ſe nationi Iudaïcæ ſua vindicâſſe; ſi quæ aliena invaſerit, ad injurias propulſandas coactum id feciſſe; offerre pro compenſatione Ioppes, & Gazaræ, talenta argenti centum. Silentio exceptum à legato reſponſum, relatumque ad Regem, ejus animum magis accendit. Cendebæo igitur, rei maritimæ præfecto, expeditionem in Iudæos committit, addicta militum manu, datoque in mandatis, ut in viſceribus Iudææ præſidium collocet, Iudæoſque omnimodis divexet: quod ab ipſo impigrè præſtitum. Inter hæc Tryphon Dora elapſus, navigio evadit in Orthoſiada ſeu Antaradum, quò eum Antiochus inſequitur. cap. 15. à v. 25. ad finem.

CXIX. Simon, ætate jam gravis, belli adversùs Cendebæum gerendi curam liberis Iudæ, & Ioanni, committit. Coactis copiis Cendebæum adorti, in fugam avertunt. Iuda inter pugnandum vulnerato, Ioannes fugientes inſecutus Cedronem & Azotum uſque: turres, in quas ſe receperant, incendit: cæſis duobus hoſtium millibus, in Iudæam regreditur. cap. 16. uſque ad v. 11.

Anno 177. Græc. Ante Chriſtum 134. CXX. Ptolemæus gener Simonis, Summo Sacerdotio inhians, illum, dum Iudæam obit, ad ſe invitat, liberaliuſque habitum, in ipſo convivio per ſummum ſcelus obtruncat, ejuſque præterea filios Iudam & Mathathiam, ac quoſdam ex comitibus. Mox Antiocho per literas patrati facinoris ſeriem nuntiat, copiaſque poſtulat, quibus ſe Regi Iudæam aſſerturum pollicetur: Mittit qui Ioannem fratribus addant, qui Hieroſolymam & templum occupent: tribunos promiſſis ſolicitat. cap. 16. à v. 11. ad 21.

Ioannis Hircani principatus.

CXXI. IOANNES de patris fratrumque cæde, & periculo ſuo, per fidum quempiam magna celeritate præmonitus, qui ad ſe occidendum venerant occupat, & interficit. Iſtius Ioannis Hircani præclarè factis compendio perſtrictis, finis libro primo imponitur.

CXXII. His ſubjicienda, quæ Auctor libri ſecundi quaſi extra ordinem hiſtoriæ ſuæ præmiſit, toto primo capite, & verſibus novemdecim capitis ſecundi. Continetur illis epiſtola Iudæorum, Hieroſolymis degentium, ad Iudæos Ægyptios, data Ioanne Hircano Pontifice, anno Græcorum 188. qui incurrit in annum 123. ante Chriſti ortum. Eâ epiſtolâ hi ab illis excitantur ad agendas Deo gratias de Antiochi morte; item ad recolendum annuatim feſto ritu diem ignis de cælo dati Nehemiæ, ſacrificare paranti: cujus hiſtoriæ occaſione alia inſeritur de arca è Templo, antequam illud juſſu Nabuchodonoſoris combureretur, ſublata, & per Ieremiam abſcondita.

CXXIII. Hanc totius hiſtoriæ Machabæorum ſeriem aptiſſimè claudent duo poſtremi verſus libri ſecundi, quibus Auctor à Lectore ignoſci poſtulat,

poſtulat, ſi quid ſtylo peccaverit, & tam vera, tamque illuſtria facta verbis non æquaverit: quamquam nec ſemper accuratam dicendi rationem in hiſtoriis placere.

Subjicio ſeriem Regum Syriæ & Ægypti, quæ ad intelligentiam Hiſtoriæ Machabæorum non parum facit: item Summorum apud Iudæos Pontificum, in quorum annis conſignandis, ſecutus ſum probatiſſimos Chronologos. Adverte tamen, me annos ſolidos computare, etſi aliquando dimidiati, aut ſaltem diminuti ſint: quia in illis ſectionibus temporum non parvæ ſunt inter Chronologos tricæ, quas hic tangere aut definire mei inſtituti non eſt, neque operæpretium ad rem noſtram. Si quid difficultatis enodandum erit, meliùs ad commentarios reſervabitur.

Series Regum Syriæ.

Horum Regum tempus complectitur Hiſtoria Machabæorum.

		Anni Regni.	Ab Anno ante Christum.
	ALEXANDER MAGNUS	12	335
	Poſt mortem Alex. ante regnum Græcorum ſeu Syriæ firmatum, abiêre anni toti	12	
I.	SELEUCUS NICANOR	32	310
II.	ANTIOCHUS SOTER ejus F.	19	279
III.	ANTIOCHUS II. Θεὸς Sot. F.	15	260
IV.	SELEUCUS II. Callinicus Θεοῦ F.	20	245
V.	SELEUCUS III. Ceraunius Callin. F.	3	225
VI.	ANTIOCHUS III. Magnus Callin. F.	36	223
VII.	SELEUCUS IV. Philopator Magni F.	12	186
VIII.	ANTIOCHUS IV. Epiphanes Magni F.	11	174
IX.	ANTIOCHUS V. Eupator Epiph. F	2	162
X.	DEMETRIUS, Soter Seleuci Philop. F.	11	160
XI.	ALEXAND. VELES, Epiph. F.	5	150
XII.	DEMETRIUS II. Nicanor Demet. F.	5	145
XIII.	ANTIOCHUS VI. Alex. Velis F.	4	141
XIV.	TRYPHON primùm ſub nomine pupilli Antiochi, tum ſuo	3	
XV.	ANTIOCHUS VII. Sidetes Demet. Sot. F.	9	137
XVI.	DEMETRIUS II. iterum — Alexander Zebi-	4	129
XVII.	SELEUCUS V. Demet. Nica. F. — na Tyrannus	1	125
XVIII.	ANTIOCHUS VIII. Gryphus Demetr. Nic. F.	12	124
XIX.	ANTIOCHUS IX. Cyzicenus Side. F.	18	112

Duorum poſtremorum Regum filii, inter ſe pugnando, Syriam lacerarunt.

Series Regum Ægypti.

In horũ ætatem incidit Machabæorum Hiſtoria.

		Anni Regni.	Ab Anno ante Christum.
	ALEXANDER MAGNUS ut ſuprà.		
I.	PTOLEMÆUS Lagi F.	40	324
II.	PTOLEMÆUS PHILADELPHUS	38	284
III.	PTO. EVERGETES	26	247
IV.	PTO. PHILOPATOR ſeu EUPATOR	17	221
V.	PTO. EPIPHANES	24	204
VI.	PTO. PHILOMETOR	35	180
VII.	PTO. EVERGETES ſeu PHISCON	29	145
VIII.	PTO. LATHURUS	17	116
IX.	PTO. ALEXANDER	10	99
X.	PTO. LATHURUS iterum	8	89
XI.	PTO. ALEXANDER AULETES	30	81
XII.	CLEOPATRA	22	51

Series

Series Summ. Pontificum eodem tempore.

			Anni Pon.		Ad Anno ante Christum.
	IADDUS ſeu IEDDOAS		40	——	363
	ONIAS		24	——	323
	SIMON		12	——	299
	ELEAZARUS		32	——	287
	MANASSES		9	——	255
	ONIAS II. Simonis Juſti F.		14	——	245
	SIMON. II.		25	——	231
	ONIAS III.		36	——	206
	JASON Oniæ III. Frater	permiſtim fuêre Pſeudo-Pont. annis	6	——	171
	MENELAUS			——	
	LYSIMACHUS			——	
Horum meminit Hiſtoria Machabæorum.	MATHATHIAS		1	——	165
	JUDAS MACHABÆUS	Alcimus Pſeudo-Pont.	6	——	164
	JONATHAS		19	——	159
	SIMON		8	——	141
	JOANNES HIRCANUS		31	——	133

Secuti ex Haſamonæorum ſeu Machabæorum genere uſque ad Herodem Aſcalonitam.

COM-

COMMENTARII HISTORICI ET MORALES PERPETVI AD PRIMVM MACHABÆORVM LIBRVM,

ADDITIS LIBERIORIBVS EXCVRSIBVS

A R. P.

JOANNE ERARDO FULLONIO LEODIENSI,
Societatis JESU Theologo.

LIBRI PRIMI MACHABÆORUM.

CAPUT PRIMUM.

ARGVMENTVM.

Alexander Macedo, debellatis Perſis, Monarchiam ad Græcos transfert, eámque, poſt paucos regni annos, inter ſuos ſub mortem partitur. Ex his oriundus Antiochus Epiphanes Rex Aſiæ, in Iudæos mirè ſævit, tum ſuapte ſponte, tum perſidorum quorumdam Iudæorum impulſu. Erupit potiſſimùm ejus rabies poſt Ægyptiacam expeditionem: captâ enim Hieroſolymâ, ingentíque civium ſtrage editâ, ac templo direpto, poſt biennium eò rurſus tributorum præfectum miſit, à quo nova civium ſtrages edita, ſacra & profana in promiſcuo habita, Templum contaminatum, arx ædificata. Denique Antiochus ad religionem penitùs exſcindendam, minis, vi aggreditur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET factum eſt, poſtquam percuſſit Alexander Philippi
Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de terra
Cethim, Darium regem Perſarum & Medorum: 2. Con-
ſtituit prælia multa, & obtinuit omnium muniriones, &
interfecit reges terræ: 3. Et pertranſiit uſque ad fines terræ:
& accepit ſpolia multitudinis Gentium: & ſiluit terra in
conſpectu ejus. 4. Et congregavit virtutem, & exercitum
fortem nimis: & exaltatum eſt, & elevatum cor ejus: 5. Et obtinuit regio-
nes Gentium, & tyrannos: & facti ſunt illi in tributum. 6. Et poſt hæc deci-
dit in lectum, & cognovit quia moreretur. 7. Et vocavit pueros ſuos nobi-
les, qui ſecum erant nutriti à juventute: & diviſit illis regnum ſuum, cùm
adhuc viveret. 8. Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt.

9. Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unuſquiſque in loco ſuo: 10. Et im-
poſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem ejus, & filii eorum poſt eos
annis multis, & multiplicata ſunt mala in terra. 11. Et exiit ex eis radix pec-
catrix, Antiochus illuſtris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obſes: &
regnavit in anno centeſimo trigeſimo ſeptimo regni Græcorum. 12. In die-
bus illis exierunt ex Iſraël filii iniqui, & ſuaſerunt multis dicentes: Eamus, &
diſponamus teſtamentum cum Gentibus, quæ circa nos ſunt: quia ex quo
receſſimus ab eis, invenerunt nos multa mala. 13. Et bonus viſus eſt ſermo
in oculis eorum. 14. Et deſtinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad Re-
gem: & dedit illis poreſtatem ur facerent juſtitiam Gentium. 15. Et ædifica-
verunt gymnaſium in Ieroſolymis ſecundùm leges Nationum: 16. Et fece-
runt ſibi præpuna, & receſſerunt à teſtamento ſancto, & juncti ſunt Nationi-
bus, & venumdati ſunt ut facerent malum. 17. Et paratum eſt regnum in
conſpectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, ut regnaret ſuper duo
regna. 18. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, &
elephantis, & equitibus, & copioſa navium multitudine: 19. Et conſtituit
bellum adverſus Ptolemæum regem Ægypti, & veritus eſt Ptolemæus à facie
ejus, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi. 20. Et comprehendit civitates
munitas in terra Ægypti: & accepit ſpolia terræ Ægypti. 21. Et convertit
Antiochus, poſtquam percuſſit Ægyptum in centeſimo & quadrageſimo ter-
tio anno: & aſcendit ad Iſraël. 22. Et aſcendit Ieroſolymam in multitudine
gravi. 23. Et intravit in Sanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare au-
reum, & candelabrum luminis, & univerſa vaſa ejus, & menſam propoſitio-
nis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & or-
namentum aureum, quod in facie Templi erat: & comminuit omnia. 24. Et
accepit argentum, & aurum, & vaſa concupiſcibilia: & accepit theſauros
occultos, quos invênit: & ſublatis omnibus abiit in terram ſuam. 25. Et fe-
cit cædem hominum, & locutus eſt in ſuperbia magna. 26. Et factus eſt plan-
ctus magnus in Iſraël, & in omni loco eorum: 27. Et ingemuerunt principes,
& ſeniores: virgines, & juvenes infirmati ſunt: & ſpecioſitas mulierum im-
mutata eſt: 28. Omnis maritus ſumpſit lamentum: & quæ ſedebant in thoro
maritali lugebant: 29. Et commota eſt terra ſuper habitantes in ea, & uni-
verſa domus Iacob induit confuſionem. 30. Et poſt duos annos dierum,
miſit Rex principem tributorum in civitates Iuda, & venit Ieruſalem cum
turba magna. 31. Et locutus eſt ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt
ei. 32. Et irruit ſuper civitatem repentè, & percuſſit eam plaga magna, &
perdidit populum multum ex Iſraël. 33. Et accepit ſpolia civitatis: & ſuccen-
dit eam igni, & deſtruxit domos ejus, & muros ejus in circuitu: 34. Et ca-
ptivas duxerunt mulieres: & natos, & pecora poſſederunt. 35. Et ædificaverunt
civitatem David muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta eſt in illis in
arcem: 36. Et poſuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & conva-
luerunt in ea, & poſuerunt arma, & eſcas, & congregaverunt ſpolia Ieruſalem;
37. Et repoſuerunt illic: & facti ſunt in laqueum magnum. 38. Et factum eſt
hoc ad inſidias Sanctificationi, & in diabolum malum in Iſraël: 39. Et effude-
runt ſanguinem innocentem per circuitum Sanctificationis, & contaminave-
runt Sanctificationem. 40 Et fugerunt habitatores Ieruſalem propter eos, &
facta eſt habitatio exterorum, & facta eſt extera ſemini ſuo, & nati ejus reli-
querunt eam. 41. Sanctificatio ejus deſolata eſt ſicut ſolitudo, dies feſti ejus
converſi ſunt in luctû, Sabbatha ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum.
42. Secundùm gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus: & ſublimitas ejus
converſa

converſa eſt in luctum. 43. Et ſcripſit rex Antiochus omni regno ſuo, ut eſſet
omnis populus, unus: & relinqueret unuſquiſque legem ſuam. 44. Et conſen-
ſerunt omnes gentes ſecundùm verbum regis Antiochi: 45. Et multi ex Iſraël
conſenſerunt ſervituti ejus, & ſacrificaverunt idolis, & coïnquinaverũt ſabbatũ.
46. Et miſit Rex libros per manus nuntiorum in Ieruſalem, & in omnes civi-
tates Iuda: ut ſequerentur leges Gentium terræ, 47. Et prohiberent holocauſta,
& ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei, 48. Et prohiberent celebrari
ſabbatum, & dies ſolennes: 49. Et juſſit coinquinari Sancta, & ſanctum popu-
lum Iſraël. 50. Et juſſit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes
ſuillas, & pecora communia, 51. Et relinquere filios ſuos incircumciſos, &
coïnquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita ut
obliviſcerentur legem, & immutarent omnes juſtificationes Dei. 52. Et qui-
cumque non feciſſent ſecundùm verbum regis Antiochi morerentur. 53. Se-
cundùm omnia verba hæc ſcripſit omni regno ſuo: & præpoſuit principes po-
pulo, qui hæc fieri cogerent. 54. Et juſſerunt civitatibus Iuda ſacrificare. 55. Et
congregati ſunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini: &
fecerunt mala ſuper terram: 56. Et effugaverunt populum Iſraël in abditis, &
in abſconditis fugitivorum locis. 57. Die quintadecima menſis Caſleu, quinto
& quadrageſimo & centeſimo anno, ædificavit rex Antiochus abominandum
idolum deſolationis ſuper altare Dei, & per univerſas civitates Iuda in circui-
tu ædificaverunt aras: 58. Et ante januas domorum, & in plateis incendebant
thura, & ſacrificabant: 59. Et libros legis Dei combuſſerũt igni, ſcindentes eos:
60. Et apud quemcumque inveniebantur libri teſtamenti Domini, & qui-
cumque obſervabat legem Domini, ſecundùm edictum regis trucidabant eum.
61. In virtute ſua faciebant hæc populo Iſraël, qui inveniebatur in omni menſe
& menſe in civitatibus. 62. Et quinta & vigeſima die menſis ſacrificabant ſuper
aram, quæ erat contra altare. 63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos,
trucidabantur ſecundùm juſſum regis Antiochi, 64. Et ſuſpendebant pueros à
cervicibus per univerſas domos eorum: & eos, qui circumciderant illos, tru-
cidabant. 65. Et multi de populo Iſraël definierunt apud ſe, ut non manduca-
rent immunda: & elegerunt magis mori, quàm cibis coïnquinari immundis:
66. Et noluerunt infringere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt: 67. Et facta
eſt ira magna ſuper populum valdè.

COMMENTARIUS AD CAPUT PRIMUM.

Hebraïſmi notæ in hoc libro. ✝. 1. ET FACTVM EST. Redundat, *Et*, more in Scriptura uſitatiſſimo, Hæbræiſque familiari: ſic enim in Hebræo Exodus, Leviticus, Numeri, Joſue, Judices, aliiq; divini libri inchoantur per ejuſmodi particulas. Joſephus etiam Gorionides Scripturæ ſimia, Serario teſte, omnes hiſtoriæ ſuæ libros à vocula, *Et*, incipit. Vel hinc colligere poſſis ſcriptum hunc librum Hebraicè, ut in Prolegomeno monuimus, cùm ab Hebraïſmo narrationẽ ingrediatur. Dicit hic Liranus, per conjunctionem, *Et*, jungi hiſtoriam Machabæorum cum hiſtoria Judith, etſi longo intervallo diſtet: ſaltem dixiſſet jũgi cum hiſtoriâ Nehemiæ, quæ iſtâ poſterior eſt. Meliùs Rabanus, D. Gregorium ſecutus hom. 2. in Ezech. ait, connecti ſermonem externum ſacri Hiſtorici cum interno. Sed & hoc nimis longè arceſſitum eſt. Eruditè Serarius noſter quæſtiunculâ 1. in cap. 5. libri Judith, quod incipit ab, *Itaque*, notat etiam profanis ſcriptoribus uſitatum modum, inchoandi ex abrupto ſermonis, ab aliqua particula: ut illud eſt Propertii, eleg. 17. *Et meritò, quoniam potui fugiſſe:* & illud Canaces apud Ovidium: *Si qua tamen cæcis errabunt ſcripta lituris:* & iſta Ciceronis in Epiſtolis: *Tu igitur: Tu verò: An tu,* &c.

POSTQVAM PERCVSSIT. Hæc vox *percuſſit* bis repetitur in Græco, manifeſtâ rurſus Hebraiſmi notâ. Sic enim habet: *Et factum eſt, poſtquam percuſſit* μετὰ τὸ πατάξαι, *Alexander Philippi Macedo, qui egreſſus eſt de terra Chettiim. & percuſſit Dariũ,* καὶ ἐπάταξε, &c.

Alexander quomodò Philippi? An ejus filius? ALEXANDER PHILIPPI MACEDO, ille cui paſſim Magni nomen tribuitur, ob res maximas, mirâ celeritate, eâ ætate, cum exiguis præ hoſtium multitudine copiis, geſtas. Dicitur *Philippi*, ſupple, ut vulgò putant, *Filius*. Etſi ipſe, proſperâ fortunâ dementatus, patrẽ illum poſtea dedignatus

fuerit, volueritque Jovis Ammonis haberi filius; ejuſque mater Olympias, vana & impia mulier, ad divinitatis opinionem filio conciliandam, ſe ex ſerpente ingentis magnitudinis, non ex viro, Alexandrum genuiſſe affirmârit.

An adulterinus? Niſi dicamus omninò ex adulterio natum fuiſſe: quod à multis olim creditum, credibile nobis hodie multa faciunt. Quia Olympias à Philippo repudiata fuit, ob ſtupri ſuſpicionem, aut, ut alii ſcribunt, ob adulterium compertum. Quia Olympias ex Deorum aliquo ſe concepiſſe poſtmodum jactavit: quo figmento ſolenne fuit apud Gentiles adulteria colorare, ut Ledæ & Alcmenæ apud Poetas celebribus factum. Quia Philippus occiſus fuit, Olympiade conſcia, imò & Alexandro: cùm parricidæ corpus Olympias de patibulo palàm deponendum curaverit, juſta ipſi fecerit, honoreſque etiam divinos ejus Manibus deferri voluerit. Quia Olympias efferi fuit ac crudelis ingenii, quomodò in Caſſandræ ejus æmulæ ſupplicio, ad Phalaridis exemplum inflicto, ſpectatum eſt, ut alia taceam: crudeles autem fœminæ, eædem ferè in libidinem projectæ ſunt. Quia Philippus, ultimo propè vitæ tempore, Alexandrum filium ſuum non eſſe prædicavit, teſte Juſtino. Quia Alexander ipſe, ſtirpis ſuæ incertus, ad Ammonis cornigeri oraculum ea potiſſimùm de cauſſa adiit, ut certi aliquid diſceret, teſte Arriano, qui ejus hiſtoriam ex ephemeridibus ipſius domeſticis contexuit. His rationibus non temerè ſuſpicabimur, Philippi filium non fuiſſe: nec mirabimur, vires ipſi & ſpiritus innatos, quales nothis plerumque ac ſpuriis eſſe ſolent, quando ex ardentibus ad probroſam libidinem parentibus gignuntur: ut in Goliatho ſpurio ſacra hiſtoria advertit; in Carolo Martello, Pipini Jupilienſis, & Alpaidis Aurotanæ filio, noſtra Leodienſium; aliæ, in aliis. Dicitur itaque hîc *Alexander Philippi*: quia, etſi probabilius ſit ejus revera filium non fuiſſe, ipſi tamen adſcriptus eſt, quemadmodùm *Hercules Amphitryoni, marito Alcmenæ: dedecoroſam originem ſuſpicantibus plurimis; paucis, quamdiu ſuperſtes fuit, notare audentibus. Vocatur autem *Macedo*, quia in Macedonia natus, ex Macedonum ſaltem Regina ſi non ex Rege, & ipſe Rex Macedonum.

Græcia quid hic ſignificet? Qui primus regnavit in Græcia. Poteſt Græciæ nomen hîc tripliciter ſumi, pro Macedoniâ, pro Græciâ preſsè ſumptâ, & pro Monarchiâ Græcorum: Si Græciam ſumas pro Macedonia; nullâ ratione poteſt illic dici Alexander primus regnâſſe, quem plures Macedonum Reges anteceſſerunt. Si autem nomine Græciæ intelligas eam, quæ preſsè ac propriè Græcia dicitur, ſeu Ἑλλάς, quod verbum habetur in textu Græco: neque ſic ibi primus regnavit, cùm ne regnârit quidem. Eſto enim, totius Græciæ communi concilio Imperator, ſeu Dux militaris expeditionis adversùs hoſtes communes, ac præſertim Perſas creatus ſit, ut habetur in ſupplemento Curtii lib. 2. & Diod. ſic lib. 27. aliiſque: non tamen ideo umquam Rex Græciæ appellatus eſt. Sed neque ejus Imperii nomine poteſt dici, vel impropriè, primus regnâſſe in Græcia; cùm ante eum Philippo ejus patri idem Ducatus delatus ſit: Imò & Athenienſes ac Lacedemonii diu de Imperio Græciæ decertârint, idque nunc hi, nunc illi ſibi arrogârint, prout res cadebant.

Alexander quomodò primus Monarcha Græcus. Supereſt tertia explicatio de Monarchia Græcorum, qui verus eſt & germanus hujus loci ſenſus: ut dicatur *primus regnâſſe in Græcia*, ideſt, primus Monarchiam ad Græcos à Perſis tranſtuliſſe. Et hic ſenſus clariùs indicatur in textu Græco, ubi, quod in noſtra poſtponitur de Dario devicto, antè poſitum eſt, & ſubditur, καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ᾽ αὐτοῦ πρότερος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα. *Et regnavit pro ipſo*, ideſt Dario, prior, ſive *primus in Græcia*: quaſi dicat Darii regnum ſeu Monarchiam primus in Græciam, ſeu ad Græcos, tranſtulit.

Egressus de terra Cethim. Græcè χεττιείμ, ſeu ut Nobilii editio habet χεττιείμ: quod nomen Septuaginta uſurpant interdum pro Hethæis, verbi cauſsâ 3. Reg. 10. v. ult. ubi noſtra Vulgata habet Hethæorum, Hebræa hitthim, per ה he, non per ח Cheth. Sept. tamen habent χεττιείμ.

Dubitari autem non debet, quin hîc nomine Cethim Macedonia ſignificetur: præſertim cùm cap. 8. v. 5. Philippus & Perſeus, Macedoniæ Reges, vocentur Reges Cethæorum. Præterea unde meliùs dici poteſt egreſſus Alexander, quàm de regno ſuo, unde maximam copiarum ſuarum partem eduxit, & per Traciam ad Helleſpontum vênit, in Aſiam tranſmiſſurus, ut paſſim habetur apud profanos hiſtoricos? Cethim hîc, id eſt Macedonia.

Sed difficultas eſt: Cur hîc Macedonia Cethim vocetur, cùm alibi in Scriptura aliter accipiatur id nomen? Verbi cauſsâ, Num. 24. v. 24. ubi in Hebræo habetur: *Et naves de littore Cethim*: Hier. vertit, *venient in trieribus de Italia*: Chald. *Romani*. Quam verſionem probant, quæ ſubduntur de vaſtandis Hebræis, & intelligenda ſunt probabiliſſimè de excidio Hieroſolymitano per Titum & Vaſpaſianum. Item Dan. 11. v. 30. ubi Propheta prædicit fore, ut Antiochus Epiphanes Ægypto inhians, compeſcatur *à venientibus ſuper eum trieribus & Chetim* ſeu *Hitthim*, Græcè κίτιοι *Citii*: Hieronymus vertit, *Romanis*, & quidem aptiſſimè, cùm revera à Romanis coactus ſit Antiochus ex Ægypto excedere fruſtrato conatu. Item Ezech. 27. v. 6. in Hebræo habetur, *De inſulis Cethim*: Hieronymus vertit, *de inſulis Italiæ*; Interpres Paraphraſeos Chaldaicæ vertit *de provincia Apulia*. Alibi Italiam ſignificat.

Adde à Joſepho 1. Antiq. cap. 7. affirmari Cethim eſſe Cyprum Inſulam: & verò conſtat in Cypro urbem fuiſſe Citium, unde ortus eſt Zeno Citiæus Philoſophus, Stoicæ Sectæ auctor, ſeu Hæreſiarches, ut eum vocat hac ipſa de re agens Hieronymus lib. 5. in Iſa. cap. 23. Diſertè etiam Epiphanius, Cypri Epiſcopus, hær. 30. *Omnibus*, inquit, *manifeſtum eſt Citium Cypriorum Inſulam appellari*. Et Procopius ita ea voce cenſet Cyprum in Scriptura ſignificari: ut etiam de illa interpretetur, quod eſt Judicum 1. v. 26. de Hitthim, Græcè χεττίν. Quorſum igitur hic Macedonia Cethim appellatur, cùm alibi Italia, & Cyprus? Augere poteſt difficultatem, quòd Jer. 2. v. 10. dicatur: *Tranſite ad inſulas Cethim*, ut nomine Cethim videantur aliquæ inſulæ intelligendæ: Atqui Macedonia eſt continens; quomodò igitur poteſt intelligi nomine Cethim, vel inſulæ? Alibi Cyprum.

Cur hic Macedoniam? Reſponſio ad hæc argumenta facilis eſt, ſi advertas, nomen iſtud Cethim, quod ab uno ex filiis Japheth, ſeu à Cethim filio Javan. Gen. 10. 4. 5. originem habet, paullatim traductum ad Europæas omnes gentes, quæ Judæis tranſmarinæ ſunt; adeóque generale eſſe, & ad particulares gentes aptari pro ratione materiæ ſubjectæ. Sic etiam in Scriptura nomen *Tharſis*, nomen *Filiorum Orientis*, aliáque, generalia ſunt, quæ tamen interdum, prout res fert, ad particularia accomodantur. Hinc habes, cur alibi Romani nomine

Cethæorum

Cethæorum* intelligantur, hic Macedones. De Cypriis autem minor eſt difficultas. Ut enim demus Joſepho & Epiphanio, Cyprum Inſulam Cethim propriè dictam à nepote Japheti: nihil tamen novi eſt, ſi dicamus nomen particulare unius provinciæ, aut loci tranſire ad alia: ita nomen *Ponti* apud Latinos tranſiit ad omnia maria; nomen *Indiarum* hodie ad totum orbem novum. Sic Joſephus ibidem tradit, quia in Cyprum ex Judæa navibus eundum erat, factum eſſe, ut tum Inſulas omnes, tum pleraque loca maritima Hebræi gentili voce Cethim ſignificarent. Eumdem in modum Epiph. poſtquam dixit *Cyprios Citios* eſſe, addit & *Rhodios*: ſed & in Macedonia, inquit *genus Cypriorum & Rhodiorum habitavit, & ea de cauſſa in Machabæis habetur, quòd exivit ſemen è terra Citienſium.* Accedit quòd Livius Decadis 5. l. 2. meminerit Citii urbis in Macedonia, ad quam omnes Perſei copiæ convenerant: Item à Ptolemæo memoretur urbs in Macedonia Cethæ dicta.

Inſulæ Gentium quid?

Ad verba Jeremiæ de Inſulis Cethim, facilis eſt ex dictis reſponſio. Adde ibi, nomine inſularum, poſſe intelligi gentes ſingulas, finibus ſuis inter ſe diſcretas: quomodò domos in urbibus, inter ſe plateis disjunctas, inſulas vocamus. Et hoc ſenſu etiam intelligo verſu. 5. Gen. cap. 10. *Inſulas Gentium*, quæ dicuntur à filiis Javan profeminatæ. Sic etiam ejuſdem 10. cap. v. 32. ubi nos generatim de filiis Noë habemus, *Ab his diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium*, habent 70. *Inſulæ gentium*, νήσοι, ideſt, nationes linguis ac finibus, inſularum inſtar, diſterminatæ. Et hinc patet, cur nomine Cethim in textu noſtro Macedoniæ regnum intelligi poſſit, ac debeat.

Quis hic Darius?

Darium Regem Persarum et Medorum. Ultimum Perſarum Monarcham, cognomine Codomanum: ut à Dario Medo, de quo apud Danielem mentio; & à Dario Hyſtaſpis, de quo libri Eſdræ loquuntur; & à Dario notho diſtinguatur. Hunc autem Darium Codomanum ſignificabat aries duorum cornuum Dan. 8.

Cur Alexander dictus Dilcarnaim, ſeu Bicornis.

Propter quam forſan rationem dictus eſt Alexander *Dilcarnaim*, id eſt Bicornis, apud Abul Haſſu Saracenum, & Alfraganum: quòd ſcilicet bicornem arietem proſtraviſſet, id eſt Regem eâ figurâ tanto antè præſignatum, adumbratus ipſe per hircum unico inſigni cornu ſpectabilem. Niſi malis Bicornem dictum, quia regna duo Perſarum & Medorum adjunxiſſet ſuo: aut quod duo teneret imperia, Orientis, & Occidentis. Potuit etiam ſic vocari, quòd ſe Jovis Ammonis, qui arietino capite pingebatur, filium ferret, & imaginibus ſuis ac ſtatuis arietina cornua appingi vellet, qualia in numis antiquiſſimis hodieque videntur. Denique ad ejus potentiam, faſtum, vires indicandas Hebraica phraſi, quâ cornu exaltare, cornibus ventilare, producere cornu, aliquando fortitudinem, aliàs ſuperbiam ſignificat: & nos vulgo de faſtuoſo nomine dicimus, erigere cornua, frangenda ejus cornua. Vide infrà ad verſ. 48. cap. 2.

Quæ Alexandri prælia?

℣. 2. Constituit prælia multa. Multa Alexandri certamina fuêre, ſeu in Europa, antequam in Aſiam transfretaret; ſeu in Aſia, poſt Darii mortem. Illuſtriſſima tria fuêre, quibus fractæ omnino Perſarum vires, & imperium corruit. Primum ad Granicum amnem Phrygiæ cum Darii ducibus: alterum ad Iſſum Ciliciæ: tertium & decretorium ad Arbela juxta Tigrin. Anno ſecundo regni transfretavit in Aſiam & primum prælium commiſit: Anno tertio ſecundum: Anno 4. & 5. Ægyptum, Phœniciam, Judæam ſibi ſubjecit, & Jaddum, ſeu Jeddoam Pontificem, in Sacerdotali veſte obviam venientem, poſitâ, quam in Judæos conceperat, irâ, adoravit, aut potiùs in ipſo Deum, ut ipſemet ait apud Joſephum lib. 11. cap. 8. & Danielis de ſe, ſub figurâ hirci arietem conteſentis, oraculum audivit. Anno 6. commiſſum tertium prælium, ſalutatusque Aſiæ Imperator. De numero militum Darii auctores profani mirè variant: certum ſaltem, in ſecundo præſertim ac tertio prælio, ita multitudine abundâſſe, ut ſingulis Alexandri militibus deni vel noveni minimùm à Dario opponi poſſent.

Et obtinuit munitiones: partim vi, ut Sardes, Epheſum, Miletum, Halicarnaſſum, Gazam, Tyrum poſt celeberrimam obſidionem: partim deditione, ut Babylonem, Suſa, Ægyptum totam.

Qui ab Alexandro Reges occiſi?

Et interfecit Reges terræ. Darium interfeciſſe dici poteſt hoc ſenſu, quòd ad fugam & extrema compulſum, eò redegerit, ut à ſuiſmet ſubditis conficeretur, conjuratorum capite Beſſo. Beſſum ipſum, qui Dario cæſo, & ſumpto diademate, Regem ſe dixerat, interfecit per Darii fratrem, cui illum torquendum & necandum dedit, in odium ſceleſtæ proditionis. Porus Indorum Rex, ex elephanto pugnans, parum abfuit quin à Macedonibus conficeretur. Præter hos, Reguli multi ac ſatrapæ variis certaminibus ab Alexandro, aut ejus ducibus, cæſi.

Quàm latè dominus.

℣. 3. Et pertransiit usque ad fines terræ. Pervaſit enim Indiam cis Gangem, ad Oceanum uſque, ubi terræ fines. Trans Gangem autem progredi prohibitus fuit, obmurmuratione & ſeditione Macedonum, poſt continuos tot labores, quietem denique, & fructum victoriæ, ſpectantium. Intacta itaque ipſi fuêre vaſtiſſima illa trans Gangem Serum, hodie Sinarum, regna, finitimique Scythæ, quos Tartaros dicimus, aliæque ad Orientem multæ nationes. Ut colligas eum, cujus ambitioni anguſtus eſſet orbis univerſus, via ejus duodecimam partem habuiſſe. Americam ne nôrat quidem. In Africa nil præter Ægyptum obtinuit: Æthiopas, Libyes, Numidas, cæteroſque, Luſitanorum victoriis aut commerciis luſtratos Africæ populos, non vidit. Aſiæ dimidium non ſubjugavit. In Europa nihil poſſedit, præter Macedoniam, & devictas à Philippo patre Græciæ provincias. Et hunc tamen, etiam nos ad cœlum nati Chriſtiani, Magnum vocamus, & miramur.

Quàm ſpoliis dives fuerit?

Et accepit spolia multitudinis gentium. Fœlicitatis humanæ caput unum, imperium & honor: alterum divitiæ, quæ & hîc Alexandro tribuuntur. Immenſa ſpolia ac prædam, ex tot Gentibus ab ipſo relata, dubitari non poteſt. Narrant profani hiſtorici, prælio ad Iſſum maximam prædæ vim fuiſſe, ſed totam militi conceſſam ab Alexandro, qui ſibi ſolum Darii tabernaculum, & quidquid in eo erat repoſitum, reſervavit. Poſt victoriam ad Arbela, in Regiis gazis ter mille argenti talenta reperit, alii quater mille numerant, præter ſupellectilem pretioſiſſimam. Suſis invenit quadraginta millia talentorum: Damaſci duo millia & ſexcenta: Perſepoli centum viginti millia, id eſt centum octoginta argenti milliones, ſi Attica talenta erant, & omnia argentea: nam ſi talenta erant Hebraica & Chaldaica, duplo ſumma augebitur; ſi quæ aurea fuiſſent, duodecuplo excreſcerent. His adiice repertos Ecbatanis alios, eoſque locupletiſſimos,

Regum theſauros. Denique congeſtas tot ſæculis, ex ditiſſimis Orientis provinciis; à tot retro Chaldæorum, Medorum, Perſarum Regibus, opes ipſe ſolus obtinuit, & tot urbium ac regnorum populationibus ſe, ſuoſque locupletavit, ad faſtidium uſque redundantium divitiarum.

Et siluit terra in conspectu eius. Phraſi Scripturæ pax bellis parta ſignificatur; victis populis pacatè jugum ferentibus. Statuerat quidem ipſe, quietis impatiens, novos in Aſia aut in Europa hoſtes vel facere, vel quærere, niſi milites expeditionem detrectâſſent.

Quis ejus exercitus?

℣. 4. Et congregavit virtutem et exercitum fortem nimis. Aut eſt Hyſteron proteron, figura in Scriptura frequens, cùm antecedentia conſequentibus poſtponuntur: copiarum enim collectio anteceſſit prælis, & victorias amè recenſitas, & exaltationem atque elevationem cordis, quæ huic verſui in Græcis Siſtinis anteponitur, in Latinis ſubjicitur. Aut particula, *Et*, ponitur pro *nam*, phraſi Hebræis uſitata; & præteritum *Congregavit*, pro pluſquam perfecto, quo tempore Hebræi carent, ſuppleturque ſæpe per præteritum: ut ſit ſenſus; *Nam congregaverat virtutem* &c. Utcumque ſit, ſignificatur hîc modus, quo res tantas, tantillo tempore, gerere potuit; quòd valido exercitu inſtructus eſſet, non militum numero, ſed robore. Aiunt triginta omnino peditum millia ſub ſignis habuiſſe, equitum quatuor millia quingentos, veteranos omnes, & victoriis aſſuetos: & in his phalangem Macedonicam, atque equites Theſſalos, præcipuum robur exercitûs. Audi de illis Juſtinum libro 11. *Hac tam parva manu univerſum terrarum orbem, utrùm ſit admirabilius, vicerit, an aggredi auſus fuerit, incertum eſt. Cùm ad tam periculoſum bellum exercitum legeret, non juvenes robuſtos, nec primo flore ætatis, ſed veteranos, pleróſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre, patruiſque militaverant, elegit: ut non tam milites, quàm magiſtros militiæ electos putares. Ordines quoque nemo niſi ſexagenarius duxit: ut ſi principia caſtrorum cerneres, Senatum te alicujus priſcæ Reipublicæ videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitavit; nec in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit.*

quàm enormis ambitio!

Et exaltatum est, et elevatum cor eius: Etiam ſupra humanam ſortem, ut pro Deo coli voluerit. Fecêre nati ad adulationem Perſæ: Macedonibus id perſuaderi non potuit. Auſus etiam petere à quibuſdam Græcorum Rebuſpublicis, ut in Deos vivus referretur, ridendâ an indignandâ ſuperbiâ. Sic ebrii fortunâ, & fœlicitatis impotentes animi, cùm ſupra homines elati ſunt, etiam hominum naturam dedignantur. Habes hoc ipſum in Nabuchodonoſore. Item in multis Romanorum Imperatoribus, qui cùm ad Deos evehi ambirent, infra homines abjecti ſunt.

Qui hîc Tyranni?

℣. 5. Et obtinuit regiones gentium, et tyrannos, et facti sunt illi in tributum. Tyrannos hîc in bonam partem accipe, id eſt Reges ac Regulos, qui ſubjecti aut dedititii Alexandro, in ſubjectionis ſignum tributa ſolverunt. Frequens autem eſt ejuſmodi acceptio nominis Tyrannus, tum in Scriptura, tum apud profanos auctores. Nobilius advertit, in quibuſdam exemplaribus Græcis ſic legi: *& obtinuit regiones, & gentes, & tyrannides, & fuerunt ei ſub tributo.*

Vanitatis vivum in moriente exemplar.

℣. 6. Post hæc decidit in lectum, et cognovit, quia moreretur. *Poſt hæc*: en celerem finem infinitæ cupiditatis. Poſtquam tamdiu ſteterat in cervicibus jacentium provinciarum coloſſus ille Macedonicus, *Decidit*. *Qui cecidit, ſtabilis non erat ille gradu*, baſim infirmam habebat, ſanitatem fluxam, vitam mortalem. *In lectum*: parum ſanè ipſius intererat, an in campum, an *in lectum* caderet: imò maluiſſet credo in acie cadere, nec alio lecto excipi, quàm terrâ, ut cum glorioſo illo diceret: *Decet Imperatorem ſtantem mori.* Jacet tamen, & *in lecto* quidem bellicoſus ille, ut nulla jam nunc ſit inter ipſum & effæminatos diſtinctio. *Et cognovit.* Antè ipſe ſibi ignotus cùm valebat, jam ſe cæpit ex fatali morbo cognoſcere: utinam meliùs cognoviſſet. *Quia moreretur*: poſterioribus Latinitatis ſæculis inolevit illa locutio, per Helleniſmum ὅτι reddito per *Quia* vel *Quòd*: *quia moreretur*, id eſt ſe moriturum. Cùm baſi ſuæ inſiſteret, imperio, divitiis elatus eſſet, æqualem aſtris ſe putaverat, quis ſe cum ſibi adjectis metiebatur: jam ſolum ſe conſiderat, & agnoſcit vitæ ſuæ menſuram extremam, & brevem. O quàm iſta percutiunt vanitatem: *Poſt hæc*, & *Decidit*, & *Cognovit*, & *Quia moreretur*, talis, tali tempore, tali loco!

An veneno mortuus Alexander?

De cauſſa mortis Alexandri inter hiſtoricos non conſtat. Juſtinus, Curtius, Suidas, Valerius Max. Plinius, Oroſius veneno ſublatum aiunt, quod tam potens fuerit, ut non teſtâ modò, ſed nec ferro, aut ære potuerit contineri, ungulâ ſolùm equi, muli, aut aſini; alii enim aliter. Plinius addit, id virus fuiſſe Stygis fontis aquam. Idem tradit Vitruvius, aitque ϛυγὸς ὕδωρ nominari, de Nonacridis Arcadicæ regionis ſaxo ſtillantes frigidiſſimos humores, quos mulina ſolùm ungula continere poſſit: iiſque necatum Alexandrum ab Antipatro, per Jollam filium. Plutarchus refert quidem ſententiam aliquorum, de extincto Alexandro potu aquæ, de Nonacride petra exſudantis: denique tamen totum illud de veneno, & aquæ potu, cujus auctorem Ariſtotelem etiam aliqui produnt, meram fabulam putat.

An potu nimio?

Aliis itaque magis placet ſententia dicentium, vinolentiâ ſublatum, quâ tum Græci omnes tunc laborabant, tum ipſe in primis, ad ebrietatem, imò ad amentiam uſque, ac furorem ſæpe compotare ſolitus. In extremæ tamen hujus compotationis narratione non omnes inter ſe auctores conveniunt.

An bibendi certamine, & ſcypho Herculaneo?

In provocatione ad æqualem hauſtum defeciſſe aſſerunt multi. Sen. ep. 83. his verbis: *Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas, victa temporum locorúmque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutum dimiſerunt: intemperantia bibendi & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus condidit.* Hujus Herculanei ſcyphi meminêre & alii. Athenæus libro 10. ejus capacitatem deſcribens, ait: Alexandrum in ultimo ſympoſio viginti convivis præbibiſſe, & ad extremum popoſciſſe ſcyphum, aut urnam potiùs, congiorum duorum, & Proteam è Macedonibus bibaciſſimum provocâſſe ad hauſtum æqualem; cùm uterque exhauſiſſet, à Protea viciſſim eodem ſcypho Alexandrum provocatum: illum rurſus ebibendo ſuffeciſſe; hunc verò inter bibendum deficiente ſpiritu, & viribus, inter manus accumbentium ſemianimem corruiſſe. Facilè ex his Athenæi verbis colliges, quantæ eſſet capacitatis iſtiuſmodi ſcyphus. Congius enim Romanis, Chus Atticis, erat ſextariorum ſex: ſextarius unciarum viginti: unde Congios duos ad noſtrates menſuras reduxeris nullo negotio; continebant

enim

enim viginti libras vini. Hinc etiam intelligi poteſt, cur ſcyphus Herculaneus diceretur, quòd qui eum exhauriret, viribus Herculcis eſſe oporteret.

Potando Alexander ſublatus. Hanc de Herculaneo ſcypho narrationem non probat Plutarchus, affirmat tamen immodicâ potatione confectum. Nam poſt ſplendidas epulas totum diem ac noctem continuatas, ruſum à Medio Theſſalo ad convivium invitatum, protractâ diu comeſſatione, inter pocula defectum viribus ac penè exanimatum corruiſſe, & à ſuis de convivio elatum, cùm diris viſcerum doloribus torqueretur, ferrum, quo ſe conficeret, petiiſſe. Hæc Plut. Ego planè putârim Alexandro mortis cauſſam, ſuam ebrietatis intemperiem fuiſſe, utcumque id factum ſit. Suadet primùm locus in quo mortuus eſt, Babylon, luxu ac comeſſaonibus diffluens: deinde Alexandri ipſius mores, hominis ad ſummam intemperantiam ebrioſi: denique tot ſcriptorum in idem conſentientium auctoritas. Senecam indubitanter affirmantem adduximus. Plutarchus etiam ratione opinionem ſuam firmat, quòd in cadavere diu inſepulto veneni ſigna apparuiſſe non legantur. Accedit Arrianus, qui hiſtoriam ſuam ex diario rerum Alexandri exſcripſit. Idem aſſerunt Athenæus, Diodorus, Solinus. Ipſi auctores qui veneno ſublatum potant, de vini impotentia etiam meminerunt; vide Juſtinum, ac Curtium: Ut non malè Serarius aſſerat, ferme ab omnibus narrari, Alexandrum vinolentiâ ſublatum: & Salianus dicat eam ſententiam non pluribus ſolùm placuiſſe, ſed etiam ab ejuſdem temporis ſcriptoribus conſtanter traditam.

Deteſtanda ebrioſitas. Exempla ebrioſorum conquiri ſolent: unum pro cunctis eſſe poſſit hujus Macedonis, cui victoriis & ætate florenti, maximè gloriæ curſum, non venenatæ potiones, ut aliqui fabulantur, ſed nimia ſatietas intercepit. Cui ſi quantus erat animus in hoſtibus domandis, tantus in pervincenda ventris improbi cupiditate fuiſſet: vita multò longior & ad fruendas victorias, & ad amplificandum imperium ſuperâſſet. Olim cùm Academicis Duacenis in Scenâ darem caloris & humoris in corpore humano pugnam, ex intemperanti victu ortam, abſtinentiæ carcere punitam, ſic de Alexandro luſi, quâ nunc ſententiâ.

En ille juvenis Rector Emathiæ jacet,
Ingens potentis Aſiæ & Europæ metus.
En arma, quorum terror utrumque impulit
Cubile Solis, & recedentes polos.
En dextra domitrix orbis, en cervix cui
Par nulla moles imperi, nullus labor.
Quæ ſubita tantum fata rapuerunt decus?
Quæ cauſſa mortis? Non amicorum eſt ſcelus,
Non hauſta Styge venena properârunt necem,
Non fraude periit. Ipſe percuſſor ſuus,
Ipſe ipſe dirum miſcuit virus ſibi,
Intemperantes ebrius ducens ſcyphos.
Attende, pronus quiſquis in ventrem ruis,
Et hinc tibi ſalubre documentum cape.

De ebrietate nos pluribus Excurſu 3. Morali ſect. 3.

Quinam ejus pueri? ℣. 7. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum nutriti fuerant a iuventute: Nobiles Macedones, belli totius ſocios, cum quibus ab adoleſcentia à Philippo fuerat educatus, ut familiaritate amor inter eum ac ſuos coaleſceret. Nomen *Puers* paſſim in Scriptura pro ſervis ſumitur, interdum & pro miniſtris familiaribus ac domeſticis: quia, ut aiunt Hebræi, puerorum eſt natu grandioribus miniſtrâre, & ea ætas miniſteriis obeundis aptiſſima eſt. Ita & Euſtathius dicit ſervos Græcè vocari παῖδας, *Pueros, quia puerles anni famulares ſunt.* Imò etiam apud Latinos nomen *Puer* ſumitur pro famulo: Prop. 3. Eleg. 22. *I puer, & citus hæc aliquâ propone columnâ: Et dominum Exquiliis ſcribe habitare tuum.* Nominatim verò Livio teſte l. 25. *Pueri Regii*, apud Macedonas vocabantur, Principum liberi ad Regis miniſterium electi: quo ſenſu id nomen hîc ſumitur.

Qui regnū ab eo diviſum. Et divisit illis regnum suum, cùm adhuc viveret. *Diviſit*, id eſt, dividendum innuit, inquit, S. Thomas hîc: neque eam explicationem rejicit Serarius, imò putat poſſe dici diviſiſſe, quia Perdiccæ annulum ſuum dedit, & unà poteſtatem dividendi: quod & poſt mortem Alexandri ab eo factum, narrant Juſtinus, Diod. Curt. Ego autem hanc explicationem non lubens admiſero, nec dubitârim cùm verba Scripturæ ſint clara, quin ipſe per ſe Alexander *diviſerit regnum ſuum, cùm adhuc viveret*: quidquid contrà profani auctores, qui nec ſucceſſorem ab Alexandro nominatum fuiſſe, nec provincias inter præfectos diviſas, affirmant; ſed ab ejus morte eos inter ſe præfecturas partitos; denique de præfectis Reges factos eſſe. Ita Juſtinus, Curtius, Diodorus, & poſt eos parum conſideratè Oroſius, qui librum Machabæorum, ita ab amico ſuo Auguſtino laudatum, legere & ſequi debuerat potiùs quàm profanos. Nota autem, non obſcurè à Curtio indicari, ſententiam Hagiographi noſtri auctoribus aliis non ignotam fuiſſe. *Credidère*, inquit, *quidam teſtamento Alexandri diſtributas eſſe provincias: ſed famam ejus rei, quamquam ab auctoribus tradita eſt, vanam fuiſſe comperimus.* Nos autem vanam Curtii, & aliorum ſententiam eſſe planè exiſtimamus: primùm quia Scriptura id docere diſertè videtur, præ qua auctoritas quidlibet & quorumlibet contrà ſentientium prorſus nulla eſt. Deinde, quia id ipſum ſuadet ratio. Quis enim credat tam prudentem, & paris conſilii atque animi ducem, in tot diſcrimina ſeſe nullo confecto teſtamento conjeciſſe? Non providiſſe quiſnam partum imperium ſe mortuo tueretur? Illud abſque certorum præfectorum deſignatione fluctuabundum, & inquietum reliquiſſe? Quis non intelligat eum, qui ambitioni ſuæ modum ſtatuerat, ut quietem ac præmia militibus daret, de præcipuis amicorum dignitate aliquâ in præmium laborum ac fidei donandis cogitâſſe?

In quot partes? Quæres in quot Optimates imperium ſuum Alexander partitus ſit? De profanis auctoribus aliqui denos numerant: putârim etiam plures, ne aliquis de tot amicis indonatus dimitteretur. Hîc ſacer Hiſtoricus certum numerum non ſtatuit. Dan. cap. 7. Græcorum Monarchia deſcribitur figurâ pardi quatuor capitum: Item Dan. c. 8. figurâ hirci, è cujus capite quatuor cornua enaſcuntur, fracto majori, quod erat unicum. Capita autem, & cornua, typus ſunt Regiæ dignitatis, ut ibi Hier. & paſſim interpretes.

In præcipuas quatuor. Hinc conſtat, Græcorum Monarchiam in quatuor capita diſſectam. Quod tamen nolim ſic intelligas, quaſi ſtatim ab Alexandri morte id factum ſit. Plures enim tum fuêre præfecti: ſed paullatim gliſcente inter ipſos ambitione, ac bellis, alii ab aliis oppreſſi ſunt, aut ſaltem intra tam anguſtos terminos ſe continuêre, ut vix eſſent ſpectabiles, adeóque imperium Græcorum in quatuor regna diviſum commodiſſimè dici poſſit.

Anni monarchiæ Alexandri.

℣. 8. Et regnavit Alexander annis 12. Addunt quidam menſes aliquot. Solet Scriptura rotundo numero uti. Intellige autem de tempore, quo regnare cœpit à morte Philippi patris, an potiùs deceſſoris ſui: nam à Dario victo vix fluxerant anni ſex, non autem novem, ut malè Liranus. Anni vitæ à profanis eidem tribuuntur triginta duo, vel triginta tres.

Vanitas in ejus morte.

Et mortuus est. En quàm cito fulmen illud evanuit: quàm anguſtis locorum ac temporum ſpatiis immenſa clauſa eſt ambitio. Scitè Juvenalis Sat. 10.

Vnus Pellæo juveni non ſufficit orbis.
Æſtuat infœlix anguſto limite mundi,
Vt Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.
Cùm tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors ſola fatetur,
Quantula ſint hodie corpuſcula.

Philoſophicæ de illa ſententiæ.

Celeberrima hodie ſunt dicta Philoſophorum de Alexandri morte, & paſſim apud auctores, imò & in pulpitis detrita. Referuntur à Petro Alfonſo, qui unde hauſerit, neſcio. Putat quidem Serarius noſter, cùm Alexandri cadaver diu ἀθεράπευτον manſerit, incuratum, & inſepultum, Plutarcho teſte; interim dum funus paratur, vel è Græcia Philoſophos advenire potuiſſe, qui iſta dicerent vice funebris laudationis; vel ab Oriente Gymnoſophiſtas, quales antè, apud eumdem Plutarchum, dicuntur propoſita ſibi mirabilia ab Alexandro problemata ſapienter diſſolviſſe. Addere potuerat Serarius, ſolitum Alexandrum Philoſophos ſecum, etiam in expeditionibus, circumducere, quorum aliquos ejus hiſtoriæ nominant: ab iis igitur potuêre, in tam ſubita mutatione rerum gravia apophtegmata pronuntiari. Potuêre, inquam: nam revera id factum eſſe, unde tanto intervallo, auctore nullo, quem ſciamus, reſciverit Petrus Alfonſus? Etſi ergo vanum id commentum ego quidem exiſtimem: quia tamen vero ſimile eſt, neque inutile, en tibi Philoſophorum pronuntiata de morte Alexandri, non iiſdem verbis, ſed eâdem ſententiâ, quâ à Petro Alfonſo referuntur. Unus dixit: *Heri terra totius ſpatium Alexandro ſatis non fuit, hodie ſufficit ulnarum quatuor.* Alter: *Heri Alexander aliis mortem arcere potuit, hodie nec ſibi.* Tertius, aureum ejus ſarcophagum intuitus: *Heri Alexandro aurum theſaurus erat, hodie ipſe auro theſaurus eſt.* Alius: *Heri Alexander terram oppreſſit, hodie terrâ opprimitur.* Sapientiùs omnibus iſtis Philoſophis Olympias mater, audito cadaver filii inſepultum eſſe: *O fili*, inquit, *qui cælum tibi promiſeras, nec jam habes, quæ mortalium omnium communia ſunt, terram, & ſepulturam.* Diviniſſimè verò Eccleſiaſtes cap. 10. *Rex hodie eſt, & cras morietur.*

Confuſio in morte ejuſdem.

Babylone mortuum aſſerunt profani omnes, aiuntque à Chaldæis prædictum, ejus urbis ingreſſum illi fatalem fore. Seu id divinando finxerint, & verum inſcii prænuntiârint, quomodò interdum etiam cæcus ſcopum poſſit attingere, jactu incerto ac fortuito. Seu Deus aſtrologorum iſtorum confidentiſſima vanitate, in præſignificandis ex aſtrorum poſitu futuris, uſus ſit, quomodò olim linguâ aſinæ ad monendum ſeſſorem. Seu per manus traditum ab aliquo Propheta vaticinium apud Chaldæos fuerit, de moriture Babylone primo Græcorum Monarcha. Aptiſſimè verò Babylone mortuus, ebrioſus, luxurioſus, vaniſſimus Princeps, & in loco *Babel* ſeu confuſionis, cujus ambitio tot regna cõfuderat, & ſus deque verterat, & vertenda aliis relinquebat.

Ejus ſucceſſores.

℣. 9. Et obtinuerunt pueri ejus regnum unusquisque in loco suo. Pro *ſuo* Græcè eſt αὐτοῦ, quod reddi etiam potuit, *ejus*, ut ſenſus eſſet, ſucceſſêre ſinguli in locum Alexandri, trahentes ad ſe ejus imperium. Apertius tamen videtur, ſi intelligas de ſingulis amicis Alexandri, præfectorum nomen Regio mutantibus: & hoc ſignificatur v. ſeq.

Inſana ambitio.

℣. 10. Et imposuerunt sibi omnes diademata post mortem ejus. Non ſtatim à morte Alexandri id factum. Dum enim ex ejus genere aliqui fuêre ſuperſtites, modeſtiùs ſe geſſêre, & ſatraparum nomine contenti adminiſtravêre provincias. At ubi Alexandri genus, per horrenda & parricidalia Caſſandri ſcelera, defecit, & ipſi vires confirmaverant, ſubditorumque animos conciliaverant, diademata ſumpſêre, nec ſuis contenti provinciis in finitimas inhiavêre: idque tam fœdâ cupiditate, ut aptè Oroſius l. 3. dicat, videri poſt mortem Alexandri Aſiam & Europam totam eſſe inſtar caſtrorum, ubi nil viſitur niſi ignis & fumus.

Etiam in ſenibus.

Et poſtmodùm hoc memorabile ſubdit ad horrorem inſanæ ambitionis: *Res fœdiſſimi ſpectaculi erat, duos Reges, quorum Lyſimachus annos natus 74. Seleucus autem 77. de eripiendis regnis concurrere, in acie ſtare, arma gerere. Vltimum hoc quidem bellum Alexandri commilitonum fuit; ſed quod ad exemplum humanæ miſeriæ fuerit reſervatum: quippe cùm orbem terrarum, extinctis jam 34. ducibus Alexandri, ſoli* (adde, fermè) *poſſiderent, & anguſtiſſimos ſenectutis ac vitæ ſuæ terminos non aſpicientes, anguſtiores eſſe imperio ſuo totius mundi terminos arbitrarentur.*

Alexander an Chriſti figura?

Et filii eorum post eos annis multis. Intellige potiſſimùm de poſteris Ptolemæi, ac Seleuci, quorum ille Ægypti, hic Aſiæ Rex fuit: de his enim agitur in hiſtoria Machabæorum, ad quam alii Macedonum Reges non pertinent. Longè arceſſitum eſt quod hîc Liranus: Alexandrum Chriſti figuram eſſe; quia largiſſimus; quia victor; quia Apoſtolis ſuis regnum ſuum diſtribuit, ſeu propoſuit, priuſquam moreretur; quia Apoſtoli, & diſcipuli Apoſtolorum, diademata martyrii ſibi impoſuerunt &c. Addere potuerat, quod paullò forſan aptius foret, Alexandri nomen Chriſto non videri incongruum, cùm ſignificet Virum ſalutarem, ſeu Auxiliatorem: eâdem fermè ætate mortuum, quâ Chriſtus: in Oriente potiſſimùm regnaſſe, unde cæptum Chriſti regnum: quomodò Cyrum, ita & Alexandrum Chriſti figuram eſſe poſſe.

Multitudo dominorũ, pernicies populorũ.

Et multiplicata sunt mala in terra: Dominis multiplicatis. Dicebat Adrianus Imperator moribundus, *Multi medici perdiderunt Principem.* Eâdem formâ dixerimus, multi Principes perdiderunt Monarchiam, & peſſumdederum Rempublicam. In dominantium, aut dominari volentium, multitudine ambitio caput eſt: æmulatio, invidia, avaritia partes ſuas agunt: populus, & populi res, in diverſa trahuntur, ac diſcerpuntur. Unum igitur imperare ſatius eſt; aut multos, qui benè firmatâ concordiâ unius inſtar ſint.

Quæ Terra hic? An Monarchia Græcorum?

Terræ nomine poteſt intelligi tota Græcorum Monarchia, quam ſucceſſorum Alexandri, de imperio contendentium, ambitio perpetuis præliis ita diſcerpſit, ut tota ſanguine undique flueret: de qua re paſſim profani. Oroſius lib. 3. cap. 23. in hæc verba: *Igitur Alexander per duodecim annos, trementem ſub ſe orbem ferro preſſit. Principes verò*

ejus

ejus quatuordecim annis dilaniaverunt, & velut opimam prædam à magno leone proſtratam, avidi diſcerpſère catuli, ſéque ipſos invicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt.

An potiùs Judæa?

Malo tamen hîc nomine terræ preſſiùs intelligere Judæam, in qua multiplicata ſunt mala, Aſiaticis & Ægyptiis Regibus inter ſe contendentibus. Cùm enim Judæa inter utrumque regnum media eſſet, neceſſe fuit ut utrimque ſæpe ab exercitibus laceraretur, & nunc huic, nunc illi cederet. Certè Joſephus lib. 12. cap. 1. narrat à Ptolemæo, Lagi filio, ſeu Sotere, à quo Ptolemæorum nomen poſteris tranſmiſſum, multa Judæorum millia in Ægyptum abducta captiva: è quibus centum viginti millia libertate donata dicuntur, poſtquam ad ipſum 72. Interpretes venerant, & Biblia in Græcam linguam verterant. Fuit quidem ferè Judæa ſub Seleucidarum imperio, quia Syriæ pars erat: ſed & ab ipſis Seleucidis dominis ſuis oppreſſa, & fœdè multata. Quæ res eò Judæis acerbior accidit, quò meliùs ab Alexandro Magno imperii conditore habiti fuerant.

Antiochus quomodo radix?

℣. 11. Et exiit ex eis radix peccatrix. Prodiit è ſanguine præfectorum Alexandri, qui Regium nomen aſſumpſerunt, *Radix*. Hoc radicis nomine poteſt intelligi, primùm propriè dicta radix, nam nihil novum eſt è radice naſci radicem, imò è ſurculo. Secundò ſumi, poteſt pro ſurculo ſeu ramuſculo, è radice prodeunte, quomodò Iſ. 53. de Chriſto dicitur: *Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti*: ubi *radix* videtur idem ſignificare, quod virgultum, ſeu ſurculus, ut poſterior pars verſûs, more Scripturæ uſitatiſſimo, ſit explicatio vel iteratio prioris. Si hîc primo ſenſu explices; ſignificatur fuiſſe *Radix peccatrix*, id eſt multorum peccatorum cauſſa & origo, de quo, velut è radice, ingens arbor peccati, & multi iniquitatis venenati fructus eruperunt: qua ferè ſententia Deut. 29. à Moſe dicitur, idololatra fore *Radix germinans fel & amaritudinem*. Si alter ſenſus magis placet, dicitur, *Radix peccatrix*, ſeu ſurculus peccator, quia radici ſuæ, ſeu majoribus, impietate, & omni vitiorum genere benè reſpondit, imò eos tantò anteceſſit, quantò ramus radice ſpectabilior eſt. Hic autem fuit

Quid ſignificet Antiochus?

Antiochus ab ἀντὶ ἔχειν, contrà habere aut contrà ire. Unde autem Gloſſa Ord. in hoc c. v. 63. didicerit Antiochi nomen ſignificare, *Paupertatis ſilentium*, non video. Eſt ergo *Antiochus*. *contrà tenens*, ſive *adverſarius*: atque hinc aptiſſima eſt figura Antichriſti, & nomine, & rebus geſtis, ut paſſim omnes, & in iis Gloſſa Ord. multò aptiùs quàm Liranus, qui eum facit figuram mali Prælati.

Antiochus Epiphanes, an Epimanes?

Illustris: ab aliis nobilis dictus, Græcè notiſſimo vocabulo, *Epiphanes*. Quod cognomen ipſi inditum ait Appianus in Syriacis, quia extraneis à Seleucidarum ſanguine deturbatis, ipſe avitum regnum aſſeruerit, ut mox indicabimus. Poſſet etiam ipſi obtigiſſe ob res alias initio regni benè geſtas, quas narrant profani. Quid ſi & ob Ægyptum occupatam ac Judæam oppreſſam, ab adulatoribus aulicis, vitia Regum pro virtute laudantibus, eo nomine inſignitus fuerit? Hoc maluerim: quandoquidem Polybius apud Athenæum lib. 2. 5. & 10. affirmet *Epimanem*, id eſt furioſum, dicendum fuiſſe, non *Epiphanem*. Quò etiam ſpectant illa à Gorionide Joſepho, auctore alioquin vano, epithetha ipſi attributa, *Cheſil* & *Meſchugah*, id eſt, furioſus & fatuus.

Ejus impudentia.

Fidem fermè ſuperant, quæ Athenæus ex Polybio & Phylarcho, de iſto Rege manifeſta emotæ mentis ſigna recitat. Adde turpitudinem morum, injuſta bella, crudelitatem tyrannicam, execranda facinora, & omne genus impietatis; ob quæ ab Angelo, Dan. 8. vocatur, *Rex impudens facie*: quâ loquendi formulâ ſignificatur ſummus vitioſitatis gradus, cùm de vitio non erubeſcitur. Nam ut Comicus olim dicebat, *Illum periiſſe puto, cui quidem periit pudor*. Et Gregorius in illud Pſalmi 1. pœn. *Erubeſcant, & conturbentur*. *Illud*, inquit, *eſt verum apertæ deſperationis indicium, ſi verecundia non ſequitur peccatum*. Salvianus item l. 7. de Provid. *Supra omnem monſtruoſi piaculi execrationem eſt, ſcelus ſummum admittere, & pudorem ſceleris non habere*. Apocal. cap. 13. Antichriſtus dabit ſignum ſuis in manu dextera, & in fronte: ut effrontes ſint in operibus manuum ſuarum, & peccent impudenter. Sic fuit Antiochus, qui etiam à Patribus ac Doctoribus paſſim pro germana Antichriſti figura proponitur. Idem Rex à Daniele cap. 11. vocatur *deſpectus*: alia ſcilicet adulatorum, alia Dei judicia; & quem illi pro Epiphane ac nobili colunt, apud hunc viliſſimus eſt.

Obſidiatus Romæ.

Filius Antiochi Regis: qui Magnus dictus eſt, & cui cum Romanis bellum Hannibale ſuaſore. *Qui fuerat Romæ obſes*: Refertur hoc ad Epiphanem, qui Romanis ab Antiocho Patre obſes datus eſt. Cùm enim ad Mæandrum ac Magneſiam à Romanis victus pacem flagitâſſet, ea lege accepit, ut obſides vicenos daret ad Scipionis Conſulis arbitrium. Ex iis fuit Antiochus natu minor ejus filius, pòſt dictus Epiphanes. Additum à Senatu, ut tertio quoque anno omnes obſides mutarentur, manente ſolùm Antiocho filio. Mortuo autem Antiocho Magno, Seleucus natu major ejus filius in regnum ſucceſſit, & à Romanis obtinuit, ut Demetrium filium ſuum pro Antiocho fratre obſidem acciperent. Roma in Syriam reverſurus Antiochus Athenas venerat, cùm ibi audiit, fratrem Seleucum ab Heliodoro quodam occiſum. Nulla mora in Aſiam tranſfretat, Heliodorum opprimit, ipſe regnum invadit, excluſo Demetrio Fratris filio, cui regnum jure debebatur. Iſta Appianus in Syriacis. Unde non audiendi, qui Antiochum Româ profugiſſe narrant.

Quæ Græcorũ chronologia hîc?

Et regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum: Id eſt, regnare cæpit, tyranno interfecto. De hoc anno non levis eſt difficultas, quam neceſſe eſt hoc loco diſcuti, cùm inde tota hiſtoriæ noſtræ Machabæorum chronotaxis pendeat, & apparentium, quoad temporis conſignationem, inter librum priorem ac poſteriorem antilogiarum, conciliatio.

Annii impoſtura.

Annius Viterbienſis, ut nodos omnes Gordios uno ictu amputet, cap. 1. lib. 1. fingit, omnes numeros horum librorum adjectos ab hiſtorico Joſepho, adeóque hîc legendum eſſe anno 153. non autem 137. Sed valeat figmentum Pſeudo-Beroſi impoſtoris, & quidem tam inſulſum & vanum, ut ex ſe corruat. Si enim Joſephus numeros annorum hiſce libris appoſuit, qui factum, ut in ſpeciem pugnantes in utroque libro poſuerit, aut diverſam æram ipſe ſequi voluerit, ut mox dicemus?

Lirani error.

Liranus, paucíque eum inconſideratè ſecuti, annos regni Græcorum inchoant ab Alexandri Mag. imperio. Fefellit eos forſan, quòd notârunt à Syro-

à Syro-Græcis annos regni Græcorum vocari Alexandræos; ab Arabibus Epocham Alexandri; ab Albategnio annos Dilcarnaim, quo nomine Alexandrum Mag. ſignificari notavimus. ad v. 1. Sed ſcire debuerant annos Græcorum uſque ad Seleuci regnum vocatos à Græcis, non Alexandræos, ſed Philippæos, à Philippo Alexandri patre, ſeu deceſſore: ut notant Alphraganus, Albategnius, aliique apud Ser. A tempore autem Seleuci dictos annos Alexandræos, ad ejus memoriam, qui regni Græcorum conditor erat: etſi jam anni duodecim fluxiſſent ab ejus morte. Eamdem ob rem dicti fuerunt anni, *Dilcarnaim*, id eſt *Bicornis*, ſeu *carnaim*, id eſt *duorum cornuum*. Niſi malis dicere, quod & Serarius inſinuat, alludi hoc titulo ad Seleucum, qui tantarum virium erat, ut taurum ferum apprehenſum ſiſteret, atque ideò ipſius ſtatuis cornua appingerentur. Longiſſimè igitur aberrant Liranus, & ejus aſſeclæ. Si enim annos ſex vel ſeptem, quibus à devicto Dario Alexander Monarchiam tenuit, & alios duodecim qui ab Alexandri morte ad regnum uſque Seleuci fluxêre, jungas annis Seleuci & Seleucidarum ad hunc uſque Antiochum Epiphanem: invenies annos centum quinquaginta quinque, aut eò plus, non autem centum triginta ſeptem. Vide ſeriem Regum Syriæ ante propoſitam. Fruſtra autem omnino Liranus, ut hanc difficultatem evadat, fingit annos ultimos Regum ſingulorum imperfectos fuiſſe, adeóque & primos ſucceſſorum: eoſque annos bis numerari ab hiſtoricis, qui tamen ſemel tantùm numerandi eſſent. Gratis enim omninò, & abſque ulla auctoritate, aut ratione dicitur. Sed ut demus verum eſſe: ubinam reponet illos duodecim annos, qui inter Alexandri mortem & Seleuci regnum interceſſêre: quos ipſe non vidit, quaſi nulli fuiſſent?

Anni Græcorum poſt duodecimũ à morte Alexandri.

Dicendum itaque, annos regni Græcorum initium ſumere à tempore, quo Seleucus Nicanor, Babylone recuperatâ, & firmato ſibi Syriæ & Aſiæ regno, diadema aſſumpſit. Eum annum Petavius libro Rationarii 4. cap. 19. Euſebium ſecutus, exiſtimat fuiſſe duodecimum ab Alexandri morte, ac reſpondere illi, qui ante Chriſtianam æram putatur 312. Salianus mavult eum fuiſſe ab obitu Alexandri decimum tertium, componitque anno ante Chriſtum 310. Ex qua Saliani ſententia in hiſtoriæ Serie diximus, Seleucidarum æram inchoari poſt annum ab Alexandri obitu duodecimum: & annos ante Chriſtum annis Græcorum ſubnotavimus ex ejuſdem Saliani chronologia, quia vulgò notiore. Et verò rationes, quas fulciendæ ſententiæ ſuæ ab annis Sabbathicis & Olympiadibus ducit, non infirmæ ſunt, ut Lector apud ipſum videre poterit ad annum mundi 3742. ante Chriſtum 311. Nec diſplicuêre Tirino Saliani rationes: cùm Chronici cap. 40. dicat, à Seleuco inchoatâ æram novam duodecim annis & octo menſibus poſt mortem Alexandri.

Quo ante Chriſtum anno?

Sed eâ de anno poſt Alexandri mortem duodecimo, an decimo-tertio, omiſſâ controverſiâ; omiſſâ item aliâ de anno ante Chriſtum, Seleuci initiis reſpondente, quem Petavius ex vulgi ſententia, non ſua, ſcripſit 312. putari; Salianus autem maluit 310. alii cenſent eſſe 308. quia annum Chriſti nati exiſtimant incurrere in annum Julianum quinquageſimum primum, non autem quinquageſimum tertium, ut Salianus. Quam ego ſententiam cum Petavio Rationarii lib. 6. cap. 1. maximè probabilem puto: etſi in Serie hiſtorica annos Chriſti ex Saliani ſententia annotare maluerim, quia vulgò, ut dixi, notior eſt.

A regno Seleuci incipiunt.

Omiſſâ ergo utrâque iſtâ controverſiâ, hoc conſtat: Annos Græcorum ſeu æram Seleucidarum, ab eo demum tempore principium habere, quo Seleucus Regium nomen ſumpſit. Cùm enim tunc nova Monarchia cœpta fuerit, ab aliis Græcorum Monarchiis ſeparata, in Seleucidarum genere diu continuata, ſubditi ab ejus exordio tempora conſignavêre, more apud multas nationes recepto, ut annos numerent à condito regno vel imperio, quomodò Romani ab urbe condita. Judæi autem, & in iis Hagiographi horúmve librorum ſcriptores, eamdem conſignandorum iſtâ ætate temporum rationem ſecuti ſunt, quia Seleucidis Regibus diu ſubditi fuêre, & Judæa ipſa Syriæ pars erat. Nec mireris annos regni Græcorum dici, non autem Syrorum: nam licèt in Syria regnarent, Græci tamen erant origine, & poſteri ſociorum ac militum Alexandri: unde etiam Græcâ linguâ paſſim Syri tunc utebantur, ſaltem in urbibus præcipuis, quæ & ad multa pòſt ſæcula perduravit. Hinc Græca nomina ad Judæos manavêre, quæ in hiſce libris ſparſim reperies, Jaſonis, Menelai, Lyſimachi, Alcimi, Eupolemi, aliaque ejuſmodi, ducta ex commercio & imitatione Græcorum: ut ſolent ſubditi dominorum linguâ lubenter uti.

Cur Seleucidarum anni dicuntur Græcorum?

At cur anni regni Seleucidarum vocantur abſolutè regni Græcorum, cùm & alia alibi regna Græcorum fuerint, in Ægypto, in Aſia minore, in Macedonia, à poſteris ſociorum Alexandri ducta? Reſpondeo primùm: hoc Syriæ regnum aliis Græcorum regnis longè diffuſius, & celebrius fuiſſe, utpote complexum vaſtiſſimas ad Orientem regiones: adeóque mirum non eſſe, ſi eminenter regnum Græcorum vocetur. Deinde, regnum Græcorum in Ægypto vix ad Judæos pertinuiſſe, alia ne vix quidem; ut nomine regni Græcorum ſolum illud abſolutè, & abſque ulla ambiguitate apud Judæos intelligeretur, cui ſubditi erant, regnum Seleucidarum. Si tamen ad omnem obſcuritatem tollendam, annos vel æram Seleucidarum, aut Syro-Macedonum, vel Syro-Græcorum dicere malueris, quàm annos Regni Græcorum, nihil prohibebit: dummodò concedas ab Hagiographis noſtris optimè annos numeratos, pro ratione temporum ætate ſua conſignandorum.

In hanc chronologiam paſſim conveniunt omnes.

Hanc verò æram ſeu chronotaxin Græcorum, Syro-Macedonum, Seleucidarum in libris Machabæorum, agnoſcunt hodie communiter & indubitanter omnes: poſt Euſebium lib. 8. Demonſtrationis Evang. Hieronymum ad Dan. cap. 9. ex illo Euſebii loco: Bedam lib. de ſex mundi ætatibus. Conſulere poteris è recentioribus Bellarminum tom. 1. Contr. l. 1. cap. 18. object. 5. Torniellum ad annum mundi 3743. Henricum Philippi in computo, & manuali chronologico: Azor Inſtit. Moral. lib. 6. cap. 56. Scaligerum lib. 4. de emendatione temporum cap. 42. & 43. Serarium ad hunc locum: Tirinum Chronici cap. 40. Gordonum, Salianum, Sirmondum, Petavium; quos quatuor Societatis noſtræ Sacerdotes, doctrina & virtute valdè ſpectabiles, in Collegio Claromontano olim familiariter juvenis vidi, & colui.

Conſentit Joſephus.

Nec contemnenda eſt in hac re Joſephi auctoritas, ut qui ex ipſis Hieroſolymitanis archiis diſcere potuerit, quam rationem annorum notandorum majores ſui, tempore dominationis Græcorum,

corum ſequerentur. Erat enim de ſacerdotali genere, & inter ſuos è principibus: nec tam longè à Græcorum temporibus aberat, quin multas literas contractuum, aliasque eorum annis conſignatas videre potuerit. Is igitur lib. 12. cap. 7. de Antiocho Epiphane loquens: *Ex Ægypto*, inquit, *de qua Romanorum metu exceſſerat, reverſus Antiochus, ad Hieroſolymam admovit exercitum, eámque ingreſſus eſt centeſimo quadrageſimo tertio anno, ex quo Seleuci familia Syriæ regno potita eſt.* Idem ingreſſus Epiphanis in urbem Hieroſolymitanam, infra v. 21. ab Hagiographo eidem anno centeſimo quadrageſimo tertio aſſignatur: unde colligas annos Græcorum, & Seleucidarum, ſeu Syro-Macedonum eoſdem eſſe. Joſephus item cap. 14. agens de anno, quo Judas ad arcis expugnationem aggreſſus eſt: *Erat inquit annus centeſimus quinquageſimus, ex quo ad Seleucum devenerat earum regionum imperium.* Item lib. 13. cap. 11. loquens de aſſerta à Simone Judæorum libertate, excuſſáque dominatione Græcorum: *Factum illud*, inquit, *poſt annum centeſimum ſeptuageſimum, quàm Seleucus Nicanor Syriæ regnum obtinuit.*

Libri prioris & poſterioris Mach. diſcrepantia in chronotaxi.

Iſtis de æra Seleucidarum poſitis, naſcitur moltò major difficultas, pro conciliando priore Machabæorum libro cum poſteriore, in conſignatione annorum. Videtur enim chronologia poſterioris libri toto anno priorem præcedere. Verbi cauſsâ, 1. Machabæorum 6. v. 16. mors Antiochi Epiphanis anno centeſimo quadrageſimo nono adſcribitur: at. 2. Machab. 11. Antiochi Eupatoris, quem non niſi Epiphane mortuo regnâſſe conſtat, literæ referuntur datæ anno centeſimo quadrageſimo octavo. Item 1. Mach. 6. v. 20. Judas arcem obſidet anno centeſimo quinquageſimo, Eupator ſuppetias arci laturus cum Juda committit, pax initur: eadem lib. 2. cap. 13. v. 1. aſſignantur anno centeſimo quadrageſimo nono. Ejuſmodi alias antilogias iti ſpeciem, & quaſi pugnantes temporum notas, in hiſce libris reperire eſt, quas nobis ad infirmandam eorum divinam auctoritatem magno ſonitu Hæretici objiciunt.

Oritur ex variis annorum initiis.

Sed facilis eſt ſolutio, ſi adverteris, alia eſſe in priore libro, alia in poſteriore annorum initia, totoque dimidiato anno inter ſe diſtare. Prior enim inchoat à menſe Niſan, qui ex parte Martio noſtro reſpondet: poſterior autem à menſe Tiſri, qui ferè incidit in Septembrem. Unde vides neceſſe eſſe, ut prior liber ſex totis menſibus præcedat poſteriorem; & iis quidem menſibus, qui rebus gerendis ſunt aptiores, vernis ſcilicet & æſtivis. Adeoque non eſt mirandum, eadem bella à priore ad 149. & 150. relata, à poſteriore ad annum 148. & 149. Dum enim iſtæ res, id eſt per æſtatem, gererentur; qui eſt annus centeſimus quadrageſimus nonus, eum à menſe Niſan inchoanti; idem erat centeſimus quadrageſimus octavus, incipienti à menſe Tiſri. Ita Salianus ad annum 3891. & optimè Petavius, lib. 10. de doctrina temporum.

Prior liber inchoat annos à Vere.

Ne autem hæc gratis fingi exiſtimes, nota: priorem Mach. librum Hebraicè, ut in Prolegomenis monuimus, ſcriptum fuiſſe, & Judæis, qui Judæam incolebant. Atqui apud Judæos annus Sacer à menſe Niſan initium ducebat, ad quem anni inchoandi modum, æram etiam Seleucidarum aptaverant. Hunc igitur numerandi modum ſecutus eſt ſcriptor libri prioris, ut patet ex variis locis. Exempli gratiâ, cap. 16. v. 14. menſem Sabath vocat undecimum, qui & undecimus erat inter menſes anni ſacri. Item cap. 7. Demetrius Româ venit in Syriam, anno centeſimo quinquageſimo primo regni Græcorum: eodem anno vincitur & cæditur Nicanor, menſe Adar, qui ultimus erat anni ſacri: nam cap. 9. v. 3. Bacchides, cæſo Nicanore, in Judæam mittitur anno centeſimo quinquageſimo ſecundo, menſe primo.

Poſteriori ab Autumno.

Poſterioris verò libri ſcriptor, qui Græcè ſcripſit, & forſan in gratiam Judæorum, qui inter Græcos in Syria, atque alibi, magno numero habitabant; annos ſuos à menſe Tiſri inchoat: eò quòd æra Seleucidarum Alexandræa, quâ Antiochi & Syro-Macedones poſt victum Antigonum, & Babylonem recuperatam, uti cæpêre, ab Autumno initium duceret, more apud omnes fermè Orientales populos recepto, ut annos ab Autumno exordirentur. Eâdem ratione Judæi annos conſignare ſoliti, in rebus politicis, ac civilibus, veluti ſervituribus, elocationibus agrorum, venditionibus, aliiſque contractuum generibus: unde hic annus ab aliquibus Civilis, ab aliis annus Contractuum dicitur. Secutus eſt itaque Auctor libri ſecundi, Græcè ſcribens, rationem inchoandi anni Græcis Aſiaticis uſitatam, & Judæis non ignotam.

Utriuſque libri chronotaxes non diſcrepant anno toto.

Scaliger in prima editione libri de emendatione temporum docuerat, Alexandræam æram toto ſemeſtri præcurriſſe Judaico anno incipienti à menſe Niſan: Item totis ſex menſibus poſteriorem fuiſſe iſto anno Judaico æram Seleucidarum Chaldaïcam: atque adeò æram Seleucidarum Chaldaicam anno toto poſteriorem fuiſſe Alexandrâ: ærâ autem Chaldaicâ uſum ſcriptorem poſterioris libri Machab. Sed hanc Scaligeri ſententiam doctè Petavius refutavit libro citato: ipſeque Scaliger poſteriore editione correxit, judicavitque æræ illius Chaldæorum nullum, niſi apud Mathematicos & Aſtrologos, uſum fuiſſe.

Multò minùs ſeſquianno, aut biennio.

Iſti tamen ſententiæ Scaligeri, ab ipſomet auctore retractatæ, quidam, & in his Serarius quod mireris, inhæſerunt; duplicatoque errore ſtatuerunt, Chaldaicam æram, qua Auctor libri ſecundi uteretur, toto ſeſqui-anno poſteriorem eſſe ſacro Judaico computo; ærâ autem Alexandræâ toto biennio. Hos eodem loco Petavius eruditè revincit: & ſanè error ipſorum manifeſtè patet expendenti ſeriem annorum, qui in libris Machabæorum conſignantur.

Probatur.

Si enim verum eſſet, haſce duas ſupputandi rationes prioris ac poſterioris libri, inter ſe non ſolùm dimidiato anno, ſed toto ſeſqui-anno diſtare, neceſſariò ſequeretur, librum utrumque numquam in eumdem annum de eadem re agendo convenire poſſe: quod fit tamen in narranda ſecunda profectione Alcimi ad Demetrium, qui utrobique tribuitur anno centeſ. quinquageſ. primo. Nam lib. 1. cap. 7. ad illum annum refertur adventus Demetrii in Syriam, & cætera quæ ſubduntur eodem capite, ac ſequenti, inter quæ c. 7. v. 28. continetur illa Alcimi profectio. Libro autem 2. cap. 14. v. 4. idem annus exprimitur, cùm Alcimus jam Pontifex venit ad Regem. Licèt enim in textu noſtro ſolùm habeatur annus centeſimus quinquageſimus: Græci tamen omnes conſtanter habent annum centeſimum quinquageſimum primum; ut credibile ſit, de textu noſtro illam vocem *Primum* excidiſſe.

Altera probatio.

Adde, ſi computus utriuſque libri ſeſqui-anno differre ſtatueretur; valdè mirum foret, numquam, in rerum gerendarum narratione, pluſquam anno diſtare: cùm tamen fieri vix poſſit, quin aliquando

quando ſaltem biennio diſcreparent in bellis narrandis, quorum commodiſſimum tempus eſt ver & æſtas. Sume, exempli cauſsâ, expeditionem Eupatoris adversùs Judæos, & fac, quod vix in dubium revocari poteſt, ſuſceptam verno tempore. Libro priore cap. 6. v. 20. conſignatur anno centeſimo quinquageſimo. Eadem libro poſteriore cap. 13. v. 1. refertur ad annum centeſimum quadrageſimum nonum. Ab hoc tamen referenda fuerat ad annum centeſimum quadrageſimum octavum, ſi ejus ſupputandi ratio diſtaret ſeſqui-anno à prioris ſupputatione. Vernum enim tempus, quod ſecundùm priorem librum eſt anni centeſ. quinquag. deberet ſecundùm poſteriorem incidere in annum centeſimum quadrageſimum octavum: quandoquidem incidat in annum centeſimum quadrageſimum nonum; poſito, ſupputationem tantùm diſtare anno dimidiato.

Objicitur ratio pro diſcrepantia ſeſqui-anni.

Ut ex ſpinoſis illis, ſed neceſſariis chronotaxibus emergamus, reſpondendum argumento, quod pro hac, quam rejecimus, ſententia affert Tirinus noſter in Comm. in Mach. ad lib. 2. cap. 11. v. 21. Quod ego argumentum, quia ab ipſo ſubobſcurè proponitur; quàm clariſſimè potero extendam, imò & augebo, ne qua poſſit ampliùs ſupereſſe difficultas. Primùm igitur ponit: Antiochum Epiphanem haud dubiè mortuum aliquot menſibus ante ſuſceptam à Lyſia, Eupatoris procuratore ſeu tutore, expeditionem: adeóque non eodem anno ſacro, ſeu Judaico, qui à menſe Niſan incipit. Notat deinde, lib. 1. cap. 6. v. 16. dici, Epiphanem mortuum anno centeſimo quadrageſimo nono: libri autem 2. cap. 11. v. 21. annum expeditionis à Lyſia ſuſceptæ conſignari centeſimum quadrageſimum octavum. Inde colligit æram libri ſecundi diſtare toto ſeſquianno ab æra libri prioris: quia menſis Niſan iſtorum annorum non coincidit: coincidere autem deberet, ſi æræ iſtæ tantùm medio anno diſtarent, ut patet conſideranti. Hypotheſis verò iſta, de mortuo haud dubiè Epiphane aliquot menſibus ante Lyſiæ bellum, quæ à Tirino non probatur, ſic probari poſſet. Non poteſt compingi in unum menſem, aut eo minùs, mors Epiphanis, nuntia ex de re Antiochiam perlata, ingreſſus Eupatoris in regnum, apparatus Lyſiæ ad bellum in Judæos, expeditio ipſa, pax denique confecta. Atqui id faciendum erit, ſi ſtatuerimus menſem Niſan, ſeu Xanthicum, qui idem ſunt, & ferè Martio noſtro reſpondent, eumdem eſſe anni quadr. noni ſecundùm librum priorem, & anni quadr. octavi ſecundùm poſteriorem.

Augetur difficultas.

Auget difficultatem: quòd litteræ Lyſiæ lib. 2. cap. 11. v. 21. dicantur datæ menſis Dioſcori, vel ut in Græco textu habetur, διοσκορινθίου, die vigeſima quarta, anno quadrag. octavo. Id nomen menſis alibi nuſquam reperitur inter nomina Macedonicorum menſium: unde variæ de eo conjecturæ. Putant Scaliger & Salianus menſem fuiſſe embolimæum, ſive intercalarem: Serarius, ad quem Tirinus accedit, mavult Dyſtro reſpondiſſe, & cum illo confundi. Dyſtrus autem Macedonum reſpondet menſi Adar Judæorum ac Syrorum, & coincidit partim cum noſtro Februario, eſtque ultimus anni ſacri. Quidquid ſit, videtur menſis Dioſcorus anterior fuiſſe Xanthico. Nam literæ Lyſiæ, quas tamen literis Regiis anteriores eſſe credibile eſt, datæ ſunt menſe Dioſcoro die viceſimâ quartâ, litteræ autem Regis menſe Xanthico die decimâ quintâ. Dioſcorus igitur menſis antecedit Xanthicum. Hoc item poſito, ſequitur Epiphanem mortuum aliquamdiu ante menſem Niſan ſeu Xanthicum; quandoquidem literæ Lyſiæ menſe Dioſcoro datæ ſint, Eupatore jam regnante. Unde ulteriùs colligitur menſem Niſan anni centeſ. quadrageſ. noni ſecundùm librum priorem, & anni centeſ. quad. octavi ſecundùm poſteriorem, non eſſe eumdem, qui tamen idem eſſe deberet, ſi æræ horum librorum differrent tantùm medio anno.

Satisfit objectioni.

Reſpondeo: nihil obſtare iſtas difficultates, quò minus menſis Niſan, anni quadrageſimi noni ſecundùm priorem librum, & anni quadrageſimi octavi ſecundùm poſteriorem, ſit idem. Ad argumentum prius nego hypotheſim, & probationem hypotheſis: dicoque mortuum fuiſſe Epiphanem, non aliquot menſibus, ſed aliquot tantùm diebus ante ſuſceptam à Lyſia expeditionem. Potuit enim triduo aut quatriduo nuntius de morte Epiphanis Antiochiam per veredarios perferri, ut in ejuſmodi rebus fieri ſolet. Ad inaugurandum Eupatorem morâ opus non fuit, cùm Antiochiæ educaretur à Lyſia. Nec diu cunctandum fuit ad apparandum in Judæos bellum, cùm Aſiatica militia ſemper eſſet ad manum, neque ex quo Epiphanes in eos moverat, arma eſſent depoſita. Ad hæc avebat Lyſias, novam ſuam procuratoris & tutoris Regii dignitatem, inſigni aliquo facinore bellico dedicare, jamque Judaicæ gentis domitæ gloriam ſpe devoraverat, quam in rem ſatis ſciebat celeritate opus eſſe.

Satisfit alteri difficultati.

Ad alterum de menſe Dioſcoro argumentum. Demus, Lyſiæ litteras datas ante Regias, quod tamen non video cur ſit neceſſe: imò forſan probabilius videri poſſit, has illis anteriores eſſe, quandoquidem Lyſias mentionem faciat rerum aliquarum conceſſarum, quas niſi nomine pupilli Regis concedere non poterat. Demus tamen Lyſiæ epiſtolam eſſe anteriorem, adeoque concedamus menſem Dioſcorum, ſive idem ſit quod Dyſtrus, ſive menſis intercalaris, de quo forſan alibi, antecedere Xanthico. Demus item ultrò, menſes Macedonicos exactè à Lunæ principio ſeu Neomeniis cæpiſſe, quomodò & Judaicos. Nihil tamen vetabit dici, Epiphanem menſe Niſan mortuum. Nam cùm diverſa eſſet apud Macedones & Judæos intercalandorum menſium ratio, uti benè notat Petavius, ſæpe fiebat ut annorum Macedonicorum & Judaicorum ordines inter ſe non reſponderent. Hoc ut meliùs intelligas, en tibi menſium oppoſitorum nomina.

MENSIVM

Digitized by Google

MENSIVM LVNARIVM SERIES.

ROMANORUM.	HEBRÆORUM. Ante capt.	Post captiv.	MACEDONUM.	
Martius.	1.⁹ Abib.	Niſan.	ξανθικὸς,	Xanthicus.
Aprilis.	2.⁹ Zius.	Jiar.	ἀρτεμίσιος,	Arthemiſius.
Majus.	3.⁹	Haziran.	δαίσιος,	Dæſius.
Iunius.	4.⁹	Chamuz.	πάνεμος,	Panemus.
Iulius *ſeu* Quint.	5.⁹	Ab.	λῶος,	Loüs.
Auguſtus *ſeu* Sextilis.	6.⁹	Elul.	γορπιαῖος,	Gorpiæus.
September.	7.⁹ Ethanim.	Tiſri.	ὑπερβερεταῖος,	Hyperberetæus
October.	8.⁹ Bul.	Marcheſuan.	δῖος,	Dius.
November.	9.⁹	Caſleu.	ἀπελλαῖος,	Apellæus.
December.	10.⁹	Thebeth.	αὐδυναῖος,	Audynæus.
Ianuarius.	11.⁹	Scebeth *vel* Sabath.	περίτιος,	Peritius.
Februarius.	12.⁹	Adar.	δύστρος,	Dyſtrus.
			Accedit. διόσκουρος *vel* διοσκορίνθιος, Dioſcorus *vel* Dioſcorinthius	

Nomina menſium Chaldaïcorum, Ægyptiacorum, Atticorum, Arabicorum ſi voles, vide Tirinum Proleg. in Script. & alios: hic non attexui, quia nihil ad rem noſtram.

FAciamus igitur, exempli cauſſâ, hoc ipſo anno, de quo agitur, intercalatum à Macedonibus, non autem à Judæis, ſubjectumque Dyſtro Dioſcorum: jam habes Dioſcorum reſpondentem menſi Niſan, & Xanthicum menſi Jiar ſeu Zio. Atque inde colliges, à morte Epiphanis initio anni ſacri ſeu menſis Niſan obita, ad literas à Lyſia datas, fluxiſſe potuiſſe dies viginti quatuor; menſem totum & medium ad literas ab Eupatore. Quo intervallo commodè potuerunt ea fieri, quæ ſupra tetigimus: imò & omnia quæ toto capite decimo libri ſecundi narrantur à Juda geſta, quaſi Eupatore regnante: quamquam veroſimile eſt, multa ex illis patrata vivente etiam Epiphane, hic tamen referri & congeri quaſi in unam ſummam, licèt temporibus diſparata, quia occaſionem dederunt bello à Lyſia Judæis illato. Itaque ut ad caput redeamus, nihil prohibet eumdem eſſe menſem Niſan anni centeſimi quadrageſimi noni ſecundùm priorem librum, qui poſteriori eſt quadrageſimus octavus: atque adeò manet firmata chronotaxis noſtra, quâ poſuimus, prioris libri annos incipere à menſe Niſan, ſeu capite Veris; poſterioris autem à menſe Tiſri, ſeu capite Autumni, totis ſex menſibus vernis atque æſtivis ſeriùs. Ut primus regni Græcorum numeretur juxta chronologiam prioris, quando nullus adhuc numerabatur juxta chronologiam poſterioris: & ſecundus incipiat ex illa, fluente hujus primo, & ſic deinceps.

℣. 12. In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui: id eſt, ſub hoc tempus. Non nominat Auctor hujus libri eos iniquitatis duces: deſignat Auctor ſecundi, inter alios, Jaſonem Oniæ fratrem, hominem ambitione cæcum, qui ut ſummum Pontificatum impiè in ſe transferret, ipſam religionem, cujus Sacerdotium ambiebat, deſerere non erubuit, hoc ipſa nominis mutatione profeſſus: antè enim Jeſus vocabatur, ut notat Joſephus 12. Antiq. cap. 6. Benè prorſus factum, ut tam ſanctum nomen ſacrilegâ impii hominis vitâ, & fœdo exitu non contaminaretur. Dolendum Catholicos quoſdam, de Hæreticis enim nil mirum, ad iſtius Jaſonis exemplum nomina Catholica & ſacra dedignari, eiſque profanas appellationes præferre. Sunt qui Janum Joanni anteponant: aliquibus Henrici nomen præ Erycio barbarum ſonare videtur, aliis alia nomina

Profanæ appellationes.

nomina Sanctorum diſplicent, quaſi abſona aut vulgaria, dumque nimis cupiunt videri literati, à quibuſdam, etſi temerè, parum pii exiſtimantur; ut ſolent homines præcipites eſſe adversùs alienam famam judicii.

Apoſtatarum conſilia. ET SUASERUNT MULTIS, DICENTES: EAMUS, ET DISPONAMUS TESTAMENTUM CUM GENTIBUS, QUÆ CIRCA NOS SUNT. Prava conſilia & exempla proniùs excipiuntur, & faciliùs longè tranſeunt ad multos, quàm bona. Suadent viri iniqui popularibus ſuis, ut teſtamentum diſponant cum Gentibus, id eſt pactum ineant cum illis, in eoſdem ritus conveniant. Latet igitur in iſta teſtamenti voce Hebraiſmus: quod enim Hebraice Berith dicitur, & *Teſtamentum* in Scriptura verti ſolet, non ſolùm propriè dictum teſtamentum ſignificat, ſed etiam fœdus, pactum, promiſſum, conventiones, aliaque ejuſmodi, ut ſæpiùs notat Hier.

Emendacia. QUIA EX QUO RECESSIMUS AB EIS, ſcilicet Gentibus aut Gentilibus. Planè innuunt, ſe aliàs iterum defeciſſe ad Gentilium ritus, ſed ab his poſtmodùm ad Judaicam religionem rediiſſe. Neque enim poteſt receſſus iſte intelligi de receſſu ab amicitia civili, ſocietate, ſubjectione: ſemper enim, ab Alexandri morte, ſub exterorum Gentilium dominatione fuerant. Igitur intelligendum, de receſſu à participatione ſacrilegorum rituum, ac ſuperſtitionis idololatricæ, ad quas anteà acceſſerant. *Invenerunt nos multa mala.* Cæci tribuunt pœnitentiæ ſuæ, quod peccatis debuerant. Toties ipſis in ſacris libris inculcatum, propter peccata eos puniri; fingunt tamen ſe plecti, quia minùs modò peccant, quàm anteà. Sic Jer. c. 44. v. 18. *Ex eo tempore, quo ceſſavimus ſacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.*

Defectionis à fide cauſſæ. ℣. 13. ET BONUS VISUS EST SERMO IN OCULIS EORUM. Hebraiſmus, id eſt placuit eis conſilium. Non diu laborandum fuit, ut defectio ad idololatriam perſuaderetur hominibus, & ſuapte ſponte, & Infidelium conſuetudine ac converſatione propendentibus. Sæpe miratus fui, quomodò populus Hebræus, poſt tot à vero Deo prodigia inter eos ac pro eis patrata, eò tamen amentiæ frequenter devenerit, ut à vera religione ad falſam deſciſceret. Occurrit primò, conſuetudo Infidelium ipſis finitimorum, intermiſtorum, affinitate junctorum, imò & dominantium aliquando: *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum* Pſ. 105. Acceſſit humanæ naturæ proclivitas ad ea potiùs ſectanda, & amanda, quæ corporea ſunt, quàm quæ à ſenſibus remota: quod in nobis ipſis experimur quotidie, cùm bonis terrenis violentiùs trahimur, quàm cæleſtibus, quia hæc intelligibilia ſolùm ſunt, illa ſenſibilia. Deus verus, quia ſpiritus eſt, non cernitur niſi oculis Fidei & rationis depuratæ. Dii Gentium lignei ac lapidei oculis corporeis cernebantur; ideò ad hos Hebræi erant procliviores. Adde, cum veri Dei cultu ſanctitatem & innocentiam conjunctam fuiſſe, à quibus præceptis abhorrebat naturæ corruptio: at in ſuperſtitione idololatrarum virtutem ac vitium fermè fuiſſe in promiſcuo, & intemperantiæ præſertim ac libidini omnia licuiſſe. Quid igitur mirum, ſi ad eam ſectam multi ex Hebræis propendebant, ubi licentiùs viveretur? Et quid mirum, ſi ob eamdem rationem tot populi Europæi ab avita fide ad Lutherum, ac Calviniſmum, defecêre?

℣. 14. ET DESTINAVERUNT ALIQUI DE POPULO, ET ABIERUNT AD REGEM. id eſt deſtinaverũt ſe, ſeu promptos ſe præbuerunt ut deſtinarentur: Græcè προεθυμήθησάν τινες, id eſt, alacri animo & ultrò ſe obtulerunt. Hinc videas inſanum in impiis hominibus idololatriæ amorem. Poſſet etiam iſtud, *Deſtinaverunt*, accipi pro *deliberato ſtatuerunt*, ſeu *conſilio inito*: quomodò 3. Reg. 12. dicitur de Jeroboamo, *excogitato conſilio fecit ſibi vitulos aureos.* In eo maximè, & Jeroboam, & hi Judæi reprehendendi, quòd deſtinatò & conſultò malè fecerint; non autem inconſideratè, & ex impetu animi, qui de culpæ malitia multum detrahit. In iis qui ad Regem abiêre, dubitandum non eſt quin primus ipſe Jaſon fuerit, ex 2. Mach. 4. v. 9. & 10. ubi diſertè narratur ejus profectio. Rejiciendus itaque Joſephus, qui 12. Antiq. c. 6. non ante de idololatria & gymnaſio Hieroſolymam inducendis vult eſſe cogitatum, quàm Menelaüs, depulſo Jaſone, in Pontificatum irrepſerit. Profectio poſtatarum ad Regem.

ET DEDIT ILLIS POTESTATEM UT FACERENT IUSTITIAM GENTIUM, id eſt permiſit Rex, ut Gentium ſuperſtitionem in patriam inducerent. Ea autem ſuperſtitio, etſi ſumma eſſet injuſtitia, utpote Deo cultum auferens, vocatur *juſtitia*: vel quia revera aliqui, ſaltem de rudioribus idololatris, putabant ad juſtè vivendum pertinere: vel per antiphraſim, quomodò ſæpe *benedicere* in Scriptura ſumitur pro *maledicere*: vel quia ea ſuperſtitio in locum veræ religionis, quæ ſumma juſtitia eſt, ſubſtituebatur. Sic paſſim à 70. Interpretibus, ubi de cultu idolorum & ſuperſtitioſis ritibus mentio eſt, vocantur δικαιώματα ἐθνῶν. *Iuſtificationes* ſeu *Iuſtitiæ Gentium*; à vulgata autem noſtra ſæpiùs *errores*, ſeu *abominationes Gentium.* Poſſis etiam dicere hîc conſuetudinem hominum notari, qui vitiis ſuis nomina virtutum induunt; levitati, urbanitatis; prodigalitati, liberalitatis; crudelitati, ſeveritatis; aliis alia. Idololatria Juſtitia dicitur, & cur?

℣. 15. ET ÆDIFICAVERUNT GYMNASIUM IN HIEROSOLYMIS SECUNDUM LEGES NATIONUM, id eſt, ſecundùm inſtituta & mores Gentilium; hoc enim intelligitur legum nomine, non autem leges propriè dictæ. Mores autem vocantur leges, quia inſtar legum, imò & contra leges obtinent, præſertim ſi ad licentiam & luxum tendunt; accuratiusque ſervantur, quàm edicta Prætoria. Major quæſtio eſt de gymnaſio, quod alii aliter interpretantur. Leges id eſt mores.

Primò, D. Thomas, Liranus, Carthuſianus, Genebrardus, & ſi qui alii, ſumunt pro ludo literario, in quo pueri Judæi profanas literas docerentur, & ſimul ritus Paganicos. Quomodò enim nihil accomodatius volenti populum ad pietatem adducere, quàm eâ ſenſim pueros imbuere ſimul cum literis; ita & contrà nihil religioni publicè pernicioſius, quàm tenerioris ætatis in errorum ſcholis educatio. Hinc Juliano Apoſtatæ conſilium, ludos literarios Chriſtianorum magiſtrorum occludendi: ut Chriſtianorum liberi, diſcendis literis, cogerentur ſcholas Paganorum frequentare, & à præceptoribus literas & impietatem ſimul haurirent. Hæc tamen explicatio gymnaſii non placet: quia licèt jam paſſim pro ludo literario ſumatur, non tamen propria eſt ejus nominis ſignificatio, ſed traducta, ex eo quòd in ſcholis ingenia exercerentur, quomodò corpora in gymnaſiis. In Scriptura autem, voces non tranſlatitio ſenſu accipiendæ ſunt, ſed proprio, quando fieri poteſt. Gymnaſium hic an ludus literarius.

Secundò

Intelligitur propriè dictum gymnaſium.

Secundò itaque, alii accipiunt pro Gymnaſio propriè ſumpto, & io ſtricta ſua ac præciſa ſignificatione: id eſt pro palæſtræ loco in quo ad ludos gymnicos, ſic à uuditate dictos, athletæ, aliique exercebantur, luctâ præſertim, tum etiam pugilatu, diſco, curſu. Probatur hæc acceptio ex 2. Mach. 4. v. 12. ubi oarratur, palæſtricas exercitationes Hieroſolymam ita receptas fuiſſe, ut ipſi ſacerdotes, omiſſis munus ſuis, ad eas confluerent: atqui non ſolebat aliis locis palæſtrica exerceri, quàm in propriè dicto gymnaſio. Tale itaque gymnaſium exeitatum erat Hieroſolymis. Ita Rupertus, Mariana, Eſthius, & non rejicit Salianus io Annalibus.

Et Ephebia.

Tertiò, alii, præter hanc gymnaſii ſignificationem propriam, putant eodem nomine innui execrandum lupanar, & monſtroſarum libidinum ſcholam, ubi greges exoletorum & ephebi γυμνοὶ. Ita Serarius, Gordonus, Tirinus. Probaturque ex lib. 2. cap. 4. v. 12. ubi de Jaſone: *Auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium inſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere.* Ubi vides gymnaſium & lupanaria epheborum juogi, quaſi rem eamdem, vel ſaltem affinem. Adde, ubi inſtituta Græcorum vigebant, ſolita jungi libidinibus monſtroſis gymnaſia. Apud Strab. lib. 5. dicuntur Neapoli Græcorum morum multa ſupereſſe, verbi cauſsâ, γυμνάσια, καὶ ἐφηβικὰ φράτρια, *Gymnaſia & epheborum fratria ſeu contubernia.* Apud Tacitum lib. 14. Ann. querela eſt, ſub Nerone Romanam juventutem externis ſtudiis degenerare, gymnaſia, otia, & turpes amores exerceodo. Denique à gymnicis exercitationibus, ob inverecundam nuditatem certantium, facillimus erat lapſus ad fœdos amores, ut planè gymnaſii nomine etiam ephebia intelligi, aot ſaltem ſubintelligi poſſit: præſertim cùm conſtet, impuris libidinum officinis honeſta olim prætendi ſolita nomina, ut etiam ſcholaſteria, & grammatea dicerentur, quemadmodùm advertit Serarius.

Facere præputia, quid, ſit?

℣. 16. Fecerunt sibi præputia, id eſt, arte ſic adduxerunt, ut licet circumciſi fuiſſent, jam non viderentur. Negat quidem Hieroaymus id fieri poſſe, lib. 1. adv. Jovin. & in Iſa. cap. 52. huncque locum explicat, de non circumciſis ampliùs pueris: eumque ſequitur Rupertus, 9. de vict. verbi cap. 18. Sed conſtat poſſe, ex Celſo medico lib. 7. cap. 27. & S. Epipha. lib. de menſ. & pond. qui modum tradunt, quo præputia reformari poſſint. Imò Epiphanius affirmat, hujus impu artificii auctorem fuiſſe Eſaü: quod tamen non facilè credent, ſi qui Eſaü ſalvum eſſe exiſtimant; cùm adductio præputii apertiſſima tum fuerit apoſtaſiæ nota, quomodò circumciſio ſignum veræ religionis. Joſephus item lib. 12. cap. 6. de hac apoſtatarum prævaricatione loquens, ſic explicat, ut cùm nudi eſſent, à Græcis non differrent, ſive viderentur incircumciſi. Præterea S. Epipha. narrat, Symmachum ſecundò circumciſum. Serarius in c. 5. Joſue narrat, à Barjuſiba quodam Judæorum plurimos bis circumciſos: quomodò autem id potuit niſi attracto rurſus poſt primam circumciſionem præputio? Ad extremum diſertè Apoſtolus 1. Cor. 7. *Circumciſus aliquis vocatus eſt? Non adducat præputium*, ſeu ut in Græco eſt, *non attrahat*, μὴ ἐπισπάσθω. Poterat igitur attrahi ex Paulli ſententia.

Cur Deus Hebræis indixerit Circumciſionem?

De cauſſis imperatæ à Deo circumciſionis Abrahamo, poſteriſque, luculentè tractat Philo, libello ea de re, & ſenas affert: primam à ſanitate corporis: alteram, à munditie: tertiam ad fœcunditatem majorem: quartam, ex conſideratione quadam philoſophica, ad circumcidendam cordis ſimilitudinem: quintam, ex ſymbolo myſtico circumcidendarum voluptatum, præſertim venerearum, quæ vehementiſſimè trahunt: ultimam, ad exercitationem ſubmiſſionis, & humilitatis notam. Earum cauſſarum tres ex medicinæ rationibus petitæ ſunt: ſed medicis quibuſdam, ni fallor, plauſibiles potiùs quàm firmæ videbuntur; qui nec ſanitatem, nec munditiem, nec fœcunditatem matrimoniis Chriſtianis deeſſe advertent, etſi deſit circumciſio. Quarta cauſſa philoſophicam quidem conſiderationem præfert, aut potiùs anatomicam: habet tamen aliquid longè arceſſitum, & decoro non uſquequaque conveniens, craſſumque ac materiale, ut loquitur Suares. Potiſſimæ ergo fuerunt poſtremæ duæ: quæ etiamnum, ſublato per Chriſtum gratiæ Legiſlatorem cruento illo ſigno, Chriſtianos admonent circumciſionis ſpiritalis, non in cordis ſimilitudine, ſed in corde ipſo faciendæ. De circumciſionis cauſſis ſi plura voles, conſule Theologos ad 3. p. q. 70. a. 3. D. Thomæ, qui tres affert rationes: primam ad ſignum fidei, quia Abrahamus credidit Chriſtum ex ſemine ſuo proditurum: alteram ad congruum peccati originalis, generatione tranſfuſi, remedium: tertiam ad libidinis circumciſionem.

Quinam ſimiles Judæis tranſfugis?

Similes apoſtatis Judæis præputium adducentibus ſunt Chriſtiani: ſi poſtquam ſanandæ, mundandæ, fœcundandæ animæ cauſsâ, appetentiam temporalium voto aut firma voluntate reſecuerunt, ad eadem tamen poſtmodùm deſideria pronis affectibus relabuntur. Nudos eos adſpice, id eſt abſque externis religioſæ aut Chriſtianæ vitæ involucris, & ornamentis; quantum à Græcis ſeu Gentilibus different? Minúſne ad avaritiam & alienorum cupiditatem illi, quàm iſti, propenſi ſunt? Pluríſne iſti, quàm illi, honorum vana & dignitatum frivola, præ virtutum pretio, faciunt? Illíne magis, quàm iſti, ſeſe à voluptatum lenociniis continent?

Et recesserunt a testamento sancto. Pacto ſerviendi Deo non ſteterunt: leges divinas, & cultum veri Dei ſuperſtitioſo idolorum cultui poſthabuerunt. Paſſim in Scriptura lex divina nomine teſtamenti venit, quia erat quoddam quaſi pactum, & conventio, inter Deum & populum Iſraeliticum.

Et iuncti sunt nationibus. Poteſt ea conjunctio generatim intelligi, de morum, rituum, ſuperſtitionis ſimilitudine, ut in eadem ſimul cum gentibus conſpirarent, nulláque jam eſſet inter ipſos & Paganos diſtinctio. Poteſt etiam particulatim ſumi de conjunctione per matrimonia cum Gentilibus, nam verbum jungo, uti & Græcum ζεύγνυμι ſæpe in eum ſenſum accipitur. Plura de his lib. 2.

Peccatores mancipia peccatorũ, & earum ſervi.

Et venumdati sunt ut facerent malum. Et hic Hebraiſmus eſt Scripturæ familiaris. Sic 3. Reg. 21. Elias Regi Achab dicit, ſe illi hoſtem eſſe, eo quòd *Venumdatus eſſet ut faceret malum.* Simili locutione Apoſtolus Rom. 7. dicit, *Venumdatus ſub peccato*: ad quod Aug. in expoſitione propoſ. 42. *Vnuſquiſque peccando, animam ſuam diabolo vendit, accepto tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* Significatur hîc inſignis & quaſi continua propenſio ad flagitia: ut quemadmodùm qui in mancipium venditus eſt, omnino eſt ſub poteſtate domini, ejuſque voluntatem exequi, vel ſponte vult, vel cogitur; ita iſti ad malum

venumdati, mancipia ſint peccati & dæmonis. Hinc habes quo explices iſtud Chriſti: *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Joan. cap. 8. Cui ſententiæ inſiſtens Auguſtious 4. de Civ. cap. 3. *Bonus*, inquit, *etiamſi ſerviat, liber eſt; malus autem, etiamſi regnet, ſervus eſt; nec unius hominis, ſed quod eſt gravius, tot dominorum, quot vitiorum.* En *quàm multos dominos patitur*, ut obſervat Ambr. ep. 12. *qui unum noluit.* *O miſerabilis ſervitus!* exclamat Aug. Tract. 41. in Joa. Chriſti ſententiã explicans. *Servus hominis aliquando ſui domini imperiis fatigatus fugiendo requieſcit: ſervus peccati quò fugit? Secum ſe trahit, quocumque fugerit.* Apud Plinium Ptoëmphanæ, gens eſt barbara, canem pro Rege habent, ex ejus motu captantes auguria, & imperia lib. 6. cap. 30. Noo eſt ad fabuloſos iſtos Ptoëmphanas abeundum cum Plinio, ut monſtroſum illud caninum imperium iohomines invenias. En tibi Hieroſolymis, in Judæa ipſa, imò in Sanctuario, qui caninas cupiditates, impudentes libidines pro Rege, earum motus pro imperiis babent, nec ſubditi tantùm ſunt earum, ſed etiam mancipia: *Venumdati ſunt, ut faciant malum.* De ſervitute peccatoris multi multa. Conſule oominatim è priſcis Philonem libro: *Quòd omnis probus ſit liber:* cujus utinam liber prior oon periiſſet, *quòd omnis improbus ſit ſervus.* E recentioribus, vide Mendoſam tom. 2. Ann. 35.

Firmatum Antiocho regnum.

℣. 17. Et paratum est regnum in conspeciu Antiochi. Intellige de regno Syriæ quod *paratum* dicitur, id eſt firmatum. Pulſus erat, auxilio Regum Eumenis & Attali, Heliodorus, qui regnum, cæſo Seleuco Epiphanis fratre, invaſerat. Demetrius Seleuci filius, cui regnum paternum jure debebatur, Romæ obſes erat. Benè itaque dicitur, *paratum*, ſeu firmatum Epiphanis regnum: hinc pulſo æmulo invaſore, hinc amoto vero hærede.

Et cæpit regnare in terra Ægypti, Græcè *cogitavit regnare*: Affectavit regnum Ægypti jungere regno Aſiæ: *Conſilium cæpit regnare in Ægypto*, ut vertit Nobilius. In eum ſenſum poſſis ex Græco ad verbum Latinè legere, *ſuſcepit regnare*, pro quo verbo forſan irrepſit τὸ *cæpit.* Quamquam & propriè dici poteſt cæpiſſe regnare, quia revera magnam Ægypti partem aliquo tempore obtinuit, ut mox dicemus.

Ambitio detecta.

Ut regnaret super duo regna. Poteſt iſta particula, *Vt*, ſignificare conſequentiam, quaſi dicatur: unde fieret, ut duo regna in unum conjungerentur. Aut meliùs, *Vt*, ſignificat cauſſam ſuſceptæ expeditionis, & affectati regni, quæ alia oon erat niſi, *ut regnaret*, id eſt, mera regnandi ambitio. Noo cootentus patrueli ſuo, abſenti, Romæ obſidi, regnum Syriæ eripuiſſe, etiam alteri è ſorore Cleopatra conſanguineo ſuo, & pupillo quidem, ac per hoc injuriæ magis obnoxio, ſed injuriâ mioùs digno, diadema vult eripere. Adeò nil intemeratum, nihil ſanctum eſt inſatiabili ambitioni, *quæ unmquam dicit, ſufficit.* Prætexuit quidem aliam in ſpeciem cauſſam; ſcilicet ut Ptolemæum Philometorem, natu maximum Cleopatræ filium, in regnum, quod injuriâ in Phiſionem natu minorem tranſlatum fuerat, reſtitueret. Hujus enim ſpecioſæ cauſſæ meminerunt legati Alexandrini ad Senatum Romanum l. 44. *Antiochus*, inquiunt, *Syriæ Rex, qui obſes Romæ fuerat, per honeſtam ſpeciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens.* Et lib. 45. pace inter Ptolemæos fratres coalita: *His*, inquit Livius, cùm lætari Antiochum conveniens eſſet, ſi reducendi ejus cauſâ exercitum in Ægyptum induxiſſet, quo ſpecioſo titulo ad omnes Aſiæ & Græciæ civitates, legationibus recipiendis, literiſque dimittendis, uſus erat, adeò eſt offenſus, ut multò acriùs, infeſtiùſque adversùs duos, quàm antè adversùs unum pararet bellum.* Obtendebat igitur inſanæ cupiditati ſuæ Antiochus honeſtum titulum, quomodò fere ambitioſi ſolent: quis enim velit ambitioſus & iojuſtus videri? Sed Deus latentem ſub inani obtentu veram cauſſam detegit, cùm dicit, eum de Ægypto invadenda cogitaſſe, non ut regnum pupillo conſanguineo reſtitueret, ſed *ut regnaret* ipſe.

Expeditiones duæ Ant. Epiph. in Ægyptũ.

℣. 18. Et intravit in Ægyptum in multudine gravi, in curribus et elefantis et equitibus; et copiosa navium multitudine. Benè hîc notandum ad hiſtoriæ ordinem, & otriuſque libri conciliationem, duas fuiſſe Antiochi in Ægyptum expeditiones: priorem ſuſceptam anno circiter tertio regni ipſius, alteram circiter annum ſextum. Prioris tantùm meminit hic liber; alterius mentionem facit ſecundus: uterque ſtrictim, quia bellum Ægyptiacum parum ad res Judaicas pertinet, neque aliter cum illis connexum eſt, quàm quòd ſtatim, illo finito, Antiochus in Judæam arma converterit. Hæc etiam cauſſa eſt, cur Joſephus 12. Antiq. cap. 6. de eodem Antiochi bello loquens, duas ejus expeditiones non diſtinguat, imò in uoam videatur confundere. Diſtinctionem autem expeditionum duarum clarè probat. 2. Machabæorum c. 5. verſus primus, ubi habetur: *Eodem tempore Antiochus ſecundam profectionem parabat in Ægyptum.* Primam quidem oullibi auctor libri ſecundi recenſet, narrat tamen aliqua, quæ illam præceſſerunt: puta, miſſum in Ægyptum Apollonium Mneſthei filium, qui cum primoribus Ægypti, ſive tutoribus Ptolemæi ageret. Habetur eadem geminæ expeditionis prædictio Danielis 11. Nam ver. 25. *Rex Aquilonis*, id eſt Syriæ, *Regem Auſtri*, id eſt Ægypti, quæ Syriæ Auſtralis eſt, bello petit, eumque ſuperat. Deinde v. 29. rurſus in Ægyptum revertitur, ſed non pari ac priùs ſucceſſu: *ſtatuto tempore revertetur, & veniet ad Auſtrum, & non erit priori ſimile noviſſimum.* Diſtinctè item eæ duæ expeditiones proponuntur ab Hieronymo in hoc caput Danielis, & à Livio lib. 45. quod ex ipſius verbis jam citatis colliges, & apud ipſummet leges, ſi lubet. Ubi & notare obiter poteris cum Serario, Livium, quando ſecuodam Antiochi expeditiooem narrat, & miſſum ad eam impediendam Româ Popilium Lænatem, ita oſcitanter id facere, ut multa incoogrua, nec temporibus hærentia, imò inter ſe contraria, intexuerit, quæ Serarius refert. Ut vel hinc ſcias quantæ ſint fidei hiſtorici profani, præſertim in rerum circumſtantiis; quamque inepti heretici hodierni, qui talium ſcriptorum auctoritate horum librorum auctoritatem infringere conantur.

Series geſtorum ab Ant. Epiph. in Ægyptos.

℣. 19. 20. Et constituit bellum adversus &c. et accepit spolia terræ Ægypti. Summatim ſucceſſus primæ Antiochi in Ægyptum expeditionis proponitur. En tibi breviter, partim ex hiſtoria Machabæorum, partim ex profanis auctoribus, hiſtoriæ ſeriem. Obierat Ptolemæus Epiphanes, quintus Ptolemæorum, ſub ingreſſum Antiochi Epiphanis in regnum Syriæ, relictis liberis impuberibus, Philometore & Phiſcone Ptolemæis, quos ſuſceperat ex Cleopatra Antiochi Magni filia, ſorore Seleuci, & Antiochi Epi-

chi Epiphanis. Mater, à Philometore natu majore aliena, effecit, ut Phiſconi ſecundò genito, aſſentientibus primoribus, regnum cederet. Mortuâ Cleopatrâ, frater ejus Antiochus Epiphanes, per ſpeciem tuendorum ex ſorore conſanguineorum pupillorum, & reſtituendi præſertim in regnum Philometoris, primùm eorum tutelam depopoſcit à magnatibus Ægyptiis per Apollonium Mneſthei, de quo 2. Mach. 4. v. 21. Sed cùm Ægyptii, fraudem odorati, poſtulata rejeciſſent, imò Cœleſyriam, Ægypto per Antiochum Magnum dotis nomine cum Cleopatra addictam, jam ab Ephiphane ademptam, repeterent, & arma expedirent: ipſe vim apertam paraturus Tyrum conceſſit, inde Hieroſolymam, ubi ab Jaſone magnificè exceptus eſt: tum iterum in Phœnicen, ubi auctis copiis, terreſtri navaliqúe exercitu inſtructus, denique movit in Ægyptum.

Prioris expeditionis ſucceſſus.

Profligatis terreſtri prælio Phiſconis ducibus, tum rurſus navali prælio victor, Peluſio, Memphi, cæteriſque Ægypti urbibus potitus, præterquam Alexandriâ, quo Ptolemæus Phiſcon refugerat. Hanc etiam aliquamdiu obſeſſam deſeruit, ſeu revocantibus regni negotiis; ſeu ad reparandas vires; aut veriùs, ut Phiſconi ſupereſſet, quo Philometorem fatigaret, & ipſe fratres inter ſe diſſidentes, ac mutuis præliis attritos, faciliùs opprimeret. Collocato itaque Memphi Philometore, per regni ſpeciem captivo, in Syriam ſe recepit: relicto Peluſii, in Ægypti clauſtris, valido præſidio, quà, quando luberet, cum exercitu poſſet irrumpere. Intellecto avunculi conſilio, Philometor cum Phiſcone fratre per nuntios agit de communi periculo: pace initâ, mittunt Romam legatos, poſtulatum amicis Regibus ſuppetias. Auditi in Senatu, & remiſſa cum ipſis legatio, cujus caput Popilius Lænas, cum mandatis, ut Antiochum Ægypto totâ juberent excedere, aut bellum Romanæ Reipublicæ nomine indicerent.

Et poſterioris.

Antiochus ſecundâ expeditione Ægyptum erat ingreſſus, & quatuor omnino millibus Alexandriâ aberat, ibi Reges pupillos oppreſſurus, quando commodùm advenêre legati Romanorum. Eos cùm ſalutare vellet, dextramqúe porrigeret Popilio, quem Romæ coluerat: hic, ſalutatione rejectâ, Senatûs literas offert continuò legendas. Hærebat cunctabundus illis perlectis Antiochus, dicebatqúe ſibi cum amicis deliberandum: at Popilius virgâ, quam in manu gerebat, circùm Antiochum deſcripto circulo: hic, inquit, delibera, & reſponde, parémne an bellum malis. Tam aſperâ denuntiatione fractus Antiochus, poſtquam paulliſper hæſiſſet, reſpondit ſe obtemperaturum Senatui. Ægypto juſſus excedere, exercitumqúe & præſidia deducere, & pupillorum rebus deinceps abſtinere ſe, confeſtim imperata fecit, retróque abiit in Syriam. Iſta expeditionis ſecundæ fruſtratio hiſce verbis à Daniele prædicitur, cap. 11. v. 30. *Et venient ſuper eum trieres, & Romani, & revertetur, & percutietur*, id eſt, legatorum violentâ denuntiatione percelletur, ac conſternabitur, ut explicat Hieronymus; *& indignabitur*, ambitioſos ſuos conatus in irritum recidiſſe.

Quandò & quomodò percuſſa Ægyptus?

℣. 21. Et convertit Antiochus: revertit, ſeu convertit ſe, Græcè καὶ ἐπέςρεψεν. Venitur ad narrandas calamitates ab Antiocho Judæis illatas, quas anteceſsêre portentoſæ illæ armatorum in aëre congreſſiones, de quibus lib. 2. c. 5.

Postquam percussit Ægyptum. Planus eſt ſenſus, ſi hanc Ægypti percuſſionem pro prima ejus expeditione accipias, quâ verè percuſſa & vaſtata eſt, quartus jam erat annus. Si verò pro ſecunda ejus expeditione ſumas, poterit etiã dici tum percuſſa Ægyptus: etſi enim nullam tunc urbem ceperit, cùm ſola ipſi Alexandria ſupereſſet, quâ abſtinere coactus eſt: non potuit tamen in alienum regnum ingentes copias ſine clade & vaſtitate inducere. Et quamvis daretur, innoxio agmine ingreſſum, perculſi tamen eo fuêre pupilli Reges, eorumqúe ſubditi: ut non incommodè iſtud, *Percuſſit*, de incuſſo metu intelligi queat. Quia tamen hic liber prioris tantùm expeditionis meminit, commodiùs ad eam expeditionem refertur iſta Ægypti percuſſio: poſt quam non immediatè, ſed interjecto annorum aliquot ſpatio, & expeditione alterâ, Hieroſolymam vênit, ut liber 2. disertè. Danielis prophetia cap. 11. v. 28. dicit quidem, poſt primam expeditionem fuiſſe *cor ejus adverſus teſtamentum ſanctum*, id eſt, alienum fuiſſe à Judæis, & eorum religione, malaqúe animo deſtinâſſe, ſed demum poſt ſecundam expeditionem v. 30. dicit, *indignabitur contra teſtamentum ſanctum, & faciet*, &c.

Ratio temporum.

In centesimo quadragesimo tertio anno. Supra verſu 11. dicitur, cæpiſſe regnare in anno centeſimo trigeſimo ſeptimo: Itaque hic erat aut ſextus ejus regni annus, aut ſeptimus inchoatus. Nam anno 137. cæpit regnare: anno 138. bellum prius in Ægyptum paravit, Hieroſolymamqúe pacatus intravit: anno 139. geſſit bellum in Ægypto: anno 140. rediit ex Ægypto & Menelao Pontificatum dedit, Jaſoni ereptum: anno 141. Cilicum motus compoſuit: anno 142. bellum alterum in Ægyptum movit, compoſitum auctoritate Romanorum: poſt hæc ſtatim venit in Judæam, aliquot annis, ſeu mediatè, poſt percuſſam prima vice Ægyptum; ſtatim, ſive immediatè, poſt tentatam altera vice.

Iſraël pro tribu Juda.

Ascendit ad Israel: vênit ad terram Iſraëlitarum Judæam, eamqúe pervaſit Hieroſolymam uſque, obſiſtente nemine, cùm vix ulla tunc loca præter Hieruſolymam in Judæa munita eſſent. Vocatur autem Judæa *Iſraël*: quia etſi pauci de Iſraëlitis, præterquam ex tribu Juda, Levi, & Benjamin, in ea tunc habitarent: ea tamen erat nobiliſſima pars poſterorum Iſraël, cæteris diſperſis per varias regiones, & nomen populi non merentibus. Dicitur Antiochus *aſcendiſſe*, id eſt veniſſe: ſæpe enim nomen aſcenſus pro itinere uſurpatur. Poteſt tamen etiam dici propriè aſcendiſſe, cùm Judæa Ægypto & Syriâ, unde Antiochus cum exercitu venit, ſit editior & montoſior.

Vi Hieroſolymam occupat Antiochus.

℣. 22. Et ascendit Hierosolymam in multitudine gravi. In Græcis Regiis, *aſcendit*, hic non repetitur; repetitur in Sixtinis quomodò in Vulgata. *In multitudine gravi*, id eſt, cum copiis magnis & hoſtiliter, id enim indicatur iſta voce, *gravi*. Et verò habetur disertè lib. 2. cap. 5. v. 11. civitatem armis captam. Explodendus igitur Joſephus, qui, lib. 12. cap. 7. ait, captam *ſine pugna*: niſi dicas, quod ſuprà indicavimus, primum adventum Antiochi pacatum ab hoſtili ſecundo apud Joſephum non diſtingui. Quamquam & videri poteſt errorem ſuum correxiſſe lib. 1. Captiv. c. 1. ubi dicit, ab Antiocho captam Hieroſolymã κατὰ κράτος *per vim*. Quorſum autem vi aggreſſus eſt urbem non inimicam? Cauſſas indicavimus in ſerie hiſtoriæ num. 17. & habentur lib. 2. cap. 5. v. 11. quas eò rejiciemus, ne hîc agamus, & acta, & agenda.

Templum ingreditur, imò Sancta Sanctorum.

℣. 23. Et intravit in Sanctificationem cum superbia: in locum ſanctificatum, quomodò *cœnatio* Latinè dicitur pro *cœnaculum*. Intravit igitur in templum Zorobabelicum, & illud ipſo ſuo ingreſſu homo profanus, cædibus pollutus, infidelis, profanavit: imò neque improbabile eſt, & probatur Serario, ipſum in Sancta Sanctorum ingreſſum. Quid enim intactum reliquiſſet ſuperbia furioſi hominis, cum qua intrâſſe in Sanctificationem aſſeritur ab Hiſtorico ſacro? Adde, *cum ſuperbia*, poſſe explicari, *ex ſuperbia*: quomodò ſæpe prænomen *in*, ponitur pro *ex*. Si igitur non tantùm cum ſuperbia individua comite ſua, ſed etiam ea duce, ſive ex ſuperbia, ut ſe ſacris omnibus altiorem oſtenderet, Templum intravit, non videtur paſſus fuiſſe, ut clauſum ſibi maneret Sanctum Sanctorum.

Sacrilegæ ejus rapinæ.

Et accepit altare aureum thymiamatis, et candelabrum luminis, cui inerant aureæ lucernæ ſeptem: Et universa vasa eius id eſt candelabri, λυχνίας, referendum enim eſt *Ejus*, ad id quod proximè præceſſit, & habetur Græcè αὐτῆς in fœminino, quod referri non poteſt ad θυσιαστήριον, ſive *altare*: *Vaſa*, id eſt forcipes, emunctoria, aliaque inſtrumenta lucernis neceſſaria, quæ omnia ex auro erant: *Et menſam propoſitionis*, ſuper quam Sabbathis panes calidi duodecim poni ſoliti; *Et libatoria*, vaſa offerendis liquidis: *Et phialas*, unguentis, aut thymiamati deſtinatas: *Et mortariola*, terendis ad ſacra neceſſariis: *Et velum* Sancti Sanctorum, *& coronas*. Forſan intelliguntur aureæ coronæ, quales 1. Mac. 4. dicuntur poſitæ à Juda, ad ornandam Templi faciem: niſi malis dicere coronas aureas etiam intra Templum fuiſſe. *Et ornamentum aureum, quod in facie Templi erat*: non explicatur quale id ornamentum fuerit, Græcè enim etiam habetur nomen generale τὸν κόσμον τὸν χρυσοῦν. Indubitatum tamen eſt, aliquid magni pretii fuiſſe, vel aliqua potiùs varia: idque pretium videtur indicari illa energicâ repetitione articuli τὸν. Lira explicat coronam aurifrigiatam, ita enim loquitur: voluit credo dicere, auro textam arte Phrygiâ. Sed quale id ornamentum fuerit ad Templi faciem? *Et comminuit omnia*, confregit, ut in alios uſus verteret, forſan inde monetam cuſurus: egebat enim pecunia. Nabuchodonoſore magis impius fuit Antiochus, ille enim è vaſis Templi multa ſervavit integra.

Antiochus typus mali Prælati, melius hæreticorum.

Hoc loco Liranus moralitatem ſuam de Antiocho, tamquam figurâ vitioſi Prælati, pertexens, ait, eum in terram Iſraël, id eſt religioſum ordinem, ac deinde Hieroſolymam, ordinis caput, aſcendiſſe; *altare*, id eſt orationes; *candelabrum*, id eſt ſacræ Scripturæ ſtudium; *Menſam propoſitionis*, id eſt celebrationem Miſſarum, aliaque harum rerum inſtrumenta, vel ornamenta, aut tollere, aut minuere, unde diſciplinæ totius confuſio ac ruina. Meliùs cum Gloſſa Ordinaria iſthæc Hæreticis applices, præſertim noſtræ ætatis: qui *altare aureum, & candelabrum*, id eſt viros aliquos famâ in Eccleſia Catholica ſpectabiles, & doctrinâ ac prædicatione collucentes conati corrumpere; *Menſam propoſitionis*, id eſt ſacram Scripturam, in quâ ſacri animarum noſtrarum panes proponuntur, in profanos uſus converterunt.

Deprædationes.

℣. 24. Et accepit argentum et aurum, et vasa concupiscibilia, et accepit thesauros occultos, quos invenit: et sublatis omnibus, abiit in terram suam. Nec ſolùm quæ ad uſum ſacrorum ſpectabant abſtulit Antiochus, ſed etiam quidquid auri argentive, facti & infecti, potuit reperire. Gazophylacium exhauſit, theſauros in Templo à variis depoſitos expilavit, & ſacrilegiis onuſtus receſſit Antiochiam.

Cædes patratæ.

℣. 25. Et fecit cædem hominum ὕστερον πρότερον: factum enim eſt hoc antequam iret in terram ſuam, patet ex lib. 2. cap. 5. ubi & deprædationes narrantur, & permiſtæ deprædationibus cædes innumeræ. *Et locutus eſt in ſuperbia magna*. Græcè habetur, *locutus eſt ſuperbiam magnam*: eòdem recidit: innuuntur blaſphemæ in cælum voces, neque enim putandum, inſani hominis linguam ſacris pepercisse, à quibus furioſas manus non abſtinuerat.

Luctus Judæorum.

℣. 26. 27. 28. 29. Exprimitur ſecuta has calamitates lamentatio Judæorum omnis conditionis ac ſexus, tam ſuam quàm alienam vicem dolentium. Ubi nota, ad ſignificandum expreſſiùs quàm communis luctus fuerit, dici nominatim: *Omnis maritus ſumpſit lamentum*, Græcè *ſponſus*, recèns ductâ conjuge, oblitus lætitiæ nuptialis, threnos pro epithalamio cecinit; & ſponſa patriæ ſuæ miſeriis conſternata, ſedit in thalamo, quaſi pro face thalami, adeſſet fax mortis.

Nova ejus materies.

℣. 30. uſque ad 37. Et post duos annos dierum: Hebraïſmus, poſt annos duos: *Miſit Rex principem tributorum*, præfectum exigendis tributis, aut quæſtorem ſuum primarium. Lib. 2. cap. 5. vocatur Apollonius, de quo ibi videbimus quis fuerit. Hic magnâ manu ſtipatus, ſimulato adventu pacato in civitatem, deinde multa cæde, ſtrage, incendiis, direptionibus, oppreſſione ac captivitate liberorum capitum, graſſatus eſt. Extendenda aliqua veniunt lib. 2. Hic ſacer Hiſtoricus notat, ne ſpes ampliùs eſſet civibus Hieroſolymitanis immane jugum excutiendi: primò urbem nudatam mœnibus, deinde arcem impoſitam, eamque præſidio impiorum militum, quos noſtra *iniquos*, Græca παρανόμους vocat, quaſi exleges, ſeu prævaricatores legis & apoſtatas, firmatam, munitamque commeatu, & apparatu bellico. Ubi adverte, ante hoc tempus etiam fuiſſe arcem Hieroſolymis, ut patet ex lib. 2. cap. 4. v. 27. ubi nominatur Soſtratus arcis præfectus; & ex ejuſdem libri cap. 5. v. 5. ubi dicitur Menelaüs in arcem refugiſſe: ſed eam Apollonius ita munivit, ut nova videri poſſet: aut certè prior illa arx alio loco fuerit, quàm hæc ab Apollonio extructa.

Quo loco arx ædificata.

Quo autem loco hæc fuerit, mirum eſt ab aliquibus dubitari. Putat Villalpandus in App. p. 1. lib. 1. cap. 7. in Acra monte ædificatam: ibidemque in ſua Hieroſolymæ deſcriptione Adrichomius ſtatuit: decepti forſan voce Græcâ ἄκρα, quæ arcem ſignificat, ut ab arce impoſita mons iſte nomen habuiſſe videatur. Sed potuit alia arx, vel palatium inſtar arcis ibi poſtmodùm fuiſſe: & certè ibi Helenæ Adiabenæ palatium ſtatuitur. Serarius ad Villalpandum & Adrichomium accedit, atque Syrorum arcem in urbe inferiore poſitam, & Joſephum pro ſe citat. Sed hic à ſeipſo diſſentit. Nam lib. 12. cap. 14. indicat *in monte Sion* fuiſſe, licèt poſtmodùm immemor ſui, dicat *in urbe inferiore*. Itaque non diſpicio quomodò de Acrâ & inferiore civitate potuerit cogitari, cùm tam disertè habeatur in utroque textu: *Ædificaverunt Civitatem David*, uti & cap. 14. v. 36. Atqui conſtat Civitatem David in Scriptura propriè vocari montem Sion ex 2. Reg. 5. v. 7. 3. Reg. 8. v. 1. 1. Paral. 11. v. 5. &c. Itaque certò tenendum,

impoſitam

impoſitam fuiſſe arcem monti Sion. Confirmarique hoc poteſt, ex eo quòd Macedones & apoſtatæ præſidiarii facti ſint quidem in laqueum magnum civibus omnibus, ut habetur v. 37. id eſt, quaſi captivos omnes, & irretitos tenuerint, at præſertim Templo, & ad illud ſacrorum causâ adeuntibus infeſti fuerint, ut habetur verſibus ſequentibus. Unde colligas arcem Templo imminentem, aut ſaltem vicinam fuiſſe, monti Sion inædificatam, ad montis Moriæ latus. Denique conſuetudo & ratio ſtruendarum arcium eſt, in editiſſimo quantum fieri poteſt loco, cui alius nullus immineat: qualem jam olim Jebuſæi Solymis elegerant, inde per Davidem depulſi 2. Reg. 5. Neque alium ſitum à Syris eligi oportuit, ad ſecuritatem ſuam, & Hieroſolymitarum terrorem.

Princeps tributorum malus Prælatus.

Principem tributorum Liranus ad mores explicat, Principem, vel Prælatum, bona ſubditorum rapere ſtudentem: eum immitti ab Antiocho, id eſt dæmone; inde cultus divini, ac pacis publicæ perturbationem ſequi. Utinam experientia id nimis ſæpe non docuiſſet, Annaleſque ſacros & profanos non implêſſet.

Meliùs perſecutor Eccleſiæ.

Meliùs Rabani Gloſſa facit figuram perſecutorum Eccleſiæ: quomodò & Antiochum. Aliquando perſecutores fraudibus in Eccleſiam agere, amicos ſimulare; ubi ſe ſatis inſinuârunt, inimicitias apertas exercere, multos ad apoſtaſiam avertere, muros civitatis id eſt Doctores ſubvertere, mulieres, pueros, bruta capere, id eſt Catholicos, fæminas animo, pueros ſenſu, brutos moribus &c.

Optimè. voluptas.

Optimè dixerimus principem tributorum eſſe Voluptatem: nullus enim eâ durior exactor. Quid deinde voluptate blandius, cùm intrat? Quis dulciùs loquitur *verba ſuavia in dolo*, & credulos callidiùs circumvenit? Quid, cùm in animum admiſſa eſt, magis imperioſum, tyrannicum, crudele? Muros animi disjicit, id eſt virtutes, bonas cogitationes, ſancta deſideria, quæ animi quaſi mœnia ſunt. Domos exurit: fœdo igni ſuo populatur membra varia, organa ſenſuum, totum corpus animi habitaculum. Prædatur undique: opes, famam, ingenium, quidquid boni eſt, auffert: in filio Prodigo hoc videas, imò in prodigis quotidianis. Mulieres, pueros, bruta, captiva habet: id eſt appetitum concupiſcibilem, qui muliebris, puerilis, ac brutus eſt. Arcem monti Sion, id eſt voluntati inædificat, ne jugum poſſit excutere: difficillimè enim libidinum conſuetudo vincitur. Templum infeſtat, id eſt, ſacra omnia ac profana ſusque deque habet: eò enim denique erumpit inveterata luxuria, ut æqui & honeſti, humanorum ac divinorum, ſui ac Dei obliviſcatur. Notare etiam poſſis ex lib. 2. cap. 5. ab eo principe tributorum cædem captam die Sabbathi: ita & voluptatem numquam magis violentam eſſe, quàm per quietem & otium. Quid verò libidinum conſuetudo publica Hieroſolymam, id eſt in reſpublicas Chriſtianas admiſſa, faciat, vide Exc. Mor. 3. ad verſ. 15.

Hieroſolymitæ ex arce infeſtantur, ut Eccleſia à Calviniſtis.

℣. 38. Et factum est hoc ad insidias Sanctificationi, et in diabolum malum in Israel. Ex arce præſidiarii Templo continenter inſtabant, ut arcerent Judæos à ritibus ſuis, & ſacrificia perturbarent, adeoque id erat *in diabolum malum in Iſraël*, id eſt per Hebraïſmum, res ſummopere adverſa Iſraëlitis, contraria eorum bono, ac lugenda. Legendum autem *diabolum malum*, non autem *magnum*: etſi & hanc lectionem probet Liranus: ſimili phraſi dicitur 2. Reg. 19. verſ. 22. *effici in Satan.* Ejus arcis cum Calviniana hæreſi ſimilitudinem attigimus in Proleg. ſect. 4. num. 8. Verè iſta hæreſis, ejusque ſectarii, quemadmodùm præſidiarii Hieroſolymitanæ arcis, facti ſunt *in diabolum malum in Iſraël*: maximè adverſi Eccleſiæ Catholicæ, & Templi muniis, id eſt Sacrificiis & Sacramentis.

℣. 39. Et effuderunt sanguinem innocentem. Eò erupit militum rabies, ut accedentes ad Templum trucidarent, & qui ad ſacrificia veniebant, ipſi victimæ fierent, ac ſacer ille locus innoxio piorum ſanguine contaminaretur. Hæ enim cædes à ſuperioribus ſunt diſtinguendæ. Vel hinc colligere poſſis, quàm populoſa tunc eſſet Hieroſolyma, ſi poſt tantas ac tot ſtrages editas, etiam ſupererant qui cæderentur. Mirare etiam piorum Judæorum inter tot impios in ſacro Dei cultu, ſacris celebrandis, viſendo Templo, perſeverantiam.

℣. 40. Et fugerunt habitatores Hierusalem &c. hoc verſu, quartò res eadem inculcatur à ſacro Hiſtorico, ferme per ſynonyma valdè Hebræis familiaria. Significatur denique cives Hieroſolymitanos caram ſibi patriam reliquiſſe, tot fatigatos injuriis, quibus ampliùs ferendis non erant. In iis qui fugerant fuiſſe Judam Machabæum, narrat liber 2. de quo ibidem. Fugiunt igitur perſecutionem Judæorum reliquiæ: quod illicitum eſſe, Tertullianus docere conatus eſt lib. de fuga in perſecutione. Sed hic unus eſt ex ejus craſſis erroribus, quem & ratio, & Sanctorum Judæorum in hac perſecutione, aliisque, exempla damnârunt. Conſule S. Athanaſium oratione de fugâ ſuâ, illud explicantem: *cùm perſequentur vos in una civitate, fugite in aliam.* Diffugiunt.

℣. 40. & 41. Sanctificatio ejus desolata est &c. Poſt tot piorum cædes, & fugam, cùm vix ulli Hieroſolymæ ſupereſſent præter Syros & apoſtatas Judæos, ſecuta Templi luctuoſa deſolatio, cùm eò ſacrificandi & orandi cauſsâ aſcendere jam vellent nulli, &, ſi vellent aliqui, non auderent. Feſtorum nulla publicè obſervatio, ſacri & profani dies habiti in promiſcuo, Sabbathorum quietem ſi qui violare nolebant, ludibrio habiti; triſtis totius urbis jam nihil ab Ethnicâ diverſæ facies erat. En vivâ imaginem miſerabilis animi Chriſtiani, cùm in eum ſemel voluptas dominatur: res, dies, loca ſacra nulla ſunt: nihil jam ab Infideli talis Fidelis differre videbitur, ſi oculis Chriſtianis intueare. Labes religionis.

℣. 43. Et scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset populus unus. Nihil magis animos ſubditorum inter ſe dividit, quàm varietas religionum. Inde ſæpe bella inter vicinos, ſeditiones inter populares. Antiochus igitur vult ſubditos omnes ſuos unos eſſe religione, ut uni ſint animis. Nam de religione interpretor, quod habetur verſûs parte altera, *& relinqueret unuſquiſque legem ſuam*, id eſt ritus ac ceremonias ad religionem ſpectantes, quomodò ſæpe nomen legis ſumitur in Scriptura. Quamquam etiam poſſint nomine legis intelligi, non tantùm ritus ſacri, ſed etiam conſuetudines civiles: ut Antiochus omnes omnium ſibi ſubditorum abolitas vellet, & ſolas eſſe in uſu leges tam ſacras, quàm profanas Syro-Macedonum. Facit enim valdè ad conjunctionem animorum, rituum ſacrorum & legum earundem civilium uſus. Sapienter certè Antiochus, ſi unam veri Dei legem ſuis ſubditis tenendam propoſuiſſet: cùm primum felicitatis publicæ fundamentum, ſint religio ac Juſtitia, ut poſtmodùm videbimus. Putem tamen, Conjunctio animorum ex conjunctione religionis.

Digitized by Google

ex iis quæ poſtmodùm narrantur, intelligendam potiſſimùm legis nomine religionem: cùm nihil fermè, quàm ſacrorum ejurationem, à Judæis emiſſarii regis extorquere conati ſint. Pudeat autem Catholicos Principes, ſi in excitandis ad unam & veram religionem ſubditis minùs curæ ponant, quàm Antiochus, & poſt eum Conſtantii, Hunnerici, Geiſerici, hodieque alii, ad ſuperſtitiones ſuas ſubditis inculcandas. Mitiùs quidem vera fides propagari amat, at non remiſſiùs. De hujus Antiochi ad evertendam religionem Judaicam conatu, intelligendus forſan Tacitus Hiſt. 5. *Poſtquam Macedones prepotuére, Rex Antiochus demere ſuperſtitiones, & mores Græcorum dare annixus, quò minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt: nam ea tempeſtate Arſaces deſciverat.*

Principum ſuperſtitionem ſubditi ſequuntur.

℣. 44. ET CONSENSERUNT OMNES GENTES. Variæ nationes Gentilium Antiocho ſubditæ, aliæ aliis idolis ac diis addictæ erant, nihilominùs ritus ſuos abdicant, ut exteros ſequantur. Etſi enim ſuperſtitione inveteratâ vix aliquid ſit pertinacius, valuit tamen ſæpe apud Infideles plus auctoritas Regum, quàm deorum. Obtemperant ergo ii mandato Antiochi, & deos ab ipſo propoſitos colunt, patriis relictis. Sic ferè hodie in Germania videas ſubditos Principum hæreticorum, vix aliam habere religionis tenendæ normam, quàm ipſorum voluntatem & exemplum.

Latria aliquãdo ſumpta in malã partem.

℣. 45. ET MULTI EX ISRAEL CONSENSERUNT SERVITUTI EIUS, &c. εὐδόκησαν τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ, quod vertas ad verbum, *placuit ipſis ejus latria*, id eſt, adorandi ritus. Quamquam ſuperſtitioſus ritus potiùs Græcè θρησκεία dicebatur; quod tamen verbum aliquando Scriptura in bonam partem uſurpat, quomodò hic vocem λατρεία in malam. Intelligo autem verſum hunc non de Iſraëlitis qui erant in Judæa, ne idem bis dicatur; ſed de iis qui diſperſi erant per Aſiam, & provincias Antiocho ſubditas, & habitabant inter Infideles. Horum multi, erat enim ingens eorum numerus, impio edicto paruerunt, palàm idolis ſacrificaverunt, & ſabbathi obſervationem violaverunt.

Vis mali exempli.

Impulit eos ad apoſtaſiam, partim metus, partim exemplum Infidelium, ab avitâ ſuperſtitione tam facilè deſciſcentium: tanti refert habitare ubi bona exempla videas. Ecce & hi Iſraëlitæ *commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum. Proclive eſt homini*, inquit Epictetus, *inter idiotas, idiotam fieri;* inter idololatras, idololatram. Monebat ſuos P. Baltazar Alvarez, caverent ne idolum honoris adorare diſcerent; cùm inter eos verſarentur ex inſtituti ratione, qui huic idolo paſſim ſua, & ſe immolant.

Crudelia Antiochi edicta.

℣. 46. uſque ad 53. ET MISIT REX LIBROS IN HIERUSALEM, ET IN OMNES CIVITATES JUDA, UT, &c. Edictum quaquaverſum miſſum ab Antiocho, quia præcipuè Judæos reſpiciebat, jam mittitur in Judæam per certos homines, & in eis per ſenem quemdam, inveteratum dierum malorum, de quo lib. 2. cap. 6. Adjunxit Antiochus edicto ſuo *libros*, Græcè βιβλία, id eſt literas alias, quibus ſigillatim præſcribebat, quæ à Judæis fieri, & per ſuos exigi, pro religione Judaica penitùs abolenda, vellet: pœnâ capitis propoſitâ, ſi qui obſequium ſacrilegum recuſarent. Qualia ſunt, ut non *holocauſta* modò, & *placationes*, id eſt hoſtiæ pacificæ, ſed & ſacrificiorum omne genus prohiberentur: Dierum feſtorum, & ſabbathorum obſervatio vetaretur: Templum profanaretur, & cum eo populus omnis Iſraëliticus: Exſtruerentur paſſim totâ Hieroſolymâ, & Judæâ aræ ſacrilegæ, & *templa*, Græcè ἄλση id eſt luci, quales ad templa Gentilium ſolebant plantari, & *idola*, Græcè εἰδωλεῖα, quod poſſis interpretari idolorum delubra, & habetur idem nomen 1. Cor. 8. v. 20. Adigerentur ad ſacrificia Judæi, & ad carnem ſuillam edendam, aliaque *communia pecora*, id eſt profana & lege prohibita: Circumciſio penitùs tolleretur: Denique *immundis* omnibus, ſeu lege vetitis, & *abominationibus*, id eſt rebus & ritibus, quæ Judæis erant abominationi, pollucrentur *anima eorum*, id eſt ipſi Judæi, pars enim ſumitur pro toto; vel intellige propriè dictas animas, quas mali ritus externi contaminant peccato, ſi illis ſpe aut metu conſentiant etiam externâ ſolùm ſpecie.

Iſtis moribus per vim in Judæam inductis, ſperabat fore Antiochus, ut extingueretur uſus legis Moſaicæ, & dererentur omninò *Iuſtificationes Dei*, id eſt præcepta divina; quæ aliàs *Iuſtificationes* dicuntur, quia uſu ſuo juſtum hominem faciunt; aliàs *Iuſtitiæ*, quia non tantùm juſta ſunt, ſed ipſa juſtitia; aliàs *Iudicia*, quia recto judicio & rationi maximè ſunt conſentanea; aliàs *Teſtimonia*, quia teſtimonium ſunt amoris Dei in nos, &, ſi obſervemus, noſtri in Deum; aliàs aliter. Nota autem hîc filium longè patri diſſimilem. Antiochus Magnus programma fecit, quo templum Hieroſolymitanum ſanctum haberi volebat, vetabatque ullo modo contaminari, uti narrat Joſ. lib. 12. cap. 3. Epihanes ſancit, ut omni ſpurcitiâ profanetur.

Præcepta Dei, dicta Juſtificationes, Juſtitiæ, &c.

℣. 53. & 54. SECUNDÙM OMNIA VERBA HÆC SCRIPSIT OMNI POPULO SUO: ET PRÆPOSUIT PRINCIPES POPULO, QUI HÆC FIERI COGERENT. Græcè, *poſuit inſpectores* ἐπισκόπους *ſuper omnem populum. Et juſſerunt* iſti inſpectores: ſeu, ut Græcè habetur, *juſſit* per eos Antiochus *civitatibus Iuda ſacrificare.* Additur Græcè κατὰ πόλιν καὶ πόλιν, id eſt, *ſingulis civitatibus.* Emiſſarii Regis Antiochi ſtrenuè ejus edictum & literas urgent: ſingularia quædam habebimus libro ſecundo.

Hæreſeon hodiernarum præfiguratio.

Hîc Gloſſa ordinaria, & eam ſecutus Lir. edictum & literas Antiochi tropologicè putant ſignificare Philoſophos Gentilium, & Hæreticos, qui falsâ ſuâ doctrinâ Dei cultum conantur ſubvertere, templa altariaque profanant, ſacrificia impediunt, ſacrilegia invehunt. Notat verò, quod mireris, Gloſſa Ordinaria, tot ante noſtra tempora ſæculis, quid impiâ doctrina ſuâ hæretici noſtri hodierni potiſſimùm pervertere conati ſint: *ne ſinceritas rectæ fidei quæ per dilectionem operatur, in ara cordis credentis gratum holocauſtum Deo offeratur: nec ſacrificia myſtica Corporis & Sanguinis Domini cum ſacra Fidelium oratione, atque placatione bonorum actuum, in vero templo Dei, omnium creatori & bonorum largitori dignè exhibeantur.*

In materiâ Ven. Sacramenti, & bonorum operum.

Nondum emerſerant monſtroſæ hæreſes, quæ omnium bonorum operum utilitatem tollerent, & Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti, cùm hæc Rabanus ſcripſit, & Strabo ejus diſcipulus compilavit. Niſi forſan dicas, ſub hæc tempora Bertramum, ſeu Ratramnum vixiſſe, qui Calviniſta in quibuſdam fuiſſe putatur, longè ante Calvinum. Ecce tamen tam diſertè Strabo, & Rabanus de hiſce hæreſibus ſcribunt, ut cenſere poſſis de hodiernis vaticinatos. Quid enim Lutherus & Calvinus potiſſimùm egêre, quàm ut omni merito bonorum operum excluſo, ea paulatim quaſi inutilia extinguerent, & inde carnium ſuillarum, omniumque immundarum uſus inoleſceret; id eſt, contemptis virtutibus, in omne genus vitiorum, ac ſordium homines ſuapte natura proni præcipitarent?

℣. 55. ET

Digitized by Google

Apoſtaſia creſcit.

℣. 55. Et congregati sunt, &c. Augetur apoſtatarum numerus, tormentorum metu deſciſcunt multi ab avita religione, & prioribus transfugis adjuncti, miſerè populares vexant: nihil enim ejuſmodi transfugis ſolet eſſe atrocius erga ſuos; tum quia fides ſuorum, continua eſt ipſis infidelitatis exprobratio; tum ut ſuos perſequendo perſuadeant aliis, ſe ſeriò transfugiſſe. Græcè habetur, *congregati ſunt de populo ad eos multi, omnis qui dereliquerat legem Domini* &c. ut hi apoſtatæ dicantur adjuncti non apoſtatis prioribus, ſed variis qui cogebant Judæos ad ſacrificia emiſſariis Antiochi. Et in eum etiam ſenſum poſſis legere in noſtra Vulgata, ſi ſic interpungas: *Et congregati ſunt multi de populo ad eos: qui dereliquerant* &c. ut *qui* referatur ad *multi*, non autem ad *eos*. Utroque autem ſenſu res vera eſt: nam & hos apoſtatas alii præceſſerant.

Et perſecutio.

℣. 56. Et effugaverunt populum Israel. Piis itaque nullibi tutis licet conſiſtere. Abdunt ſe in ſolitudines, & in ſpeluncas, ſed & in his conquiruntur, cæduntur, exuruntur, ut dicemus capite ſequenti, & libro 2. cap. 5. Græcè hic verſus ita legitur ad verbum: *Et poſuerunt Iſraël in abditis in omni refugio* (ſeu loco fugæ φυγαδευτηρίῳ) *ipſorum*. id eſt: apoſtatæ juncti Syro-Macedonibus ita perſecuti ſunt Iſraëlitas, ut ne in ipſis quidem locis, ad quæ refugerant, ſecuri eſſent, niſi ſe conderent in abditis ſpeluncis; adeoque eos poſuerunt in abditis, id eſt, adegerunt, ut ſe ponerent.

Quid hic abominandū idolum?

℣. 57. Die quinta-decima mensis Casleu, quinto et quadragesimo et centesimo anno. Nobilius advertit, abeſſe à nonnullis Græcis & Latinis vocem, *Centeſimo*. Sed ex hiſtoriæ ſerie manifeſtum eſt, vel exprimi omnino debere, vel intelligi. Eo igitur anno: *Ædificavit Rex Antiochus*, id eſt per ſuos emiſſarios ædificandum curavit *abominandum deſolationis idolum*: id eſt abominabile & deteſtandum, & quod deſolationis maximam cauſam daret. Notantur exactè tempus, annus regni Græcorum, menſis Caſleu, ex parte Novembri noſtro reſpondens, dies ejus menſis; ad æternam luctuoſiſſimæ rei memoriam, quæ tantò antè prædicta fuerat à Daniële cap. 11. v. 38. & 39. & c. Hiſtoricus ſacer reſpicit, non autem ad cap. 9. Danielis, uti Cajetanus in cap. 24. Matth. putavit, dum temerè de hujus libri auctore pronuntiat, quomodò advertit Catharinus. Non exprimitur autem hic, quod iſtud idolum fuerit, ſed lib. 2. cap. 6. dicitur datum Templo nomen Jovis Olympii. Fuit igitur in eo erectum Jovis Olympii ſimulachrum, qui vocatur à Daniële Deus Maozim, id eſt fortitudinum, quia à cæſis Gigantibus Rex & fortiſſimus deorum habebatur. Quod autem additur altari impoſitum, intellige, non de altari aureo, quod v. 23. diximus fuiſſe thymiamatis, & ab ipſo Antiocho ſublatum, ſed de altari holocauſtorum, quod in Templo manſiſſe, colligas ex ſacrificiis poſt ipſum diſceſſum continuatis, & biennio pòſt ſolùm prohibitis, unde ſublato jugi ſacrificio, ſimulachrum ſubſtitutum eſt.

Triplex Abominatio deſolationis.

Difficultas eſt quomodò ſacer noſter Hiſtoricus idolum iſtud vocet *abominandum*, & *deſolationis*, videaturque ei aptare, quæ cap. 12. Dan. habentur, & de Antichriſti tempore intelligenda ſunt. Sed advertendum, tres eſſe Abominationes deſolationis, quas omnes uno loco prædixiſſe potuit Daniël; primam ſub Antiocho; alteram ſub Tito; tertiam ſub Antichriſto. Poſſunt enim eſſe variæ ejuſdem textus in Scriptura expoſitiones, quarum nulla alteri obſiſtat, nec fidei ſit contraria; ut notat Serenus apud Caſſianum Coll. 8. cap. 4. *Quale eſt*, inquit, *quod Elias venerit, in Ioanne, & iterum ſit ante adventum Chriſti venturus: & de abominatione deſolationis quod ſteterit in loco Sancto; per illud ſimulachrum Iovis, quod Hieroſolymis in Templo poſitum legimus, & iterum ſtare debeat in Eccleſia ante adventum Chriſti.*

Antiochus Antichriſti figura.

Adde, ut de Antichriſto ſolùm agat Daniël c. 12. aptiſſimè tamen per ſenſum Accommodatitium, qualem in epiſtola ad lectorem deſcripſimus, iſthæc Antiocho tribui: qui vitâ, moribus, rebus geſtis, morte, illuſtriſſima fuit Antichriſti figura. *Fatentur*, inquit Rabanus, *omnes ipſum Antichriſti figuram geſſiſſe.* Hauſerat hoc à Cypriano lib. de exhortatione Martyrii: *Rex Antiochus infeſtus, immò in Antiocho Antichriſtus expreſſus.* Item ab Hieronymo, qui poſtquàm contra Porphyrium diſputavit, ſoli Antichriſto non tribuenda, quæ à Daniele dicuntur, tamdem in cap. 11. *Sicut*, inquit, *Salvator habet, & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum adventus ſui: ſic & Antichriſtus peſſimum regem Antiochum, qui Sanctos perſecutus eſt, Templúmque violavit rectè typum ſui habuiſſe credendus eſt.* Synagogæ perſecutores omnes figura quidem Antichriſti fuerunt, & in aliis Nabuchodonozor, à quo Templum exuſtum: expreſſior tamen fuit Antiochus, quia obduratus & impœnitens. Aug. Ser. 110. de diverſis: *Nabuchodonozor meruit ſervari, Antiochus meruit obdurari; ille invenit miſericordiam, iſte auxit ſuperbiam: ſed quantum & quouſque?*

Idolum abominandum deſolationis quid allegoricè, & tropologicè.

Rabanus hic ſuam de Antichriſto, Infidelibus, Hæreticis, cæteriſque Eccleſiæ perſecutoribus Tropologiam, aut Allegoriam potiùs, proſequitur, & res ſunt applicatu faciles, adeoque operæ prætium non eſt immorari. Lir. verò etiam ſuæ inſiſtit de malo Prælato, quem ait eſſe idolum abominandum, & deſolans ſpiritualia ac temporalia bona Eccleſiæ, in qua ſuper altari poſitus eſt, talique aptat verba Zach. 11. *O Paſtor & Idolum* &c. Eodem modo poſſis aptare Principi cupido, avaro, irreligioſo. Sic Athanaſius, epiſtolâ ad ſolitarios, Conſtantium Imperatorem (ſcribunt aliqui, Conſtantinum, forſan filium Conſtantini Magni, ſed malo Conſtantium) quòd hæreticus eſſet, Eccleſiaſticaſque cauſſas dijudicare vellet, vocat *idolum abominationis, Herodem, & Antiochum* &c. De abominatione deſolationis innumeras applicationes reperire poteris apud Interpretes in cap. 14. Matthæi. Nos propriis horum librorum abundamus, & ad eas properamus: aliquid tamen iſta de re dicturi Excurſu 3. ad caput 15.

Idola in Templo quàm Judæis deteſtanda.

Et per universas civitates Juda in circuitu ædificaverunt aras. Quàm lamentabile fuerit Judæis, jugi ſacrificio ſublato, idolum in Templo collocari, & cæli imaginem ad inferorum ſpeciem commutari: intelliges ex eo, quod ſub Imperatore Caio à Judæis factum, cùm de ejus ſtatua in Templum Hieroſolymitanum inferenda ageretur. Qua de re habes elegans Philonis de legatione ad Caium, cujus ipſe pars magna fuit, opuſculum. Non contenti tamen tanto Judæorum dolore idololatræ, ut undique ipſis in oculos flenda incurrerent, in omnibus Judeæ orbibus aras ſacrilegas exſtruunt, *in circuitu*, id eſt, circùm Hieroſolymam. Immò ut aſpectum abominandorum ſacrificiorum vitare pii nequeant, niſi domibus incluſi maneant, nec prodeant in publicum; ecce,

Ad januas ſacrificarunt.

℣. 58. Et ante ianuas domorum, et in plateis incendebant thura, et sacrificabant: Græcè, ἐπὶ τῶν θυρῶν, quod poteſt intelligi *in januis*, ſupra limina ipſa domorum. Malim credere, etiam indicari id factum ad ædes

Judæorum

Judæorum, qui religionem non deſeruiſſe putabantur; ut ipſis eò acriùs doleret, quò propiùs ſacra ſacrilega celebrarentur, & vel thuris ſuffitu, ac victimarum nidore contaminarentur inviti, poſtibusque illineretur ſanguis longè alius, quàm Agni Paſchalis.

Sacræ apud idololatras Ianuæ.

Si tamen tu mavis intelligi de domibus idololatrarum, habes unde tuam ſententiam fulcias: cùm haberent Græci Apollinem θυραῖον, januæ præſidem, & Antelios dæmones, ut inquit Tert. lib. de Idol. cap. 15. Ubi etiam refert fuiſſe apud Romanos Deam Cardeam à cardinibus, Forulum à foribus, Limentinum à limine, Janum à janua, ſolitosque annunciatis gaudiis publicis, januas coronare; quod ad ſuperſtitionem ablegat, aitque in Chriſtianis non ferendum, uti nec lucernas pro foribus, nec lauros in poſtibus, ſevereque pronuntiat: *Idolo feceris, quidquid oſtio feceris.* Imò narrat, *fratrem per viſionem eadem nocte caſtigatum graviter, quod januam ejus ſubitò annuntiatis publicis gaudiis, ſervi coronaſſent: adeò*, inquit, *apud Dominum, in hujusmodi etiam, diſciplina familiæ noſtra æſtimatur.*

Quàm doleret Judæis ſacrorum librorum exuſtio?

℣. 59. Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, Græcè non habetur *Dei*, ſed eſt ſubintelligendum. Item pro *ſcindentes* Græcè κατασχίσαντες, *cùm ſcidiſſent*, ſive ſciſſos combuſſerunt. Duplex ergo hic ſacrorum Librorum contemptus narratur, uterque graviſſimus; laceratio primùm, vel ſciſſio; tum exuſtio. Apud Joſ. lib. 2. Capt. cap. 20. cùm, Cumano Præſide, miles quidam libros legis laceratos primùm, deinde exuſſiſſet; Judæi quaſi ad commune incendium reſtinguendum concurrêre; neque antè deſtitêre, quàm Cumanus militem illum per medios accuſatores duci juſſiſſet, & capite luere. Si tunc tantum tumultum unius exemplaris exuſtio concitavit; quantum modò dolorem omnium, quæ reperiri poterant, exuſtio attulit, eorumque ſacrilegiorum vindicandorum impotentia?

Incendiarii librorum & bibliothecarum.

Incendiariis iſtis ſimilis fuit Diocletianus, à quo Divini aliique libri concremati, apud Euſ. lib. 8. cap. 7. Arn. lib. 4. adverſus Gentes: Aug. lib. 7. de Bap. cap. 20. Similis Leo Iſauricus, Iconomachorum princeps, qui cùm imagines deturbare cæpiſſet, juſſit ſimul comburi bibliothecam Conſtantini, in qua erant tricena tria millia librorum, & in iis exquiſitiſſimi ſacri, ac profani; è profanis Ilias, & Odyſſea ſcripta in draconis inteſtino; combuſti ſimul cum bibliotheca bibliothecariis duodecim; apud Bar. tom. 9. anno 726. Similes petulantes illi juvenes in Anglia, qui mortuo Henrico 8. ſcripta S. Thomæ, Lombardi, Scoti, & aliorum Scholaſticorum, quaſi de barbarie, & ignorantiis damnatorum, in feretro cum canticis lugubribus circumlata: deinde in foro combuſſerunt: apud Spond. tom. 3. Cont. anno 1579. Similes item Antiocho, apud Serarium noſtrum, hujus ætatis hæretici, qui tot ſanctorum Patrum codices paſſim conſceleratiſſimè diripuerunt, & concremaverunt, ut Joannes Garetius queritur præfatione in librum de Euchariſtia, imo & Plateanus, epiſtolâ de Anabaptiſtis Monaſterienſibus, quantumvis hæreticus. Simillimus item Lutherus, qui Vittembergæ anno Domini 1520. ſacrorum Canonum volumina publicè exuſſit, ut ipſemet gloriatur libro poſthumo per ſuos edito. Quid autem ſunt Canones Eccleſiaſtici, niſi regula, & lex Domini? Accedunt etiam ad illos alii de quibus Joſ. lib. 2. Capt. c. 13. & lib. 7. cap. 9. qui, ne juſtos cenſus, aut debita ſolvere cogerentur, ſyngraphas omnes, & tabulas ſurripuêre, quà poterant, & exuſsêre. Accedit item Herodes, qui apud Euſ. lib. 1. cap. 7. ne ignobilis & alienigena deprehenderetur, Judaicæ nobilitatis tabularia, & genealogias incendit.

Veri ſacræ Scripturæ incendiarii.

Ego verò putârim, non alios eſſe incendiariis hiſce magis germanos, quàm eos qui abſonis commentariis, & commentis ac figmentis ſacram Scripturam lacerant: & fumo non explicationum ſuarum, ſed implicationum involvunt; ac deinde in favillas ac cineres redigunt, id eſt hiſtrionicâ, ac cauponariâ ejus ad populum prædicatione, aut tractatione, vilem & contemptibilem faciunt. Dolendum è Catholicis aliquos eſſe in iſto numero, de quibus diximus ſect. ultima in Prol. Mirum enim non foret, ejusmodi eſſe Hæreticos, quibus ſolenne, ſacram Scripturam truncare, diſcindere, eaque abuti. Quid verò ſi aliqui ſacræ Scripturæ verbis, aut exemplis vitioſorum in ea narratis, ad ignem ſuarum cupiditatum inflammandum abutantur? Tales certè incendiariis illis longè magis ſacrilegos, & magis Scripturæ injurioſos exiſtimem.

Martyria Judæorum fidelium.

℣. 60. Et apud quemcumque inveniebantur &c. Secundùm edictum Regis trucidabant illum: ſeu, ut Græcè ad verbū habetur, *edictum Regis occidebat illum.* Perſecutio grana ſecernit à paleis: avolavêre leves apoſtatæ: manent tamen aliqui conſtantes, & glorioſo martyrio eorum perſeverantia coronatur. Cauſſa autē martyrii hîc duplex recenſetur: Prima non tradidiſſe libros legis. Sic Diocletiano Chriſtianos perſequente ſacra Biblia ſervâſſe capitale erat: tradidiſſe autem, adeò infame apud Chriſtianos, ut inde deteſtabile Traditoris nomen ortum, ad hæc usque tempora manârit: quâ de re paſſim Aug. agens contra Donatiſtas, & alii. Altera martyrii cauſſa, legem obſervâſſe, id eſt quamlibet legis partem violare noluiſſe. In his recenſentur, v. 63. 64. 65. 66. mulieres, quæ circumcidendos dederant filios ſuos, ſic enim intelligendum *circumciderant*; cùm ſtatim pòſt agatur de trucidatis, qui rogatu matrum eos circumciderant. Item varii, qui carnes immundas, id eſt lege vetitas, comedere noluerunt. Sed de his aptior dicendi locus in Commentariis ad caput 6. libri 2.

Cupiditas, & impietas crudelitatis fontes.

℣. 61. In virtute sua faciebant hæc populo Israel. Græca Regis iſtud, *in virtute ſua*, referunt ad finem præcedentis verſus: *trucidabant enim in virtute ſuâ*, ſeu ipſorum, id eſt vi, erant enim potentiores, neque eis reſiſti poterat. Quod additur *in omni menſe & menſe*, per Hebraiſmum ſignificat, ſingulis menſibus eos id ſolitos facere, recrudeſcente identidem crudelitate, quam neceſſe erat interdum ſopiri, vel fatigatam, vel deficiente materia. Notatur autem, ſingulis menſibus renovari cæptum, occaſione forſan Neomeniarum, qui dies Judæis feſti erant. Benè Rabanus in Gloſ. Ord. aut quis alius apud illum: *Incandeſcit crudelitas, quando fervet impietas: ſævit immanitas, quando æſtuat cupiditas.* Miniſtros Regis Antiochi ad hanc crudelitatem impellebat, partim prædandi libido, & invadendi in bona interfectorum: partim Judaicæ religionis odium, publico Regis ſui edicto ſancitum, & ipſorummet privata impietas. Alioqui multa diſſimulanter toleráſſent, ſi ipſimet, ad exemplum domini ſui, rapaces & impii non fuiſſent.

Ara Syrorū fueritne ſuper an cōtra altare Holocauſtorū.

℣. 62. Et quinta et vicesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare. Græcè ἐπὶ, *ſuper altare*, ſive *in altari*;

altari: quamquam & iſtud [illegible] aliam explicationem patitur. Cum ſimulachrum Jovis Olympii altari holocauſtorum eſſet impoſitum, ara, ſupra quam ei ſacrilegæ victimæ immolabantur, non poterat tota eidem altari inſiſtere: unde videtur illi adjuncta adhæſiſſe, & forſan ex parte illi incubuiſſe, ut ſimul fuerit & *contra* & *in* altari.

Quando cœpta ſacrificia ſacrilega?

Quid autem intelligatur per quintam & viceſimam menſis qua ſacrificatum eſt, ex hoc textu non ſatis liquet; cùm non nominetur menſis, imò nec ſatis explicetur, an viceſimâ quintâ cujuſque menſis oblatum fuerit ſacrificium ſolenne. Conſtat tamen ex cap. 4. v. 54. & ex lib. 2. cap. 10. v. 5. ipsâ viceſimâ quintâ menſis Caſleu cœpta offerri impia ſacrificia in templo Hieroſolymitano, adeoque hîc eadem dies intelligenda. At, inquies, cur erectum idolum 15.ª & poſt decimam denique diem ſacrificari cœptum? Cur non ipsâ 15.ª Reſponderi poſſit, ornatum interim Templum Ethnico ritu, & parata ad diem ſolennem neceſſaria, quò majori pompâ Templum profanaretur, religioque Judaica conculcaretur, & *ſecundum gloriam ejus fieret ignominia ejus.* Quid verò ſi deinceps dicamus 25. cujuſque menſis ſolenne ſacrificium inſtauratum, ad ludibrium proximè ſequentis Neomeniæ, feſtæ Judæis diei, & ad exſuſcitandum in illos furorem, quem verſu ſuperiori dicuntur crudeles idololatræ exeruiſſe novis animis, *per menſem, & menſem?* Mihi non videtur improbabile. Non tamen intereà ceſſatum à quotidianis in templo Hierololymitano ſacrilegarum victimarum immolationibus, cùm ita ferveret ſuperſtitio, ut in ipſis plateis, & ad portas domorum hoſtiæ cæderentur.

Supplicia circumcidentium.

63. Et mulieres quæ circumcidebant filios suos, id eſt circumcidendos curabant, ut ſuprà diximus ad v. 60. *Trucidabantur ſecundùm juſſum, Regis Antiochi.* Græcè non habetur, *Regis Antiochi*, ſed eſt intelligendum.

64. Et suspendebant pueros a cervicibus: additur Græcè αὐτῶν, quod interpres Regius vertit *eorum*; ſed vertere debuerat *earum*, ſeu *ipſarum*, quomodò vertit Nobilius. Refertur enim ad mulieres, à quarum cervicibus pendebant infantes ad pectus, ut lib. 2. habetur. *per univerſas domos eorum*, in Græcis Regiis habetur ſolùm, καὶ οἴκους αὐτῶν, ſenſu mutilo, aut potiùs mendo manifeſto. Quid enim, an etiam ſuſpenſæ domus à cervicibus mulierum? Legendum erat, καὶ οἴκους αὐτῶν: quod αὐτῶν poteſt etiam verti *earum*, ut referatur ad mulieres. Quamquam &, *eorum*, habet commodum ſenſum, referturque ad pueros; qui per domos ſuas, id eſt, patrias, ſuſpendebantur ad matrum colla diro cruciatu. Græca Sixtina Nobilii hanc partem verſûs ſic exhibent: καὶ τοὺς οἴκους αὐτῶν προνομεύσαντες: *& domos earum* mulierum, vel *eorum* infantium *diripuêre.* Vel ipſi carnifices ſponte ſua cædibus addebant rapinam: vel forſan decreto Regis addicta ipſis erant, & delatoribus, inſpectoribúſve, bona obtemperare nolentium.

Quis infantes circumcidere ſolerent?

Et eos, qui circumciderant illos, trucidabant. Hinc probari poteſt eorum ſententia, qui dicunt infantes, neque à matribus circumciſos, quarum pleræque commodè octavo partûs die id nequibant; neque à ſacerdotibus, qui præſtò ſemper eſſe non poterant, cùm ferè ante tempora Epiphanis Hieroſolymæ habitarent, jam laterent: ſed à quovis amico, aut perito id factum, ſaltem ubi neceſſitas urgeret, ut modò.

℣. 65. & 66. Sic ex Græco ad verbum efferri poſſunt: *Et multi in Iſrael corroborati ſunt, & communiti in ſeipſis, ut non manducarent communia. Et prælegerunt mori, ut non inquinarentur cibis, & non contaminarent Teſtamentum ſanctum; & mortui ſunt.* De his libro ſecundò cap. 6.

Ira Dei utitur irâ Antiochi.

℣. 67. Et facta est ira magna super populum valde: pro *populum* Græcè habetur ὀργὴ. *Ira* Antiochi & ejus miniſtrorum effuſa eſt in Judæos, & *Ira* Dei, qui malâ impiorum voluntate ad filiorum ſuorum caſtiganda peccata utebatur. Fuit autem *ira magna valdè* Antiochi, ſi tamen ira: nam immanis potiùs furor, & efferata rabies vocari poſſit. Fuit & *magna* Dei *ira*; cùm ad puniendum populum ſuum tam impiis adminiſtris uſus ſit, & ipſi Templo ſuo ac Sanctuario non pepercerit.

EXCURSUS I. MORALIS.

Ad v. 6. c. 1. Cognovit quia moreretur.

Cineres Alexeterii & Fertiles.

I. Cineres Alexandri in fronte Hiſtoriæ.

EN tibi in ipſo ingreſſu Hiſtoriæ ſacræ, in fronte ipsâ libri, Spiritus ſanctus raptos Babylone cineres è buſto potentiſſimi Monarchæ tibi offert, Chriſtiane. Verſa, reverſa, & vide, an eos à cineribus gregarii militis, vel mendici Babylonii, poſſis diſcernere. Viden' quò demum reciderint ambitioſæ cogitationes, lauri, palmæ, par cælo magnitudo? Cæci mortales finem, niſi ſub finem ipſum, non videmus. *Cognovit* miſer juvenis, *quia moreretur*, ſed ſerò: obcæcarat ipſum pulvis vanitatis, neque antè viſum recepit, quàm ingens illa vanitatis pompa deſinere cæpit in pulverem. Fœlix futurus, & modum ambitioni, ac terminum poſiturus, ſi citiùs, ut oportuit, vitæ ſuæ terminum proſpexiſſet.

II. Pulvis oculos obcæcat & curat.

Cùm indicare volumus obcœcatum muneribus, ſpe, inanibus verbis, judicem aliquem, ne æquum videat; aut ſapientem, ne verum; aut quemlibet alium, ne honeſtum; dicere ſolemus phraſi vulgari, injectus ipſi eſt in oculos pulvis. O quàm ſæpe ejuſmodi pulvis in oculos noſtros immittitur! Quàm ſæpe pulvereæ cogitationes, ac deſideria, nobis auferunt æqui, veri, honeſti cognitionem? Sed accipe in alio pulvere iſtius pulveris remedia. In cineribus Alexandri cognoſce, quicumque es, quia morieris, & forſan in juventutis flore, quomodò ipſe; & forſan peregrè, quomodò ipſe; & forſan diu inſepultus, quomodò ipſe: utinam nec forſan miſerandus, quomodò & ipſe. Quod de mortalibus rebus infortunato fortunæ filio judicium, quando *cognovit quia moreretur?*

moreretur? Quod, quando cognovit ſe mortuum, & in ignota regione ultra Oceani limitem? Quod, cùm ante judicem ſtetit, & in ipſo articulo ſententiâ latâ, non in cineres, non in favillas, ſed in rogum infamem, æternum præcipitatus eſt? Quam tunc Jeddoæ Pontificis ſortem, imò minimi Levitæ, aut viliſſimi Nathinæi, & contemptiſſimi Judæi, quos adventu ſuo armatus terruerat, ſortem præ ſua præoptâſſet?

III. Cineres pœna cinerum.
2. Mach. 5. Menelaus impius transfuga, & apoſtata, Antiochi juſſu, de turri quinquaginta cubitos altâ deturbatur præceps, in cineres ad imum aggeſtos, ibique ſuffocatus miſerè perit: digna planè morte, quemadmodùm advertit ſacer Hiſtoricus, ut qui ſacros templi Hieroſolymitani cineres impiè violârat, & conculcârat, ipſe in profanis cineribus infælicem animam effunderet. *Furioſus juvenis*, ita Alexandrum vocat Seneca, qui tot urbes, tot provincias, ambitioni ſuæ exſaturandæ, in cineres redegerat, jam ipſe de ſummo datus in præceps, cinerato corpore, animam in igne & fumo verſat; digno vitâ exitu: ut qui regna cineravit, abeat in cineres, & qui nihil niſi ignem & fumum ſpiravit, ſpiritum exhalet in fumum & ignes æternùm arſuros.

IV. Cineres Alexeterii & ſalutares.
Iſaias cap. 14. quem imitatus poſtmodùm Ezechiel cap. 32. eleganti poeſi fingit, poſitas priſcorum Monarcharum Gentilium animas velut in vaſto ſpecu ſubterraneo, easque deinde Babylonio Regi mortuo aſſurgentes, quaſi per ludibrium, & poſt ſalutationes, & admirationem mutationum humanarum exclamantes: *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & urbes ejus deſtruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?* Nolo tibi fingas, Chriſtiane, qui occurſus, quæ ſalutationes, quæ admirationes, quæ inſultationes factæ huic Babylonis Domino Alexandro: cùm ad infernum detractus in profundum laci, ille qui in cœlum conſcendere voluit, & ſuper aſtra exaltare ſolium ſuum. Sat mihi eſt, ſi ad cadaver ejus putridum hæreas, ac primùm illud contempleris inſepultum, deinde urna concluſum, & dicas quod ibidem Iſaïas habet; *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum: ſub te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Hanc cogitationem jam nunc incipe, & ſeriò animo verſa. Qui dum viveret orbi, toto exitialis fuit inſanus Alexander, tibi mortuus proderit. Alexandri nomen diximus ſignificare Salutarem virum. At quomodò aliis ſalutaris, cujus cupiditas Aſiæ, & Europæ, incendium fuit? Quomodò ſibi ſalutaris, qui adeò ſibi mederi non poterat, ut nec ſe nôſſet: neque enim antè *cognovit* ſe mortalem, quàm cùm moreretur? Tibi tamen erit ſalutaris, ſi ex ejus morte diſcas rerum & hominum vanitatem. Alexeterios tibi feceris Alexandri cineres, ſi eos capiti inſpergas, fronti imponas, oculis objicias, maturè mortalitatem tuam ob oculos habeas, id enim eſt oculis, fronti, capiti cineres imponere.

V. Vitæ initiū cinis.
Norat Auguſtinus, quod ante ipſum notârat Ambroſius, ſerm. 26. in iſtud Joelis, *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Secutus illos Amalarius Fortunatus lib. 1. de Eccl. Off. cap. 5. Notat igitur Auguſtinus, tract. 17. in Joan. Quadrageſimæ tempore ſignificari vitæ noſtræ curſum. Idem obſervat lib. 83. qq. q. 81. &, ut ſolet lubens in numeris ludere, quadragenarium applicat vitæ Chriſtianæ. Quaternarium enim tribui corpori humano ob partes quatuor: decem ducta per quatuor facere quadraginta: ſic duci debere decem Dei præcepta per totam vitam. Similia habet ſerm. 68. inter diverſos, dicto Dominicâ primâ Quadrageſimæ: item ſerm. 74. & alibi. Si ea numerorum ſpeculatio nimis artificioſa eſt; non deerit planior alia vitæ Chriſtianæ cum Quadrageſimâ collatio. Quomodò enim Quadrageſima luctûs, pœnitentiæ, bonorum operum, ac merendi tempus eſt, ac deinde ſancto Paſcha concluditur: ita vita Chriſtiana per abſtinentiam à vitiis, & virtutum diſciplinam acta, deſinit in tranſitum fælicem. Adverte autem, ex Eccleſiæ inſtituto à die Cinerum Quadrageſimam inchoari; ut ſcias primum vitæ noſtræ diem eſſe cineres, & eo nos incipere mori, quo vivimus. Ex ejuſdem Eccleſiæ inſtituto ſacri cineres capiti vel fronti imponuntur, ut diſcas ab ipſo capite vitæ tuæ, id eſt ab initio, finem cogitare: quod & Spiritus ſanctus te jam docuit, cùm in libri fronte Alexandri mortem tibi propoſuit.

Pudet me Hæreticorum noſtrorum ſacram illam Cinerum in Eccleſia conſuetudinem ridentium. Hi ſunt Menelai novi; qui cùm erga ſacros cineres, multa peccent, utinam nec diriore, quàm cinerum ſupplicio puniantur. Pudet, inquam, ignorantiæ ipſorum dicam, an malitiæ, qui vel neſciant, vel neſcire ſe fingant, antiquiſſimam, communiſſimam, utillimam eſſe cinerum, capiti imponendorum, conſuetudinem. Antiquiſſima eſt: cùm ab ipſo legis Moſaicæ initio cinis vitulæ aſperſus mundaret Judæos, Heb. 9: cùm pœnitentiæ ſignum conſuetum, & velut legitimum, eſſet cinerum impoſitio, quod, ut alia taceam Scripturæ loca, habes & in noſtra Machabæorum hiſtoria, lib. 1. cap. 3. v. 47. & c. 4. v. 39. à Juda Machabæo, & ſociis factum, ad implorandam Dei miſericordiam ſupplici pœnitentium habitu. Communiſſima eſt, cùm non ſolùm Fidelibus Judæis paſſim, ſed & ipſis Infidelibus frequentaretur: habes enim Jonæ 3. ipſum Ninivitarum Regem pœnitentem ſediſſe in cinere. VI. Cinerum inſperſio.

Utillimam autem eamdem conſuetudinem facit ipſe uſus Eccleſiæ, jam inde à primis & Apoſtolicis ſæculis repetitus. Tert. lib. de Pœn. inter exomologeſis publicæ ætate ſua cæremonias numerat cineri incubare. Ambr. lib. ad virginem lapſam, hortatur illam, ut corpus cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorteſcat. Conſtat ex Can. Pœnitentes 63. Diſt. 50. ſolitos olim Pœnitentes ad templi ingreſſum, habitu ſupplici, Quadrageſimæ primo die ſubſiſtere, donec Epiſcopo ſiſterentur; qui eos monitos, & aquâ benedictâ ac cineribus aſperſos dimittebat ad veſtibulum, in locum qui *πρόκλαυσις* vocabatur, quaſi dicas *preploratio*: neque licebat eis ingredi in templum, niſi tempore concionis ad eam audiendam cùm Cathecumenis, in loco dicto ἀκρόασις id eſt, *auditio*; ſicque totam Quadrageſimam agebant, ad diem uſque Jovis ſanctum, quo abſolutio dabatur, unde videtur vulgare nomen hodieque uſurpari *Jovis abſoluti.* Eum Canonem Yvo ait ſumptum ex Concilio Agathenſi, quod celebratum fuit ſub S. Cæſario Arel. tempore Symmachi Papæ anno 506. In iis tamen fragmentis, quæ modò ſuperſunt ex Actis iſtius Synodi inter Concilia Galliæ, iſthæc omnia particulatim non habentur. Sed haberi potuerunt ætate Yvonis, & tot ſæculis ab illâ jam lapſis, periiſſe. Certè indubitatum eſt, olim Quadrageſimam tempus pœnitentiæ VII. Uſus Eccleſiæ.

publicæ,

publicæ; diem ſanctum Cœnæ Domini tempus publicæ abſolutionis fuiſſe. Diſcere id poteris ex Erardo Archiepiſcopo Turonenſi, qui in capitulis relatis inter Concilia Galliæ, cap. 14. decernit: *ut publica crimina ad notitiam Epiſcopi deferantur; maximè in die magno Cœnæ reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi per proprium Presbyterum vel legatum ipſius … ad præſentiam Epiſcopi deferantur.* Vide iſtum locum, alioſque ejuſmodi, apud ſcientiſſimum ſacræ omnis antiquitatis Sirmoodum noſtrum: qui cùm me juvenem ſenex amaverit, ac primùm facientem ad altare deduxerit, ejus jam ab annis aliquot demortui memoriæ debeo, ut multùm me ex ipſius ſcriptis, ſermonibus, converſatione profeciſſe profitear.

VIII. Cineres è palmis.

De cæremonia Cinerum, ſcio te longè plura reperturum apud alios, qui de cæremoniis & ritibus Eccleſiæ agunt ex profeſſo. At verò neſcio an umquam notâris, Cineres ſacros, quibus Eccleſia in capite Jejunii utitur, confectos è palmis, quæ die Palmarum anni præcedentis benedictæ fuerint. Videtur mihi id inſtitutum, ut doceamur, nullas eſſe tam vireotes, imò nec tam ſacras palmas, quæ brevi intervallo in cinerē non abeant, adeoque ridendam palmarum, victoriarum, triumphorum vanitatem. E palmis Alexandri, Antiochi, Judæ Machabæi, Jonathæ, Simonis, Nicanoris, confectos cineres habes in hiſce Machabæorum libris. Addam ego in Commentariis raptos de incendiis urbium, de rogis provinciarum, de buſtis regnorum, de palmis imperatorum. Inſtitui enim in hoc ad primum librum Commentario, per Excurſus Morales pleroſque diſputare de Cauſſis, Effectis, Remediis, calamitatum omnium publicarum, nominatim bellorum; quæ noſtra ætate ita graſſata ſunt per Europam, ut neſcio an umquam aliàs tam generatim, tam diu, tam effuſè. Vix ulla Europæ provincia non arſit annis pluribus: ut de bellis noſtris dicere poſſis, quod Jeremias Thren. 2. *Effudit quaſi ignem indignationem ſuam.* Eo igne quot palmæ cineratæ ſunt, quot locupletes familiæ, quot florentes provinciæ? Illuſtre vanitatis monimentum, vitiorum dehortamentum, virtutum documentum, ad æterna ac manſura incitamentum.

IX. Cineres ſteriles.

Auctor de ſpiritu & animâ, inter opera Auguſtini, cap. 53. explicans illud Abrahami dictum, *cùm ſim pulvis, & cinis*, dicit Abrahamum ſibi cineris nomen aptè dediſſe: primùm, quia quomodò cinis minutus facilè à vento diſpergitur, & hæret ubi ventus eum depoſuit, niſi ventus alius levet: ita hominem leviſſimum eſſe, & inconſtantiſſimum; nec tamen de terrâ, ſi ſemel illi per pravos affectus affixus eſt, ſurgere poſſe, niſi eum ventus Gratiæ divinæ levaverit. Deinde: *quia cinis neque ex ſe ſemen profert, neque aliud ſemen in ſe jactum producit ad germen*: ita homo ſine Dei gratia ex ſe nihil profert: *ſine me nihil poteſtis facere.* Eſto, quod hic auctor aſſerit, cineres infructuoſi ſint, idemque ſit cineri quod arenæ ſemen mandare, quamquam de eo dubitari meritò poſſit. Sed eſto id de cineribus profanis: nihil tamen Cineribus noſtris ſacris fructuoſius ac fertilius; & ſemina in ſe habent, & aliunde ſibi credita producunt ad germen.

X. Quomodò cinerum cæremonia officio congruat.

Mirari poſſis, quid in ſacro Miſſæ officio die Cinerum cum iſtâ cæremoniâ convenientiæ. Triſtis eſt in ſpeciem cæremonia; convenit Introitus in ſacrum, Epiſtola ex Joële, orationes, ultima præſertim, quæ ſuper populum dicitur, poſt inclamatum illud, *Humiliate capita veſtra Deo.* Iſta inquam, quæ pœnitentiam, humilitatem, ſacram triſtitiam commendant, cum Cineribus conveniunt. At quomodò illis reſpondet Euangelium, ubi duo omnino nobis à Chriſto inculcantur, faciem lavandam, & ungendum caput, quando jejunamus, id eſt, edenda ſigna lætitiæ: deinde theſaurizandum in cœlo, divitias in aliam vitam congerendas?

XI. A cineribus diſcimus theſaurizandum in cœlo.

Facilè quidem video, quomodò altera Evangelii pars congruat cineribus. Mors enim, eâ cæremoniâ ſignificata, nos admonet, quàm malo loco collocentur theſauri, *ubi fures effodiunt, & furantur, & ubi tinea demolitur.* Tinea mors eſt: quomodò enim è veſtibus ipſis tinea naſcitur eas roſura, ita mors è nobis eſt, tum ex naturali ipſâ habitudine, tum ex peccato originali: & quemadmodùm tinea paullatim erodit, ita mors nos ſenſim depaſcitur. Mors item fur eſt, quia paſſu laneo, & furtim advenit: *Veniam tibi*, inquit Chriſtus, *ſicut fur, & neſcis quâ horâ veniam tibi.* Venit autem Chriſtus ad nos, cùm morimur. Non eſt itaque eo loco theſaurizandum, ubi mors eſt, ſed ubi erimus immortales. Eò congerendæ divitiæ, eò ſancta cupiditas mittenda, ibi honor collocandus, ubi amitti non poteſt.

XII. Cineres lavant, & ungunt.

At quo pacto Cineribus componitur lotio faciei, unguentum, lætitia? Facilis erit reſponſio, ſi lotionem faciei & unguentum myſticè interpreteris: *Faciem tuam lava*, id eſt conſcientiam emunda, in qua totus animæ tuæ nitor, ex qua pulchritudo tua ſpectatur: *Unge caput tuum*, id eſt, eleëmoſynæ unguentum effunde in Chriſtum, qui caput tuum eſt: juncta conſcientiæ puræ, & eleëmoſynæ, jejunia gratiſſima ſunt. Atqui Cineres, id eſt, mortis memoria, nos impellunt ad mundandum peccatis animum. Quod forſan indicabat legitima, ex præſcripto Moſis, ante ſacrificandum purificatio per aquam & cineres, ex altari deſumptos. Philoni quidem ea cæremonia humilitatem ſignificat, & ſacrificaturo objicit originis ſuæ vilitatem ex terra & aqua: vide initio lib. de offerentibus ſacrif. At mihi æquè commodè innuere videtur mortis recordationem, quâ vix potentius quidquam, ad conciliandam animi puritatem ſacrificaturis neceſſariam. Excitat eadem cogitatio ad caducarum rerum contemptum, & exinde ad dandas eleëmoſynas, ac theſaurizandum in cælo. Convenit igitur etiam hæc pars Evangelii exactè cum Cineribus; & ſordidi licèt, atque exſucci, lavant tamen & ungunt. Sed etſi lotionem & unctionem ad literam ſumas, ut ſint lætitiæ ſigna, quò Chriſtus ſpectare videtur: nonne & ipſi Cineres, id eſt mortis conſideratio Chriſtiano lætitiam parit? Ruperti dictum eſt, lib. 3. de Trin. & oper. ejus cap. 28. *Non irata juſtitia, ſed miſerantis eſt gratia, quòd vitiatum hominem Deus mortalem eſſe voluerit.* Plotino idem viſum eodem teſte: ait enim: *Tunc Pater miſericors mortalia ei condebat corpora.* Itaque Chriſtianis beneficii loco mors eſt: Humilitas Chriſtiana, Pœnitentia, & Triſtitia, quæ ex mortis conſideratione naſcuntur, non ſunt abſque lætitia; ſed verâ ac ſolidâ, qualem Stoïci magis ſuſpicione noverant, quàm experientiâ, & in his Sen. ep. 23. *Crede mihi, ſevera res eſt verum gaudium.* Quid enim Fideli lætius, quàm deſiderium amicitiæ divinæ, & ſpes, imò fiducia?

XIII. Cineres [illegible]

Ferunt non pridem legatum Turcicum fortè ſub Anticineralia Venetias veniſſe, & ſpectatorem fuiſſe ludorum, quos etiam ſapientes è Senatoribus

toribus dabant. Bacchanalis agebantur ultrò à Chriſtianis, ad quæ Judæi non venêre niſi metu & vi adacti, 2. Mach. 6. Dixiſſes per eos dies ſapientiam ex urbe illa emigrâſſe, immigrâſſe in domos omnes & compita ſtultitiam. Nec vitio vertebatur; quippe cùm tueri ſe poſſent ſolenni illa exceptione: *Dulce eſt deſipere in loco*, & *, ſemel inſanivimus omnes.* Cineralibus mutata repentè urbis facies: redibant à templis ſinguli, facie compoſita, ſerio vultu, non iidem qui heri. Attonitus ad eam mutationem legatus, vel attonitum ſimulans, neque enim credibile eſt ignotas illi fuiſſe cæremonias Chriſtianas, in legationibus detrito: rogat ex amicis Venetis unum, ecquid hoc rei ſit? Unde tam ſubitò non eadem urbs? Quæ iſthæc metamorphoſis? Heri inſaniſſe omnes, hodie derepentè ſapere. Heus bone, inquit Venetus, neſcis hodie nobis Cineralia eſſe, & frontibus ſingulorum impoſitos cineres? Quid tum, ait barbarus? Atqui, inquit ille, ad hanc ſacram cæremoniam nos omnem inanem ac diſſolutam lætitiam ponimus, & in habitum verorum Chriſtianorum ad ineundam Quadrageſimâ fingimur. Si res ita habet, ait Turcus, tu verò mihi de ſacco ejuſmodi cineribus pleno provide. Abundat Conſtantinopolis fatuis, ac phreneticis; quos omnes de facili curavero, ſi tam paratum remedium. Intellectus barbari jocus, & leni riſu exceptus.

XIV.
A cineribus ſanitas.

Ita verò habet: in cineribus omnis ſtultitiæ remedium, omnis ſapientiæ pharmacum eſt. Paradoxum erat apud Stoicos, *omnem improbum ſtultum eſſe*: apud Chriſtianos in axioma tranſiit: nihil enim in Scripturâ communius, quàm improbis dari ſtultorum nomen. Ut ergo omnem ſtultitiam, vitia omne genus cures, cineres accipe, iis utere, finem tuum attentè cogita, cognoſce *quia morieris*. Arte Chymicâ vulgò jam lixivia è cineribus faciunt ad curanda cutis vitia. Ex iiſdem cineribus herbarum aut lignorum variorum ſalem eliciunt, ad perſanandos intimos morbos, quamtumvis inveteratos & contumaces. Etiam hydropi è cineribus fraxini aiunt inventum remedium. E ligno vitis, quod apud Ezechielem inutiliſſimum eſt inter ligna ſilvarum, cineres conficiunt accommodatiſſimos ad inurenda cauteria. Longum ſit ſingula, quæ à cineribus petuntur, remedia referre: per te ipſe comminiſci poteris, & à pravis corporis affectionibus ad animi vitia aptare: nec difficulter reperies, quæ ſeptem capitalibus vitiis reſpondeant.

XV.
Cineribus ignes extincti, hirudines abactæ.

Aliud indico magis ad commentariorum noſtrorum argumentum. Sanguiſugas aiunt Medici, ſi perfundas cineribus, cutem mittere, quam alioqui miſſuræ non ſint, niſi plenæ cruoris: *Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.* Sanguiſuga concupiſcentia eſt, quæ tam multùm Chriſtiani ſanguinis hoc ſæculo, quantùm aliàs umquam exſuxit. O ſi cineribus abigatur! Cineribus injectis ignes ſæpe vidimus, non ſopiri ſolùm, ſed & opprimi. Si paucos aggeras, ii ſunt quos Poëta vocat cineres doloſos, ſuppoſitas prunas tegunt: ſi multos, intercluſo penitùs aëre ignem latentem ſuffocant. O ſi tam multos cineres Eccleſia capitibus Chriſtianorum ſuorum injiceret, tam frequentem & ſeriam mortis memoriam ab eis extorquere poſſet, ut ignes illi ferales, quibus omnes Europæ partes miſerè tamdiu arſere, non ſopirentur tantiſper, ſed opprimerentur omninò! Tertullianus, *lib. de Spectaculis*, dehortans Chriſtianos à frequentatione circorum, & theatrorum, quòd omnia illic factionibus, & ſeditionibus plena eſſent, longè à caritate, & manſuetudine Chriſtiana alienis: *Itur*, inquit, *in furias, & animos, & diſcordias, & quidquid non licet ſacerdotibus pacis.* Sic Chriſtianos omnes eleganter vocat, quòd caritati ac concordiæ devoti & addicti ſint, ipſa religionis ſuæ profeſſione. Quid autem ſi modò redeat Tertullianus, & illos ipſos *ſacerdotes pacis* videat, non ad ſpectacula Infidelium ire, ſed ipſis de ſe Infidelibus ſpectaculum præbere: *ire in furias, animos, diſcordias*, ſeſe mutuis conficere vulneribus; dum quieti ſpectant, & rident Infideles, & de jacturâ noſtrâ lucrum ſuum faciunt? Hæretici & Mahumetani, pro dolor, fines ſuos extendunt, dum Catholici inter ſe digladiantur de finibus! Si iſta videat Auguſtinus, quomodò lamentetur, qui rogatus à Presbytero Victoriano, ut librum de bellis ætatis ſuæ, quæ certè noſtris paria non erant, ſcriberet, in hæc verba reſpondit ep. 122. *Literæ tuæ impleverunt grandi dolore cor noſtrum, quibus petiſti, ut prolixo opere aliqua reſponderem: cùm talibus malis magis prolixi gemitus & fletus, quàm prolixi libri debeantur.*

XVI.
O ſi odia noſtra & rixæ cineribus ſopiantur?

Vix inter animalia ferum ullum magis, quis credat, & igneum, ac vindictæ cupidum reperias, quàm mellis opificem apiculam. Ardent, ſi alvearis tangis, ſi volatum impedis, ſi aſpiras: inter ſe ipſæ aliquando ad internecionem pugnavêre. Rem eleganter Poëta deſcribit, apud quem habes etiam componendarum illarum facile remedium:

> *Hi*, inquit, *motus animorum, atque hæc certamina tanta,*
> *Pulveris exigui jactu compreſſa, quieſcunt.*

Mellis opifices Chriſtiani, qui animas florum ſugitis, qui à Jeſu Nazareno alimenta veſtra ſumitis, ab iſto melleo flore de radice Jeſſe: itáne tantas iras cum iſta ſuavitate conjungitis, tam pertinacis inter vos bella geritis, & eo quidem potiſſimùm tempore, quo Apes Barberinæ regnant, & Columba Pamphiliorum olivifera, benignumque Chiſiorum Sidus? Utinam & pulveris exigui jactu poſſem certamina tanta comprimere! Pſalmiſta de ſe aiebat: Concaluiſſe cor ſuum, dum injurias ſibi factas meditaretur, id eſt nimis attentè cogitaret. Ut ignem ſopiat, ad Deum converſus, *Notum*, inquit, *fac mihi Domine finem meum.* Finem tuum cogita, Chriſtiane, quiſquis es litigator, belligerator: *cognoſce quia morieris, in domo pulveris pulvere te aſperge.* Pulveris aliquid cape, aut de tuo, aut de Alexandri ſepulcro. Ad arenæ cumulum ſtat rabies maris: ad arenam Oceani non fracta eſt cupiditas Alexandri; ſed ad exiguum pulverem ſtetit omnis furioſi juvenis ardor. Idem erit tibi ambitionis, avaritiæ, irarum terminus. Quid eſt de quo belligeratis, mortales, imò vos immortales, ad æterna renati? De terrâ, an de cœlo pugnatis? Etiámne poſt naturæ monita, poſt gratiæ incitamenta, poſt rationis dicta, poſt Chriſti præcepta, theſauros congeritis, ubi fur effodit, & tinea demolitur?

EXCVR-

EXCURSUS II. MORALIS.

Ad c. 1. v. 11. Radix peccatrix.

Ignobilis nobilitas cauſſa malorum publicorum.

I. Quæ nobilitas ignobilis?

CùM nobilem vitioſum nominari audio, idem mihi audire videor, ac nobilem non nobilem. Si enim Satyrico poëtæ, *Nobilitas una eſt atque unica virtus*: contrà etiam, una atque unica ignobilitas vitium erit. Adeóque cùm vitioſam nobilitatem dicimus, idem pænè eſt, ac ſi contraria imò contradictoria compingamus, & humano capiti cervicem equinam aſſuamus. Si vel Paganus hoc vidit, quid nos Chriſtiani? Quibus non aliud *genus*, quàm *virtutis proſapia eſt*, ut loquebatur Ambroſius lib. de Noë arca cap. 4. Qui, ut Paullus Act. 17. in Areopago diſſerebat, *genus Dei ſumus*, ex ipſo vivimus, ad ipſum movemur?

II. Qui nobiles novi, & noviſſimi?

Nobilitatem hodie plerique in genera duo diſpertiunt, Veterem, ac Novam. Veterem eam vocant, quæ à proavis ducitur: Novam, quæ nunc naſcitur, aut adhuc in cunis eſt. Inde Novorum hominum appellatio: quam quidam, avitis titulis gloriabundi, eodem ſupercilio iterare ſolent, quo Romani olim fumoſarum imaginum faſtuoſi venditatores. Imò nonnulli, quorum abavi coquinæ haræve nidorem olebant, poſteaquam aliquem à patris vel avi dignitate nitorem traxêre, ita ſuimet obliviſcuntur, ut potioribus non metuant impingere novitatis elogium. Sed abſit à ſapientibus Chriſtianis putida comparatio temporum: apud quos, Apoſtoli & Auguſtini ſermone; Novus homo Chriſtus eſt, Adam vetus homo eſt. Ipsâ etiam civili æſtimatione, ſplendida & generoſa novitas longè antecedit obſoletam & degenerem vetuſtatem. Denique ſi nobilium ulli probro vertenda, aut objicienda novitas eſt: id vitioſis faciendum, qui ſeſe ipſi, malè ſentiendo maléque agendo, non novos modò, ſed noviſſimos hominum fecêre de primis.

III. Quæ nobilitas ſanguinis, armorum, literarum?

Tria vulgò nobilitatis capita numerantur, ſanguis, arma, literæ. Nam quartum; quod ab opibus venit, emptitiiſque titulis, nimis vile & contemptum eſt, ut iſtis accenſeatur. Iſto itaque omiſſo, & ad nundinas amandato, præcipuam nobilitatem ſtatuunt, quæ ab alto ſanguine, & à majoribus vetuſtis, fluxit ad poſteros non degeneres. Alteram facit armorum generoſa tractatio, gradúſque militares fortitudinis merito comparati. Tertia ex literis naſcitur, primiſque curiarum ac tribunalium ſubſelliis, eruditione occupatis, æquitate illuſtratis. Quæ autem illi ex ſanguine nobilitas, qui Chriſti ſanguinem, invidendo, ambiendo, luxuriando conculcârit? Quæ ab armis, in ſeipſum arma vertenti rebellantium affectuum, & in Deum per rapinas & execramenta militanti? Quæ à literis, non habenti ſcientiam Sanctorum, jura licitanti, reſponſa cauponanti, ſententias auctionanti? Quis denique verè nobilis vitioſus, poſtquam ſeſe *infra mancipia* vilitatem dedecoroſè vivendo abjecerit?

IV. Nobiles vitioſi radix malorum.

Hos igitur nobiles non nobiles, Reges, Principes, Senatores, Equites, Armigeros, Magiſtratus in vitia projectos, aio cauſſas eſſe malorum publicorum. Ecce jam nunc vides Antiochum Epiphanem dici *radicem peccatricem*: quorſum autem id nomen homini, qui radix generis ſui non fuit; ſed ſurculus potiùs è radice Seleucidarum? Deinde, quæ iſta loquendi ratio, ut dicatur radix exire; cùm, radice in terra manente, planta exeat? *Radicem* quidem dicere poſſis, ſumi pro ſurculo. Adde tamen, Antiochum disertè à Spiritu Sancto vocari *Radicem*, non germen: ut intelligamus ab impio Principe, tamquam è radice, vitiorum & ſuppliciorum vitiis debitorum genus omne, ut truncum, brachia, ramos, flores, fructus venenatæ arboris proficiſci.

V. Notantur in Hiſt. Mach.

Nec abs re eſt, quòd Scriptura in hiſce libris Machabæorum toties nobis ingeminat peccata Judæorum nobilium; Jaſonas, Menelaos, Lyſimachos, Alcimos, Simones Beniaminitas objicit: ut deſignet, in illis Judaici populi primoribus, præcipuas malorum publicorum cauſſas, à quibus velut à capitibus in cætera membra, tum culpæ, tum culparum pœnæ fluxerunt. Nec de nihilo 2. Mach. 12. ſacer Hiſtoricus nominat Syro-Macedonum primores quinque, qui, pace injuſtè violatâ, Judæ Machabæi arma in ſe ac ſuos concitavêre. Vult enim ſciamus, quinque capitum injuſtitiam corpori toti noxiam fuiſſe, & de fontibus iſtis erupiſſe torrentem, unde tot provinciis Judææ conterminis illata eſt vaſtitas.

VI. Nobilis aut virtute, aut vitiis eminet.

Ut clariùs hæc veritas emicet, comparationem peccatorum privati vel plebeii hominis, cum peccatis nobilis alicujus inſtituamus. Non tamen quæro, uter, cùm ſe ad vitia dedit, plura peccet: ſtatim enim reſpondebit Orator pro Quintio: *Homines nobiles, ſeu rectè ſeu perperam facere ceperunt, ita in utroque excellunt, ut nemo ignobilis aſſequi poſſit.* Inſita à natalibus eminendi cupiditas, ad ſummum illos virtutum aut vitiorum, prout vitæ iter arripuêre, impellit. Adde educationis licentiam, ſeu parentum indulgentiâ, ſeu familiarium culpâ: tum exempla vitiorum in aulis non infrequentia, quæ ſanè non omnes ſanctæ ſunt: deinde ex educatione, & conſortio natam conſuetudinem, cujus, ut benè Mimus ſapiens, *Graviſſimum eſt imperium*: denique quotidianas nobilibus peccandi occaſiones, & irritamenta, cùm neque Holoferni Vagao, neque Ammoni Jonadab, neque Abſaloni Achitophel ſuus deeſſe ſoleat. Ut planè illis, qui à Poëta Græco *ποιμένας λαῶν*, *Paſtores populorum*, vocari ſolent, aptare poſſumus vulgare illud de Paſtoribus verbum: *aut dæmon, aut Angelus*; aut eminenter probus, aut inſigniter improbus.

VII. Nobilis plebeio graviùs peccat.

Quæramus igitur: hominiſne nobilis an plebeii eadem ſpecie, numero, circumſtantiis omnibus, peccata graviora ſint, ex eo ſolùm quòd à

tali commiſſa. Si enim hujus aut illius graviora eſſe confecerimus, & hoc confectum erit, eſſe cauſſas publicarum calamitatum. Cùm conſtet ex aliàs dicendis, unius hominis culpam toti interdum Reipublicæ perniciem afferre, ac Dei vindictam in cives omnes ac ſocios impellere: eoque citiùs, quò graviùs & odioſiùs Deo peccatum eſt. Atqui nobilem plebeio, etiam paribus cæteris, graviùs peccare, facilè probaverimus argumento duplici, primùm ex rectæ rationis judicio, deinde ex ipſiuſmet Dei ſententia.

VIII. Etſi aliter judicent adulatores.

Rectæ rationis judicium non eſt adulatorum, & paraſitorum: qui falſis laudibus ipſa magnatum vitia virtutum nominibus induunt, quaſi in alta fortuna poſitis liceat quidquid libet, & legum omnium gratia facta ſit. Magis dolendum, quòd & ipſi quorum eſt diſcernere *inter lepram & lepram*, interdum fœdâ adulatione, vel inani timore, nobilium quàm plebeiorum crimina minùs reprehendunt & puniunt, quaſi eò leviora ſint, quòd purpurâ & ſerico, non lino aut pannis rudibus conteguntur. Raulinus, eruditus Homiliarum ſcriptor, non ineleganti apologo, in eo libro quem de pœnitentiâ compoſuit, fingit; Vulpem in animalium cœnobio Confeſſarium, Leoni, rapinas & cædes faſſo, levem pœnitentiam impoſuiſſe: Aſino verò, ruditum inconditum, aut neſcio quid aliud exiguum confitenti, enormes pœnas indixiſſe. Ita interdum uſuvenit. Leones rerum dominos, multa demeritos, inepti quidam Confeſſarii vix digito audent attingere: plebeios & puſillos idiotas onerant, velut animalia ferendo nata.

IX. Culpam exaggerant ingratitudo, malitia.

At longè aliter ſapientes, non dico Theologi, ſed Chriſtiani quilibet vel tenuiter intelligentes; ſciunt enim eò graviùs peccatum eſſe, quò majori cum ingratitudine, malitia, ſcandalo conjunctum eſt: quæ omnia in nobilis alicujus crimen conveniunt. Divitiæ, dignitas, nobilitas exigua quidem bona ſunt, at bona tamen, & Dei beneficia: ingratior ergo qui illis acceptis Deum offendit. Adde ingratitudini malitiam: in hortis enim magnatum naſcuntur arbores ſcientiæ boni & mali: panis vitæ ac verbi divini ultrò illis ingeritur, qui ſæpe parvulis petentibus denegatur: ad illorum fores & conclavia ſæpiùs intrant Rabbini ac Doctores legis, quàm ad tuguria ruſticorum, aut officinas artificum: ad diſcenda ſaluti utilia plus illis quàm his ſæpe ingenii eſt, at certè plus otii ac commodi. Jeremias de ejuſmodi hominibus loquens, cap. 5. *Ego autem dixi*, inquit, *forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini, & judicium Dei ſui. Ibo ergo ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei ſui. Et ecce hi magis ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Ideò percuſſit eos leo*, &c.

X. Et exēplum malum latè diffuſum.

Deinde, eſto par nobilis & ignobilis crimen: at non par ſcandalum, vel Satyrico Juven. teſte.

Omne animi vitium, tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò major qui peccat, habetur.

Ille in theatro eſt, vel minimi geſtus obſervantur, errare ſine teſtibus non poteſt: hic in turbâ latet. Phile lib. de animalibus meminit Indici muris, quem quocumque tempore ſecueris, fœtum invenies, imò ipſam fœturam alio minore muſculo fœtam, portentoſâ planè fœcunditate. Quod Phile de iſto mure mihi difficulter perſuaſerit, in peccatis Magnatum veriſſimum eſt. Fœta ſunt, fœcundiſſima ſunt; ea eſt vis exempli mali, ex alto in ſubjectos manantis. Reguli ſerpentis, ſive baſiliſci halitum, imò & viſum ipſum, venenatum eſſe perhibent. Regulorum certè, & baſiliscorum hominum exempla afflata, aut ſpectata, virus latè contagioſâ imitatione diffundunt.

XI. Mali nobilium exempla vis.

Unde putas tanta inter Judæos, Iſaiæ ætate, morum corruptio? Cauſſam ipſe indicat cap. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A plantâ pedis, uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas: ſed vulnus, & livor, & plaga tumens*, &c. Languent vitiis capita populi Judaici, id eſt optimates: inde cor mœrore oppreſſum, membra cætera ulceribus tabida, ſanie fluentia, vitiorum morbis à capite in ſubjectas partes derivatis. Hæc eſt iſtius loci genuina ſententia, quam etiam attigit Chaldæus Paraph. *A reliquo populo, uſque ad principes, non eſt qui perfectus ſit in timore Dei, omnes ſunt contumaces*, &c. Fons ſunt peccata principum, ex illo rivulorum inſtar excurrunt peccata populorū. Idem ſuprà num. 2. nos docuit ſacer Hiſtoricus; cùm Antiochum Epiphanem eleganti epitheto vocavit *Radicem peccatricem*. Id etiam aliqui notavêre Gen. cap. 6. in filiis Dei, qui videntes filias hominum, in eas exarſerunt, orbemque univerſo exemplo corruperunt. Symmachus certè habet, υἱοὺς τῶν δυναστευόντων, *Filios Principum*, ubi nos habemus, *filios Dei*.

XII. Oſtenditur in Davide.

Spiritus Sanctus 3. Reg. 15, de Davide hanc pronuntiat ſententiam: *Fecit David rectum in oculis Domini, & non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi.* Atqui ipſemet David Pſ. 39. ultrò de ſe fatetur, accuſante præter conſcientiam ſuam nemine: *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem: multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.* Reus agnoſcit innumera ſe peccâſſe. Judex cauſſâ cognitâ omninò duo in ipſo notat, adulterium ſcilicet, & homicidium, quæ Uriam tangunt. Quid hîc dicas? An reum erraſſe: an judicem? Sanè neutrum fas eſt ſuſpicari. Nonnulli hanc difficultatem exiſtimant vitari poſſe, ſi Pſalmus iſte ad literam totus de Chriſto, qui hominum in ſe peccata ſuſcepit, explicetur: ſed dubitandum mihi non videtur, etiam de Davide intelligi. Quidam putant ſumi id poſſe de peccatorum Venialium numero, à Davide commiſſorum: ſed *iniquitates* plus aliquid ſonant, quàm *Venialia peccata*. Aiunt non malè alii Pſalmiſtam non de ſuis ſolùm peccatis agere, ſed etiam ſubditorum omnium, cum quibus illi meritorum ac demeritorum erat communio, uti inter unius corporis civilis caput, & ſubjectas partes. Alii malunt, adulterium & homicidium dici peccata innumera, quia gravitate ſua inſtar ſint innumerorum minorum, & licèt duo tantùm ſint, æquivaleant tamen plurimis. Clara & plana reſponſio eſſe poſſit, agere Pſalmiſtam de malis exemplis; quæ ab ipſius criminibus in alios imitatione traducta ſunt: atque inde bina peccata ita in ſubditis, Regis ſui exemplo licenter peccantibus, multiplicata, ut non capillorum modò, ſed & omnem numerum ſuperare, meritò David affirmet. Hoc fortaſſis innuebat Nathan, cùm in celeberrimæ parabolæ ſuæ explicatione ipſi diceret, *Blaſphemare feciſti inimicos Domini.* 2. Reg. 12.

XIII. Dei de nobilibus quærelæ.

Ad firmandum Davidis de culpâ ſuâ judicium, videamus, quanti peccata magnatum faciat Deus. Docebunt nos Dei ipſius de illis quærelæ, minæ, pœnæ. Querimoniam habes Pſ. 4. ubi nos legimus, *Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem* &c. 70. habent: *Uſquequo inclyti mei, ignominioſè diligitis vanitatem?* Aquila & Symmachus

Digitized by Google

Symmachus legunt: *Vſquequo glorioſi mei, gloria mea, diligitis vanitatem?* Vatablus expreſſiſſimè vertit: *Vſquequo potentes, ac Principes, diligitis vanitatem?* Ubi adverte, Deum non queri de plebeiis quòd vanitatem, id eſt creaturas, præ ipſo diligant, ſed de optimatibus, quaſi horum errores magis ſentiat: idem enim ſignificant *Potentes, Principes, Glorioſi, Filii hominum*; cùm apud Pſalmiſtam per *Filios hominum*, intelligantur nobiles, uti Pſ. 48. *Quique terrigenæ, & Filii hominum*; *terrigenæ*, id eſt plebeii, *Filii hominum*, id eſt nobiles.

XIV. Minæ in eoſdem. Quærelæ ſtimulant, minæ terrent, adeóque querelis potentiùs excitant. Habes horrendas minas Sap. 6. ubi verba omnia digna ſunt, quæ expendantur; ponderanda hæc potiſſimùm: *Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* In contractibus ac mercatibus cupream monetam ponderat nemo, imò vix argenteam ipſam: faciliùs in illis diſſimulatur quod deeſt. At in aurea ne granum quidem præteritur, ad libellam & pondus præſcriptum nemo non exigit. Eumdem ſenſum, eleganti ſimilitudine, allegoricè expreſſit, eloquentiſſimus prophetarum, Iſaias cap. 28. *Non enim in ferris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo. Panis autem comminuetur.* Deum vindicantem peccata, trituratori ſeminum comparat. Adi domum ruſticanam æſtate: videbis meſſum cyminum, ſiccatum gith, ſumi aiunt aliqui pro herba piperiti: ſi mavis notiora nomina, videbis lactuças maturas, & ſemine ſicco gravidas: puer aut ancillula plantas haſce virgâ percutit, illicò decidua ſemina excipiuntur linteo, aut in areâ colliguntur. Pòſt, ingredere borreum, videbis priſco Judæorum more, ſtratis frumenti mergitibus inſiſtentes & inambulantes boves, & circumactas ſerras plauſtrorum, ad exprimendum ex ariſtis frumentum: hodiernâ verò conſuetudine, ſpectabis robuſtos juvenes, totis viribus flagella intorquentes in ſubjectos ſpicarum manipulos, ad excutienda grana. Adde reliquum frumenti ventilandi, purgandi, molendi, pinſendi, excoquendi laborem, ad panem conficiendum. Ita, inquit Iſaïas, vindicta divina pauperes velut viliora ſemina leviùs percutiet, magnates autem validiſſimè; ut agricola nobile ad hominum alimenta ſemen.

XV. Item pœnæ privatæ ac publicæ. Ne verò ſteriles Dei minas exiſtimes, non te ablegabo ad privatas magnatum pœnas; ad computreſcentes Antiochos, & Herodes; ad cæcatos Sedecias, Bulgarorum Reges, & Armuxianos Regulos; ad incluſos caveâ Valerianos, Bajazethos, Chriſtiernos; ad Principum aſſeclas primarios in corona plexos, in furcam actos, ad Gemonias & in lutum protractos, Amanum, Sejanum, Ablavium, Perennium, Vineam, Cabreram, Caracciolum, Volſæum, aliaque celebrata hiſtoriis, & theatris cognita nomina. Agimus hîc non de privatis nobilium pœnis, ſed de publicis ob eorum crimina calamitatibus. Conſule Num. 15. & adverte primùm, ob fornicationem juſſos ſuſpendi principes, & quidem *contra Solem*, ut ſpectabiliores eſſent. 70. habent παραδειγμάτισον, id eſt, *propone pro exemplo*, Juſtitiæ divinæ ſcilicet. Vulgò aiunt, *Canem percute ante*, ſive, *ad exemplum leonis*: Deus aliter longè quàm homines ſoleant, leonem percutit ante canem, ad hujus exemplum. Adverte deinde, ſtatim atque Zambri eodem genere luxuriæ ſe commaculare cæpit; & ipſum confodi, & viginti quatuor hominum contaminatorum millia interire. Ut diſcas quod monet Petr. Dam. lib. 1. ep. 6. *Carnales illecebras in eminentioribus perſonis acriùs perſequendas*: imò eminentium hominum errores etiam publicarum miſeriarum cauſſas eſſe, & facilè ad menſuram Reipublicæ extremum cumulum addere.

XVI. Iſraëlitæ ob Principum peccata abdicati. Tremenda Dei in Iſraëlitas ſententia pronuntiatur, Oſee 9. *Non addam ut diligam eos*, fame, bello, captivitate illos perſequar, neque umquam redibo in gratiam. Cauſſam ſubjicit: *Omnes principes eorum recedentes.* Viden' apertè fontem malorum publicorum eſſe flagitia principum. Antè apud eumdem Prophetam cap. 1. Deus edixerat: *Non addam ultra miſereri domui Iſrael, ſed oblivione obliviſcar eorum: & domui Iuda miſerebor.* Mirari poſſes, unde iſta miſericordiæ diſparitas, erga populos ab eodem Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo prognatos: admirationem tollit reſponſio cap. 9. *Omnes principes eorum recedentes.* Notat Rupertus, & res in aperto eſt, omnes Iſraelitarum Reges idololatras ad unum fuiſſe; Judæorum autem aliquos ſaltem probos, Joſaphathum, Ezechiam, Joſiam: atque adeò, odio impiorum Principum, divinam juſtitiam ſeveriſſimè Iſraëlitas ultam fuiſſe; Judæos verò piorum Regum reſpectu miſericordiùs puniſſe. Unde confectum habes, quod propoſueramus, optimatum culpas publicè, non tantùm exemplo, ſed etiam ſupplicio noxias, imò plerumque exitioſas eſſe.

XVII. Peccata populi merentur ſæpè & malos Principes, & mala Principum. Ne tamen horum à nobis dictorum occaſione, plebs linguas ad maledicendum, majoribus præſertim, nimis liberas ſolvat: duo monenda erunt. Primum, quomodò populum ob peccata optimatum, ita optimates ac Principes plerumque ob populi crimina plecti: Neque addubitavit Jeremias, Thren. 4. *Spiritus oris noſtri, Chriſtus Domini, captus eſt in peccatis noſtris*: ſeu de Sedecia, ſeu de Joſia loquatur. Ita Petr. Dam. Ep. 7. ad Henricum Regem Romanorum, timentem ne partem regni amitteret, ſcribebat; aliquando Regibus ob peccata ſubditorum eripi victorias, & provincias. Exemplum habes in Achano, Joſue 7. quod aliàs reddemus. Imò culpæ popularium non cauſſæ ſunt tantùm, cur Reges plectantur, ſed & cur peccent. Conſtat ex 2 Reg. 24. *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, commovitque David in eis, dicentem: vade, numera Iſraël, & Iudam.* Deus, Hebræorum peccatis irritatus, ſinit & Regem peccare, cujus vanitate completâ menſurâ, populus omnis puniatur. Denique monet Greg. 15. Mor. c. 24. *Nullus, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur, accuſet: quia nimirum ſui fuit meriti, perverſi rectoris ſubjacere ditioni.* Didicerat ab Eliu, quarto amicorum Jobi, cap. 34. *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et expreſſiùs ab Iſaia cap. 3. ubi Deus ob Judæorum crimina: *Dabo*, inquit, *pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Auguſt. 5. de Civit. poſtquam poſuit ab eadem Providentiâ divinâ datum in manus imperium Auguſto, ac Neroni; Tito, ac Domitiano; Conſtantino, & Juliano: ſubjicit inſigne documentum: *Etiam talibus dominandi poteſtas non datur, niſi cùm ſummi Dei providentia, res humanas judicat talibus dominis dignas.* Conquerebatur olim amanter cùm Deo vir pius quidam, apud Bar. & Spond. an. 602. quod Phocas crudeliſſimi ingenii, & rapaciſſimorum unguium homo, Mauritii Imperatoris vitam abſtuliſſet, & ſolium invaſiſſet. Cælitùs reſponſum, peccata civium Conſtantinopolitanorum talem Imperatorem merita, quo pejor non eſſet.

XVIII. Subditæ errores Principis tege. Neque hîc abs re fuerit monere ſubditos, non modò de non detrahendo Principibus ſuis ac magiſtratibus, ſed etiam de erroribus eorum, quâ poſſunt, tegendis. Hinc proponendum illuſtre Mariæ exemplum Num. 12. cujus obmurmurationes leprâ punitæ. O quot modò ſint leproſi, ſi murmuratorum omnium idem ſit ſupplicium! Inde proponendus Davidis erga Saülem amor in inſigni hiſtoriâ 1. Reg. 24. advertendumque primùm, quomodò culpam Saülis rejiciat in pravos conſultores, *Verba dicentium* &c. Deinde quanto affectu dicat *Pater mi*, non aliter patri quàm quia Regi ac domino: filiam enim ſuam Davidi abſtulerat, & jam non ipſi erat pro patre; ſed pro crudeli vitrico, imò ſicario ac carnifice. Ita verò amandi Principes & magiſtratus, ut patres. Gallos imitare, ante Bovinenſe Tornacum inter & Inſulas prælium, flexis poplitibus rogantes Regem, ut ſibi benè precetur, quomodò filiis pater, apud Spond. ann. 1214. Aſpice Hungariam totam pullis veſtibus triennio toto Ludovici Regis funus lugentem, eodem teſte Spond. an. 1382. cùm conſuetudo luctum filiorum pro patre anno uno definierit. Jubebit te Seneca lib. de Clementia ad alvearia adire: ut videas quis in apiculis ſit erga regem ſuum amor, & ab animalculis diſcas hominis officium. Itaque, vera ſint licèt, quæ de nobilium peccatis, ſeu ego dixi, ſeu Eccleſiaſtæ pro officio ſuo dicturi ſunt: abſit tamen ut privatus *manum mittat in Chriſtum Domini*. Lingua manus eſt mentis; hanc ab ipſis publicis ac vulgò notis Principum culpis abſtine, nedum ab occultis.

EXCURSUS III. MORALIS

Ad Cap. 1. *v.* 15. Ædificaverunt gymnaſium, &c.

Voluptates rebus publicis amariſſimæ.

SECTIO PRIMA.

Primum voluptatum damnoſarum genus.

I. Effectus luxuriæ. Effectus fœdi vitii luxuriæ alii aliter numerant. Filias ejus nominat S. Th. 2. 2. quæſt. 153. art. 4. & 5. & poſt Gregorium recenſet octo: Cæcitatem mentis, Inconſiderationem, Præcipitationem, Inconſtantiam, Amorem ſui, Odium Dei, Affectum præſentis ſæculi. Horrorem futuri. Vide art. 5. in corpore, ubi benè oſtendit, ea omnia vitia ex luxuria proficiſci. Conſule prætereа eundem, 2. 2. q. 53. art. 6. ubi agit de Præcipitatione, Inconſideratione, Inconſtantia. Drexelius noſter in Niceta luxuriæ ſex effectus refert, hiſce verſibus clauſos.

Corpus, Opes, Animam, Ingenium, Famam, Virtutes,
Debilitat, Perdit, Necat, Impedit, Inficit, Aufert.

Ego varia mala, ex eodem vitio oriri ſolita, annotavi in commentariis ad verſum 33. &c. ubi voluptatem tributorum exigendorum præfecto comparavi.

II. Allegoricè deſcripti. Advertunt aliqui, peſtiferos fructus venenatæ hujus arboris deſcriptos allegoricè Prov. 7. ubi Sapiens pingit adulteram procacem, cum luxurioſo adoleſcente de amoribus ſuis fabulantem. Alii alia notant, ego ſic malim. 1. *Victimas vovi*, inquit dicax meretricula: immolatura ſcilicet ipſa ſe, & amaſium ſuum dæmonio: en virtutem perditam, conſcientiam jugulatam. 2. *Intexui*, inquit, *funibus lectum*: ut juvenem irretiam, captivum & mancipium vilis vitii faciam: en famam fœdâ conſuetudine amiſſam, *omnes loquentur ſuper aſpernatione ejus*. 3. *Aſperſi*, inquit, *cubile meum myrrha & aloë*. O quantum amaritici; quantum myrrhæ & aloës in brevi voluptatulâ! O quot ſynderеſes, conſcientiæ morſus, faſtidia, tædia, morbi corporis & animi, inquieti, exſanguis! 4. Dementatus fabellis pellicis adoleſcens ſequitur, *ut bos ad victimam*: en impeditum ingenium, en ex homine brutum bovem. Vulgò inter nomina, quæ luxuriæ damus, communius nullum quàm brutalitas, quia brutos & beſtiis ſimiles facit Circæa peſtis. 5. Inſtar eſt *Avis ad laqueum*: intra coquinam, ſpecta ut deplumetur capta avicula; idem fit voluptate captis, explumantur, exenterantur, exoſſantur: ecce opum jacturam, qualem in Prodigo Chriſtus deſcripſit. 6. Ad extremum ſunt *via inferi domus* adulteræ: hoc ſummum eſt malorum omnium, &, ut alia deſint, per ſe ſolùm ſufficiet ſapienti, ad odium horroremque luxuriæ, quâ tritum magis ad inferos iter non eſt. Aug. lib. de 10. chordis cap. 9. ubi ad quintam chordam Pſalterii venit, id eſt quintum præceptum, quod ipſe numerat, *Non mœchaberis*: *Quintam*, inquit, *ſum aſſiduè percuſſurus: in illâ enim video jacere penè totum genus humanum, in illâ plus video laborare.* Nec ſanè timidè affirmârim, de Catholicis qui damnantur, vix quartam partem perire ob vitium aliud, quàm hoc tenaciſſimum, cujus pœnitere ſeriò, ubi aſſuêris, vel in morte difficillimum eſt.

Monebat Mimus: *Quod facere turpe eſt, dicere ne honeſtum puta*; etiamſi reprehendendo dicas, vel invehendo. Sunt, inquit Salvianus, 6. de Prov. vitia *quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari*: & Paullus Eph. 5. non tantùm immunditiæ genera varia, ſed nec ipſam ſcurrilitatem vult *nominari in nobis*. Hæc ratio eſt, cur ſæpe & concionatores dicere de luxuria, & coronam de ea dicentes audire pudeat. Quid agamus tamen? Neceſſe eſt aliquando pudorem honeſtè ſuperari; & de malis iſtius vitii declamare ad plebis inſtitutionem. Audiſti igitur ſex effecta luxuriæ, imò vidiſti: averſaris, exhorres tot damnorum fontem: quid ſi ſeptimum, idque maximum, & aliis auctoribus, qui de caſtitate agunt, intactum audias? Libidinem III. Luxuria publicè extincta.

dinem ego; cùm publicâ conſuetudine inolevit, non privatim tantùm ſingulis perniecioſam eſſe affirmo; ſed univerſis: hinc labefactari, concuti, ruere, perire, reſpublicas. Quot verò in iſtis calamitatibus publicis privata damna incluſa? Quàm multis, virtus, divitiæ, ingenium, fama, corpus, animus pereunt, ubi patria bellis aliiſve communibus damnis miſerè conflictatur? Faciamus verò privatorum jacturas cum publicis malis conjunctas non eſſe: hæc tamen tantò illis pluria facienda ſunt, quantò commune bonum privato potius eſt.

IV.
Ratio: quia ad impietatem ducit.

Ratiocinatio & experientia planum nobis facient, voluptates eſſe rebus publicis amariſſimas. Ac primùm conſtat, & alibi demonſtrandum veniet, impietatem publicè exitioſam eſſe. Atqui à libidine ad impietatem declivis via eſt, inde ad exitium. Soleot enim iſtius vitii mancipia, quò licentiùs cupiditatibus obſequantur, frænos denique religionis, ac timoris divini abrumpere, ut ills effractis, vel ſibi fingant, vel populo perſuadeant, quod in iſto obſcænitatum genere libet, etiam licere. Ita apud Marianam lib. 6. cap. 19. Vitiza penultimus Rex Gothorum, præſtigiis adulatorum corruptus, & ex bono paullatim peſſimus, inductâ palàm in ædes Regias fæminarum turbâ, ut impudentiùs peccaret, edicto ſanxit, polygamiam à Chriſto ſublatam rurſus licere. Secuta mox impietas. Summi Pontificis, cujus fulmina verebatur, auctoritatem edicto convellere conatus eſt, ejuſque approbatores æquè ac prioris habuit. Ab impietate progreſſua ad crudelitatem, mox in odium publicum, metu rebellionia mœnia urbium dejicienda curavit, primuſque, aliud agendo, facilem Mauris in Hiſpaniam ingreſſum præbuit. Unde fæda ſuperſtitionum in Angliam colluvies? Nonne ab inceſtis Henrici Octavi, quem hic ſæpiùs nominare oportebit, amoribus? Unde ſapientiſſimi Regum horrendus in profundam inſipientiam lapſus? Salomon quo pacto idololatra? Adeóne inſanus eſt, ut Moloch, & Chamos pro diis habeat? Non, opinor. Cur ego illis thura & victimas? Non vides ad latus delicatulas formas? Ecce idololatriæ fontem. *Inclinavit*, inquit, Eccleſiaſticus, *femora ſua mulieribus*; ac deinde vicem idolis. Non opus eſt, ut ab hiſtoria Machabæorum abeas. Eò venêre luxuriæ plurimi Judæorum, ut etiam portentoſas libidines gymnaſio profiteantur: luxuriæ juncta impietas, *leges nationum, juſtificationes Gentium.* Adeò denique verum eſt, affinitatem, imò neceſſitudinem eſſe inter hæc vitia; ut ootet Hier. ad Cteſiphontem, & ex illo Baron. an. 146. nullas ſine fæminis hæreſes fuiſſe, quod de hodiernis noſtris etiam aſſerere poſſimus. Verum quidem, & advertêre, Baro. tom. 8. an. 59. ſub finem, & Raderus to. 1. Bav. San. pag. 55. varias à ſapientibus ac ſanctis fæminis nationes ad fidem adductas; Francos per Clothildem; Gothos per Inguodem; Longobardos per Theodolindam; Bojos per Reginotrudem. Sed & hoc certiſſimum, illicitis amoribus Principes multos, ac deinde populos, à religione ac pietate paullatim defeciſſe.

V.
Item ad injuſtitiam.

Adde & à juſtitiâ, cujoa tamen cultu nihil ad populorum ſalutem magis oeceſſarium eſt. Quot Principes ſanguinem ſubditorum injuſtis tributis expreſsêre, ut ſanguiſugam libidinem explerent? Intuere monſtra Romani Imperii, Nerones, & Heliogabalos: aut potiùs recentius exemplum Henrici Octavi, qui ex quo illicitè amare cæpit, teſte Sand. lib. 3. de Schiſmate Anglic. tantum à ſubditis exegit, quantum totia quinque retrò ſæculis ab univerſia Angliæ Regibus exactum. Tam multum præterea pecuniæ ab Eccleſiaſticis extorſit, ut ſola hæc ad liberandam perpetuò tributis Angliam ſuffectura videretur. Deceſſit nihilominùs avariſſimus exactor in eâ inopiâ, ut ante mortem monetam omnem, ad ſufficiendos aliunde ſumptus corruperit. Si longiùs retroacta ſæcula reſpicias, reperies Gen. 6. poſtquam Deus diluvio genus humanum ſepelire decrevit, cauſſam decreti tangi v. 3. *non permanebit* &c. *quia caro eſt:* & v. 11. *Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.* Chaldæus Interpres v. 3. habet: *Quia caro ſunt, & opera eorum peſſima*: v. 11. *Corrupta eſt terra coram Deo, & impleta eſt terra rapinis.* Vides luxuriæ jungi rapacitatem, & injuſtitiam, quam etiam putem indicari v. 4. ubi fit de Gigantibus mentio, quoa equidem lubens interpreter latrones, raptores, oppreſſores infirmiorum. Conſule Gen. 13. v. 13. ubi Vulgata habet: *Viri Sodomitæ erant peſſimi & peccatores:* Chaldæus legit: *Viri Sodomitæ erant iniqui cum mammona, & peccatores in corporibus ſuis.* Viden' & hic rapacitatem & iniquitatem cùm libidinibus connexam?

VI.
Tempus a ſecretum, conſilium luxurioſis elabuntur.

Præterea habet hoc libido, ut tempus eripiat, cujus jactura, cùm aliàs ſemper, tum in publicis negotiis damnoſiſſima eſt, ubi ſæpè occaſionis negligentia victorias de Imperatorum manibus, ſceptra Regibus extorſit. Iam ob rem forſan Joſuè uxorem habuiſſe non legitur, nuſquam ſanè liberorum ab eo ſuſceptorum ſit mentio. Judas Machabæus de conjugio niſi ſerò non cogitavit, idque ſuadente Nicanore, forſan ut amoribus uxoris illigatus, ſegniùs rerum ſatageret. Si autem vel legitimi & honeſti amores tempus fallunt, ingenium occupant, curas diſtrahunt: quid de illegitimis & turpibus ſentiendum, quorum ardor inquietior, & impetus longè agitatior eſt? Idcirco ſapienter planè Cyrus Xenophontis Pantheam, laudatiſſimæ formæ fæminam, nec videre voluit, ne à viſu ad colloquium, ab hoc ad converſationem laberetur, & inter confabulationes tempora gerendis rebus opportuna effluerent. Offert nobis ſacra Hiſtoria celeberrimum Sampſonem, ideſt, parvum Solem, cujus lux fermè omnis in ſinu mulieris extincta occubuit, fœdam ſanè diuturnii temporis eclipſim paſſa eſt. *Defecit*, inquit ſacer Hiſtoricus, *anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt,* inſtante, urgente, flente amicâ, tempus, ſecretum, robur animi, vires denique corporis miſero Sampſoni periêre. Ita verò, *Amare & ſapere vix Deo conceditur*, ut ſcitè Publius Mimus.

VII.
Debilitantur vires animi & corporis.

Et iſtud igitur languidarum voluptatum commune vitium eſt, quod vires animi & corporis emolliant ac frangant. Nihil niſi fæmineum & enerve expectaveris ab his populis, ubi conſuetudine publicâ frequentantur, non generoſum militem, non fortè imperatorem. Hieronymo, ep. 1. ad Heliod. *Corpus aſſuetum tunicis lorica onus non fert: caput opertum linteis galeam recuſat: mollem otio manum durus exaſperat capulus.* Quantò id meliùs diſceris, de manu inter languores delitiarum torpidâ, de capite brutis cupiditatibus fatigato, de corpore libidinibus exhauſto? Non hîc tibi illos commemorabo, de quibus apud Poetam neſcio quis: *O verè Phrygiæ, nec enim Phryges.* Non te advocabo ad ſpectandum Pœnorum poſt Campanicas delitias dedecus: etſi ad iſtud ſpectaculum aptiſſimè moneat Valerius lib. 9. c. 1. *Quid ergo his vitiis fœdius? Quid etiam damnoſius? Quibus virtus atteritur,*

Digitized by Google

victoriæ langueſcunt, quæſita gloria in infamiam vertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur: adeò ut neſcias, ab hoſtibus, an ab illis capi, perniciofius ſit. Non te ad Scipionis & Metelli caſtra ablegabo, quorum hic Jugurtham, ille Numantinos, expurgatis luxuriâ caſtris, & ejectis pellicibus, ſuperârunt. Non ipſum tibi referam Scipionem Naſicam, ab Oroſio laudatum lib. 4. c. 21. graviſſimâque oratione Senatui perſuadentem, ut theatrica inſtrumenta, velut libidinis incentiva, vendantur: ad quod Oroſius commodè, *Intelligant*, inquit, *noſtri, propter hoc quòd ſe infirmiores eſſe hoſtibus ſuis ipſi & ſentiunt, & fatentur, theatra incuſanda, non tempora.*

VIII. Militem enervant. Auſculta potiùs ſapientiſſimum ſenis conſilium, Alphonſo ſexto datum, apud Marianam lib 10. cap. 5. Amiſerat hic filium, robur exercitus, famam, in cruentiſſimo cum Mauris prælio. Clade conſternatus Senatum cogit, quærit de cauſſis tantæ calamitatis, & remediis. Senex prudentiæ emeritæ, & priſci candoris, in aperto rem eſſe ait: nuper caſtos fuiſſe Hiſpanos; hodie, toleratis publicè libidinum nundinis, cum caſtitate ſimul animorum ac corporum vires emigrâſſe. Non eamdem fuiſſe belli cum Mauris fortunam, quia non iidem pugnârunt. Sententiæ libertatem toleravit Alphonſus, imò probavit, & ſanxit, ſublato mox per edictum peremptorium omni mercatu luxuriæ. Mavis è Scripturâ diſcere, quàm militiæ libidines noceant? Gen. 14. antiquiſſimum bellorum omnium, quæ ab Hagiographis ſcripta ſint, memoratur: quini Reges ducunt in quaternos; iſti ab his victi, plures à paucioribus; & primi quidem ſe dant in fugam Reges Sodomæ & Gomorrhæ, fugaciſſimi, & timidiſſimi, quia turpiſſimi. Advertit ſacer Hiſtoricus puteos multos fuiſſe bituminis in Valle Silveſtri, ubi prælium commiſſum: ut intelligamus, etiam in ipſo cladis loco imaginem fuiſſe tenacis ac bituminoſæ luxuriæ. Imò ut ſpectabilior fiat puſillanimitas luxurioſorum, ſubjicit mox Scriptura victoriam de quaternis Regibus ab Abrahamo reportatam, omninò trecentis decem & octo vernaculis comitato. Abrahamum autem Sept. eo capite, v. 13. vocant *Tranſitorem*; ut indicetur, hominem rebus terrenis non affixum, generoſum eſſe, & bellicoſum.

IX. Dux mulieroſus idem & timidus. Exemplum timidi ducis ſimul & mulieroſi habes Jud. 4. in Siſarâ. Vix tentato certamine deſilit de curru, unde pugnabat; arripit pedibus præcipitem fugam; ſuis ad internecionem deletis, ſolus ipſe ad Jahelis tentorium evadit: unde planè putârim primum ex omnibus fugere cœpiſſe, cùm ſolus evadere potuerit, licèt pedes fugeret. En igitur timidum ducem: vide & mulieroſum, & in hoc vitio cauſſam timiditatis deprehende. Cùm eſſet in tentorio Jahelis trepidus, exſanguis, exanimis metu, *opertus eſt ab ea pallio*, 70. habent δέῤῥει: muliebris animi vir abdit ſe ſub muliebre pallium. Cùm infixo trabali clavo ageret animam, cecidit, id eſt, ut ego interpretor, advolutus eſt *inter pedes mulieris*: ita habent 70. cap. 4. v. 21. & cap. 5. v. 27. tum Vulgata noſtra, tum 70. Moritur ad mulieris pedes, digno vita exitu, vile mulierum mancipium, qui ſæpe ſe ad illarum pedes inſanus amator abjecerat. Nam uxorium hominem, & mulieroſum fuiſſe diſco ex cap. 5. v. 29 ubi nos legimus, *una ſapientior ceteris uxoribus ejus*, 70. pro *uxoribus* habent ἀρχουσῶν, id eſt dominatricum. Plures habebat uxores, imò tot dominas, quot uxores, vilis adorator fœminarum, & ideo meticuloſus, quia effœminatus.

X. Experientia probat publicam à luxuria perniciem. Scio adulatores Principum dicere ſoltos, planetis Martis & Veneris non malè inter ſe convenire, & ut phraſi Aſtrologorum utar, benignè inter ſe aſpicere. Sed fœdam adulationem convincet omnium ſæculorum, & populorum experientia: cogetque vel invitos fateri, communiſſimam rebuſpublicis à luxuria eſſe perniciem. Cùm diluvio genus humanum periit, antè libidines inundârant Gen. 6. abyſſus abyſſum invocavit. Incendium cælitus in quatuor urbes abominandæ memoriæ immiſſum fœdos ignes expiavit Gen. 19. Ynca Garcilaſſus in Perûanâ patriæ ſuæ hiſtoriâ narrat, quemdam olim ejus regni populum, Gomorrhæis libidinibus contaminatum, funditus periiſſe, Angelo formoſiſſimi juvenis inſtar fulmina de cælo in ſingulos ejaculante. Eidem vitio Lev. 18. Deus præcipuam excidii Chananæorum cauſſam tribuit, cùm Iſraelitas monet, ut eorum damno ſapiant: *Nec polluamini*, inquit, *in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes, quas ego ejiciam ante conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra, cujus ego ſcelera viſitabo.* Idem nobis inclamat Benjamitica tribus, fermè tota ad internecionem deleta, Jud. 19. & 20. quâ de re aliàs etiam erit dicendi locus. Magnam eladium Judæis ab Antiocho illatarum partem, fœdo gymnaſio adſcribendam non dubito. Salv. 7. de Providentia, Carthaginenſium civium turpitudinem aperit, ut nemo miretur à Vandalis oppreſſos. Vandali ipſi, ſub quarto Rege, à quinque Græcorum millibus Africâ totâ per Beliſarium ſpoliati ſunt, quia ex divitiis ad delicias, à deliciis ad luxuriam defluxerant: ita Bar. tom. 7. an. 533. ex Procopio.

XI. Experientia nationum Europæarum. Ne nimis longè ex Aſiâ, Americâ, Africâ, punitæ publicè luxuriæ exempla petere videamur, age redeamus in Europam. Apud Bar. tom. 11. an. 1012. cæſi ipſo ſancti Brixii die in Anglia Dani ad unum omnes, nullo ætatis, ſexus, infantium, prægnantium reſpectu, quòd nobiles fœminas ac puellas vi auderent opprimere. Sicula veſpera, linguis omnibus cantatiſſima, parem cauſſam habuit, non valdè diſparem exitum, fatente Spond. an. 1280. Cùm Angelus caſtris Regum Francorum exerto gladio imminere viſus eſt, ſub annum 601. & cùm à ſtirpe Merovæidarum ſeu Merovingorum, ad Carolidas Carlovingóſve ſceptrum tranſiit, ſub an. 751. Reges Francorum plerique Sardanapalorum inſtar agebant, ſubditorum plurimis exempla Regia ſequentibus, teſte eodem Spond. Apud eumdem Spond. an. 1249. Jonvillæus oculatus teſtis narrat, Francos in Ægypto, ſub ſanctiſſimo licet Rege militantes, omni ſpurcitiæ deditos fuiſſe, ideóque in Mahumetanorum poteſtatem veniſſe exiſtimat. Cap. ſi gens Anglorum Diſt. 36. S. Bonifacius, literis ad Equebaldum Regem Anglorum ſcribit, Hiſpanos à Mauris cæſos, Deo volente in pœnam luxuriæ. Sanè Hiſpanus hiſtoricus Mariana, narrato Gothorum cum Mauris decretorio certamine: *Vitiis*, inquit, *ac potiſſimùm libidine vigor exſtinctus erat, & ſcelerum pœnis agentibus in eam præcipitatum eſt cladem.* Vitizæ Gothi fœditatem didiciſti eodem auctore, ſuprà num. 4. Apud eumdem lib. 6. cap. 21. &c. aut, ſi mavis, apud Luitprandum num. 388. lege, injuſtos Ruderici, qui poſt Vitizam regnavit Gothorum ultimus, amores, eorumque vindictam. Nam Cavâ, ſeu Florindâ, quam ab oblato vitio Cavam aliqui per ludibrium appellatam putant, Juliani Comitis filiâ, vi ſtupratâ à Rege: pater in ultionem dedecoris intentus, ad Mauroſaracenos transfretat: conſpiratur: traductis in Hiſpaniam

copiis,

Digitized by Google

copiis, committitur prælium: deleti Gothi, cæſus aut mortuus in fugâ Rodericus.

XII. *Inſtatur eidem argumento.* Maximam partem cladium Græciæ Chriſtianæ, à Saracenis primùm, tum à Turcis illatarum, vix alteri vitio, quàm impietati ac luxuriæ tribuerim. Notat ſanè Michaëlis Balbi luxuriam Bar. tom. 9. ann 826. aitque, ductâ in conjugem ſanctimoniali, Cretam ac Dalmatiam amiſiſſe. Noti ſunt cæterorum fermè Imperatorum mores, clades, exitia. Hiſtoricis opus non eſt, cùm à patribus noſtris diſcere potuerimus, quo loco caſtitas haberetur, quàm profligati publicè mores, cum Galliâ, Belgio, Germaniâ hæreſes vulgatæ, ſeditiones, latrocinia, bella undique incubuère. Triſtiſſima cæpit eſſe ab hinc ſæculum Angliæ facies, ſeu civilem, ſeu religioſum ſtatum intueare. Quid illic injuſtitiæ intactum, quæ in ipſum Mori Roffenſiſque caput involavit? Quid impietati intemeratum, quæ de centum millibus ſacrarum ædium, nullam non profanavit? Tam lugenda tam ſanctæ olim inſulæ mutatio, non ab alio capite fluxit, quàm à turpibus Regis unius Henrici octavi amoribus, quos publica Ordinum auctoritas, paucis obſiſtere auſo, approbavit, & approbando, de privato crimen publicum fecit.

XIII. *De ætate noſtra concluditur.* Audis tibi undique, non ex remotioribus ſolùm orbis partibus, ſed Europâ totâ inclamari: Certiſſimam rerum publicarum peſtem eſſe luxuriam. Ducamus igitur licet ab iſtis temporibus ad noſtra argumentum: ſupplicesque dicamus cum Propheta, pſal. 43. *Humiliaſti nos in loco afflictionis:* Habraicæ, *Tannim*, quod alii vertunt *Draconum*, alii *Sirenum*. Idem ſcilicet *Sirenum* & *Draconum*, & *Afflictionis* locus eſt; idem voluptatis, & amaritudinis; idem luxuriæ, & calamitatum publicarum. Commune malum longè abeſſe non poteſt, ubi libidinis licentia communis eſt.

SECTIO SECUNDA.

Conſectanea.

I. *A magiſtratibus puniẽda luxuria.* MAGISTRATUS Eccleſiaſtici & Civiles, quibus bonum commune & patriæ incolumitas cordi eſt, hinc diſcant quantâ curâ libidinum publicarum occaſiones ſubmovere debeant, earumque licentiam ſeveris edictis ac pœnis prohibere. Ne me hîc de gymnaſiis, aut ephebiis, monſtroſæ luxuriæ ſcholis, agere exiſtimes: ad eos populos hæc dixi, & in ea regione ſcribo, ubi iſthæc ne ad aures quidem admittuntur. Tert. lib. de Pudicitâ: *Reliquas*, inquit, *libidinum furias impias, & in corpora, & ſexus, ultra jura naturæ; non modò limine verùm omni tecto Eccleſiæ ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Nos autem ea monſtra non Eccleſiæ modò tectis, ſed & patriæ finibus longè prohibemus. Apud Baronium tom. 7. an. 558. lege à Juſtiniano latâ in maſculorum corruptores, deprehenſi Epiſcopi duo, multi Senatores ac cives: aliis veretrum amputatum, aliis acuti calami in meatus genitales infixi, alii aliis ſuppliciis convenienter torti, denique nudi in forum Conſtantinopolitanum producti, miſerè periêre. Apud nos id monſtri genus ſicubi naſcitur, protinus inflexibili ſeveritate publicis ignibus, ad quos jam olim à Deo damnatum eſt, expiatur.

II. *Non tolerãda lupanaria.* Nulla igitur hîc de ephebiis mentio: utinam nec de lupanaribus quidem. *Aſpice*, inquit Tert. lib. de Pal. *lupas popularium libidinum nundinas: quanto præſtat oculos abducere ab ejuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis.* Dolendum certè, eò jam in quibuſdam Chriſtianis urbibus mores veniſſe, ut vitandis majoribus malis, publici vetitarum voluptatum mercatus à magiſtratibus tolerentur: haud ſcio tamen, quod pace aliter ſententium dixerim, an prudenter. Eſto enim: quibuſdam lupanaris fœtor fœtidiores cogitationes excutiat; at multis peccandi voluntatem injecit licentia peccandi: nec ſolummodò occaſio furem, ut vulgò loquimur, ſed & libidinoſum facit. Quod publicè toleratur, fermè jam licet: quod palàm fit & proſtat, jam non pudet. Ecce & novum ad libidinem invitamentum, addita occaſioni impudentia; cùm tamen pudor, publicè, & privatim, optimus ſit cuſtos caſtitatis. Dixit benè non bonus auctor Apuleius: *Quod nemo ſcit, penè non fit:* Nunc verò, per ejuſmodi luxuriæ nundinas, etiam quod *omnes ſciunt, penè non fit:* ita malum vulgatur, ut fermè malum deſinat videri, nec peccatum vocetur, ſed peccatillum.

III. *Ut publica peſtis.* Ubi à peſte metus, quàm diligenter ædiles aliique magiſtratus cloacas publicas purgant, ne infecti cæli corruptus auras illarum fœtor augeat. Certè cùm adoleſcens in Academiâ Duacenâ philoſophiam audirem, medicorum commune judicium fuit, peſtem quæ eam urbem fœdè vaſtavit, à cloacarum ferè fœtore manâſſe. Qui morbi, quæ peſtes ex tetro odore libidinum, urbes, provincias, imperia tota populatæ ſunt? Cloacas igitur expurga, putida lupanaria, aliaque *loca Ædilem metuentia*, ut loquebatur Seneca, everre & vacua, ſi patriam incolumen cupis. Inambulabat in ſuburbiis Rhemenſibus S. Remigius Archiepiſcopus Rhemorum, comite ſacerdote ſacellano ſuo, alternisque cum eo recitatis precibus orabat, cùm ſubitò ſacerdos, omiſſa oratione, ſuſpiria ex imo pectore identidem trahere. Quorſum iſta, inquit Remigius? Quin orationem pertexımus? Ad hæc ſacerdos, intentâ in domum viciniam dexteri, lupanar erat; quidni, inquit, ſuſpirem, cùm hoc ipſo in loco homicidia quotidiana patrari, Chriſti ipſius calcari ſanguinem ſciam? Intellexit Remigius, & è veſtigio Rhemos regreſſus, magiſtratum monet. Jubet hic illicò ædes frangi, dirui, ſolo æquari, ut ſordium ne nota quidem ſupereſſet, *ſicut mundari ſolet fimus uſque ad purum*, 3. Reg. 14.

IV. *Principes ab exercitibus lupas arceant.* Francorum Apoſtolum magiſtratibus Eccleſiaſticis, & Civilibus, imitandum propono. Principibus autem & ducibus exercituum Alphonſum ſextum, conſilio ſapientis ſenis obedientem n. 8. ſuprà. Conſtat equidem, ad rerumpublicarum incolumitatem, & gloriam, plurimi eſſe militum robur. Religionis muri ſunt, juſtitiæ tutela, rebellium & hoſtium terror. Militiæ præſidio rura tutò excoluntur; mercatura fit; peregrinæ opes invehuntur; artes celebrantur; ſcientiæ perficiuntur; conjuges familiam curant; virgines Deo devotam pudicitiam ſervant; viri ſacri religioſis muniis vacant; magiſtratus jura exercent; ſubditi dicto audientes ſunt; in provinciis ſingulis, uti in alvearibus, rem ſuam agit quiſque, neque alienam turbat; atque in eum modum communis res agitur. Ignota maria, peregrinas terras, invios montes, inacceſſas ſilvas, nova regna, imò orbes novos, fortitudo bellica aperuit. Tantum denique militari virtuti pretium eſt, ut ejus laudatorem, ac panegyriſtam Deus ipſe agere dedignatus non ſit. Non vides, ut Mathathiam, Judam, Jonatham, eorumque generoſos ſocios, ac commilitones, libri Machabæorum prædicent. Jam quæ paſſim in aliis

in aliis Scripturæ ſacræ locis bellicæ virtutis elogia? Prorſus ut quinta facilè pars Bibliorum, in narrandis bellicis facinoribus, & ducum, ac militum laudibus conteratur. Cùm itaque tanti ſint virtus militum, generoſitas ducum, corporum atque animorum vires ad ſalutem publicam; eas autem vires luxuria debilitet, & enervet: conſequens eſt, ut Principes ducibus ac militibus, ad fortitudinem bellicam conſervandam, prohibeant occaſiones libidinum, & invitamenta luxuriæ: caveantque, ne populis ac civitatibus ſuis id ex voluptatum commercio accidat, quod Iſaïas cap. 3. minabatur: *Dominator Dominus exercituum aufferret à Ieruſalem & à Iuda, validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem & virum bellatorem, judicem ac prophetam.* Ecce iratus Judæis Deus generoſos illis duces ac milites ablaturum ſe, minatur, & primo quidem loco, & iterum ac tertiò, tamquam rem maximè publicè neceſſariam; quâ ſubductâ, populus ruat neceſſe eſt.

V. Parentes adultis liberis invigilent.

Parentum in familiis, eadem quæ magiſtratuum, in urbibus, cura eſt. Patriæ igitur, & familiæ, & ſuorum caritate, peſtem libidinum à ſuis arceant. Eos potiſſimùm parentes hoc reſpicit, quibus liberi adulti ac maturi ſunt. *In filia non avertente ſe*, inquit Eccleſiaſticus, cap. 26. *firma cuſtodiam*: de filio eadem ratio. Nec cuſtodiendi ſolùm liberi, ne pravis conſortiis & moribus aſſueſcant, ne obſcæna videant, legant, audiant, cantent, & per ſenſus demittant in animos: ſed cavendum etiam, ne bonis ipſis conſortiis ad mala irritentur. Frequentationem ſpectaculorum diſſuadebat Tert. tum ob alia pericula, tum quia, *ipſe mulierum accuratior cultus, ipſa conſeſſio, ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio inter ſe, ſcintillas libidinum conflabellant.* In publico aſſidebatur, tot teſtibus, quot ſpectatoribus. Metuit tamen ſeverus doctor pudicitiæ, ne ipſum aſſidere flamas in animis excitet, ut flabrum ignes in fornace. Quid modò dicat, ſi aſſidentes, affabulantes, arridentes, aſpirantes in multam noctem, in aula, aut cubiculi ſecreto, teſte, præter tenuem lampadis aut candelæ flamam, nemine, adoleſcentes nubiles videat? Ecquid meritò timeat, non conflabellatas ſcintillas, ſed clarum ex obſcuro fumo incendium?

VI. Etiam in ſpe connubii.

Apertiùs loquor. Malè moribus quarumdam gentium hodie inolevit, ut honeſtorum matrimoniorum venatio ſanè honeſta non ſit. Ambulat caſtus procator in tenebris, non ſecùs quàm procator luxurioſus, Prov. 7. Ad amicæ poſtes adſtat nocturnus excubitor. Ad ejus colloquium, quam ſibi ſponſam deſtinat, admittitur tenebroſus amator. Horæ totæ teruntur inter jocos & ridicula, vix alia in luce, quàm amoris, caſti quidem, ſed periculoſi. Flagrat ætas; ardet animus; bullit ſanguis; inflammat forma; forſan & cultus, pro ætatis moribus, & temporum noſtrorum modo, liberior; tenebræ modeſtiam non ſuadent; ſpes matrimonii majorem dat licentiam. Quid ſi & vinum, ut à cœnâ colloquentibus, acceſſerit? Jam certè convenerint omnia, quibus Comicus ille peccato ejuſmodi paratam putabat excuſationem legitimam: *Nox, vinum, adoleſcentia.* At caſti ſunt adoleſcentes, pudorem pro ſpectatore, pro luce, pro cuſtode habent. Credo equidem: non tamen Angeli ſunt; homines ſunt, carnei ſunt, qualis tu pater, tu mater eâ ætate fuiſti: tuos de te æſtima. Fac deinde integritatem corporis non perire: imò ne oculos quidem aut aures peccare, etſi id difficulter Cyprianus conceſſerit epiſt. 62. ad Pomponium: quis tamen mentem ſpondeat prorſus manere illibatam? Veſtrum igitur fuerit, parentes, colloquia nubilium adoleſcentium, niſi cum claræ lucis, & fidorum oculorum teſtimonio, non admittere. *Honorabile connubium in omnibus*: quis ſuſit negare, affirmante Paullo? Sit & honorabilis procatio, atque ad connubium via. Iſtud monuiſſe parentes ſufficiat, de quorum in liberos officio ac debito alibi plura.

VII. Pudicitia ſingulis commendatur.

Non abeamus hinc, quin ſinguli noſtram ſymbolam aufferamus: neque enim omnibus congruunt, quæ magiſtratibus, aut parentibus præcepta ſunt. De pudicitia multi multa: breviter & egregiè Tert. paucis fermè omnia complexus, lib. de Pud. *Pudicitia*, inquit, *flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.* Agnoviſti vel ex iſto elogio, *Fides generis*, hanc non virginitatis modò laudem eſſe, ſed etiam continentiæ conjugalis. Tam laudatam virtutem ut ſerves, ex antidotis & amuletis millenis, quæ paſſim proponuntur, ego tibi duorum generum deſigno certiſſima. Primum genus, naturalia ſunt; alterum, ſupernaturalia: gemina utraque.

VIII. Amuleta naturalia.

Naturalia ſunt, primum occaſionum fuga, alterum otii. Scis te, cùm ad converſationes abripeeris, ardere; in eas nihilominus effunderis; *Quis miſerebitur incantatori à ſerpēte percuſſo?* Eccl. 12. Scis ſpectacula, lectiones, cantus, inſtar tibi eſſe flamarum: *Quis fovebit ignem in ſinu, & non comburetur?* In fornace ambulas Babylonica, undique incendium vomente, & putas fore, ut in mediis ignibus faciat tibi Deus velut *ventum roris flantem*; cùm eos non gloriæ Dei, caritatis, neceſſitatis, ſed animi ſolùm tui cauſsa ingreſſus ſis? Occaſiones fuge, ut caſtus ſis; adde & otium. Celebratum tibi à puero verſum recognoſce: *Otia ſi tollas, perière Cupidinis arcus.* Manus honeſti labores implicent, mentem caſta ſtudia occupent; inter libros & opera cogitationibus impuris non erit locus. Jam olim ſcitum, Palladi ac Dianæ cum Venere non convenire. Otioſa erat meretrix Prov. 7. Otioſus adoleſcens ſtupidus, cùm de marito abſente, & die plenæ Lunæ fabulabantur. Meridiantem Davidem, otiantem Samſonem, delirantem Salomonem amores maculavêre. Tot tibi reddam otioſos, quot mihi luxurioſos numeràris. Illorum errore diſce non errare, occupa teipſum, imò implica, ſi opus eſt: ut cum juvene illo apud Hieron. epiſt. ad Ruſt. olim mirè obſcænis imaginibus vexato, ex quo laboribus, & duris imperiis vexari cæpit, ab iſtis libero, exclames: *Vivere non licet, & fornicari libebit?*

IX. Amuletum ſupernaturale, Sacramentorum frequentatio.

Amuleta ſupernaturalia ſunt: primum, Sacramentorum frequentatio: alterum, memoria præſentis Dei. Luxuriæ dæmonium mutum eſt: ejecto per Chriſtum dæmone, mutus loquitur, hîc, ſi loquatur mutus, ejicitur dæmon. Confitere peccatum: iterumque atque iterum, ſi infirmitas ad relapſum urſerit, confitere: experieris præſentiſſimum remedium. Aiunt à Sancto Bernardo Mediolani tres ex energumeno corpore expulſos dæmones, quorum primus ſe obſeratorem crumenæ, alter cordis, tertius oris eſſe dixerat. Primum avaritiam interpretor, burſam claudit: alterum opinor eſſe invidiam, cor ſtringit: tertius luxuria eſt, os obſerat, mutum facit, pudet fateri,

erumpere

erumpere ex ore confitentis vix poteſt, luctatur, æſtuat, ſudat pœnitens: verecundia ante factum neceſſaria; ſera, ſupervacanea, & noxia poſt factum venit. Sed macte animo, proculca inimicum pudorem, & ſanum pudorem recuperâſti: eloquere fidenter, & dæmonem expuliſti. Benè eſt, victorem te video: *Ejecit Chriſtus dæmonium, locutus eſt mutus.* Sed ut certior & diuturnior ſit victoria, accede ad Euchariſtiæ Sacramentum. Chriſtus Luc. 11. *Cùm,* inquit, *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet:* verùm advenienti fortiori cedere cogitur ſpoliatus, inermis, inglorius. Peccatum luxuriæ, imò peccandi conſuetudo, quantumvis inveterata, fortis quidem armatus eſt, ſed fortior illo in Euchariſtia Chriſtus: hunc excipe, & in arcem cordis tui induc, validiſſimum adversùs libidinum incitamenta præſidium; & ſcias, innumeros Sacramentorum frequentatione, id eſt, peccatorum exomologeſi, & panis Angelici ſumptione, è dæmonibus Aſmodæis in Angelos evaſiſſe.

II. Alterum, memoria præſentis Dei. Adhibe arci ſervandæ pervigilem excubitorem, memoriam præſentis Dei. Docebat Rabbinus neſcio quis, inter ſententias Rabbinorum cap. 2. *Tria tibi ſervanda, ut nunquam pecces: attende oculum omnia videntem: reverere ubique aurem, cui nec ipſum ſilentium tacet: cogita omnia in libro ſcientiæ Dei exarata.* Eumdem in ſenſum Democrates Philoſophus in ſententiis: *Qui Deum cuncta inſpicere crediderit, nec palàm, nec clam peccabit.* Pro *diis* Deum repone, & Chriſtianiſſimè locutus fuerit Infidelis philoſophus. Divinè aureum de Conſ. Phil. libellum digniſſimâ ſententiâ claudit Boëthius: *Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis, cùm ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.* Epiſcopum Deum eſſe diſco ex 70. Job. 20. v. 29. ubi Sophar, poſt deſcripta mala, præſertim æterna, impiis ſuperventura, dicit: *Hæc eſt pars hominis impii à Deo, & hereditas verborum ejus à Domino:* 70. in priore parte verſûs, pro *à Deo* habent παρὰ κυρίου: in poſteriore; pro *à Domino* παρὰ [illegible] ἐπισκόπου; id eſt ſpeculatore. Hunc univerſi, & univerſorum *Epiſcopum,* ac *ſpeculatorem* attendebat caſta Suſanna, cùm maluit incidere in manus ſenum impiorum, *quàm peccare in conſpectu Domini.* Eò reſpiciebat D. Polycarpus, in ſua ad Philippenſes epiſtola, monens, ut *rogemus omnium inſpectorem,* [illegible], *Deum, ne nos inducat in tentationem; ſicut dixit Dominus: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Vides, lector, hæc remedia à me tantùm indicari, paucis de meo, ut quidem opinor, adjunctis: alibi ab aliis fuſiùs tractata reperies, & nos etiam aliqua dicemus Exc. 3. ad cap. 4. ſect. 1. num. 10. ſect. 5. num. 3. & 10.

SECTIO TERTIA.

Alterum voluptatum rebuſpublicis pernicioſarum genus.

I. Ab ebrioſitate impietas. SUBNECTAMUS luxuriæ ebrioſitatem. Vitia naturâ conjuncta, tractatione ſejungenda non ſunt: utraque proles ejuſdem matris intemperantiæ: utriuſque eadem ferè effecta: utraque, ubi in apertum publicis moribus erupit, reipublicæ exitioſa. Quidquid igitur de luxuriâ diximus, huc aptari poteſt. Religio, & juſtitia validiſſima urbium mœnia, & boni communis fulcimenta, quàm ſæpe inter pocula quatiuntur? Dicebat Rabbi Simeon, in ſententiis Rabbinorum cap. 2. *Tres convivantes, & de lege non loquentes, ſimiles ſunt iis, qui participant de epulis mortuorum,* id eſt idolorum, *juxta illud prophetæ Iſa. c. 28. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiúmque. Contrà qui inter epulas de lege colloquuntur, ſunt quaſi in menſa Dei, juxta illud Ezechelis: & locutus eſt ad me: Hæc eſt menſa eorum coram Domino.* At quàm pauci his, quàm multi illis annumerandi veniunt? Non ſudis, ubi mero cerebrum, & lingua incaluit, jocos non ſcurriles tantùm, ſed & irreligioſos? Nec te ad Hæreſeos Lutheranæ cunas in Germaniam ablego, ut ſpectes Herculaneum ſcyphum, è quo Catheciſmum Lutherus hauſit, in quo pietatem mergere conatus eſt: ut audias archimagiri illius Epicuræos quoſdam aſſeclas deridiculo cantantes, *Per omnia pocula poculorum.* Ingredere ad Catholicos noſtros, & vide, quis ſobrietatis immemor, orationum ad Deum temporibus ſuis fundendarum, ante ſomnum præſertim, more piis recepto, & neceſſario, meminerit, cùm ipſe ſui oblitus eſt. *Quotuſquiſque* inquit Tert. lib. de Jejunio, *meminerit religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis ſapientiæ membris? Nemo ita ut decet, ita ut par eſt, ita ut utile eſt, recordabitur Dei in eo tempore, quo ipſum ſibi hominem excidere ſolenne eſt.*

Fluctuat igitur per intemperantiam pietas: ſed etiam vacillat juſtitia; cùm ſolenne ſit, qui Deo non exſolvit, quod debeat, neque homini ſolvere. Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & unguento optimo delibuti, nihil patiuntur ſuper contritione Joſeph,* immiſericordes, inhumani, caritatis ac juſtitiæ immemores. Multi profuſis per intemperantiam facultatibus, quod de ſuo exhauſerant, de alieno ſupplevêre: riſêre creditorum fidem, fatigavêre patientiam, legeſque ac tribunalia eluſêre, impotentiâ reddendi. Nec facultatibus alienis ſolùm injuſtè intemperantia abutitur; ſed etiam famâ, cujus jactura tantò major, quantò carius bonum eſt. Vide ſi ad ebrioſorum menſas; vel Principium famæ, vel ſubditorum; vel magiſtratuum, vel civium; vel Eccleſiaſticorum, vel ſæcularium; vel notorum, vel ignotorum parcitur. Eam ob cauſſam, conſcius inhumaniſſimæ hominum inter epulas conſuetudinis Auguſtinus, menſæ ſuæ inſcribi juſſerat: II. Et injuſtitia.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

Lego enim *vetitam,* non ut alii vulgò *indignam;* nec bono ſenſu, nec ſignificante, nec Latino, neque Auguſtiniano.

Neſcio quis Græciæ Rex dicere ſolebat, *Militiam ſuam temporis eſſe:* ut indicaret, quanti interſit boni communis, tempore uti. Atqui ebrioſis quàm multa tempora, quantus pretioſarum, & irrevocabilium occaſionum numerus elabitur? Conſilium, puto, animam eſſe reipublicæ facilè credideris: quid autem ſani conſilii exſpectes, ubi pro primo conſiliario vinum cùm aſſeclis ſcyphis in menſa ſtatuitur? Clarè, opinor, rerum arcana, & ſinus pervidebuntur, ubi natantibus oculis lampades ex unâ duæ cerni cœperint. Eccleſiaſtæ 10. dicitur: *Væ terræ cujus Rex puer eſt, & cujus principes manè comedunt.* Idem à prophetis paſſim inculcatur, præeunte Iſaia cap. 28. *Ipſi quoque præ ebrietate neſcierunt,* erraverunt: ebrietatis comes ignorantia, & perturbatio mentis. Conſilium Reipublicæ anima, conſilii anima ſecretum eſt. Deliberationes abſque arcano ciſtæ ſunt ſine III. Ebrioſis tempus, conſilium, ſecretum elabitur.

ſerâ

ſerâ, piſcinæ ſine obice, dolia ſine circulis. Rapiuntur, effugiunt, effluunt omnia. *Nullum verò*, inquit Sapiens Prov. 31. *ſecretum, ubi regnat ebrietas.* Veritatem, quam philoſophus iſte ridiculus profundo puteo abdiderat, ſæpe in vitri fundo deprehendimus. Pervulgata nunc ars eſt, vino ab hoſtibus arcana elicere. Quæſtio, equuleiſque vix alii potentiores. Spectatur in poculis *arcani fides perlucidior vitro*, ut aiebat potor Horatius.

IV. *Ebrioſitate enervantur corpora & animi.*

Frangit præterea vires corporis animique ebrietas: adeóque & militum robur, & imperatorum prudentiam, atque audaciam confundit. Chryſoſtomum conſule *lib. quod nemo læditur niſi à ſeipſo.* Videbis quàm egregiè pingat ebrioſi laxos artus, onuſtum ſaginâ corpus, ventrem obeſum, natantem ſtomachum, nimbis catarrhorum diſtillans caput, ingruentes morbos, adſtantes medicos, appoſita medicamenta. Siccum contrà, ſanum, vegetum, aptum laboribus ac ſtudiis ſobrii corpus. Nec mihi hîc objicias, intemperantem ſummum ducem ac militem Alexandrum: finem enim hominis vidiſti, monumentum inſigne deteſtandæ intemperantiæ. Nec mihi occinas, plerumque jam pervulgato ducum ſtratagemate, ante invadenda mœnia obſeſſæ urbis, vel periculoſa certamina, militibus largiorem potum præberi ſolere, ut ſenſus periculi adimatur, animuſque addatur & audacia. Hanc enim militarem eſſe audaciam, cùm cerebrum & mens excuſſa ſunt, nemo prudens dixerit. Leonis illa & apri temeritas eſt; in gladios exertos, & venabula prætenſa irruentium, quia periculum non vident. Hominis verò ex ratione audacia, non ex ignorantia, eſſe debet, ut laudari poſſit. Eos ego populos verè audaces ac fortes dixero; ubi prævisis periculis, ſecurus ac potens ſui miles pro patriâ, pro Rege, pro Deo graditur, &, ubi res fert, in confertos hoſtes ſe induit.

V. *Et gignitur luxuria.*

Ad extremum, etiam ſororis ſuæ luxuriæ ebrietas mater eſt. Multa extra hominem, ſuapte ſponte nimia ardentem, libidinum incentiva numerant: imagines, libros, cantus, ſermones, conſortia, exempla impura: præcipuum omnium, cibi potuſque intemperantia. Anthologiæ Græcæ lib. 2. legitur epigramma in Amorem cyatho inſulptum: aptiſſimè verò artifex fœdum Cupidinem poculo inſculpſerat, ut doceret vinum obſcænorum ignium eſſe alimentum. *Monſtrum*, inquit Tertullianus lib. de Jejunio, *haberetur libido ſine gulâ*: ex ipſa corporis anatomia hoc probat: *ſpecta corpus, & una regio eſt. Denique pro diſpoſitione membrorum, & ordo vitiorum: prior venter, & ſtatim cætera: ſaginæ ſubſtructa laſcivia eſt.* Idem paullò pòſt. *Conſcientiam communem conſulamus; ipſa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum & potum, in virgine adhuc ſaliva, exhibere conſuérit; ſi multò pollentioris mentis, ſi multò vivacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis mundatum, decoquendis jam ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciviam ſapere.* Mens obruta Baccho non ſapit, niſi Venerem: quod breviùs ab Hier. dictum: *Venter plenus facilè deſpumat in libidinem.* Hinc tam ſeriò & tam multis ac vehementibus verbis inculcatum à Baſilio, libro de verâ Virginitate; qui tactui imperare velit ne peccet, guſtum ac gulam prius cohibere debere. Advertit idem Pater ad ejuſdem libri calcem, juſſum Moſen in vitulorum immolatione adipem ventris incendere, fibramque jecoris cum felle, ac renes: ut diſcamus intemperantiæ partem utramque, membris iſtis ſignificatam, Chriſtiano ſuperandam, ſi victima Deo grata eſſe deſiderat.

VI. *In ædibus intemperantiæ lues caſtitatis.*

Recantatum eſt, Nabuzardanem, qui à Vulgata noſtra magiſter militum dicitur, à 70. ἀρχιμάγειρον vocari: ab eo Hieroſolymam exuſtam, dirutum Templum: unde vulgò hoc ad intemperantiam traducunt, quæ coquorum princeps, domicilium pacis, templum ſanctitatis contaminat, polluit, profanat, incendit libidine. At haud ſcio an à quoquam animadverſum, Gen. 37. Putipharem apud quem Joſephi periclitata eſt caſtitas, à 70. etiam ἀρχιμάγειρον dici, qui in Vulgata vocatur *Magiſter militiæ.* Nuſquam ſcilicet Chriſtiano Joſepho, creſcenti, ad perpetua certè virtutum incrementa vocato, majus à luxuria periculum eſt, quàm in diverſorio domóve intemperantiæ. Paſſim ab Auguſtino libris contra Julianum, & aliis adversùs Pelagianos, inculcatur; intemperantiam primorum parentum illicò pudendorum membrorum ſalaci inobedientiâ punitam. Vide nominatim lib. 4. contra Jul. in fine, & lib. 2. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 9. Illic dicit; ante peccatum, *Gratia Dei ibi magna erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat*: hic, *illa eſt*, inquit, *pœna peccati, illa plaga veſtigiúmque peccati. Hujus nos pudet, & meritò pudet.* Judice ergo Auguſtino, abſque peccato foret, libidinem ne de nomine quidem noviſſemus: honeſtam ſolùm & obedientem cupiditatem conjuges ſcirent. Vides ab ipſo orbis exordio, intemperantiam luxuriæ, non ſororem modò, ſed etiam matrem. Dicta colligamus. Luxuria; ſecreti, conſilii, animorum, roboris militaris jactura; injuſtitia; impietas populis exitioſa ſunt: exitioſiſſima igitur gulæ intemperantia, à qua tam multiplex pernicies in reſpublicas proficiſcitur.

VII. *Experientia idem probat quod ratio, è ſacris Hiſtoriis.*

Ratiocinationem experientia confirmet, & claudat. Plurima in Scriptura caſtra & urbes invenies, quibus eadem appellatio dari poſſit, quæ loco ubi percuſſi Num. 11. Iſraelitæ, carnium ſaturi. Jud 16. quaſſatis domûs fulcris, per Sampſonem obruta Philiſtæorum capita præcipua, & promiſcuæ plebis ingens numerus, peracto jam convivio: en *ſepulcra concupiſcentiæ.* 3. Reg. 16. Ela Rex Iſraëlitarum temulentus Therſæ in ædibus præfecti à Zambri conficitur, regnum totum vix quarto demum anno pacatur: en *ſepulcra concupiſcentiæ.* 3. Reg. 20. Benadad Syriæ Rex, qui incluſos Samariæ Iſraëlitas velut caveâ tenebat, dum in tentorio ſecurus epulatur, à pueris debellatur, maxima cum ſuorum cæde: en *ſepulcra concupiſcentiæ.* Dan. 5. Baltazare cum Satrapis epulas fatales celebrante, Babylon à Medis capitur: en *ſepulcra concupiſcentiæ.* Judith 12. & 13. Holoferni ebrio delicatæ viduæ dextera caput amputat, Aſſyriorum perit exercitus: en *ſepulcra concupiſcentiæ.* Simonem, largiori potu, quamvis citra culpam ſaltem graviorem, ut loco ſuo exponimus, captum, Ptolomæus gener occidit, *& duos filios ejus, & quoſdam pueros ejus, & fecit deceptionem magnam in Iſraël*: en *ſepulcra concupiſcentiæ.* Audi Joëlem cap. 1. v. 5. inclamantem: *Expergiſcimini ebrii, & flete*, &c. Audi Iſaïam cap. 5. v. 11. 12. 13. altiùs inſonantem. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam*, &c. Diſces ex illis prophetæ verbis, latere in totius Judææ ruinis *ſepulcra concupiſcentiæ.* Deſigno illa ſolùm, tu accuratiùs inſpice, excute oſſa, numera cadavera, fœtorem hauri, aut patere, ſi potes.

Sen. ep.

VIII. Ex aliis. Sen. ep. 74. Lucilium ad ebrietatem deteſtandam excitans, iſto etiam noſtro argumento utitur, quòd publicè pernicioſa ſit. *Hoc*, inquit, *multarum tibi urbium oſtendet eventus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt, & quidquid virtute erat partum, intemperantiâ concidit.* Idem ep. 83. *Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas: hæc maximas gentes, bellicoſáſque hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſſimas urbes, & jugum recuſantes, in alienum egit arbitrium, hæc invictos acie, mero domuit.* Credo, dum iſta ſcriberet, Trojanos cogitabat, qui apud ſapientiſſimum profanorum poëtarum periêre, *ſomno vinóque ſepulti*: Illyrios, quorum caſtra capta, urbes à Romanis vaſtatæ, cùm Rex ac milites, antè invicti, mero madebant: Aſſyrios, Medos, Perſas, Græcos, quorum Monarchiæ aliò migravêre, cùm ad ipſos ebrioſitas immigravit. Ægyptios, quorum ſub M. Antonio & Cleopatra exſtincta eſt gloria, cùm ſocietas *ἀμίμηλεβίων* inſtituta eſt inter primores. Adderet ad illa vetuſta Salvianus illuſtre ævi ſui exemplum, Treviros, alioſque Romanos, quos barbari occupavêre: *Omnes penè vinolentiâ temulentos, ſed omnes peccatis ebrios*: lib. 7. de Prov.

IX. Ex noſtra memoria. Addo ego recentius, & noſtræ memoriæ. Cùm Sueci Gothorum, & Vandalorum progenies, in Germaniam irrupêre, quo loco ſecura conſiſtebat temperantia? Equidem facilè crediderim, non undique proſcriptam fuiſſe. Laborabat tamen, errabat, peregrinabatur, plurimis ædibus ita excluſa, ut externam, imò fermè exulem putares. Didici à magni nominis & auctoritatis viro, qui tum fortè in Germania verſabatur, & olim nominari cum laude poterit: Cùm Francofurtum ad Oderam captum eſt, præſidiarios fermè vino obrutos jacuiſſe. Si vigilâſſent, obſidionem ad aliquot hebdomadas etiam trahi potuiſſe, quo tempore convocatis auxiliis, victor Catholicus exercitus Hæreticos in ſuas retrò nivea abegiſſet. Ebrietas præſidiariorum urbis iſtius immaturè clauſtra Germaniæ Suecis aperuit: quibus patefactis irruêre, & tot jam annis graſſati ſunt, ultores profligatæ olim apud Germanos temperantiæ, aliorumque vitiorum. Quid Germanos loquor? Cùm de maxima Chriſtianarum provinciarum parte dicere poſſim, Tertullianicis verbis lib. de Spectaculis: *Duo iſta dæmonia conſpirata, & conjurata ſunt inter ſe, Ebrietatis & Libidinis.*

X. Commeſſationes damnandæ. Enimverò tam ſeverus non ſim, ut in convivia, quæ urbanitas, aut ſi quæ alia virtus, civilis ſocietatis filia, caritatis ſoror, apparârit, invehi velim. Si tamen convivia ſunt, & non conbibia: ſi magis vivendi ſimul quàm bibendi cauſſa inſtruuntur: ſi inde non obruta mente, noo vexata ſanitate, noo imminuta caritate exſurgitur. Talia non carpo, quandoquidem Chriſtum videam in domo Simonis leproſi, apud Magdalenam, alibique convivio exceptum; imò ipſis intereſſe nuptialibus epulis, quarum paullò hilarior ſolet eſſe licentia. Neque ipſas quidem domos, quò interdum ad delaſſandos animos convenitur, damnare audeam. Occlamaretur enim mihi undique, ferri à me legem ſervatu impoſſibilem, adeóque nec legem: cùm ioter conditiones legis ea à Theologis recitetur, ut ſit poſſibilis, & pro exemplo impoſſibilis, moribus ſcilicet hominum ſpectatis, adducatur, ſi qua lex convivia omnia, & popinas vetet.

XI. Si rationi nocent. Ea itaque damnamus, &, ſi poſſumus, toto orbe Chriſtiano proſcribimus: Primùm, ſi rationem tollant. Ebrietatem ut oderis, finge tibi ebrii imaginem; quod Aloyſius noſter faciebat de iracundo, ut iram odiſſet. Aſpice lapſabundos pedes, tremulas manus, vacillans corpus, nutabundum caput, balbutientem linguam; ſcintillantes oculos, tinnientes aures, cerebrum natans; merſam memoriam, exſtinctam rationem. Eúmne tu hominem, id eſt animal rationale dixeris, an beſtiam? Scitè Mimus: *Abſentem lædit, cum ebrio qui litigat.* Hominem tu hîc quæris? Fruſtra; jam enim emigravit; à ſeipſo abeſt. Meliùs Seneca ep. 60. *Hos ventri obedientes, animalium loco numeremus, non hominum: quoſdam verò non animalium, ſed mortuorum.* Subdit: *horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas.* Ad popinæ portam, ad limen epularis domus, ad oſtium ebrii ſcribe: *Hic jacet: hic ſitus eſt.* Aptiſſimum iſtud erit *ſuperliminare crapulæ*, ut Zacharias loquitur cap. 12. Jacet enim ibi cadaver hominis, non homo. Imò *idolum hominis*, ut eleganter Baſilius hom. in ebrietatem & luxum: quomodò idola, non ſenſus habet quibus utatur, ſed ſenſuum imagines. Superbia, meo quidem judicio, Angeli vitium eſt: ex Angelo bono malum fecit, Angelum tamen. Ira viri vitium: virile aliquid ſapit, imò animos excitat. Avaritia fœminæ peccatum: anguſtioris pectoris eſſe ſolet. & condonandum matri-familias: notavit Aug. lib. 2. de ſer. Dom. in mon. Invidia puerorum malum, quos qualibet crepundia inter manus æqualium viſa diſcruciant: *parvulum occidit invidia.* Acedia ſeu pigritia, mancipii vitium eſt, aut mali ſervi: nuſquam progreditur niſi impellas, ut truſatile vehiculum. Luxuria caninum & turpe peccatum, Senecâ teſte, lib. de Brevitate vitæ: *Licet avaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes injuſta, vel bella: omnes iſti viriliùs peccant. In Venerem ac libidinem projectorum inhoneſta labes eſt.* Hinc forſan Deut. 23. cum proſtibulo, *Canis* jungitur: *non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis.* Ebrietas & gula porcorum vitium eſt: Epicuræus quidam potor ultro fatetur:

Me pinguem, & nitidum, benè curatâ cute viſes,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

XII. Si ſanitatem inſigniter lædunt. Comeſſationes prætereà damnamus, ſi inſigniter ſanitati nocent, cujus ſummum fermè inter corporis bona pretium eſt. Eſto, aliquando virtutis cauſâ minui poſſit: numquam tamen prodigere licet, præſertim ob vilem & animalem voluptatis ſenſum. Eccl. 7. aſſeveranter dicitur: *Propter crapulam multi obierunt.* Olim Judæorum ſapiens aliquis, (nam errore populari Scripturæ ex ſententia tribuitur, ut aliæ multæ) dixiſſe fertur: *Plures occidit gula, quàm gladius.* Eo loco id dixit, ubi crapulæ vitium non ita, ut in Occidente, pervulgatum. Eo tempore dixit, quo vina nondum arte facta, imò corrupta; non aqua vitæ, imò mortis, ex ſpiritibus vini educta, ad exſpirituandos, & exanimandos potores. Tamen *plures*, inquit, *occidit gula, quàm gladius.* Numera eos ſolùm Judæos, qui ab Epiphane interempti, eos Syro-macedones, qui à Machabæo: multum dicere viderer, ſi tot aſſererem ebnetate periiſſe. Et ecce hic non tot ab Alexandro, non tot à diſſidentibus ſucceſſoribus, non tot à Pompeio, non tot à Cæſare, non tot innumeris præliis confectos ait, quot ab intemperantia. Lugenda inſania, & à gravi peccato nullâ arte excuſabilis, tantum ſanitatis, & vitæ bonum, tantillæ à cibo & potu voluptati, tam prodigè poſtponentium. Ubi jejunandum eſt, Chriſtiane, ſanitatis tuendæ prætexis excuſationem, & legis gratiam petis: ubi epulandum eſt, &

æquis hauſtibus onerandum invalidum corpus, quid ni pravæ conſuetudinis gratiam fieri poſtulas?

XIII. Si familiam depauperāt.

Denique helluones non ferendi, qui familiæ curam præ ſuavitate commeſſationum negligunt. Quoties è divitibus pauperes, è pauperibus mendicos intemperantia fecit? Spectas hanc domum? Nobilis viri fuit, venum iit, ſub haſtam data eſt: à dolio id malum, non ſicco ut Diogenis, ſed exſiccato. Vides mercatoris vacuas arcas & penum? Ventrem nimis implevit. Aperis helluonis opificis teſtamentum? Quis ex aſſe hæres? Cui legata? Quibus pauperibus proviſum? Ad omnia teſtamenti capita pone popinæ nomen: ibi hæredes: ibi templum: ibi domus. Hunc quis putet, citra graviſſimam culpam, familiæ, ſibi creditæ, curas porcinæ conſuetudini poſthabuiſſe?

XIV. Efficax ab ebrietate dehortatio.

Aiunt, ebrioſum quemdam Mediolanenſem ægrum hæredibus edixiſſe, ut cùm ſe morti proximum cernerent, infundibulo in os vinum ei hauriendum dare non ceſſarent, donec animam egiſſet. Ad eum fermè modum, quo profligatiſſimæ intemperantiæ homo, Georgius Clarentius Dux, Eduardi Regis Angliæ frater, optione necis ſibi à Rege facta in rebellionis pœnam, voluerat capite immiſſo in dolium vino exquiſitiſſimo plenum ſuffocari: ut Duplexius recitat in Ludov. XI. Iſtum Mediolanenſem helluonem, Dei mirâ patientiâ, ſanitati, ut reſipiſcere poſſet, reſtitutum, ad ſe evocavit S. Carolus Borromæus, & horæ ſpatio ita mutavit, ut reliquam vitam magno temperantiæ, virtutumque omnium exemplo, duxerit. Ita ſcriptor vitæ S. Caroli, rem teſtatam, ac notam narrans. Utinam & nos horæ unius ſpatio, ſi qui helluones ſunt, de gurgite illo fortunarum, ſanitatis, rationis, virtutis, bonorum privatorum, atque communium educamus. Ante omnia argumenta ſint voces quotidianæ Principis Apoſtolorum, 1. Pet. 5. *Fratres ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius,* &c. Militas, excubas in mœnibus, ad portam cuſtodiendam adhibitus es, ad vallum hoſtis eſt, cuniculos agit, muris imminet, intra ipſam urbem admiſſus eſt: & tibi compotare, epulari, helluari, prægræcari, jacere, ſtertere vacat? Vel audi Imperatoris noſtri ſuos expergefacientis verba, Luc. 21. *Attendite, ne corda veſtra graventur crapulâ, aut ebrietate.* Intelligis diſertè à Chriſto dici *Corda*, non *Cor*: quia non cor unum, ſed *Corda*, gravat Ebrietas. Cor facultatum, cor vitæ, cor animi, cor reipublicæ, brutâ, & craſſâ intemperantiâ opprimuntur. De ebrietate vide alia quædam ad cap. 16. v. 14. &c.

EXCURSUS IV. MORALIS

Ad Cap. 1. v. 17. Vt regnaret ſuper duo regna.

A bellis internis externa.

I. Calamitates bellicæ horologii inſtar.

IN hodiernis horologiorum machinis, quas quantumlibet ingenioſa antiquitas ignoravit, variæ partes ſpectandæ ſunt: gnomon horas ſignans; æs campanum eaſdem ſonitu indicans; rotæ adminiſtræ, volvendo gnomoni, æri tempeſtivè pulſando; rota præcipua ac magiſtra, ut vocant, & velut primum cæterarum mobile; pondera deorſum trahentia, quæ ſi abſint aut ceſſent, nec magiſtra rota volvetur, & cæteræ horologii totius partes otiabuntur. Bellicas calamitates iſti machinæ comparo. Gnomon & æris ſonitus, bellorum effecta ſunt, longè conſpicua, etiam eminùs auditu facilia. Nam ut S. Epiphanius Ticinenſis, apud Ennodium in ejus vitâ, Gondovado Burgundionum Regi loquitur: *Prœliis temperantiam nullus annectit: ſtatuta ſunt dimicantium; quidquid non licet, tunc licere.* Rotas minores, & adminiſtras voco, cauſſas quas dicunt ſecundas, eaſque potiſſimùm, quæ liberè agunt, homines & Angelos. Magiſtra rota eſt Providentia divina, cujus voluntati, aut imperanti, aut permittenti, homines, Angelique ſubſerviunt. Pondera rotam hanc agentia, cauſſæ ſunt, quæ Providentiam divinam movent, ut calamitates tum bellicas, tum alias quaſlibet, tum publicè, tum privatim immittat.

II. Antiochi cupiditates eum ad bella impulêre.

Vocat nos ad inſpiciendas è cauſſis ſecundis aliquas Antiochi Epiphanis ambitio. Bellum Ægypto infert, tum Judææ. Comitata paupertas, cædes, vaſtitas, omne miſeriarum genus. Si quæras, quid iſtum Epimanem furioſum adverſus ipſos è ſorore nepotes impulerit? Sublatâ larvâ juſtitiæ, quam prætendebat, audis ab ipſomet Deo, ſcrutatore arcanorum, non alio fine bellâſſe, *quàm ut regnaret ſuper duo regna.* Si quæras, quid eum adverſus Judæos armaverit? Nihil invenies niſi ſuſpiciones tetras, dolorem fruſtratæ in Ægypto ſpei, avaritiam, vetus in Judæos odium, inſitam à teneris rabiem. Priùs ergo bella in pectore Antiochi fuêre, quàm foràs erumperent: adeoque, *à bellis internis externa.*

III. Profanorum auctorum de motibus bellorum ſententia.

Gradum ab iſtis ad noſtra, imò potiùs generatim ad omnia bella faciamus: manuducent profani, ſacrique auctores. Notavêre Rabbini ſacra linguâ litem *Rib* appellari, eique voci originationem eſſe à radice *Rabab*, id eſt *ſuperbivit*; aut *Rabab*, id eſt multiplicavit: ut inde intelligamus, omnis litis ac belli originem eſſe ab excellentiæ, aut multiplicandarum opum appetentia. Occinit Salluſtius in fragm. *Vna & ea vetus eſt cauſſa bellandi, profunda cupido imperii, & divitiarum.* Tacitus 4. hiſt. *Aurum, & opes, præcipua bellorum cauſſa.* Seneca Tragœdus in Hippol. *Rupêre fœdus impius lucri furor, Et ira præceps.* Seneca Philoſophus ab uno ad omnes bellatores ſermonem ducens, ep. 94. *Marium exercitum, Marium ducebat ambitio. Iſti cùm omnia concuterent, concutiebantur: turbinum more, qui rapta convolvunt, ſed ipſi antè volvuntur: & ob hoc majore impetu incurrunt, quia nullum illis ſui regimen eſt.* Audin'? Volvunt, quia volvuntur: bellant, quia ipſi in ſe bella patiuntur: de prœliando non cogitarent, niſi perpetuis cupiditatum indomitarum prœliis quaterentur: alios ſub imperium & jugum

mittere

mittere contendunt, quia ipſi dirâ ambitionis vel avaritiæ tyrannide oppreſſi ſunt. Quod de Romanorum ſuorum bellis philoſophus affirmavit: hoc de noſtris Chriſtianorum aſſerere continuator Eccleſiaſticorum Annalium, Epiſcopus Apameenſis, non dubitat. Nam ad annum 1600. cruenti & luctuoſi hujus ſæculi epitomen ingreſſurus, ait: prætendi quidem à Chriſtianis Principibus honeſta nomina certaminibus ſuis; ſed revera, ſi introſpiciss, deprehenſurum te, ambitionem ſpecioſo titulo tectam, limitum regni extendendorum enormia deſideria, odium nationum, aliaque ejuſmodi, à Chriſtiana juſtitia, & caritate aliena.

IV. Sententia ſacrorum auctorum.

Malis audire Patrum ea de re ſenſum. Pervulgata verba ſunt Chryſ. orat. de S. Philog. affirmantis, frigidas voculas duas, *Meum, ac Tuum, innumerorum bellorum parentes eſſe.* At non ita vulgò nota Chriſtiani & doctiſſimi Rhetoris Arnobii ſententia, lib. 1. con. Gen. *Habet à Chriſto beneficium jamdudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita eſt rabies, atque hoſtiles manus cohibere à ſanguine cognati animalis occæpit. Quod ſi omnes omninò, qui homines eſſe, non ſpecie corporum, ſed rationis intelligunt poteſtate, ſalutaribus ejus pacificiſque decretis aurem vellent commodare paulliſper; & non faſtu & ſupercilio tumidi, ſuis potiùs ſenſibus, quàm illius commonitionibus crederent: univerſus jam dudum orbis mitiora in opera converſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſimâ degeret, & in concordiam ſalutarem, incorrupti fœderum ſanctionibus conveniret.* Accedit Africano oratori ſapientiſſimus Africanorum, l. 22. cont. Fauſtum: *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, libido dominandi, &, ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur.* Adde ſi lubet magiſtro ſuo diſcipulum Proſperum, epigr. 85.

Inſtant terrenis infeſta pericula rebus:
Fervent pro damnis prælia, próque lucris.
Et nihil eſt inter carnalia vota quietum:
Nec pax ſolicitis, nec modus eſt cupidis.
In ſolo eſt mens tuta Deo, quem linquere nolens,
Numquam erit æterno non opulenta bono.

It in eamdem ſententiam Chryſologus, ſerm. 126. cupiditatem ſub Mammonæ nomine pingens: *Imperat gentibus, bella mandat, comparat bellatores, ſanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes deſtruit, ſubdit populos, arces urget, vexat civitates, foro præſidet, jus delet, fas nefáſque confundit; & ad mortes uſque tendendo fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honeſtatem diſſipat, ſolvit affectus, innocentiam tollit, pietatem ſepelit, multitudinem ſcindit, amicitiam ſubruit.* Quid tam multis opus? Audi pro omnibus, & præ omnibus, unum Jacobum Apoſtolum cap. 4. *Unde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris.* Videor mihi videre concionantem Jacobum, & dum iſta verba pronuntiat: *Nonne hinc*: cordis ſedem dexterâ deſignantem, & pulſantem. In corde bella, in vobis cupiditates militant: inter nos bella ſunt, quia antè fuêre in nobis: inter nos militatur, quia in nobis ipſis militia eſt. Non poteſt generatim magis pronuntiare Apoſtolus: neminem excipit: de bellis omnibus, Chriſtianorum præſertim, loquitur: externa omnia ab internis.

V. Bella poſſūt juſtè excipi, imò inferri.

Sed heus tu, vide ſis, ut prudenter loquare. Túne bellatores omnes injuſtitiæ, ambitionis, avaritiæ damnes? Túne Principes, túne conſiliarios, túne Theologos, ab ipſis de bellandi juſtitia conſultos, in jus vocare ad Jacobum Apoſtolum audeas? Non equidem. Sat ſcio Theologiæ decretum eſſe, dari poſſe bella, etiam utrimque juſta; non quòd jus reipsâ ab utraque parte ſtare, ſed quòd utraque id ſibi poſſit prudenter perſuadere: ideóque bellum juſtè non excipi ſolùm, ſed etiam inferri. Ridendi Anabaptiſtæ, qui bella omnia damnant. Deridiculus Lutherus, quem aiunt docuiſſe, Turcis in Germaniam invadentibus, repugnare non licere, quia Dei flagellum eſſent. Paſſim totâ Scripturâ invenies, narrata, probata, imò imperata à Deo bella, non defenſiva tantùm, ut vocant, ſed & offenſiva: licent igitur. Veriſſimè dixit Ambr. 1. Off. cap. 27. *Fortitudo, quæ vel bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latrociniis ſocios, plena juſtitiâ eſt.* Eódem reſpexit Aug. *Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non ſunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coerceantur, & boni ſubleventur.* Vide & eumdem q. 10. in Joſue, & lib. 22. con. Fauſ. cap. 74.

VI. Si neceſſaria erunt.

Quod igitur Aug. lib. 19. de Civ. dicit: *bellum etiam juſtum deteſtandum*: non ſic intellige, quia juſtum ſimul eſſe poſſit, & injuſtum, ideò deteſtandum: ſed quia innumera ex illo mala oriuntur, propter quæ Principibus, & Rebuſpublicis ad iſtud remedium, niſi coactis, veniendum non eſt. *Pacem*, inquit idem epiſt. ad Bonif. Comitem primâ inter adjectas, *habere debet voluntas, bellum neceſſitas; ut liberet Deus à neceſſitate, & conſervet in pace*: & 4. de Civ. *Bellum gerere, malis videtur felicitatis; bonis verò, neceſſitatis.* Nun abludit à Livio lib. 9. verè pronuntiante: *Iuſtum bellum, quibus neceſſarium; & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.* Ejuſmodi bellum fuit Vladiſlai Jagellonidæ Polonorum Regis cum Teutonicis Militibus, memorabili planè exemplo, utinam & imitando. Ante prælium Grunevallenſe, quo horribili clade Teutonicus Ordo penitùs fermè proſtratus interiit, cæſis quinquaginta millibus, captis millibus quadraginta; conatus Rex Magiſtrum Ordinis ad pacem flectere, oblatis faventibus nedum honeſtis conditionibus, cùm nihil profeciſſet: explicato denique, ubi pugnandum vidit, Regio vexillo, Chriſtum precatus eſt, qui ſe non niſi neceſſitate adactum ad arma progredi ſciret, ut quidquid Chriſtiani ſanguinis funderetur, belli auctori imputaret. Vide Spond. anno 1410.

VII. Ridenda, lugenda bellantium vanitas.

Locus hic pingendi, mirandi, exſecrandi amentem & inſanam hominum cupiditatem, de puncto tantis motibus inter ſe certantium. Monet Seneca, initio lib. 1. Quæſtionum Nat. ut terrarum orbem ſupernè deſpicias, & tibi ipſe, viſâ rerum inanitate, dicas: *Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni dividitur. O quàm ridiculi ſunt mortalium termini!* Adiſtin' unquam animalcula illa, ad quæ te Sapiens ablegat, ut pigritiam excutias? Formicaria interdum in prato uno ſunt plura. Finge tibi formicariis ſingulis deſignatos ſuos ad pabulandum limites. Si quæ fortè avidæ aut errabundæ formiculæ illos tranſgrediantur, & continuò ad earum ulciſcendam temeritatem, bellum inter ſe gerant formicarum reſpublicæ: ridebis procul dubio, & inſaniam illam appellabis, ſi cadere in beſtias poſſit. *Si quis*, inquit ibid. Sen. *formicis det intellectum hominis, nonne & ille unam aream in multas provincias divident? Cùm te in illa verè magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſurrectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modò ulteriora explorantem,*

modò à lateribus affuſum, libebit dicere : It nigrum campis agmen: formicarum iſte diſcurſus eſt in anguſto laborantium. Spectâſti aliquando pueros in foro de domo, aut arce, laterculorum & vitreorum fragmentis compoſitâ, decertantes? Sic nos de cælo Beati ſpiritus, & animæ ſpectant, & puerilia noſtra certamina irrident. *Sumus*, inquit idem Sen. ep. 115. *ſimillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio eſt.* O Chriſtiani *filii hominum*, imò *hominis filii*, illius hominis qui terrenorum contemptum toties nobis commendavit; *Uſquequò gravi corde?* Habes, cupide bellator, non ſolùm cur erubeſcas infantiam & ſtultitiam cupiditatis tuæ, ſed etiam cur timeas crudelitatem. De tantulis rebus, tanto ſanguine, tantis publicis malis, pugnare? Ut leunculos paſcas, tot homines occidere? Ut in arcem evadas, de cadaveribus fraternis tibi aggerem facere? *Quomodo*, inquit Aug. lib. 7. de lib. arb. *apud divinam Providentiam à peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

VIII. Unde bella privata litium? A bellis publicis ad privata paullisper deflectamus. *Unde*, inquit Apoſtolus, *bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis.* Lites unde inter Chriſtianos, id eſt *Sacerdotes pacis*, ut vocabat Tert. lib. de ſpect? Inter eos quorum inſigne caritas eſſe debuerat? Inter fratres eodem patre ac matre genitos, eodem cibo nutritos, ejuſdem patrimonii hæredes? Scio juſtè aliquando litigari poſſe. At utinam poſt Chriſtum ſaltem pacis æquè amantes eſſemus, atque Abrahamus Gen. 13. Potuit cum Loth litigare de paſcuis, & opilionum ſuorum rixis: noluit, ceſſitque juniori. Gen. 26. Iſaac potuit cum Gerarenis litigare de aquatione, & puteis: noluit, ceſſitque injuſtitiæ. Narrationes totas non recito, quia obviæ ſunt. Sed tu, Chriſtiane orator, eas expende, nec de iſtis eſto, qui arbitrantur eloquentiæ aliquid decedere, ſi ſermonibus popularibus hiſtoriæ intexantur: homines veræ eloquentiæ ignari, & Deo ipſi injurii, qui ideò ſacras hiſtorias ſcribi voluit, ut narrentur. Eſto tamen litigare debeas, ad tuendam domum, ob liberorum, ob pupillorum caritatem: at quidni cum pace litigare poſſis, & tua ſic repetere, quomodò aurigæ aut bajuli ſibi invicem de viâ decedunt, uti Epiſcopus Genevenſis epiſtolâ ad nobilem fæminam, litibus implicatam, commodè monuit? Lites igitur Chriſtianorum, numquam niſi ex juſtitia inſtituendæ ſunt, numquam niſi cum caritate ducendæ: ablegandæ procul cupiditates. Sed quàm multi aliter? *Unde lites in vobis*, inquit Apoſtolus, *Nonne hinc? Ex concupiſcentiis?* Ex cupiditatibus litigantium, avarorum, ambitioſorum, famæ vel minimam jacturam indigniſſimè ferentium, non juſtitiæ, ſed vindictæ cupidorum. Ex cupiditatibus judicum, alienis damnis creſcentium: pauci enim ſimiles Thomæ Moro, qui Angliæ Cancellarius cùm eſſet, ita expeditè vel vetuſtiſſimas lites decîdit, ut aliquando ipſi dictum ſit, litem, quæ decideretur, nullam ſupereſſe: alii lites trahi cupiunt, & vulnus non obducunt; ut diu emanet pus, & effluat pecunia, ſalariis in horas creſcentibus. Ex cupiditatibus patronorum aut cauſſidicorum: qualis ille Mediolanenſis, quem Galeatius Vicecomes rogatum, poſſétne efficere ut piſtori ſuo centum aureos non deberet, & poſſe aſſerentem, in crucem tolli juſſit. Similia reperies apud Lipſium lib. 2. Pol. cap. 9. & infrà Exc. 1. ad cap. 16. ſect. 6.

Unde bella & lites in vobis: in familiis: inter conjuges, olim placidiſſimo amore conjunctos: inter parentes, ac liberos: dominos, ac domeſticos? *Nonne hinc? Ex concupiſcentiis?* Indomitam iram habet vir, uxor indomitam cervicem. Pater eſt *velut leo in domo ſua, conturbans domeſticos.* Frater, ſoror, cupidi, ut benevolentiam parentum ſoli poſſideant, ſuſurris quaſi cuniculis agunt. De patrimonio litigatur, de materno amore, de patris voluntate. Ancillula invida ſervos apud heram traducit: nihil fit, dicitur, cogitatur, quin ſuſpicionibus aſſequi ſe putet, enarret, & augeat: ſic *magna ex nihilo naſcitur hiſtoria.* IX. Unde bella domeſtica?

Denique, *unde bella & lites in vobis?* Unde inquietudines, perturbationesque animorum? Scio aliquando à dæmone pacis inimico proficiſci: At certè, ut plurimùm, *unde? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris?* A teipſo inquietudo tua, turbatio tua, bellum tuum. Times, quia cupis: triſtis es, quia cupis: deſperas, quia cupis: iraſceris, quia cupis. Hippocrates medicorum princeps, epiſtolâ ad cives ſuos Abderitas, ait: à mortalibus medicos de morbis conſuli; maximum autem humani generis morbum cupiditatem eſſe, cui curando omnes orbis totius medicos advocandos. Medicum nos unum audiemus Joannem Baptiſtam: *jam*, inquit, *ſecuris ad radicem arborum poſita eſt*: Luc. 3. Vis animi quietem? Vis pacem? Securim radici admove, noli ramis circumcidendis immorari, recîde nimiam terrenorum cupiditatem, ictu eodem totam infælicem arborem recideris. Hæc eſt *radix peccatrix.* Adeamus medicorum principem Chriſtum, quem centurio pro curando puero ſuo obnixè ſolicitat. Puerilis eſt affectus noſter; *Iacet* ad terram, & vilia proſtratus; *Paralyticus* eſt ad divina, ad mortalia ac caduca mobiliſſimus; *Malè torquetur*, & malè torquet, pace caret, & pacem animi tollit. Tu, Chriſte, *dic verbo, & ſanabitur puer meus*, anima mea. X. Unde bella inteſtina?

EXCURSUS V. MORALIS

Ad c. 1. *v.* 26. Factus eſt planctus magnus, &c.

Cauſſa communis malorum publicorum.

SECTIO PRIMA.

Omnium calamitatum bellicarum cauſſæ peccata.

I. Prænuntiat Deus cauſſas punitæ bellis Judææ.

LUCTUOSAM Judææ faciem vides, Lector, toto hoc capite; factiones, ſeditiones, bella, incendia, ruinas, mortes. Atqui Judæa, iſtâ ætate, ſola fuit provincia, ubi publico cultu Dei nomen celebraretur. Ut quid igitur Deus tantis calamitatibus populum ſuum, devotam ſibi gentem, opprimi ſinit? Quæ ratio incorruptam illam, & irreprehenſibilem juſtitiam movit, ut tam horrendam in amicos ſuos ſententiam ferret? Habes ipſo Dei digito ſcriptam rationem, 2. Mach. cap. 5. v. 17. & 18. ubi dicitur iratus fuiſſe Deus, *propter peccata habitantium civitatem:* & alia adduntur in eamdem ſententiam, quæ ipſe huc transferre poteris: quid enim opus, ut tranſcribam, uti & alia quæ poſtmodùm indicabo? Videtur mihi æquiſſimus Judex id egiſſe, quod interdum vicarii ipſius judices ſolent. Rogati motiva, ut vocant, ſententiarum ſuarum, ea ſcripto tradunt, ne quis dubitet quin ex æquo ac bono judicârint. Ita hîc Deus ſcripto rationem reddit, cur de Synagogâ, tam acerbè per Infideles punienda decreverit. Peccârant, inquit, adeóque erant caſtigandi.

II. Martyrum Machabæorum eâ de re ſententia.

Vidêre ſanctiſſimi Martyres, quibus à Machabæo nomen, eam divinæ Juſtitiæ legem, calamitatibus bellicis populorum crimina punientis. Sexti è fratribus verba ſunt: *Nos propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum.* Conſule librum 2. cap. 7. v. 18. & 19. & intelliges, iſtud, *Hæc*, non ad ſupplicia horum Martyrum privata, ſed ad publicas gentis miſerias referri. Adverte item, pro *peccantes*, haberi Græcè ἁμαρτόντες, quod eſt præteriti temporis: quaſi dicat, propter peccata præterita genus noſtrum publicè jam conflictatur. Diſertiùs & clariùs puer generoſiſſimus, ſeptimus fratrum, in eumdem ſenſum loquitur, à v. 30. ad v. 39. Expende potiſſimùm hæc verba: *Nos pro peccatis noſtris hæc patimur.* Græcè ad verbum, *Nos propter noſtra ipſorum peccata patimur.* Item iſta ad rem noſtram ſignificantiſſima: *In me, & in fratribus meis deſinet Omnipotentis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum juſtè ſuperducta eſt.* Pœna *juſtè* ſequitur culpam.

III. Prædictæ in Scriptura cauſſæ.

Prædixerat ſcilicet Deus apertiſſimè Levit. 26. & Deut. 4. ac 28. præſertim ſub finem capitis; fore ut Iſraëlitis, ſi præceptis ſuis non obtemperarent, primùm morbos, tum alia mala, denique bellum ac captivitatem, tamquam graviſſimam caſtigationem, immitteret: quæ omnia poſtmodùm exactè ſervavit, ſtetitque ut promiſſis, ita & minis. Prorſus ut caput illud ſit non comminatio ſolùm, ſed & vaticinatio certa malorum omnium, quibus poſtmodùm Judæa oppreſſa eſt; ſeu quæ in hiſce Machabæorum libris referuntur, ſeu quæ in libris Judicum, Regum, ac Paralipomenon paſſim deſcripta ſunt. Ubi & advertere poteris, ad ſingulas fermè bellicas calamitates, eam in Scriptura cauſſam adnotari, quæ Lev. 26. præſignificata erat, id eſt peccata. Loca tam frequentia ſunt, ut ea tibi, Lector, vel indicare ſupervacaneum ſit.

IV. Prophetarum de illis teſtimonia: Iſaiæ.

Quid jam de Prophetis loquar: quorum fermè unicum, publicum certè, munus fuit, populum, optimates, ſacerdotes à peccando dehortari, imminenteſque ob peccata bellicas clades prædicere? Loca ſolùm aliquot annoto, ex iis quos Majores Prophetas vocant: nam ſi omnia, quæ huc faciunt, dare velim, opus ſit totos prophetas tranſcribere. Experti fuêre belli mala, Iſaias ab Aſſyriis ſub Sennacheribo; Jeremias ab Ægyptio Pharaone Nechao, & à Nabuchodonoſore; Ezechiel ac Daniel ab iiſdem. Eò itaque major ipſis fides habenda eſt; quia ſcribunt, quod ſensêre, quod vidêre, & præſertim, quod ab ipſo Deo didicêre. Fruſtra enim te, Lector, Auditor, monuerim, quæ verba prophetarum horum ſunt, ipſiſſima Dei eſſe, ſeveri ſui de Iſraëlitis judicii rationem reddentis. Conſule igitur Iſaiæ cap. 14. v. 19. & 20. Iſta præſertim verba pondera: *Gravabit eam iniquitas ſua, & corruet.* Putant quidem aliqui, prophetam loqui de calamitatibus Judicio generali antecurſuris: ſed revera de Judææ cladibus loquitur. Accipe tamen, quæ de his ſine controverſia intelligenda ſunt. cap. 42. v. 24. & 25. ubi quærit: *quis dedit in direptionem Iacob, & Iſraël vaſtantibus?* Verba omnia tam energica & ſignificantia ſunt, ut nullum ſine ponderatione abire debeat.

V. Jeremiæ, Baruc, Ezechiel, Dan.

Jeremias non minùs fortiter pronuntiat, c. 16. v. 10. 11. & 12. Ubi impudenter interrogant Judæi, cur Deus in ipſos ſententiam ferat: tamquam Rei effrontes ſolent judicum de ſe decretis obloqui. Impudentibus audacter reſpondet propheta: *Dereliquerunt me patres veſtri, dicit Dominus: ſed & vos pejus operati eſtis, quàm patres veſtri.* Accedit ad Jeremiam vice commentarii, qui ei à commentariis fuit, propheta Baruc, pari tamen auctoritate, quia eodem divino Spiritu dictante, cap. 3. v. 10. 11. 12. 13. 14. Ubi notandum hoc eſt maximè: *Si in via Dei ambulâſſes, habitâſſes utique in pace ſempiterna.* Ezechielis plurima in eamdem ſententiam dicta ſunt. Selegi de omnibus cap. 7. v. 10. 11. ubi & hoc potiſſimùm venit ponderandum: *Floruit virga, germinavit ſuperbia:* quaſi dicat; cauſſa cur *virga* effloruerit, eſt, quia, *ſuperbia* germinavit. Itaque germen *ſuperbiæ*, ſequitur flos *virgæ*: maturæ ſuperbiæ imminet caſtigatio, & *iniquitas ſurrexit in virga impietatis.* Ex Daniele multa excerpi poterant, præſertim capite

nono: nihil ſignificantius, quàm quod habet v. 11. *Omnis Iſraël prævaricati ſunt legem tuam... & ſtillavit ſuper nos maledictio*, &c.

VI. Bellorum omnium par ratio.

Ne autem putes Judæis ſolis, craſſis animalibus, quibus fælicitas terrena in pretio erat, pro magno in peccatorum pœnam immiſſas miſerias temporales: notabis apud eoſdem prophetas, cæteris natiooibus ob eaſdem cauſſas decerni idem ſupplicii genus. Hinc tam ſæpè inculcata verba illa: *Onus Ninive*: *Onus Babylonis*: *Onus Duma*: *Onus Moab*, &c. ut dubitare nemo poſſit, quæcunque gentes bellis vexatæ ſunt, propter peccata punitas. Unde facilis ad bella hodierna nobis deſcenſus eſt. Si enim omnes olim nationes ob crimina publicè bellis qoaſſatæ: & hodie conſequens erit, Europæas gentes iiſdem de cauſſis conflictatas: cùm idem ſit jam curſus divinæ Providentiæ erga reſpublicas, qui olim; neque aliter modò, quàm tunc, diſtribuantur pœnæ publicæ, præmiaque communia. Nimirum Deus, in regenda Synagoga cæteriſque populis, gubernandæ Eccleſiæ velut prælusit; ac nobis, eorum culpas communibus ſuppliciis puniendo, præjudicium poſuit, ſententiamque, taotò antè præſcripſit, ſi eadem mala patremus.

VII. Hieronymi de bellis ætatis ſuæ judicium.

At ne quis ſuperſit cavillationi locus, audiamus quid de ipſis Catholicorum bellis Doctores noſtri ſenſerint: ot ab illis velut à vicinioribus ac ſimilioribus, imò paribus ac planè germanis, ad oostra argumentum ducamus. Neque hic lubet omnium Patrum ſententias intexere, ſed neque omnes aliquorum, ne locos communes in Excurſu faciam: & verò materia fermè infinita eſt. Paucos afferam & ſelectiores, eoſque ſolùm, quos Eccleſiæ Latinæ Doctores nominamus, oon quòd alii non ſint, ſed quòd hi emineant. Ac primum accipe verba Hieronymi ep. ad Heliod. de morte Nepotiani: *Olim*, inquit, *offenſum ſentimus, nec placamus Deum: noſtris peccatis barbari fortes ſunt: noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus.* It Hieronymus in ſententiam præceptoris ſui, ſic eum vocat, Gregorii Nanzianzeni: qui, in oratione de pace Conſtantinopoli habita, de Gothis agens, ait; clades ab iis acceptas, non ignaviæ Romanorum, qui totum orbem ſubegerunt, ſed vitiis triboendas, impiæque contra Trinitatem doctrinæ, id eſt Arianiſmo, quo tunc Oriens admodùm infectus erat.

VIII. Item Auguſtini.

De iiſdem barbarorum in Romanum imperium irruptionibus agens Auguſtinus, vicem eorum ac cæcitatem dolet, qui clades ſuas ignaviæ quorumdam Romanorum, aut proditioni adſcribunt: *Potiùs*, inquit, *deberent, quæ ab hoſtibus dura & aſpera perpeſſi ſunt, illi Providentiæ divinæ tribuere, quæ ſolet corruptos hominum mores bellis emendare, atque conterere.* Ita ipſe, 1. de Civ. Eòdem ſpectat tota epiſtola 122. ad Victorianum. Epiſtolâ verò 70. ad Bonifacium Comitem, ubi agit de barbarorum Afrorum in Africam Romanam irruptione, quam quidam diſſimulationi Bonifacii, aut apertæ proditioni tribuebant, Bonifacius autem injuriis quas ſe ab imperio Romano paſſum arbitrabatur: *Cauſſas*, inquit, *ego ſuperiores potiùs attendo, quia ut Africa tanta mala patiatur, ſua potiùs homines debent imputare peccatis.*

IX. Ambroſii, & Gregorii.

Mediolanenſibus de tyranni adventu trepidis, & jam coovaſantibus pleriſque, Ambroſius hæc pro concione, ſerm. 85. *Civitati non niſi propter civium peccata infertur excidium. Deſine ergo peccare, & civitas non peribit. Quid fugis patriam? Si vis ſalvus eſſe, tua potiùs peccata ſubterfuge: ſi tu peccare deſieris, victus eſt inimicus.* Gregorii ætate quot cladibus lacerata fuerit per Longobardos Italia, quot per Perſas, Scythas, barbaroſque alios incurſionibus fatigatus Oriens, oemo, qui hiſtorias attigerit, ignorare poteſt. De iis ad Imperatorem Mauritium ſcribens Gregorius ipſe, lib. 4. ep. 76. *Peccata*, inquit, *noſtra barbaricis viribus ſociamus, & culpa noſtra hoſtium gladios exacuit*: addere poterat, & criminibus retundi noſtros. Quomodò enim olim 1. Reg. 13. Philiſtæis in Judæos dominantibus, totâ Judæâ oon erat faber qui ferrum poſſet acuere: ita vitiis Eccleſiam prementibus, retunduntur Catholicorum enſes, neque eſt qui exacuat; migrant ad hoſtes, animus, acies, vires, victoria.

X. Ac Salviani, & Proſperi.

Auctarium ad Doctores Eccleſiæ addo Maſſilienſem Epiſcopum Salvianum, cujus libri omnes de Providentia in hoc ferè argumento conſumuntur, ut probent imperii Romani à Gothis, Vandaliſque excidium non aliunde, qoàm è criminibus, floxiſſe. Vide quid libro 6. de Trevirorum ſtrage loquatur, ubi hæc de multis: *Faciliùs erat urbem illam ſine habitatore, quàm habitatorem ullum eſſe ſine ſcelere*: ac deinde: *Nemo urbem illam excidio tantum ſuo periiſſe dicat: ubi enim talia acta ſunt, priùs jam perierant, quàm perirent.* Vide lib. 7. cùm Carthaginem à Vandalis captam narrat, quid de moribus civium notet. En ſummam dictorum, paucis verbis ab ipſo comprehenſam: *Romanos Afri, quia nequaquam olim imperio vincere valuerunt, quod potuerunt unum, impuritate vicerunt.* Generatim eodem libro: *Deus*, inquit, *infirmis hoſtibus cuncta tradidit, ut oſtenderet, non vires valere, ſed cauſſam: neque nos tunc ignaviſſimorum hoſtium fortitudine obrui, ſed ſolâ vitiorum noſtrorum impuritate ſuperari.* Eodem tempore, ac de iiſdem cladibus loquens Proſper, ſub finem libri de Providentiâ, poſtquam eleganter dixit, oon tam palatiorum ac templorum ruinas plangendas, quàm cordis noſtri, quæ illarum cauſſa ſunt:

Sed cum deformi, inquit, *jaceant proſtrata ruinâ,*
Objiciunt nobis caſus noſtróſque, ſuóſque.
Hos igitur cineres templorum, hæc buſta potentum,
Quæ congeſta jacent, populati cordis in aulâ
Plangamus captiva manu.

Similia idem Proſper habet lib. de Promiſſionibus & Præd. Dei p. 2. cap. 33. affirmans, ob peccata idem viſum ipſius ætate, quod Jeremias de ſua lamentatur Thr. 1.

XI. Experientiæ teſtimonium.

Auctoritate divina didiciſti, peccata fontes eſſe bellorum. Addidimus divinæ humanam Patrum: adjiciamus tertiam experientiæ, *ut in ore trium teſtium ſtet omne verbum*, aut teſtium triplicis generis. Obgannientibus Phariſæis Matth. 21. quòd pueri Chriſtum, Hieroſolymam ſolenniter ingreſſum, acclamarent filium David, cum feſta voce *Hoſanna*: ipſe reſpondit: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Pueros audiſti acclamantes Juſtitiæ divinæ, ſextum inquam ac ſeptimum Martyrem Machabæum; qoi certè pueri erant, cùm ipſi natu maximi *νεανίαι*, *adoleſcentes* vocentur. Acclamavêre undique pueris Prophetæ ac Patres, & omnes concordi voce accinuêre; *Nos pro peccatis noſtris hæc pati*: ſed & *ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Rodera urbium, ruinæ provinciarum, ſtrages regnorum undiqoe reſooabunt; à peccatis populariun profectas calamitates ſuas. Paucas delibo.

XII. Ex Aſiâ, Franciâ, Flandriâ, Angliâ.

Pudendæ ſunt Turcorum de Catholicis in Judæa victoriæ, ac demum ipſa Sanctæ urbis direptio. Vis adire fontes tantorum malorum?

Sequere

Digitized by Google

Sequere Guillielmum Tyrium, hiſtoricum è ſapientiſſimis quos viderim, in arcanis rerum Chriſtiano-politico judicio ſcrutandis. Notabit is digito enormia Catholicorum in iis regionibus vitia, & ſuum illud ad ſingulas clades noſtras intercalare tibi inculcabit: *Peccatis noſtris exigentibus.* Vix umquam Francis tanta ab Anglis clades, quàm anno 1346. ad Abbævillam, ut Spondanus narrat, vel potiùs ad vicum Agincurtium: cecidêre ex illis fermè ad triginta millia. Conſule hiſtoricos Gallos, & in iis Spondanum, & cauſſas cladis, multa vitiorum publicorum genera notata invenies. Ad annum 1379. notat Meyerus Flander Hiſtoricus lib. 3. & ex eo Spondanus, bellis, aut rabie potiùs commoni laceratam toto ſeptennio Flandriam: & ſimul luxum, ebrietatem, perjuria, aliaque peccata Flandris tunc adeò communia fuiſſe, ut commune ſupplicium diutiùs patientia divina differre non potuerit. Anno altero poſt cæptas Flandriæ miſerias; ducibus ſacerdote profano, & laterum coctore, ſervi rebelles in dominorum bona invasêre, & Angliam miſerè diſcerpſere. Joannes Gouverius, eques Anglus, eâdem ætate ſcripſit metamorphoſim ſuorum Anglorum in beſtias, ut ſcilicet ſcias ab ipſorum vitiis ortam cladem ſuam. Valſingamus Anglus hiſtoricus dicit, iſtius ſeditionis mala à quibuſdam adſcripta negligentiæ in coërcendis ſacramentariis Vicleffi ſectariis: adeóque cæptam moveri rebellionem intra ipſam Venerabilis Sacramenti Octavam.

XIII. E Græcia & Belgio.

Vix alia in eo genere lamentabilior tragœdia, quàm imperii Conſtantinopolitani ultima deſolatio. Ingreſſi erant Aſiam Turci anno 1048. ut notat Baronius tom. 11. Incæpêre in Perſas ducere, tum adverſus Romanum imperium, eo ipſo anno, quo Michael Cerularius Schiſmaticorum ſignifer, hoſtis Latinorum infenſiſſimus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præerat. Cepêre autem urbem inclytam, caput Orientis, anno 1453. ut Spondanus ex ejus ævi ſcriptoribus aſſerit: etſi recentiores multi annum anticipent. Notatur item vulgò ab hiſtoricis, id factum intra Pentecoſtes Octavam, Deo hæreſim Græcorum de Proceſſione Spiritus Sancti ulciſcente. Putat tamen Spondanus, accidiſſe altero demum die poſt Pentecoſtes Octavam. Sed quidquid de ea ſit temporis nota: apud eumdem Spond. anno 1482. Niphon Patriarcha Conſtantinopolitanus cenſet, eam cladem divinitus Græcis immiſſam, ob non admiſſum Concilium Florentinum. Cæterùm conſtat non accidiſſe, niſi ob peccata, idque tunc ſignificatum divinitùs Dionyſio Carthuſiano, celebri ditionis & dioeceſeos Leodienſis alumno: qui ea de re Dei juſſu epiſtolas ſcripſit ad Chriſtianos Principes. A Papa etiam Nicolao V. præſignificatum anno 1452. cùm ad Græcos ſcripſit; ſe etiam triennio ad radices arboris infructuoſæ foſſurum, camque ſtercoraturum; ſi denique fructum non ferret, exciſum iri: ita referente Patriarcha ipſo Conſtantinopolitano. Poſſis & hiſce hiſtoriis addere excidium urbis Leodienſis, à Carolo Audace, cujus vel meminiſſe horret animus: ingreſſus in eam hoſtis ipsâ Dominicâ, quâ ad Introitum in Sacrum canebatur: *Omnia quæ feciſti nobis Domine, in vero judicio feciſti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus.* Etſi enim Spondanus putet in eum diem hunc Sacri Introitum cadere non potuiſſe: conſtat tamen ex antiquis Miſſalibus, Leodienſi ritu eum tunc cantatum fuiſſe, & ſimul Evangelium de eorum civitate ſuccensâ, qui invitantes ad convivium nuptiale occiderant.

Habes abundè, quibus probetur, bellicas clades nullas à peccatis non oriri. Unde & hoc infer: Principes ex utroque Ordine, ſi ſalva velint regna & civitates, omni ſtudio in id invigilare debere, ut peccata publica prohibeant. Nicephoro Phocæ, arcem ad ſalutis ſuæ tutelam exædificanti, inclamatur ignotâ voce: *Intus eſt malum*, apud Bar. an. 964. Hoc omnibus rebuſpublicis inclamo, *intus eſt malum.* Portas firmate, mœnia cingite: *Sed niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Nec verò Deus diu cuſtodiet, ſi peccata non prohibentur, vel non expiantur. Speculatorem urbis, hoſte palàm adveniente, ſignum non dantem, quis ferat? Excubitorem, hoſte cuniculos agente, mœnibus ſcalas admovente, in urbem evadente, ad arma non clamantem, quis perfidum, perduellem, proditorem negaverit? Atqui nullus reipublicæ hoſtis pernicioſior, quàm vitia, quæ ſi excubitores magiſtratus, ſi ſpeculatores, paſtores, & concionatores non indicant, non terrent, non arcent, cùm poſſunt, ſanè non abibunt, quin eos reipublicæ proditores, quantâ potero voce, inclamem. XIV. Magiſtratus vitia prohibeāt patriæ caritate.

Quod illis, idem parentibus inculcandum. Patriæ amorem liberis inſtillant; inſtillent ergo & horrorem peccatorum, hoſtium patriæ capitalium. Mirum quoties Deus moneat parentes, ut liberis virtutem commendent. v. Deut. 4. Deut. 6. Deut. 11. & potiſſimùm hæc verba expende: *Docete filios veſtros, ut illa meditentur, quando ſederis in domo tuâ, & ambulaveris in viâ, & accubueris, atque ſurrexeris.* Extra libros Machabæorum exempla ejuſmodi parentum non eſt opus quærere. Videte, Patres, Mathathiam fortiſſimum Heroem: Matres, generoſiſſimam ſeptem Martyrum matrem. XV. Idem patribus familias commendandum.

Quod parentibus dico, idem & ſingulis. Hoc verò eſt ſeriò Deum colere, ſeipſum ſanctè diligere, Chriſtianè patriam amare, ſi quæ Deus maximè odit, quæ tibi plurimùm nocent, quæ patriæ ſummopere hoſtilia ſunt, averſeris, exſtirpes, eradices. Si patriam amas, cave pecces, ne peccato iræ divinæ portam aperias. Non audeas exploratorem hoſtium, aut proditorem proſcriptúmve, domi tuæ continere: & tamen audeas in ipſum ſinum tuum admittere, in pectus abdere peccata, capitaliſſimos inimicos? Abſit, Chriſtiane, ut gloriæ divinæ, animæ tuæ, ſalutis publicæ ſis proditor. Horres nomen, horre & cauſſam. XVI. Et ſingulis.

SECTIO SECUNDA.

Etſi non omnium calamitatum privatarum, omnium tamen publicarum cauſſæ peccata.

CONTRA hanc tam fundatam veritatem duo objici poſſunt. Primum: ſi peccata malorum bellicorum cauſſæ ſunt, cur ergo minùs vexantur Infideles, qui certè plùs Fidelibus pleriſque peccant? Alterum: quomodò tam confidenter aſſeritur, eas calamitates eſſe criminum germina, cùm conſtet aliquando innocentes miſeros fieri? Primæ objectioni ſatisfaciemus Excurſu ad cap. 8. ſect. 1. & Excurſu 1. ad 15. caput: I. Calamitatum generæ duo

jam ſecundæ. Sunt igitur diſtinguenda ſolerter, & vigilanter, ut loqui ſolebat Auguſtinus, calamitatum genera duo, privatarum ſcilicet ac publicarum: Privatas aliquando innocentibus immitti concedo, imò & oſtendo: at publicas numquam niſi per malefacta merentibus rebuſpublicis. Hæc duo modò probanda veniunt.

II. Quæ privatæ dicendæ? Privatas autem calamitates voco, primùm eas, quæ ſolum aliquem petunt, non populum aut rempublicam univerſam: deinde & eas ipſas, quæ publicæ quidem ſunt, quà rempublicam tangunt, privatæ tamen ſimul vocandæ ſunt, quà privatos vexant. Tamquam, lues aut fames urbem populatur, civium numerus minuitur, commercium interdicitur, ſequitur publica paupertas: inde publicum malum eſt. Per eamdem luem, aut famem, tu ægrotas, viduaris viro, orbaris liberis, fis pauperior; hinc privatum malum eſt: læderis, amicus occiditur, ad incitas frater reducitur, virgo contumeliam patitur; hæc privata, in publicis tamen incluſa mala ſunt. Solon eleganter dixiſſe fertur: nullas adeò firmas ſeras eſſe, aut validos obices, quibus publicæ calamitates arcerentur à domibus privatorum. Specta illud in hiſtoria Machabæorum: ab Antiocho vaſtitas publica, pauperies, ſolitudo, jugum infame, miſeranda captivitas, toti Judaicæ reipublicæ incumbunt: eatenus publica calamitas eſt. Matres orbantur, ſeptem adoleſcentes ceduntur, Judas Machabæus ad brutorum alimenta per egeſtatem adigitur: en miſerias in publicis privatas.

III. Deus poteſt innocentem affligere. Has igitur privatas miſerias utriuſque generis, ſeu quæ de ſe privatæ ſunt, ſeu quæ publicis implexæ, & conſertæ, conſtat poſſe à Deo innocentibus immitti citra injuriam. Bajani temerariè admodùm auſi damnare atheiſmi Scholaſticos, qui dicunt à Deo addici poſſe cruciatibus æternis innocentem abſque ulla injuria, ſi ſpectetur præcisè ſupremum ejus in creaturas ſuas dominium. Poſſe, inquam, non tamen feciſſe, aut facturum; poſito nunc alio rerum ordine, quem ſuaviſſima Miſericordia & accuratiſſima Juſtitia adminiſtrant. Congerit doctè Ripalda noſter Diſp. 12. contra Bajanos, rationes ad frangendos, & damnandos temerarios illos Scholaſticorum innocentium condemnatores: qui, quod Deum ſine injuria facere poſſe pernegant, ipſi faciunt. Hæc ratio una de multis placuit: Deus ex ſupremo dominio, quod habet in auxilia gratiæ ſuæ, poteſt negare juſto auxilia efficacia ad conſervandam juſtitiam. Igitur multò magis poteſt innocentem æternùm cruciare; cùm hoc malum iſto minus ſit. Quis enim juſtus, propoſito ſibi duplici ordine Providentiæ divinæ; uno, in quo continetur infallibilis permiſſio peccati, & perpetus ejus non remiſſio; altero, in quo continetur perpetuus cruciatus, ſed cum conſervatione juſtitiæ, & continuo ejus augmento per caritatis aliarumque virtutum actus; non eligat potiùs poſteriorem ordinem, quam priorem? Cùm itaque citra injuriam Deus æternis cruciatibus torquere poſſit inſontem; proculdubio poteſt & temporalibus.

IV. Temporalibus malis Deus ſæpè innocentes exercet. Nec poteſt tantùm temporalibus malis addicere innocentem, ſed etiam frequenter addicit. Etſi pro certo habendum ſit, quotieſcumque innocenti mala eveniunt, ad ipſius bonum à Providentia divina ordinari, ut aliàs fuſiùs oſtendemus. Sed ſepoſitâ interim ejus utilitatis conſideratione: hîc ſolùm ſtatuimus, ſæpè viros bonos & inſontes adverſis conflictari: ut non quæſtio tantùm ſit de poſſibili, verùm & de facto, ut aiunt. Auſi olim amici Job hanc veritatem apertè oppugnare. Eliphaz Themanites diſertè cap. 4. v. 8. *Recordare*, inquit Jobo, *quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt?* Sed obliviosus omnino fuit bonus ille vir, & immemor antiquitatis, per manus à proavis traditæ; qui ne Abelum quidem vel audiviſſet, vel meminiſſet. Pergit tamen eidem argumento inſiſtere, & theſim in hypotheſim ducere: ſi enim, inquit, Deum purè colueris, *in ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptimâ non tanget te malum. In fame eruet te de morte*, &c. Redeat modò Eliphaz, nonne elinguem experientia reddet? Innocentes, ejus ſaltem ſententiâ, id eſt, graviore noxa immunes fuêre Eliſæus, & Lazarus; famem tamen ſenſêre, ille Samariæ, hic ad divitis portam. Innocentes multos ſine dubio tridnans Davidis tempore peſtis abſumpſit. Innocens Joſias oppidò ſe vulneratum clamat, & ex plagis moritur. Innocenti Joſepho intentatæ calumniæ. Innocens Daniel captivus. Innocentem Prophetam, falſo vaticinio miſſum in errorem, leo occidit, intacto aſino. Innocens Zacharias lapidibus obruitur. Ut quæ paſſim in hiſtoriis Eccleſiaſticis occurrunt, taceam: calumniis petitos Martyres, peſte ſublatum Sanctum Ludovicum, occiſum innocentiſſimum juvenem Gratianum Imperatorem, captivos Petrum ac Paulum, Ignatium à feris in amphitheatro interfectum, Stephanum lapidatum, Martyres plurimos inediâ, ſiti, laboribus ad metalla conſumptos. Atqui ea ſunt ſeptem genera calamitatum, quæ innocentibus obvenire non poſſe, tam aſſeveranter pronuntiabat Eliphaz, contrà nitente Jobo; cujus denique ſententiam, juſſis ſilere amicis, auctoritas Divina firmavit.

V. Confirmatum id variis modis. Si quis audito decreto divino auſit etiam dubitare, verba Chriſti producerem, Apoſtolis interrogantibus de cæco nato, à quo peccato iſta cæcitas, reſpondentis: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Tobiam monſtrarem, cui inflicta cæcitas, ut daretur *exemplum patientiæ, ſicut & ſancti Iob.* Virginem Sanctiſſimam in Calvaria oſtenderem, cujus dolores pœnas originalis peccati fuiſſe, qui dixerat, per Pium V. cenſurâ notatus eſt. Teſtem advocarem Euſeb. Gall. hom. de ſancti Epip. & Alex. undique Martyrum ſepulcra monſtrantem, quibus, *fœlicitati adverſitas viam fecit, saluti perditio militavit, & oſtium dum vita claudit, gloria patefecit, & dum terram invidet, cœlum paravit.* Teſtem adderem Proſperum, 3. de Vit. Cont. cap. 29. monentem Catholicos, ut *dolores varios ac diverſas infirmitates, quæ mortaliter viventes affligunt, non ſemper peccatis præcedentibus ſequi, ſed plerumque ex ipſa conditione mortalitatis accidere corruptibiliter natis intelligant; & ſcientes ſe non damnari adverſis præſentibus, ſed probari, ex ipſa tolerantia paſſionum, occaſionem comparandæ ſibi patientiæ, viriliter agentes, arripiant.* Teſtem producerem Philoſophum Gentilem Senecam, toto de Providentiâ libro hoc diſputantem, *Cur bonis mala accidant?* Teſtem denique darem cenſuram Pii V. in hanc ſententiam Baii: *Omnes omnino juſtorum afflictiones, ſunt ultiones peccatorum ipſorum. Unde Iob, & Martyres, quæ paſſi ſunt, pro peccatis ſuis paſſi ſunt.* Sed quid tot teſtibus opus, in re, tot ſæculorum vocibus, quot à Chriſto præſertim fluxerunt, conteſtatiſſimâ?

VI. Omnes publicas calamitates à At verò, quàm certum eſt, non ſemper privatis mala accidere in peccatorum pœnam, tam

indubitatum

Digitized by Google

peccatis eſſe teſtatur Scriptura.

Indubitatum, numquam niſi ad ulciſcenda crimina rebuſpublicis immitti. Affirmatè id aſſero poſt Sapientem, Prov. 14. *Miſeros*, inquit, *facit populos peccatum*, id eſt, aliter non fiunt miſeri. Accedit Amos, c. 9. *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Vidit eamdem veritatem Abimelech Gen. 20. *Domine, num gentem ignorantem, & juſtam interficies?* Exclamat orans Eccleſia fer. 6. poſt Cineres: *Tuere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit adverſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas.* Apertiſſimè Eccleſiaſticus c. 39. per malorum publicorum varia genera gradatim ad bellum, tamquam extremum, aſcendens, aſſerit à Deo immitti in vindictam peccatorum: *Ignis, grando, fames, & mors*, id eſt peſtis, *omnia hæc ad vindictam creata ſunt: beſtiarum dentes, & ſcorpii, & ſerpentes:* intellige, de multitudine ferarum, & ſerpentium terram populantium: *& romphæa vindicans in exterminium impios. In mandatis ejus epulabuntur, & ſuper terram in neceſſitatem præparabuntur, & in temporibus ſuis non præterient verbum.*

VII. Et Patres, atque experientia in omni calamitatum publ. genere.

Legerunt iſta Patres, cùm ætatis ſuæ mala diſertè ad populum peccatis tribuerunt: Grandinem Naz. orat. de grand. Famem, Baſilius homiliâ in divites, de fame: Seditionem Antiochenam, Chryſoſtomus: Orientis totius confuſionem ob Hæreſes, Athanaſius. En tibi Doctores Eccleſiæ Orientalis, quibus auctarium adjicio Origenem, tract. 28. in Matth. bella, aliaque mala Judicio univerſali præcurſura, ambitioni atque avaritiæ hominum adſcribentem, ad pœnas peccatorum ſolutæ, & turbare permiſſæ. Adde nunc auctoritati experientiam. Anno 590. apud Baronium exerto gladio Angelus, moli Adrianæ inſiſtens, & inde Romanis minitans, & peſtem, & cauſſam indicavit. Idem ex Angelo intellectum, qui Vratiſlaviæ viſus, una mano gladium urbi intentans, altera carbones ſpargens: ſecutum inde incendium, quo urbs omnino conflagravit; apud Spond. ann. 134. Apud Baronium, an. 1169. Catanenſis civitas penitùs incendio abſumpta fuit, & *flagellata in judicio Sodomæ*, ut Bleſenſis, qui vixerat apud Guilielmum juniorem Siciliæ Regem, ſcribit ep. 46. in qua etiam peccata ejus urbis recenſet: Epiſcopum intraſſe *Gieziticâ venalitate* &c. Anno 1202. apud Spondanum triduo ante Aſcenſionem auditum primo diluculo in Palæſtina mugire cælum, tum terra. Inde terræ motus quo Accon, Tyrus, Tripolis fermè ſolo æquatæ. Arquæ, validiſſimum Chriſtianorum adversùs Saracenos munimentum, funditus dirutæ. Peſtis excepit, tum fames; quibus malis Chriſtiana gens illic fermè deleta. Accidit per ſubnaſcentes alias ex aliis calamitates, quod Amos vaticinatur c. 6. *Quomodò ſi fugiat vir à facie leonis, & occurat ei urſus; & ingrediatur domum & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.* Quæ origo tot calamitatum, neſcit nemo, qui Jacobi à Vitriaco de infortunatis illis profligatorum morum Chriſtianis lamentationes legerit.

VIII. De inundationibus.

Apud eumdem Spond. anno 1333. collectæ ex ſubitis imbribus, & eruptionibus aquæ, tanta vi in mœnia Florentina incubuêre, ut iis ex una parte dirutis, illac in urbem irruperint, & in eâ tamdio velut victrices dominatæ ſint, donec perruptis ex adverſa parte mœnibus, exitum invenêre. Diſputavêre de iſtius innudationis cauſſis aliter alii, inquit Villanovanus, ejus ætatis hiſtoricus Florentinus: at ſapientiſſimè, & veriſſimè, qui ex naturalibus quidem cauſſis ortas cenſuêre, ſed cauſſam primam iis in tempore uſam, ad caſtiganda Florentinorum crimina. Teſtis erit, inquit, Valliſumbroſæ Religioſus, vir integræ vitæ ac fidei, cui eâdem nocte viſa eſt nigra equitum dæmonum acies, unusque ab illo de expeditione interrogatus; Imus, inquit, obrutum ac perditum urbem Florentioam, ſi ſinimur. Teſtis item Robertus Rex Neapolitanus, qui in conſolatoriâ de iſtâ calamitate ad rempublicam Florentinam ſcriptâ, ait, indubitatum eſſe, quin primi eluvionis hujus fontes peccata fuerint. Teſtes inundationes aliæ, quas eâ occaſione idem Villanovanus refert, aitque non niſi in culparum pœnam accidiſſe. Teſtis denique in ſimili Clemens VIII. qui obrutâ magnâ Romanæ civitatis parte, per Tiberis exundationem, quantam aliàs numquam, & miſeros juvit quà potuit, & omnes ſcripto monuit, ut ſerò vitia emendarent, cùm experirentur damno ſuo, *abyſſum* aquarum alterâ vitiorum abyſſo devocatam.

IX. Maxima calamitas publica bella.

Intellexiſti ſatis, opinor, neque inundationes, nec terræ motus, nec peſtes, nec famem, neque incendia, neque ullan generatim publicam calamitatem, à Deo, ſupremâ omnium motrice cauſâ, aliam ullam ob cauſſam proficiſci, quàm in vindictam peccatorum. Atque hinc ad bella progredere. Nam ſi minorum genera calamitatum, criminum pœnæ ſunt, de omnium maximis dubitandum non eſt. Inundant provincias bella, ut eluvio; quatiunt, ut terræ motus; populantur, ut peſtis; vaſtant, ut fames; abſumunt, ut ignis. A Davidis ſententia ſto, qui peſtem præ bello elegit, hac plenâ fiduciæ, & judicii ratione, quæ omnes fermè miſerias reſpicit: *Melius eſt ut incidam in manus Domini, multa enim miſericordia ejus, quàm in manus hominum.* Sunt quidem malorum omne genus à Dei voluntate; in bellis tamen, bonæ Dei punientis voluntati adjuncta eſt adminiſtra mala hominum voluntas. At in aliis miſeriis, per ſe ferè miſericors Deus nos caſtigat, neque malis inſtrumentis utitur. Minùs autem multò dolet à Deo per ſe, ſeu immediatè, quàm mediatè per cauſſas ſecundas malevolas caſtigari.

X. Ad bonum commune vitanda peccata.

Inde ulteriùs conficiamus, io bellis, & cæteris communibus malis, ſi ſalvi eſſe velimus, pœnitendum, corrigenda peccata, orandum Deum. Sapienter Ludovicus Pius Imperator, vaſtante Franciam fame, peſte hominum, & animalium, ſterilitate, aliiſque malis, edictum inſigne propoſuit de corrigendis peccatis, & ad eum finem ſtatuit, ut Synodi quatuor locis cogerentur. Utinam & hoc ubique Chriſtiani modò intelligant. In publicis rebus conſulit Princeps Senatores, Conſiliarios, Adminiſtros. Quàm præclarum Prophetarum ac Patrum Senatum produximus, una voce cauſſas malorum noſtrorum, & in iis remedia indicantium. Unum etiam audiamus pro omnibus Ezechielem cap. 7. v. 25. 26. & 27. ubi omnes partes veniunt extendendæ, & temporibus applicandæ. *Anguſtia ſuperveniente requirent pacem, & non erit. Conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum: & quærent viſionem de propheta, & lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus. Rex lugebit, & Princeps induetur mærore, & manus populi terræ conturbabuntur. Secundùm viam eorum faciam eis, & ſecundùm judicia eorum judicabo eos, & ſcient quia ego Dominus.* Si eam toties repetitam veritatem non intelligimus, mitti merentur Chriſtiani ad ſcholam Gentilis.

Rogatus

Digitized by Google

Rogatus Socrates, ecquænam maximè munita Græciæ civitas eſſet: *Quæ*, inquit, *minùs vitioſa eſt*. Interroga me, quæ Europæ Chriſtianæ civitas validiſſima, & tutiſſima: idem ſtatim reſpondero, ubi virtus magis in pretio eſt. Hæ portarum ſeræ, hi vectes, hæc antemuralia, hoc præſidium, hæc valla, & aggeres urbium ſunt.

XI. Afflictus quivis mala ſua humiliter peccatis tribuat.

De privatis autem calamitatibus moneo: etſi non omnes à peccatis oriantur, aliquæ tamen: quis ſcit, an & tuæ? Languido iſti, quem vulgò paralyticum vocant, dicit Chriſtus: *Vade, & jam ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. Joannis 5. Contigerat iſti, non maximo peccatori, longiſſimus tamen morbus in culparum pœnam: nonne, & tu peccator es? Auſis tu dicere te peccatum non habere, cùm te Joannes, ſi id auſis, mendacem pronuntiet? Si igitur privatum dolorem aliquem ſentis, & quis non? Dic humiliter, imò verè cum Auguſtino, in pſ. 38. *Video me in malis, video me in pœnâ, & apud te non video iniquitatem. Si ergo in pœnâ ſum, & apud te iniquitas non eſt, nonne reſtat, ut pro iniquitate erudias hominem?* Eadem Pſalmiſtæ verba iterabat Innocentius IV. verè ſui nominis Pontifex, de quo vulgò dictum, numquam naſci, vel numquam mori debuiſſe. Auditus is ſæpe cum ſuſpiriis iterare moribundus, *Domine, propter iniquitatem corripuiſti hominem*: quam iniquitatem aliqui interpretantur ablata Mendicantibus Religioſis privilegia, poſtmodùm ab Alexandro IV. reſtituta. Quod tam ſancti viri de ſe aſſeveravêre, & tu de te opinare, illis certè non ſanctior. Agnoſce te canem cum Chananæa, pane filiorum, ſanitate, bonis, Dei favore ob peccata indignum; nec tamen deſine orare, clamare, interpellatores adhibere: audiet humilitatem, & fiduciam juſtus caſtigator, miſericors Salvator.

XII. Aut accipiat ut exercitamentum virtutis.

Si tamen cor tuum te non reprehendit, non diſſuadeo, ut cum Proſpero ſuprà num. 5. & cum Euſebio Gallicano hom. de Sanctis Alexandro atque Epipodio, miſerias, quæ tibi accidunt, putes eſſe, *non incommoda ærumnarum, ſed exercitia virtutum*. A bono igitur, & ad bonum profectis, tu ſi bonus es, benè utere, firma patientiam, generoſitatem exſuſcita, voluntatem cum Dei voluntate conjunge: ſis in gradu immobilis: dic cum ſanctiſſimo Martyre Eleazaro 2. Mach. 5. *Domine propter timorem tuum*, timorem inquam filialem non ſervilem, ex amore tui, ex deſiderio gloriæ tuæ, etſi dolente corpore, reluctante ſenſu, invitâ naturâ, tamen ex animo, &, per tuam gratiam, *libenter hæc* qualiacumque, & quantacumque ſunt, *patior*.

SECTIO TERTIA.

Cur peccata, cauſſas tot malorum, Deus permittat?

I. Quæſtionis difficultas.

NON quærimus hîc, cur Deus peccatores toleret, alius ea de re erit dicendi locus, & facilior, ac plauſibilior reſponſio. Quod hic quærimus, multò intricatius, & obſcurius eſt: cur Deus illa ipſa permittat, unde fiant peccatores, & ob quæ demum puniri debeant? Certum eſt enim, Deum nolle peccata. Horret animus cùm ſacrilegam Calvini vocem meminit; hominem à Deo ad peccandum impelli, & urgeri inevitabiliter. Quæ verba hodierni Calviniſtæ etſi molliant, in eundem tamen impium ſenſum cum Calvino conveniunt. Certum item, à Deo poſſe peccata impediri; non tantùm per potentiam, ſubtracto homini concurſu, & efficientiâ, ad intelligendum, & volendum quod malum ſit: ſed etiam per bonitatem, tam ſuaves, & congruas voluntati, aut intelligentiæ humanæ gratias attemperando, ut efficaciter à peccato abſtrahantur. Certum denique, Deum ſuppliciis hominum non delectari, neque illa velle omninò, niſi conſequenter ad peccata, atque in eorum pœnam, adeóque ſupplicia velle, non ut ſupplicia, ſed ut juſta ſunt. Abſit enim à mentibus ſanis tam inſana de Deo cogitatio, ut ei exiſtiment gratam eſſe ex alienis malis voluptatem, ne in tyranno quidem & anthropophago tolerabilem. Quærimus ergo, cur Deus, cùm peccata nolit, & impedire facilè poſſit, & horum pœnâ non delectetur, ea tamen permittat?

II. Sapientes ſolutionem refugiunt.

Profunda ſanè quæſtio, & cui Plato ſolutionem nullam dari velit, niſi ſilentio: ait enim, ubi petitur, cur Deus tanta, tamque frequentia mala permittat, tacendum, & conquieſcendum. Eumdem fermè in modum loquitur Auguſtinus, 2. de Gen ad lit. cap. 4. *Si ergo quæritur, cur Deus tentari permiſerit hominem, quem tentationi conſenſurum eſſe præſciebat: altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum, & longè ſupra vires meas eſſe confiteor.* Si de peccato, quod Originale dicimus, ubi apertior ad reſpondendum ratio eſt, ſic loquitur Auguſtinus: quid de his dicere poſſimus, quorum occultior eſt ratio, quæque Actualia nominamus: Catholicorum præſertim, poſt tam uberem Mediatoris gratiam, tam ſæpe peccantium, & peccatis tam multas pœnas merentium? Lubet tamen etiam hîc aliquantum philoſophari, & in ipſis quidem Auguſtini veſtigiis, quem iſtius modò *altitudo conſilii* terrebat, inſiſtere.

III. Permittit peccata Deus, ne turbet ordinem ſæculorum.

Primum igitur reſpondeo: à Deo permitti peccata, *ſecundum pulcerrimum, quem poſuit, ordinem ſæculorum*. Non vult naturæ curſum impedire, impediret autem, ſi nulla peccata eſſe permitteret. Habet hanc quæſtionis noſtræ ſolutionem Aug. lib. 3. cont. Jul. cap. 9. in ſimili, unde ad rem præſentem traho, quia par ratio eſt utriuſque. Quærebant Pelagiani: cur Deus producat infantium animas, quandoquidem præviderет fore, ut ſtatim, cùm corporibus jungerentur, peccatum Originale contraherent? Reſpondet ipſe: *Sicut non ideò creat pecora, in armentis & gregibus impiorum, ut dæmonibus immolentur, quamvis hoc eos noverit, eſſe facturos: ſic etiam ubi generationem peccato cernit obnoxiam: ſecundum pulcerrimum, quem poſuit, ordinem ſæculorum, ſuam non abſtinet ab ejus conditione bonitatem.* Ubi adverte, quàm efficaciter adverſariis ſatisfaciat. Quæris, cur Deus creat animas, quas prævidet in malum ruituras? Quæro ego amplius: cur creat beſtias, quibus prævidet homines abuſuros, ut divinum honorem transferant ad inimicos Dei? Non deſinit beſtias producere, etſi inde religionis ſuæ detrimentum oriturum ſit; ne, ſi illas non creet, vim faciat naturæ, & perturbet *ordinem ſæculorum*. Eodem, inquit, modo, nec Deus animas originali peccato maculandas creare deſinit; ne *pulcerrimum* perturbet *ordinem ſæculorum*. Aptemus hoc ad rem noſtram. Quæris, cur concurſum ſuum Deus non ſubtrahat homini peccaturo, cùm è peccatis tot mala publica ac privata oriantur? Reſpondeo:

Digitized by Google

deo: non impediri, ne *ordinem ſæculorum* obturbet: ſatius eſt autem pulcerrimum ſæculorum ordinem non mutari, quàm improborum peccata impediri.

IV. Sive, ut res ſecundùm ſuam naturam regat.

Expreſſiùs & luculentiùs S. Thomas in Comp. Theol. cap. 142. *Nec tamen hoc divinæ voluntati repugnat, quod mala eſſe permittit in rebus ab eo gubernatis. Primò quidem, quia Providentia non eſt naturam gubernatorum tollere, ſed ſalvare. Requirit autem hoc perfectio univerſi, ut ſint quædam in quibus malum non poſſit accidere: quædam vero, quæ defectum mali pati poſſint ſecundùm ſuam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus Providentiâ divinâ, non regerentur res ſecundùm earum naturam: quod eſſet major defectus, quam ſingulares defectus, qui tollerentur.* Expende potiſſimùm verba poſtrema, & ad eorum intelligentiam, nota: ad varietatem partium Univerſi, à Deo factas naturas aliquas, quæ peccare poſſent, aliquas quæ non poſſent: ex iis autem quæ peccare poſſunt, ſi Deus nullas peccare permitteret, quæ inter peccati capaces, & incapaces ex illa parte notari poſſet diſtinctio? Potentia enim, quæ numquam in actum reducitur, fruſtra eſt, & nihilo videtur differre ab impotentia. Hoc forſan intelligi voluit Trithemius q. 2. ad Maximilianum, etſi paullò duriùs loquatur: *Si Deus non permitteret peccare hominem, brutis videretur deterior, quæ nulla impellente violentiâ, natura moribus liberè utuntur.* Scio dictum iri: poteſtatem peccandi, non tam poteſtatem vocandam, quàm impotentiam, cùm revera potentia non ſit. Sed ad illud, magis piè forſan, quàm exactè dictum, reſpondebo: poteſtatem arbitrii, ad alterutram mali vel boni partem flectendi, verè eſſe potentiam, etſi imperfectior multò ſit poteſtate non peccandi, adeòque hujus comparatione poſſit vocari impotentia, quia minùs perfecta eſt potentia.

V. Illuſtratur reſponſio.

Ut Auguſtini & Sancti Thomæ reſponſum illuſtres, & populo intelligendum præbeas, finge ab aliquo peti: Cur Deus monſtroſos homines, animalia, meteora permittat, cùm tamen ex defectu boni naturalis ea monſtroſitas oriatur? Quod palpabile fiet, etiam idiotis experientiam conſulentibus, & exempla tangentibus, quæ ipſis congerere poteris, & ſub oculos ponere. Statim itaque reſpondebit ille de monſtroſis partubus interrogatus: ideò à Deo permitti; quia tales ab initio fecit cauſſas naturales, ut ex earum vario concurſu aliquando monſtra naſcerentur, quorum generationem miraculo impedire non vult, ne nimis ſæpè impediat ſtatum cauſſarum neceſſariarum. Quod de monſtris naturalibus dictum erit, dic de monſtris moralibus. Peccata enim monſtra ſunt morum: & verò, quomodò certorum monſtrorum definitio difficillima eſt, quia incerta ſpecies: ita & peccati, monſtrorum maximi, difficillima definitio eſt apud Theologos, aliis aliter rem tam vulgarem explicantibus. Quemadmodùm igitur Deus monſtra naturalia, etſi poſſit, non ſemper impedit miraculo, quia cauſſas neceſſarias tales fecit, ut ex illis monſtra poſſent exiſtere: ita cùm cauſſas liberas, Angelum & hominem, tales fecerit, ut aliquando peccare poſſent, non vult illas ſemper ſubtracto ad agendum concurſu per miraculum, aut gratiis extraordinariis & efficacibus, quaſi miraculo, à producendis ejuſmodi monſtris prohibere.

VI. Peccata permittuntur, ut virtutes emineant.

Capiti plebis accommodatiùs loquemur, ſi dicamus: à Deo peccata permitti ad commendationem virtutis. Hauſi alteram hanc reſponſionem etiam ex Aug. lib. 9. con. Julianum in fine: ubi citat hæc verba Ambroſii, ex libro de Iſaac & animâ cap. 7. *Non ſunt mala niſi, quæ privantur bonis: per mala tamen factum eſt, ut bona eminerent.* Quam magiſtri ſui ſententiam valdè laudat, & extendit optimus diſcipulus. Vice commentarii poſſint eſſe ejuſdem Auguſtini verba, lib. 11. de Civit. cap. 18. *Sicut contraria contrariis oppoſita ſermonis pulcritudinem reddunt: ita quadam, non verborum, ſed rerum eloquentiâ, contrariorum oppoſitione ſæculi pulcritudo componitur.* Et cap. 23. *Sicut pictura, cum colore nigro, ſuo loco poſita: ita univerſitas rerum, ſi quis poſſet intueri, etiam cum peccatoribus pulcra eſt, quamvis ipſos per ſe conſideratos ſua deformitas turpet.* Etſi enim in hac ſententia de peccatoribus agat Auguſtinus: quod tamen de iſtis dicit, pari jure de peccatis dixeris. Quomodò enim ſuperbus humilem, libidinoſus caſtum, alium alius oppoſitione ſuâ amabiliorem & ſpectabiliorem reddunt: ita ſuperbiâ, libidine, irâ, aliiſque criminibus contrariæ virtutes plus eminent; non ita placituræ, ſi vitiorum deformitas nuſquam cerneretur.

VII. Variorum auctorum ſententiâ.

Iſidori in eamdem ſententiam breve & nervoſum dictum eſt, libro de ſummo bono: *Non permitteret Deus mala oboriri, niſi ex contrariis malis natura bona decor emineret.* Videtur idem voluiſſe Lactantius, cùm ait: *Ubi ergo vitia non ſunt, nec virtuti locus eſt quidem; ſicut nec victoria quidem, ubi adverſarius nullus eſt. Ita ſit ut bonum ſine malo in hac vita eſſe non poſſet.* Eòdem ſpectat illud Bernardi, libro de Gratia & libero arbitrio: *Tolle famem, & panem non curabis: tolle ſitim, & limpidiſſimum fontem, quaſi paludem, reſpicies. Similiter umbram non quærit, niſi æſtuans: Solem non curat, niſi algens.* Placet etiam audire Plotinum Platonicum philoſophum, lib. 3. Eneade 3. de hoc ipſo argumento diſputantem. Poſtquam dixit cap. 5. *Pravitate, ſeu vitiis, aliquid utilitatis conferri Univerſo:* varias ejus dicti rationes coacervat, & in his iſtam: *Ut quantum bonum virtus ſit, comparatione vitiorum, improbos animos torquentium, agnoſcamus.* Cap. 7. *Quicumque,* inquit, *deterius è mundo tollendum cenſent, tollunt ipſam etiam Providentiam: cujuſnam enim amplius providentia erit?* Ubi vides ex oppoſitione vitiorum, non virtutum ſplendorem tantùm, ſed divinæ Providentiæ bonitatem emicare, ex ſenſu philoſophi. Cap. 18. ubi quæſivit, quorſum bonis mala quaſi nexu perpetuo hæreant? *Forſan,* inquit, *quia niſi hæc eſſent, imperfectum foret & totum. Plurima enim malorum, imò omnia toti proſunt, uti venenata: etſi quorumdam uſus & rationes lateant. Iam verò & vitia ipſa, atque improbitatem conſtat multum afferre utilitatis, ac pleriſque rebus pulcritudinem augere, more formarum, quibus ars addit pulcritudinem.*

VIII. Imò ex Scriptura.

Eòdem reſpexit Eccleſiaſticus cap. 33. v. 15. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo & duo, unum contra unum.* Quod Providentiæ elegans, ad Univerſi ſpeciem, opificium iterum nobis commendat cap. 42. v. 25. *Omnia duplicia, unum contra unum.* Ut caloris vim ſentias, frigus opponitur: humor magis ſentitur, ubi vicina eſt ſiccitas: gratior eſt diei noctiſque viciſſitudo, & præſentiam Solis illuſtrat ejus abſentia: nec tantùm verno tempori decus eſſet, ſi hiberno non ſuccederet. Subdit Eccleſiaſticus: *& non fecit quidquam deeſſe*, ſive, ut Græcè habet, *οὐκ ἐποίησεν οὐδὲν ἐλλεῖπον, non fecit quidquam deficiens*: id eſt, ut ego quidem interpretor,

ex illa

Digitized by Google

ex illis compugnantiâ, & mirâ varietate partium Univerſi, exiſtit tanta pulcritudo totius, ut licèt aliquid deſit in parte, nihil deſit in toto, & ipſa imperfectio membri faciat ad corporis perfectionem ac formam. Quod de oppoſitione rerum naturalium facilè intelligitur, apta ad res morales, & dic: oppoſitum calorem caritatis, frigori odii; humorem liberalitatis, ſiccitati avaritiæ; diem gratiæ, nocti peccati; ver virtutum, hyemi vitiorum, ex ipſa contrarietate plurimum decoris conciliare Univerſo.

IX.
Peccata permittuntur in bonum peccãtium.

Accedit ad hanc rationem tertia non longè diverſa, quam & me Auguſtinus docuit lib. de verâ Relig. cap. 20. Ubi quærit unde arbori, de cujus fructu parentes humani generis guſtavêre, nomen ſcientiæ boni & mali. *Contigit*, inquit, *ex illa arbore, quæ contra vetitum tacta eſt, dignoſcentia boni & mali: quia cùm ſuo peccato anima fuerit implicata, luendo pœnas diſcit quid interſit, inter præceptum quod cuſtodire noluit, & peccatum quod fecit: atque hoc modo malum, quod cavendo non didicit, diſcit ſentiendo: & bonum, quod non obtemperando minus diligebat, ardentius diligit comparando.* Quam etiam rationem idem Aug. tangit lib. 8. de Gen. ad lit. c. 6. & 15. Proſper item ejus diſcipulus lib. 2. de vit. Cont. cap. 20. poſtquam eum ſecutus dixit; arborem ſcientiæ boni & mali ſic vocatam, quia parentes noſtri per peccatum experientiâ ſuâ didicerunt, quantum boni amiſiſſent; ſubdit hoc in rem noſtram aptiſſimum: *Dulcior fit ſalus, cùm dolor excruciat, & ſanitatis amiſſæ dulcedinem, languoris amaritudo commendat.* Favent explicationi Aug. & Proſperi 70. Interpr. qui, pro *Scientia boni & mali*, habent τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ, *lignum ad ſciendum quod eſt cognoſcibile boni & mali.* Permiſit Deus peccatum Adami, ut boni ſui magnitudinem nôſſet amittendo, quod poſſidendo non nôrat. Ita dicamus hodie permitti multorum, præſertim apud Catholicos, peccata, ut ipſis ſint arbores Scientiæ boni & mali: *ut dulcior ſit ipſis ſalus, & ſanitatis amiſſa dulcedo; & bonum quod non obtemperando minùs diligebant, ardentiùs diligant comparando.* Quid autem dicam de animi Chriſtiani exultatione, cùm peccato ſe ereptum videt? Quid de lætitiâ Beatorum, cùm pericula, è quibus emersêre, recordantur? Quantum beatitudinis augmentum, immenſi mali, quod evaſeris, memoria? Hic ſanè occinere poſſis vulgarem verſum: *Si non erraſſet, fecerat ille minus.* Error aliquando diſciplina eſt. Vidimus peritiſſimos artifices diſcipuli errorem non prohibere, cùm poſſent, ut errando diſceret non errare. Ita nobiſcum magiſtra Providentia. Permittit igitur Deus peccata interdum in ipſorum peccantium bonum: unde & Theologorum dictum eſt; Peccatorum permiſſionem aliquando effectum eſſe Prædeſtinationis divinæ, ſive ideò à Deo aliquos peccare permitti, quia eos prædeſtinavit ad talem tantamque gloriam, ad quam non pervenirent, ſi peccare non ſinerentur.

X.
Item contrà in pœnam.

Contrà autem ſæpe permittuntur, non in bonum, ſed in pœnam peccantium. Fusè hoc perſequitur Aug. lib. 5. cont. Julianum c. 3. ubi exempla eorum congerit, quos Deus in peccata labi permiſit, ad præteritorum peccatorum pœnam: tamquam, quod Rom. 1. habet Apoſtolus: *Propterea tradidit* &c. quod de Chananæis habetur Joſue 11. de Roboamo 3. Reg. 12. de Amaſia 2. Paral. 25. aliaque ejuſmodi, quæ paſſim in Scriptura reperies. Nec mireris ab Auguſtino peccata aliqua aliorum pœnam peccatorum vocari: cùm Seneca dicat, ipſamet peccata ſibi ſua eſſe ſupplicia, ep. 87. *Maximum ſcelerum ſupplicium in ipſis eſt. Erras, inquam, ſi illa ad carnificem aut carcerem differs: ſtatim puniuntur cùm facta ſunt, imò dum fiunt.* Imò conſtat peccatorum permiſſionem, non ſuorum ſolùm pœnam eſſe poſſe, ſed etiam alienorum. Vide 2. Reg. 24. ubi dicitur, Deum Iſraelitis iratum, ad eos caſtigandos permiſiſſe peccatum Davidis, quod ab eo in ſubditorum ſuorum cenſu commiſſum eſt; quam nos hiſtoriam aliàs expendere oportebit.

XI.
Deus permittit peccata, quia è malis poteſt benè facere.

Ad extremum, ut peremptoriam permittendorum à Deo peccatorum rationem afferas, redi ad illud celebre ex Auguſtino, Enchir. cap. 100. *Non ſineret de bono fieri male, niſi Omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.* Quam ſententiam tum alibi ſæpiùs inculcat, tum lib. de Cor. & Gratia: *Quia creavit omnia bona valdè, & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit; ſcivit magis ad omnipotentiſſimam ſuam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere, quàm mala nulla eſſe permittere.* Vidêre etiam illud Providentiæ divinæ ſecretum Gentiles Philoſophi: ait enim Plotinus c. 5. ſuprà: *Dictum eſt ipſam mundi artificem rationem, malis, poſtquam facta ſunt, opportunè admodùm uti ſolere: id autem maximæ poteſtatis eſt, malis etiam benè uti.* Quæris autem, quæ bona è peccatis eliciat Deus? Ablegabunt te alii ad pœnitentium clauſtra, ad ſacra peccatorum apud Climachum ergaſtula, ad generoſas priſcorum Chriſtianorum exomologeſes, ad lacrymas Davidis, Petri, Magdalenæ, Auguſtini, innumerorumque ejuſmodi, quibus peccâſſe ad animi magnitudinem & virtutum exaggerationem profuit. Jubebunt te, ſi potes, numerare actus Heroicos, ab iis qui peccârint, productos in culparum compenſationem; non producendos alioqui, ſi non peccâſſent. Monebunt te, advertas, quantas zeli, patientiæ, ſacri timoris, humilitatis, aliarumque virtutum occaſiones, dent aliena peccata non peccantibus. Monſtrabunt quàm illuſtris ſit Dei clementia, bonitas, patientia, juſtitia ex peccatis, alioqui via ſpectanda, ſi iſthæc abeſſent. Dicent, aptari meritò poſſe peccatis Actualibus, quod de Originali canit Eccleſia; O *felix culpa*, tanto noſtri generis honore, decore naturæ, Dei gloriâ, virtutum exemplis compenſata. Mihi ſat erit ſtrictim & ſolidè cum Alenſi dixiſſe, 2. parte, q. 94. num. 3. *Plus eſt bonum, vel numero, vel quantitate, quod elicit Deus ex malo, quàm ſit bonum, quod deſtruitur per malum.*

XII.
Aliquando exemplo Dei ab hominibus tolerari oſe peccata.

Atque ex his, ne cum ſterili divinæ Providentiæ admiratione jejunus dimittaris, diſce cum fructu quemadmodùm illam poſſis imitari. Permittit Deus peccata, vel ut majora mala vitentur, vel ad majus bonum: ita aliquando magiſtratibus ac Principibus, qui divinæ Providentiæ vicarii, & adminiſtri ſunt, licebit peccata tolerare. Leges Civiles ſimplicem fornicationem non puniunt: quibuſdam in urbibus lupæ tolerantur, quod nos tamen ſuprà, Exc. 3. ſect. 2. num. 2. & 3. non probabamus, etſi damnare non auſi ſumus: in aliis hæreſi libertas conceditur, hæreticiſque licentia, quam apud nos, quamvis in ea vicinia, non ferimus. Sed alibi iſthæc legibus ſuppliciiſque non coërcentur, ne vel politica gubernatio cum majoribus incommodis perturbetur, vel à minoribus peccatis impediti ſubditi ad majora proſiliant. Ita tibi, ſi pater es, ſi ſuperior, licebit in filiis, aut ſubditis peccata tolerare, ut majora mala ex correctione oritura evites. Quidam

etiam

Digitized by Google

enim, ut optimè monet Proſper 2. de vita Cont. cap. 5. *ad omnem peccandi impudentiam, ſi fuerint exacerbati, proſiliunt.* Idem, opinor, ſpectabat Paullus, cùm parentes monebat, *ne ad iracundiam provocarent filios ſuos*: & Sapiens celebri verbo, *qui nimiùm emungit, elicit ſanguinem.* Ita & tu in te ipſo, Chriſtiane, poteris quædam tolerare minora vitia, quæ emendare non vales, niſi pacem animi perturbes, aut te ad Dei gloriam procurandam ineptiorem efficias. Quamquam hic potiſſimùm de peccatis alienis agendi locus eſt; quæ nobis non tribuuntur, ſi ea permittendo, vel majoris boni procurationem ſperamus, vel majorum malorum evitationem ſpectamus: tribuuntur autem, ſi, citra ejuſmodi cauſſam, non impedimus, cùm debemus & poſſumus. Neque enim, quia Deus crimina quælibet perpetrari ſinit, idcircò & nobis omnia tolerare licuerit. Hoc enim Deum inter & nos maximopere intereſt: quòd ipſe generalis univerſaliſve cauſſa eſt; nos peculiari tenemur juſtitiæ caritatiſve officio. Sed de peccatorum alienorum imputatione quidpiam dicemus, Exc. 3. ad cap. 4. ſection. ultim. num. ult.

CAPUT SECUNDUM.

ARGVMENTVM.

Mathathias ſacerdos è præcipuis, qui Hieroſolymâ in oppidum Modin cum filiis abſceſſerat, acerbè publicas patriæ calamitates, & religionis exitium luget. Solicitatus deinde à miniſtris Regiis ad idololatriam, negat ſe & ſuos umquam eò venturos impietatis; Iudæoq; in ipſo ſacrilegi ſacrificii apparatu, ac miniſtro Regio obtruncatis, fugâ cum liberis ſe proripit ad montanas ſolitudines. Sævitur interim in Iudæos, edicto Regio parere recuſantes: milleni circiter, in ſpeluncis ſabbathum agentes, neque hoſtibus tunc repugnare auſi, flamâ ac fumo extinguuntur. Coactâ ſociorum exiguâ, ſed validâ ac generosâ manu, Mathathias rem Iudaïcam ac religionem incipit reſtituere: & poſt data liberis præclara monita, commendatóque, ut Simonis conſilia, Iudæ ſigna ſequerentur, ut Simonem pro patre, Iudam pro duce haberent, memorandus in paucis Heros moritur, ac lugetur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

IN diebus illis, ſurrexit Mathathias filius Ioannis, filii
Simeonis, ſacerdos ex filiis Ioarib ab Ieruſalem, & conſe-
dit in monte Modin: 2. Et habebat filios quinque, Ioan-
nem, qui cognominabatur Gaddis: 3. & Simeonem, qui
cognominabatur Thaſi: 4. & Iudam, qui vocabatur Ma-
chabæus: 5. & Eleazarum, qui cognominabatur Abaron:
& Ionathan, qui cognominabatur Apphus. 6 Hi viderunt
mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Ieruſalem. 7. Et dixit Mathathias:
Væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem
civitatis ſanctæ, & ſedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? 8. Sancta
in manu extraneorum facta ſunt: Templum ejus ſicut homo ignobilis.
9. Vaſa gloriæ ejus captiva abducta ſunt: trucidati ſunt ſenes ejus in plateïs,
& juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. 10. Quæ gens non hære-
ditavit regnum ejus, & non obtinuit ſpolia ejus? 11. Omnis compoſitio
ejus ablata eſt. Quæ erat libera, facta eſt ancilla. 12. Et ecce Sancta noſtra,
& pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinaverunt
ea Gentes. 13. Quò ergo nobis adhuc vivere? 14. Et ſcidit veſtimenta
ſua Mathathias, & filii ejus: & operuerunt ſe ciliciis, & planxerunt valdè.
15. Et venerunt illuc qui miſſi erant à Rege Antiocho, ut cogerent eos, qui
confugerant in civitatem Modin, immolare, & accendere thura, & à lege Dei
diſcedere. 16. Et multi de populo Iſraël conſentientes acceſſerunt ad eos:
ſed

ſed Mathathias, & filii ejus conſtanter ſteterunt, 17. Et reſpondentes qui miſſi
erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps & clariſſimus & magnus
es in hac civitate, & ornatus filiis & fratribus. 18. Ergo accede prior, & fac
juſſum regis, ſicut fecerunt omnes Gentes & viri Iuda, & qui remanſerunt in
Ieruſalem: & eris tu, & filii tui, inter amicos regis, & amplificatus auro &
argento, & muneribus multis. 19. Et reſpondit Mathathias, & dixit magna
voce: Et ſi omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut diſcedat unuſquiſque à
ſervitute legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis ejus: 20. Ego, & filii
mei, & fratres mei, obediemus legi patrum noſtrorum. 21. Propitius ſit nobis
Deus: non eſt nobis utile relinquere legem & juſtitias Dei: 22. Non audie-
mus verba Regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes legis noſtræ
mandata, ut eamus altera via. 23. Et ut ceſſavit loqui verba hæc, acceſſit qui-
dam Iudæus in omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram in civitate Modin,
ſecundùm juſſum regis: 24. Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt
renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens
trucidavit eum ſuper aram; 25. Sed & virum, quem rex Antiochus miſerat,
qui cogebat immolare, occidit in ipſo tempore, & aram deſtruxit, 26. Et
zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. 27. Et exclamavit
Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis
ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me. 28. Et fugit ipſe, & filii ejus in montes,
& reliquerunt quæcumque habebant in civitate. 29. Tunc deſcenderunt
multi quærentes judicium, & juſtitiam, in deſertum: 30. Et ſederunt ibi ipſi,
& filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundaverunt
ſuper eos mala. 31. Et renuntiatum eſt viris Regis, & exercitui, qui erat in
Ieruſalem civitate David, quoniam diſceſſiſſent viri quidam, qui diſſipaverunt
mandatum Regis, in loca occulta in deſerto, & abiiſſent poſt illos multi.
32. Et ſtatim perrexerunt ad eos, & conſtituerunt adversùs eos prælium in die
ſabbathorum, 33. Et dixerunt ad eos: Reſiſtitis & nunc adhuc? exite, & facite
ſecundùm verbum Regis Antiochi, & vivetis. 34. Et dixerunt: Non exibimus
neque faciemus verbum Regis, ut polluamus diem ſabbathorum. 35. Et conci-
taverunt adversùs eos prælium. 36. Et non reſponderunt eis, nec lapidem
miſerunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, 37. dicentes: Moriamur om-
nes in ſimplicitate noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cælum & terra, quòd in-
juſtè perditis nos. 38. Et intulerunt illis bellum ſabbathis: & mortui ſunt ipſi,
& uxores eorum, & filii eorum, & pecora eorum, uſque ad mille animas ho-
minum. 39. Et cognovit Mathathias, & amici ejus, & luctum habuerunt
ſuper eos valdè. 40. Et dixit vir proximo ſuo: Si omnes fecerimus ſicut fra-
tres noſtri fecerunt, & non pugnaverimus adversùs Gentes pro animabus
noſtris, & juſtificationibus noſtris: nunc citiùs diſperdent nos à terra. 41. Et
cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos
in bello die ſabbathorum, pugnemus adversùs eum: & non moriemur omnes,
ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis. 42. Tunc congregata eſt ad eos
ſynagoga Aſſidæorum fortis viribus ex Iſraël, omnis voluntarius in lege:
43. Et omnes, qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos, & facti ſunt illis ad
firmamentum. 44. Et collegerunt exercitum, & percuſſerunt peccatores in
ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua: & cæteri fugerunt ad Nationes,
ut evaderent. 45. Et circuivit Mathathias, & amici ejus, & deſtruxerunt aras:
46. & circumciderunt pueros incircumciſos, quotquot invenerunt in finibus
Iſraël: & in fortitudine. 47. Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ, & proſperatum
eſt opus in manibus eorum: 48. Et obtinuerunt legem de manibus Gentium,

& de manibus Regum: & non dederunt cornu peccatori. 49. Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis ſuis: Nunc confortata eſt ſuperbia, & caſtigatio, & tempus everſionis, & ira indignationis. 50. Nunc ergo, ô filii, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, 51. & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. 52. Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad juſtitiam? 53. Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodivit mandatum, & factus eſt dominus Ægypti. 54. Phinees pater noſter, zelando zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotii æterni. 55. Ieſus dum implevit verbum, factus eſt dux in Iſraël. 56. Caleb, dum teſtificatur in eccleſia, accepit hereditatem. 57. David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula. 58. Elias, dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum. 59. Ananias & Azarias & Miſaël credentes, liberati ſunt de flama. 60. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. 61. Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes qui ſperant in eum, non infirmantur. 62. Et à verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus, ſtercus & vermis eſt: 63. Hodie extollitur, & cras non invenietur: quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit. 64. Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege: quia in ipſa glorioſi eritis. 55. Et ecce Simon frater veſter, ſcio quòd vir conſilii eſt: ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis pater. 56. Et Iudas Machabæus fortis viribus à juventute ſua, ſit vobis princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi. 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vindictam populi veſtri. 68. Retribuite retributionem Gentibus, & intendite in præceptum legis. 69. Et benedixit eos, & appoſitus eſt ad patres ſuos. 70. Et defunctus eſt anno centeſimo & quadrageſimo ſexto: & ſepultus eſt à filiis ſuis in ſepulcris patrum ſuorum in Modin, & planxerunt eum omnis Iſraël planctu magno.

COMMENTARIUS AD CAPUT SECUNDUM.

Danielis prophetia de Mathathia.

℣. 1. IN DIEBUS ILLIS. Hi dies ſunt, quos tanto antè prævidit Daniel, cap. 11. v. 34. *Cumq; corruerint*, inquit, *ſublevabuntur auxilio parvulo.* Scio ab Hieronymo eum locum explicari, de Antichriſti temporibus, cujus impietati parva piorum manus obſiſtere audebit. Sed dubitandum non eſt, quin etiam de hac Antiochi perſecutione, & Mathathiæ generoſis conatibus, intelligendus ſit: atque ita intellexit Theodoretus: *Quæ à beato*, inquit, *Matthia*, ſive Mathathia, *& filiis ejus ſuſtinenda & facienda erant prædicit* Propheta: vide Pererium in illud Danielis. Sic etiam explicat hic Gloſſa Ord. ex Rabano: & paſſim omnes, inquit Salianus.

Quomodò Mathathias ſurrexerit?

SURREXIT, ἀνέστη. Hebraiſmus eſt Scripturæ familiaris, quo ſignificatur ſpectabile aliquid ac memorabile factum iri ab eo, quo de agitur. Conſpicuus enim magis eſt, qui ſurgit, quàm qui ſedet: & qui ad aliquid expeditiùs agendum aggreditur, ſurgere ſolet. Poſſit prætereà dici ſurrexiſſe, quòd repentina clade ſuorum conſternatus, ex ipſis malis majores animos ſumpſerit: item quod dejectis ac corruentibus pleriſque, ipſe ſurrexerit, ac ſteterit immotus. Denique planiori ſenſu dicitur ſurrexiſſe, id eſt exiſſe *ab Ieruſalem*, & inde ſe recepiſſe in Modin, ut indicavimus in ſerie hiſtoriæ.

Quid ejus nomen ſignificet?

MATHATHIAS FIL. JOAN. FILII SIM. SACERDOS, EX FILIIS JOARIB AB JERUSALEM, ET CONS. IN MONTE MODIN. Habes hic Herois iſtius nomen, genus, officium, patriam. Singulis paullò diutius immorandum, ut ad ſequentia ſternamus viam. Nomen eſt *Mathathias*, Græcè *ματθαθίας*; Hebraicè apud Joſephum Gorionidem, & Serarium, nunc *Mathathias*, nunc *Mathathiahu*, uſitatâ ejuſmodi nominum apud Hebræos terminatione. Significat autem *Donum Dei*, aut *Donatus Deo*, idemque poterit eſſe, atque apud nos Græcè vel Latinè *Theodoſius*, *Theodatus*, *Doſitheus*, *Dorotheus*, *Adeodatus*, *Deodatus*, *Deus-dedit*, *Theodorus*, *Theodoretus* &c. Per contractionem Hebræis familiarem à Joſepho l. 1. cap. 1. & poſt eum à Theodoreto ſuprà, vocatur Matthias: quod nomen Iſidoro lib. 7. Orig. ſignificat *Donatus*, ſcilicet à Deo. Et verò ut boni viri, ac præſertim boni Principes ac Pontifices, magna Dei dona ſunt, & quaſi quidam Mathathiæ: ita, magno Dei beneficio, ſanctiſſimus vir in tempore datus fuit populo Judaico. Celebratum in ejus memoriam poſtmodùm id nomen, cùm antè videatur in uſu

non

non fuiſſe. Joſephus initio vitæ ſuæ ſcribit, patrem ſibi ac fratrem fuiſſe Matthiæ nomine, ex eadem Joaribi familia.

S. Matthiæ figura eſt.

Habemus & nos Apoſtolum Matthiam, verè Donum Dei, à Deo Eccleſiæ ſuæ datum in locum prævaricatoris Judæ; cùm ſors, regente Spiritu Sancto, ſuper eum cecidit. Unde & commodè dicere poſſumus, Mathathiam illum hujus Matthiæ figuram fuiſſe, non nomine tantùm, ſed & rebus geſtis. Suffectus eſt in locum perfidorum apoſtatarum Jaſonis ac Menelai Mathathias, quomodò Matthias in locum Judæ; idololatriam profligavit, quomodò Matthias; aliaque geſſit applicatu facilia. Cultores habuit poſt mortem Mathathias: habuit plures Matthias, Catholicos omnes. Singulariter cultui ejus deditum fuiſſe invenio Carolum quintum, feſto S. Matthiæ die natum, Cæſareo cultu primùm ornatum, memorabilem ſæculis omnibus de Franciſco primo ad Ticinum victoriam adeptum, Bononiæ à Summo Pontifice Imperatorem ſalutatum ac coronatum. Coluit item ſingulariter Sanctum Matthiam P. Ferdinandus Alberus vir ſpectabilis, è Societ. noſtrâ, ejuſque præſens in rebus plurimis auxilium ſe profitebatur expertum.

Item figura Chriſti.

Gaudeo me in Gloſſa Ord. Rabani reperiſſe, quod ante mihi in mentem venerat, etiam Chriſti typum Mathathiam fuiſſe. Vel ex ipſo nomine id planum eſt. Quis enim magis Dei donum antonomaſticè dici poteſt, quàm qui *datus eſt nobis, & natus eſt nobis?* Qui de ſe ipſo Joan. 3. ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret?* Quem nos pro maximo munere a Deo acceptum, Deo ipſi pro nobis reddimus? Adde quod Chriſtus dici poſſit filius Joannis, filii Simeonis, ex filiis Joarib. Joannes enim eſt gratia Dei, Simeon audiens aut obediens, Joarib exaltans Dominus, ut Rabanus notat. At nonne Chriſtus filius gratiæ, gratuitò datus: filius item obedientiæ, & ancillæ Domini: denique Filius Altiſſimi, & à Domino exaltatus, quia humiliatus? Nonne & Chriſtus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, quemadmodùm & Mathathias ſacerdos fuit, imò & ex Regia ſtirpe? Adde res geſtas: adde liberos, quorum comparationem doctam, nec nimis detortam, affert Rabanus, & nos poſtmodùm reddemus, cùm de eorum nominibus diſputationem aggrediemur.

Genus ejus ſacerdotale.

Genus Mathathiæ ſacerdotale fuit, & quidem è Joaribi claſſe ſeu ἐφημερίᾳ, aut *vice*, ut Evangelium Lucæ loquitur in ſimili. Quæ Joaribi claſſis & familia prima erat illarum, de quibus 1. Paral. 24. Hinc poſſis colligere, quantæ nobilitatis eſſet ſenex noſter: cùm apud Judæos præcipua nobilitas cenſeretur de ſacerdotali genere eſſe, ut notat Joſephus; qui etiam gloriatur ſe de prima illa ortum Joaribi claſſe. Dubitandum præterea non eſt, quin Mathathias ab Eleazaro Aaronis filio, non autem ab Ithamare, originem duxerit: cùm ipſe diſertè hîc v. 54. *Phinees*, filium ſcilicet Eleazari, patrem ſuum vocet; ac deinde Joaribi familiam ſacerdotalium primam, non ex Ithamaris ſecundò geniti, ſed ex Eleazari poſteris manare, conveniens fuerit. Fruſtra igitur hic otium teramus in refellendo Sigonio, lib. 5. de rep. Heb. cap. 2. qui aſſerit, Mathathiam ex Levitis quidem fuiſſe, at non ex Eleazari progenie. Aperta enim eſt Scripturæ ſententia.

Item Regium.

Adverte præterea cum Serario, Mathathiam non ex ſacerdotali tantùm, ſed & ex Regio genere fuiſſe; adeoque non ſolùm ex tribu Levi, ſed etiam ex tribu Juda. Gratis hoc dici putat Petavius lib. 5. Rationarii temporum cap. 23. Cenſent tamen ita alii omnes paſſim, poſt Aug. 12. con. Fauſ. cap. 42. Hier. Epiph. Nic. Lir. Burg. Abul. in Gen. 49. Rupertum lib. 9. de Trin. cap. 29. & Galatinum libro de arcanis fidei. Firmarique poteſt ea communis ſententia, conſuetudine olim Hebræis frequentata, Aaronicæ & Regiæ ſtirpis, quia nobiliſſimæ eſſent, inter ſe matrimoniis miſcendarum: ut de Joiada Pontifice conſtat, ex 2. Paral. 22. ubi dicitur uxorem habuiſſe filiam Jorami Regis, Ochoziæ ſororem, Joſabetham, ſeu Joſabam. Colligunt item aliqui ex verbis cap. 5. v. 63. *Et viri Iuda magnificati ſunt:* ſed infirma eſt probatio: tum quia Græcè habetur ὁ ἀνὴρ ἰούδας, ut de Juda Machabæo poſſit intelligi: tum quia eo tempore nomine tribûs Judæ cenſebantur, quicumque de tribubus aliis in Judæa habitabant. Quærunt aliqui, maternóne an paterno genere Mathathias ad tribum Juda pertinuerit? Supervacanea planè ea quæſtio foret; niſi Genebardus, ex Cyrillo lib. 7. con. Julianum, aſſereret de paterno. De materno autem genere paſſim cæteri conſentiunt. Certè dubitari non debet, quin paternum genus ejus qui hic diſertè ſacerdos, & quidem de primâ claſſe dicitur, ſacerdotale ſit: cùm conſtet ex S. Paulo Heb. 7. de tribu Juda altari ſervîſſe neminem, qui nimirum inde paterna origine deſcenderet.

Officium Mathathiæ, Pontificatus, ac Principatus.

Dicit ſacer hiſtoricus, ſacerdotem fuiſſe Mathathiam, filium Joannis, filii Simeonis, qui erat ex filiis ſive poſteris Joarib, id eſt de primaria ſacerdotum familia, prout recenſentur 1. Paral. 24. Neque ulla eſt in ea re difficultas. Quæritur tamen ulteriùs, fueritne non ſacerdos ſolùm, ſed & ſummus Pontifex? Negant quidam, & in eis Scaliger libro 5. Affirmant Hebræi, nec dubitat Chaldaicus Targum, in illud Cant. 6. v. 6. *Sicut cortex mali punici ſic gena tua: Regnum*, inquit, *domus Haſmonæorum totum plenum eſt præceptis, ſicut malogranatum; à Mathathia cohana rabba*, id eſt Sacerdote magno, *& filiis ejus, qui erant juſtiores illis omnibus, & confirmabant præcepta & verba legis in puritate.* Idem ſentit Abulenſis, in Exod. cap. 20. q. 25. & in Num. 10. q. 14. Accedit ratio: quòd triſtiſſimis illis temporibus, Onia tertio ejus nominis ſummo Pontifice Antiochiæ occiſo, Jaſone, Menelao, Lyſimacho pro Pontificatu fœdè certantibus; Haſidæi, aliique primores Judæorum, ne diutiùs Synagoga abſque idoneo Principe ſacerdotum incerta fluctuaret, eum potiſſimùm eligere debuerint, qui ex Aaronis ſtirpe eſſet, è nobiliſſima claſſe ſacerdotum, animis, probitate, rebus geſtis, ſuâ liberumque virtute, illuſtris.

Quando cæperit?

Quo autem tempore elegerunt? Veroſimillimum eſt, ſtatim à cæde Judæi apoſtatæ, & miniſtri Regii: quo tempore magnus piorum numerus ad ipſum confluxit, eumque Principem dixit, inquit Joſephus; ſacræ ſcilicet rei æquè ac civilis, cùm utriuſque par foret ratio. Hanc de Pontificatu Mathathiæ ſententiam, nunc vulgò receptam, poſt Sigon. Genebrar. Torniel. Serar. Becan. Salian. alioſque, ſecutus ſum in ſerie ſummorum Pontificum, compendio hiſtoriæ Machabæorum ſubjectâ; & Mathathiæ adſcripſi annum Pontificatûs unum.

Quæ ipſius patria?

Patriam ejus Hieroſolymam fuiſſe, Hagiographus indicare videatur iſtâ voce, *ab Ieruſalem*: ut dicatur *Mathathias ab Ieruſalem*, ſicut in Evangelio *Ioſeph ab Arimathia.* Potuit certè Hieroſolymis natus eſſe: etſi paterna domus eſſet in Modin,

ibidemque ſepultos majores, conſtet ex ultimo verſu capitis hujus. Quia tamen iſtud, *ab Ieruſalem*, commodè refertur ad verbum *ſurrexit*; ut ſignificetur Hieroſolymâ exceſſiſſe ob temporum acerbitatem: ideò probabilius eſt, non alium ipſi locum natalem fuiſſe, quàm Modin; ubi Hieroſolymâ profugus conſedit, & ubi corpus demortui in avito ſepulcro conditum eſt. Hieronymus etiam, in locis Hebraicis, cenſet Machabæos Modin natalem patriam habuiſſe: *Modin*, inquit, *vicus juxta Dioſpolim, unde fuerunt Machabæi, quorum hodiéque ibidem ſepulcra monſtrantur.*

Modin vicúsne an urbs?

Quod autem Hieronymus *Modin vicum* nominat, & Joſephus μωδιὶμ κώμην, *Modin vicum*: urbem tamen fuiſſe conſtat ex hoc capite, ubi ſæpiùs vocatur *civitas*; ejus etiam incolas πολίτας vocat Joſephus, unde colligas πόλιν *urbem* fuiſſe, non κώμην tantùm ſeu vicum. Quamquam credibile eſt Joſephi ævo, & multò magis Hieronymi ætate defloruiſſe, ut vici magis, quàm urbis, nomen mereretur. Nec diffitebor etiam Machabæorum tempore exiguum oppidum fuiſſe, ut non longè abeſſet à vico & utroque nomine venire poſſet. Quod primùm ex eo colligo, quia antehac non modò non fuerit celebrata, ſed etiam vix cognita: deinde, quia monti non ſolent aut poſſunt urbes magnæ inædificari. Modin autem conſtat in monte fuiſſe, unde hic dicitur Mathathias conſediſſe in *monte Modin*: quod nomen *monte* abeſt quidem à textu Græco; dubitari tamen non poteſt, quin monti inædificata fuerit, ex his quæ habentur cap. 13.

Ubi ſita?

Adrichomii tabulæ id oppidum ſtatuunt in tribu Danitica, quinque ab Accarone horis, ſex à mari, à Dioſpoli ſeu Lidda aut Lyda decem. Eumdem fermè ſitum ſecuti ſunt Ortelius, Tirinus, & alii quidam. Bonfrerius, in Onomaſtico ad libros Judicum, notiſque ad Chorographiam ſuam, exiſtimat, nec tam procul à Dioſpoli, nec tam longè à mari poni oportere. Nam ab Hieronymo dici eſſe propè Dioſpolin, non ergo decem ab illa horis: & à Simone cap. 13. monumentum exſtructum, quod prænavigantibus foret inde ſpectabile, non ergo tam longè à mari. Mavult itaque ad illos accedere, qui à Dioſpoli quatuor horis ſolummodò, à Joppe ſemovent unica. Sic ipſe in annotationibus loquitur. Quamquam in tabula chorographica triplo longiùs diſtrahit à Joppe; & Jamniæ admovet: unde ſuſpicabar, in annotationibus Joppen pro Jamnia irrepſiſſe. Eumdem fermè ſitum amplexus eſt Stella in Judææ tabula poſteriore, apud Ortelium ipſum. Placuit etiam Anſelmo Franciſcano apud Henricum Caniſium. Stephanus item collocat in Baala monte, propè oppidum antiquum Sechronam: eo ferè loco quo Geth, una ex priſcis Philiſtinorum Satrapiis, ſita fuiſſe exiſtimatur à quibuſdam. Iſtum ergo poſitum & nos ſequemur: cùm rationes pro illo adductæ infirmæ non ſint, & meliores contrà nullæ afferantur.

An Mathathias monogamus.

℣. 2. Et habebat filios quinque. Eóſne ex unica uxore ſuſceptos? Dubitari non debet: quandoquidem cap. 13. v. 28. in monumento per Simonem erecto, pyramis unica matri ſtatuatur: utique unicæ quinque liberorum matri. An ergo monogamus Mathathias? Sic omnino exiſtimo: cùm ratio nulla in oppoſitum appareat. Imò viduitatem ab ipſo cultam arbitror: cùm credibile ſit præmortuam fuiſſe uxorem, de qua in hiſce libris mentio nulla eſt, præterquam in ſepulcri communis deſcriptione. Sanè ſi iſtis temporibus vixiſſet uxor illuſtriſſimi herois, tot heroum mater; proculdubiò & ſcribenda feciſſet, & facta ejus ab Hagiographo præterita non eſſent, neque ejus memoria in ſolo Simonis monumento ſtetiſſet. Addendum ergo & hoc Mathathiæ laudibus, quòd monogamus & viduus vixerit, eo tempore & lege, quibus polygamia licebat, tantùm abeſt ut bigamia vitio verteretur. At, inquis, nonne ſacerdotibus antiquæ legis præcepta erat monogamia? Nonne Tertullianus lib. de Monogamia id aſſerit? Nonne in ſuam ſententiam profert ex Lev. cap. 21. *Sacerdotes mei non plus nubent*, id eſt, unis nuptiis erunt contenti? Reſpondetur: iſthæc verba nuſquam in Levitico reperiri: & librum de Monogamia ſcriptum à Tertulliano, poſtquam jam à recto deſciverat, exigereque volebat à Catholicis omnibus, quod Paullus in Epiſcopis Eccleſia in Clericis poſtulat, ne digami fuerint.

Filii Mathathiæ an ordine cenſeantur?

℣. 2. 3. 4. 5. Joannem qui cognom. Gaddis, et Simonem qui cognom. Thasi, et Judam, &c. Quæritur hic primùm, an ordine nativitatis filii Mathathiæ cenſeantur; ut primogenitus fuerit Joannes, poſt Simon, tum Judas, deinde Eleazarus, minimus natu Jonathas? Negavêre quidam Hebræi, & eos ſecutus Serarius ad libri 1. cap. 13. & Salianus ad annum ante Chriſtum 164. num. 2. Joſepho auctore nixus; eoque potiſſimùm argumento, quòd Judas in Pontificatu ſucceſſerit patri, tum Jonathas, demum Simon: non fuiſſet autem, inquiunt, excludendus à poſtgenitis primogenitus, apud eam gentē, ubi maxima erat primogenitorum prærogativa. Sed argumentum infirmum eſt. Neque enim hic agitur de ſucceſſione hæreditaria, aut familiaribus prærogativis, quæ primogenituræ accedebant: verùm de electione extra ordinem facta ad ſummum Pontificatum & armorum principatum, difficillimis temporibus; in qua primores Judæorum, & cæteri populares non attenderunt, quis de liberis Mathathiæ maximus natu eſſet, ſed quis in eo articulo iſtis officiis aptiſſimus. Electus igitur primo loco Judas, qui ſuper cæteros longè animis ac viribus emineret, vel patris teſtimonio: ſecutus Jonathas Judæ generoſitate ſuppar, non autem Simon etſi polleret conſilio, quia pluris eſt exequi, quàm dare conſilia, difficilibus præſertim temporibus, ut dicemus infrà, v. 66. Ad extremum Simon electus mortuis fratrum reliquis. Non video itaque, cur non dicamus collocatos hic ordine ætatis Mathathiæ liberos: præſertim cùm nulla poſſit excogitari ratio, cur Hagiographus verum ordinem inverterit, ſi alius fuit.

Quæſtio de nomine nō infructuoſa.

Altera, de nominibus iſtorum heroum, quæſtio eſt; quam exiſtimo ſupervacaneam nemini viſum iri. Etſi enim in aliis rebus de nomine diſputare otioſorum negotium aliqui appellent, & Seneca ejuſmodi ſtudia *dementiam* vocet ep. 48. & de Brevitate vitæ *Græcorum morbum*, atque inter illa ableget, *quæ ſive contineas, nihil tacitam conſcientiam juvant; ſive proferas, non doctior videbere, ſed moleſtior.* Eſto, inquam, id verum ſit de profanis titulis; abſit tamen, ut vel in mentem veniat de ſacris nominibus in Scriptura commendatis, in qua nec literulæ auctoritas ſua, neque apici utilitas deeſt. Sapiens Siracides cap. 14. præclaro de uſu beneficiorum divinorum monito: *Particula*, inquit, *boni doni non te prætereat*, vel ut olim legebatur, *boni dati.* O quàm *bonum donum* ſacræ Literæ, ab illo nobis traditæ, quem non tantùm *Amorem*, ſed etiam *Donū Dei altiſſimi* Eccleſia nominat!

O quàm

Digitized by Google

O quàm bonus ac ſerenus dies ex eadem Scriptura nobis illucet: quæ, ut ait Caſſiod. cap. 15. de div. lectionibus, eſt *Vilitas Chriſtianorum, theſaurus Eccleſiæ, lumen animarum.* Ne te igitur, lector, hujus *boni doni*, hujus pulcerrimæ *diei* vel *particula* vel apiculus *prætereat.*

Micæ & fragmẽta Scripturæ non pereant. Monebat neſcio quis ſophiſta, an philoſophus, Damis puto Apollonii amicus, apud Eunapium, de menſa Deorum ne micas quidem ſinendas perire. Scriptura *Convivium Sapientiæ eſt; ſinguli libri, ſingula ſunt fercula*, Ambr. lib. 1. Off. cap. 32. De hac menſa ne micas quidem perire patiamur, neque eas invideamus Lazaris, pauperibus fratribus, parvulis panem petentibus. Bis ſequentes ſe in deſerto turbas, famelicas, humili diſcubitu modeſtiam profeſſas, magno miraculo pavit, qui eſurientes replet bonis: poſt utrumque prandium, etiam minima fragmenta collecta ſunt. Utroque Teſtamento, quaſi duplici prandio mirabiliter indeficiente, refecit Deus Synagogam primùm, jam Eccleſiam, peregrinantem in terris, cum fame verbi divini & humilitate ad ſe accedentem: nulla ejus mirandæ refectionis fragmenta abjiciamus, ſed in Commentariis velut ſportis quibuſdam aſſervanda reponamus.

Ne apex quidem in illa otioſus. Queritur Chryſoſt. hom. 31. in epiſt. ad Rom. ab ineptis quibuſdam, & craſſis animalibus nominum in Scriptura catalogos atque etymologias ſperni, moxque, ut eorum arguat inſcitiam, ſubdit, *Magnum latere in nominibus theſaurum, ea multarum rerum eſſe monumenta, figuras eſſe, nobis inſtruendis ſcripta.* Obſervat deinde Timotheo, homini licet occupatiſſimo, 1. 4. ab Apoſtolo dictum, *Attende lectioni*, quaſi dicat, non libros ſolùm omnes, ſed & ſingulas eorum partes accuratè expende. Si enim, inquit, aurifabrorum pueri ne minimæ quidem ſcobis aureæ arenulas perire ſinunt, quis ferat qui ſolidas auri maſſas negligunt? Idem hom. 2. de ver. Iſaiæ eoſdem carpens qui dicerent, *Nomina tantùm ſunt, & nihil habent utilitatis: Quid ais*, inquit, *Deus loquitur, & tu auſis dicere nullam eſſe dictorum utilitatem?* Ac paullò póſt: *Quid autem de temporibus, nominibus, ac titulis loquor? Diſce quanti ſit unicæ literulæ additamentum, & deſine tota nomina contemnere:* ac ſtatim ſubjicit, quantum myſterii lateat in mutatione nominis Abram in Abraham, per unicæ literulæ adjectionem. Hæc ex occaſione non inutiliter dicta ſint: ut non tantùm non mirere Lector, ſed etiam gaudeas, ſi quando in Commentariis digreſſiones, ad explicanda & applicanda nomina, reperiſti & reperturus es.

Nomina & cognomina filiorum Mathathiæ. Nunc ad nomina & cognomina filiorum Mathathiæ aggrediamur. De nominibus non ita laborandum eſt, cùm paſſim obvia ſint. De cognominibus major eſt difficultas: cùm Hebraicæ linguæ ſcientiſſimus Serarius noſter dicat, eorum rationem eſſe ignotam. Ponamus tamen illa in medio, ac deinde conemur aliquid ad explicandum, Rabano præeunte. *Ioannes* in Vulgata noſtra *Gaddis* cognominatur, in Græcis Regiis ἰαδδὶς, in aliis καδὶς, in editione Nobilii καδδὶς, apud Joſephum lib. 12. cap. 8. γαδὶς. *Simon* in Vulgata noſtrâ dicitur *Thaſi*, in Græco θασσὶ, apud Joſephum ματθῆς. *Iudas*, in noſtra, & in Græcis cognomen ſuum retinet. *Eleazar* in noſtra *Abaron* vocatur, in Græco αυαρὰν, apud Joſephum αὐρὰν. *Ionathe* cognomen in noſtra eſt *Apphus*, in Græco Nobilii ἀπφοῦς, Regio σαπφοῦς.

Eorum explicatio. Rabano *Ioannes* ſignificat *Dominus gratia ejus; meliùs, Dei gratia* à Jah & Channa: *Gaddis* autem ſeu ut ipſe legit *Gaddi*, eſt *hædus*, ſeu *tentatio mea.* *Simon* ſive *Simeon* id eſt *audiens*, ſive *audivit triſtitiam: Thaſi*, eſt *exploratio gaudii.* *Iudas* id eſt *confitens*, vel *glorificans: Machabæus, bellator:* alias interpretationes dedimus in Prolegomeno ſect. 1. *Eleazar*, *adjutorium Dei* ſonat: *Abaron*, *generationem excelſam.* *Ionathas* ſignificat *donum columbæ*, ſive *Domini ſpontaneum: Apphus*, *fugitivum* vel *milleſimum.* Ita Rabanus, nec longè abludit à vero ſenſu, ni fallor. Nam vel ex ipſa nominum interpretatione colligere poſſumus, non multùm in cognominibus erraſſe: & favet manifeſtè in quibuſdam etymologia Hebræa. *Ghedi* ſignificat *hædum*, imò & *ovem* inde Gaddi. *Thous* per *Teth* ſignificat *feſtinavit*, hinc forſan *Thaſi* deformatum. *Roum* ſignificat *elevavit, exaltavit:* junctum cum *Abi* aut *Abba*, accedet ad *generationem excelſam.* Aphaph eſt *circuire*, inde forſan *fugitivus.*

Allegorica applicatio ad quina Eccleſiæ capita. Hæc ad fulciendam Rabani interpretationem dicta ſint, ut inde ſolidiùs utile aliquid ad noſtram inſtructionem eliciamus. Notavimus ſuprà, Mathathiam Chriſti figuram eſſe: advertemus nunc, etiam quinque ejus liberis præſignificata quinque ſpiritualium Chriſti liberorum genera, fundandæ, propagandæ, defendendæ Eccleſiæ nata. Totidem enim à Paullo enumerantur, Eph. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia: & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Convenit numerus cum liberis Mathathiæ: Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Paſtores, Doctores, quinarium faciunt. Convenit finis officii: quomodò enim Mathathiæ filii ad inſtaurationem Synagogæ; ita hi ad Eccleſiæ bonum à Deo excitati ſunt.

Comparantur particulatim. Non diſconveniunt denique ſinguli ſingulis compoſiti, & eo quidem ordine, quo ab Hagiographo hiſtorico, & à S. Paullo proponuntur. Primus liberorum Mathathiæ *Ioannes Gaddi*, Gratiam Dei & Hædum aut Ovem ſignificat: en *Apoſtolos* qui *Gratia Dei* peculiari *ſunt id quod ſunt*, qui miſſi ſunt ut *oves* in medio luporum, qui *hædorum*, id eſt peccatorum inſtar ab impiis habiti ſunt, *in multis tentati* ut tota vita eorum fuerit *tentatio.* Alter *Simeon Thaſi*, id eſt *Audiens, Obediens, Explorator Gaudii*, aut ſi mavis *Feſtinator:* en *Prophetas*, *audiunt* quæ loquantur; *explorant* gaudia futura, eiſque propoſitis Chriſtianos animant ad certandum; *feſtinant*, quia res longè poſitas prænoſcendo antecurrunt, & ad ventura properant. *Iudas Machabæus*, id eſt, *Confitens, Laudans, Bellator, Subjugator*, Dei magnitudinem pro vexillo circumferens: ecce *Evangeliſtas*, totos in laudem Chriſti, & ejus gloriæ, miraculorum, doctrinæ, vitæ, mortis impenſos, hæreſeon *expugnatores*, ſapientum hujus ſæculi *ſubigatores*, captivantes omnem intellectum in obſequium fidei, *vexilliferos* magnitudinis Chriſti. *Eleazar Abaron*, id eſt *Adjutorium Dei, & Generatio excelſa:* en *Paſtores*, qui à Deo vocati ſicut Aaron, ab eodem talentis officio ſuo neceſſariis ditati, ejus gratia *adjuvante* virtutibus *excelſi*, oves ſibi creditas juvant, & ad *excelſa* paſcua deducunt ubere proventu. *Ionathas Apphus*, id eſt, *Columba donum, Domini ſpontaneum, & Fugitivus ſive Milleſimus:* en *Doctores*, qui *columbæ dono* Spiritus ſancti lumine illuſtrati, ingenium ac ſcientiam *ſponte* ad Dei atque animarum obſequium impendunt, docent homines fugere à ventura ira, & ad beatitudinem æternam, *millenario* ſignifica-

ſignificatam, aſpirare. Iſtorum partem à Rabano mutuatus ſum, quem in Gloſſa ordinaria invenies: partem addidi de meo, ut facile eſt inventis addere. Poteris & tu ſimile aliquid non infructuosè comminiſci, & ecce tibi iterum præeo.

Applicatio Moralis ad quinque Eccleſiæ membra.

Eccleſia modò in quinque membra generatim diviſa eſt, in Prælatos Eccleſiæ, Principes ſæculares, tres ſubditorum ordines, Eccleſiaſticos, Nobiles, Plebeios. Hi ſunt liberi Mathathiæ noſtri Jeſu Chriſti. Aptè *Prælatos Simoni* comparabis: *viri conſilii* ſunt, *ipſi* debent *eſſe* Chriſtianis *Patres*, ut de Simone Mathathias loquetur hoc capite; præterea *audire* à Deo debent quod populis nuntient, *explorare* ac prætentare illis gaudia æterna. *Iudas Machabeus fortis viribus*, qui *populi bellum gerere* debet, & præire cæteris ut *Dux*, monente eodem Mathathia, *Principes ſæculares* ſignificat, quorum iſta munia ſunt: ac præterea *Iudæ confitentes, laudantes*, eſſe debent, id eſt ad Dei honorem rempublicam adminiſtrare, gladium geſtare, bella gerere. *Ionathas Apphus ordini Eccleſiaſtico* reſpondet exactè: *Columbæ dona ſunt; Columbas* ſive Spiritum Sanctum & uſum Sacramentorum *donare debent*, non vendere; Domino *ſponte* ſe offerre; *fugere* mundum & quæ in mundo ſunt; fructum non centeſimum modò ferre, ſed & *milleſimum*. *Eleazar Abaron*, nobilis animi miles, ut loco ſuo dicetur ad cap. 6. verſ. 43. ubi & veriorem cognominis *Abaron* ſeu *Avaron* etymologiam notabimus, quæ & hiſce tropologicis digreſſibus utilis ſit. Is ergo *Nobiles* refert: *Adjutorium Dei* ſunt, gladio ad tuendos Eccleſiaſticos & Plebeios armati: *Generatio excelſa ſunt*, ſupra vulgus natalibus, honore, dignitatibus, utinam & rectè factis, eminent. *Ioannes Gaddi Plebeios* adumbrat: *Gratia Dei* humiles ac pauperes reſpicit, & amplectitur: *Hædi* ſunt & *Oves*: ſæpe non tondentur ſolùm, ſed & deglubuntur, neque inter forfices & cultros vel balare audent: vita illorum plerumque mera *Tentatio*, & afflictio eſt.

Quinarii numeri accommodatio.

In eumdem modum accommodatitio ſenſu ad varia trahi poſſit hic numerus. Ad Ordinis religioſi fundatorem, cui præcipui quinque adjutores, Sancti ex eo ordine celebriores quinque, Provinciæ quinque, &c. Ad Sanctum quemlibet, aut primarium & celebrem virum, cui filii quinque. Ad fidelem animam, rectè ſenſuum quinque miniſterio utentem contra Dei adverſarios. Ut eum ornes numerum, adverte, conſecratum fuiſſe à Deo quinarium in omnibus fermè tabernaculi & templi inſtrumentis atque ornamentis, paſſim in libris Exodi, Numerorum, Levitici, Regum: ut fruſtra ſit ſententias intexere, niſi compilator Biblicarum Concordantiarum eſſe velim. Adverte nominatim, promiſſum Iſraëlitis Levit. 26. ſi Dei mandatis obtempererarent, fore ut ex eis quini centenos hoſtes in fugam præcipites agerent: *Perſequentur quinque de veſtris centum alienos.* Hoc exactè, & ad literam, in Mathathiæ filiis quinque à Deo ſervatum. Servatum item in filiis Sanctorum: qui, exiguo licèt numero, ſæpiſſimè magnas infidelium acies profligavêre, & porrò profligaturi ſunt.

Oculata caritas.

℣. 6. Hi viderunt mala quæ fiebant in populo Juda et in Jerus. Græca habent, καὶ ἴδε, *& vidit*, Mathathias ſcilicet: aptè tamen noſtra pluralem habent, ut indicetur viſum à filiis, quod videbat pater. Nihil oculatius caritate in Deum, religionis ſtudio, patriæ amore. Non vidiſſent, cùm in eorum pupillas involaretur, cùm religio ac libertas, oculis cariora, peterentur? *Mala quæ fiebant*; intelligere poſſis, tum de ſceleribus, quæ patrabant impii gementibus bonis; tum de ſuppliciis, quæ boni patiebantur inſultantibus impiis: Græcè τὰς βλασφημίας τὰς γινομένας, *blaſphemias quæ fiebant*, ut intelligas, Mathathiam ac liberos ſancto religionis zelo magis commotos, quàm naturali patriæ ac libertatis amore.

Mathathiæ dolor.

℣. 7. Et dixit Mathathias. Erumpit clauſus Mathathiæ dolor, & ſuſpiriis ac gemitibus ipſis excitatur & creſcit, ut magnus ignis vento. Parturienti eum comparat Rupertus, lib. 9. de Vict. Verbi cap. 28. Conceperat zelum ſcilicet, parturiebat generoſa pro lege Dei facinora, hinc gemitus. Similem fermè in modum exclamat apud Euſebium S. Polycarpus, lib. 5. cap. 19. hiſtoriæ: ſic & olim Elias 3. Reg. 19. aliique Prophetæ. *Væ mihi*, Græcè οἴμοι, quod eſt, *heu mihi*, vox dolentis, non autem imprecantis.

Tantúsne fuerit, ut optaret non vixiſſe?

Ut quid natus sum, id eſt, inquit Liranus, *minus malum mihi eſſet ſimpliciter non eſſe, quàm tanta mala populi & contemptum cultus divini videre.* Sed dura eſt iſta explicatio; neque enim cuiquam melius eſt non eſſe, quàm eſſe, niſi reprobo ac damnando, qualis fuit Judas, de quo Chriſti pronuntiatum: *Melius ei fuiſſet, ſi non eſſet natus.* Modus ergo iſte loquendi, etiam vulgò uſurpatus, nihil ſignificat, niſi miſerum eſſe ſæculum iſtud præ aliis. *Væ mihi, ut quid natus ſum videre*, &c. Perinde eſt ac ſi dicat: Me miſerum, cur in hæc tempora natus ſum? Quibus malis ſervata es vivax ſenectus? Hac Mathathiæ voce Ambroſius utitur ad claudendam epiſtolam 17. ad Theodoſium Imperatorem, quâ fortiſſimè inſtat, ne cogantur Chriſtiani ad reparandam Judæorum ſynagogam: *Sancti enim*, inquit, *vox eſt; ut quid natus ſum videre contritionem populi mei?*

Quo loco erupeit?

Videre contritionem civitatis sanctæ et sedere illic. Atqui ſuprà dicitur Mathathias v. 1. *ſediſſe in monte Modin*, quomodò igitur hîc ait ſe Hieroſolymis *ſedere*? Reſponſio facilis eſt. Domicilium habebat in Modin, frequentiſſimè tamen commeabat Hieroſolymam ſacrificiorum cauſsâ: imò ibi habitare cogebatur, quando vices erant Joaribææ ſacerdotum familiæ. Quid ſi autem ejus vices in hoc ipſum tempus inciderunt, & Hieroſolymis adeſſe debuit, cùm Templum à Syro-Macedonibus profanaretur, & alia fierent quæ cap. primo deſcripta ſunt? Sed poſt miſeranda iſta ſpectacula, *ſurrexit ab Ieruſalem*, & proripuit ſe in Modin: ubi inter ſuos tutiùs intimum animi dolorem exprimeret, & paullò pòſt juſtæ indignationi habenas laxaret.

Ejus cauſſæ.

℣. 8. 9. 10. 11. 12. Summatim recenſentur calamitates populi Judaici. Inſiſtitur præſertim profanationi Templi, & vaſorum illius: ab illa enim incipit lamentum, & in illa deſinit. *Sancta, Templum, pulcritudo, claritas*, ſeu gloria, Græcè δόξα, idem ſignificant. Eòdem refero quod verſu 11. habetur, *Omnis compoſitio*, ſeu omne ornamentum, Græcè πᾶς ὁ κόσμος. Solebant enim ſancti apud Judæos viri Templum vocare *gloriam ſuam, pulcritudinem, ornamentum*: ut oſtenderent quanti eis eſſent res ſacræ, & religio. Deplorantur etiam v. 9. 10. 11. cædes patratæ, exhauſtæ opes à promiſcuis gentibus, oppreſſa libertas. Inter cædes patratas Vulgata noſtra habet *trucidatos ſenes*, Græca habent νήπια *infantes*. Utrumque verum, ex dictis & dicendis.

Mortis contemptus ex ſenſu miſeriarum.

℣. 13. Quò ergo nobis adhuc vivere? Generoſa lamentationis concluſio. Ex miſeriis

publicis

Digitized by Google

publicis contemptum mortis elicit, ex contemptu mortis ſe ac ſuos audaciores facit. Non ergo illæ ſunt voces vitam projicientis, ex meliorum deſperatione, quomodò Pagani ſæpe ſecerunt: ſed ſe ac ſuos hortantis, ut vitam generosè exponant, tuendæ religioni ac patriæ; eò lubentiùs, quòd inter tanta mala vivere dulce eſſe non poſſit, nec acerbum mori homini pio.

Scindere veſtimenta, quid literaliter & myſticè?

℣. 14. Et scidit vestimenta sua Math. et fil. ejus. Ritu celebrato Judæis, ut paſſim Scriptura teſtatur; imò populis Orientalibus, ubi triſte aliquid ingrueret. *Et operue. ſe cilicus*, Græcè σάκκοις, *ſaccis* cilicinis ſcilicet. Et hoc Judæis frequens, in malis præſertim publicis: habes exemplum etiam in impio Rege, 4. Reg. 6. Piè Rabanus, allegoriam ſuam ſecutus, dicit à Chriſto, ob publica mala generis humani, ſciſſas ſuas veſtes, id eſt corpus, animæ indumentum: ſumptum etiam cilicium, non quòd umquam cilicino ſacco Chriſtus indutus fuerit, ſed quòd ſumpſerit ſimilitudinem carnis peccati; cilicium autem figura eſt peccatorum, quia ex pilis hædinis conficitur; hædi verò pro peccatoribus ponuntur ad ſiniſtram, ab ovibus in judicio diſcreti. Filii præterea Mathathiæ, id eſt Apoſtoli aliique Chriſti diſcipuli, pro ſalute fratrum & Dei gloria, *veſtimenta ſua ſcidêre*, tum ſpontaneis corporis afflictationibus, tum tormentis per alios illatis: *& operuerunt ſe ciliciis*; peccatorum, impiorum, ſacrilegorum inſtar habiti ſunt. Diſcant & hinc Prælati, Sacerdotes, Eccleſiaſtici omnes in publicis malis, ad implorandam Dei clementiam, humilem, non animi ſolùm, ſed & corporis habitum, & cruciatus aliquos ultro ſuſcipere.

Solicitantur Modinitæ ad idololatriam.

℣. 15. Et venerunt illi qui mis. erant a Rege Antiocho, ut cog. eos, qui conf. in civ. Mo. immol. et accend. thura, et a lege Dei discen. Græcè breviùs iſta dicuntur, in idem tamen recidunt. καὶ ἦλθον οἱ παρὰ τοῦ βασιλέως, οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποστασίαν, εἰς μοδεῒν τὴν πόλιν, ἵνα θυσιάσωσι: *Venêre qui à Rege, cogentes apoſtaſiam in Modin urbem, ut ſacrificarent.* Ut Judæi ſcilicet *ſacrificarent* ex edicto Regis, iſtis Antiochi emiſſariis cogentibus. Poſſimus etiam intelligere ex illis textus Græci verbis, miniſtros Regios eo primùm fine veniſſe in Modin; *ut* ipſimet palàm idolis *ſacrificarent*, deinde ad apoſtaſiam ſeu defectionem à fide *cogerent* Modinitas, & alios Judæos, qui eò refugerant: quæ defectio in Vulgata noſtra exprimitur per verba *Immolare, accendere thura, à lege Dei diſcedere.*

Defectio quorumdam aliorum conſtantia.

℣. 16. Et mul. de pop. Isr. consent. accesserunt ad eos. Græcè non habetur *conſentientes*, ſed ſatis intelligitur ex voce προσῆλθον, *acceſſerunt*. *Sed Mathathias & filii ejus conſtanter ſteterunt*, Græcè συνήχθησαν *convenerunt*, quaſi agglomerati; ut, velut globo facto, fortiùs reſiſterent hoſtibus fidei & eorum aſſultus frangerent. Aut, *congregati ſunt*, id eſt vocati à Regio miniſtro, ut ſacrificio intereſſent: & hunc ſenſum video Saliano magis placuiſſe.

Reſondere pro loqui.

℣. 17. Et respondentes, qui missi erant a Rege dixerunt, Mathat. Notiſſimo Hebraiſmo *reſpondere* dicuntur etiam, qui primi incipiunt loqui, quaſi ad mentem alterius loquantur, & cogitationi ejus reſpondeant. Ita hîc Regii miniſtri reſpondent Mathathiæ, priùs non locuto, quod ſciatur. Niſi dicas, etſi id Scriptura non exprimat, zelum Mathathiæ, in eo ſacrificii apparatu & defectione Judæorum, tacitum non fuiſſe: nec juſtum dolorem ab eo ita claudi potuiſſe, ut vocibus aliquibus foras non erumperet.

Princeps, id eſt non tantùm primarius civis, ſeuè primoribus, quomodò ſæpe Latinè vocamus principes civitatis: ſed ἄρχων, ut Græcè habetur, id eſt imperans: unde colligo non primum modò magiſtratum ſeu archonta, quales Athenis olim erant, ejus oppidi fuiſſe, verùm etiam dominum. Vocatur etiam *clariſſimus, & magnus in civitate*, ſeu urbe Modin. Græcè pro *clariſſimus* habetur ἔνδοξος, *inclytus*, ſeu *gloriâ clarus*: quem titulum Interpretes, ex tanti herois meritis, expreſsêre ſuperlativo; nunc admodùm pervulgato, pro ævi noſtri more, ut tituli excreſcant, & multiplicentur in immenſum. Mathathias quomodo Princeps?

Ornatus filiis Filii ornamenta ſunt patrum: *Gloria patris filius ſapiens*, quid filii plures ſapientes? Aiunt matrem quamdam, rogatam ab æqualibus ut mundum ſuum, gemmas, ac torques oſtenderet, liberos produxiſſe, quaſi non alio magis ornamento gloriaretur. Sic & ſancta mulier Anna, obtento filio Samuele, & ad tabernaculum deducto, 1. Reg. 2. canit: *Exaltatum eſt cornu meum*, id eſt gloria, poteſtas, honor: quaſi omne ipſi decus, Dei beneficio, per filium Samuelem acceſſiſſet. Ennodius, in vitâ S. Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi, cùm de ejus parentibus ageret: *quid illorum*, inquit, *retexam ſanguinis prærogativam, quorum familiæ & nobilitatis caput eſt filius?* Matri mundus mulíebris pretioſiſſimus, patri decus & ornamentum maximum, parenti utrique clariſſima nobilitas virtus liberorum: minor ab avis & atavis gloria, quàm à poſteris. Græcè habetur ἐστηριγμένος, id eſt *fultus*: filii non modò ornamenta ſunt, ſed & fulcra parentum, uti ad v. 3. cap. ultimi breviter obſervabimus: animos eorum, vitam, familiam fulciunt. Hinc vulgò liberos probos parentibus dicimus eſſe, ſcipionem ſenectutis; nonne & inde Scipionum Romanorum clariſſima familia, quòd ejus cognominis primus auctor patri ſeni, ac cæco, vice ſcipionis eſſet? Additur in textu, Mathathiam abundâſſe *fratribus*, id eſt phraſi Hebraica, conſanguineis, altero poſt filios potentiæ ſtabilimento. Ornamenta & fulcra parentum, liberi.

℣. 18. Et accede prior, πρῶτος, primus. Unde colligitur neminem adhuc ex Judæis ſacrificâſſe, etſi v. 16. aliqui acceſſiſſent ſacrificaturi. Primas ſcilicet deferri volebant Mathathiæ, tum quia principi civitatis; tum quia fore ſperabant, ut populus omnis ejus exemplum ſequeretur, cùm *qualis* eſt *rector civitatis, tales* ferè ſint *habitantes in ea.* Ut autem faciliùs induci ſe ſinat, proponuntur ipſi exempla non gentium modò exterarum, ſed etiam Judæorum, *qui remanſerunt in Ieruſalem*, οἱ καταλειφθέντες, id eſt *relicti* ſunt, & à Syro-Macedonibus permiſſi habitare Hieroſolymæ: ibi enim tunc nullis eſſe licuit, niſi idololatris. Ad extremum promittitur gradus *inter amicos Regis*, & eris *magnificatus tu, & filii tui*, σὺ, καὶ ὁ οἶκός σου, *tu, & domus tua, auro, & argento, & muneribus multis*, ſive ἀποστολαῖς πολλαῖς, id eſt rebus, quæ ad te mittentur, nempe à Rege ac Regiis miniſtris. Vides tribus validiſſimis machinis fruſtra arietatum Mathathiæ firmiſſimum pectus: à laude, ad conciliandum animum: ab exemplis, ne pudor abſterreret: à ſpe amicitiæ Regiæ, & opum, quibus magnitudo & gloria apud homines inniti ſolet. Tripliciter tentatur Mathathias.

℣. 19. 20. 21. 22. Continetur reſponſum à Mathathia intrepidè, clara & magna voce, ut à Reſpondet intrepidè.

pluribus

Digitized by Google

pluribus audiri poſſet, redditum: ſe, liberos ſuos, fratres, id eſt conſanguineos, numquam eò venturos impietatis, ut Dei legem edicto Regio poſthabeant: fruſtra ingeri ad tantum facinus turbam exemplorum, & inanes utilitatis illecebras. In textu nihil eſt difficultatis, pauca ſolùm noto in quibus Vulgata noſtra à Græco diſſonat, eódem tamen recidente ſententia. v. 19. *Etſi omnes gentes Regi Antiocho obediunt*, εἰ πάντα τὰ ἔθνη τὰ ἐν οἴκῳ τῆς βασιλείας τοῦ βασιλέως, ἀκούουσιν αὐτοῦ: id eſt ad verbum, *ſi omnes gentes, quæ ſunt in domo regni Regis, audiunt illum.* v. 20. *Obediemus legi* πορευσόμεθα ἐν διαθήκῃ, *ambulabimus in teſtamento.* v. 21. *Deus* & *Dei* Græcè non habentur, omittitur etiam *non eſt utile*: ut ſit ſenſus, *abſit relinquamus* &c. v. 22. non habetur Græcè *nec ſacrificabimus*: pro *legis mandata*, Græcè λατρείαν, *cultum, adorationem. Ut eamus alterá viâ*, παρελθεῖν τὴν λατρείαν ἡμῶν, δεξιὰν, ἢ ἀριστερὰν: *tranſgredi religionem noſtram, ad dexteram, vel ad ſiniſtram.*

Præſens exemplum malum.

℣. 23. Ut cessavit loqui verba hæc acces. qui. Judæus &c. Forſan ad hoc ipſum à miniſtris Regiis comparatus, ut verbis exempla præſentia conjungerentur, inquit Salianus, & illis vehementiùs legis ſuæ tenaces permoverentur; nec puderet ſequi, ſi præiſſe puduerat. Sed res mox aliter Dei juſtiſſimo judicio impiis cedet, & hinc recuperandæ libertatis, & reſtituendæ religionis, fiet initium.

Dolor Mathathiæ.

℣. 24. Et vi. Math. et doluit: eò magis, quòd ſtatim poſt tam nobilem fidei profeſſionem, cogebatur tam infamem abjurationem contueri. *Doluit*, Græcè dicitur ἐζήλωσε, *zelo accenſus eſt.* Optimè tamen noſter vertit, *Doluit*, quia primus motus zeli dolor eſt, ex conſideratione rei contra gloriam Dei vergentis. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* En dolor: deinde ira exurgit ad repellendum malum; unde dicuntur *contremuiſſe renes* Mathathiæ, ſive viſcera omnia, quæ nomine renum ſæpe in Scriptura ſolent ſignificari. Motu juſti doloris atque iræ concuſſa ſunt viſcera amantis Deum, & magnanimi ſenis. *Et accenſus eſt furor ejus*, ἀνήνεγκε θυμὸν, *extulit iram*, id eſt præ ſe tulit, demonſtravit manifeſtis ſignis iram: quam noſter *Furorem* nominat, tum quia *Ira furor brevis eſt*, tum ut efficaciùs exprimat quantopere fuerit commotus. Non fuit autem indecora commotio ſapienti ſeni, etſi multa Stoïci parum ſapienter in iram declamaverint, & in his Seneca fusè libris de Ira. Eſt enim viri fortis, iræ paſſione, qua ſanguis & præcordia moventur, uti in loco ac tempore, ut præclarum aliquod facinus promptiùs exerceant: Ariſtoteles Ethicorum 4. & poſt eum D. Th. ac Theologi paſſim. Sic autem uſus eſt ea paſſione Mathathias noſter, *ſecundùm judicium Dei*, ſeu ut Græcè habetur ſimpliciter, κατὰ τὸ κρίμα, *ex judicio*; quaſi dicat, eum motum animi ex ratione fuiſſe, & ratione quidem divina: tantùm abfuit, ut vel præveniret, vel abriperet, vel obſcuraret rationem, quemadmodùm ſolet ira illaudabilis; quâ quiſquis fertur in fratrem ſuum, *reus erit judicio* inquit Chriſtus, quia iratus fuit non *ſecundùm judicium.*

Qui occiſus à Mathathia Judæus?

Et insiliens trucidavit eum super aram. Nomen miſeri illius fruſtra quæremus: cùm Joſephus 1. de bello cap. 1. Bacchidem, lib. 12. c. 18. Apellem videatur appellare. *Derelinquentes te, ô Domine, in terra ſcribentur: Delebuntur de libro viventium.* Nec conſtat de modo cædis: commune enim multis mortis generibus eſt, quod Vulgata noſtra habet, *Inſiliens trucidavit.* Apud Serarium Joſippus Hebraicus monomachiâ, ſeu duello, occiſum refert: ſed citra ullam veriſimilitudinem. Quæ enim monomachiæ, in tam ſubito caſu, ac motu, ſpecies eſſe potuit? Apud eumdem Gorionides ait, ſacrificanti caput abſciſſum, ut truncum corpus in ſacrilegam aram caderet, caput ad pedes miniſtri Regii volveretur. Sed heus bone, *nondum artis erat caput enſe rotare*, ut Lucanus loquitur lib. 8. agens de Pompeii morte. Accedit propiùs ad verum Hegeſippus lib. 1. cap. 1. *Mathathias*, inquit, *ſacerdos non ſolùm ipſe temperavit à ſacrilegio, verùm & immolantem ſimulacris hoſtias de popularibus ſuis gladio transverberavit.* Græcè tamen habetur δραμὼν ἔσφαξεν, *currens jugulavit*: σφάττειν enim propriè eſt jugulare. Scio quidem, jugulandi verbum ſæpe ſumi pro modo cædis quolibet, qui patretur etiam non petito jugulo. At quid vetet hic in præciſa ſua ſignificatione ſumere? cùm potuerit Mathathias pugione aut acinace in jugulum impuri apoſtatæ involare, ut impius ſacrificator victima juſti zeli, inſtar victimæ quam idolo parabat, caderet?

Quot alii interfecti?

℣. 25. Sed et virum, quem Rex Antio. mis. qui cogebat immol. occ. in ipso temp. et aram destruxit. Emiſſarium Regium addit alteram zelo ſuo victimam. Gorionides ait unum è principibus miniſtris cæſum, proculcatos ſatellites plures. Credibile omninò eſt in eo tumultu, etſi cædes duæ ſolùm numerentur, multa ſaltem fuiſſe vulnera. Neque enim ſine aſſeclis venerat miniſter Regius, nec ſociis caruiſſe putandus eſt Judæus apoſtata: nec, patre ferrum ſtringente, Mathathiæ liberi inertes gladios tenuerunt. Quare Joſephus narrat, non Regium ſolummodò miniſtrum, quem nunc Apellem vocat, nunc Bacchidem, interfectum: verùm & ipſius aſſeclas milites, irruente cum filiis Mathathia.

Quo jure cædes à Mathathia patratæ?

Quærendum hîc eſt in tranſcurſu, quo jure Mathathias & Judæum, & Miniſtrum, occiderit? Jure enim utrumque interfectum fuiſſe dubitari non poteſt: cùm id dicatur factum *ex judicio legis*, & mox verſu 26. comparetur zelo Phinees; cujus facinus à Deo ſummopere commendatum fuit, & compenſatum promiſſo perpetuandi in ipſius familia ſummi Sacerdotii. Quæritur itaque, quod illud fuerit Mathathiæ jus ad patrandas cædes, Naturale, an Divinum: Religioſum, an Politicum: Ordinarium, an Extra ordinem? Naturale fuiſſe non videtur: cùm nec ſalutis ſuæ, nec vitæ tuendæ cauſsâ, ad iſtos occidendos Mathathias cogeretur. Licèt enim ad idololatriam eum verbis ſolicitâſſent, vim tamen apertam nondum, quod ſciamus, inferebant; &, ſi vim afferrent, aliter forſan ſibi cavere poterat.

Non Divinum aut Religioſum.

Divinum non fuit: etſi enim jure divino Ex. 22. lex lata ſit: *Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli*: tamen ejus legis executio non demandatur privato cuilibet, ſed legitimam habenti poteſtatem, qualem tunc Mathathias non videtur habuiſſe, cùm nondum Pontifex ſummus, Judex populi, & Dux electus fuiſſet. Et hinc ulteriùs ſequitur, neque Religioſum jus, ſive ratione ſacerdotii, ad idololatram interficiendum habuiſſe: neque enim ſacerdoti cuivis ea vindicta licebat; niſi vel ab habente poteſtatem ordinariam, Rege, aut Judice, aut Duce populi, id ipſi committeretur; vel extra ordinem à Deo juberetur.

Supereſt

Digitized by Google

Non Civili.

Supereſt itaque Jus Politicum ſeu Civile, quod forſan Mathathias habuit in oppido Modin, cùm ejus eſſet Princeps ſeu ἄρχων, ut v. 17. obſervatum eſt. Sed ut demus verè dominum oppidi, non magiſtratum tantummodò fuiſſe, quo pacto probare poterimus, iſtis ſubjectis dominis apud Judæos jus vitæ ac mortis in ſuos, iſtis temporibus ac caſibus, fuiſſe?

Sed Extraordinario aut Naturali.

Malim itaque dicere: primùm, optimum ſenem indignitate facti commotum, in eo articulo putâſſe, ſibi licere vindictam publicam, quæ à nullo alioqui ſperanda erat, cùm lex Judaica ubique proculcaretur. Deinde, non dubito impulſum à Deo vehementi ac ſubito motu; unde illæ Hagiographi voces, *furor ſecundum judicium legis*, *zelatus eſt legem ſicut fecit Phinees*: fuerit itaque hoc pacto datum illi jus à Deo extra ordinem. Denique redeo ad Jus Naturale; per quod licet hoſtes & invaſores injuſtos, juſto moderamine ſervato, occidere. Ejuſmodi erant miniſter Regius, apoſtata impius, aliique: à quibus publico privatoque bono immolandis, egregios ſuos pro Deo, patria, vitaque ac ſalute ſua, & ſuorum, conatûs Theodotus noſter inchoavit.

Phinees & Mathathias comparantur.

℣. 26. Et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. Hiſtoriam habes Num. 25. ut transſcribere huc non ſit neceſſe. Fornicationem poblicam ille ultus eſt, hic idololatriam, quæ fornicatio ſpiritualis paſſim in Scriptura appellatur. Ille ictu uno confôdit peccantem utrumque, quæ induxerat, qui conſenſerat: hic eodem fermè momento jugulat eum qui jubet ſacrificium, & qui obtemperat. Dignus planè abavo abnepos: imò eò mirabilior, quòd longè majori cum periculo tantum facinus auſus eſt. Abire hinc non poſſumus, quin aliquid de zelo loquamur.

Zeli natura.

Celebratur in laudem zeli vox Ambroſii, in pſ. 118. *Zelus Dei vita eſt.* Eleganter id dictum, & valdè commodo ſenſu, uti dicimus, vitam hominis eſſe caritatem, aut quid ſimile. Si tamen eam ſententiam ſic aliquis interpretari velit, quaſi proprius Vitæ divinæ conceptus ſit zelus, non ita exactè loquatur ad Theologiæ regulas: in aliis enim Theologi proprium vitæ Dei conceptum ponunt; in intellectione plerique, quia iſte actus radix cæterorum eſt, nemo quem ſciam in zelo. Solidè S. Th. 1. 2. q. 28. art. 4. dicit, zelum eſſe *Ardorem & intenſionem caritatis, contrarium repellentis.* Conſule ipſum ſi lubet: interim ab inferioribus amoribus ad ſummum iſtum gradatim aſcende, ut quid ſit intelligas. Amicum amas ſeriò, ardenter? Non patiêre te audiente de ejus fama detrahi, continere te non poteris quin teſtêre ægritudinem animi, forſan & amor te longiùs abripiet: quomodò Gundebergæ Taurinorum Principis famam, cùm de veneficio falsò inſimularetur, domeſticus ultus eſt duello publico, id ætatis non vetito: apud Raderum, Bavariæ San. t. 1. Vide & 1. Reg. 20. zelum Jonathæ pro Davide amico. En zelum, en caritatis ardorem contrarium repellentis, ſive rem bono amici inimicam. Audis Principis tui famam lacerari: ſi valdè amas, exardeſcis ad prohibendum dedecus: en zelum. Audit 2. Reg 16. Abiſaï maledicum hominem invehentem in David: accenditur juſtæ vindictæ deſiderio: ſanguine convitiatoris injurias ibat expiatum, niſi prohiberetur: en zelum. Quem etiam zelum Salomon, convitiatore illo poſt mortem patris occiſo, exercuit.

Et ardor.

Eundem in modum caritas divina agit in pectore fideli, ſi intenſa, ſi vehemens eſt, ſi ardet. Alioqui remiſſa, timidior eſt, pericula nimis attendit; ita cavet ſibi, ut amato non ſatis. Conſidera Phineen & Mathathiam, quæ nobis exempla modò proponuntur: Deum amant ardenter, ejus cultui ac gloriæ conſultum volunt, ipſis ſpectantibus in Dei cultum peccatur; ſtatim armatur zelus ad repellendum, quà poteſt, malum amato contrarium, & quia infectum fieri nequit, ad ulciſcendum. Habes igitur primò unde zelus oriatur, ſecundò quid ex zelo oriatur, cauſſam ejus & effecta. Oritur ex amore vehementi, cujus eſt non modò bonum velle & quærere amato, ſed etiam malum omne averſari & avertere, quà poteſt. Hinc zelus honoris Dei odit peccata; impedit, ſi poteſt; ſi impedire non poteſt, aut vindicat, cùm adeſt jus & facultas; aut dolet, cùm non adeſt.

Qui eo uti debeant?

Unde colligas zelum virtutem eſſe, non Prælatorum ſolùm, aut magiſtratuum, qui ſine cauſſâ gladium non portant, ſed & Chriſtianorum quorumvis. Iſtorum quidem eſt, vindictam expetere de impetentibus gloriam Dei. Sint, quod Bern. 4. de Conſideratione Eugenium Pontificem monebat, *Ægyptiis Moyſes, fornicatoribus Phinees, Helias idololatris, Heliſeus avaris, Petrus mentientibus, Paulus blaſphemantibus, negotiatoribus Chriſtus.* Meminerint, quod lib. 1. epiſt. 6. Petrus Dam. monebat, *Maledictum* pronuntiari Jer. 18. *qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*: id eſt, ex ipſius interpretatione, *qui ſe ab inferenda improbis ultione digna coërcet.* At omnium Chriſtianorum eſt, impedire aliena peccata, ſi poſſint: gemere, orare, ſi id non poſſint. *Unumquemque Chriſtianum*, inquit Aug. Tract. 10. in Joan. *zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum eſt.* Rationem ſubdit: *Non enim eſt major domus tua, quàm domus, ubi habes ſalutem ſempiternam. Domum tuam intras propter ſalutem temporalem: domum Dei intras propter ſalutem ſempiternam. Si ergo in domo tua, ne quid perverſi ſit, ſatagis: in domo Dei, ubi ſalus repoſita eſt, & requies ſine fine, debes pati, ſi quid fortè perverſum videris?* Deinde poſt pauca idem inculcat, & ad zeli exercendi particulares occaſiones deſcendit: *Unumquemque Chriſtianum zelus domus Dei comedat. Verbi gratiâ, vides fratrem currere ad theatrum: prohibe, mone, contriſtare, ſi zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, & inebriari velle. Prohibe quos potes, quibus potes blandire, noli quieſcere.* Denique ad praxin ſubjungit: *Si amicus eſt, admoneatur leniter: uxor eſt, ſeveriſſimè refrænetur: ancilla eſt, etiam verberibus compeſcatur.*

Erga quos?

Ulteriùs diſcamus, zelo non eſſe acceptionem perſonarum; odio peccatum illi eſſe, ubicumque ſit: non modò Agag & pinguiſſimis gregis, id eſt divitibus & honoratis non parcere, ſed nec ſumma neceſſitudine & propinquitate conjunctis. *Zelum Dei qui habent*, inquit Ambr. in pſ. 118. *omnes ſibi inimicos putant, quamvis patrem, fratres, ſorores.* Nonne idem innuebat Chriſtus Mat. 18. cùm, ubi de peccato agitur, nec pedibus, nec manibus, neque oculis ipſis parcendum ait? Id eſt, ut Chryſoſtomus explicat lib. 1. de Comp. & Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 24. ignoſcendum non eſſe etiam ipſis, qui vel auxilio, vel conſilio, vel propinquitate, vel amicitiâ, pedum, manuum, oculorum inſtar nobis ſunt.

Etiam erga proximos.

Sic Propheta Regius non paſſus in familia ſua habitare, qui faceret ſuperbiam; & detrahentes proximo perſecutus, quia peccatores. Sic Coſmus Medices, Hetruriæ Dux, Pio V. repetenti profugum in Hetruriam Româ hæreticum profeſſus eſt,

etiam

etiam ob id crimen filium à ſe ad extrema ſupplicia deditum iri. Sic Berœenſis in Aſiâ civitatis vir primarius, filio apoſtata ejecto & exhæredato, rogatus à Juliano apoſtata, ut eum reciperet, conſtantiſſimè negavit umquam ſibi filium fore, qui Deo non foret. Vide Bar. tom. 4. an. 363. Illuſtriſſimum in eo genere facinus narrat Principia viri Cæſarius, lib. 9. cap. 38. eumque, ut ſibi notum, nominat Ertempaldum de Burbam. Æger decumbebat, audit vociferationem in platea, interrogat ſuos quid rei: narratur nepotem ipſius, ex fratre an potiùs ex ſorore, vim mulieri inferre conatum. Capitale factum erat, fert igitur in eum mortis ſententiam, jubetque ſtatim plecti reum, & ſpem veniæ omnem abſcindit. Ceſſavêre tamen miniſtri, rati mollitum iri ſeveritatem mora aliquâ. Quinto die introſpiciebat imprudens nepos in cubiculum, ubi jacebat æger avunculus, vocatur quaſi ad confabulationem, aſſidet: inter colloquendum avunculus pugione clam nudato nepotem confudit, cadaver mandat efferri. Æger interim cùm ſentiret paullatim vires deficere, Epiſcopum advocandum curat, confitetur cum lacrymis, inter peccata cædem nepotis non numerat. Epiſcopo miranti, cùm res nota eſſet, & roganti cur non confiteretur, reſpondet: ſe in ea peccatum non agnoſcere, adeoque nolle confiteri. Neque ego igitur, inquit Epiſcopus, te Communione dignabor. Ut voles, inquit æger: ſed ſcito, à me id facinus ex zelo & officio patratum. Abibat Epiſcopus cum ſacra hoſtia: ſed hæc è pyxide, ipſo inſcio, in os ægri evolat. Revocatus ex itinere Epiſcopus, aperta pyxide, deprehenſo hoſtiam abeſſe, miraculum agnoſcit, videtque non abſolutum modò, ſed laudatum à Chriſto facinus, quod ipſe crudelitatem exiſtimârat. Conſule, ſi plura de ea hiſtoria voles, auctorem, loco citato; & ſcias factum illud inter miranda reponendum potiùs, quàm inter imitanda.

Qua temperatione? Zelus enim, qui caritatis in Deum apex eſt, ſed ſine caritate in proximum conſtare non poteſt, uti nec caritas in Deum, ſic adversùs peccatum exardeſcit, ut peccatori, ſi poteſt, conſulat; & deſtruat quod ab homine malè factum eſt, hominem ipſum à Deo benè factum ſervet. Hinc ſapienter Sanctorum monita, de jungendis vino & oleo, manna & virga, ut Gregorius ſcribit lib. 20. Mor. cap. 8. affertque exemplum Moſis, qui cauſſam *populi apud Deum precibus, cauſſam Dei apud populum gladiis allegarit*, hîc zelum, illic caritatem erga proximum exercens. Contrà autem Carpi notiſſima ex Dionyſio hiſtoria eſt. Didicerat, neophytum Chriſtianum ab idololatra ad defectionem à religione adductum. Ad tanti ſceleris nuntium zelo exarſit, juſto quidem, ut rebatur, ſed ad prudentis ac Chriſtianæ caritatis regulam non exacto. Æternas utrique pœnas devovebat, nullum enim aliud iſti crimini par eſſe ſupplicium: geſtiebat etiam, cùm per viſum uterque oblatus eſt pronus ad inferos, quaſi ad oram præcipitii, avebatque cunctantes impellere. At Chriſtus supernè conſpectus monuit, ſe, qui offenſus foret, peccatum quidem odiſſe, at pro peccatorum iſtorum ſalute mortales miſerias iterum non recuſaturum.

Zelus adulterinus. Eodem ſpectat cantatiſſima Eliæ viſio, poſt cæſos Pſeudo-prophetas profugi, 3. Reg. 19. Ubi notandum, non tantùm in ſibilo auræ tenuis Dominum apparuiſſe, ſed etiam Eliam de ſpelunca in montem, de obſcuro loco in editum & clarum, de nigræ triſtitiæ & iræ furvo antro ad lucidam & excelſam animi pacem, prodire debuiſſe: antequam viſum ipſi ubjiceretur Domini tranſeuntis, non in commotione, neque in igne. Iſaias cap. 59. deſcribit Deum, gloriæ ſuæ defendendæ arma ſumentem, opertum *quaſi pallio zeli*. Dicit quaſi pallio zeli, non autem abſolutè pallio zeli; quia revera Deus, in ſumma tranquillitate judicans, motum zeli non habet, ſed ſic ſe gerit, quaſi haberet. Quàm multi ſeſe induunt, *quaſi pallio zeli*, ut paſſiones iræ, invidiæ, vindictæ, tædii, triſtitiæ, aliorumque pravorum affectuum contegant? Ira & tædio laborabat tunc Elias, dicit tamen *zelo zelatus ſum*, ſed inconſulto; *opertus quaſi pallio zeli*. Paterfamilias iracundus efferveſcit immoderatè adversùs vitia ſuorum, & quaſi leo ſubvertit domum ſuam; *opertus quaſi pallio zeli*. Aliquis partium inter Chriſtianos Principes affectibus illigatus, damnat Monarcham, conſilia, exercitus, per ſpeciem religionis; *opertus quaſi pallio zeli*.

Zelus erga nos ipſos. Prudentiſſimus, & ſine præcipitis ardoris periculo zelus, erga nos ipſos exercendus eſt. Monet Ambr. in pſ. 118. *Non ſolùm locum Eccleſiæ zelare debemus, ſed hanc quoque interiorem in nobis domum.* Item illud explicans Cant. 8. *Dura ſicut infernus æmulatio: Durus*, inquit, *ſicut inferi zelus, quem nulla vincit vita hujus illecebra; durus, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo.* Zelum habere cupis, & ejus materiam? Multa, ni fallor, in te eſt. Nihil paſſiones, nihil ſenſus, nihil vitia contra Dei gloriam moliuntur? Numquam lingua, numquam oculi, numquam manus exerrant? Numquam in ara cordis tui idolis honoris, famæ, dignitatum, commodorum temporalium ſacrificatur, aut ſaltem ſuffitus aliquis ſuſpirio ac deſiderio inani vaporatur? Tibi ipſi eſto Phinees, tibi Elias, tibi Mathathias, & gratiſſimum Deo, ſecuriſſimum, prudentiſſimum, maximè neceſſarium zelum habueris.

Mathathiæ, & Principis exemplum. ℣. 27. ET EXCLAMAVIT VOCE MAGNA MATHATHIAS IN CIVITATE, DICENS: Poſt cædem patratam, in ipſo loco exclamâſſe non dubito, deinde idem ab ipſo ſæpiùs dum per plateas iret, idem à filiis inclamatum: *Omnis qui zelum habet legis, ſtatuens teſtamentum*, Græcè *conſtituens, ſeu, ſtabile facere volens teſtamentum*, ſeu pactum cum Deo initum de ſervando ejus cultu: *Exeat poſt me*, me ſequatur. Qui alios ad virtutem efficaciter movere vult, agat ſimul & dicat; non clamet facite, ſed, faciamus. Ita Heros noſter ducem ſe præbet ad præclarum facinus aſſerendæ religionis, & exemplum: quod de Catone ſuo Uticenſi, per Africæ ſolitudines exercitui præeunte, Lucanus lib. 9. *Monſtrat tolerare labores, Non jubet.* Neque enim fortiùs dixit, quàm fecit: *Primus arenas Ingrediar, primúſque gradus in pulvere ponam.* Mathathias primus è civitate Modin erumpit cum liberis, patriam, domum, ſupellectilem, omnia ſua relinquit, ut habetur v. 28. Nam convaſare non libuit, aut non licuit, in tam præcipiti fuga, & metu, ne Syro-Macedones ad vindicãdam miniſtri Regii cædem convolarent.

Multi ſecuti Mathathiã. ℣. 29. 30. TUNC DESCENDERUNT MULTI, QUÆRENTES JUDICIUM ET JUSTITIAM IN DESERTUM. Non ſolùm ex urbe Modin exiêre, ſed etiam ex aliis Judææ urbibus, nominatim Hieroſolymâ, ubi maximè fervebat perſecutio.

Quò fugerint? Quod autem *deſertum*, quò fugêre, præſertim cùm v. 28. Mathathias dicatur fugiſſe ad montes? Rabanus putat nomine deſerti valles intelligi, & hinc elicit allegoriam ſuam de Judæis, qui orto

gratiæ

gratiæ lumine ad umbram tamen legis confugêre, & ſabbathum obſervare voluerunt, atque ideò periêre. Elicit item tropologiam de Chriſtianis deſidinſis, deſerta quærentibus, ubi ſpiritus immundus circuit per loca inaquoſa, & requiem non invenit. Sed non video, cur *Deſertum* interpretemur valles, præſertim cum Græcè habeatur *ἔρημον*, *Solitudinem*. Fugêre itaque illi ad eamdem montanam ſolitudinem, ad quam Mathathias: id eſt, ut opinor, ad Judææ montana, & quæ inter illa lacumque Aſphaltiten interjacent ſolitudines Thecue & Ziph. Neque enim in uno loco conſtitiſſe exiſtimandi ſunt; ſed mutâſſe, prout commodum erat, tum ad ſe occultandos, tum ad pecorum, quæ ſecum duxerant, paſtum, ut habetur v. 30.

Syri perſequuntur profugos.

℣. 31. Et renuntiatum est viris Regis, &c. Nihil in hoc verſu ambiguum, niſi extremo, *& abiiſſent poſt eos multi.* Græcè enim habetur, *cucurrerunt poſt eos multi.* Dubitari poteſt, an hoc referatur ad profugos, qui Mathathiam ſecuti ſunt; an verò ad milites, qui eos aſſecuti in ſuis latibulis oppreſſerunt. Hic ſenſus magis accedit ad Græcum, alter placuit magis interpreti Vulgatæ noſtræ. Uterque verus: poſterior tamen aptiùs hæret cum ſequentibus, eumque expreſſit verſio Tigurina.

Aſſequuntur.

℣. 32. 33. Et statim perrexerunt ad eos. Græcè ad verbum, *& aſſecuti illos, caſtra poſuerunt adversùs eos.* Sequitur conſilium adoriendi Judæos ſabbatho, deinde hortatio ad deditionem, & obtemperandum edicto Regis, ſi velint vivere v. 33. Ubi Vulgata noſtra habet, *Reſiſtitis & nunc adhuc? Exeuntes* &c. Græcè habetur, *adhuc exeuntes* &c. quaſi dicant: nondum deſperata gratia eſt: ſi nunc exitis, & ſabbathum violatis obediendo Regi, vobis parcitur.

Suffocant non reſiſtentes.

℣. 34. 35. 36. 37. Et dixerunt: Non exibimus &c. Duo ipſis imperabantur: primùm, ut è locis occultis, ſeu ſpeluncis aut anguſtiis montium, quò ſe abdiderant, procederent: alterum, ut ſabbathi legem violarent. Utrumque præcisè negant. Illicò Syro-Macedones, quorum dux erat Philippus urbis Hieroſolymitanæ præfectus, ut habetur lib. 2. cap. 6. v. 11. *concitaverunt, ἐτάχυναν, properaverunt adversùs eos prælium.* Colligitur ex libri ſecundi loco citato, non tam ferro, quàm flamâ, adversùs eos pugnatum; quod facile fuit, excitatis ignibus ad ora ſpeluncarum & inter anguſta montium: quomodò apud Tacitum, Annalium 14. Corbulo in Armenia fecit: *immitis iis, qui latebras inſederant, ora & exitus ſpeluncarum ſarmentis virgultiſque completos, igni exurit.* Judæi innocentes *non reſponderunt* aggredientibus, id eſt, non repugnaverunt, *ne lapidem* quidem miſerunt; imò neque obſtruxêre aditus latibulorum ſuorum, ut jacula, fumus, flamæ ad ſe penetrare non poſſent: contenti *ſimplicitate*, id eſt innocentiâ ſuâ, & invocatis *cælo ac terrâ teſtibus*, id eſt ſuperis & hominibus, aut potiùs cæli ac terræ domino Deo; quòd perderentur *injuſtè, ἀκρίτως*, indictâ cauſâ, ſine judicio, non latâ ſententiâ.

Sabbathis.

℣. 38. Et intulerunt illis bellum sabbathis. Non eſt hîc ſolùm repetitio antedictorum, frequens figura in Scriptura: ſed meâ ſententiâ indicatur, illam oppugnationem Judæorum cæptam ſabbatho uno, cùm ſucceſſiſſet, aliis deinceps ſabbathis continuatam, veſtigatis Judæis, qui per varia latibula diſperſi erant: donec eo modo interfectorum numerus ad *mille*, quà viros, quà fæminas ac pueros, excreſceret: adde reliquam pecorum cæteræque ſuppellectilis jacturam.

Cur Mathathias non oppugnatus?

℣. 39. 40. 41. 42. 43. Et cognovit Mathathias, et amici eius &c. Nec difficile fuit ipſis eam cladem è vicino cognoſcere, cùm in eadem ſolitudine eſſent. At cur Philippus eum aggreſſus non eſt; cùm ejus facinus & fugam non ignoraret? Primùm, quia ad tutiora loca refugerat, nec ſe inter anguſtias concluſerat; ut loca mutare potuerit, & eludere inſequentes. Deinde, quia ſabbatho pugnare ſtatuerat, ut non tam incruenta ſperari poſſet de ipſo, quàm de ſimplicioribus iſtis victoria. Verſu enim 40. *Dixit vir ad proximum ſuum*, id eſt Hebraiſmo, inter ſe dixerunt: *ſi omnes fecerimus, ſicut fratres noſtri*, &c. Nimiâ ſabbathi reverentiâ inulti non cadamus, ne omnes paullatim intereamus, pereatque omnis Dei in Judæa cultus, cultoribus interemptis. Denique, quia multi in dies ad Mathathiam accedebant, v. 42. & 43. Aſſidæorum Synagoga numero & animis pollens, & alii omnes *in lege voluntarii*, ſeu qui liberè ac ſincerè legem Domini obſervare volebant: ut jam invadere eos nemo auderet, niſi juſto exercitu.

Cur ſabbathis oppugnati Judæi?

Quærendum hîc primùm: cur ſabbatha à Syro-Macedonibus electa ad Judæos oppugnandos? Ratio manifeſta eſt, quòd illi ſcirent ab iſtis tanta religione obſervari ſabbathum, ut ſperarent arma ſumpturos non eſſe, facilem ſibi de quietis fore victoriam. Neque opinio eos fefellit. Sic apud Joſephum lib. 2. cap. 1. ante hæc tempora, Ptolemæus Lagi ſabbatho Judæos adortus: ſic 2. Mach. 2. v. 25. Apollonius Hieroſolymitas ſabbatho feriantes invadit: ſic Pompeius apud Joſephum lib. 4. cap. 8. ſabbathis opera ſua adversùs Hieroſolymam ac Templum promovet, nemine ob dierum reverentiam repugnante; ſic apud eumdem lib. 2. Capt. cap. 32. à Cæſarienſibus civibus Sabbatho otiantium Judæorum vicena millia cæduntur. De ſuperſtitione autem Judæorum in ejus diei obſervatione congeruntur à variis multa: Navarchum quendam clavo manum eo die admovere noluiſſe, ex Syneſio: alium à cloacâ ſurgere noluiſſe, ex Volaterrano: alium item cereos emungere noluiſſe, ex Serario. Plura reperies, tum alibi, tum apud Tirinum Comm. in Exo. 35.

Peccarintne Judæi non repugnando?

Quæritur deinde: utrùm hoc loco Judæi peccârint, aggredientibus non reſiſtendo, cùm facilè poſſent inter anguſtias montium, ut Scriptura indicat? Conſtat quòd non: Primùm, quia *in ſimplicitate ſua*, ut ipſimet loquuntur, mortui ſunt, arbitrati ſibi non licere opus ullum ſervile illis diebus, etiam ad ſe defendendos. Cùm igitur hoc perſuaſum haberent, non modò non peccârunt non repugnando, ſed etiam peccâſſent ſi repugnâſſent, quia contra conſcientiam ſuam egiſſent. Præterea, ut faceremus non ignorâſſe licitum ſibi vim vi repellere, non tamen ad eam repellendam obligati erant. Quomodò etiam hodie, ſi quis in odium fidei ab Infideli invaditur, non tenetur ſe tueri, imò nec fugâ ſibi conſulere, niſi caritas aliud ex accidenti ſuaſerit: ſed vitam ſuam ea occaſione prudenter ac ſanctè poteſt prodigere, tantùm abeſt ut peccet.

Sintne Martyres?

Quæritur tertiò: iſtine Judæi Martyribus accenſendi ſint? Planè: neque enim ob aliam cauſſam ab hoſtibus invaduntur, quàm ex veræ religionis odio, neque ob rationem aliam mortem oblatam accipiunt volentes, quàm ut moriantur *in ſimplicitate ſua, ἐν ἁπλότητι*, id eſt innocentiâ & citra Dei offenſam: *ſimplex* enim pro innocenti, & *ſimplicitas* pro innocentia paſſim uſurpatur in Scripturâ. Adde Paullum Hebr. 11. omninò de his agere videri

v. 28. & 39. cùm deſcribit Fideles, *in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ:* ſubditque fuiſſe *teſtimonio fidei probatos*, adeoque & Sanctos, & Martyres. Neque obſtat, quòd occaſione erronei de Sabbatho judicii occiſi ſint: quodque defenſuri forſan ſe fuerant, ſi licere ſibi judicaſſent. In Martyribus enim ſpectanda non eſt mortis occaſio, ſed cauſſa ob quam infertur. Quàm multi olim naſcente Eccleſia arbitrati ſibi non licere coronas laureas ferre, quòd laurus Apollini ſacra eſſet, quemadmodùm miles ille de quo Tertullianus ſcripſit librum *de Corona mil.* ea occaſione Chriſtiani deprehenſi, & ob Chriſti fidem morte mulctati, inter Martyres meritò reponuntur? Quàm multi civiles ac politicos ritus quoſdam, in cultu Principum & Imperatorum adhiberi ſolitos, rati ad idololatriam pertinere, nec paſſi ſe ad eos adduci, per eam occaſionem de religione interrogati, martyrium fortiter ſubière? Adeò certum eſt, attendi in Martyribus, non quâ quis occaſione, ſed quam ob cauſſam moriatur: nec referre, erróne judicii principium perſecutioni dederit, modò finis ſit odium fidei aut virtutis.

An Mathathias ſanxerit ſabbathis repugnandum?

Quæritur quartò: Mathathiáſne ſanxerit, Sabbathis repugnandum; an Judæi qui aderant univerſi, aut primarii ſaltem, communi decreto id ſtatuerint? Videtur textus uterque, tum Latinus, tum Græcus innuere, id communiter ab omnibus ſtatutum: *cogitaverunt... dicentes;* &c. Quæ verba apertè plures ſignificant. Joſephus tamen eam definitionem à Mathathia profectam ſcribit. Idem ſentire debent, quotquot ipſum cenſent Pontificem Maximum fuiſſe, cujus erat dijudicare controverſias de lege, ut habetur Deut. cap. 17. Atqui ea, de Sabbatho per bella obſervando, quæſtio ad legem quàm maximè pertinebat. Debuit igitur à Sacerdote ſummo decidi, cujuſmodi tunc Mathathias fuit, ut ſuprà poſuimus. Quid verò ad iſtum textûs utriuſque numerum pluralem dicemus? Difficultas non eſt, ſi reſpondeamus; Judæorum primariorum ſententias ſuper iſta quæſtione à Mathathia auditas, iiſque auditis, conceptum publicatumque ipſius auctoritate, aliorum conſilio, decretum.

An rectè?

Quæritur quintò: rectène id Mathathias ſanxerit? Ratio dubitandi eſt, quòd laudabiliter alii non repugnârint, ut jam vidimus. Sed eadem res ab aliis fieri, ab aliis omitti laudabiliter poteſt, vario conſilio & ratione, ut hìc accidit. Unde Sanctus Thomas in hunc ipſum locum, agens de iſto Mathathiæ & amicorum decreto: *Non fuit*, inquit, *ibi violatio Sabbathi nec diſpenſatio, ſed omnimoda ejus obſervatio; quia licitum & juſtum eſt, etiam Sabbatho, fieri caritatis opera, & iſti movebantur caritate & zelo legis, quæ opera etiam aliàs de ſervilibus ſunt moralia, & maximè quando fiunt ex caritate illa imperante, propter honorem & obſervantiam legis & Sabbathi. Unde videtur mihi ſine præjudicio, quòd ipſi fecerunt meliùs quàm primi, de quibus benè dictum eſt, quod in ſimplicitate ſuâ mortui fuerint.*

Cur id ſanxerit Mathathias?

Quæritur ſextò: quamobrem id ſtatuerit Mathathias? Rupertus lib. 10. de Vict. Verbi cap. 2. id factum ait divino conſilio, ut genus conſervaretur, de quo Chriſtus Jeſus Salvator humani generis naſci debebat. Piè iſtud & commodè dictum: ſed nos de humano, non divino conſilio, quærimus. Quanquam neque improbabiliter dixerimus, Mathathiam ipſum, ſanctiſſimum Sacerdotem imò & Prophetam, ad Meſſiæ adventum, quem cum Sanctis omnibus exoptabat, reſpexiſſe, ideoque caviſſe, ne gens de qua oriturus erat, nimiâ mortis patientiâ deleretur. Certum ex illis Scripturæ verbis, *ſi non pugnaverimus pro animabus, & juſtificationibus noſtris*, cauſſam decreti fuiſſe, ſtudium non ſolùm vitæ defendendæ, ſed etiam religionis. Prævidebat enim, niſi Sabbathis arma ſumerentur, fore ut paulatim omnes veri Dei cultores exterminarentur; adeóque & Judæa penitùs deſolaretur; & religio, ſublatis Fidelibus, ſuperſtitibus apoſtatis ſolis, funditùs tolleretur. Movebatur itaque ad ſic repugnandum, non ſolùm *ne inulti caderent*, ut Judæi quidam fecêre contra Mithridatem apud Joſephum lib. 18. cap. ult. verùm, ut modò monebat S. Th. *caritate* erga ſe & erga patriam, & *zelo legis*.

Licueritque Judæis Sabbatho etiam inferre bellum?

Quæritur ſeptimò: licuerítne Judæis, non tantùm vim vi repellere, ſed etiam hoſtes aggredi Sabbatho? Videtur illud unum tantùm Mathathias ſtatuiſſe; habetur enim in textu: *Omnis homo qui venerit ad nos in bello*, id eſt aggreſſus nos fuerit, *die Sabbathorum, pugnemus adverſus eos:* ubi nulla de ultrò adoriendis hoſtibus mentio, ſolùm de repellendis. Unde forſan manavit conſuetudo, cujus meminit Joſephus lib. 14. cap. 8. cùm ait patrii moris fuiſſe, ut ſi hoſtes pugnam inciperent Sabbatho, liceret repellere; ſin alia opera molirentur, impedire non liceret: hinc Pompeium foſſas & turres Sabbathis promoviſſe. Idem lib. 2. Capt. cap. 37. damnat, quòd Judæi quidam Romanos Sabbatho ultrò invaſerint, eoſque vicerint. Denique eódem refertur apud eumdem lib. 13. cap. 16. & lib. 14. cap. 17. impetrata à Judæis ἀϛρατεία, ſeu immunitas à bello, quòd arma Sabbathis geſtare, & iter facere non liceret: item concio Agrippæ Regis lib. 2. Capt. cap. 28. Judæis bellum diſſuadentis, ne ſtudio legis defendendæ, legem ipſam violare cogerentur, propulſandis & invadendis per Sabbatha hoſtibus. Ex iſtis, aliiſque locis colligitur, Judæis perſuaſum fuiſſe, bellum defenſivum Sabbatho licere, at non offenſivum, ut loquimur. Sed errabant ſuperſtitioſi homines, quorum ignorantiam Chriſtus correxit Matth. 12. cùm dixit: *licet Sabbathis benefacere.* Bellum autem offenſivum eſſe poteſt æquè virtutis opus, & caritatis in patriam ac Deum, atque defenſivum.

An feſtis paſſim pugnare liceat?

Ut ſi videas, tibi Sabbatho offerri occaſionem facilem delendi hoſtilis exercitus, non modò non peccatum fuerit id facere; ſed etiam peccas, ſi non feceris. Licet, inquit S. Th. 2. 2. q. 40. art. 4. feſtis ſalutem hominis procurare, medicinam morbis facere: quidni liceat ægrotantem rempublicam curare, miſſo hoſtium ſanguine, ſi potes, & *ſi neceſſitas expoſcat?* Hanc enim conditionem *neceſſitatis* requirit disertè Doctor Angelicus, nec ſimplici quidem vice: nam poſtmodùm addit etiam expreſſiùs, *neceſſitate ceſſante, non eſt licitum bellare in diebus feſtis.* Credo, ea conditione freti Leodienſes, pauciſſimis ad tuenda mœnia relictis, Dominicam diem agebant ſecuri, cùm urbem Carolus Audax copiis omnibus aggreſſus cepit, vix ullo repugnante, & paullò poſt ſuccendit. Alium ſcilicet conſiliarium audierat, quàm Sanctum Thomam: & alios hodie audiunt illi duces, qui feſtis & operoſis diebus bellare omninò in promiſcuo habent.

Sabbatiſmus verus, quieſcere in Deo.

Ad haſce de Sabbathorum obſervatione quæſtiones verbum attexamus de Sabbathiſmo ſpirituali ex B. Eugenio Juniore; qui in additamento ad Dracontii Hexameron, inter varias rationes, cur ſeptima dies dicta ſit Sabbathum ſeu requies, & iſtam affert: *Dicta Dei requies, quòd nos poſt mille*

labores

labores Solus ubique fovens in ſe requieſcere cogit: Nec datur ulla quies miſeris, niſi ſuſcipit ipſe. Quaſi dicat: dies, quibus creaturæ à Deo productæ, Sabbatha appellatæ non ſunt; quia non in creaturis, ſed in creatore ſolo hominis animus poteſt quieſcere. Videtur id ſumpſiſſe Eugenius ab Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 17. *Magnum*, inquit, *eſt nobis ab illo extitiſſe, ſed majus erit in illo requieviſſe: ſicut ipſe non ideò beatus quia hæc fecit, ſed quia etiam factis non egens, in ſe potiùs quàm in illis requievit.*

Et à ſervili peccati opere abſtinere.

Religioſa, ad ſuperſtitionem uſque, apud Judæos Sabbathorum obſervatio, nos ad veri Sabbathiſmi cultum excitet. Nuſquam autem Sabbathum, nuſquam quies ulla Chriſtianis animis, niſi in Deo; inquieta cætera, quia nutantia & pereuntia. Iſti ſpiritualis Sabbathi celebrationi immoriamur *in ſimplicitate noſtra*, neque ullo hoſtium furore ab ea nos avelli patiamur. Auguſtinus tract. 3. in Joan. alium indicat myſticum Sabbathiſmum, imò nõn alium, nam eòdem redit: *Iudæi*, inquit, idem dici poſſit de Chriſtianis multis Dominicos & feſtos dies ad delitias celebrantibus: *ſerviliter obſervabant diem Sabbathi, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius eorum fœminæ lanam facerent, quàm in Neomenus ſaltarent? Abſit, fratres, ut illos dicamus obſervare Sabbathum. Spiritualiter obſervat Sabbathum Chriſtianus, abſtinens ſe ab opere ſervili. Quid enim eſt ab opere ſervili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga. Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Quieſcere ab opere ſervili peccati, idem eſt, atque in Deo quieſcere; neque enim ullam à Deo pacem ſperare poſſumus, niſi à criminibus abſtinemus. Utinam Chriſtiani hoc Sabbathum perpetuò celebremus, non peccare, & in Dei voluntate atque obſequio acquieſcere. De Sabbathiſmo vitæ æternæ, vide Paullum ep. ad Hebræos cap. 4. & 5.

Aſſidæi, qui?

℣. 42. Tunc congreg. est ad eos Synag. Assidæo. Olim malè legebatur Judæorum. Quæ autem fuerit iſta Aſſidæorum Synagoga, de qua hic primùm, tum cap. 7. & libri 2. cap. 14. mentio fit, ex ipſo nomine non eſt difficile inveſtigare: quod non à *divini cultus aſſiduitate* ducitur, ut *Aſſidæi* ſit quaſi, *Aſſidui*, quomodò eſt apud Rab. & S. Th. ſed venit ab Hebræo חסד *Chaſid*, Miſericors, Pius &c. unde *Chaſidim, Miſericordes, Pii*: inde Græcum ἀσιδαῖος, & noſtrum *Aſſidæi*, quod propiùs ad Hebræam linguam accedendo diceretur Chaſſidæi. Erat ergo Synagoga *piorum*, id eſt virtuti ſtudentium. Eamque florentem fuiſſe & viribus, & multitudine, ex eo patet quod ſubditur, *fortis viribus*, ſcilicet Synagoga; Græcè ἰσχυροὶ δυνάμει, *validi potentiâ* ſcilicet *Aſſidæi*. Unde obiter colligas, Caramuelem diſp. 11. in reg. S. Bened. hujus loci oblitum fuiſſe, cùm dixit Aſſidæis uſu armorum fuiſſe interdictum. Aſſidæos etiam legis ac religionis ſtudioſiſſimos fuiſſe, ex eo certum eſt quod ſubditur, & ad eos referri debet tamquam appoſitum, *Omnis voluntarius in lege*: ac deinde, quòd ſtatim ac vexillum defendendæ religioni prolatum eſt à Mathathia, ad eum ſe aggregârint, & Judæ poſtmodùm conſtanter adhæſerint, ut queruntur miniſtri Regis 2. Mach. 14.

Aſſidæi iidemne qui Eſſeni?

An autem Aſſidæi iidem fuerint, qui Eſſeni poſteà, diviſâ in tres ſectas, vulgò notiſſimas, Judaicâ religione, negare nolo, affirmare non audeo: nec verò noſtra multum intereſt id quærere, quod neſcio quâ conjecturâ probabili decidi poſſit: etſi, poſt Gorionidem, Genebrardus, Scaliger, Serarius, ac noviſſimè Caramuel in reg. S. Benedicti diſp. 14. id aſſerant. Si Eſſenos, quibus magna apud Judæos ſanctitatis fama, & quos ſic dictos quaſi ὁσίους Sanctos putat Philo, lib. quòd omnis probus ſit liber: ſi itaque Eſſenos à ſanctitate voles appellatos Chaſidim, id eſt pios ſeu ſanctos, per me licet. Si deinde cupies de Eſſenorum moribus multa cognoſcere, ad alios te ablego, qui iſtud argumentum ex inſtituto & fusè tractaverunt: conſule unum prò cunctis Baron. initio apparatus ad Ann. num. 7. & multis ſequentibus. Item Serarium in Harmonia Mach. ad cap. 7. libri 1. ubi multa de etymologia nominis Eſſenorum, ſeu Eſſæorum.

Concurritur ad Mathathiã.

℣. 43. Et omnes qui fug. a malis additi sunt ad eos, et fa. sunt il. ad firm. Aſſidæi eodem animo arma ſumpſerunt, quo Mathathias, ex zelo religionis. Accedunt & alii, non tam zelo legis, quàm malorum metu, & ad fugiendas calamitates quotidianas ex tyrannico Græcorum jugo: id enim ſignificatur illo verbo *fugientes à malis* ἀπὸ τῶν κακῶν, adjectivo abſolutè poſito, ut *mala* intelligenda ſint, non autem *mali* homines. Sic ad Davidem, in ſolitudines profugum, convenêre multi, qui erant *amaro animo*, 1. Reg. 22. Quocumque verò animo iſti ad Mathathiam Aſſidæosque acceſſerint, *facti ſunt* nihilominùs *illis in firmamentum*, eorumque vires auxêre.

Qui perſequitur apoſtatas.

℣. 44. Et collegerunt exercitum. Tam multi paullatim confluxêre ad Mathathiam, ut juſti exercitûs inſtar conflaretur, quomodò è multis exiguis fontibus flumen. Cum eâ manu auſus generoſus Heros non excipere modò bellum, ſed & inferre; è ſolitudine in campos deſcendit, viros & oppida invadit, *viros peccatores & iniquos percutit, irâ & indignatione* juſtiſſimâ. Intelligo nomine peccatorum, & iniquorum, præſertim apoſtatas Judæos, fidei ac patriæ proditores, de quibus æquum erat primo locò ſumi ſupplicium. Id colligo ex eo quod ſequitur, *cæteri fugerunt ad Gentes*: nam *cæteri*, ſeu reliqui ex illa clade per pios illata, cùm à *Gentibus* diſtinguantur, non poſſunt alii eſſe quàm transfugæ Judæi. Dicuntur autem *fugiſſe ad Gentes*, id eſt ſe ad loca munitiora recepiſſe, ſeu quæ finitima erant Judææ & ab idololatris inſeſſa, ſeu quæ à Syro-Macedonibus in Judæa ipſa excitata erant, ad continendos ſubditos.

Aras idolorũ deſtruit.

℣. 45. Et circuivit Mathathias, et amici eius et destr. aras eo. Vides zelum & ardorem caritatis erga Deum, quidquid honori ejus contrarium eſt deſtruentis. Aras idolorum dejicit; idola, etſi ad non exprimatur, comminuit: nec dubitandum Moſis exemplo ea in cineres redacta, in torrentes abjecta, ubi morari licuit. Sic cæpit Gedeon Principatum ſuum à deſtruendo Baalis altari, Jud. 6. unde illi Jerobaalis nomen.

Circumcidendos curat filios apoſtatarũ, etiam ipſis invitis.

℣. 46. Et circumc. pue. incirc. quot. inv. in fin. Israel. Hinc intelligas, auſum Mathathiam totâ Judæâ arma circumferre, attonitis audaciâ Græcis, & nuſquam repugnantibus. Incircumciſi autem pueri, quos circumcidêre, intelligendi ſunt filii Judæorum ſoli, & tum fuêre plurimi: partim ex parentum metu, ob edictum Antiochi circumciſionem vetantis, ut cap. 1. vidimus; partim ex nequitia, quòd multi parentes ad inſtituta Gentilium defeciſſent, & liberos ſuos in Paganica ſuperſtitione educare vellent. Eos omnes ubicumque reperire Mathathiani potuerunt, vel circumciderunt ipſi, vel circumcidendos curaverunt, etiam parentibus invitis: hoc enim indicatur illâ particulâ, *Et in fortitudine*, cui energicè additum eſt *&*, quamvis in Græco non ſit, ſed

tantùm, ἐν ἰσχύι, *in fortitudine.* Fecêre itaque Mathathiani, quod Catholicis licere Theologia affirmat, in baptizandis apoſtatarum liberis, quantumvis parentes renitantur: cùm tam hi, quàm illi, Eccleſiæ ſubditi ſint; & rebellione jugum non excuſſerint, obediendique neceſſitatem.

Syro-macedones infeſtat.

℣. 47. 48. Et persecuti sunt filios superbiæ, id eſt ſuperbos. Intellige, vel eoſdem apoſtatas, cum apoſtatare à Deo, & rebellem eſſe ejus cultui, inſignis ſit ſuperbiæ; vel potiùs Syro-Macedones arrogantes, & contemptores Judaicæ religionis: ut verſu 44. narretur compendio, quid Mathathiani contra apoſtatas Judæos fecerint, hîc autem quid contra alienigenas Paganos. *Et proſperatum eſt opus in manibus eorum.* Cœpta ipſis benè ceſſerunt: apud illud illuſtre aſſerendæ avitæ religionis oſtendit Deus ſibi placere, eorum conatibus fœlici eventu coronatis. *Et obtinue. leg. de man. Gentium.* Fruſtra contranitentibus idololatris, legem Judaicam, tum ſervaverunt ipſi, tum alios obſervare coëgerunt: ereptam ſibi legis palàm obſervandæ poteſtatem, vi de manibus Paganorum extorſerunt. *Et de manibus Regum*, ſeu ut Græcè habetur, *de manu Regum.* Eſt enallage numeri pluralis pro ſingulari. Neque enim Mathathias dux populi Judaici fuit, niſi tempore Regis unius Antiochi Epiphanis. Niſi dicas hîc non ſolùm compendio ſtringi geſta Mathathiæ, ſed etiam per occupationem attingi, quæ poſtmodùm ducibus Mathathiæ liberis facta, tempore variorum Syriæ Regum. *Nec dede. cornu pecc.* Peccatorem illum antonomaſticè intellige Antiochum Epiphanem: aut indefinitè peccator poſitus pro quovis peccatore. Peccatori igitur Epiphani, aut peccatoribus ejus miniſtris non eſt datum *cornu*, id eſt, ut hîc explicat S. Thomas, *occaſio gloriæ:* vires Syrorum debilitatæ, ferocia fracta, res eorum peſſum ex illo tempore abiêre: quo ſenſu etiam vulgò dicimus, alicujus cornua frangi.

Naturali morte defunctus Mathathias.

℣. 49. Et approp. di. Math. moriendi. Poſt annum unum Principatûs aut circiter, ut in Breviculo chronotaxeos notavimus: nec quemquam ſcio qui ei plus tribuat temporis. Porphyrius apud D. Hieronymum in cap. 11. Danielis ait, Mathathiam in prælio occiſum, nemine auctore. Potuit quidem læſus in prælio fuiſſe, quomodò Joſias 4. Reg. 23. & poſteà mori ex vulnere. Ex textu tamen noſtro colligitur naturali non violenta morte ſublatum, id enim indicatur eâ phraſi, *Appropinquaverunt dies moriendi.* Vir jàm magno natu, ſenile corpus urgente miſeriarum publicarum ſenſu, incommodis ſolitudinis, laboribus in obeunda Judæa, & circumferendo bello obitis, ipſo zeli ſui ardore paulatim conſumitur.

Teſtamento piorum.

Et dixit filiis suis. More recepto apud omnes Gentes, optimus parens moribundus inſignia præcepta dat liberis, ſeu ut Hegeſippus loquitur, *pulcerrimam cohortationem*, quomodò & David Salomoni 3. Reg. 2. Inſtar eſt Benedictionum, quas Patriarchæ ſub mortem filiis dedêre, Moſes Iſraëlitis. Inſtar eſt teſtamenti, quo præclara ſuis legat exempla & monita, non autem peritura bona, quæ magno animo reliquerat in manibus impiorum abhinc annum, quando ſe ex urbe Modin proripuit. Eumdem in modum S. Ludovicus Galliæ Rex teſtamentum ſuum à ſanctis documentis inchoavit: ita alii principes viri. Utinam parentes omnes Mathathiam imitentur, & ultima voluntate teſtentur, magis caras ſibi eſſe ſuorum animas, quàm corpora, & majori ſibi curæ eſſe vitam illorum æternam; quàm temporalem. Sed heu quàm longè ab illo abſunt plurimi Chriſtiani? Qui non modò de ſuorum ſalute moribundi non cogitant, ſed etiam ſuam ipſorum negligunt, ut temporalibus liberorum commodis provideant.

Inſania moribundorū, non ſibi, ſed aliis conſulentium.

Ejuſmodi hominem deplorabat Salv. lib. 3. ad Eccleſiam, obi poſt multa eleganter & nervosè dicta in eam ſententiam: *Infœliciſſime omnium*, inquit, *cogitas quàm benè alii poſt te vivant, non cogitas quomodò ipſe moriaris.* Talem flebat fratrem Paulinus ep. 13. ad Delphinum, cùm ait: *Contriſtatos nos vehementer fatemur, non tam de obitu corporali fratris noſtri, quàm de negligentia ejus ſpirituali: quâ relinquendarum iſthic potius curarum, quàm providendorum illic remediorum memor, poſt habenda præpoſuit, & præponenda poſt habuit. Quem oportuit & illa priora pro ſe curare, & hæc temporalia pro filiis non prætermittere.* Talis erat apud Bellarminum lib. 2. de arte moriendi infælix ille moribundus, à quo ſe vocatum ſit, & cùm adiiſſet, dixiſſe ipſum: *Ego, Domine, cupivi alloqui te, non pro me, ſed pro conjuge mea & filiis meis. Ego enim propero ad inferos, neque eſt aliquid quod pro me agas.* Subdit Bellarminus, conatum ſe ab illo actum ſaltem Contritionis elicere, non aliud tuliſſe reſponſum, quàm, iſta captum meum ſuperant: & in eum modum miſerrimè obiiſſe. Quod ipſum infrà attingemus Exe. 1. ad cap. 5. ſect. 2. num. 9. In ſimiles invehebatur Aug. ſerm. 120. de diverſis: *Cogitat homo quos relinquat, & ſe qui hæc omnia relinquit non cogitat? Ecce habebunt filii tui quod dimittis, tu nihil habebis: & tota cogitatio tua in eo conſumitur, quà peregrini poſt te tranſeant, & non quò tranſeuntes perveniant.* Mathathias non in curis rerum caducarum, quas aptè ultrò deſeruerat; non in diſtribuenda ſupellectile, quâ carebat; non in dividenda inter ſuos hæreditate: ſed in ſanctis de patrum virtute cogitationibus, in commemoratione divini auxilii erga ſuos, in cohortationibus ad fiduciam in Deum, ad religionis cultum, ad zelum honoris divini, emoritur. Luxerat fax divinæ caritatis, lumen populi ſui: & ut faces ſolent ardendo & lucendo conſumi, ita ipſe inter fidei ardentis, fiduciæ conſtantis, caritatis ac zeli invicti actus, quibus vivens ſplenduerat, extinguitur: hoc patrimonium divinum, hanc ſacram hæreditatem ab ipſo liberi accipiunt.

Hortatur ſuos Mathathias à ſtatu rerum præſentium.

Nunc confort. est superbia id eſt *firmata*, ita ſtabilis quaſi vix concuti poſſit, ita enim ſonat Græcum ἐςηρίχθη. *Et caſtigatio* ἐλεγμὸς alibi vertitur *redargutio.* Superbia hoſtium noſtrorum capitibus noſtris imminente, Deus utitur ad arguenda & caſtiganda peccata noſtra. *Tempus everſionis.* Miſerabilis *cataſtrophe*, quæ vox Græcè habetur, & converſione rerum, florens religionis ac patriæ noſtræ ſub Seleucidis prioribus ſtatus, jam concidit. *Et ira indignationis*, ὀργὴ θυμοῦ. Aut idem innuitur per *iram*, & *indignationem*: aut ſignificatur, *iram* Græcorum *indignationis* divinæ eſſe inſtrumentum: aut *irâ* & furore hoſtium injuſto juſtam piorum Judæorum *indignationem* debere accendi. Hoc poſtremo ſenſu *ira indignationis* erit *ira indigna*, vel ira quæ indignationem mereatur. Ex hoc accommodatiſſimo exhortationis principio, propoſitâ indignitate malorum, quæ populus Dei ab Infidelibus patiebatur, tranſit Mathathias ad excitandos in liberis animos, & ſanctum ardorem propugnandæ pietatis.

A Legis ſtudio.

℣. 50. Nunc ergo, ô filii, æmulatores estote legis. ζηλώσατε τῷ νόμῳ, zelo flagrate defendendæ legis: ſic ſæpè æmulandi verbum pro zelo in Scriptura uſurpatur. *Et date animas veſtras*,

vitæ ve-

vitæ veſtræ ne parcite, ultrò in pericula incurrite, morti vos objicite, *pro teſtamento patrum veſtrorum*, ad ſervandum fœdus à majoribus veſtris cum Deo initum de ipſo unicè colendo.

℣. 51. Et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, id eſt revocate in memoriam præclara facinora, quæ majores noſtri patravêre, ſinguli temporibus ſuis pro rebus natis, & prout ſe dabant occaſiones. Generatim proponit fortia majorum exempla, mox particulatim à theſi ibit ad hypotheſin.

Et ſpe gloriæ veræ, & æternæ.

Et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum, id eſt *virtutis famam in præſenti, nomen æternum in futuro*, inquit Liranus. Non ignoro quidem tolerabilem imò & laudabilem eſſe, & ad magnitudinem animi pertinere, moderatum laudum, famæ, gloriæ appetitum: ſic ut iſta non deſiderentur & accipiantur propter ſe, & in eis ſiſtendo, ſed quia ſunt incitamenta & ſigna virtutum, & quia nobis ad ſalutem & profectum noſtrum aut proximi, vel ad gloriam Dei adjumento eſſe poſſunt. Vide Abulenſem 1. Reg. 15. quæſt. 73. Item S. Th. 2. 2. q. 132. art. 1. Tacitus hiſt. lib. 4. de Helvidio Priſco magnæ virtutis Stoico loquens, qui aliquibus appetentior famæ videbatur: *etiam*, inquit, *ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur*: imò ne exuenda quidem eſt. Igitur Mathathias potuit non tantùm prudenter, verùm & ſanctè, ſpem conſequendæ apud mortales gloriæ filiis proponere; præſertim cùm id obiter fecerit, & verbulo tantùm. Malim tamen per *gloriam magnam, & nomen æternum*, idem intelligere: id eſt veram illam ac ſolidam gloriam, quæ ex Dei obſequio apud Deum ipſum quæritur. Convenientior eſt ea cogitatio ſanctitati ſenis, jam in morte nihil niſi divina cogitantis, & de proximo æterna proſpicientis. Negabit quidem Arnaldiſta aut Janſenianus aliquis, in Synagoga ad æternam mercedem umquam ſpectatum, fœlicitatis tantùm temporalis intuitu laboratum. Sed nos contendemus, huic ſancto ſeni abſque ſumma injuria negari non poſſe, quam Spiritus ipſe Sanctus lib. 2. cap. 7. martyribus disertè tribuit, æternæ vitæ cogitationem.

Ab exemplis.

℣. 52. uſque ad 61. Proponuntur exempla eorum, qui Dei voluntate, aut privato ſuo affectui, aut aliorum judicio vel propenſioni, præpoſita, ſic ei placuerunt, ut id vel evidentibus miraculis, vel inſignibus in illos & eorum poſteros collatis beneficiis, demonſtrârit. Primùm proponitur Obedientia Abrahæ, de qua Gen. 22. tum Caſtitas & Conſtantia Joſephi, de qua Gen. 41. deinde Zelus Phinees, à quo paternum Mathathiæ genus, adeòque exemplum domeſticum, quo nullum efficacius, de quo Num. 25. Obedientia Joſue, de quâ Joſ. 1. & alibi: Calebi conſtans ac fortis Veracitas, de quâ Num. 14. & de ejus mercede Joſ. 14. Miſericordia Davidis, de quâ 1. Reg. 4. 2. Reg. 2. & alibi paſſim; aut potiùs 2. Reg. 7. & 9. Reg. 2. ut mox annotabo: Eliæ Zelus, de quo 4. Regum 2. & aliàs: Fortitudo Ananiæ, Azariæ, Miſaelis, de quâ Dan. 3. Simplicitas, id eſt Innocentia Danielis, de quâ paſſim apud Danielem, nominatim cap. 6.

Cur hîc miſericordia Davidis memoretur?

Satis patet quomodò hæc omnia exempla ad rem faciant, ſi unum Davidis exceperis. Propoſuerat enim ſibi Mathathias excitandos liberos ad legem Dei ſervandam, zelum, fortitudinem: quid autem ad iſthæc *miſericordia* Davidis? Miſericordia enim mollit animos, qui hîc erant roborandi, quod aptè fit conſtanti obedientia Abrahami, caſtitate Joſephi, cæteriſque hiſtoriis: iſta verò Davidica videtur in contrarium tendere. Auget difficultatem, quòd Davidi regnum à Deo, non tam miſericordiæ, quàm obedientiæ reſpectu, collatum & firmatum videatur: ait enim Deus, Act. 13. *Inveni David filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Cur ergo hîc miſericordiæ Davidicæ meminit Mathathias; cùm obedientiam & veriùs ad hiſtoriam, & aptiùs ad finem ſuum commemorare potuerit?

Miſericordia virtus Regia.

Reſponderi primùm poſſit: Mathathiam eò ſpectâſſe, ut virtutes omnes, gubernandis populis neceſſarias, commendaret. Atqui inter illas de præcipuis miſericordia eſt, Principalis ac Regia omninò virtus: propter quam David carus fuit Domino, qui meminit omnis manſuetudinis ejus.

Miſericordia ſignificat pietatem.

Sed difficultati meliùs ſatisfiet, ſi advertamus: apud Hebræos miſericordiæ nomen ſæpè pro pietate, & ſtudio divini cultus, uſurpari. Notavimus ſuprà ad v. 42. *Chaſidim* ſignificare miſericordes, pios. Derivatur hæc vox à חסד *Cheſed*, id eſt miſericordia, pietas, probitas. Ubi vides, eodem nomine Hebræis ſignificari miſericordiam & pietatem. Itaque dicendum, hîc in textu miſericordiam per Hebraiſmum pro pietate uſurpari. Et verò pietate ſeu ſtudio divini cultus amplificandi meritum eſſe Davidem, ut regnum ſuum in poſteris firmaretur, patet ex 2. Reg. 7. ubi Davidi Templum ædificare deſtinanti, Nathan à Deo fauſta omnia pollicetur. Atque hinc habes, cur Davidem inter cæteros Mathathias commemorârit: volebat enim filios ad religionis ſtudium adhortari, in quo David eminuit, & ob quod etiam temporali ſua & poſterorum fœlicitate muneratus eſt.

Exemplorum vis in adhortationibus.

Non eſt prætermittendum, quod notat S. Paſcaſius, cujus miracula à S. Gregorio 4. Dial. 40. narrantur, epiſtolâ ad Eugippium. *Quantum geſta Sanctorum utilitatis impertiant, quantum fervoris attribuant, quantum puritatis infundant, de hac re Apoſtolica vocis auctoritas ſatius innoteſcens, forma, inquit, facti gregis. Et B. Paulus Timotheo præcepit formam eſſe fidelibus. Unde jam Apoſtolus juſtorum catalogum ſumma brevitate contexens, ab Abel incipiens, inſignium virorum pergit narrare virtutes. Sic & ille fideliſſimus Mathathias, mortiglorioſiſſimæ jam propinquans, filiis ſuis hereditario jure exempla diſtribuit.* Nihil cantatins quàm exemplorum in hortando efficacia, non vivorum modò, quod aliàs notabimus, ſed & mortuorum, quod genus hic à Mathathia producitur. Quæcumque mutationes morum ex lectis Sanctorum vitis extitêre, teſtes ſunt exempla quid faciant. Ipſi nos nobis teſtes ſumus, pudorem interdum, aliàs animos, motum aliquando aut fiduciam, & ſanctos alios affectus, ex ſola bonorum exemplorum recordatione in nobis excitatos. De ſe narrat Bernardus ſerm. 14. in Cant. *Languebat ... anima mea triſtis penè, & deſperans, & muſſitans ſecum illud: à facie frigoris ejus quis ſuſtinebit? Cùm ſubitò fortè ad affatum, vel etiam aſpectum cujuſpiam ſpiritualis perfectique viri, interdum & ad ſolam defuncti ſeu abſentis memoriam, flabat ſpiritus, & fluebant aquæ, & erant mihi lacrymæ illæ panes die ac nocte.*

Ineptia Concionatorum iis uti nolentium.

Eccleſiaſtæ hodierni, qui exemplorum & hiſtoriarum narrationem in ſermonibus popularibus refugiunt, quaſi vilem nimis & dehoneſtamentum eloquentiæ: credo eloquentiores ſe Paullo arbitrantur, qui tot in epiſtola ad Hebræos exempla accumulat? Mathathiâ ſapientiores, qui tot

Digitized by Google

hiſtorias liberis inculcat, vulgares tamen ac notas: experientiâ doctiores, quæ exemplorum conſiderationem perpetua utilitate commendat. Crede modò, mi Lector, ſi antè in Prolegomenia id tibi perſuaſum non fuit, vanos iſtos locutuleios parum nôſſe in quo germana eloquentia, ſapientia ac doctrina poſita ſit: uti etiam Excurſu 4. ad cap. I. monuimus.

Spei in Deum efficacia.

℣. 61. Et ita cogita. per gen. et gen. quia omnes qui sper. in eum, non infirmantur, ſive, ut in Græco eſt, *non infirmabuntur*. Præclara ex ore Sancti ſenis commendatio fiduciæ in Deum. Eâdem omninò ſententiâ Eccleſiaſticus cap. 2. v. 11. *Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Hic generatim negat, ullum ſperâſſe in Domino & confuſum fuiſſe: ille generatim aſſerit, omnes, qui ſperant in Domino, infirmatum non iri. Exceptio nulla: ea ſpei in Deum utilitas eſt: illi innitere, nec dedecora, nec damna, nec mortem timueris. At, inquies, nonne in iis ipſis, quos adduxit Mathathias, in Dominum ſperantibus, aliqui infirmati vel confuſionem paſſi? Joſephum in carcere ſpecta, Davidem in exilio, Eliam in fuga, Danielem in cavea, alios alibi. Nonne iſthæc damna fuêre, aut dedecora? Confunduntur ergo aliquando & ii qui ſperant in Domino. Planè confunduntur, ſed ad punctum & in modico: ut deinde eò illuſtriores emergant teſtes divinæ Providentiæ in ſuos. Quid ad honorem æternum Joſephi, Eliæ, Davidis, Danielis, tranſitoria illa confuſio? Imò quid ad ipſum honorem temporalem, qui inde ipſis extitit, & ad tam diuturnam apud poſteros commendationem? Ut planè dici poſſit, vel in hujus ſolius comparatione, iſta parva, aut nulla fuiſſe confuſio. De ſpe in Deum aliquid amplius in Excurſu Morali ad cap. II.

Gloria peccatoris ſtercus, & vermis.

℣. 62. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis. A ſpe in Deum tranſit ad tollendum vanum timorem. Virum peccatorem, inquit, ne formidetis, id eſt impiorum hominum verbis, judiciis, minis nolite commoveri. Dubitandum tamen non eſt, quin hic nomine *viri peccatoris* intelligatur nominatim Antiochus Epiphanes, radix peccatrix. Unde & rectè Liranus ait, Mathathiam prophetâſſe, cùm ſubjunxit: *quia gloria ejus ſtercus, & vermis eſt.* Græcè valdè energicè habetur, *gloria ejus in fimum*, ſeu ſtercus, *& in vermes*, ſupple, vertitur vel deſinit. Significantiùs tamen & elegantiùs verſio noſtra, *gloria ejus ſtercus, & vermis eſt.* Si enim gloriam ſumas pro ipſa fama impii & laude, quid illâ magis putidum & abominandum, cùm *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur?* Non ſentis modò quàm fœteat: ſed mox ſenties, & odorem non feres, cùm juſto Dei judicio fama malè parta in infamiam vertetur. Non vides vermem arrodentem, ſed mox miraberis percuſſam Jonæ hederam & exareſcentem. Si gloriam accipis pro fundamento gloriæ, dignitate, imperio, potentia, robore corporis, pulcritudine: quid iſta ſunt, niſi *ſtercus involutum*, quod aptè de ſorore ſua, nimis comptâ & pompaticâ dicebat Andreas frater ſancti Bernardi, lib. 1. Vitæ cap. 6. Quid iſta, niſi vermis è luto enatus, in luto & pulvere repens, in lutum recidens?

Glorioſus ipſe ſtercus, & vermis eſt.

Si *gloriam* ſumas pro glorioſo ipſo: quid & ipſe aliud eſt, quàm ſtercus & vermis? Quantum fœtorem exhalat, quot vermibus arroditur, etiam dum vivit? Aug. de verbis Domini ſecundùm Matth. ſerm. 5. *Omne*, inquit, *pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum, habet vermem ſuum. Alius eſt vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis divitiarum, ſuperbia.* Arrodit ſuperbia divites; quid autem curæ anxiæ, quid metus inquieti animum perpetuò mordentes? In corpore verò ipſo, quæ putredo, qui vermes? Petrus Dam. opuſc. ad Blan. Comit. cap. 11. offert nobis uxorem Ducis Veneti, delicatam ad faſtidium cùm valeret, brevi tam fœdo morbo percuſſam, ut putorem vivi cadaveris ne ancillarum quidem fidiſſimarum ulla pateretur. Ab Antiocho Epiphane, de quo hic Mathathias prophetat, abeundum non eſt: ſtercus & vermem eſſe videbis propediem, etiam dum vivet. Quid autem corpori mortuo fiet, quot vermibus ſcaturiet? Quis illo fimus erit olentior? Anima autem ne in ſterquilinium quidem utilis erit, ſed foras mittetur in tenebras exteriores, in cloacam inferorum, ubi *vermis eorum non morietur*, Mar. 19.

Inanis metus à mortali.

℣. 63. Hodie extollitur, et cras non invenietur. Hoc ipſum Eccl. 10. dictum: *Rex hodie eſt, & cras morietur.* Qua conſideratione nihil efficacius, ad tollendos vanos humanæ potentiæ terrores. *Quis tu*, inquit Deus ad Iſaiam, *ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet?* Quia, quem times? Moriturus moriturum? Quid ultra hanc vitam poteſt? Quid autem vita hæc eſt? *Quia converſus eſt in terram ſuam*, Græcè, *in pulverem ſuum*. De pulvere & cineribus noſtris abundè dictum, Exc. Mor. I. in c. I.

Vana hominis cogitatio.

Et cogitatio eius periit. Poſſis commodo ſenſu cogitationem tum paſſivè, tum activè ſumere. *Cogitatio ejus periit*, id eſt, conſilia ejus diſſipata ſunt, evanuêre antequam executioni mandarentur: quod planè factum in Antiocho Epiphane, quem mors occupavit ad Judæorum excidium properantem. Aut *cogitatio ejus*, id eſt *cogitatio de eo periit*: aliqui ſpes ſuas in eo collocârant, alii inanes de eo metus conceperant, omnes iſtæ cogitationes eo mortuo occidêre. Græcus tamen textus magis innuit Cogitationem activam; habet διαλογισμὸς αὐτοῦ, non autem περὶ αὐτοῦ, *cogitatio ejus*, non, *de eo*.

Exhortatio Mathathiæ recapitulatur.

℣. 64. Vos ergo filii conf. et viriliter ag. in lege: quia in ipsa glorio. er. Allatis ad excitandos in ſpem vindicandæ patriæ ac fidei liberos variis argumentis, primùm ex ipſa rerum indignitate v. 49. tum ab honeſto v. 50. & 51. deinde ab exemplis, & utili in illis expreſſo, per multos verſus; denique à facili, ex ſpe auxilii divini v. 61. & vanitate timoris humani v. 62. & 63. Jam redit ad caput, & claudit exhortationem brevi honeſti commemoratione: quo argumento nullum ad movendos nobiles & pios animos potentius. *Viriliter agite*, inquit, *in lege, quia in ipſa glorioſi eritis*: Græcè, *Glorificabimini*: quod de vera gloria, quæ ſecundùm Deum, ex Deo, & pro Deo eſt, intelligi debet; æternâ præſertim, ad quam reſpicit generoſa animorum noſtrorum immortalitas. Exhortatione facta, & datis generalibus monitis, tranſit Mathathias ad præcepta quædam particularia.

Quanti facienda conſilia?

℣. 65. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est, ipsum audite semp. et ipse erit vobis pater. Sapiens ſenex commendat primo loco rem maximè fini propoſito neceſſariam, Conſilium. Ariſtoteli Conſilium *res ſacra* eſt; Platoni, *Diviniſſima*; Senecæ, philoſophia nihil habet auguſtius: *Vis*, inquit ep. 48. *ſcire quid philoſophia humano generi*

promittat?

promittat? Conſilium. Quemadmodùm conſiliis uti nolle ſtultiſſimum eſt: unde Bern. ep. 87. ad Ogerium Can. Regularem, *Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* Et Cardinalis Rupeſucaldus, vir ætate noſtra virtutibus ac prudentiâ eminens, ajebat: *Qui privato ſtare volunt judicio, & ſibi ſoli ſapere, vanitatis, erroris, & ſtultitia pleniſſimos eſſe: Calvinianum eſſe de ſuo tantùm ſapere, & alieno ſpiritui ac ſenſui nihil tribuere.* Quomodò igitur conſilia reſpuere, inſani eſt; ita expetere & audire, ſapientis.

Conſiliarii boni pretium.

Apud Spond. an. 1202. Leſcus in Principem à Polonis poſtulatus, ea lege, ut Guvoricium Sendomirienſem Palatinum, fidiſſimum conſiliarium & amicum, à ſe ablegaret, ipſo Palatino rogante ut conditionem acciperet, reſpondit tamen: tanti ſibi non eſſe Principatum, ut tam fidum conſiliarium à ſe amitteret. Ecce ſapienti Principi pluris eſt Conſiliarius unus, quàm ingens Principatus. Apud eumdem an. 1380. Carolus quintus Galliæ Rex, vel ideò Sapiens meritò appellatus, dicere ſolebat; ſe habere milites legum, quorum conſilio plures victorias reportârat, quàm per milites armorum. D. Carolus Borromæus, ut habet ejus vita, numquam aggredi aliquid magnum ſolitus abſque Oratione, Jejunio, Conſilio. Moſes ipſe, Angelo licèt duce uteretur, inſtructore, conſiliatore, Jethro tamen ſoceri ſui conſilium; non audiit modò, ſed & ſecutus eſt utiliſſimè, Exo. 18. v. 19. &c. Et Num. 10. Hobab filium Jethro rogat, ut ſibi adſit, & ductorem agat populi Iſraëlitici. Habebat quidem Moyſes columnam nubis & ignis pro duce; petit tamen prætereà ducem non itineris ſed conſiliorum, cui ſcilicet nota eſſent loca ſtationibus apta in ſolitudine, per quam circumducendus erat populus. Adeò verum iſtud, *Salus ubi multa conſilia.*

Eſt loco patris.

Mathathias itaque ob hanc cauſſam vult Simonem *audiri ſemper*, ſeu, ut Græcè habetur, *per omnes dies:* ut nihil incidat agendorum, de quo conſilium ipſius non exquiratur. Neque audiri tantùm vult, ſed etiam haberi pro patre; quaſi dicat, ejus conſilia inſtar eſſe debere paternorum præceptorum: quo loco Demetrius Rex Laſthenis conſilia habuiſſe videtur, cap. 11. v. 31. cùm eum *parentem* nominat. Democrates Philoſophus in ſententiis, pari loco reponit conſilia ſapientis, legum edicta, & Principum imperia; *Legi*, inquit, *Principi, ſapienti cedere pulcrum eſt.* Mathathias amplius aliquid poſtulat, cùm vult *virum conſilii* non ſolùm audiri ut legem, obſervari ut Principem, ſed etiam amari ut patrem. Simili phraſi Ambroſius epiſtolis aliquot ad Valentinianum Auguſtum, *Theodoſius*, inquit, *parens clementiæ tuæ*; parens ſcilicet non naturâ, ſed conſilio. Sic poſterioribus ſæculis Præfecti Prætorio ſæpe ab Imperatoribus parentes vocati. Eodem locutionis genere Joſephus, Gen. 45. v. 8. fratribus dicit, ſe eſſe quaſi patrem Pharaonis.

Conſilia juvenis interdum ſenilia.

At, inquies, nonne ſenum potiſſimùm audienda conſilia? Nonne Senatus à ſenibus? Nonne ideò Num. 10. v. 32. ubi in Vulgata habemus à Moyſe dictum Hubabo cognato, *eris ductor noſter*, 70. habent, *eris nobiſcum ſenex:* id eſt, non tantùm nobiſcum ſeneſces, ſed quaſi *Senem* eſſe, & *Doctorem*, ac *Conſiliarium* idem ſit? Hinc Carolus quartus Imperator, in vita ſua narrat, aulam Caroli Pulcri Galliæ Regis, ubi educatus fuit puer, ſplenduiſſe ſenum Principum tam ſæcularium, quàm ſpiritualium congregatione, quorum conſilio utebatur, inſigni Principibus omnibus exemplo, apud Spond. an. 1380. Atqui Simon, qui hîc pro conſiliario fratribus proponitur, ſenex certè tunc non erat, ut virum demus fuiſſe, quia vocatur *Vir conſilii:* quamquam iſtud *Vir conſilii* nihil aliud ſit, quàm *boni conſilii homo.* Eſto tamen, virili tum ætate fuerit; at certè nondum ſenili: cùm triginta tres annos patri fuerit ſuperſtes, & tum etiam violentâ morte ſublatus. Adde primogenitum non fuiſſe, ut ad verſum 2. annotavimus.

Fæminarū aliquando conſilia virilia.

Eſto, provectæ ætatis Simon non fuerit; nec difficulter crediderim, quadragenarium non exceſſiſſe: ſed quid mirum ea ætate juvenem conſiliis maturuiſſe? Cùm etiam fæminarum conſilia Athenis ſub Cecrope expeti ſolerent, apud Aug. 18. de Civ. cap. 9. quod & in republica ſua fieri voluit Plato. Debboram, Abigailem, Thecuitim, Abelitidem fæminam, aliaſque à prudentia ſacræ Literæ commendant: innumeras profani auctores. Quid vetera exempla arceſſamus? En recentiſſimum, & ferè adhuc ſub oculis. Eliſabethæ Borboniæ Reginæ, & Annæ Guevarræ Regiæ nutricis, conſiliis debuit Hiſpania rerum ſuarum in melius mutationem, anno hujus ſæculi quadrageſimo tertio. Fæminæ interdum virilia conſilia dare poſſint, non poſſint juvenes ſenilia?

Juvenilis canities.

Aliquando ſenes mente ſunt pueri; ita juvenes animo ſenuêre: cani enim ſunt ſenſus hominis. Commendat in Trajano Plinius canitiem maturatam, ad ornamentum juvenilis ætatis, quaſi prudentiæ præcocis indicium. Idem, in neſcio quo Chriſtiano Principe commendat ſapiens hiſtoricus Gulielmus Tyrius. Senex noſter Mathathias, in filio Simone, non comæ ſed morum canitiem laudat, & ſenilem in juvene prudentiam: *vir*, inquit, *conſilii eſt.*

Conditiones boni conſiliarii.

Quod autem addit, *erit vobis pater*, non ad prudentiæ ſolùm ut jam dicebamus commendationem pertinet, verùm etiam benevolentiæ; per quam, ut poëticus ille, erat *notus in fratres animi paterni.* Qui de Conſiliatorum delectu ſcripsêre, multa ſuper eorum conditionibus diſputant: quâ ætate adſciſcendi, quibus natalibus, quibus ſtudiis, quibus ab adoleſcentia moribus, quibus conſanguineis, qua linguarum peritiâ, quâ eloquendi facultate? Ipſam liberalis faciei ſpeciem, & ſtaturæ conformationem, ut neque ad ludibrium enormis nec nana ſit, attendendam putant. Sed potiſſimæ omninò ſunt conditiones duæ: ut quàm optimè erga conſulturum affectus ſit, & prudentiâ valeat, qualem mox per partes ſuas daturi ſumus. Harum conditionum utramque in Simone ſuo Mathathias deprehendit, & in bono conſiliario poſtulat Bernardus, ep. 42. ad Senon. Arch. *Ad conſilium ſoli eligantur, qui prudentes eſſe videantur, & benevoli. Abſque prudentia, & benevolentia, non poſſunt eſſe perfecta conſilia.* Prudens erat Simon *vir conſilii*: benevolus erat, & ideò, inquit, *ipſe erit vobis pater*, non frater ſolùm.

Executio pluris, quàm conſilium.

℣. 66. Et Judas Mach. for. vir. a juv. sua. Græcè, *ipſe fortis viribus*, ſeu *potentiâ, à juventute ſua.* Latino *viribus*, & Græco *δυνάμει* innuitur non tantùm corporis, ſed etiam animi robur in Juda Machabæo. Utrumque in imperatore optandum, ſed hoc maximè: utroque ſpectabilis in paucis Judas: neque enim ſine magnis corporis viribus perpetuos labores tolerare, nec ſine inſigni animi fortitudine in tot diſcrimina irruere potuiſſet. *Sit vobis princeps militiæ:* Græcè, *hic erit vobis princeps exercitûs.* Simoni demandatur conſilium,

ſilium, pars prima prudentiæ; ultima & maximè neceſſaria, executio, Judæ commendatur. Quia verò conſilia inter pauciores agitantur; executio autem foras prodit, & palàm conſpicua eſt: ideò pluris, ad populum, eſſe ſolet, qui fortiter exequitur, quàm qui ſapienter conſiliatur.

Sapientium judicio.

Neque ad populum modò, ſed etiam apud ſapientes. Sunt enim prudentiæ partes quatuor. Prima, quæ *providentia* dicitur, à providendo, unde etiam prudentiæ nomen; quia exitus negotiorum ac fines proſpicit: *ſapientiſſimus*, inquiunt Arabes, *hominum eſt, qui fines reſpicit.* Altera *conſilium* appellatur, *ſolertiamq́;* adhibet, ad modoa expediendæ rei, & ad exitum perducendæ, inveniendos. Tertia *judicium* eſt, quo utillimi ad finem modi, ac viæ per ſolertiam propoſitæ, eliguntur. Quarta denique accedit *executio*, quæ quod proviſum, inventum, judicatumq́ue eſt, efficit. Sine executione igitur partes aliæ omnes fruſtra ſunt, quomodò folia & flores ſine fructu, & ſine meſſe ſementis: quod etiam dicturi ſumua cap. 8. ad v. 3. Ut meritò illuſtrior habeatur Simone Machabæus: priusq́us fuerit non Princeps exercitus modò, ſed & populi totius, imò & Pontifex Maximus; licèt Simon ipſo major natu eſſet, ut diximus ſuprà ad v. 2. &c.

In rebus ſalutis noſtræ executio conſilio potior: agere melius eſt, quàm ſcire.

Ad hoc exemplum Principibus & rebuſpublicis in præcipuo honore eſſe debent, non qui conſultare ſolùm nôrunt, ſed qui animis prætereà pollent, ad benè deliberata executioni mandanda. Quorum animorum defectu paſſim videmus, fruſtra agitari conſilia, decreta ferri, edicta publicari: quod in urbibus quibuſdam finitimis quotidianum eſt, neque in aliis infrequens. Eodem exemplo Spiritus Sanctus monitos nos voluit, multò pluris eſſe Fidelibus agere quæ ſciantur, quàm ſcire quæ agantur: & in rebus divini obſequii executionem præponderare conſilio; prudentiam tempore, fortitudinem dignitate antecedere.

Chriſti doctrina ea de re.

Laudavit Dominus in Evangelio *villicum iniquitatis, quòd prudenter egiſſet:* non tantùm, quia prudenter negotii ſui gravitatem, periculum, fines proſpexiſſet: non tantùm, quia ſolerter modoa ſeſe extricandi commentus eſſet: non tantùm, quia rectè facillimum expeditiſſimumq́ue modum elegiſſet: ſed potiſſimùm, *quòd prudenter egiſſet*, & ſtatim abſque procraſtinatione torpidâ, atque languidâ dilatione, cogitata effeciſſet. Sic in ſalutis noſtræ negotio non ſimus ſolùm Simones & viri conſilii, verùm etiam Judæ fortes viribus: proſpiciamus magnitudinem rei, diſcrimina, exitus: exquiramus & comparemus vias, quibus ad vitam æternam enitamur: eligamus commodiſſimam nobis & facillimam, ſpectatâ conditione noſtrâ, animi primùm tum corporis. Si ad iſthæc diſpicienda & dijudicanda ſatis nobis perſpicaciæ non eſt, adhibeamus viros conſilii, aliaq́ue à Carolo Borromæo adhiberi ſolita. Sed iſtis denique deliberatis, perrumpamus omnia exequendi impedimenta; nec diu differamus, quod benè ſtatutum eſt. Sic de Juda hîc ſubditur. *Et ipſe aget bellum populi:* Græcè, *& bellabitis bellum populorum.* Eodem redit utraque ſententia: Judas dux veſter *aget bellum populi* Iſraëlitici, vobis commilitonibus: vos, Judæ commilitones, ſub ejus ſignis bellabitis bellum populorum, id eſt, vel pro tribubus Iſraëliticis pugnabitis, quæ, licèt tunc ferme confuſæ, erant tamen inſtar plurium populorum: vel *bellabitis bellum populorum*, id eſt in permiſtos Iſraëlitis & finitimos populos, eorumq́ue hoſtes, arma feretis.

Accommodatitius ſenſus de Sanctis Simone

Quæ hic habentur de Simone & Juda commodè aptare poſſis ad Sanctos Simonem & Judam Apoſtolos, qui uno die ab Eccleſia Chriſtianis colendi proponũtur, & per Eccleſiam à Mathathia noſtro Chriſto JESU, vide ſupra ad v. 1. capitis hujus. Simon Apoſtolus *vir conſilii eſt*, etſi in Evangelio nihil locutus inveniatur, & verò prudentium eſt parum loqui: ipſo tamen nomine ſuo & cognomine nobis dat optima conſilia. Nomen Simonis *Obedientiam* ſonat, & tibi commendat maximè neceſſariam Chriſtiano virtutem, quam & liberis ſuis poſtremo loco inculcat Mathathias, cùm ait, *intendite in præceptum legis.* Cognomen Cananæus Zelotem ſignificat: zelo arſiſſe Simonem vel ex hoc colligo, quod Mat. 10. ubi nomina Apoſtolorum recenſentur, & ſubindicatur quibus ſociis ad prædicandum miſſi, Simon cum Iſcariote Juda conjungitur: fervens ſpiritu cum frigido, ut hujus frigore non congelaſcat, imò glaciem ejus calore ſuo diſſolvat. Jam zelum ejus attende, cùm à Spiritu Sancto ad Ægyptias tenebras ignis ſui lumine diſſipandas deſtinatus eſt, & ad Perſici ignis Tartareum ſplendorem flammâ meliore mutandum.

Et Juda, Apoſtolus.

Judas Apoſtolus *fortis viribus à juventute ſua:* in ſancta domo educatus, unde Apoſtoli tres, Jacobus, Simon, Judas, quartus Apoſtolatu etiam dignus judicatus, & cum Matthia compoſitus, Joſeph Juſtus. In ea familia inter Sanctos fratres actâ pueritiâ, in Chriſti familia evadit in virum perfectum, & tantis viribus; ut nomem *Lebbæi* meritus ſit, quod non ſolùm *corculum* dici poteſt, ut Iſidoro placuit, ſed etiam *Leoninum* à voce *Labi*, id eſt leo. De eo nomine ſi plura voles conſule Cornelium à Lapide, Prolegomeno in epiſtolam Judæ. En tibi ergo Judam Apoſtolum, geminum Judæ Machabæo, qui ut cap. ſequenti v. 4. videbimus, *ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis.* Lege epiſtolam ejus, vide quantis animis in adverſarios Eccleſiæ invehatur, nonne audire te exiſtimes *catulum leonis rugientem in venatione ſua?* Thaddæi cognomen quàm Lebbæi notius eſt, & Mammæum ſonat, id eſt caritatis lacteæ & ſuavis benevolentiæ plenum erga Eccleſiæ filios, quomodò ardentis zeli erga adverſarios. Mammas illas vide in his verbis Joan. 14. *Domine, quid factum eſt, quod manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?* Optat toti mundo notum eſſe Chriſti nomen, fieri omnes filios Eccleſiæ: ubera caritatis ſuæ quibuſvis nationibus præbet. Habes itaque veri zeli, ardentis pariter & ſuavis, exemplum in Juda. De zelo ſat multa diximus ſuprà ad verſ. 27. quorum partem huc transferre poteris.

Vindicta privata à Chriſto vetita.

℣. 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis. Fideles omnes, & religioni ſervandæ ac tuendæ addictos, vel excipietis ultrò confugientes ad vos, vel evocabitis ad augendas numero vires. *Et vindicate vindictam populi veſtri.* Græcus textus Nobilii totidem verba habet: in Regio non eſt, *vindicate*, ſed ſolùm *& vindictam populi veſtri*, ſupple, *adducetis ad vos*, id eſt, ſumetis vobis onus, populi veſtri de præteritis injuriis, & à præſentibus malis, vindicandi. Quid autem hic dicemus, ad tam odioſum Chriſtianis vindictæ vocabulum? Audiunt à Chriſto diſertiſſima verba: *Ego dico vobis, diligite inimicos* &c. *Ego* caritatis legiſlator, *ego* gratiæ doctor, *ego* pro meis perſecutoribus exorator, quod facio, quod præco, *dico*: imò edico, & præcipio, ut diligatis,

cò ſaltem

eò ſaltem uſque ne malefaciatis, & cùm opus erit etiam benefaciatis: *vobis* dico diſcipulis, ſubditis, filiis; diſcipuli diſcite, ſubditi obtemperate, filii imitamini. Imitamini filium Dei & filium hominis, nobiliſſimum inter mortalia exemplar: ſimul imitamini immortalem Patrem, qui in cælis eſt: *Vt ſitis filii ejus, qui Solem facit oriri ſuper bonos & malos*, Solem & corporum, & animarum. Iſta ſunt Patris lineamenta; quæ ſi præferatis, tam facilè internoſcemini pro Dei filiis, quàm à Gabelo junior Tobias pro ſenioris filio agnitus eſt.

Chriſtianis fugienda.

Is fuit Sanctorum vultus ab Eccleſiæ cunabulis. Non vides vultum Stephani orantis pro inimicis, non jam uti paullò antè in Concilio ſicut vultum Angeli, ſed ſicut vultum Dei? Non vides Polycarpum ſatellitibus, ad ſe comprehendendum miſſis, cibos inferentem? Præterea prima iſta ſecula, heroicis ejuſmodi virtutibus affluentia. Media etiam tranſilio, & ipſa ultima noſtroque hærentia, iiſdem abundantia egregiis actibus, ut Vitarum ſcriptores notavêre. Duos omnino ex noſtra ætate produco illuſtriſſimis natalibus, eminentiſſimo in Eccleſia gradu, quorum adhuc cônverſatio recens apud multos eſt. Vivis exceſſit anno ſeculi noſtri viceſimo ſexto Alexander Urſinus Cardinalis. Molitus illi aliquando necem quiſpiam, nullâ laceſſitus injuriâ; cùm non ſucceſſiſſet, epiſtolam ad eum miſit contumelioſiſſimam. Redditæ fuerunt ſacris operaturo: aperuit, & legit, vultu quo officioſæ ſolent: tum cælum ſuſpiciens; tandem, inquit, ô Deus, oblata eſt occaſio injuriæ, propter te, & tuo exemplo condonandæ. Sic locutus epiſtolam reſcidit, & ne quod exſtaret injuriæ veſtigium, quod olim perſequi conſanguinei poſſent, ad ardentem cereum combuſſit. Hauſi hoc ex P. Allegambe in Bibliotheca Societatis: alterum ex ſcriptore vitæ Cardinalis Rupefucaldii, cujus memoria mihi omnibuſque, qui eum vidêre, ſuaviſſima eſt. Surripuerat aliquis ex ipſo ejus intimo cubiculo ſummam non levem: nec latuit auctor furti tam impudentis. Contra ipſum tamen non modò nihil movit, ſed neque ab alio quoquam moveri paſſus eſt; fecitque, quod erga ejuſmodi ſolebat, ut benefactis obrueret malefacientem.

Judæis, & Ethnicis ingrata.

Tantum apud iſtos verè Chriſtianos potuêre Chriſti verba, Dei exempla. *Reſpondere enim nos*, inquit Pontius Diaconus in vita S. Cypriani, *decet natalibus noſtris, & quos renatos per Deum conſtat, degeneres eſſe non convenit; ſed probari potius in ſobole traducem boni partus æmulatione bonitatis.* Quid autem de Chriſtianis loquor? Apud Judæos, quibus dens pro dente, oculus pro oculo expetitur, inclamat Deus, *mihi vindictam*; monet Sapiens, *ſi eſurierit inimicus tuus, ciba eum.* Joſeph Chriſtianus non erat, cùm fratribus ignovit: David, cùm Saüli pepercit, Chriſtum præviderat, non audierat. Quid Judæos adduco? *Nonne & Gentes hoc faciunt?* Pericles maledicum, per tenebras convitiis inſequentem, jubet à famulo domum cum face reduci. Bibulus interfectores filiorum ſuorum liberos dimittit. Vociferatur Satyricus, *feminei eſt animi, exiguique voluptas, Vltio.*

Vindicta publica juſta.

Quid jam Mathathiæ faciemus? Vindictam, à Chriſto damnatam, commendat Chriſti præcurſor? Vitium, à Dei bonitate alienum, amat ſummus Dei Sacerdos? Sapientibus Judæis contrarius ſapiens ſenex? Fœmineam voluptatem ſectandam proponit Heros generoſiſſimus? Neutiquam. Aliud enim longè privata, aliud publica vindicta. Illam damnat Chriſtus, non commendat Mathathias. Hanc numquam damnavit Chriſtus, alioqui bella ipſa damnaturus: commendat Mathathias, ad populi Iſraëlitici bonum. De hac vindicta publica partim quædam diximus Exc. Mor. 4. ad capitis primi verſum 17. numero 5. & 6. partim quædam Excurſu 2. ad hunc verſum num. 11. & 12. dicturi ſumus. Adverte tamen & hîc obiter, Græcè *vindictam* vocari ἐκδίκησιν, quod nomen à δίκης id eſt juſtitia dirivatur: ut vel hinc diſcas publicam vindictam juſtam eſſe, cùm fine ſuo & modo continetur, neque aliam à Mathathia commendari. Eòdem ſpectat & verſus ſequens.

Et repreſaliæ.

℣. 68. Retribuite retributionem Gentibus. Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur, reddendum par pari hoſtibus ad publicum bonum, & qua menſura menſi fuêre, remetiendum. Juſtum enim eſt, ut qui ſarcire damna per ſe ſuóſve illata nolunt, cùm poſſint, cogantur paris ſentire, & malo ſuo in poſterum cautiores atq; æquiores fiant. Iſti fundamento innititur jus publicarum revindicationum, ſeu repreſaliarum: quibus repetitur & recipitur per vim de finitimo populo, aut ejus membris, quantum antè publicè aut privatim eripuêre, vel detinuêre. Neque id alio fine fit, quàm ut injuria compenſetur; & deinceps coërceatur, rependendæ talionis metu.

Ultimum Mathathiæ monitum.

Et intendite in præceptum legis. Hoc ultimum eſt monitum ac præceptum, quò cætera referuntur. Eò conſilia Simonis, eò arma Machabæi, eò vindicta de hoſtibus tendant. Vides magnanimum ſenem, & ſpiritu Dei plenum, non ad temporalem patriæ ſalutem, ſed ad Dei obſequium & legum ejus ſanctam obſervationem præcipuè, imò unicè fermè, ſpectare? Quæ purior intentio eſſe poſſit, quàm quâ *intenditur in præceptum Legis*, ad Deo ſerviendum, obediendum, placendum? Ut mihi videatur Mathathias, in principio quidem & curſu exhortationis ſuæ, liberis veræ gloriæ mercedem ac præmia æterna, ad eos animandos, propoſuiſſe: ſed poſtremis hiſce verbis eos hortatum, ad Deo impendendas vires & vitas, etiam nullo alio reſpectu, aut ſpe, quàm ipſi obſequendi & placendi. Græcè pro *intendite* habetur προσέχετε, *attendite ad præcepta Legis.*

Benedictio liberorum.

℣. 69. Et benedixit eos. Beneprecatus eſt, more parentibus morientibus, apud Judæos præſertim, celebrato. Quid autem aliud precatus eſt, quàm ut monita ſua ac præcepta liberi ſervarent? Quid autem, ſi & exemplo Patriarchæ Jacobi liberis ſingulis ſingulas benedictiones impartitus eſt, prout eos nôrat? Etſi hîc non exprimatur, mihi tamen videtur probabile; quandoquidem v. 65. & 66. liberis duobus officia ſua diſtribuerit, ſingulis etiam benedictiones ſuas diviſiſſe.

Quid ſit apponi ad patres ſuos?

Illis perfectis, *Appoſitus eſt ad patres ſuos*, id eſt mortuus eſt quomodò ipſius majores: aut etiam innuitur animam Mathathiæ appoſitam ad patres ſuos, id eſt ad animas Sanctorum è lege naturæ & Moyſi acceſſiſſe, in limbum receptam, ſeu in ſinum Abrahæ, ut loquitur Chriſtus, ut ibi Meſſiæ adventum præſtolaretur. De limbo nos aliquid Exc. ad cap. 13. ſect. 1. num. 9.

Mortui cur apud Catholicos vocantur Defuncti?

℣. 70. Et defunctus est, ἀπέθανεν, *mortuus eſt*. *Defunctus* abſolutè poſitum pro *mortuus*, etiam apud Latinos auctores reperies, nominatim apud Curtium. Quod hîc obiter annoto, ut rideas hiſteriones quoſdam è Novatoribus, qui Catholicos rident, quod Officium *Defunctorum*, Miſſam *Defunctorum* dicant, pro *Mortuorum*. Imò magis Chriſtianè nomen *Defunctorum* uſurpamus quàm mortuo-

mortuorum: *mori* enim nihil quàm privationem indicat; *defungi* autem tranſitum quemdam, mutationem & quietem quamdam potiùs indicat, quàm privationem. Per mortem munere ſibi in vita impoſito defungitur Fidelis, tranſit ad aliud, ſtationem mutat, à labore vocatur ad quietem, ab actione ad contemplationem; ideò meliùs *defunctus*, quàm mortuus.

Quo anno mortuus Mathathias?

ANNO CENTES. ET QUADR. SEXTO. Capite primo v. 57. dicitur *abominandum idolum deſolationis* erectum *anno quadrageſimo quinto* Monarchiæ Græcorum. Capite ſecundo v. 1. dicitur Mathathias *ſurrexiſſe in diebus illis*, id eſt, ſub id tempus Hieroſolymâ, ubi conſiſtere tutò & honeſtè non poterat, exceſſiſſe, animoſque & arma ſumpſiſſe, ad defendendam patriam ac religionem. Jam dicitur mortuus anno ſexto. Hinc habes, benè à nobis in Chronotaxi datum Mathathiæ ſolummodò annum unum Principatûs & Pontificatûs.

Sepulturæ ſacræ Hebræis cura.

ET SEPELIERUNT EUM IN SEPULCRIS PATRUM SUORUM IN MODIN. Magnam apud Hebræos curam ſepulturæ fuiſſe, conſtat ex innumeris Scripturæ locis, & repetitis ab ipſo uſque Abrahamo exemplis, qui ſpeluncam & agrum emit ad ſepulturam. Nominatim pro magno ab ipſis habitum, in terra promiſſa, in ſepulcris patriis, propè ſanctorum virorum corpora ſepeliri. Ut Jacobi exemplum taceam, qui cavit disertè Gen. 47. ne in Ægypto cadaver ejus conderetur, ſed in Chananitidem quaſi terram ſanctiorem transferretur; quem paullò pòſt filius Joſeph imitatur. Ut prætercam prophetam illum Bethelicum, qui apud oſſa prophetæ alterius cadaver ſuum reponi voluit, 3. Reg. 13. Ecce hoc loco quaſi res notatu digna memoratur, Mathathiam ſepultum eſſe in ſepulcris patrum ſuorum: & 2. Mach. 5. notatur quaſi pro inſigni ſupplicio, apoſtatam Jaſonem patrio ſepulcro non participâſſe.

Item Chriſtianis.

Seneca ep. 92. *Neminem*, inquit, *de ſupremo officio rogo nulli reliquias meas commendo. Ne quis inſepultus eſſet, rerum natura proſpexit. Quem ſævitia projecerit, dies condet. Disertè Mæcenas ait: Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.* Dixerit hoc profanus philoſophus, nondum Chriſtianus, ſi tamen umquam fuit, & adhuc de ſtatu rerum poſt mortem incertus. Aliter tamen Fideles ſentiunt ex fide immortalitatis, & ſpe fælicis reſurrectionis. Patribus illis antiquis, hoc reſpectu, cadaverum ſuorum cura erat: idem Chriſtiani intuentur, cùm cœmeteria ſacra ad ſepulturam deſiderant.

Cœmeteriorũ uſus.

Cœmeteriorum uſum, jam inde ab Apoſtolicis temporibus, apud Chriſtianos ſacrum fuiſſe nemini dubium eſt, qui tantillum antiquitates Eccleſiaſticas deguſtârit. Conſulere poteris ea de re Baronium anno 226. ubi numerat, & nominat facilè quadraginta tria cœmeteria Romæ, & in vicinia, priſcorum illorum Fidelium condendis corporibus. In iis cœmeteriis Fideles ſepeliri deſiderâſſe, vel ex eo patet, quod Tertull. narrat libro de Anima: *in cœmeterio corpus corpori juxtà collocando, ſpatium receſſu communicâſſe.*

Sepultura in templis.

Imò & pro beneficio petiſſe ſepulturam in ipſis baſilicis Martyrum, conſtat ex libro Auguſtini de cura pro mortuis, qui totus fermè eſt ea de re. Cùm enim Paullinus à pia vidua rogatus, ut filium ſuum in baſilica Martyris conderet, ſuper ea re Auguſtinum conſuluiſſet: hic reſpondit, ejuſmodi ſepulturam defuncto prodeſſe ex occaſione, quia magis ibi pro illo oratur, Martyri commendatur. Eumdem fermè in modum Greg. 4 Dial. c. 50. *Quos*, inquit, *gravia peccata non deprimunt, his prodeſt mortuis, ſi in Eccleſiâ ſepeliuntur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem ſacra loca conveniunt, ſuorum, quorum ſepulchra conſpiciunt, recordantur, & pro iis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad abſolutionem potiùs, quàm ad majorem damnationem, eorum corpora in Eccleſiis ponuntur, &c.*

Impiorum corpora inde prohibenda.

Contaminanda ſcilicet non ſunt templa cadaveribus impiorum. Quam in rem memorabile eſt illud S. Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis, apud Baron. anno 1191. Viſitans diœceſim, in templo Monialium de Godeſtove vidit tumbam ante Chori altare, ſericis ornatam & cereis circumdatam. Cujus hoc? inquit. Reſponſum, eſſe ſepulcrum Roſamundæ, quondam concubinæ Henrici regis, hunc illius reſpectu multa iſti templo largitum. Ad hæc Hugo: Tollite, inquit, eam, quia ſcortum fuit, & ſepelite extra Eccleſiam, ad aliarum exemplum. Ita factum. De ſepulcris diſſerendi locus erit ad caput 13. hujus libri, ad verſ. 27. in Comm. & initio Excurſus.

Ceremoniæ Hebræorũ in funeribus.

ET PLANXERUNT EUM OMNIS ISRAEL PLANCTU MAGNO. Paſſim iſte planctus pro mortuis in Scriptura occurrit, ut fruſtra ſit loca annotare. Solennia autem erant Hebræis in funere; jejunium uſque ad veſperam; fletus publicus; virtutum defuncti commemoratio; leſſi, ſeu lugubres cantus. Accedebat plerumque complosio manuum, percuſſio pectoris, laceratio veſtium, aliáque ſigna triſtitiæ, quæ eò celebriora erant, quò majus funus, quale Mathathiæ patris patriæ. In hoc certè, non jejunia ſolùm, lacrymas, lamentationes, ſed etiam pectoris percuſſionem adhibitam, ex ipſa voce *plangendi* conjicio, & quidem *plangendi planctu magno*. Id enim iſta vox ſonat. Græcè habetur ἐκόψαντο κοπετὸν μέγαν, quæ voces à verbo κόπτω, id eſt *percutio*, derivatæ, ſatis apertè innuunt, eam percutiendi pectoris cæremoniam in funere Mathathiæ ad cæteras acceſſiſſe.

Vetitæ inciſiones.

Solitas prætereà olim fieri inciſiones apud Hebræos in exequiis, ad teſtandum magis dolorem, colligitur ex Levitici 19. ubi barbara illa, & planè profana conſuetudo vetatur: *Super mortuo non incidetis carnem veſtram.* Vide & Jerem. 16. verſ. 6. ubi mos ille in conſuetudinem inductus ſupponitur. Quantò meliùs Mathathiæ liberi, ut fortiſſimo patri parentalia digna facerent, ſtatim ab ipſius funere corpora ſua non incidêre, ſed incidenda dedêre, & vulneribus excipiendis pro patria expoſuêre, exemplo patris?

Catholicorum cæremonias in exequiis quàm ineptè Acatholici ſugillẽt?

Catholicorum in funeribus cæremoniæ tantò ſunt ſanctiores, quantò Eccleſia Synagogam antecellit. Oblatrent licèt profani Calviniſtæ, quibus non alius in ſepeliendo ritus, quàm comitatus propinquorum, & obſcura neſcio quæ Miniſtri ſubmurmuratio. Rideant Semi-hæretici & Libertini: qualem narrat Spondanus anno 1573. Michaëlem Hoſpitalarium ex Judæi Medici filio Cancellarium Galliæ, ſed Cancellariatu motum, quòd pronus eſſet ad Calviniſmum. Is moribundus teſtamento facto, nihil de ſalute animæ quidquam, aut de vita futura; vitam ſolùm actam venditavit; & ad finem prorſùs profanè: *Funus*, inquit, *ſepulturam meam, & cætera ejuſmodi, quæ Chriſtianis videntur mania, permittò uxori, domeſticiſq; meis.* Ita profanus homo, qui ſi quid de antiquitatibus Eccleſiaſticis audiſſet umquam, credo magis ſapuiſſet.

Earum conſtans uſus, à primis Eccleſiæ ſæculis.

Conſtat enim, uſum pſalmorum, orationum, cereorum, thuris, &c. in funeribus eſſe vetuſtiſſimum: ſacrificiorum item, & anniverſariorum pro

Defunctis.

Digitized by Google

Defunctis. Conſule Baronum id fusè probantem ex Prud. Ambr. Nyſſ. anno Chriſti 34. à num. 310. Tres tantùm ego teſtes adduco exceptione majores, pro illa conſuetudine aſtruenda; ut in ore trium ſtet omne verbum. Primus ſit Dion. cap. 6. de Hier. Eccleſiaſtica, quod totum eſt de Catholico ritu ſepeliendi mortuos, eorumque myſtica contemplatione & explicatione. Nec pugno multùm, an iſte Dionyſius ſit Areopagita. Omiſsâ enim quæſtione, hoc loco ſupervacuâ, ſat mihi erit: Patrem illum qualemcumque, certè doctiſſimum, vixiſſe omnium confeſſione intra quatuor prima Eccleſiæ ſæcula. Alter ſit Tert. lib. de anima: *Scio*, inquit, *fœminam quandam vernaculam Eccleſiæ, forma & ætate integrâ functam, poſt unicum & breve matrimonium, cùm in pace dormiſſet, & morante adhuc ſepulturâ interim oratione presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis, manus à lateribus dimotas in habitum ſupplicem conformâſſe, rurſumq; condità pace, ſitui ſuo reddidiſſe.* Vides in iis verbis orationem presbyteri pro defunctâ, & ejus approbationem miraculo factam. Tertius erit Auguſtinus qui lib. 9. Conf. cap. 12. dicit *juxta ſepulcrum poſito cadavere* matris ſuæ, *ſacrificium pretii noſtri oblatum* fuiſſe: vide & cap. 11. ac 13. ejuſdem libri. Idem conc. 2. in pſ. 103. *Pauca*, inquit, *nos dicere cogit temporis anguſtia: quòd novit & caritas veſtra, debere nos exequiis fidelis corporis ſolenne obſequium.* En obſequia, exequias, ſacrificia, orationes presbyterorum pro defunctis, primis Eccleſiæ ſæculis celebratas. De ſacrificiis fuſiùs dicemus ad lib. 2. cap. 12. Exc. 2. ſect. 2.

EXCURSUS I. MORALIS

Ad Cap. 2. v. 37. Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra.

Multis calamitates bellicas cæli janitrices eſſe.

I. Per bella multis cælum aperitur.

QUID ſibi velit iſta Judæorum ſimplicitas, exegimus in Commentariis: indéque collegimus, fæliciter mortuos, quia innocenter & ſanctè. Bella igitur iſtis aditum aperuêre ad limbum Patrum, poſteà ad æternitatem beatam. Idem multis calamitates bellicæ, & olim fecêre, & hodie faciunt: vel omninò perituris, vel certè ad cælum ſeriùs venturis, ſi iſtæ non ingruiſſent. Itáque Fideles, voluntati divinæ ex animo ſubditi, inter bona belli effecta & hoc numerare poſſunt; & pleraſque cædes ac mortes aſpicere, velut navim ad inſulas fortunatas delaturam, aut equum maturando itineri admotum, aut monitorem, qui nos ſolicitet, ut ruiturâ domo egrediamur. Adeóque, quomodò Philo ſpem naturæ janitricem dixit: ita nos bellum vocare poſſimus, cæli & æternæ pacis janitorem.

II. Mors non timenda.

Cyprianus lib. de Mortalitate Chriſtianos increpat, quòd mortem nimis extimeſcant: idem eos facere, ac ſi, in alto mari tempeſtatibus ac piratis expoſiti, *propitium ventum non optent*; ut ad patriam regrediantur. Tum ſubdit, tamquam rem ſibi perfectè cognitam, de ſacerdote ad mortem ægro, dies ſibi prorogari à Deo poſtulante: ei juvenem ſtaturâ procerâ, radiante vultu, adſtitiſſe, increpâſſéque his verbis: *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Neque objicias, quod Victorinus Auguſtino, ſuaviorem eſſe Chriſtiano ac ſecuriorem in lectulo mortem. Reſpondebo enim cum iſto ep. 122. *Bonos dicis Dei ſervos, & fideles, & functos gladio barbarorum peremptos. Quid autem intereſt, utrùm eos febris an ferrum de corpore ſolverit? Non quâ occaſione exeant, ſed quales ad ſe exeant, attendit Dominus in ſervis ſuis.*

III. Ex malis temporalibus æterna fælicitas.

Benè autem pleroſque per bella de corporibus exire, non aliunde meliùs quàm ab experientia diſcere poſſumus. Certè Auctor hom. de urbis excidio inter opera Auguſtini, non dubitat aſſerere, per obſidionem illam, & expugnationem, multis viam ad ſempiterna bona patuiſſe. *Utinam*, inquit, *videre poſſemus oculis animas Sanctorum, qui in illo bello mortui ſunt! Tunc videretis, quomodò Deus pepercerit civitati. Millia enim ſunt Sanctorum in refrigerio, lætantium, & dicentium: Deo gratias tibi, quia nos à carnis moleſtiis liberâſti.* Idem factum an. 1147. quando D. Bernardus, concionabundus Europâ totâ, ingentem cum Conrado Imperatore, & Rege Galliæ, aliiſque Principibus, armatorum Fidelium exercitum ad bellum ſacrum in Syriam impulit. Tanti conatus, cælo auctore cæpti, plurimiſque approbati miraculis, in irritum recidêre. Extincta copiarum maxima pars. Inde querimôniæ adversùs D. Bernardum, & obloquia aperta. Ipſe dicere ſolitus, teſte Gaufrido in ejus vita, eam expeditionem à Deo deſtinatam fuiſſe non Jeroſolymæ terreſtri liberandæ, ſed cæleſti implendæ. Lugendam magis eorum ſortem, qui inde reverſi ad priſtinam peccandi conſuêtudinem redière, quàm qui laboribus perpurgati expiatis culpis occubuêre. Abbas Caſæ-maris ep. 333. inter epiſtolas Bernardi, ſcribit ſibi, de illo divinæ Providentiæ conſilio attentè cogitanti, adfuiſſe Divos Martyres Joannem & Paullum, dixiſſéque: infructuoſo in ſpeciem bello ſacro cælum à multis vi captum, inſtauratáſque Angelorum ruinas. Vide, ſi lubet, iſthæc fuſiùs recitantem Baronium tomo ult.

IV. Jeruſalem terreſtris Jeruſalem cæleſtem implet.

Apud eumdem ex Cantipratano narratum reperies, ad annum 1187. quo tempore Hieroſolyma capiebatur ab Saladino, indignáque plurima ac dira patrabantur, circumlatâ etiam ludibrio ſacrâ Chriſti Cruce ac cæſâ, D. Chriſtinam Mirabilem, tunc fortè in piorum aliquot conſortio agentem, repentinâ lætitiâ exultare cæpiſſe: & ſciſcitantibus, quid

quid hoc ſibi gaudii vellet, reſpondiſſe, captam eo tempore Hieroſolymam à barbaris. Cùm mirarentur etiam magis, quærerentque, eáne eſſet materia gaudii? Omninò, inquit; nam hac occaſione bella ſacra edicentur, multique pro recuperandâ Hieroſolymâ merentes cælum merebuntur. Gaufridus, de obmurmurationibus contra D. Bernárdum ob expeditionem Syriacam locutus, *Patienter*, inquit, *tolerat Salvator opprobrium, quod tantarum animarum ſalute compenſat.* Idem de probris ipſi, Hieroſolymâ amiſsâ, illatis dicendum eſt. Qui ad hominum ſalutem probra ſuſtinuit, cùm mortalis eſſet: etiam nunc eodem fine ſimilia lubenter patitur.

V. Caſtitas morte ſervata.

Quis rectè ſentiens vicem Virginum Antiochenarum doleat? Quæ ad annum 1268. Antiochiâ per Bendocdarem Ægyptium Sultanum captâ, omnes ſibi, Præfectæ Abbatiſſæve exemplo, naſum præcidêre, ut hoſtem libidine furentem ab ſeſe averterent: omneſque ideò à barbaris occiſæ. Ea clade ferunt capitum millia ſeptemdecim occiſa, capta millia centum. Ingens certè Chriſtianæ rei infortunium, ſed fælicitate fortium virginum, caſtitati immortuarum, abundè compenſatum eſt. Ita Spondanus narrat. Apud quem etiam anno 1291. geminam iſti hiſtoriam reperies, de puellis Franciſcanis, quibus à D. Clara nomen, Ptolemaide, ſive Accone, per barbaros occiſis, virginitate per fædatum vultum provocatamque cædem ſervatâ.

VI. Pretioſa mors cæſorum in bello.

Nortmannis efferè per Europam univerſum graſſantibus, Leo IX. Pont. Max. copias tuendæ ditioni ſuæ collegit. Quis Sancti Pontificis militem, tam juſtâ cauſsâ pugnantem, non putâſſet victorem fore? Sed aliter Deo viſum. Inde optimo Pontifici perpetuæ lacrymæ: & ex illo ſacrificia pro defunctis illis quotidie oblata. Reum enim ſe cladis, cædiumque, arbitrabatur. Donec ſacrificaturo Angelus aliquando adſtitit, vetuitque, ne pro defunctis ampliùs faceret: ſed, agendis pro eorum morte gratiis, ſacrum de Martyribus diceret, hoc Introitu, *Sancti tui Domine florebunt ſicut lilium. Pretioſa enim*, inquit, *eſt mors Sanctorum, in iſto prælio interfectorum.* Qua de re conſule Raderum in Bavaria Sancta.

VII. Adeóque non lamentabilis.

Convenienter iſtius Angeli dictis egit D. Hedvigis, mater Ducis Sileſiæ Henrici, cui Bono agnomen. Tartari, vaſtatâ Poloniâ, Sileſiæ imminebant. Monita cælitus Hedvigis fore, ut filius ſuus ab eis occideretur, non modò tamen prælium non diſſuaſit, ſed etiam ad illud hortata eſt. Comparatus Chriſtianis myſteriis, milite iiſdem procurato, in hoſtem ducit, non multitudine magis quàm præſtigiis fretum. Primo congreſſu victor: ſed mox prælatâ à Tartaris haſtâ, cui caput nigrum ignivomumque infixum erat, conturbatis ſuis, & in fugam averſis, cæſus eſt; periêre ſimul tanto numero Sileſi, ut extremis mortuorum auriculis reſectis ingentes ſaccos novem opplêſſe Tartari dicantur. Ad ea nova illacrymante Ducis viduâ, cæteriſque gementibus: Hedvigis ſiccis oculis, erectoque animo, gratias Deo agere, quòd filium cariſſimum, ſibique ſemper morigerum, tam fæliciter mori voluiſſet. Ita refert Spond. an. 1241. num. 2.

VIII. Bella ſacra velut Martyres faciũt.

Video oppoſitum iri: bella iſta, è quibus tanta mortis fælicitas extitit, ſacra fuiſſe. Etſi apud Baron. & Spond. an. Chriſti 610. rejecta dicatur poſtulatio Phocæ Imperatoris, flagitantis, ut milites in bello contra Infideles occiſi haberentur pro Martyribus: idemque fruſtra ab Nicephoro Phoca tentatum ſit an. 964. Sunt tamen etiamnum, qui eum titulum militibus ejuſmodi aſſerant. Videtur ab ea ſententia non longè abfuiſſe Joannes VIII. apud Bar. an. 878. hæc ſcribens: *Qui cum pietate Catholicæ religionis in belli certamine cadunt, requies eos vitæ æternæ ſuſcipiet, contra Paganos & Infideles ſtrenuè dimicantes.* Et infrà: *Quantum fas eſt, abſolvimus, precibúſque Deo commendamus.* Ubi benè notanda & expendenda ea particula, *quantum fas eſt*; quæ iſtud, ni fallor, reſpicit pro axiomate receptum in Eccleſia: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Reperio etiam apud Mendozam, tom. 2. cap. 4. n. 11. ſub finem, Olyſippone templum D. Virginis Martyrum, id eſt cæſorum pro recuperanda de Mauris civitate: idemque Mendoza ait, milites pro religione morientes à Bernardo Martyres dici: nec temerè, cùm Martyres, quia fidei cultúſve divini teſtes. Nec forſan refert, quòd milites repugnando occidantur: cùm ad martyrium cauſſa requiratur, non pœna, nec patientia pœnæ abſque ulla reluctatione. Quid enim ſi Abel Caino reſtitiſſet, ſi Daniel ſatellitibus eum ad leones trahentibus reluctatus fuiſſet, ſi Stephanus ſeſe adversùs lapidum nimbum aliquamdiu muniîſſet, ſi de carcere aut carnificum manibus elabi Petrus Paulluſve conati eſſent, an idcirco Martyres non forent? Certe diverſa longè ſunt, Deo reſiſtere, & hominibus, Deo ac bono publico inimicis, repugnare. Abſit illud à Chriſtiano milite, qui lubens mortem pro Deo excipit, cùm pro ipſo pugnat. Sint ergo bella ſacra fortunata ob pretioſam cæſorum eâ cauſsâ mortem. At quid de tot aliis bellis dicemus; ubi fratres inter ſe ac Fideles de honore vel finibus certant, ſanguiſque Chriſtianus Chriſtiano ferro exigitur, quæriturque præmium pretio vitæ humanæ inferius?

Hic ſtringi me fateor: cogorque admittere, qui malis de cauſſis, animóve pravo, militant, ab Infidelibus non longè abeſſe. At qui patriæ etiam iſtis bellis defendendæ arma ſumunt, & cadunt; qui, ut imperanti legitimo Principi obtemperent, mortis periculum adeunt; qui juſtæ cauſſæ militant, proximè ad ſacris bellis militantes accedunt. Sacer enim & Deo gratus eſt patriæ amor, obedientia Principi debita, & juſti æquique defenſio. Ajebat Lyricus Latinus ex Græco, *Pulcrum, & decorum eſt, pro patriâ mori.* Chriſtianus pulcrum etiam & decorum exiſtimabit, non hominibus tantùm teſtibus, ſed Deo ipſo; qui boni publici ac patriæ amorem nobis eſſe pluris voluit, quàm cariſſimorum parentum, ac noſtrum ipſorum. Inde inter rationes à Mathathia ac filiis propoſitas, pro armis ſumendis, adeundiſque intrepidè diſcriminibus, iſtam non poſtremo loco poni invenies: *Melius eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ.* IX. Juſta bella, ſunt ſacra.

Claudamus itaque, quomodò incæpimus: bella morteſque per bella illatas non adeò formidandas eſſe, quemadmodùm prima ſpecie apparent. Dicamuſque trepidantibus, quod Aug. Catechumenis ſuis lib. 4. ſub finem. *Quid metuis, ô anima? Chriſto Domino dicata es, atque ipſo donante benè vivis*, militando ac pugnando gratum ipſi facis, *& ad regnum Dei pervenire contendis. Ut quid formidas vehiculum mortis?* Si pedes iter facias ſalebroſâ viâ ac lutoſâ, & benè laſſus atque anhelus; rhedam commodam, feſtinando itineri vitandiſque incommodis ultrò oblatam, an reſpuas? Sic ubi Deus bellicorum tumultuum vehicula offert. Eâ de re etiam aliquid brevi Excurſu tertio. X. Vehiculum cæli eſt mors.

EXCUR-

EXCURSUS II. MORALIS

Ad Cap. 2. *v.* 67. Vindicate vindictam populi veſtri.

Solatium calamitatum bellicarum ex conſiderationibus humanis.

I. Solatia ex humanis non reſpuenda.

HUMANAS conſolationes Chriſtianæ menti ad doloris lenimen adhiberi, moleſtè forſan ferant ſeveriores quipiam. Sed advertant eas, vel à ſanctiſſimis, uſurpatas fuiſſe. Certè Poſſidonius de Auguſtino narrat, ad Vandalicas Africæ ſuæ vaſtationes, aliaque ex aliis ruentium domuum, cæſorumque hominum nuntia, ſolitum ingeminare iſtud, neſcio cujus philoſophi: *Non erit magnus, magnum putans, cadere ligna & lapides, & mori mortales.* Et Propheta Regius, tot divinis cogitationibus inſtructus; tamen ad detergendas ex obitu filii, de Bethſabea ſuſcepti, lacrymas, conſiderationem unam ex rei natura obviam arripuit: fruſtra fore luctum, viventi gravem, mortuo inutilem, de quo ſuſcitando ſperari non debeat; cogitandum eſſe potiùs de eodem itinere brevi ingrediendo. Vide 2. Reg. cap. 12.

II. Divina uſus facere poteſt.

Moſes virgâ ſuâ, miraculorum inſtrumento, aridam rupem percuſſit, largaſque inde aquas, reſtinguendæ multitudinis ſiti, elicuit. Arida videantur ex naturæ philoſophiæque præceptis ſolatia, parumque ſatiandis Fidelibus idonea. Si tamen, ut decet, tanguntur, ſuavis inde & copioſus latex profluit. Utere rationibus humanis divino fine, naturam miraculo mutâris, & ſupranaturalem feceris. Ita celebris ſcriptor Boëthius libros ſuos compoſuit de philoſophica conſolatione: qui tamen Theologicâ doctrinâ imbutus altioribus cogitationibus abundabat, nobiſque eas tranſmiſiſſe facilè potuerat; niſi exiſtimâſſet, plerumque magis obvia, & quæ ſenſibus rationique ſubjecta ſunt, efficaciùs animum movere. Inſtitêre Boëthii veſtigiis, Petrarcha de fortunæ utriuſque remediis, & alii, qui patrum noſtrorum memoriâ ſcripsêre de Conſtantia, Latino Gallicóve ſermone.

III. Socius in calamitate ſolatium.

Duas ego omninò conſiderationes de multis depromam. David 1. Reg. 19. cùm fugiſſet Saülem vice penultima, vênit ad Samuëlem *in Najoth in Ramatha*, quod Chaldæus vertit, *in domum doctrinæ in Ramatha.* Ubi mala publica ingruunt, confugiendum eſt ad domum doctrinæ, ſalubria ſapientum priſcorum documenta commemoranda. Eorum unum eſt, quod vulgus in ore habet: *Socius in pœna ſolatium.* Etſi enim iſtud Seneca uſquequaque probare non videatur, cùm dicat, in Conſolatione ad Marciam, *Malevoli ſolatii genus eſt turba miſerorum:* experientiâ tamen tangitur ejus utilitas. Quotuſquiſque tam infirmo animo eſt, quem ſui non ſuppudeat? Quando plangenti, ululantique inter calamitates, occinueris iſthæc, quibus non abſimilia multa ſæpè Seneca recantat, paullò aliter alibi ſentiens: Ecquidnam conquereris, cùm patiare quod plurimi? Quid fit tibi, quod non ſolet? Ergo tu velis eſſe inter omnes eximius? Lex iſta naturæ eſt, ut conflictemur, & patiamur: quâ tu fronte præ cæteris gratiam legis tibi fieri poſtules? Quo merito exigas, quod impetravit nemo, quamvis te melior, potiorque?

IV. Uſus ea cõſideratione philoſoph^s.

Ea conſolatione Democritum philoſophum efficaciter uſum ferunt apud Artaxerxem Perſam. Amicum conſiliorum omnium participem, arcanorum depoſitarium, mentis ac pectoris ſui cuſtodem amiſerat. Inde lacrymæ ſiccari neſciæ, altiſſimuſque & non extirpabilis mæror. Demum cùm ipſe ſibi oneri eſſet, circumſpectare cæpit remedia; & quia vilia videbantur quæ ad manum erant, peregrina arceſſere ſtatuit. Celebrari ſermonibus omnium Democritum audierat: ad eum legatos miſit, poſtulatum, ut ſi quid ars ejus poſſet, vel amicum vitæ redderet, vel oneroſum ex eo amiſſo luctum tolleret. Reſponſum: ab Rege difficiles admodùm res expeti: datum tamen iri operam, ut curarentur, ſi ipſe viciſſim efficeret quod rogaretur. Prolixè adpromisêre legati. Ergo, inquit Democritus, vos de tam vaſto Artaxerxis imperio, imò ex orbe univerſo nomina mihi triena afferte hominum, qui ad annum uſque viceſimum abſque morſu infortunii vixerint. Eorum ego nomina tumulo demortui inſculpam, daboque redivivum. Intellexêre illi, & Regi ſapiens ſolatium, ex miſerorum undique multitudine, retulêre. Ita non malè malus vir narrat, apoſtata Julianus.

V. Alter item pari ſucceſſu.

Non abſimile fuit Solonis conſilium, apud Lipſium lib. 2. de Conſt. cap. 26. Lamentanti neſcio quem caſum amico, & ſanitatem mentis reſpuenti, improviſus affuit, petiitque, ecquid placeret inambulare? Ille ratus id officii ad levandum tantiſper mærorem offerri, non tamen tanto viro recuſavit. Obambulatis Athenienſibus vicis, ad arcem deveniunt, unde in urbem latè patebat deſpectus. Ibi Solon: quæ, inquit, tibi quantaque hæc urbs videtur? Quot in illa domos cenſeri exiſtimes? Neſciens ille, quorſum hæc tenderent, cùm millia aliquot præterpropter numerâſſet. At, inquit Solon, iterum diligènter circumſpice, ac ſimul reputa, quot ſub illis tectis malorum genera lateant: & ſitne domus ulla omninò expers calamitatum. Senſit amicus ſe moneri: non eſſe detrectandam homini communem mortalium ſortem: ac nimis querulum eſſe, qui cum fortuna ſua expoſtularet, quando ſua cuique eſſet admenſa, & impoſita.

VI. Vexatæ provinciæ omnes.

Utinam ego querulos, & impatientes malorum hodiernorum, in editam arcem deducere poſſim, aut in montem excelſum! Unde meliori, quàm malus genius oſtenderit, fine, *oſtendi poſſint omnia regna mundi, & non gloria* ſolùm,

ſed etiam vanitas & mala *eorum*. Hic certè patebit, non tantùm verum eſſe illud generoſæ viduæ, *Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt Fideles*: ſed etiam Infideles quoſvis ſuam habere dolendi materiam, etſi proſperitatem ipſis invidere non deberemus, ſatis propediem, ubi damnati erunt, laboraturis. Age quicumque nimis bella patriæ tuæ ſentis, circumjectas provincias aſpice. Quotaquæque eſt immunis cladium, & vaſtitatis? Et ut hodie quieſcat, quàm pridem agitata non fuit? Ne unam quidem mihi, opinor, nominâris, quæ ſæculum totum abſque hoſtili incurſatione, aut domeſticâ diſcordiâ, aut æquè triſtibus malis publicis abierit.

VII. Iiſdem calamitatum generibus. Quæ verò tibi potiſſima cauſſa eſt de bellis noſtris conquerendi? An deſolatam depopulatamque eſſe provinciam? Vide apud Lipſium, ſi lubet, lib. 2. de Conſt. cap. 21. quid Plutarchus ſcripſerit de ætatis ſuæ Græcia, ad ævum priſcum comparata: vix enim tunc ex omni, quanta erat, regione millia militum tria confici potuiſſe, cùm antè totidem a Megarenſibus, exiguo oppido, ſubmiſſa fuiſſent ad bellum Perſicum. Quæ verò calamitatum noſtrarum cum Judaicis poſſit eſſe collatio? Quas idem ſcriptor ex Joſephi hiſtoria de bello tranſcripſit: & poſtquam cædem Judæorum vicies mille Cæſareæ factam, Damaſci decies mille, Alexandriæ quinquagies mille, alias deinde ſparſim minores ſummas numeravit, ac denuque Hieroſolymæ millies mille periiſſe notavit obſidionis tempore: ad extremum ſummam cæſorum, aut fame, inopiáve, aut aliis miſeriis confectorum Judæorum colligit, ſexcentos nonaginta ſupra decies ac ter centena ac triginta novem millia. I nunc, & conquerere ſæculum noſtrum cloacam eſſe, in quam ſæculorum omnium infortunia confluxerint. Dic, quod de Sedecia calamitoſo Rege jactari ſolitum ferunt ab Hebræis, nos *bibere fæces omnium ætatum*.

VIII. Civilium bellorum atrocitas. Ideò forſan tibi acerbiora ſunt Chriſtianorum inter ſe diſſidia, quia civilia ac fraterna. Sed Romanos inter ſe ſævientes attende. Sullana proſcriptione cives quater mille ac ſeptingentos civitate ejectos ferunt, in his Senatores centum & quadraginta. Per Triumviratum proſcriptos numerant equites bis mille, Senatores trecentos, plebeiorum ſumma iniri vix potuit. Cæſorum, eo bello Caſſii ac Bruti, ſummam aiunt majorem fuiſſe, quàm quæ Cæſaris ac Pompeii diſcordiâ periit, & trecenta minimùm millia conficere dicitur. Cæſarem præterea perhibent, bellis ſuis interemiſſe capitum undecies centena & nonaginta duo millia. Pompeium aliâ parte, dum imperaret, confeciſſe, aut cepiſſe hominum millia centum octoginta tria ſupra vicies centena millia. Ita iſti generis humani carnifices potiùs, quàm militiæ duces, pro inſigni laude commemorare ſoliti erant. Omnes militum ævo noſtro ductores, ſi in unum contulerimus, parem opinor carnificinam non confecerint.

IX. Religionis & ſacrorum profanatio. Sed, video, magis angeris, ut Chriſtianum decet, religionis detrimento, animarumque ac gloriæ divinæ jactura. Faterique oportet non aliud eſſe majus Europæ ab hiſce publicis miſeriis vulnus. Non tamen eò uſquam in Europa ventum eſt, quò Tartari Hungariam impulêre ad annum 1241. Bathus, genio malo familiari rogato, an id regnum tentari deberet; reſponſoque, tentandum: præceſſuros viæ aperiendæ ſpiritus tres, Diſcordiæ, Incredulitatis, Timoris. Is ergo Bathus Tartarorum dux, in Hungariam ingreſſus, diſſidentes ab Rege ſubditos tanta clade cecîdit, ut biduo toto non niſi ſupra cadavera ambularet. Captæ omnes fermè urbes: in ſacra omnia profanaque ſævitum, religionis reſpectu nullo. Paullò poſt, ad annum 1244. Chorasmii, Aſiatica gens, ſedibus ſuis per Tartaros pulſi, in Syriam ſe infudêre, copiaſque Chriſtianorum ita concidêre, ut Templarii equites omninò triginta tres, Hoſpitalarii viginti ſex, Teutonici tres ſuperſtites fuerint. Agro vaſtato, capta Hieroſolyma, ſacrique nihil inviolatum fuit, ne ſanctiſſimum quidem Chriſti ſepulcrum, quod adhuc Saraceni non attigerant. Eodem tempore, Latinis Conſtantinopolim tenentibus, Græci pars Nicææ, pars Trapezunte, atroces cum Eccleſiâ Romanâ inimicitias exercebant: &, ad cumulum malorum, Federicus Imperator Pontificem Max. perſequebatur. Is erat Innocentius IV. quem ideò in Concilio Lugdunenſi ferunt concionandi initium feciſſe ab his verbis: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*: ac deinde, quinque Chriſti vulneribus comparâſſe quinque cordis ſui, & Eccleſiæ plagas: Hungariæ cladem, Palæſtinæ excidium, perſecutiones ab Federico, Hæreſes novas, Schiſma Græcorum. Ita Spond. narrat ad annum 1245. Quamquam credibilius eſt generoſum Præſulem, ut aliquibus placuiſſe video, ab his vocibus exordium duxiſſe, ſpei plenis: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

X. Mutationes univerſi. Sat multa, ni fallor, produximus, ut ad nova malorum noſtrorum ingemines, quod Sapiens quiſpiam Græcus: οἴμοι. τί δ' οἴμοι; ἀνθρώπινα πεπόνθαμεν. *Heu! ſed cur heu? Humana enim paſſi ſumus.* Ea tulimus, ac ſentimus, quæ alii vidêre, toleravêre: ſolita ſunt: mortalium ea onera ſunt: majora ſæculis anterioribus viſa. Verùm, ut ea conſolatio potentior ſit, oculos velim, non ad hominum tantùm ac populorum mutationes, ſed etiam ad Univerſi, ſingularumque ejus partium, perpetuas viciſſitudines circumferas. *Terra quæ in æternum ſtat*, quàm ſæpè tamen concutitur, dehiſcitque, ac civitates totas & provincias haurit. Aqua inſtabilitatis ipſiſſima imago eſt, & præter quotidianas æſtus agitationes bellum aliquando terris infert, easque fluctibus ſepelit, perruptis aggeribus, quos natura oppoſuit mœnium inſtar. Aerem fluxum, labilemque, vix ulla dies ſibi conſtantem videt. Lunæ accrementa ac decrementa Heſperus imitatur: & Varro, apud Auguſtinum, lib. 21. de Civ. cap. 8. ait; *Stellam Veneris, quam Plautus Veſperuginem, Homerus* ἕσπερον *appellat, colorem mutaſſe, magnitudinem, figuram, curſum.* Conſtantiæ ſymbolum Sol olim fuit: nuper Aſtrologi in eo maculas, aut ſidera inerrantia, deprehendêre. Quæ ſupra Lunam ferrentur incorrupta eſſe priſci exiſtimabant: novam tamen ſtellam Hipparchus occidente Græcorum imperio obſervavit; aliam Stadenſis abdicato per Innocentium Frederico Imperatore in Concilio Lugdunenſi; tertiam in Caſſiopea ad annum 1572. aſtronomi omnes mirati ſunt, patrum noſtrorum memoriâ. Adeò verum eſt, quod Philo ait lib. de Dei immutabilitate, ab Univerſo ejuſque partibus choream in orbem duci, cum agnationibus, & poſitûs ac geſtuum mutationibus perpetuis. Aptè item Democrates philoſophus: ὁ κόσμος σκηνή, ὁ βίος πάροδος, ἦλθες, εἶδες, ἀπῆλθες: *Mundus ſcena, vita tranſitus; veniſti, vidiſti, abiiſti.* Et idem, *Mundus mutatio, vita opinio.* Velut perſonata ſunt omnia,

omnia, & larvis contecta: cùm ſcena complicata fuerit, & retecti vultus, ridebis ipſe te, quòd tanti bona malàve feceris, privata vel publica.

XI. Hoſtes plectentur.
Magis ad ſenſum quorumdam loquar, ſi ſolatium ex ſpe fortunæ melioris, hoſtilisque infortunii attulero. Neque immeritò id ſperare poſſimus. Cùm enim Menſura cuique populo ſua ſit: noſtra damnis perpetuis depletur: contra hoſtilis impletur cædibus, ac rapinis, quæ per injuſta juſtæ iræ divinæ inſtrumenta perpetrantur. Dicamus itaque hoſtibus noſtris, quod Perſis, Aſſyriis, aliisque gentibus Jeremias, cap. 25. *Ecce in civitate, in qua invocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere, & vos quaſi innocentes & immunes eritis? Non eritis immunes.* Expende & ejuſdem prophetæ verba, ex cap. 30. v. 15. 16. 17. ubi hoc ipſum ſolatium affert Hieroſolymitanæ civitati: fore, ut, *qui comedunt*, devorentur, & *qui vaſtant*, vaſtentur. Vide etiam Iſaiæ, cap. 33. ubi de Sennacheribi clade exultabundus vaticinatur, nominatim verſu 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis: & qui ſpernis nonne & ipſe ſperneris?* Verſu item quarto nota inſignem bruchorum ſimilitudinem, quos ſicut magna tempeſtas in foſſas turmatim demergit, ita facillimum Deo eſt omnem hoſtium populum uno ſpiritu difflare, & obruere. Vide & nos ad cap. 11. v. 41. &c.

XII. Publicam vindictam ſperare, & petere, fas eſt.
Sed occurrat religioſior aliquis, & objiciat: Chriſtianam iſthanc conſolationem non eſſe: nobis à Chriſto commendatam eſſe manſuetudinem: ut Judæi Deo dixerint de impio Nicanore, 1. Mach. 7. *Domine, fac vindictam in homine iſto*, & Mathathias voluerit *vindicari vindictam populi*, nunc alia eſſe tempora: imò ante Chriſtum à Davide cultam erga inimicos manſuetudinem in bello, quâ de re videri poſſit 1. Reg. 23. & c. 26. Alia multa congeret ad laudem manſuetudinis, quorum quædam ad verſum hujus cap. 67. digeſſimus, fuſiùs aliàs forſan. Nunc religioſo iſti dicamus, non eſſe, cur Sanctis velit eſſe ſanctior. Joannes Apocalypſis 13. poſtquam de beſtiæ potentia narravit, mox ſubjicit ad ſolatium juſtorum: *Si quis habet aurem, audiat. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia, & fides Sanctorum.* Audis ſperari à Sanctis ultionem de hoſtibus, eamque cogitationem, inter cæteras, firmandæ eorum patientiæ admoveri?

XIII. Quo ad fine
Licet ergo vindictam de inimicis ac vaſtatoribus deſiderare, à Deo petere, ex ejus ſpe ſolatium capere: Primùm, ſi bonum noſtrum poſſidere, recuperaréve, non poſſumus ſine malo illorum: id enim eſt, quod vocant moderamen inculpatæ tutelæ. Multò magis licet, ſi aliter animarum ſalus, aut virtus, obtineri non poteſt. Multò maximè, ſi ad gloriam Dei id expedit. Hoc fine Pſalmiſta toties ingeminat: *Vindica ſanguinem, qui effuſus eſt: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Imò tantum ait fore juſtorum gaudium ex juſta hoſtium vindicta, ut *manus lotùri ſint in ſanguine peccatoris.* Et Eccleſia in eandem ſententiam rogat, *ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliet, & hoſtium noſtrorum elidat ſuperbiam, eorumq; contumaciam dextera ſuæ virtute proſternat.* Paſſim locutiones ejuſmodi occurrunt, è quibus diſcas, ſi hoſtem occidere juſtâ ex cauſsâ licet, ejus eadem de cauſſa mortem deſiderari poſſe, & de illata tamquam de bono gaudere.

XIV. Sola tum calamitoſis ſingulis afferetur.
Si tamen hæc cogitatio minùs placet, redi ad primam, & mundum tibi finge inſtar eſſe ingentis hoſpitalis domus, aut quinque porticuum ad probaticam piſcinam. Illic multitudo varia languentium, exſpectantium aquæ motum: omnes ægri ſunt, & ſolatio indigent. Lectos obeamus. O bone quid tibi dolet? Bona amiſi. Hoc ante te Jobo contigit, & aliis innumeris. Quid tu plangis? Patriâ dirutâ pulſus ſum. Pulſi fuêre Ezechiel, Jeremias, populus Judæorum univerſus. Tibi quid acerbiſſimum? Amicis carere. Etiam amici Davidem deſeruêre, & ſocer, ac filius: demum & Jonathas morte ſublatus. Te quod malum coquit? Honoris jactura. Quem nempe contempſit Heſther, quem Manaſſes, ut eum vitæ pœniteret, amiſit. Tu quid ſentis? Ereptam libertatem. Ea carebat Daniel in leonum cavea, Joſeph in carcere. Tibi quid moleſtiæ eſt? A morbo plurimum. Tobiæ ſanitas cæcitate vexata eſt, nec Lazaro ulcera nocuerunt. Tu denique quid exhorres? Mortem. Quam juvenes ſeptem 2. Mach. 7. per exquiſita tormenta obiêre, in quam omnes imus, & incurrimus. Quid novi commemoras? Ad extremum, ſi neque iſthæc medicamenta dolorem queruli ægri ſatis leniêre, ad alia nobis convenientiora tranſibimus. Quod Annæ flenti dicebat vir ſuus Helcana 1. Reg. 1. *Nonne ego tibi melior ſum, quàm decem filii?* Id lugenti Chriſtiano ingeminabit Deus. Bona, patriam, amicos, honorem, libertatem, ſanitatem amiſiſti, vitam amiſſurus: at nonne ego tibi melior, quàm vitæ decem?

EXCURSUS III. MORALIS

Ad Cap.2.v.64. Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis.

Conſolationes divinæ.

SECTIO PRIMA.

Quæ conſideranda Chriſtiano in calamitatibus publicis.

I. Triplex ſolatium divinum.

MATHATHIAS moribundus idem fermè ad eshortationis ſuæ calcem repetit, quod initio propoſuerat: reſpondetque verſus 51. verſui 64. Illum, uti & hunc, de ſpe gloriæ æternæ magis, quàm temporalis, intelligendum eſſe, diximus in Commentariis, eaque occaſione, humanis inter mala ſolatiis feria magis, ac Chriſtiana, ſubnectemus. Trigemina erunt: & ex aliis gradus in alia fiet. Primum erit: calamitates, ſi velimus, nobis non nocituras. Alterum: imò, ſi velimus, profuturas in hac vita. Tertium, quod caput eſt, ad beatam æternitatem adducturas, ſi rectè utamur. Iſthæc ſolida & Chriſtiano digna ſolatia ſunt: quæ ut altiùs in animos deſcendant, à variis Doctoribus diſcemus, ſed præſertim ab Auguſtino, calamitatum bellicarum non inexperto.

II. Calamitates temporales nil tollunt veri boni.

Captâ Româ, vaſtatâ Italiâ per Barbaros, queruli homines, & bona ſolummodò temporalia æſtimantes, ingemiſcebant ad miſerias tot Romanorum divitum, Senatorum, Epiſcoporum. Illis breviter reſpondet Auguſtinus l. 1. de Civ. *Amiſerunt omnia quæ habebant. Sed numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui eſt apud Deum dives? .. Sed multi, inquiunt, Chriſtiani etiam captivi ducti ſunt. Hoc ſanè miſerrimum eſt, ſi aliquò duci potuerunt, ubi Deum ſuum non invenerunt.* Omnia dicis amiſiſſe? At quid ſunt omnia? Chriſtiano nihil præter fidem, pietatem, Deum, magni eſt. Idem lib. de agone Chriſtiano agens de improbis: *Bonis nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt. & unde beati ſunt auferre illis nemo poteſt.* Vir bonus hæc peritura pro ſuperfluis habet, & capillorum inſtar demeti patitur, quomodò ait idem ſerm. 20. de diverſis, qui eſt de monomachia Goliæ & David. Expendit illud Pſ. *Sicut novacula acuta feciſti dolos.* Novaculam exacuit tonſor, quid faciet? *Ut radat capillum.* Impius dolos exacuit, teſtes ſubornat, potentes excitat. Quid facturus, niſi ſuperflua raſurus? Sanè, inquit Proſper lib. de Provid. nihil viro bono tolletur, quod antè non abjecerit, ſaltem affectu & contemptu. In prologo libri: *Cur manſura pavent, ſi ruitura cadunt?* Et ad libri calcem, eleganter ac fusè:

Denique ſi quidquid mundanis rebus acerbum
Accidit, excutias, totum jam ſponte videbis
Anticipaſſe Dei famulos. Gemit ille talentis
Argenti atque auri amiſſis: hunc rapta ſupellex
Pérque nurus Geticas diviſa monilia torquent:
Hunc pecus abductum, domus uſta, epotáque vina
Afficiunt, triſtes nati, obſcaniqué miniſtri.
Sed ſapiens Chriſti ſervus nil perdidit horum,
Quæ ſprevit, calóque priùs tranſlata locavit.

III. Bonum hominis virtus eſt.

Hoc argumentum meliùs Chryſoſtomo tractavit nemo, quem viderim. Scripſit paullò ante mortem, & eſt ultima ejus lucubratio, quam Demetriadi commendat, ut ſæpè legat: vide Baron. tom. 5. an. 405. Titulus eſt: *Quod nemo læditur, niſi à ſeipſo.* Poſito: perfectionem cujuſque rei in fine ſuo eſſe, aut ſaltem in mediis ad finem, quomodò perfectio equi eſt non in phaleris, aut crinibus, ſed in viribus & artubus aptis ut homini ſerviat: infert, perfectionem hominis ſitam eſſe in virtute, aliiſque virtuti annexis, ad Deum ducentibus. Certè forma bonum hominis non eſt. Expoli quantum lubet, numquam ad violæ, aut roſæ, aut liliorum agri colorem veniet: numquam ad lucis pulcritudinem, quæ rebus omnibus colores dat vel excitat. Bonum hominis non eſt ſanitas, & longa vita; corvi & quercus ſunt annoſiores: non divitiæ; etiam ſemihomines pervani divites ſunt, & dracones theſauris incubant; non nobilitas; Sedecias, Achaz, Antiochus Epiphanes fuêre nobiliſſimi: non honor & laudes; Agrippæ enim paullò ante putreſcendum acclamatur, *Voces Dei, & non hominis.* Itaque ſitum eſt bonum hominis in virtute, quæ verè hominem facit, id eſt rationi conformiter viventem. Atqui calamitates nullæ nobis virtutem auferent invitis.

IV. Vidêre etiã Infideles.

Eſt, inquis, alta iſthæc philoſophia. Quis miſeris perſuadeat miſeros non eſſe? Quis viduæ, mariti jacturam ſentiri non debere? Quis orphano, orbitatem pro malo non habendam? Quis ægro, valetudine perdita nil amiſſum? Atqui, quod tu, Chriſtiane, intelligere & perſuadere non potes, ipſi Infideles intellexêre. Senecam nôſti. Is in Conſolatione ad Helvidiam matrem: *Duo*, inquit, *quæ pulcerrima ſunt, quocumque nos moverimus, ſequentur, natura communis & propria virtus.* Bona ſcilicet iſta vera ſunt, quæ Cæſar nullus exilio aut ſuppliciis tollet. Generoſam vocem Socratis nemo non audivit: *Anytus & Melitus occidere poſſunt, nocere non poſſunt.* Et illam philoſophi, quem libertatis impatiens tyrannus in mortario tundebat: *nihil ſe pati, quia animus non pateretur.* Animoſius nihil uſquam, quàm quod Seneca ad hoc ipſum argumentum narrat, de Stilponte philoſopho, libro de Conſtantia Sapientis: *Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpon philoſophus interrogatus, numquid perdidiſſet: Nihil, inquit; omnia námque mea mecum ſunt. Atqui & patrimonium ejus in prædam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis, & patriam vaſtârat.* Operæ pretium eſt, apud Senecam ipſum legere dignam tam excelſo animo narrationem, & amplificationem.

Tantúmne

V. *Bona calamitatibus creſcunt.*

Tantúmne nobis, quantum philoſopho, generoſitatis erit, poſt ſpiritalium & æternorum bonorum cognitionem, præ quibus caduca nihil ſunt? Calamitatibus opes, famam, vires amiſimus. Noſtri nihil perditum eſt: noſtra enim iſthæc non erant. Noſtra eſt ratio, fides, Deus, virtus: iſta poſſidemus, quantumvis mala extra nos luctentur. Nec poſſidemus tantùm, ſed etiam augemus, ſi lubet, & ſi benè, ut poſſumus, utimur. Adeoque non tantùm non ægrè ferre debemus, ſed amplecti quæcumque incidunt. Denſa nix, qualem hoc anno 1655. tota fermè die 17. Aprilis vidimus, in hortos tuos & arbores floreotes decidit; aut in meſſem tuam grando delabitur, grana excutiuntur, ſpicæ lacerantur: malum hoc putes prima fronte. Sed exi in agrum: miraculo flocci nivei & grana omnia grandinis argentea ſunt: ubi te pauperem putâſti, ditiſſimus evaſiſti. Aurea grando eſt meritorum, & virtutis, quæ in meſſem bonorum tuorum temporalium cadit: collige tantùm, & utere.

VI. *Id Fidelibus perſuaſum.*

Habet, inquit Aug. lib. 1. de Civ. *omnis familia ſummi & veri Dei conſolationem ſuam non fallacem.* Fallaces conſolationes ſunt, quæ ex rationibus temporalibus, à ſpe inani vitæ & commodorum deductis, proponuntur: ſed alia ſunt ſolatia piæ Chriſti familiæ. *Nam bonis terrenis tamquam peregrina utitur, non capitur.* Quomodò viator peritus, ubi in amplam civitatem vênit, ad diverſorii ſuperliminare viſis variorum magnatum inſignibus, conjicit illic ſe non malè acceptum iri, aut ex fama diſcit, ubi commodè hoſpitetur. Diverſorium ingreſſus, exſcenſo equo, in cubiculum ornatum inducitur, lautè cœnat, dormit quietè. Uſus illis commodis, non tamen captus eſt: & non neſcit poſtridie forſan ſibi in paupere domo, aut in tugurio hoſpitandum, jacendum in palea, ſecundario pane cœnandum, & tenui liquore aut aqua: eas viatorum vices eſſe ſolere. Ita Chriſtianus viator, obviis bonis, ſi ſic vocanda ſunt, temporalibus utitur, at non adhæret, quia ſcit illa, & ſe, in perpetuo eſſe motu: *malis autem aut probatur, aut emendatur.* Si mala evenêre, duplici fine accidere non neſcit: vel ad purgationem peccatorum, vel ad probationem perfectionemque virtutis.

VII. *Miſeriæ virtutis amicæ.*

Experientia docuit è glacie per hyemem ſpecula cauſtica, ſive uſtoria, fieri poſſe, & contrarium ex inimici ſinu educi. Stibii, ſive antimonii, uſum non ad cutis tantùm vitia medici hodie adhibent, ſed etiam ad morbos internos, eoſque vel maximè inveteratos. Sit tibi calamitas hyemis, & glaciei, aut venenati antimonii inſtar, inde tamen exiſtet, & color caritatis, & pulcritudo humilitatis, & ſanitas animæ, ſi voles. David Saülem fugiens, 1. Reg. 23. dicitur fuiſſe *in deſerto, in locis firmiſſimis*, pro quo Græcè habetur *στενοῖς*, id eſt *anguſtis*: ut intelligamus loca anguſtiarum, id eſt miſeriarum, eſſe firmiſſima ad virtutem. Eodem capite, ubi Uulgata noſtra habet Davidem fuiſſe *in deſerto Ziph in ſylva*, Græcè legitur *ἐν τῇ καινῇ, in nova*: quia ſcilicet nihil magis renovat virtutem, quàm Saülis, & Ziphæorum perſecutio, ac deſerta loca, ubi nil terreni ſolatii.

VIII. *Verba Auguſtini ea de re.*

Auguſtinus poſtquam retulit, ſerm. 106. de diverſis, murmura dicentium; Petri, Paulli, Laurentii, totque aliæ ſacræ exuviæ coluntur Romæ, tamen capta eſt: *Ideò*, inquit, *mortuum eſt Petrus, & poſitus Roma, ut lapides de theatro non caderent? Excutit Deus delitias puerorum de manibus indiſciplina-torum.* Utilis eſt afflictio, quia tollit occaſionem peccandi, & reliquias peccatorum. Idem Aug. in Pſ. 61. *Numquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit. Patiatur tamen fornacem, ut purgatum à ſordibus veniat ad lucem. Fornax iſta, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, iſtud à ſordibus exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum juſti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi me ponit aurifex, tolero. Iubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licèt palea ad incendendum me, & quaſi conſumendum me: illa in cinerem vertitur, ego ſordibus careo.* Placétne iterum eumdem audire? Tract. 25. in Joan. *Ille malè vivit, & felix eſt: ille juſtè vivit, & laborat. Non indignetur juſtè vivens & laborans: intus habet, quod ille felix non habet: non ergo triſtetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet aurum in arca, iſte Deum in conſcientia. Compara nunc aurum, & Deum: arcam, & conſcientiam. Ille illud habet, quod perit, & ibi habet, unde perit. Iſte Deum habet: & eum, qui perire non poteſt: & ibi habet, unde auferri non poteſt, ſed ſi ſit rectus corde.* Nos iſthæc alibi fuſiùs.

IX. *Spes beatæ æternitatis ex miſeriis.*

Maximum denique ſolatiorum omnium ex ſpe futuri vultis? Ad cælum: ad cælum. Eò nos etiam ducit Aug. ep. 122. *Servi Dei, ſancti & humiles, qui dupliciter mala temporalia patiuntur, quia & ab ipſis impiis, & cum ipſis patiuntur, habent conſolationes ſuas & ſpem futuri ſæculi.* Unde autem ea ſpes in calamitatibus? Primùm: ex eo quòd nos in via ad cælum conſtituant, & faciant *coheredes Chriſti*, qui etiam beatus apparuit Joanni Apoc. 1. pedibus ſimilibus *aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Figura eſt autem tribulationis caminus excoquens, & probans metalla: ut diſcamus, pedes in camino afflictionis ponendos, quibus aſcendamus in cælum; & cum primogenito mortuorum mori nos debere, ſi vivere volumus cum Principe Regum terræ. Alterum ſpei firmamentum eſt, ex eo quòd Chriſtus *vitam æternam* promittat temporalia pro ſe *relinquentibus*: relinquit autem illa miſer, & quia Deus vult, ſi Chriſtianè patitur. Tertium: quia *deſideria pauperum exaudit Dominus, & præparationem cordis eorum*: numquam autem magis cælum deſideratur, quàm quando terra diſplicet. Tunc, ut ait Aug. 20. de Civ. cap. 2. *Salubriter diſcimus non magni pendere ſeu bona ſeu mala, quæ videmus eſſe bonis maliſque communia: & illa bona quærere, quæ bonorum, atque illa mala fugere, quæ propria ſunt malorum.* Tunc inter miſeras hujus vitæ conflictationes nobis in mentem venit, cum Aug. 22. de Civ. *Finis hujus civitatis, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus eſt.*

X. *Solatium Sanctorum.*

Erigebat eò ſuos Auguſtinus, concione contra Judæos, Paganos, Arianos: quam cùm initio dicat ſe habere, *inter preſſuras atque anguſtias hujus temporis*, videtur dixiſſe temporibus Vandalicis. Hæc habet in fine: *Quale gaudium erit, cùm te videris eſſe ſocium Angelorum, participem regni cælorum, regnare cum Rege, nihil concupiſcendo omnia poſſidere, ſine avaritia divitem, ſine pecunia adminiſtrantem, ſine ſucceſſore judicantem, ſine metu Barbarorum regnantem, ſine morte æterna vita viventem?* Eòdem adſpirabat Gregorius lib. 11. Reg. ep. 49. ad Eulogium Alexandrinum: *Rogo, ut pro me peccatore enixiùs oretis: quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immenſa vaſtitas mortalitatis inter Barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, ſed æternam conſolationem requiro.* Illuc reſpiciebat Arnobius lib. 8. contr. Gen. in fine:

cùm dicit, opem nobis & auxilium optandum non eſſe, *in caruncula hujus folliculo conſtitutis*; quæ ſcilicet, ut follis, vento inflatur, ſubſultat, volat, in altum tollitur; ſed, vel aciculæ puncto percuſſa detumeſcit, & exſpirat. Subdit, nobis inter perſecutiones, ac mala, non magis ingemiſcendum, quàm ſi quis inimicus, captivo nocere volens, ſæviat in carcerem, eumque diffringat, *neſciens hoc facto ei, cui videatur officere, dari ab ſe lucem. Itidem & vos flammis, exiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora noſtra laniatis.* Digna hæc conſolatio Martyribus, quorum *crus nil ſentit in nervo, cùm animus in cælo eſt*, ut ait Tert. lib. ad Mart. Digna Machabæi matre ac filio, quem illa jubet ſuſpicere ad cælum, & Reſurrectionis meminiſſe, 2. Mach. 7. Digna Deo, ad cujus Scripturas nos ablegat Aug. epiſt. 122. *Multò uberiùs vos Deus conſolabitur, ſi Scripturas ejus intentiſſimè legeritis.*

SECTIO SECUNDA.

Cur Deus bonis mala immittat?

I. Conſuetudo Dei eſt bonos cruciare.

HOs eſſe mores Providentiæ divinæ, ut bonis mala immittat, certiſſimum eſt ex Scripturis. Prov. 3. *Quem diligit Dominus, corripit, & quaſi pater, &c.* Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Judith cap. 8. *Et omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt Fideles.* Luc. 24. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Heb. 12. *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quis enim filius, quem non corripit pater?* 1. Pet. 1. *Modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtræ fidei, multò pretioſior auro, inveniatur.* Apoc. 3. *Ego quos amo, arguo, & caſtigo.* Quanti apud nos ponderis eſſe debent vel minimi oraculorum iſtorum apices? Eódem refertur illud Ezechielis 9. *Signa Tau ſuper frontes virorum gementium.* In quem locum ait Hieronymus: *Antiquis Hebræorum literis, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera Crucis habet ſimilitudinem: quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.* Neque aliud, opinor, ſignum erit in frontibus & manibus electorum, de quo Apoc. cap. 7. & 9. & 14. & 20. &c. quàm Crucis nota, quâ etiam Chriſti nomen olim in labaris pingebatur. Signum electorum, ſignum erit gementium & afflictorum, quo boni à malis diſcernuntur.

II. Joannes in vinculis.

In D. Joanne Baptiſta eam Dei conſuetudinem, rationéſque conſuetudinis ſpectabimus. Mirum de ipſo iſtud Evangeliſtæ, *Joannes in vinculis*, Matth. 11. Confer iſta verba, cum iis quæ ſequuntur à Chriſto de Joanne prolata: *Non eſſe arundinem, non eſſe mollibus veſtitum, eſſe plusquam Prophetam, eſſe Angelum.* Iſténe homo tam conſtans, tam venerabilis, tam ſapiens, tam ſanctus, ut Dei nuntius ſit, Angeli inſtar: iſte *Joannes in vinculis*, & perendie ſubjecturus cervicem carnificis gladio? Auget admirationem cauſſa captivitatis & mortis, veritas Herodi adultero inceſto liberè prædicata. Conqueratur nunc meritò Boëthius, virtutem, & tantam quidem, quantam adhuc orbis non vidit, *in locum facinorum ſupplicia luere.* Quamquam nec mihi mirum accidit facinus Herodis, quia non novum. Flaminius Prætor Romanus, apud Senecam Contr. 2. pellice dicente, ſe numquam ſpectâſſe decollationem hominis; juſſit protinus educi è carcere damnatum, & ante ejus oculos decollari. Ibi pellex ſola petit ſupplicium damnati. Hîc pellex, & filia. Fæmina, vinum, & Rex conſpirant contra veritatem; quia veritas odium parit. Ipſe de ſe Herodes crudelis eſt: etſi Jezabel domeſtica deeſſet. A patre didicit ſævire adversùs innoxios: Meſſiam ille interficere voluit, hic Meſſiæ antecurſorem. Phreneticus eſt, inſanit in medicum: bellua eſt, furit in curatorem.

III. Mirum de Joanne elogium.

Mirum verò prorsùs & ſcrutandum Providentiæ divinæ arcanum, quòd eùm Herodem odiſſet, Joannem amaret: hunc adversùs Herodis & quorumvis deſperatiſſimorum hominum conatus tueri, illi malam voluntatem tollere, & malæ voluntatis affectum prohibere poſſet: permiſerit nihilominùs, ut Joannes eſſet in carcere, Herodes in palatio; Joannes in vinculis, Herodes in purpurâ; Joannes ſub manu lictoris, Herodes inter brachia adulteræ; Joannes infælix, Herodes fortunatus: &, quod pejus eſt, Joannes Herodis, peſſimi hominis & fortunati, miniſterio infælix. Tria hîc quæri deberent: cur improbus fælix: cur juſtus miſer: cur per improbum juſtus miſer? Primam, & tertiam quæſtionem abſolvemus ad cap. 8. De tertia in D. Joannis exemplo dicemus: quem pati Deus voluit, ut præcurſoris munus impleret, ut decremento corporis conſummaret incrementum ſanctitatis.

IV. Joannes ad Chriſti gloriam prædeſtinatus ſingulariter.

Omnes homines, imò & omnes partes Univerſi, ad Chriſti gloriam creatas, non tantùm quà Deus eſt, ſed etiam quà homo, varii ſcosêre, poſt Rupertum. Quidquid ejus rei ſit, qua de aliàs: certum poſt D. Virginem, hominum nemini magis contigiſſe, ut totus ad Chriſti gloriam prædeſtinaretur, quàm D. Joanni Baptiſtæ. Dicendum, inquit D. Th. 3. part. quæſt. 38. art. 2. ad 2. *Quòd tota doctrina, & operatio Joannis ordinabatur ad Chriſtum.* Planè ſicut omnia Virginis referebantur ad filium ſuum. Ideò nata Virgo ex Regia Davidis ſtirpe, quia naſci ex illa debebat Meſſias ex Dei promiſſo. Ideò perfectiſſimè conſtitutum Virginis corpus, quia Chriſtus erat futurus ſpecioſus formâ præ filiis hominum. Ideò puriſſima Virgo, quia puritatis fons ex ejus utero erat emanaturus. Ideò gratiâ plena, quia gratiarum auctorem paritura. Quidquid animæ Virginis, quidquid corpori collatum eſt, totum ad eum ſcopum deſtinabatur. Eo exemplo factum D. Joanni, quem Angelus præcurſorem Meſſiæ fore monuerat: & patens in Euchariſtico Genethliacóque carmine; *Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini*, & quia præcurſor ejus eris, famulusque ac præco, inſignibus ejus, ut decet, ornaberis. Inſigne autem ejus eſt ſanguineus color, & patientia.

V. Omnes vitæ ejus partes eò referuntur.

Quia deſignabatur à Deo præcurſor Chriſti, ideò Chriſti etiam conceptionem præcucurrit, & intra materni uteri anguſtias exſiliendo teſtatus eſt. Quomodò miraculo conceptus, ita & natus ſemeſtri ante Chriſtum, multos gaudio complevit, ut ejus nativitatem antecurreret, in qua annuntiaturi erant Angeli gaudium omni populo. Quando cædes infantium ab Herode Aſcalonita patrabatur, ſubductus in deſertum, uti Chriſtus in Ægyptum; ibi ſemotam à turbis turbarumque ſordibus vitam inſtituit, quò purior præiret ſecuturo Domino, parandæque ipſius viæ. Impulſu divino auſteriſſimum victum veſtitumque amplexus, qui in oculos hominum incurreret, auctoritatemque majorem teſtimoniis ejus de Chriſto conciliaret. Pueritiam & adoleſcentiam omnem in eremi ſilentio exegit, eodem tempore, quo Chriſtus intra parietes fabrilis domus deliteſcens, creſcebat ætate, ſapientiâ,

& gratiâ.

Digitized by Google

& gratiâ. Sub annum ætatis triceſimum exiit in omnem regionem Jordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ, ut prædicatione ſua Chriſti prædicationem præcurreret, baptimo baptiſmum, pœnitentiâ pœnitentiam. Denique excitatâ de ſe famâ, excitis undique ad ſpectandum & audiendum populis, Chriſtum voce, digito, toto corporis habitu, & animi geſtientis ſenſo, demonſtravit, addiditque Spiritus Sancti teſtimonio ſuum; & quem columba deſignârat, agnum ipſe nominavit.

VI. Item carcer & mors.

Jam officio ſuo functus, omnibus vitæ partibus ad Chriſti gloriam impenſis, quid ſupereſt niſi ut & mortem illi impendat? Proficiſcitur itaque ad cariſſimam Chriſto Galilæam, patriam Apoſtolorum, miraculorum teſtandæ divinitati patrari cæptorum ſpectatricem. Accedit ad Galilææ tetrarcham Herodem: eum officii monet, etſi curam ejus non haberet, & non urgeret extrema neceſſitas. Sed incenſa caritas, & clara veritas, extremam neceſſitatem non exſpectat. Chriſtus de ſe reſpondit interroganti Pilato: *Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Joannes etiam in hoc natus eſt, ut veritati, Chriſtus autem eſt veritas, teſtimonium perhibeat, eamque ſanciat non tantùm liberè loquendo, ſed etiam fortiter patiendo. In vincula abripitur, quibus verbum Dei non erit alligatum. In carcerem includitur, ubi auditis operibus Chriſti exſultabit magis, quàm olim inter materni uteri anguſtias. In tenebris carceris menſes, ita multi numerant, novē delitеſcit: inde ad vitam aliam parturiendus, & morte ſua Chriſti morti antecurſurus; iturúſque ad limbum, nuntius orituræ mox illic diei, quæ illuminet ſedentes in tenebris, & umbrâ mortis. *Quis præcurſor IESV,* inquit Greg. Nazianz. orat. 20.? *Ioannes; ut vox ſermonis, & lucerna luminis: ante quem & in virtute exſiluit, & ad inferos per Herodis furorem tranſmiſſus eſt, ut illic quoque brevì venturum prædiceret.*

VII. Minui oportebat Joannem.

Diſcipulis ſuis, nuper de magiſtri poteſtate & eminentia diſceptantibus, dixerat, Joan. 3. de Chriſto & de ſe: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Quæ verba Auguſtinus aptavit incremento dierum à Chriſti nativitate, decremento à nativitate Joannis. Alibi de genere mortis explicavit: capite enim minutus eſt Joannes; crevit Chriſtus in cruce, & filios hominis exaltatus eſt. Germana interpretatio eſt, de accremento & diminutione auctoritatis ac famæ. Quaſi dicat: quidquid auctoritatis & famæ mihi divinitùs conciliatum eſt, id omne ſervivit roborando meo de divinitate Chriſti teſtimonio. Cùm autem jam ipſe per ſe teſtari cœperit quis ſit, tempus eſt ut famam illi omnem ſubmittam, & loco cedam.

VIII. Et Chriſto decedere.

Stella fuit Joannes Solis prænuntia, & adeò quidem ſplendida, ut, antequam Sol illuceſceret, pro Sole à pleriſque, nimis illum ſuſpicientibus & amantibus, haberetur. Hinc Evangeliſta cognominis de eo loquens, cap. 1. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Tam clara erat ipſius fama, tantopere ſanctimoniæ radii ſplendebant, ut diſertè dici debuerit, eam lucem non eſſe, ad quam proximè accedebat & tempore & qualitate. At verò quemadmodùm ſtellæ Soli advenienti decedunt, quaſi venerabundæ: ita & Sole Chriſto prædicationis ac miraculorum radios evibrante, novumque gratiæ diem faciente, Joannem decedere decebat: & poſt nuntiatum horizonti noſtro adventum lucis, ſub terras ire ejuſdem fælicitatis alteri horizonti, mortuos à vivis dividenti, nuntium.

IX. Numquam major Joannes, quam miſer.

Hæc igitur cauſſa eſt, cur Deus in carcere mori Joannem voluerit, ut Paſſionem Filii ſui patientiâ, morte mortem præcurreret, quemadmodùm cæteris vitæ partibus præiverat. Adde Joannis gloriam nuſquam clariorem fuiſſe, quàm in nocte carceris & umbrâ mortis. Diximus modò Joannem ſtellam fuiſſe: atqui, ut Bern. loquitur ſerm. 27. in Cant. *Quomodò ſtellæ in nocte lucent, in die latent; ſic vera virtus, quæ ſæpè in proſperis non apparet, eminet in adverſis.* Plurima ad laudem S. Joannis paſſim leguntur, non ſolùm apud Catholicos Doctores, qui omnes certatim amicum ſponſi extollunt, ut ſponſo placeant: ſed etiam apud hæreticos, imò & apud Judæos vel teſte Joſepho, imò & apud fœdiſſimos Turcas. In unum congerantur encomia quantacumque & à quibuſvis prolata, non ea tamen omnia vel particulam encomiorum à Chriſto prolatorum æquaverint. Magnum eſt laudari à laudato viro; quid à veritate ipſa, à Deo ipſo, falli & fallere neſcio, ex cujus ore vel nomen unicum prodire multum eſt? Quando autem laudatus à Chriſto Joannes? Cùm jam in carcere fuiſſet menſes ſeptem, duobus circiter ante mortem menſibus, quemadmodùm cenſent plerique, quibus placet Auguſto exeunte interfectum: ut intelligamus, ſemper quidem magnum fuiſſe Joannem, ac laudabilem, numquam tamen majorem ac laudabiliorem, quàm in pædore carceris & exſpectatione mortis.

X. Conſtantia ejus, & auſteritas.

Numquam fuit *arundo ventis agitata*, inconſtantiâ non laboravit; quæ in nobis vel ex voluntatis mutabilitate, vel ex obſcuritate intellectûs, vel ea paſſionum tempeſtatibus oritur. Non fuit *mollibus veſtitus*, auſteriſſimam alimentis ac veſtibus vitam exegit. Fuit nón Propheta ſolùm, ſed *pluſquam Propheta;* qui, quem alii venturum oſtenderant, ipſe præſentem demonſtravit. Fuit *Angelus* officio, & Angelicâ mentis ac corporis puritate. Vis ſpectare maximè conſtantem? Ingredere caſtrum Macheruntis, audi diſputantem cum Herode; vide nunc minis nunc blanditiis ſolicitatum, ut à reprehendendo condemnandóve publico flagitio deſiſtat; ſpecta ſub ſpiculatoris manu, obvelatis oculis, protenſa cervice, flexo corpore, animo inflexum. Vis auſteritatem ipſius admirari pluſquam aliàs umquam? Confer cum Herodis luxu: oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Aſſidet opiparæ menſæ Herodes, & vinis exquiſitiſſimis mergit ingenium: locuſtis per diſcipulos ſubminiſtratis Joannes veſcitur, & aquâ ſitim reſtringuit. Herodes ſplendet in purpura: Joannes obſoleta pelle amicitur. Auro & gemmatis torquibus nitet Herodes: catenis Joannes onuſtus eſt. Inter odores, & cantus, & omnia ſenſuum oblectamenta vivit Herodes: inter tenebras, & fætorem obſcuri carceris, feralem mortis ſententiam Joannes exſpectat. Herodi applauditur, & ad natalitia gaudia longi anni voventur: Joanni ætas in juventutis flore amputanda deſignatur. Quàm longè iſte ab illo diſtat, ſi extrinſecùs adſpicias: quanto etiam longiùs, ſi intrinſecùs? Ille inter epulas exſuccâ mente ac jejunâ; iſte pleno & vegeto animo inter eſuriem: ille in coccino & auro mancipium luxuriæ; iſte in compedibus liber: ille in palatio eſt, velut in carcere; iſte in carcere eſt, velut in palatio. Utrique aptiſſimè convenit illud Tertull. ad Mart. *Si enim recogitemus, ipſum magis mundum carcerem eſſe: exiſſe vos è carcere, quàm in carcerem introiſſe intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quæ*

hominum præcordia excæcant. Graviores catenas induit mundus, quæ ipſas animas conſtringunt. Pejores immunditias exſpirat mundus, libidines hominum. Plures poſtremò reos mundus continet, univerſum hominum genus. Judicia denique non Proconſulis, ſed Dei, ſuſtinet. Quò vos, benedicti, de carcere in cuſtodiarium ſi fortè tranſlatos exiſtimetis. Habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi. Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic exſpirat, ſed vos odor eſtis ſuavitatis.

XI. In morte eſt pluſquam Propheta. Vis Joannem videre pluſquam prophetam? Audi monentem, increpantem, comminantem, non jam militibus aut publicanis, ſed tetrarchæ militibus ſepto; *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Vide reciſum caput, quod affertur in diſco, conveniens crudelitati ferculum. *Clauduntur lumina*, inquit Ambr. lib. 3. de Virg. *non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exſangue, cujus ſententiam* Herodes *ferre non poterat, conticeſcit, & adhuc timetur.* De Joſepho & Eliſæo dixit Siracides cap. 48. & 49. *Mortuum prophetavit corpus ejus*, &, *oſſa ejus poſt mortem prophetaverunt.* De Joanne ſimiliter dixerimus; mortuum prophetavit corpus ejus, quando truncum cum honore à diſcipulis elatum eſt: & mortuum prophetavic caput ejus, quando in natalitiarum epularum aulam illatum, ſpectaculo Herodem & Herodianos aſſeclas ita perculit, ut Nicephoro teſte, *Herodias Joannis reprehenſionem quodammodò etiam poſt mortem verita, conjungeréque id rurſus reliquo corpori timens, apud ſe, remotis arbitris, in abſtruſiori regiæ loco ſepeliendum duxerit.* Imò Hieron. in Rufin ait: *Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Joannem, quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt.*

XII. Et pluſquã Angelus. Cupis Angeli imaginem in Joanne intueri? Mortis cauſſam conſidera. Erat, ut Chryſologus loquitur ſerm. 127. *Virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, puritatis exemplum.* Neque in ſe tantùm eam coluit virtutem, ſed etiam in aliis ſervare conatus, & amovere impudicitiæ exempla publicè noxia. Hinc ad necem expetitur. *Quid* autem, inquit Chryſologus, *peteret luxuria, niſi caſtitatis interitum, pudicitiæ necem?* Inde non virgo modò, quod Angeli ſunt felicius: non Doctor ſolùm, quod etiam Angeli ſunt, hominum pædagogi: ſed etiam Martyr, quod Angeli eſſe non poſſunt. In Eccleſia, inquit D. Th. 2. 2. q. 124. a. 5. *Beati Joannis Baptiſtæ martyrium celebratur, qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterii martyrium ſuſtinuit.* Et Aug. in pſ. 140. *Occiditur pro lege veritatis, pro æquitate, pro juſtitia, ideò Sanctus & ideò Martyr.* Imò per hoc, ut ajebat B. Franc. Saleſius lib. 7. ep. 39. pluſquam Virgo, pluſquam Confeſſor, pluſquam Martyr, pluſquam Apoſtolus, pluſquam Propheta, pluſquam Patriarcha, pluſquam Angelus.

XIII. Conſuetudo Dei erga probos. Dubitabáſne adhuc, Chriſtiane, an Deus amicos calamitatibus exercere ſoleat? Joanne nemo poſt matrem magis amicus Chriſti: vix ullus magis aſperè habitus. In deſerto educatus aſperrimo cultu, & victu: non aliud habebat vitæ hujus ſolatium, quàm Præcurſoris officium, aſpectumque & alloquium Chriſti. Ab eo per carcerem removetur, ut audiat tantùm opera, non videat operantem. Denique, quo nihil ipſi durius poterat accidere, etiam morte ſeparatur, ut nec ſpectare ampliùs amabiliſſimum vultum, nec ſuaviſſimam vocem audire poſſit. Amicus ſponſi, qui ſtabat & audiebat vocem ejus, gaudio gaudebat propter vocem ſponſi: jam ipſi gaudium iſtud aufertur. Adeò verum eſt, Deum amicis ſuis tollere ſolitum, vel omninò vel partìm, quod maximè inter res creatas diligũt. Adamo Abelum, Abrahamo Iſaacum, Jacobo Joſephum, Joſepho patrem, Jobo ſuos omnes, Moſi terram promiſſionis, Annæ fæcunditatem; Davidi filium Bethſabeæ, Sunamitidi filium, Ezechiæ improli vitam, Magdalenæ Lazarum, D. Virgini filium, D. Joanni Baptiſtæ conſpectum & alloquium Chriſti, quo nihil ipſi carius.

Cur autem, inquit Greg. 3. Mor. cap. 5. tam ſanctum, tam amicum, ita Deus excipit? *Numquid credimus aliquid fuiſſe, quod in ejus vitâ illa ſic deſpecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit?* &c. Et poſtquam ipſius innocentiam exaggeravit, tandem quæſtioni ſuæ reſpondet: ſic Deum erga juſtos ſe gerere, ut intelligatur, *Quomodò in ſupremis remuneret, quos ſic in infimis premit: & quid illic paſſuri ſint, quos reprobat, ſi hic ſic cruciat, quos amat.* Aut potiùs dicamus, uti dicere cæpimus: ideò paſſus Joannes, quia ſanctus erat, ut ſanctimoniæ conſummatæ ultima adderetur perfectio. *Greg. 4. Dial. cap. 15.* agens de Romula innocentiſſima ſanctimoniali, quam Deus paralyſi percuſſit, id factum ait: *quia plerumque hi, quos jam homines perfectos æſtimant, adhuc in oculis ſummi opificis aliquid imperfectionis habent; ſicut ſæpè imperiti homines necdum perfectè ſculpta ſigilla conſpicimus, quæ tamen adhuc artifex conſiderat, & limat, laudari jam audit, & tamen tundere meliorando non deſinit.* Ejuſmodi imago fuerit Joannes: mortale numquam admiſit: venialia leviſſima, & nulla, ut doctiſſimi putant, plenè deliberata patravit: Angelus corpore fuit & animo. Supererat tamen in oculis Dei, quod ejus perfectioni adderetur, ante imponendam operi manum ultimam. Id effecit carnificis gladius, velut in ſigillo ſcalpellum.

Conqueratur mihi nunc aliquis Chriſtianorum, ſeſe à Deo aſperè haberi, à cariſſimis rebus avelli, conjici in triſtitiæ tenebras, conſtringi vinculis neceſſitatis, claudi corpore mortis velut ergaſtulo. Túne igitur ſanctior Joanne, túne Angelo Innocentior, tu major illo quo non ſurrexit major? Præcurſor ille fuit, tu Chriſti aſſecla es, nec minùs quàm ipſe inſignibus ejus ornari te oportet. Non audiſti leges ejus domeſticas? *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quidnam autem iſthoc eſt ſequi Chriſtum, eſſe ubi eſt, tollere crucem ſuam? Nil aliud, opinor, quàm pati toleranter. XV. Aſſecla Chriſti patiatur.

Cruciatus eſt Joannes, quò ſanctior fieret, quò major in regno cælorum. *A diebus autem Joannis,* inquit Chriſtus, *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vix, aut ne vix quidem, habebat Joannes, quod expurgaretur flagello afflictionis. Tu nihil habes? Numquam id tibi D. Gregorius concefferit, qui 4. Dial. cap. 10. poſt narratam Spei, Abbatis ſancti, cæcitatem annorum quadragenorum ſpatio: *Noſtra*, inquit, *Deus infirma conſpiciens flagellis ſuis cuſtodiam permiſcet, atque in percuſſione ſua electis filiis nunc miſericorditer juſtus eſt, ut ſint quibus debeat poſteà juſtè miſereri.* Culpæ ſuperſunt expiandæ; ut culpæ non ſuperſint, at pœna forſan reſtabit: prævenit ergo miſericors Deus pœnas pœnis, ne quid inexpiatum ad aliam vitam reſervetur, longè acerbiùs puniendum. Sed faciamus, nec culpæ, nec pœnæ quidquam, tibi exſolvendum reſtare: nihilne tamen perfectioris virtutis, amplioriſque in cælo gloriæ, XVI. Ut expurgetur, & perficiatur.

ſperare

ſperare potes? Iſaias cap. 61. populo afflicto ait, *erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Corona funditur, tunditur, ſcinditur, limatur, verſatur ac reverſatur millies, antequam Regio capiti apta ſit. Tundendus es, ſcindendus es, limandus es, in omnes partes verſandus es, antequam dari poſſis in manum Dei tui, ut diadema regni & corona gloriæ.

XVII. Expedit juſtis malè haberi.

D. Aug. lib. 83. quæſt. q. 82. ad hæc verba Prov. 3. *Quem diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Quærit, quid ita Deus jungat amare, & torquere amatum; quæ videntur pugnantia? Poſtquam varias attulit reſponſiones, quales ſunt Senecæ ad eamdem quæſtionem lib. de Prov. *Deum paterno animo & fortiter bonos amare, eóſque damnis exagitare, ut verum colligant robur: in caſtris periculoſa fortiſſimis imperari: præceptores ab iis diſcipulis plus laboris exquirere, à quibus certior eſt ſpes.* Poſt indicatas aliquot ejuſmodi reſponſiones, Auguſtinus, *Nulla*, inquit, *cauſſa probabilior occurrit, cur juſti homines laborent plerumque in hac vita, niſi quia hoc eis expedit.* Expedit certè ad virtutum incrementum, ſine exercitatione languentium; & ad augmentum gloriæ in regno cælorum, quò, ut Paullus & Barnabas concionabundi in variis urbibus dicebant, Act. 14. *oportet intrare per multas tribulationes.*

XVIII. Spiritu duplici opus ad proſpera

Eliſæus Eliæ in igne abeunti, 4. Reg. 2. *Obſecro*, inquit, *Domine, fiat in me ſpiritus tuus duplex.* De duplici illo ſpiritu variæ ſunt ac piæ interpretatiooes. Ad rem noſtram benè non optimus Auctor, inter opera Aug. lib. 2. de mirabilibus Scripturæ, ait Eliam, in ſolitudine educatum victu veſtituque horrido, ad hæc à Jezabele, ejuſque impulſu ab aliis, exagitatum; noo indiguiſſe pluſquam ordinariis Dei auxiliis, ut innocentiam ſervaret, auſteritate & calamitate, fortibus cuſtodibus, vallatam. Eliſæum verò, quem Regum favor, Principum obſervantia, populorum veneratio & amor exceptura erant, duplicem Eliæ ſpiritum, id eſt, plus duplo auxilii divini poſtulâſſe, quia virtus ipſius inter proſpera plus adibat periculi. O Joannes, qui, Angelo & Angelorum Domino teſte, veniſti in ſpiritu & virtute Eliæ, & pluſquam Elias fuiſti: qui innocentiam ſeveriſſima educatione excoluiſti, carcere cuſtodiſti, martyrio coronâſti: qui curru igneo amoris divini in limbum, ac deinde in cælum devectus, præmium præcurſûs tui accipis quietem æternam; *Fiat in nobis ſpiritus tuus duplex*, duplicatum nobis à Deo auxiliom impetra, ut neque inter proſpera hujus mundi periclitemur, neque in adverſis, ſi quæ nobis benevola Dei manus immittet, deficiamus.

CAPVT

CAPUT TERTIUM.

ARGVMENTVM.

Mortuo Mathathia, Iudas Principatum à repurgandâ Iudæâ auſpicatur: civitates obit, apoſtatas exterminat, alienigenas fugat: Apollonium, coacto ex Samaria & vicinis gentibus exercitu, ſibi auſum occurrere, obtruncat, ejusq́ gladium auffert, quo deinceps in prœliis uteretur. Hac prima Iudæ ex juſto certamine victoria fuit: addita mox altera de Serone Syriæ duce. Intellectâ ſuorum geminâ clade, Antiochus Epiphanes cogitabat copiis omnibus in Iudæam invadere, eoq́ ſine ſtipendium annuum militi numerârat. Sed animadverſo, ærarium exhauſtum eſſe, ipſe cum parte copiarum in Perſidem movit, ad cogenda ſuperiorum regionum tributa, relicto ad regni procurationem, filii tutelam, & Iudaïcum bellum Lyſia, cum altera exercitus parte. Ab hoc tres duces ſelecti, cum numeroſa peditum & equitum manu in Iudæam proficiſcuntur, tam certâ victoriæ fiduciâ & famâ, ut mercatores undique in eorum caſtra, pro coëmendis Iudaïcis mancipiis, confluerent. Iudas, cùm Hieroſolymam ad orationes ire non liceret, in Maſpha per orationes, jejunia, aliasq́ pias ſupplicationes publicè propitiato Deo, ad reſiſtendum hoſtibus accingitur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET ſurrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus, filius ejus
pro eo: 2. Et adjuvabant eum omnes fratres ejus, &
univerſi qui ſe conjunxerant patri ejus, & prœliabantur
prœlium Iſraël cum lætitia. 3. Et dilatavit gloriam populo
ſuo, & induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma
bellica ſua in prœliis, & protegebat caſtra gladio ſuo.
4. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus
leonis rugiens in venatione. 5. Et perſecutus eſt iniquos perſcrutans eos: & qui
conturbabant populum ſuum, eos ſuccendit flamis: 6. Et repulſi ſunt ini-
mici ejus præ timore ejus, & omnes operarii iniquitatis conturbati ſunt: & di-
recta eſt ſalus in manu ejus. 7. Et exacerbabat Reges multos, & lætificabat Ia-
cob in operibus ſuis, & in ſæculum memoria ejus in benedictione. 8. Et per-
ambulabat civitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & avertit iram ab Iſraël.
9. Et nominatus eſt uſque ad noviſſimum terræ, & congregavit pereuntes.
10. Et congregavit Apollonius Gentes, & à Samaria virtutem multam & ma-
gnam, ad bellandum contra Iſraël. 11. Et cognovit Iudas, & exiit obviam
illi:

illi : & percuſſit, & occidit illum : & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fu-
gerunt. 12. Et accepit ſpolia eorum : & gladium Apollonii abſtulit Iudas, &
erat pugnans in eo omnibus diebus. 13. Et audivit Seron, princeps exercitus
Syriæ, quòd congregavit Iudas congregationem Fidelium & eccleſiam ſecum,
14. & ait : Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Iudam,
& eos qui cum ipſo ſunt, qui ſpernebant verbum Regis. 15. Et præparavit ſe :
& aſcenderunt cum eo caſtra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerent vindictam
in filios Iſraël. 16. Et appropinquaverunt uſque ad Bethoron : & exivit Iudas
obviàm illi cum paucis. 17. Ut autem viderunt exercitum venientem ſibi
obviàm, dixerunt Iudæ : Quomodò poterimus pauci pugnare contra multitu-
dinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati ſumus jejunio hodie? 18. Et ait
Iudas : Facile eſt concludi multos in manus paucorum : & non eſt differentia
in conſpectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis : 19. Quoniam non in
multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. 20. Ipſi veniunt
ad nos in multitudine contumaci & ſuperbia, ut diſperdant nos, & uxores
noſtras, & filios noſtros, & ſpolient nos : 21. Nos verò pugnabimus pro ani-
mâbus noſtris, 22. & legibus noſtris : & ipſe Dominus conteret eos ante
faciem noſtram : vos autem ne timueritis eos. 23. Ut ceſſavit autem loqui,
inſiluit in eos ſubitò : & contritus eſt Seron, & exercitus ejus in conſpectu
ipſius : 24. Et perſecutus eſt eum in deſcenſu Bethoron uſque in campum, &
ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philiſthiim.
25. Et cecidit timor Iudæ, ac fratrum ejus, & formido ſuper omnes gentes in
circuitu eorum. 26. Et pervenit ad Regem nomen ejus, & de præliis Iudæ nar-
rabant omnes gentes. 27. Ut audivit autem Rex Antiochus ſermones iſtos,
iratus eſt animo : & miſit, & congregavit exercitum univerſi regni ſui, caſtra
fortia valdè : 28. Et aperuit ærarium ſuum, & dedit ſtipendia exercitui in an-
num : & mandavit illis ut eſſent parati ad omnia. 29. Et vidit quòd defecit
pecunia de theſauris ſuis, & tributa regionis modica propter diſſenſionem, &
plagam, quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant à primis diebus :
30. Et timuit ne non haberet ut ſemel & bis, in ſumptus & donaria, quæ
dederat antè larga manu : & abundaverat ſuper Reges, qui ante eum fuerant.
31. Et conſternatus erat animo valdè, & cogitavit ire in Perſidem, & accipere
tributa regionum, & congregare argentum multum. 32. Et reliquit Lyſiam
hominem nobilem de genere Regali, ſuper negotia Regia, à flumine Euphrate
uſque ad flumen Ægypti : 33. Et ut nutriret Antiochum filium ſuum, donec
rediret. 34 Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos : & mandavit ei
de omnibus quæ volebat, & de inhabitantibus Iudæam & Ieruſalem : 35. Et
ut mitteret ad eos exercitum, ad conterendam & exſtirpandam virtutem Iſraël,
& reliquias Ieruſalem, & auferendam memoriam eorum de loco : 36. Et ut
conſtitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & ſorte
diſtribueret terram eorum. 37. Et Rex aſſumpſit partem exercitus reſidui, &
exivit ab Antiochia civitate regni ſui, anno centeſimo & quadrageſimo ſepti-
mo & tranſfretavit Euphratem flumen & perambulabat ſuperiores regiones.
38. Et elegit Lyſias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gor-
giam, viros potentes ex amicis Regis : 39. Et miſit cum eis quadraginta millia
virorum, & ſeptem millia equitum, ut venirent in terram Iuda, & diſperderent
eam ſecundùm verbum Regis. 40. Et proceſſerunt cum univerſa virtute ſua,
& venerunt, & applicuerunt Emmaüm in terra campeſtri. 41. Et audierunt
mercatores regionum nomen eorum : & acceperunt argentum & aurum mul-
tum valdè, & pueros : & venerunt in caſtra, ut acciperent filios Iſraël in ſervos ;

& additi

& additi ſunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum. 42. Et vidit Iudas, & fratres ejus, quia multiplicata ſunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum: & cognoverunt verba Regis, quæ mandavit populo facere in interitum & conſummationem: 43. Et dixerunt unuſquiſque ad proximum ſuum: Erigamus dejectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro, & Sanctis noſtris. 44. Et congregatus eſt conventus, ut eſſent parati in prælium; & ut orarent, & peterent miſericordiam & miſerationes. 45. Et Ieruſalem non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis ejus: & Sanctum conculcabatur: & filii alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata eſt voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cithara. 46. Et congregati ſunt, & venerunt in Maſpha contra Ieruſalem: quia locus orationis erat in Maſpha antè in Iſraël. 47. Et jejunaverunt illa die, & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimeta ſua: 48. Et expanderunt libros Legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum: 49. Et attulerunt ornamenta ſacerdotalia, & primitias, & decimas: & ſuſcitaverunt Nazaræos, qui impleverant dies: 50. Et clamaverunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus iſtis, & quo eos ducemus? 51. Et Sancta tua conculcata ſunt, & contaminata ſunt, & ſacerdotes tui facti ſunt in luctum, & in humilitatem. 52. Et ecce Nationes convenerunt adverſùm nos ut nos diſperdant: tu ſcis quæ cogitant in nos. 53. Quomodò poterimus ſubſiſtere ante faciem eorum, niſi tu Deus adjuves nos? 54. Et tubis exclamaverunt voce magna. 55. Et poſt hæc conſtituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones. 56. Et dixit his, qui ædificabant domos, & ſponſabant uxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, ut redirent unuſquiſque in domum ſuam, ſecundùm legem. 57. Et movetunt caſtra, & collocaverunt ad Auſtrum Emmaüm. 58. Et ait Iudas: Accingimini, & eſtote filii potentes, & eſtote parati in manè, ut pugnetis adverſùs Nationes has, quæ convenerunt adverſùs nos, diſperdere nos & Sancta noſtra: 59. Quoniam melius eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum. 60. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.

COMMENTARIUS AD CAPUT TERTIUM.

Quomodò Judas patri ſucceſſerit?

℣.1 ET SURREXIT JUDAS, QUI VOCABATUR MACHABÆUS, FILIUS EIUS PRO EO. Repugnante nemine ſuorum, ex ſuprema patris voluntate, Judas ſtatim ab ejus morte Principatum ſuſcepit. Gorionides Joſephus apud Serarium ait, à Mathathia ante mortem, cùm Judam pro Duce liberis nominâſſet, *productum cornu olei, eumq́, unctum ad prælia, populumq́, vociferatum, Vivat Victus.* Alius verò Gorionide ineptior ait, *à Mathathia productum Iudam in Sanctuarium, unctúmque, & acclamatum à populo, Vivat Rex.* At, ô bone, quo pacto in Sanctuarium ire licuiſſet ungendo Judæ; quomodò auſus fuiſſet populus acclamare, *Vivat Rex*: cùm Hieroſolymam accedere, ne ad orationes quidem, tunc liceret? Probabiliter fabulatores iſti Hebræi loquerentur, ſi dicant, unctum fuiſſe à Mathathia Iudam, non in Ducem, ſed in Pontificem ſummum: quamquam unctionem hanc putârim potiùs, per ſacerdotes alios in ipſa Templi expurgatione factam fuiſſe.

Concordiæ fructus ſecuritas, alacritas.

℣. 2. ET ADIUVABANT EUM OMNES FRATRES EIUS, ET UNIVERSI QUI SE CONIUNXERANT PATRI EIUS, ET PRÆLIABANTUR PRÆLIUM ISRAEL CUM LÆTITIA. Habes quo illuſtres, quæ de laude concordiæ dici ſolent. Juncti ſimul filii Mathathiæ, & pii Iſraelitæ, præliantur *cum lætitia*, id eſt alacri animo: jucundiùs enim & generoſiùs geruntur, quæ concorditer fiunt, dat aoimos fiduciæ plenos conjunctio & caritas mutua; diſcordia abjicit & frangit tædio, atque inquietudine. Quò autem alacriùs & majori fiducia ad pugnas, & ad alia quælibet publico bono gerenda acceditur, eò fælicior eſſe ſolet exitus oegotiorum. Sapienti Prov.18. concordiæ vis maxima eſt, ad reſiſtendum aggredientibus inimicis: *Frater*, inquit, *qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma*: quod ipſa oos animalia domeſtica familiari exemplo docere poſſunt. Boves enim, imminentibus lupis aut feris aliis, convenire videas, & in coronam diſpoſitis capitibus & cornibus concorditer hoſtes arcere; equi capitibus in globum conſertis, & calcibus in coronam protenſis, feras abſterrent. Hic diſcis, concordiam non reſiſtendo ſolùm valere, ſed etiam aggrediendo: fructum ejus duplicem eſſe, alacritatem animi, & ex hac proſperum negotiorum ſucceſſum.

Moralis applicatio.

Liranus quemadmodùm capite primo malum

Prælatum

Prælatum præfecto tributorum, aliiſque Judæorum oppreſſoribus adumbravit; capite autem ſecundo bonum Prælatum contulit cum Mathathia: ita jam boni Prælati ſucceſſorem facit Judam Machabæum, cui ſe adjungunt læti fratres & ſubditi, pro virtute in vitia pugnaturi, eò alacrius, quò ducem magis diligunt.

Allegorica accomodatio ad Apoſtolos. Rabanus, valdè piè tropologico ſuo ſenſui inſiſtens, quia Mathathiam figuram Chriſti fecit, Judam ejus filium & ſucceſſorem facit typum Collegii Apoſtolici. Judas id eſt confitens: Apoſtoli, poſt Chriſti Aſcenſionem in cælum, *erant ſemper in Templo laudantes & benedicentes Deum.* Luc. 24. Adjutus à fratribus & amicis paternis Judas: Apoſtolis cæteri diſcipuli Chriſti auxilio fuêre, hodiéque ſunt. A Juda cæſus Apollonius dux Samaritarum, & gladius ei ablatus: Apoſtoli Judæos, Samaritas & alienigenas animo, quamvis corpore Iſraelitæ & Abrahamidæ eſſent, doctrinâ & miraculis revicêre; eiſque gladium, id eſt vetus Teſtamentum, abſtulêre, quo deinceps contra ipſoſmet in præliis ac diſputationibus uterentur. Seronem Syriæ Ducem Judas ad fugam compulit: ſuperata ab Apoſtolis profana poteſtas, quæ nomine Syriæ ſublimitatem ſonante ſignificatur. Lyſias adversùs Judam tres duces, & agmina totidem, ſubmiſit: Dæmon adverſus Apoſtolos & Eccleſiam armat Paganos, Hæreticos, malos Catholicos. Quadraginta peditum millia, ſeptem equitum in hoc exercitu cenſentur: per quadragenarium numerum indicatur *temporis univerſitas*, omni enim tempore Eccleſia perſecutionem patietur, quod ipſum quadraginta dies jejunii à Chriſto ſuſcepti, & totidem dies quibus à Reſurrectione cum Apoſtolis verſatus eſt, ſignificant: per ſeptenarium numerum omne perſecutionum genus innuitur; hinc Matth. 12. ſpiritus nequam ejectus reducit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & Luc. 8. Chriſtus de muliere ejicit ſeptem dæmonia. Ad excipiendum bellum Judas ſe comparat orationibus, jejuniis, ſupplici habitu, humiliationibus variis: Apoſtoli, & viri Apoſtolici, ad Eccleſiæ defenſionem & propagationem, iſtiuſmodi armis ſe potiſſimùm inſtruxêre.

Chriſti figuræ variæ, & imagines. Iſta tibi de toto Rabani io hoc caput commentario delibavi, omiſſis minutioribus, quæ reperies in Gloſſa Ordinaria, ſi operæ pretium putes. Cæterùm nos eam tropologiam non ſequemur, ideóque hîc maluimus compendio ſemel ſub oculos ponere, quàm per ſegmenta varia ſpargere. Uti poteris, cùm lubuerit. Sed, credo, longè magis placebit, Judam facere Chriſti ipſius figuram. Nec movebit, quod Mathathias ejus typus ſit. Quomodò enim David expreſſiſſima Chriſti figura eſt; neque ideò minùs conveniens & expreſſa eſt Salomon. Eumdem in modum Mathathiam cum Chriſto conferre potuimus: nihil tamen prohibebit, quin etiam filium ad eamdem comparationem adducamus, eleganti imagine. Spiritus Sanctus, ut ſpecioſi formâ præ filiis hominum nobis pulcritudinem commendaret, & amabilem faceret, ejus ubique paſſim in Scriptura imagines, quaſi perpetua ſerie, diſpoſuit. Una de poſtremis tempore, dignitate primis, & maximè ad vivum accedentibus, eſt Machabæus noſter. Eam jam nunc conſpicere incipe.

Imago Chriſti expreſſa Judas Machabæus. Surrexit Judas: *Surrexit* Chriſtus, neque unquam *Surrexit* magis, quàm cùm in ventrem Virginis quaſi decidit de Patris ſinu, deinde de ventre Virginis in terram & fœnum effuſus eſt, tum ſub cura pauperculi fabri adolevit: *eò altior, quò humilior*, quod de Trajano Plinius. Jam Judæ nomen, quàm Chriſto aptum? *Confitens* eſt: non audis dicentem Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ*? Non vides pernoctantem in oratione Dei? *Confitendus* eſt: nam qui erubuerit eum & ſermones ejus, erubeſcetur coram Angelis Dei: qui eum *confeſſi* fuerint, *confitebitur* & ipſe illos coram Patre ſuo. Judas vocabatur *Machabæus*. Vis ſignificari iſto cognomine *Bellatorem*? Bellator eſt Chriſtus: *Sagittæ*, inquit Pſalm. pſ. 44. in ejus epithalamio, *tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis*: id eſt, Tertulliano lib. adv. Jud. *Sagittæ acutæ, per volantia utique Dei præcepta, minantes traductionem cordis, configentes conſcientiam quamque; ſic bellipotens, ſic armiger Chriſtus.* Vis Machabæi titulo indicari *Subjugatorem*, vel *Raptorem violentum*? Chriſtus mortuos ex ſepulcris & inferis eripit, vivos è poteſtate tenebrarum & peccati. De eo præſignificatum id nomen, *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari: Sic accipiet*, ut ibidem Tert. *ſpolia, non Samariæ ſolùm, ſed & omnium Gentium.* Cùm adhuc viveret, ſpretus, vilis, & quaſi unus ex nobis filiis hominum, querebantur tamen ejus hoſtes, totum mundum poſt eum abiiſſe; ita manſuetiſſimus *ſubjugator* animos ſuavi violentia rapiebat. Quid modò? Quàm potenter intellectus feroces ſub lene jugum fidei mittit! Quàm multiplici gratia ad ſe etiam rebelles compellit propitius voluntates! Quot perduellibus & hoſtibus nominis ſui dicit, quod uni Remigius Clodovæo Francorum Regi: *Mitis ſubmitte colla Sicamber, adora quod incendiſti, incende quod adorâſti.*

Surrexit Judas pro patre ſuo, id eſt in locum demortui ſucceſſit. Nulla Patri æterno ſucceſſio, eſt tamen hæreditas: ſic Paullus Chriſtum nominat Heb. 1. *Hæredem univerſorum.* Adde iſtud *pro eo* licèt ad literam explicandum ſit, quomodò dicimus: tamen ex vi vocis pati poſſe alium ſenſum, uti & Græcum ἀνθ᾽ αὐτοῦ. *Surrexit pro eo*, id eſt arma ſumpſit ad ejus gloriam, ex ejus voluntate: ſic ſumere licet *pro* Latinum, & ἀντὶ Græcum. Hoc ſenſu Chriſtus *ſurrexit pro Patre*, quia non vênit ut faceret voluntatem ſuam, ſed ejus qui miſerat eum Patris: quæ placita ſunt ei, ſemper fecit: Honorificavit patrem: Gloriam ejus quæſivit, non ſuam: Chriſti cibus fuit ut faceret voluntatem ejus, qui miſit eum, ut perficeret opus ejus. Chriſtus pro Patre ſurgit.

Adiuvabant eum omnes fratres eius. *Non confunditur* Apoſtolos *vocare fratres*, Hebr. 2. Et Joan, 20. jubet Apoſtolis dici, *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Neque Apoſtolis ſolùm id nomen fratris impertit, ſed & Sanctis aliis: quomodò S. Thomæ Cantuarienſi, poſt Sacrificium oranti, apparens ait, *Ego ſum frater tuus.* Et nos fratres ſumus Chriſti, fratres fratrum ejus Chriſtianorum omnium, Apoſtolorum omnium, qui oos quotidie io epiſtolis ſuis *fratres* compellant. Adjuvant Chriſtum fratres ejus Apoſtoli, viri Apoſtolici, Chriſtiani quilibet, cùm adimplent quæ deſunt paſſionum Chriſti, cùm animas convertunt, cùm in ſeipſis emendandis & perficiendis gratiæ Dei cooperantur. Adjuvatur à fratribus.

Amici paterni ſunt Judæ auxilio. Omnes Dei cultores Chriſtum colunt, ſi Chriſtum audiêre. Et ab amicis paternis. Qui de eo audire nolunt, vel auditum reſpuunt, cùm veræ fidei ignorantiâ invincibili ampliùs excuſari noo poſſint, fruſtra ſibi de unius Dei adoratione blandiuntur. Nam qui Chriſtum non recipit, non recipit eum qui eum miſit: ipſe & Pater unum ſunt. *Præliantur* amici Dei, & amici Chriſti, *prælium Iſraël cum lætitia.* Vide tali duce,

ſpectatore, agonotheta pugnantem Stephanum, & faciem ejus quaſi faciem Angeli. Vide Apoſtolos euntes à conſpectu concilii cum gaudio, quòd digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati. Vide Paullum repletum conſolatione, ſuperabundantem gaudio, in omni tribulatione ſua. Vide Martyres omnes: vide Chriſtianos paſſim, ut exultant tali Imperatore, tali teſte, tali adjutore certaminum. De militia Chriſtiana fuſiùs loquemur in Excurſu morali: transgrediamur ad alia Judæ cum Chriſto parallela, prout ſe dant in verſibus ſequentibus.

Chriſtus gloria populi.

℣. 3. ET DILATAVIT GLORIAM POPULO SUO. Glorioſum populo Judaico Machabæi nomen, at quantò glorioſius Chriſti? Præviderat illud unus è paternis Chriſti amicis, cùm eum complexus, & lætitiâ diffluens, ipſi accinuit: *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Additur de Juda, *& induit ſe loricam ſicut gigas*, id eſt ſicut vir fortis: nomen enim gigantis pro viro forti ſæpè ſumitur, & pro bellatore. Si tamen voles nomen gigantis preſsè ſumere, pro homine magnâ ſtaturâ, & gigantæâ mole corporis, dicas; hîc in Juda per illam non tam ſignificari corporis, quàm animi, magnitudinem. *Et ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælio, & protegebat caſtra gladio ſuo.* Græcè ad verbum ſic habetur, *ſuccinxit ſe vaſis ſeu inſtrumentis ſuis bellicis: prælia conſtituit, protegens caſtra gladio ſuo.*

Quæ Chriſti lorica, quis gladius?

Loricam Chriſti ſacrum ejus corpus interpretor, quo indutus in aciem prodiit, exultansque ut gigas ad currendam viam, & ad bellandum; & omni armorum, id eſt virtutum ac gratiarum genere inſtructus, ſua *prælia conſtituit*, cùm dixit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, Mat. 10. & *protexit caſtra gladio ſuo*, ſeu *gladio ſpiritûs quod eſt verbum Dei*, Eph. 6. Hic eſt *gladius utraque parte acutus*, ex ore filii hominis procedens, Apoc. 1. Hic eſt gladius, de quo Heb. 4. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, &c. Hic eſt Cherubini ſeu intelligentiæ ſpiritualis gladius flammeus atque verſatilis, quo Paradiſi ingreſſus cuſtoditur. Plura nos de eo gladio diximus in Prolegomenis, ſect. 5. num. 5.

Chriſtus leo.

℣. 4. SIMILIS FACTUS EST LEONI IN OPER. SUIS, ET SICUT CAT. LEO. RUG. IN VENATIONE. Seu ut Græcè habetur, *in venationem*. Illi leoni ſimilis, inquit Rab. de quo Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* Et de quo Jacob Patriarcha, in benedictione myſtica filiorum ſuorum, inter cætera ait, *Catulus leonis Iuda, ad prædam aſcendiſti, fili mi, requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Chriſtus in primo adventu agnus, in ſecundo leo. Huic etiam adventui magis quadrant, quæ verſu 5. & 6. dicuntur. *Perſequetur* enim Chriſtus in adventu ſecundo & *ſcrutabitur* iniquos; *ſuccendet flammis* perturbatores populi ſui, igne judicium præcurrente, & ſequente; *repellentur*, ſeu ut in Græco ſignificanter habetur, in unum ſe contrahent præ timore ejus operarii iniquitatis, & *dicent montibus cadite ſuper nos; & dirigetur ſalus in manu ejus*, cantabitur enim tum *ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno* Apoc. 7. De primo adventu Chriſti licebit etiam iſta interpretari ſenſu ſaltem tranſlatitio, de perſecutione, ſcrutatione, conturbatione in bonum. Eſt enim ſalubris timor, quo Chriſtus de inimicis amicos facit, & eos flammis amoris ſui ſuccendit. Quamquam & naſcente Chriſto ad literam verè multi turbati ſunt: *Turbatus eſt* enim *Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo*, Mat. 2. Quid ſi prætereà arſêre de cælo Sodomitæ, quod unum eſt, apud quoſdam auctores, de miraculis quæ Chriſto naſcente accidêre? Sed iſtis apocryphis non egemus, cùm veris ac certis abundemus.

Summa geſtorum Judæ.

℣. 5. 6. 7. 8. 9. Nihil habetur difficile. Id ſolùm adverto, videri in iis verſibus generatim proponi præclarè facta Machabæi, ad quæ poſtmodùm particulatim deſcribenda deſcenditur. Exempli cauſsâ, in eo quod dicitur,

Qui hoſtes exuſti?

℣. 4. QUI CONTURBABANT POPULUM SUUM, SUCCENDIT FLAMMIS: alluditur ad exuſtionem Calliſthenis, lib. 2. cap. 8. Quamquam & cap. eodem, v. 6. fit mentio exuſtorum caſtellorum, & civitatum à Juda, initio Principatûs.

Qui repulſi?

℣. 6. REPULSI SUNT INIMICI EIUS, ſeu, ut Græcè habetur, *συνεςάλησαν*, *compulſi* vel *compreſſi ſunt*; id eſt, coacti in unum locum ſe recipere. Alluditur ad arcem Hieroſolymitanam, quò transfugæ ſe compegerunt, ut manus Judæ evaderent.

℣. 7. EXACERBABAT REGES MULTOS. Alluditur ad tres Syriæ Reges, quorum tempore armorum ducatum Judas habuit.

℣. 8. PERAMBULAVIT CIVITATES JUDA; non tamen ante reportatas plures victorias: per quas etiam *avertit iram ab Iſraël*, id eſt calamitates publicas, iræ divinæ effecta.

Unde illi fama

℣. 9. NOMINATUS EST USQUE AD NOVISSIMUM TERRÆ, non Iſraëliticæ ſolùm, ſed etiam Aſiaticæ, imò & longè Romam uſque: quod certè fieri non potuit ante victum Apollonium, & Seronem, unde ipſi prima claritas nominis & laus egregii imperatoris; cùm antè ſub patre fermè privatus, & nonniſi apud paucos notus militâſſet.

Salvatoris?

ET CONGREGAVIT PEREUNTES, ab initio Principatûs ſui ad mortem uſque: & in hoc Chriſto perſimilis; qui vocavit peccatores & perituros, vixitque, & mortuus eſt, *ut filios Dei, qui diſperſi ſunt, congregaret in unum.*

Apollonius quis? An Cœleſyriæ præfectus?

℣. 10. ET CONGREGAVIT APOLLONIUS GENTES, ET A SAMARIA VIRTUTEM MULTAM ET MAG. AD BELLAN. CON. ISR. Sumitur *virtus* pro exercitu, uti & Græcum *δύναμις*, phraſi Scripturæ pervulgatâ. Quis autem iſte Apollonius? Salianus eumdem facit cum Apollonio Tharſeæ, imò & Mneſthei: nam utrumque confundit parum conſideratè, ut dicendum erit ad lib. 2. cap. 3. & 4. Eumdem etiam eſſe exiſtimat, qui cap. 5. libri ejuſdem Hieroſolymam vaſtâſſe narratur. Denique affirmat, præfectum fuiſſe, non Samariæ ſolùm, ſed & Cœleſyriæ ac Phœnicis: quia id de Tharſeæ filio ſcribit ſacer Hiſtoricus.

Fuit Samariæ præfectus.

Sed pace Saliani, Joſephum hîc potiùs ſequemur, qui ſolius Samariæ præfectum Apollonium facit, id eſt Samaritidis. Samariæ enim nomine non urbs ſolùm venit, ab Amri Iſraëlitarum Rege ædificata 3. Reg. 16. poſtmodùm Sebaſte, id eſt Auguſta, in Auguſti honorem appellata ab Herode: civitas munitiſſima, in monte ſita, tredecim circiter ab Hieroſolyma horis, rectà in Galilæam euntibus. Non ea ergo ſolùm urbs Samaria nominabatur, ſed etiam regio omnis illi contributa; id eſt quidquid Judæam inter & Galilæam interjacebat, complectebaturque tribum Ephraim, & dimidiam Manaſſe Cisjordaninam.

Et ſolius quidem.

Et verò ſi Apollonius, à Juda cæſus, præfectus erat Phœnicis & Cœleſyriæ, cur nominatim dicitur ex Samaria copias collegiſſe? Cur de

Cœleſyriæ

Cœleſyria nulla hîc mentio? Cur Seron, Princeps exercitûs Syriæ otiatus eſt? Cur ejus copiæ abfuerunt? Eſto itaque hic Apollonius Samaritidis præfectus.

Cur id bellum ſuſceperit?

Cur autem ipſe, de tot Syro-Macedonum primoribus & præfectis, bellum iſtud primus gerendum ſuſcepit? Primùm, quia ipſius præfectura longo tractu Judææ ſtrictè ſumptæ erat contermina: adeoque ad ipſum magis ſpectabat, invigilare in Judæorum motus. Deinde, quia videntur Mathatiâs ac Judas Samaritidem itineribus ſuis vexâſſe, forſan & excurſionibus fatigâſſe. Ad extremum credibile eſt, Apollonium impulſum à Samaritanis ipſis; quibus pro inſito & inveterato in Judæos odio, dolebat rei Judaicæ cœpta per Mathathiam reſtitutio, continuata per Judam: præſertim cùm non dubitarent, quin hic, ſi ſucceſſibus creſcere ſineretur, brevi cogitaturus eſſet de inſtauratione Templi, cujus dignitati maximè invidebant, ex quo in monte Garizim propè Sichem templum ipſis erat extructum, Hieroſolymitano æmulum.

Ubi tunc Judas?

℣. 11. Et cognovit Judas, monitus à ſociis, quos paſſim ſparſos habebat. Nec dubitandum, quin vigilantiſſimus dux exploratores etiam quaquaverſum mitteret. Ubi autem erat, cùm ad eum nuntii iſti venêre? Fuiſſe in Modin paullò antè, conſtat ex Mathathiæ funere: ſed loca ſæpiùs mutâſſe certum eſt ex eo, quod hic habetur v. 8. *perambulâſſe civitates Juda*, & quod expreſſiùs lib. 2. cap. 8. v. 5. *intolerabilem Gentibus effectum*, & v. 6. *opportuna loca occupâſſe*. Exiſtimârim tamen frequentiſſimè in Modio, aut vicinos montes ſe recepiſſe, tum patriæ amore, tum quod tutiora loca eſſent.

Ejus copiæ.

Et exiit obviam illi. Copiarum Judæ numerus hîc non exprimitur: lib. 2. cap. 8. v. 1. dicitur ſub initium Principatus ſecum habuiſſe ſex millia virorum. Cum iis igitur, aut eorum maxima parte, obviàm Apollonio progreditur generoſus miles, eumque ultrò occupat.

Quo pacto dicitur Apolloniũ interfeciſſe?

Et percussit et occidit illum, Judas Apollonium. Dici autem poteſt percuſſiſſe & occidiſſe illum, vel quia manu propriâ ipſum interfecit, vel quia manu alicujus è ſuis. Solent enim duci exercitûs tribui, non ea ſolùm quæ ipſe facit, ſed etiam quæ à milite, fiunt præſertim ſi auctor præclari facinoris ſit incertus. Utro igitur modo dicendus eſt Judas Apollonium occidiſſe, per ſe, an per alium? Gorionides Joſephus poſtquam dixit acriter inter Macedones & Aſſidæos pugnatum: *Cùm Judas*, inquit, *pugnaret, & videret Apollonium ſtantem in medio exercitus Macedonum, currens ad eum ex furore ſpiritus ſui, & penetrans in prælii medium, percuſſit ad ſiniſtram atque dexteram, & ſtravit fortiſſimos Macedonas, haud ſecus ac meſſor dejicit manipulos & ſpicas meſſis ſuæ, pergénsque ad Apollonium, percuſſit eum gladio ſuo, & mortuus eſt.* Diceres hiſtoricum illum prælio interfuiſſe, ita particulatim omnia narrat: neque alia ad decidendam quæſtionem noſtram opus eſſet auctoritas, ſi tam verè, quàm confidenter, loqui ſoleret. Sed quia fidei vanæ auctor eſt, aliunde nobis indaganda veritas. Ac primùm ex ipſis Scripturæ hoc loco verbis colligo, planè dicendum Judæ ipſius manu occiſum Apollonium. Cur enim alioqui tam diſertè diceretur, non tantùm *occidit*, ſed etiam *percuſſit*, ſi alienâ manu id feciſſet? Deinde verſu ſequenti dicitur, abſtuliſſe Judas gladium Apollonii, eoque deinceps uſus in præliis. Cur autem opimum ſibi de duce ſpolium ſumpſiſſet, eoque fraudâſſet alium,

ſi non à ſe, ſed ab alio, occiſus fuiſſet? Abſit ut id de tam generoſa Machabæi indole ſuſpicemur: non is erat, qui ſibi aliena facinora tribueret, aut eorum ſe titulis ac ſpoliis ornaret. Maneat itaque fixum, à Juda occiſum fuiſſe Apollonium propria, non aliena, manu.

Multitudo cæſorum.

Et ceciderunt vuln. multi, et reliqui fugerunt. Numerus cæſorum non indicatur: poteſt ex ducis ipſius cæde æſtimari. Cùm enim credibile non ſit, eum in prima acie & fronte exercitus ſtetiſſe, inuſitato Macedonibus more: ſternendi fuerint manipuli, & ſtrage hoſtium aperienda Judæ via fuerit, ut ad illum perveniret. Deinde eo cæſo, ut ſolet, conſternatis & palantibus militibus, non jam prælium ſed cædes fuit.

℣. 12. Et accepit spolia eorum: Hîc tribuitur duci, quod miles fecit: neque enim Judas omnia cæſorum ſpolia per ſe colligere potuit, ſed id curavit aut permiſit per militem.

Cur Apollonii gladium Judas ſumpſerit?

Et gladium Apollonii abstulit Judas, et erat pugnans in eo omnibus diebus. Imitatus ea in re Davidem, qui 1. Reg. 17. Goliathi enſem auffert, & cap. 21. eo accingitur, ad uſum in præliis. Solenne victoribus vel arma, vel inſignia aliqua cæſi hoſtis geſtare: ſive ad monumentum victoriæ & gloriæ: ſive ad excitandos ſuos & ſuorum animos. Hoc fine uſus baltheo *Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus Straverat, atque humeris inimicum inſigne ferebat.* Æneidos 10. & 12. Judas non baltheum Apollonii, aut inutile aliud ornamentum circumfert, ſed gladium: ut non ſit ſolùm monumento ad laudem, aut incitamento ad fortitudinem, verùm etiam uſui ad prælia. Gorionides ait, enſem illum acutum fuiſſe & latum, nec malè, cùm Græcè habeatur *μάχαιραν machæram*, quo nomine latus enſis ſignificatur: ut mirum non ſit vel ob hanc cauſſam adamatum à Juda, dicique de eo potuiſſe, quod 1. Reg. 21. à Davide de Goliathi gladio dicitur: *Non eſt huic alter ſimilis.*

Cœleſyriæ ſitus, & Antilibani ac Libani.

℣. 13. Et audivit Seron princeps exercitus Syriæ: non totius, ſed ejus quæ Cœle ſeu Cava vocabatur, interjecta inter montes Libanum & Antilibanum, unde Cavæ nomen. Eſt autem Antilibanus mons, idem qui in Scripturis Libanus appellatur, ad Terræ ſanctæ limitem, Syriam & Boream verſùs: non longè à mediterraneo mari, continuis fermè jugis, ad Arabum uſque fines porrectus. Libanus verò, ſic à profanis appellatus, Antilibano reſpondet, eodem modo protenſus, magis ad Boream. Quidquid Syriæ inter eos montes continetur, Cœlen appellârunt: complectebaturque Damaſcenam regionem; & quæ olim Maacha, ac Soba, dicta eſt; itemque illam, quæ poſtmodùm Abilina. Videntur etiam Cœleſyriæ contributa Machabæorum ævo Ituræa quædam, & Baſanitidis, ac Galaaditidis, imò & Galilææ ad radices Antilibani, & fontes Jordanis, ac Samachonitem lacum, ſeu aquas Merom.

Seron an ejus præfectus?

Seronem igitur in iſta regione præfectum copiarum fuiſſe, tum ex ipſa rei geſtæ ſerie colligitur, tum ex Joſepho. Sed præfectúſne etiam fuit regionis univerſæ? Negat Salianus, aitque: Apollonii tantùm in exercitu vicarium fuiſſe; eoque per Judam interfecto, rerum adminiſtrationem bellique cum Judæis gerendi curam ſuſcepiſſe. Sed iſtam de Apollonio conjecturam non probavimus ſuprà ad v. 10. Neque hîc illa placere poteſt de vicariatu opinio: non enim affirmatè diceretur *princeps exercitus*, ἄρχων, ſi vicarius tantùm foret. Placet itaque multò magis Joſephi ſententia,

H 2 facientis

facientis Seronem Cœleſyriæ præfectum ſimul, & copiarum ducem.

Cur in Judam moverit?

Is Seron audivit, *quòd congregavit Iudas congregationem Fidelium & Eccleſiam ſecum:* Græcè additur, *exeuntium in prælium.* Ex qua particula colligo, Seroni nuntiatum; coactas à Juda copias, vexatos Macedonas, bellum illatum, cæſum Apollonium. Nam ante hanc victoriam non adeò aptè dici potuit Judas in prælium exiſſe, obſiſtere auſo hoſtium nullo. Adde, Seronem Cœleſyriæ ducem de opprimendo Juda cogitaturum non fuiſſe, niſi ſciret pares illi non eſſe viciniorum populorum præfectos. Denique non ſperâſſet celebre nomen à debellato Juda, ut verſu ſequenti dicitur, niſi Judas ipſe inſigni aliquâ victoriâ celebris fuiſſet: prima autem fuit de Apollonio, unde ipſi magna claritas nominis; cùm antè ſolis excurſionibus notus eſſet, & apud Macedonas, ut fit, latronis magis quàm ducis titulo celebraretur.

Vana nominis affectatio.

℣. 14. Et ait: faciam mihi nomen, et glorificabor in reg. et debell. Judam, et eos, qui cum ipso sunt, qui spern. ver. Re. Gloria eſt viciſſe victorem; hanc ambit vanus homo, putatque de ſe non ſolùm apud Regem & in aula, ſed toto Syro-macedonum regno ſermones fore. Forſan & ad poſteros atque hiſtorias reſpexit, & ad imaginariam ac futilem immortalitatem in auctorum ſcriptis, quæ tot Paganos, veri nominis & immortalitatis ignaros, dementavit. Quorum enim facta libris mandata ſunt, *eorum*, ut Ennodius in vita Antonii Lerinenſis loquitur, *vitalis eſt obitus.* Hinc apud priſcos ſcriptores glorioſæ illæ venditationes, numquam moritura famæ, vel ſuæ, vel amicorum, quos literis commendaverint: Exactum à ſe *monumentum ære perennius opus, quod nec Iovis ira, nec ignes* deleant. Inde poëtæ Latini apud Ciceronem vana jactatio: *Nemo me lacrymis curet, nec funera fletu Faxit. Cur? Volito virus per ora virûm.* Eò reſpicit inſanus gloriæ amator Seron, ad nominis celebritatem ac perpetuitatem aſpirat: & quam ſapientes adſciſcunt pro ſubſidio & cote virtutis, ipſe pro virtute & fine habet. Sed ad nocturnum illum fumoſæ lucernæ ſplendorem alas ſibi exuret infælix papilio, dignus cui à Satyrico accinatur, quomodò Hannibali: *I demens, & ſævas curre per Alpes,*
Vt pueris placeas, & declamatio fias.

Seronis apparatus.

℣. 15. Et præparavit se. Explicatio ejus eſt, quod Græcè habetur obſcuriùs, καὶ προσέθετο: *Et appoſuit:* id eſt, aggreſſus eſt quod cogitârat: *comparavit ſe ad aſcendendum*, ut habent Græca Sixtina & verſio Nobilii: accinxit ſe ad bellum, militem coëgit, & apparatu bellico ac commeatu inſtruxit. *Et aſcenderunt cum eo:* Phraſi Hebræa aſcendere ponitur, pro proficiſci: poſſunt etiam dici propriè aſcendiſſe, cùm Cœleſyria ſeu Cava Syria depreſſior eſſet Judæâ. vide cap. 1. v. 21. *Caſtra impiorum, fortes auxiliarii, ut facerẽt vindictam in filios Iſraël.* Græcè habetur: *Caſtra impiorum valida, auxiliari ipſi, facere vindictam in filiis Iſraël.* Id eſt, impiorum multitudo valida conjunxit ſe cum Serone, ad ejus auxilium, & ultionem ſumendam de Judæis. Opinor olim in textu noſtro fuiſſe: *Caſtra impiorum fortia auxiliari*, ex quo poſtmodum factum ſit iſtud, *fortes auxiliarii*, eâdem quidem ſententiâ, ſed ad verbum non expreſsâ.

Bethoron duplex.

℣. 16. Et appropinquaverunt usque ad Bethoron. Græcè, *uſque ad aſcenſum Bethoron*, unde ſcilicet Hieroſolymam eſt aſcenſus. Duplex fuit Bethoron; una ſuperior dicta, quòd à mari mediterraneo longiùs diſſita; altera inferior, quia mari proximior. De inferiore hîc agi, patet ex textu Græco: nam ex ſuperiore rectum erat Hieroſolymam iter, non autem aſcenſus: ex inferiore autem aſcendebatur. De utriuſque ſitu inter geographos & interpretes non convenit. Illam omnes Ephraiticæ tribui aſſignant, urbem ſacerdotalem: hanc plerique tribuunt Benjamiticæ, faciuntque Hieroſolymæ proximam. Bonfrerius ad Joſue c. 10. v. 10. accenſet utramque tribui Ephraiticæ; ex eo quòd 1. Paral. 7. dicatur ædificata utraque per fæminam de ea tribu; quam utique credendum eſt, non fuiſſe cogitaturam de ædificando intra fines alienos. Idem rectè colligit ex deſcriptione Benjamiticæ tribus, Joſue cap. 18. ubi limes illius ad Boream, definitur ad meridiem Bethoron inferioris: quod autem erat Boreale Benjamitis, Ephraitis erat Auſtrale.

An pauciores modo cum Juda, quàm antè, & cur?

Et exivit illi Judas obviam cum paucis. Suprà verſu 11. ubi narratur Apollonio occuriſſe, non additur *cum paucis.* Paucioréſne igitur ſecum habuit in ſecundo, quàm in primo certamine? Et quî id factum, cùm victrices copiæ creſcere ſoleant; & procul dubio ſocii novi, proſtrato Apollonio, ad Judam, famâ victoriæ & ſpe meliorum temporum, acceſſerint? Nihilominùs dicendum, minores fuiſſe Judæorum contra Seronem, quàm contra Apollonium copias: & id mihi apertè ſignificare Hagiographus videtur, addito hîc *cum paucis.* Unde verò iſta numeri diminutio? Jam obſervavi Judam ducem ſtrenuum, & otii impatientem, ut victoriâ uteretur loca munita invaſiſſe: quod licèt textus non exprimat, res ipſa loquitur. Captis igitur oppidis & caſtellis præſidia imponenda fuêre; inde copiæ imminutæ, quæ jam antè exiguæ erant. Vide ſuprà verſ. 11.

Quare timeant?

℣. 17. Ut autem viderunt exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Judæ: Quomodò poterimus pauci pugnare cont. multit. tantam, et et tam fortem, et nos fatigati sumus ieiunio hodie? Pugnam formidant ſocii Judæ, & duas metus ſui cauſſas, eaſque humanitùs juſtas afferunt: primam, quòd in tam numeroſum & validum hoſtem paucis pugnandum; alteram, quòd debilitatis & exhauſtis jejunio. Tertiam rationem comminiſcitur Gorionides, quòd tota nocte iter feciſſent. Sed ſupervacua omninò eſt tertia iſta timoris, & detrectandi certaminis, cauſſa: ſufficiunt duæ; quòd viderent *multitudinem tantam & tam fortem*, Græcè *multitudinem illam validam*; prætereà, quòd *fatigati* eſſent ejus diei jejunio; Græcè ἐκλελύμεθα, *diſſoluti ſumus*, ſeu planè fracti ac defecti viribus ex jejunio.

Quare jejuni ante prælium Judæi?

Quæras, cur in procinctu ad prælium jejuni ſint Judæi? Triplex potuit eſſe jejunium, vel ex inopia, vel ex obedientia, vel ex voluntate & ultrò ſuſceptum. Ex inopia, quòd tanta hoſtium multitudine, vel interclusi eſſent commeatus, vel conſumpta alimenta. Ex obedientia, quòd in eum diem forſan jejunium aliquod lege indictum incideret. Ex voluntate, vel militum ipſorum, ut Deum propitiarent, vel ducis ſui Machabæi. Quam voles partem ex hiſce tribus eligas, probabiliter loquêris. Certè non erat inſolens apud Judæos, ipſo certaminis die, ultrò jejunare: colliges ex 1. Reg. 14. ubi ad jejunandum à Saüle populus, in Philiſthæos pugnans, adjuratur, adjurationi à populo conſentitur. Et hinc intelliges prætereà, quàm religioſè legitima jejunia, etiam in eo articulo, à militantibus Judæis obſervarentur, cùm

aliud

ultrò ſuſceptorum tanta eſſet religio. Dic ergò quod lubebit. à Judæis hîc vel egeſtate, vel lege, vel libera pietate jejunatum: ex textu noſtro nihil habeo, unde quæſtionem eam decidam. Ex Græco tamen conjecerim, inopiæ potiùs quàm aliud jejunium fuiſſe: habetur enim ἀσιτοῦντες σήμερον, *ſine cibo hodie*, non autem νηστεύοντες, aut νηστεύσαντες, quibus vocibus exprimi ſæpiùs ſolet legitima, aut voluntaria afflictatio corporis, per abſtinentiam à cibo. Sic infrà verſu 47. *jejunaverunt* habetur ἐνήστευσαν, ubi agitur de jejunio à Judæis ſuſcepto, ad Deum placandum, hoſtibus imminentibus.

Fiducia in Deum.

℣. 18. & 19. ET AIT JUDAS: FACILE EST CONCLUDI MULTOS IN MANU PAUCORUM, ET NON EST DIFFERENTIA IN CONSPECTU DEI CÆLI, in Græcis quibuſdam omittitur vox *cæli*, in aliis vox *Dei*, Sixtina conveniunt cum Vulgata: LIBERARE IN MULTIS VEL IN PAUCIS. QUONIAM NON IN MULT. EXERC. VICT. BELLI: SED DE CÆLO FORTITUDO EST. Digna Machabæo ſententia. Geminam huic habes, 1. Reg. 14. v. 6. Jonathæ ad armigerum, cùm per abruptam rupem in Philiſtæorum caſtra invadere ſtatuiſſet. Eodem modo Pſalmiſta loquitur pſal. 19. v. 8. & 9. Vide & Judicum 7. quæ Gedeoni Madianitas aggreſſuro à Domino dicta ſunt: & 3. Reg. 20. quæ Achabo à Propheta, victoriam de Benadado per pediſſequos nobilium promittente. Ex illorum locorum obſervatione, ex inſita animi magnitudine, ex fide viva & inſigni in Deum fiducia, nullis unquam rebus adverſis, nec temporum præteritorum calamitatibus fractâ, præclaram illam ſententiam hauſit Machabæus.

Terror Judæis à Serone major, quàm ab Apollonio.

℣. 20. IPSI VENIUNT AD NOS IN MULTITUDINE CONTUMACI, ET SUPERBIA. Græcè, *Ipſi veniunt ad nos multitudine contumeliæ & injuſtitiæ.* Suſpicor Græcè fuiſſe, πλήρεις, id eſt *pleni*, non πλήθει, id eſt *multitudine*; ut ſenſus ſit: Ipſi veniunt ad nos oppugnandos pleni contumeliæ & injuſtitiæ, id eſt, injuſtus & contumelioſus animus eos adverſùm nos ſtimulat. *Ut diſperdant nos, & uxores noſtras, & filios noſtros, & ſpolient nos.* Nondum uxorem duxerat, nec liberos ſuſceperat Machabæus: loquitur itaque in aliorum perſona. Obſervo ex hoc verſu, ingentes fuiſſe Seroni copias, altos ſpiritus, atrocia conſilia, multóque plus terroris ab ipſo Judæis, quàm ab Apollonio. Ut vel hinc liceat colligere, quod ad verſum 10. advertimus, & ad verſum 13. Seronem non habuiſſe vicariam ſolùm ſub Apollonio poteſtatem, ſed ordinariam. Cui enim perſuadeatur, Judæis, iiſque victoribus, formidabilem magis fuiſſe vicarium præfecti, quàm præfectum ipſum?

Juſta cauſſa milites animat.

℣. 21. & 22. NOS VERO PUGNABIMUS PRO ANIMABUS NOSTRIS, ET LEGIBUS NOSTRIS. Auget Judas ſuis fiduciam in Deum, à cauſſa belli utrimque. Ipſi injuſtè, ſtudio nocendi, cupiditate prædandi nos aggrediuntur: nos juſtè bellum illatum propulſabimus, pro vita tuenda, & legibus quæ vitâ ipsâ nobis debent eſſe cariores. Græcè habetur, *legitimorum noſtrorum*, id eſt, legibus divinis præceptorum, cauſsâ pugnabimus. Ubi nota elegantem oppoſitionem in Græco: Syro-Macedones pleni ἀνομίας veniunt, Judæi autem pugnant περὶ νομίμων: illi exleges, hi pro lege. Infert Judas confidendum, fore ut Deus cauſſæ juſtæ faveat, adeoque non metuendam eſſe adverſariorum multitudinem: ſi enim Deus pro nobis, quis contra nos?

Victoria piorum eſt, clades impiorum.

ET IPSE DOMINUS CONTERET EOS ANTE FACIEM NOSTRAM: VOS AUTEM NE TIMUERITIS EOS. Solet enim Deus Sabapth Dominus exercituum, meliori parti adjudicare victoriam: niſi ſi quando pii per impios, juſti per injuſtos ob alia peccata caſtigandi ſunt. Phile, libro de Animalibus, ait: *Ibin*, proborum apud Ægyptios figura erat, *ſtruere nidum inter palmas*: *Anſerem*, clamore, ingluvie, ſordibus notam avem, *lauro penitùs abſtinere, imò eâ guſtatâ protinus emori*: quod fidei ſcriptoris relinquo. Probi, juſto Dei judicio, inter palmas adoleſcunt, per victorias creſcunt: improbi & iniqui laurum non guſtant, aut ſi quando guſtare ſinuntur, brevis proſperitas illis pro veneno eſt, & in mortem atque infortunium æternum vertit. *Miramur*, inquit Salv. lib. 7. de Prov. *ſi ab hoſte viribus vincimur, qui honeſtate ſuperamur? Miramur, ſi bona noſtra poſſident, qui mala noſtra execrantur?* Plura de victoriis ope divina obtentis reſervamus Excurſui ad capit. 14. ſection. 1. num. 15. &c.

Exhortatio Judæ fuit vaticinationis inſtar.

℣. 23. UT CESSAVIT AUTEM LOQUI, INSILUIT IN EOS SUBITO. Fortibus Judæ verbis animati Judæi animos erexêre, fiduciamque, ut veroſimile eſt, vel clamore vel armorum ſtrepitu teſtati ſunt: utitur itaque eorum ardore Machabæus, & ſtatim in hoſtem involat. *Et contritus eſt Seron, & exercitus ejus in conſpectu ipſius.* Adverte, eodem verbo, tum in Vulgata, tum in Græco textu, exprimi cladem Seronis, quo Judas uſus eſt in fine exhortationis ſuæ; ut propterea, non exhortatio ſolùm, ſed & vaticinatio poſſit videri. *Ipſe*, inquit Judas, *Dominus conteret eos.* Græcè αὐτὸς, ſubintellige κύριος: ſæpè enim, in Græco & Hebræo Scripturæ textu, *Ipſe* ponitur abſolutè pro *Deus*: Græcè ergo, αὐτὸς συντρίψει αὐτοὺς. Hic eodem verbo dicitur: *Et contritus eſt Seron*, καὶ συνετρίβη Σήρων, &c.

Fuga hoſtium.

℣. 24. ET PERSECUTUS EST EOS IN DESCENSU BETHORON USQUE IN CAMPUM. Eodem olim loco in fugientes Amorrhæos ita repentè grandinavit, & tam craſſa grandine, ut dici poſſit de cælo lapidâſſe: Joſue 10. v. 11. Quis autem iſte campus ſit, ad quem uſque Judas Syros inſecutus eſt, facilè intelligitur, tum ex loco unde fugêre, tum eo quo ſe receperunt. Inter Bethoron enim ubi pugnatum, & Philiſtinos, planities illa, quæ cap. 12. Sephêla nominatur, infimâ ſaltem parte interjacet.

Terra Philiſtiim: Palæſtina.

ET CECIDERUNT EX EIS OCTINGENTI VIRI; RELIQUI AUTEM FUGERUNT IN TER. PHILISTIIM, quæ tendebatur ad mare mediterraneum; à torrente Beſor, infra montes Idumææ Auſtralis, & ultra Gazam in mare influente; uſque ad torrentem Soree, exonerantem ſe in idem mare propè Baalam montem. Ab ea terra toti Iſraëlitarum regioni factum apud profanos Palæſtinæ nomen: ſicut à tribu Juda accepit etiam appellationem Judææ. Quamquam & Judææ nomine interdum ſola ſumitur tribus Juda & Benjamin, ut poſtmodùm videbimus, cap. 5. v. 8.

Unde tam parvus cæſorum numerus?

Quæres primò: unde tam exigua cædes? Quia ſubitâ Judæ incurſione turbati fuêre Syro-Macedones; & panico terrore correpti, non de pugna, ſed de fuga cogitavêre. Judæi autem, fame debilitati, diutiùs fugientibus inſiſtere, & terga cædere non potuerunt, ſimul veriti, ne inſequendo pauci inter multos diſſipati periclitarentur.

An Seron in hoc prælio occiſus?

Quæres ſecundò: an Seron in hoc prælio ceciderit? Affirmat Joſephus, & Serarius, Joſepho credo auctore, licèt eum non nominet. Negat Salianus: neque verò ex textu noſtro, aut Græco, quidquam afferri poteſt, unde probabiliter conjiciatur.

ciatur, Seronem cecidiſſe. Nam quod dicitur, *Seron contritus*, dicitur & idem de ejus exercitu, è quo tamen tam numeroſo non cecidêre ſupra octingentos. *Contritus* igitur illic non ſignificat, niſi fuſum, fugatum. Si quis nihilominùs ſtari velit à Joſepho, dicatque necem Seronis aliunde ipſi notam eſſe potuiſſe, quàm ex Hagiographo noſtro, puta ex Archiis Hieroſolymitanis, aut hiſtoriâ aliâ, non multùm repugnabo. Certè aut in prælio cecidiſſe, aut paullò pòſt obiiſſe probabile eſt: cùm nulla ampliùs de eo poſtmodùm mentio fiat; imò mox l. 2. c. 8. v. 8. Ptolemæus Cœleſyriæ ϛρατηγὸς, ſeu dux exercitûs nominetur.

Cur Syri è clade ad Philiſtinos fugiunt?

Quæres tertiò: cur victi ad Philiſtinos ſe recipiunt, cùm ex Cœleſyria longè diverſo itinere venerint, ut indicavimus ad verſum 16. & res ipſa loquitur, ſi Palæſtinæ ſitum conſideres? Imò cur Hieroſolymam, ubi Syro-Macedonum arx erat, non refugerunt? Planè dicendum, intercluſos à Machabæo alios exitus, & occupata itinera Hieroſolymam præſertim ducentia; ne arcis, de qua capienda jam tum cogitâſſe credendum eſt, præſidium augeretur. Adde; quod ad verſum decimumſextum obſervavimus, capta ab eo & munita circùm Hieroſolymam loca, ſtatim poſt cæſum Apollonium, ne victoria eſſet inutilis; unde prohibitæ Seronis copiæ, effuſâ fugâ palantes, per apertos in deſcenſu Bethoron campos, ac Sephelæ planitiem, in munitas Philiſthinorum urbes, quæ ad mare erant, & à pugnæ loco horis circiter decem diſtabant, ſe proripuêre.

Gloria Judæ.

℣. 25. 26. Et cecidit timor Judæ ac fratrum eius, et formido super om. gen. in circ. eorum. Græcè, *cœpit cadere timor*, &c. Ao ergo antè non timuêre? Notavimus ad verſ. 13, ante juſta prælia Machabæum non ducis, ſed latrunculi potiùs, nomen habuiſſe, & furtivas ejus excurſiones finitimis ferè, ut moleſtas, & notas fuiſſe. Jam verò proſtratis exercitibus duobus, apud conterminas Iudeæ gentes famâ celebrari cæptus eſt: imò *& pervenit ad Regem nomen ejus, & de præliis Iudæ narrabant omnes gentes*, Aſiaticæ ſcilicet, ad quas magis ea rerum converſio pertinebat. Quamquam & credibile eſt, trans mediterraneum mare rumorem volâſſe: cùm Phœnicum Tyriorumque commerciis ubique facilè ſpargeretur, quidquid in Iudæa rerum novarum geſtum eſſet.

Ira Antiochi.

℣. 27. & 28. Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo. Græcè *iratus eſt furore*: ut intelligas, Epiphanem verè nunc Epimanem, ſeu furioſum fuiſſe. Ringebatur impotens animi & dementis arrogantiæ homo, quòd oppreſſæ à ſe gentis tantillæ reliquiæ vel auſæ eſſent de rebellando cogitare. Nec mora, ut præceps erat, *Et miſit, & congregavit exercitum univerſum regni ſui, caſtra fortia valdè*, copiis omnibus Machabæum aggreſſurus, & velut feram reti clauſurus. *Et* ut militem ad omnia obſequentiorem ac promptiorem haberet, *aperuit ærarium ſuum*, effundere illud paratus; *& dedit ſtipendia exercitui*, Græcè ὀψώνια, id eſt ſtipendia obſoniis coëmendis, ut ego quidem interpretor, ne rapto vivere cogerentur, *in annum*, anticipata ſolutione, quâ nihil militi animando efficacius: unde etiam *mandavit illis, ut eſſent parati ad omnia*, ſive *ad omnem uſum*, ut habent Græca Sixtina: Regia habent, *ut eſſent parati in annum*, pro quanto tempore videlicèt ipſis ſtipendium numerandum curârat.

Stipendiorũ exſolutio Principi neceſſaria.

Vides in peſſimo Rege, quod imitetur etiam optimus Princeps, ubi bella gerenda ſunt. Ipſe ſolutionem anticipat: tu vix poſt operam repræſentas. Ipſe annuum ſtipendium numerat: tu vix menſtruum reddis. Ipſe non plus exigit operæ, quàm dedit pecuniæ: tu in annos plures operam expoſcis, mercedem in paucos menſes dependis. Ipſe parem ſtipendii & obſequii annum facit: tu in annuo obſequio menſes duodecim, in ſtipendio vix ternos aut quaternos cenſes, forſan & nullos. Quid juſtius, quàm militi quotidianorum pro republica periculorum pretium dare? Quid iniquius, quàm cujus ſanguinem & vitam emeris ac prodegeris, ei tam cararum mercium pretium non ſolvere?

Ad vitanda latrocinia militum.

Gregorius Lopez, Mexicanus patrum noſtrorum memoriâ anachoreta, virtute celebris, petentibus à ſe Nobilibus, quid facerent ad placendum Deo, eique perfectè ſerviendum, reſpondere ſolitus fuit: *Quod nunc agitis, id deinceps agite ex Dei voluntate & amore.* Solitus idem magnopere laudare S. Joannem Baptiſtam, quòd adeuntes ad ſe conſilii & conſcientiæ cauſſa, ab inſtituto & ſtatu ſuo non avocaret, ſed hortaretur, ut convenienter ſtatui ſuo ad virtutem viverent. Hunc in modum militibus dixiſſe: *Neminem concutiatis, neminis calumniam faciatis, contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* At quomodò miles ſtipendio ſuo contentus ſit? Quo pacto ab expilatione amicorum, concuſſione ruſticorum, calumnia, furtis abſtineatur aut prohibeatur? Inops eſt, ſeminudus, algore confectus, macie & fame debilitatus, opera tamen extorquetur. Quid agat? Ad prædas, exactiones, latrocinia fermè cogitur, etiam invitus. En quot malorum cauſſa ſunt, qui cùm militem alere nolint, bella tamen excipiunt, & inferunt. Injuſtè ſtipendia negant: injuſtè obſequia imperant: injuſtè deprædationes ſubditorum patiuntur. Quo jure tam multiplicem injuſtitiam compenſari poſſe arbitrantur? At, inquis, ſolvendo non ſum: repetenda tamen armis mihi mea ſunt, aut tuenda. Quid hic dicam, poſitus inter ſacrum & ſaxum, conſtrictus inter juſtum & injuſtum? Hoc unum generatim dicam: magnam debere eſſe juris publici neceſſitatem, ut tantâ privatorum injuriâ vindicetur.

Tributa Antiochum deficiunt.

℣. 29. Et vidit quòd defecit pecunia de thesauris suis, et tributa regionis modica propter diss. et pla. quam fecit in terra, ut tolleret legitima quæ ar. a pri. diebus. Dato ſtipendio annuo exhauſtum ærarium erat, nec ſpes replendi, quia *tributa* erant *modica*, Græcè *Collectores tributorum regionis pauci*: ubi enim tributa pauca ſunt, ibi paucis collectoribus opus eſt. Forſan & aliqui vectigalium exactores occiſi fuerant à tumultuante plebe, ut fit, & paſſim in hiſtoriis occurrunt exempla ſeditionum & cædium, ex iſtis cauſſis. vid. 3. Reg. 12.

Cauſſa prima, ſuperſtitionum violatio.

At cur imminuta tributa? Cauſſam affert Hagiographus, *diſſenſionem & plagam*, quam Epiphanes excitârat paſſim in ſubditis ſuis, tollendo *legitima*. Quæ autem ſunt iſta *legitima*? Intelligo, conſuetâ Scripturæ phraſi, ritus ſacros ac religioſos. Pro qua re intelligenda, recurre ad ea, quæ diximus cap. 1. verſ. 43. & 44. ubi edicto ſanxit Epiphanes, ut de ſubditis omnibus ſuis fieret *populus unus, & relinqueret unuſquiſque legem ſuam*, id eſt religionem aut ſuperſtitionem ſuam, imò forſan & civiles leges ſuas ac conſuetudines. Cùm verò inter Paganos mira eſſet ſectarum varietas, & cultus deorum ac dearum, tanta repentè mutatio fieri ſine magno animorum motu non potuit. Etſi enim dicantur omnes Gentes conſenſiſſe Regi, & edicto paruiſſe: non tamen credendum eſt,

rem

rem abſque multis ſeditionibus abiiſſe; unde interverſa tributa, expulſi aut cæſi tributorum exactores, imminutum ærarium Regium. Inolitâ ſuperſtitione nihil contumacius, nihil ad alienandos ſubditorum animos, & ſeditiones movendas potentius.

Altera prodiga effuſio

℣. 30. Et timuit, ne non haberet ut semel et bis, in sumptus et don. quæ ded. ante larga manu: et abundaverat super Reges, qui ante eum fuerant. Ex hoc verſu colligo cauſſam alteram cur tumultuati fuerint Syri. Superbus Epiphanes, & magnificentiæ oſtentator, cùm ſuperiorum Regum nemini cedere vellet, donativum liberale ſemel atque iterum in amicos & milites diſtribuerat; in paraſitos etiam & pellices, quæ præcipuæ cauſſæ eſſe ſolent publicæ paupertatis. Inde nova ſubditis tributa ad reficiendum ærarium imponenda fuiſſe credibile eſt; gravatos autem novis oneribus ſubditos, non tantùm hæc excuſſiſſe, ſed etiam vetera recuſâſſe: quomodò ſæpè accidit, ut qui plùs juſto exigit, minùs debito accipiat. Magnificentia virtus Regia, ſed poſt Juſtitiam ponenda eſt: ejus alimentum, amor ſubditorum.

An Epiphanes anterioribus Regibus ditior?

Quid autem ſibi vult, quòd Epiphanes dicitur *abundâſſe ſuper Reges, qui ante eum fuerant?* An etiam Antiocho Magno locupletior fuit? Hoccine credibile eſt, poſt bella cum Romanis, eis dependa tributa, acciſos regni fines? Poſſimus quidem reſpondere ditiſſimum fuiſſe, quòd Ægyptum expilârit, Hieroſolymam ſpoliârit, Judæam exhauſerit. Sed neceſſe non eſt ad iſta recurrere. Fit enim hîc comparatio, non divitiarum, ſed magnificæ oſtentationis, & prodigæ liberalitatis; quâ inſanus homo cæteros Syriæ Reges ſuperavit, *largâ* manu: idque ipſum in quibuſdam Græcis hac ſententiâ exprimitur, *abundavit ſuper Reges primos liberali manu.*

Cogitat in Perſidem ad exigêda tributa.

℣. 31. Et consternatus erat animo valde. Græcè ἠπορεῖτο à verbo ἀπορεῖν, quod magis ſignificat anxium eſſe, & facilem rei exitum non invenire, quàm eſſe conſternatum. Igitur cùm animum ſolicitum per multa verſâſſet, nec diſpiceret quâ pecuniam poſſet corradere, denique *cogitavit ire in Perſidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum.* Erat igitur Perſis tributaria jampridem Syro-Macedonibus, aliæque vicinæ regiones, eæque ditiſſimæ fermè Orientis totius. Sed cùm longè abeſſent ab urbe Regia, videntur vectigalia aut negligenter penſitâſſe, aut omnino detrectâſſe. Itaque Antiochus, ut illa cum fænore exigat, imò per eorum ſpeciem prædas agat, illuc cum parte exercitus ſtatuit proficiſci.

Lyſiæ dat curam regni & filii.

℣. 32.& 33. Et reliquit Lysiam hominem nob. de gen. reg. super negotia reg. a flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti. Græca habent, *uſque ad fines Ægypti.* Sed quia flumen, ad Rhinocoruram, Ægyptum diſterminabat à Palæſtina, ideò in textu noſtro pro *fines* habetur *flumen.* Abiturus Epiphanes fidum amicum, & cognatum, ſeu paterno genere, ſeu materno potiùs, ad ſtirpem Regiam pertineret, cum poteſtate vicaria regni totius cis Euphraten adminiſtratorem conſtituit: imò curatorem & alumnum filii ſui creat, *ut nutriret Antiochum filium ſuum, donec rediret.*

Mandat Judæorum ſtrage[m].

℣. 34. 35. 36. Nihil eſt intellectu difficile. Dat Lyſiæ Antiochus dimidiam partem copiarum ſuarum: elephantos ei relinquit, cùm ad iter Perſicum, quod expedito agmine facere cogitabat, ſibi neque utiles nec commodi futuri eſſent: dat mandata pro publicis præſertim rebus, ac nominatim de Judæa & Hieroſolyma: jubet totis viribus invadi Iſraëlitas, eoſque deleri ad internecionem, & colonias exterarum gentium totâ Judæâ collocari, attributis ſorte agris omnibus Judæorum, ut ne memoria quidem illorum ſupereſſe poſſit.

Quam partem copiarum duxerit?

℣. 37. Et Rex assumpsit partem exercitus residui. Quod non ſic intellige, quaſi partem aliquam tantùm dimidii exercitus ſecum duxerit, ſed totam dimidiam: ut media cum Lyſia maneret, altera tota iter ſuum ſequeretur. Etſi enim in Vulgata iſtud ambiguum ſit; Græca tamen tum Sixtina ſeu Vaticana, tum Regia ſeu Plantiniana, de illis enim loquor cum Regia adduco, non autem de Pariſienſibus, quod ſemel tollendo omni dubio monuiſſe ſufficiat. Græca ergo diſertè habent, *aſſumpſit dimidias copiarum relictas;* ſeu, ut Nobilius in Sixtinis expreſſit, *aſſumpſit dimidium exercitûs reſiduum:* id eſt, attributo Lyſiæ dimidio, ſibi reliquum ſumpſit.

Antiochia ad Orontem.

Et exivit ab Antiochia, civitate regni sui, & Regia: cui appellationem indiderat, ex parentis ſui nomine, Seleucus Aſiatici regni conditor. Sita erat ad Orontem fluvium, qui partim ex Libani extremis jugis Orientem verſùs exortus, per Caſſiotidem Syriæ provinciam defluit in mediterraneum mare ad Seleuciam, de qua cap. 11. v. 8. ubi etiam referemus ex Appiano, Antiochiæ nomen urbibus ſedecim factum à Seleuco.

Quænam regiones ſuperiores?

Epiphanes ergo Antiochiâ profectus, tranſito Euphrate, quem pro limite adminiſtrationis Lyſiæ fixerat, pacato agmine, ut inter ſubditos, *perambulabat ſuperiores regiones;* intellige Perſidem, & regiones conterminas, & Perſidi ferè attribui ſolitas, Aſſyriam, Mediam, Bactrianos, Sogdianos: hinc poſtmodùm non Perſepolis modò, ſed & Babylonis, & Ecbatanorum mentio. At cur eæ *regiones ſuperiores* vocantur? Opinor, quia à mari mediterraneo magis recedebant, quàm interiora regni Syriæ. Sic modò Belgium vulgari lingua regionem inferiorem vocamus, quod maximam partem ad Oceanum extendatur. Adde, Perſidem longè Syriâ montoſiorem eſſe: ut ideò non immeritò illa ſuperior, hæc inferior nominari poſſit.

Ptolemæus Dorymini, Seronis ſucceſſor.

℣. 38. Et elegit Lysias Ptolemæum fil. Dorym. et Nican. et Gorg. viros potentes ex amicis Regis. Ptolemæus à Severo Sulpitio in Hiſtoria non benè vocatur *Doro.* Vocandus erat Dorymini, ut habet textus noſter, vel Dorymenis prout habent Græca, & Joſephus. Idem lib. 2. cap. 8. v. 8. dicitur fuiſſe dux Cœleſyriæ & Phœnicis, recèns forſan ſuffectus in locum Seronis aut interfecti, aut mortui, ut annotatum eſt ad verſ. 24. quæſtione ſecundâ. Idem enim Ptolemæo & Seroni fuiſſe officium, colligo ex eo, quòd ille loco jam citato στρατηγός, *ſtrategus,* ſeu dux exercitus Cœleſyriæ ac Phœnicis dicatur; Seron ἄρχων δυνάμεως Συρίας, *princeps exercitûs Syriæ,* ſeu Cœleſyriæ. *Princeps* autem *exercitûs,* & *dux exercitus,* non video, quâ differant.

Ordine poſiti duces hoc loco.

Obſervandum præterea, commodiſſimè ab Hagiographo noſtro collocari tres hoſce duces ordine dignitatis. Ptolemæum enim Nicanore ſuperiorem fuiſſe, patet ex lib. 2. cap. 8. v. 9. ubi hic ab illo jubetur Philippo ferre ſuppetias. Nicanorem item Gorgiæ anteceſſiſſe patet ex eodem

capite & verſu, ubi adjunctus ei dicitur Gorgias tamquam ſocius, ac deinde quæcumque geſta ſunt, ſub Nicanoris, ut præcipui ducis, nomine referuntur.

Cur eos Lyſias elegit?

Nota item, quàm Lyſiæ cordi fuerit expeditio in Judæos, à Rege commendata, cùm eam demandet tribus *potentibus amicis Regis*; ut eò lubentiùs voluntati ejus pareant, quia intimæ admiſſionis *amici*; eò efficaciùs rem urgeant, quia *potentes*, opibus, honoribus, clientibus, animis.

Æſtimatur potentia regni Aſiatici. Vide & verſum 28. cap. ſeq. &c.

℣. 39. ET MISIT CUM EIS QUADRAGINTA MILLIA VIR. Supple, peditum, ut ex ſequenti membro intelligitur, *& ſeptem millia equitum, ut venirent in terram Iuda, & diſperderent eam ſecun. verb. Regis.* Ex hoc militum numero æſtima, quantæ eſſet potentiæ regnum Syriæ. Abduxerat ſecum Antiochus mediam partem exercitûs, mediam alteram Lyſiæ addixerat: de hac ſine dubio parte copias non exiguas retinere ſecum debuit Lyſias, ad continendos in officio Syros, & tuendam prolem Regiam; reliqui tamen, quos in Judæam amandat, ſunt quadraginta ſeptem millia. Unde conficitur ordinariam Syriaci regni militiam centum hominum millia longè ſuperâſſe. Quid jam cùm extra ordinem copiæ novæ veteribus adderentur? Contra iſtud tam potens regnum Judas auſus conſurgere, *auxilio* hominum *parvulo*, magno Dei, libertatem & religionem paternam aſſeruit.

Hiſtoriæ ſeries ſtabilitur. Vide etiam verſ. ſeq.

℣. 40. ET PROCESSERUNT CUM UNIVERSA VIRTUTE SUA, δυνάμει, id eſt exercitu: Interponenda eſt inter hunc & præcedentem verſum expeditio prior Nicanoris & Gorgiæ, de qua l. 2. cap. 8. à verſu 9. uſque ad trigeſimum: & ſic interpoſuimus in Serie hiſtoriæ numero trigeſimo ſexto. Iſtam enim expeditionem ab ea, quæ mox hîc narrabitur, diſtinguendam, patet: Primùm ex eo, quòd hic dicantur duces proceſſiſſe cum *univerſa virtute ſua*; libro autem ſecundo Nicanori dentur omninò viginti hominum millia, quæ mediam partem non conficiunt à Lyſia deſtinatorum bello Judaico, adeoque dici non poſſunt univerſus exercitus. Deinde, cæſorum numerus longè alius eſt: ibi enim novem millia cadunt, hîc tria. Denique, unico prælio tantæ à Lyſia ſubmiſſæ copiæ diſſipari, Nicanor & Gorgias frangi ac debellari non potuêre. Scio ab aliquibus, & in iis à doctiſſimo Serario noſtro, ea prælia in unum miſceri: viderint qua, non dico veritate, ſed veri ſimilitudine. Nos certè tria facimus Judæ cum Nicanore & ſociis prælia, poſt quæ cum illis debellatum fuit: & Lyſias ipſe, anno ſequenti, per ſe bellum geſturus in Judæam venit. Conſule Seriem noſtram à numero 35. uſque ad 40.

Quid Emmaüm, & & quantum abeſſet Hieroſolymâ?

ET VENERUNT, ET APPLICUERUNT EMMAÜM IN TERRA CAMPESTRI. In Græcis quibuſdam legitur *Emmanaüm*, non ita rectè: in Sixtinis habetur, ut in Vulgata, *Emmaüm*. Idem locus eſt, de quo Luc. 24. celebris apparitione Chriſti, facta diſcipulis duobus. Seſquihorâ itineris abfuiſſe ab Hieroſolyma, ait Adrichomius, deceptus forſan deſcriptione Joſephi, qui lib. 7. de bello cap. 26. Emmaüntem ponit triginta omninò ab Hieroſolyma ſtadiis. Sed, ut benè notat Bonfrerius in Onomaſtico ad libros Joſue & Judicum, neceſſe eſt Joſephum valdè aberrâſſe, vel potiùs duplâ ſtadiorum menſurâ uſum, quod & aliàs videtur feciſſe. Nam ex Evangeliſta conſtat, Emmaüntem ſtetiſſe *ſexaginta ſtadiorum ſpatio ab Ieruſalem.* Octo autem ſtadia conficiunt milliare: milliaria tria horam itineris. Dictam poſteà Nicopolin, inſignemque fuiſſe Palæſtinæ civitatem, ſcribunt Euſebius & Hieronymus. De illa alibi plura. Hîc dicitur ſita *in terra campeſtri*, ſive in planitie: hoc eſt, in regione, quæ *Sephela* dicebatur, eò quòd montoſa non eſſet inſtar vicinarum regionum. Sic olim Campania Italiæ regio à campis dicta, & poſtmodùm Campania in Gallia Belgica Rhemorum.

Mangonum inconſulta aviditas.

℣. 41. ET AUDIERUNT MERCATORES REGION. NOMEN EORUM. Expeditionis hujus apparatu per finitimas gentes vulgato, mercatores mancipiorum, quos mangones proprio vocabulo dicimus, ſpe queſtûs exciti, *acceperunt argentum & aurum multum valdè*, ad coëmenda Judaica mancipia, item ſecum duxerunt *pueros*, ſeu ſervos, reducendis mancipiis, quæ emiſſent: *& venerunt in caſtra, ut acciperent filios Iſraël in ſervos.* Libro 2. cap. 8. narratur idem factum à mercatoribus, unde forſan ſumpsêre occaſionem auctores aliqui, hanc expeditionem cum illa confundendi, & duas in unam compingendi. Sed quis non videat, utraque expeditione idem fieri potuiſſe? Etſi enim in prima decepti fuiſſent negotiatores, & pro lucro ingens damnum reportâſſent, amiſsâ omni pecuniâ: non tamen ita ſpem omnem depoſuêre, & à caſtris fuêre abſterriti, ut quando bellum majori cum apparatu & ſtrepitu renovabatur, novos animos non ſumpſerint; præſertim cùm ſperarent, vili ſe mancipia Judaica empturos, quæ poſtmodùm magno diſtraherent, adeoque priorem jacturam duplicato poſtmodùm lucro compenſarent. Uti avidis luſoribus jactu parum ſecundo animus non cadit, imò ardeſcit ad damni reparationem: ita avaris negotiatoribus jactura nos non affert deſperationem. Nimis infirma eſt itaque hæc ratiuncula, pro miſcendis expeditionibus duabus, præ argumentis quæ ſuprà attulimus ad eas diſtinguendas.

Creſcunt hoſtiles copiæ.

ET ADDITI SUNT AD EOS EXERCITUS SYRIÆ, ET TERRÆ ALIENIG. Ad quos additi? An ad mercatores, ut ſecurius ipſis iter eſſet? An quemadmodùm illos ſpes lucri, ita hos prædandi cupido ex iiſdem urbibus ſimul excivit? Intelligo per vocem, *eos*, Nicanorem & Gorgiam; qui etiam deſignantur initio verſus, ubi dicitur, *audierunt mercatores nomen eorum*, id eſt Nicanoris & Gorgiæ. Adjunctæ ſunt igitur ad eos copiæ Syriacæ, & terræ alienigenarum, Phœnicia ſcilicet & Palæſtinorum, qui communiùs nomine ἀλλοφύλων cenſentur. Non tamen negârim, etiam ex aliis regionibus Judææ conterminis deducta præſidia, & addita exercitui ad ſupplementum, curante id potiſſimùm Ptolemæo, Cœleſyriæ ac Phœnicis præfecto. Putem prætereà multos ultrò in caſtra Syro-Macedonum confluxiſſe, ex veteri in Judæos odio, & invidiâ proſperorum Machabæi ſucceſſuum.

Mollis hoſtium appellatio, & ex illa caritas cõmendata.

Cùm verò hic primùm occurrat nomen Alienigenarum, ſæpiùs poſtmodùm in hoc libro repetitum: attexo obſervationem Ambroſii 1. Off. cap. 29. ad commendandam inde manſuetudinem, ut videas in Scriptura nihil eſſe otioſum. *Etiam adverſarios*, inquit, *molli veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent. Hoſtes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod æquè etiam ipſum de noſtris aſſumptum dicere poſſumus. Adverſarios enim ſuos Hebræi allophylos, hoc eſt alienigenas Latino appellabant vocabulo.* Diſce, ſi quem adverſarium pateris, non illicò atrociſſimis eum vocabulis inſignire. Detrahit? dic, obloquitur. Invidet? dic, non amat. Odit? dic, non eſt benevolus. Lacerat,

rapit,

rapit, prædatur? dic, moleſtus eſt: Sic loquere de inimico, cùm potes: imò ſile omninò, ſi potes.

Qui fines, ad quos Syri applicare dicuntur?

℣. 42. Et vidit Judas, et fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, et exerc. applicab. ad fines eorum. Si applicuerant ad Emmaũm tam prope ab Hieroſolymis, quomodò jam dicuntur applicare *ad fines eorum?* Erat enim profectò Emmaũs non in finibus terræ Iſraëliticæ, ſed in ipſis præcordiis. Varia dici poſſunt. Primùm, agi hîc de finibus non terræ Iſraëliticæ, ſed Judææ ſtrictè ſumptæ, pro ſorte tribûs Juda: & ſic Emmaũs erat in finibus, cùm eſſet ſita in ipſo fermè limite tribûs Benjamin & Juda. Deinde agi de finibus, inter quos ſe maximè continebant Mathathiæ filii cum ſociis: notavimus autem ſuprà, potiſſimùm circùm Hieroſolyma verſatos, & id ipſum confirmant petitæ, per Philippum Præfectum Hieroſolymitanum, à Ptolemæo Cœleſyriæ duce ſuppetiæ, 2. Mach. 8.

Recapitulatio Scripturæ uſitata.

Denique dicamus in hoc verſu narrari per recapitulationem, quod antè audierat & viderat Judas: neque enim dux vigil, & intentus in omnia, tunc ſolùm ſcivit Nicanoris & Gorgiæ reditum, cùm ad Emmaũntem vênit. Præmonitus proculdubiò fuit antè de ejus itinere, quod ita paſſim jactabatur, ut undique negotiatores concurrerent. Eodem modo explico per recapitulationem, quæ ſequuntur: *Et cognoverunt verba Regis, quæ mandavit populo facere in interitum & conſummationem*, verba ſcilicet, de quibus v. 35. & 36. Nam iſta Regis mandata de excidendo Iſraëlitico genere, Judas & fratres ignorare non potuerunt, etiam ante priorem Nicanoris expeditionem: cùm ad convocandos mercatores ubique diſſeminata eſſent. Dicuntur itaque hîc, *cognoviſſe verba Regis*; & quia priùs cognoverant; & quia ſecunda expeditione, ſtatim poſt priorem ſusceptâ, patuit, quantis animis illorum executio à ducibus Regiis urgeretur.

Deſperatio animos acuit.

℣. 43. Et dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus dejectionem populi nostri, et pugnemus pro populo, et Sanctis nostris. Græcè habetur ſimpliciter τὸν ἅγιον, neque additur ἡμῶν, ut in prioribus membris, è quibus interpres noſter iſtud *noſtris* repetiit. Hinc collige, non Judæ ſoli aut fratribus Regia mandata cognita fuiſſe, ſed etiam aliis Judæis: ſeu Syro-Macedones ea conſulto vulgâſſent, ad terrorem: ſeu Machabæus ultrò diſſeminanda curârit, ad acuendos ſuorum ex ipſa deſperatione animos. Solenne id ducibus ad animandum militem, nec Machabæo infrequens, ut in ejus ad ſuos exhortationibus notare eſt. Certe hîc ſucceſſit conſilium. Cùm enim Judæi tantillo intervallo bis ſe peti magnis exercitibus viderent, & vel hinc agnoſcerent, verum eſſe de mandatis Regiis rumorem: *Dixerunt unuſquiſque ad proximum ſuum*, mutuis cohortationibus inter ſe ſinguli excitavêre *ad erigendam dejectionem populi, ad pugnandum pro populo, & pro Sanctis.* Cùm Antiochus Judaicæ gentis, & religionis excidium mandâſſet, utroque argumento inter ſe excitant ad dimicandum, pro patria, & pro religione: nomine enim *Sanctorum* intelligitur Templum, ubi ara & caput religionis Judaicæ.

It ad Deum orandum itum.

℣. 44. Et congregatus est conventus, ut essent par. in prælium; et ut orarent, et peter. misericordiam et miserationes. Græcè pro *Conventus* habetur συναγωγὴ *Synagoga*, eodem quidem ſenſu, quo in Vulgata noſtra: expreſſiùs tamen ſignificari videtur, Synagogam Aſſidæorum fortem viribus, & religione illuſtrem, cõveniſſe cum Juda, tum ad prælium, tum ad orationes prælio præmittendas. Colliges autem ex hoc verſu, verum eſſe quod diximus ad verſ. 42. ſuprà; non tunc demum auditum à Juda Nicanoris adventum, cùm ad Emmaũntem applicuit, ſed longè antè. Neque enim vigilantis & ſapientis ducis fuiſſet, hoſte jam imminente cervicibus, de convocando milite, de orando, de ordinando exercitu cogitare, quæ tamen hîc facta narrantur. Iſta antè ordinata oportuit, ne imparati opprimerentur.

Cur Hieroſolymis non oratum?

℣. 45. & 46. nihil difficile eſt. Poſtquam verſ. ſuperiore dixit congregatos ad orandum Judæos, jam deſignat locum orationis. Ac primùm rationem reddit, cur Hieroſolymam in Templum non conceſſerint, ubi legitimus erat precationum publicarum locus. Deſolatam enim fuiſſe civitatem, cives expulſos, Templum profanatum, arcem à Syro-Macedonibus inſeſſam, cantus ſacros, & feſtam ſolennium dierum lætitiam ceſsâſſe.

Cur Maſpha orationi publicæ electa?

Deinde ſubjungit, cùm Hieroſolymis orari non poſſet, itum in *Maſpha* ſeu *Maſphath*, quæ & Maſſepha & Meſphe dicitur, id eſt ſpecula; quia edito ſitu erat. Eligitur autem hic locus; tum quia fermè interjacebat medius Hieroſolymitanæ urbi, & oppido Modin, in ipſis tribuum Juda & Benjamin finibus: tum præſertim, quæ ſola ratio hîc exprimitur, quia Maſpha fuerat *locus* publicæ *orationis antè in Iſraël.* Sic Iſraëlitæ contra Benjamitas pugnaturi Jud. 20. *Pariter congregati ſunt ad Dominum in Maſpha.* Sic Jud. 10. cùm filii Ammon in Galaad fixiſſent tentoria, contra eos congregati filii Iſraël in *Maſpha caſtra metati ſunt*: etſi ibi orationis non fiat diſerta mentio, intelligenda tamen ex antecedentibus, niſi malis ibi intelligendam Maſpham Trans-Jordaninam in Galaaditide, aut tertiam aliam, vel quartam: quatuor enim Maſphæ fuêre. De hac noſtra Samuel, 1. Reg. 7. *Congregate univerſum Iſraël in Maſphath, ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Maſphath, hauſeruntq; aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino.*

Utilis in ſacris locis oratio.

Ex his Machabæi & aliorum exemplis diſce, ad magis piè & efficaciter orandum, utile eſſe ad loca orationibus deſtinata ſe conferre. Animum enim componit, & affectum excitat, ipſa locorum venerabilium ſanctitas; inde reverentia major, & ſacer quidam horror, quaſi Numine præſentiore. Adde, recordatione precum ibi à ſanctis viris fuſarum pietatem augeri. Efficaciùs etiam ibidem oratur, & certiùs impetrantur poſtulata à Deo. Nam licèt ejus miſericordia ubique præſtò ſit, & omni loco oculos ad cor noſtrum pervidendum apertos, aures ad audienda deſideria patentes, manus ad opitulandum & largiendum promptas ac paratas habeat: certum eſt tamen quibuſdam locis preces exaudiri faciliùs, & opem Dei præſentiorem ſentiri. Vide 3. Reg. 8. v. 29. &c. Item c. 9. v. 3. &c. Conſule item D. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 4. ad 1. ut ejus auctoritate fulcias, quæ hîc attigimus. Vide & nos infrà Excurſ. 2. ad hoc caput ſect. 7. num. 1. Sufficiat modò exemplum Machabæi, locum publicis orationibus jam olim dedicatum ad ſimiles preces eligentis, quò piè magis oraret, & certiùs petita obtineret.

Cur

Cur hic digreſſio de Tongrenſi Epiſcopatu?

Cum bona Lectoris venia, occaſione loci ad orandum Hieroſolymâ Maſpham tranſlati, aliquantulum digrediar ad tralationem Epiſcopatus Tongrenſis, in cujus ſinu hæc ſcribimus & edimus. Commodior quidem de ea tralatione erat futura tractaio io Tongrenſi Leodienſique, quam apparamus, hiſtoria. Sed quia forſan longiùs trahetur, viſum eſt aliquid præmittere: ne interim plaudat ſibi ſolus in arena recentior quidam, cum quo mihi quæſtio eſt. Nomen ejus hîc à me ne exſpectes, ubi laudandus non erit: alibi, cùm res feret, ex merito laudabimus.

Qui contra Trajectenſis Epiſcopatûs titulum ſcripſerint?

Chappavillæus in ſuis ad D. Lamberti Vitam Annotationibus, & cum illo P. Bucherius è Societate noſtra, indicârant: Epiſcopatum Tongrenſem Trajecti ad Moſam fixum oon fuiſſe, etſi habitatione iſta Epiſcopi aliquot delectati fuerint à D. Servatio ad D. uſque Hubertum; adeóque Epiſcopos illos, quamvis Trajecti habitantes, commodè Trajectenſes dici non potuiſſe, quia revera erant Tongrenſes. Bucherii ſententiam Patres Robertius & Fizen ex eadem Societate ſecuti ſunt, aggeſtis illi fulciendæ priſcorum Scriptorum teſtimoniis, qui Tongrenſes Epiſcopos appellârunt, quos aliqui nominavêre Trajectenſes.

Scripta pro Epiſcopatu Trajectenſi Diatriba, pro Tongrenſi Vindiciæ.

Contra hos prodiit demum anno ſæculi hujus quinquageſimo tertio Diatriba de Epiſcopatu Trajectenſi: in qua cùm viri primores non pauci, ex utroque ordine, multa nimis vehementer, alia non ſatis ſolidè dicta judicarent, méque ad reſpondendum impellerent, ſcripſi mox libellulum titulo Vindiciarum Eccleſiæ Tongreſis. Is mihi antè ereptus eſt, & prælo ſubditus, quàm recenſendum curare potuerim: ideoq́ue à D. Canonico Fizenio, in Bartholomæi patrui memoriam, adoptatus, ſine nomine meo prodiit.

Scriptor Diatribarum de Vindiciis queritur.

Adversùs haſce Vindicias Diatribæ ſcriptor valdè acriter egit, queſtúſque eſt, ſibi impoſitum, quòd illic parum moderatè aliqua, quædam illaudabili novitate dixiſſet. Neque iſto reſponſo contentus, rurſus eas Vindicias in Præloquiis ad D. Amandi Vitam exagitat, & conqueritur, vocatam à me *contumelioſè*, ſcilicet, *Diatribam* ſuam *ſupervatuam*: cùm ipſe tamen paullò antè, non contumelioſè opinor, libellum meum vocârit *exilem & nullius momenti, quémque Auctor*, ipſi tamen non ignotus, *vel non auſus fuerit, vel noluerit agnoſcere* pro ſuo.

An meritò?

Querimoniis iſtis reſpondeo: quibus vacaverit Diatribæ illius de Trajectenſi Epiſcopatu vel ſolas paginas 61. 84. 98. 106. 107. 112. ut cæteras prætercam, inſpicere, inventuros impacta Societatis noſtræ hominibus elogia, *ſcenici thraſoniſmi, rationum puerilium, ejuſdem farinæ argumentorum*: Leodienſi nationi objecta *Borboniana, Hadrotiorúmque & Exlegum tempora*: Tongrenſi Cathedræ impoſitum *Maternum alium* à Magno D. Petri diſcipulo. Iſtáne tacitè prætermitti omninò debuerant? Quoad elogium autem, Momenti nullius, Vindiciis appenſum: fatebor, eas Momenti oullius eſſe præ Diatribis & Præloquiis, ſi charta in bilance ponderetur: ſi autem argumenta ratione librentur, certè apud cordatum quemlibet fore Momenti nonnullius; & exilem ac pigmæum libellulum occurrere auſurum gigantæo volumini, non exili victoriæ fiduciâ.

Status quæſtionis.

Diſputatio hæc eſt: Utrùm Tongrenſis Eccleſia umquam, ex vero & proprio, Trajectenſis appellari potuerit: & utrùm Trajectenſes appellari debeant, non Tongrenſes, Epiſcopi, quotquot medio Divos inter Servatium & Hubertum tempore Trajecti habitâſſe perhibentur? Ait Diatribarum ſcriptor: ego, cum noſtris omnibus Leodienſibus, exactè ea de re loquentibus, contra ſenio.

Adverſarii argumenta.

Unico ipſe argumento nititur, idem ſæpiùs ingeminante, ſicut ſolet Echo multiplicata. Quia Scriptores varii mediorum ſæculorum, tum oostri, tum exteri, Divos Servatium, Domitianum, Amandum, Lambertum, & alios qui Trajecti habitavêre, Trajectenſes Epiſcopos vocaverunt, Sedémve ab eis aut Epiſcopalem Cathedram ibi fixam dixerunt, à D. Servatio aliqui, quidam à D. Monulfo toto poſt D. Servatium ſeſquiſæculo, alii ab aliis.

Quid reſponderi poſſit.

Iſti teſtimoniorum acervo ſi reſpondere operæpretium foret, & ſuâ ipſorum compugnantiâ non conciderent; paria rependere poteram ex iiſdem ſæculis repetita, titulíſque ac præconiis exaggerata, ubi Tongrenſes Epiſcopi iidem nominantur, qui ab aliis Trajectenſes. Unius certè D. Leonis IX. Pontificis Maximi auctoritas pro plurimis foret, qui in publico diplomate ad annum milleſimum quadrageſimum octavum dato, *Divum Remaclum*, D. Amandi ſucceſſorem, Divorum Theodardi, & Lamberti decreſſorem, diſertè appellat, *Tongrenſium Epiſcopum & Paſtorem*.

Expenditur Leonis IX. pro Tongrenſi Epiſcopatu pronunciatum.

Non utique decebat Summum Pontificem in ea cauſſa neſcire, cujus Sedis Epiſcopus fuiſſet D. Remaclus, Tongrensisne an Trajectenſis: nec conveniebat Tongrenſem Paſtorem, ſi Trajectenſis fuerat, indigetare in actis publicis, ubi de controverſia agebatur, inter cœnobia duo in Ardennæ ſolo per eum exſtructa, ſæculis ab eo ævo non totis quatuor. At verò, inquit Diatribæ ſcriptor: reſcriptum iſtud Pontificium aptari debuit libello ſupplici, quem tunc fortè Leodienſis quiſpiam conceperat. Quidni potiùs, ſi divinare libebat, conceptum putavit à quopiam Trudonenſi? Eo enim tempore adoleſcebat Theodoricus, inter ævi ſui literatiſſimos: qui eumdem *D. Remaclum* in ſua D. Trudonis hiſtoria, *ex fidiſſimis receptiſſimíſque* ut aſſerit *priſcorum* excerpta, vocat *Tongrorum Epiſcopum*, non Trajectenſium.

Reſponſio peremptoria, ex diſtinctione habitationis Epiſcopalis & Sedis.

Sed ne auctores auctoribus, teſtes teſtibus, alios aliis, ipſoſque ſibi opponendo, fruſtra tempus & rem contentioſo fune trahamus: hoc oune rurſus ſtatuo, parum noſtra intereſſe, quid privati Scriptores dixerint, quáve appellatione uſi ſint. Id unum quærimus, quomodò loqui debuerint, & nos loqui debeamus. Sic igitur cenſemus: quotquot olim dixêre hodiéque dicunt, Epiſcopos Trajectenſes, & Trajectenſem Cathedram, caſtigatiùs multò & veriùs dicturos, Tongrenſem Cathedram, & Tongrenſes Epiſcopos. Etſi enim à D. Servatio ad Divum uſque Hubertum Epiſcopi Tongrenſes plerique cum Clero ſuo in Trajectenſi urbe habitârint: non idcircò tamen Tongrenſis Sedes tranſlata Trajectum eſt, nec Tongrenſis Eccleſiæ dignitas titulúſque mutavit. Et longè aliud eſt habitatio Epiſcopi, aliud Sedes Epiſcopalis. Illam enim Epiſcopus ſuopte conſilio, ob bella, aliáve gravia incommoda, mutare poteſt: hanc ſine auctoritate majorum, id eſt Conciliorum aut Pontificum, non poteſt.

Declaratur exemplo Sedis Romanæ.

Exemplum in Vindiciis produxi, ex Pontificum Romanorum habitatione Avenionem traducta, Sedis tamen Romanæ retentâ ſemper appellatione: aliqui licèt Scriptores Pontificibus, Avenione cum Clero Romano habitantibus, Avenionenſium nomen dederint, indiſciplinatâ & parum caſtigatâ loquendi formulâ. Sufficere debebat id exemplum, ſententiæ noſtræ ob oculos ponendæ. Quia tamen

vel non

vel non viſum, vel diſſimulatum eſt, alia duo de plurimis producam; quæ nemo non videat, & ad cauſſam noſtram facillimè applicet.

Camera-cenſis.

Abavorum noſtrorum memoriâ, Epiſcopus & Princeps Cameracenſis, ob bellorum injurias, cum Clero univerſo Valencenas, urbem Cameraco diſtantem altero tanto quàm Tongri Trajecto, migravit, ibiq́ue poſt annos aliquot mortuus eſt, ſuffecto ibidem ſucceſſore. Appellaríne idcircò uterque potuit Valencenenſis Epiſcopus, & Cameracenſis titulum exuere ſine auctoritate Pontificia? Dicíne potuit, Sedem Epiſcopalem Valencenis poſuiſſe, quia cum Clero univerſo ibi ſedes habitationis poſuerat?

Genevenſis.

Genevâ jampridem exulat Epiſcopus ejus loci ac Princeps, & Anneſſiaci apud Allobroges domicilium habet, cum Clero Genevenſi univerſo, intra diœceſeos ſuæ limites. Nec ſpes eſt ad priſtinum domicilium redeundi, quamdiu Calvini deformatoria ſecta illic dominatum exercebit. Ideóne dici deſiit Genevenſis Epiſcopus, & Geneva titulo ſuo ſpoliata eſt, ſedéſque inde Anneſſiacum tranſlata, unà cum Epiſcopi habitatione?

D. Servatius dicendus Tongrenſis Epiſcopus.

Eodem prorſus modo res habet in Tongrenſi Epiſcoporum noſtrorum Sede, & Trajectenſi habitatione. D. Servaous ſub vitæ finem Toogrî migrat Trajectum, ſicut Valencenas Cameracenſis Epiſcopus, ibiq́ue obit ac ſepelitur, juxta aggerem publicum: an idcircò Trajectenſem, Trajectenſiſque Eccleſiæ Epiſcopum appellabimus, abolebimuſque, quem ipſe ſibi paullò antè in Conciliis ſcripſerat, titulum Tongrenſis Epiſcopi? Quanam id, quæſo, auctoritate faciamus? Privatáne Gregorii Turonenſis, totis à D. Servatio ſæculis duobus diſſiti, & in ejus hiſtoria quædam alia parum accuratè ſcribentis?

Et ſucceſſores D. Servatii.

Poſt intervallum aliquod Agricolaüs Servatio ſufficitur. Demus Trajecti ſuffectum, demus à Clero Tongrenſi, qui cum Servatio Trajectum migrârit. Agricolao itidem demus ſuffectum Urſicinum, Urſicino Deſignatum, alioſque deinceps, ad Divi uſque Huberti ætatem. Demus, inquam, quod ſi negemus, haud ſcio an probabili ratione ulla de pleriſque evinci poterit: quandoquidem de D. Evergiſlo Colonienſi Epiſcopo narrent Vitæ ſcriptores, inventum Epiſcopum, Clerumq́ue, & populum ab illo in urbe Tongrenſi; quò ad patriam reviſendam venerat, quinquageſimo circiter anno poſt D. Servatii mortem. Sed demus ultrò, Trajecti electos illos omnes Epiſcopos, imò & Trajecti maximam partem habitâſſe: maximam, inquam, partem; nam & in aliis diœceſeos ſuæ urbibus quoſdam diu egiſſe, fama vetus hiſtoriciq́ue affirmant. An ideò tamen Trajectenſes Epiſcopi dici debebunt, quia Trajecti electi ſunt, & Trajecti domicilium habuêre? Noo magis, opinor, quàm Geoevenſibus Epiſcopis Anneſſiacenſium titulus modò tribui poteſt, quia Anneſſiaci cum Clero ſuo domicilium habent.

D. Domitianus ſe ſcribit Epiſcopum Tongrenſem.

Placétne iterum ſuper ea quæſtione unius ex illis ipſis Epiſcopis audire ſententiam? Is eſt D. Domitianus: quem Harigerus Scriptor Notgerianus, è noſtrorum præcipuis, Trajectenſe domicilium, faſtiditis Tongrenſium ædium parietinis, amâſſe perhibet. Vixit D. Domitianus ſæculo Chriſtiano ſexto, medio Divos inter Servatium & Lambertum tempore: ſucceſſit D. Euchario in Epiſcopatu Tongrenſi: interfuit Arvernenſi Synodo ſub annum ſæculi ſui triceſimum quintum, Aurelianenſi ſub annum quadrageſimum nonum. Non neſciebat, opinor, cujus Eccleſiæ eſſet Epiſcopus, Tongrensisne, an Tranjectenſis: neque ignorabat, quomodò in Synodis appellandus eſſet; ubi exactè ad normam, & regulam, loquendum & ſcribendum eſt. In Aurelianenſi autem Synodo legitur hoc ſolum, *Domitianus Eccleſiæ Tongrenſis Epiſcopus*: Trajectenſis mentione nulla. In Arvernenſi ſic legitur, *Domitianus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Tongrorum, quod eſt Trajectum, ſubſcripſi.*

Cur in ſubſcriptionĕ una additum nomen Trajecti?

In hac Arvernenſi ſubſcriptione iſtud de Trajecto additamentum, ſi, quod ſuſpicari meritò poſſumus, ab aliquo interpolatore non eſt, quorſum arbitremur à D. Domitiano appoſitum? An ut Sedem tranſlatam indicaret? An ut appellationem Tongrenſis Eccleſiæ mutatam Trajectenſi? Malè ergo in Aurelianenſi poſteà Synodo ſcripſiſſet ſe tam diſertè, Eccleſiæ Tongrenſis Epiſcopum. Cui tameo bono & ſignificationi iſtud additamentum? Prorſus nulli, niſi ut habitationis locus deſignaretur. Quemadmodùm ſi B. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis in Synodo aliqua ſe ſcripſiſſet, *Epiſcopum Eccleſiæ Genevenſis, quod eſt Anneſſiacum*: nemo aliter iotelligeret, quàm Genevenſem Epiſcopum ipſum eſſe, ſed Anneſſiaci habitare.

Leodienſes Epiſcopi cur ſe diu Tongrenſes ſcripsére?

Noſtri denique Epiſcopi, poſtquam ſæculo octavo Leodii habitationem fixêre, à Summis Pontificibus *Tongrenſes* appellati ſunt, *Tongrenſiſq́ & Tongris Eccleſia*. Ipſi etiam diu ſeſe & conſtanter Tongrenſes Epiſcopos in Conciliis actiſque publicis ſcripſerunt: obſoletum iſtud oomen non repetituri, ſi Trajectenſium Epiſcoporum titulum, Trajectenſiſque Eccleſiæ, à proximis ſuis deceſſoribus uſurpatum inveniſſent, uſurparíve debuiſſe cenſuiſſent. Neque antè Tongrenſes vocari deſiêre, quàm Leodienſium ipſis nomen, vel aperto, vel tacito Summorum Pontificum conſenſu delatum eſt: ut de Joanne X. notavimus, ad annum oongenteſimum viceſimum ſecundum in Hiſtoriæ Leodienſis compendio.

Retinenda Tongrenſis Eccleſiæ appellatio.

Tenemus ergo & nos Tongrenſis Eccleſiæ nomen, ut antiquius longè & illuſtrius, certumq́ue & conſtans: neque alio fine, quàm ad oobiliſſimæ Tongrenſis Leodienſíſve Eccleſiæ honorem, & veritatis elucidationem, hæc ſcribimus. Scribant interim alii qood volent, & ſentiant: magoiq́ue putent intereſſe ad Trajectenſis urbis gloriam, ſi plus ipſi detur, quàm oportet. A D. Servatio ad D. uſque Hubertum, Epiſcoporum noſtrorum pleroſque multùm Trajecti habitâſſe concedimus, Trajectenſeſq́ue ideò à quibuſdam olim, hodieq́ue, nominatos. Trajectenſes autem caſtigatè dici debuiſſe, Tongrenſiſq́ue Eccleſiæ appellationem Trajectenſi mutatam, quidquid Diatribæ & Præloquia contrà congerant, Veritas negat.

Nova contra nos ratiuncula.

Iſta jam ſcripſeram, & clauſeram; cùm amicus quidam indicavit, parari contra nos ſubſidiariam aciem ex diplomate aliquo Sigeberti Auſtraſiæ Regis; ubi dicitur ſubſcriptus *Remaclus Trajectenſis Epiſcopus*, oon Tongrenſis, quemadmodùm ex oostra diſputatione debuiſſet. Traductam igitur fuiſſe Tongrî Trajectum Sedem ſimul & appellationem: ipſomet Epiſcopo teſte, qui certè non ignorabat cui Sedi præeſſet. Sed, ô ruinæ proximam ſubſtructionem, ſi tam carioſis fulcimentis innititur! O tempus infælix, ſi talibus eget defenſoribus!

Eluditur.

Non peſſimè forſan colligeret quiſquis eſt, ſi non malè poſuiſſet. Quis enim vel ipſi perſuaſerit, diploma iſtud fictitium & ſuppoſititium oon eſſe? Non id manifeſtis multis rationibus per

alios

alios monſtratum eſt, in libro ſuper ſimilibus diplomatibus, edito, ad annum hujus ſæculi triceſimum octavum? Ad eas rationes accedat & hæc ipſa ſubſcriptio. Quàm enim falſum eſt, Sigebertum Francorum ſeſe ibi Regem ſcripſiſſe, qui Auſtraſiæ ſolius Rex erat: tam falſum eſt, D. Remaclum ſeſe ſcripſiſſe Trajectenſem Epiſcopum, cùm revera eſſet Tongrenſis. D. Domitianus, ſeptimus ante D. Remaclum Epiſcopus, ſeſe ſcribit *Eccleſiæ Tongrenſis Epiſcopum.* Fulcarius, quintus poſt D. Remaclum, disertè ſcribitur à Zacharia Pontifice *Tongrenſis Epiſcopus;* & ab eodem Zacharia *Eccleſiæ Tongris & Colonia*, non autem Trajectum & Colonia, commendantur D. Bonifacio. D. Remaclus inter iſtos medius ſcribat ſe Trajectenſem Epiſcopum, condemnetque deceſſorum exemplum, & prædamnet conſuetudinem ſucceſſorum, Tongrenſes ſeſe Epiſcopos appellantium?

Repetitur concluſio.

Sepoſito itaque iſthoc diplomatis figmento, exſpectabimus ſi quid alicunde novi nobis opponatur. Quamquam non video quid præter ſæpè recantata, ſæpè eluſa argumenta, afferri queat. Pro ipſis ſunt ſcriptores privati: pro nobis itidem. Eatenus forſan par cauſſa ſit. At pro nobis ſunt, non pro ipſis, præjudicis Conciliorum & Synodorum. Pro nobis ſunt, non pro ipſis, literæ Summorum Pontificum. Talibus teſtimoniis Veritas vincit, & pro retinenda nobiliſſimæ & antiquiſſimæ Tongrenſis Eccleſiæ appellatione, victoriæ certa, pronuntiat. Et nos à Divo uſque Materno, ad Richarium, Epiſcopos omnes noſtros Tongrenſes meritò nominamus: Leodienſes deinceps ad Maximilianum Henricum uſque, cui Deus Tongrenſium Epiſcoporum, deceſſorum ſuorum, Amandi ſanctitatem, Remacli fœlicitatem, Huberti auctoritatem, Lamberti generoſitatem, Domitiani ſapientiam largiri pergat, adjiciatque donorum cumulo longævitatem Servatii.

Pathetica Judæorum oratio.

℣. 47. 48. 49. 50. 51. 52. Refertur modus, quo Judæi oraverunt. Tam multa autem adhibita ad orationem fuêre; ut vix umquam meminerim me legere, publicè magis pathethicam fuiſſe factam à Judæis. Jejunant, ciliciis ſe operiunt, cineribus ſe aſpergunt, veſtimenta lacerant, libros legis expandunt, ornamenta ſacerdotalia explicant, primitias & decimas proponunt, Nazaræos qui voti tempus expleverant in medio ſtatuunt, clarâ imò clamosâ voce ſupplices Dei miſericordiam invocant. Quæ omnia cùm aperta & facilia ſint, paucis omninò exceptis: ea nos, quæ explicationem deſiderant, in quæſtiunculas dividemus.

Cur libri Legis expanſi?

Quæres primò: cur libros Legis expanderunt Judæi? Eodem fine quo ſacras veſtes, ſacros reditus, homines ſacros: nempe, ut expoſitis tot ſuæ religionis ſymbolis, tum ſeſe excitarent ad ardentiùs precandum, tum Dei miſericordiam potentiùs flecterent. Peculiaris tamen erat ratio de libris Legis: quòd, cùm fundamentum eſſent religionis Judaicæ, ab Infidelibus diligentiſſimè conquirerentur, & ubicumque reperti eſſent ludibrio haberentur, ut dictum eſt cap. 1. v. 59. & 60. Erat itaque iſta Bibliorum expanſio inſtar tacitæ precationis: quaſi Deo dicerent: En Legem tuam, quam alienigenæ iſti execrantur, nos amplectimur; ipſi oppreſſum veniunt, nos defendimus: En Libros tuos, quos impii illi contaminant, lacerant, exurunt; nos vel pretio ſanguinis noſtri redimimus ac ſervamus. Eumdem in modum ab Ezechia expanſæ in Templo, coram Deo, Sennacheribi blaſphemæ literæ 4. Reg. 19. Sic poſtmodùm Vandalorum Rex, apud Salv. lib. 7. de Prov. imminentibus Romanis obviàm Epiſcopos miſit, cum libris divinæ legis, ut pacem exoraret, ipſe interim ſupplices ad Deum preces fundens, atque opertus cilicio: probavitque Deus, ut ibidem advertit Salvianus, barbari licèt atque hæretici hominis animum, magis quàm ferociam Romanorum, & illi adjudicavit victoriam. Sic hodie apud Catholicos in publicis precationibus proponuntur quæcumque ſacratiſſima ſunt, Venerabile Sacramentum, Sanctorum reliquiæ, imagines ſacræ, liber Evangeliorum. De quibus ſacris & pathethicis cæremoniis in Excurſu 2. ubertim diſſeremus, præcipuè ſect. 6.

An Gentiles in ſacris Libris deorum imagines pinxerint?

Quæres ſecundò: quid ſibi vult iſtud ejuſdem verſus 48. *De quibus* libris Legis, *ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum?* Obſcurior eſt Latinè hæc ſententia quàm Græcè: ſic enim habetur in pleriſque exemplaribus: ἐξεπέτασαν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου, περὶ οὗ ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη, τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν: *Expanderunt librum Legis, de quibus*, ſubintellige libris, *inveſtigabant Gentes, ad pingendas in illis ſimilitudines idolorum ſuorum.* Unde apertè deduci videtur, ab Infidelibus conquiſitos fuiſſe Libros ſacros, non tantùm ut diſcinderentur & exurerentur, ſed etiam ut in illis, ad majus ludibrium, abominandæ falſorum deorum imagines pingerentur: quod ipſa exuſtione erat indignius. Et hic mihi videtur genuinus ac verus hujus loci ſenſus: licèt particulam illam, *ad pingendas in illis vel inſcribendas*, non habeat Sixtina editio Græca.

Pagani idololatriam ſacrâ Scripturâ fulcire conati.

Non improbo tamen interpretationes alias à Serario indicatas. Prima eſt: *Scrutatos fuiſſe Gentiles è Bibliis ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum*, quia è Scriptura colligere conabantur rationes, & exempla ad fulciendam idololatriam, & deorum multitudinem: verbi cauſſâ è Cherubinis arcæ, ut notat Hier. ad Ezech. 25. item ex nomine Elohim, quod quia plurale eſt, plures deos ſonare videtur. Sic apud Clementem lib. 1. Recognitionum, quidam ait: *Quòd multi ſint dii, ipſa me lex docuit.*

Dei opera traducta ad deos.

Altera: illuſtria Dei numina, & opera in ſacris Literis annotata, ad deos ſuos à Gentilibus tranſlata fuiſſe. Sic Phœnices apud Euſebium lib. 1. cap. 10. falſum deum ſuum vocabant, *Beelſamen*, id eſt *dominum cæli*: ſic Poetæ Infideles quadrigas ſolis à curru Eliæ mutuati ſunt, ut cenſet Beda q. 27. in libros Regum: ſic à Paradiſo terreſtri, ſæculum aureum; à diluvio Noëmico, Deucalionæum; à vite Noëmica, Bacchus inventor vineæ; à Tubalcaino & Jubale, Vulcanus & Apollo fabrilium operum ac muſicæ inventores, manavêre: vide Joſephum lib. 12. cap. 2. & Mythologos qui de commentis poëticis ſcripsêre.

Item cæremoniæ ſacræ.

Tertia: ſacros ritus ac cæremonias, quas ad cultum ſuum Deus adhiberi juſſerat in Levitico, ac ſacris aliis libris, ad cultum inanium deorum ab idololatris partim tranſlatas, ut notat Rupertus lib. 6. in Geneſin cap. 15. Ubi hoc ait figuratum in Sara, tam conſtantis etiam in ſenio formæ, ut in uxorem ab alienigenis expeteretur: ita religioſas Synagogæ cæremonias tam ſpectabiles fuiſſe, ut paſſim illas idololatræ, ad ſuam ſuperſtitionem ornandam, & auguſtiorem deorum cultum, imitatione traducerent.

Cur ſuſcitati Nazaræi?

Quæres tertiò: quorſum *ſuſcitati*, id eſt advocati, & in medio collocati *Nazaræi, qui impleverant dies voti ſui?* Rationem ejus rei habes Num. 6.

ubi Na-

ubi Nazaræatus, ſeu ſeparationis & conſecrationis iſtius, cæremoniæ ac conditiones deſcribuntur. Inter alias & hæc habetur v. 13. *Cùm dies, quos ex voto decreverat, complebuntur: adducet eum, ſacerdos, ad oſtium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem ejus Domino &c.* Statuuntur ergo nunc Nazaræi in medio, & Deo dicitur, *Quid faciemus iſtis & quò eos ducemus?* Quaſi dicant: quid libris Legis, primitiis, ornamentis ſacerdotalibus faciemus deinceps? Quid verò iſtis Deo devotis hominibus? Ubi conſiſtere tuti poterunt? Ubi votum ſuum exſolvere? Quò eos ducemus ad votum ex mandato tuo finiendum? Ducendi enim eſſent à ſacerdote ad oſtium tabernaculi: ſed ſacerdotes lugent, & Sancta contaminata ſunt, pollutumque à Gentilibus Templum.

Cur vociferati in oratione Judæi?

Quæres, cur oratione tam ſupplici, & tot adhibitis cæremoniis, non contenti Judæi, *clament voce*, & quidem, ut in textu noſtro additur, *voce magna in cælum?* Reſpondeo cum S. Th. 2. 2. q. 83. art. 12. *Duplex eſt oratio, communis, & ſingularis. Communis quidem oratio eſt, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideò oportet, quòd talis oratio innoteſcat toti populo pro quo profertur, quod non poſſet fieri, niſi eſſet vocalis. Et ideo rationabiliter inſtitutum eſt, ut miniſtri Eccleſiæ hujuſmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium poſſint pervenire. Oratio verò ſingularis eſt, quæ offertur à ſingulari perſona cujuſcumque, ſive pro ſe, ſive pro aliis orantis. Et de hujuſmodi orationis neceſſitate non eſt, quòd ſit vocalis: adjungitur tamen vox tali orationi triplici ratione.* Prima ratio eſt, quòd oratione vocali elevatur mens, & affectus excitatur: altera, quòd obſequium Deo debitum mente ſimul & corpore redditur: tertia, quòd affectus cordis per os ſe exoneret. Has rationes applica clamoſæ iſti Judæorum precationi. Primùm igitur clara voce orârunt, quia communis erat oratio: tum, ut affectum in ſe & aliis excitarent: deinde, ut corpore ſimul orarent & animo: denique ex abundantia cordis os loquebatur, & cùm vehementes eſſent affectus animorum, illis reſpondebat vehemens & fervida, atque ideò clamoſa oratio. Dolor de præſentibus malis, futurorum metus, amor patriæ & ſuorum, zelus religionis ad extremum diſcrimen adductæ, cùm ſe interiùs continere non poſſent, foràs per vociferationem prorupêre. De oratione vocali uberiùs dicemus Exc. ad cap. 3. lib. 2. ſect. 2.

Quibus tubis exclamarum, & cur?

℣. 54. Et tubis exclamaverunt voce magna. Græcè, *& cecinerunt tubis, & exclamaverunt voce magna.* In textu noſtro innuitur tantùm clangor magnus tubarum: & in Græco intelligi poteſt, primò tubis datum ſignum, tum magno clamore à plebe reſponſum, in ſignum alacritatis & ardoris ad pugnam: & ſic factum eſſe omninò veriſimile eſt, ut non ſit neceſſe dicere in Græco idem ſignificari cantu tubarum, & clamore vocis magnæ. Quæ autem erant tubæ illæ? Videntur fuiſſe ſacerdotales, quæ in ſolennibus conventibus ad orationes & ſacrificia adhiberi ſolitæ erant, & cap. 4. v. 40. vocantur *tubæ ſignorum.* Cur autem tubis cecinêre? Ad indicandum orationis finem: ad excitandos animos: ad convocandos qui aberant: ad præludium poſtero die ſecuturi certaminis: ad monendum populum, ut intentus eſſet rebus mox gerendis, primùm deſignationi ducum, tum dimiſſioni inutilis ad pugnam turbæ.

Græcè lingua ad u-

℣. 55. Et post hæc constituit Judas duces populi, tribunos, Græcè χιλιάρχους *millenarios*, mille militibus præfectos, *& centur. & pentacont. & decuriones.* In nomine *pentacontarchos*, quod à πεντήκοντα *quinquaginta*, & ἄρχειν *imperare* derivatum conjiciet vel ſemi-Græcus, lepidum etymologiſtam agit Liranus: *dicitur*, inquit, *à penta quod eſt quinque, & coſtes decem, & archos princeps.* Hauſit, opinor, elegantem iſtam originem ex Gloſſa Clementinæ l. 3. Tit. 16. de Rel. & Invoc. Sanc. ubi explicans bullam Urbani 4. de Inſtitutione Feſti Venerabilis Sacramenti, ait, *Pentecoſte venire à pente, quod eſt quinque, & coſte, quod ſignificat decem, aliquóſque declinare Pentecoſte, alios dicere eſſe indeclinabile.* En quò ſe induunt, qui ſine literarum ſcientia ſacras Literas docere volunt.

Intelligentiam Scripturarũ neceſſitas.

Meritò hîc petes, quid ſibi velit, quòd à Juda duces modò conſtituantur? An igitur ſine ducibus pugnatum eſt contra Apollonium, Seronem, & Nicanorem? Quis ordines duxit? Quis turmis præfuit? Adeóne novus in bello fuit Machabæus, ut neſciret, confuſam & inordinatam multitudinem, *magis eſſe victimam, quàm pugnam?* Non aderat ipſi Simon *vir conſilii*, ut eum ordinem ſuaderet, & juvaret in eligendis idoneis, qui præeſſent? Reſpondemus: dubitandum non eſſe, quin prioribus præliis tribunos, centuriones, aliosque inferiores præfectos ſub ſe habuerit Judas, cùm abſque ducibus ejuſmodi ne excurſiones quidem, & latrocinia fiant. Et verò lib. 2. cap. 8. verſ. 22. ante prælium prius cum Nicanore, diſertè fit mentio duplicis ordinis, & ducum, qui præeſſent, à Juda conſtitutorum. Nec ſapienti ulli in mentem venire poteſt, idem non factum ab eo antè quàm cum Apollonio committeret. Dicitur itaque modò *conſtituiſſe* iſtos turmarum præfectos, id eſt confirmatos quoſdam, ſuffectos alios in locum abſentium, mutatos alios & minoribus turmis præeſſe juſſos, aliquos etiam in ordinem redactos: imminuto enim copiarum numero, neceſſe erat præfectorum numerum imminui.

Quo ſenſu dicatur jam Judas conſtituere duces?

Obſerva hîc prudentiam & vigilantiam boni ducis. Poſtquam opem divinam imploravit, omnia facit, quæ humanitùs poſſunt. Sciebat enim Deum non otioſis favere, ſed ſtrenuis & laborantibus allaborare. Itaque ſtatim ab oratione præfectos turmarum convocat, firmat, mutat, creat, prout res fert, ordines innovat, luſtrat copias, oneroſam turbam jubet abſcedere, reliquos exhortatione & exemplo animat, omnia perfecti ducis munia obit.

Orationi jungenda induſtria.

Dignus qui hodie noſtris pro exemplo proponatur, ut ab illo diſcant nôſſe ordines ſuos, & numerum copiarum: nam plerumque nunc pro tribunis Chiliarchis centuriones ſunt, pro centurionibus pentacontarchi imò decuriones. Id eſt hodiernis verbis, Colonelli vix Capitanei ſunt, Capitanei vix Caporalium ſub ſe turmas habent; magna nomina in exigua re gerunt; magna ſtipendia de parva opera exigunt, magno reipublicæ damno.

Ducibus noſcendæ copiæ ſuæ.

℣. 56. Et dixit, Græcè in plurali habetur, *dixerunt.* Dixit itaque Judas, & per ſe, &, ubi audiri non potuit, dicendum curavit per inferiores præfectos, *his qui ædificabant domos, & ſponſabant uxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, ut redirent unuſquiſque in domum ſuam, ſecundùm legem.* Habetur lex ea Deuteronomii 20. v. 5. 6. 7. 8. ubi etiam jubentur *duces per ſingulas turmas, audiente exercitu, proclamare* illam. Primùm, jubentur ab exercitu abeſſe, qui domos ædificent,

Cur varii à bello abeſſe coacti Legis juſſu?

Digitized by Google

& necdum dedicavêre, id eſt, inhabitare non cœperunt: deinde, ſponſi, nondum mariti: tum, qui vineas plantant, & necdum de fructibus comederunt, quod quinto demum anno licebat ex Lev. 19. denique timidi ac formidoloſi. Tria prima hominum genera abeſſe ab exercitu Deus voluit, quia acerbum videbatur, periculo mortis illos exponere, nullo guſtato tantarum curarum ac laborum fructu, quanti ſolēt in parandis domibus, uxoribus, vineis poni. Hæc ſola ratio in Deuteronomio exprimitur: ſubſunt tamen & aliæ: quòd ejuſmodi homines in eo articulo timidiores eſſe ſolent, nec ſibi ſolùm, ſed & ſuis metuunt: item quòd privatæ curæ eos à publicis avocant, & à bono communi ad ſuum cogunt reſpicere. Adde, hanc legem providere, non ſoli ædificantis, aut ſponſi, aut patris-familias commodo: ſed etiam architectorum, fabrorum, ſponſæ, curatorum mundi muliebris, vinitorum, colonorum. Mortuo enim hero aut ſponſo, difficilius multò operis iſtis, domui ſtruendæ, ornandæ ſponſæ, vineæ curandæ neceſſariis, ſtipendia numerabuntur, quàm vivo: adeoque in uno capite agitur de bono multorum. Vides hinc quàm ſuaviter cum homine agat Deus, quàm ſe ejus infirmitati accommodet, quemadmodùm velit eſſe rationabile obſequium noſtrum.

Belli exitioſa timidorum ſocietas.

Poſtremo loco, & pòſt renovatam morâ aliquâ attentionem, exauctorantur *formidoloſi & corde pavido.* Et ratio additur, *ne pavere faciant corda fratrum ſuorum.* Dimittuntur itaque alii ob bonum ſuum præſertim, hi ob bonum commune. Pernicioſa enim militibus timidorum ſocietas. Fuſi ſæpe toti exercitus, & victoribus erepta victoria, quòd fugiſſent aliqui è ſuis, imò quòd metuentium aut fugientium ſpeciem præbuiſſent. Victus ad Mundam à Pompeii liberis Cæſar, vicit; quòd Labienum ad caſtra tuenda cum paucis proficiſcentem Pompejani fugere putâſſent. Agathias narrat, Romanos de Gothis victores, repentè in fugam averſos victoriam amiſiſſe, quòd Romanôrum unus commilitoni ſuo hæc ſolùm verba dixiſſet, *Torna frater*: quæ voces ex Latina lingua, jam tunc corruptâ, deflexæ, cùm ambigui ſenſus eſſent, ut ſignificarent vel *ad pugnam te converte*, vel *averte te in fugam*; hoc poſteriore ſenſu arripuit miles, & fugere effusè cœpit, omnibusque copiis fanaticum terrorem immiſit.

Militiæ ſpiritali ineptus amator terrenorum.

Sapienter hîc monet Rabanus, *non poſſe ſpiritalis militiæ arripere propoſitum, qui nudari terrenis opibus pertimeſcit.* Magnis animis ad bella ſpiritalia opus eſt: eos afferre non ſolet, quem cupiditas premit: neceſſe eſt enim qui cupit, metuat. *Quemcumque*, inquit Seneca ep. 56. *ex iſtis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum, comitique, onerique timentem*: alludit ad Æneam Virgilianum patri ſuccollantem, filio comitatum, & fatentem ſe tunc timere cœpiſſe, cùm antè inter enſes & ignes verſaretur intrepidus. Da mihi, qui lubens bonis terrenis careat, aut carere poſſit, mox tibi hominem fortunâ altiorem, & ſupra metus poſitum dedero: da terrenis inhiantem, ſimul dabis formidoloſum, & ineptum ad magna pro Dei honore ſuſcipienda. Subdit Rabanus: *Similiter & ille à tali militia ſuſpenditur, qui uxorem duxerit, qui plantaverit vineam, velut propagines filiorum. Non enim poteſt ſervire divinæ militiæ, ſervus uxoris: nec poteſt aſſequi ſtudium contemplationis, qui adhuc in delectatione configitur carnis. Nemo, inquit Apoſtolus, 2. Tim. 2. militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Agit Rabanus de militia ſpiritali Clericorum aut religioſorum: nos generaliùs in Excurſu ad ℣. 2. agemus de militia Chriſtianorum.

Militi Chriſtiano vitādum timidorum conſortium.

Diſce tamen in anteceſſum, miles Chriſtiane, cavendam tibi maximè timidorum ſocietatem. Jubentur illi nominatim abeſſe à Chriſtiano exercitu, indigni qui ſub Chriſto militent. Apocalypſis 21. primo loco denuntiatur, *Timidis* non eſſe partem in ſocietate Sanctorum: neque pars illis eſſe debet in exercitu Chriſtianorum, non inutilibus ſolùm ſociis, ſed & exitioſis. Monet Salv. lib. 7. de Prov. *Libentius omnes deteriora ſectamur, & facilius mala inſtitutio damnat bonos, quàm bona emendat malos.* Eſto leoninum habeas animum, adjungas te tamen cervini cordis ſocio, citiùs tu de leone cervus, quàm ipſe de cervo leo evaſerit. Ea malorum vis eſt, ut efficaciùs per imitationem ad alios, quàm bona tranſeant. *Ipſum commercium alienæ inquietudinis*, inquit idem Doctor lib. 2. ad Eccl. *perturbatio eſt noſtra quietis.* Eódem reſpexit Seneca lib. de Tranquillitate, cùm monuit, *tranquillitati inimicum eſſe comitem perturbatum, & omnia gementem.* Inquietus, turbatus, timidus ſocius, inquietudinem & timiditatem ſuam verbis, exemplo, in alios transfundit. Vis pacato & excelſo animo militare bonam militiam, ac Deo ſervire? Cum magnanimis verſare; audies ab illis fortia verba, intueberis fortia exempla; eorum imaginem paullatim indues. Fucos ferunt, ſi ſolitarii ſint, mel non conficere, permiſtos apibus mellificium diſcere: ſi ignavum pecus eras, cùm inter ſtrenuos operarios non verſabaris, jam labori aſſueſces, & exemplo aliorum fies inconfuſibilis operarius.

Judas in hoſtem movet.

℣. 57. ET MOVERUNT CASTRA ET COLLOCAVERUNT AD AUSTRUM EMMAŪM. Utitur Judas ſuorum alacritate, & ſtatim caſtra ad hoſtem promovet. Interjacebat Maſpha mari & Emmaunti; mare autem erat Judææ ad Occidentem. Judæi ex Maſpha progreſſi Emmaūntem verſùs, ubi Nicanoris caſtra erant, cis illam conſtitêre, & paullum deflexo itinere, ad Auſtrale ejus latus caſtra collocârunt. Rabanus Emmaūntem interpretatur *populum abjectum*, aitque deſignari, *amatores mundi*: inde etiam *Emmaūntem* eſſe *in terra campeſtri*, quia *lata eſt via quæ ducit ad mortem. Judæos* autem *ad Auſtrum* caſtra locare, quia *calore fidei* animantur Chriſti milites in hoſtem pugnaturi. Si tropologia iſta placuerit, extendere eam poteris vera ſignificatione nominis *Emmaüs*, id eſt *Timens conſilium*. cis timorem, & cis inopiam conſilii conſiſtit Judas dux prudens & generoſus. Miles Chriſtianus non ſit timens conſilium, habeat zelum ſecundùm ſcientiam.

Suos rurſus animat.

℣. 58. 59. 60. Indicit Judas ſuis, ut accingantur, id eſt parent ſe ad prælium in poſterum diem prima luce: rurſusque eos animat à cauſſæ ſuæ juſtitia ex duplici capite, quòd pugnaturi ſint pro defendenda *gente* ſua ac patria, & *Sanctis*, id eſt Templo ac religione, de quorum exterminatione ac deſolatione perpetua agatur: moriendum itaque eſſe, aut vincendum, nam victis, ſi ſint ſuperſtites, mala morte graviora patienda fore. Claudit exhortatiunculam divinâ ſententiâ de Dei voluntate, cui illuſtrandæ longiùs exſpatiandum eſſet. Sed quia ad hoc caput ſat multa de oratione dicentur: Excurſum de Providentia divina ad caput 14. differemus; aut potiùs ad ſingularem eo de argumento tractatum, nuper à nobis editum, rurſus iſti Excurſui ſubnectendum, ut quorumdam, qui utilem experti ſunt, deſiderio ſatisfiat.

EXCUR-

EXCURSUS I. MORALIS

Ad Cap. 3. *v.* 2. Præliabantur prælium Iſraël cum lætitia.

De Bello ſpirituali.

SECTIO PRIMA.

Pax Chriſtiana, militia eſt.

I. Chriſtiani pax & bellum. NIHIL quàm pacem ſuis Chriſtus per ſe, per Eccleſiam, per Doctores, per Concionatores inclamat: & nos ſæpiùs inclamavimus, dabimusque inclamandam Excurſu ad cap. 13. ſect. 3. &c. Interim quàm frequenter audimus, *Pax vobis: Pacem relinquo vobis: In terra pax hominibus bonæ voluntatis: Beati Pacifici: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum: Pacem & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens?* Hinc aptè Tertullianus nos vocavit *Sacerdotes pacis*, libro de Spectaculis. Quid igitur Chriſtianis cum bello? Quid paci cum militia? Quid olivæ cum lanceis? Quid ſacerdotibus pacis cum ſacerdotio Bellonæ? Quid inermibus & quietis cum ſtrepitu armorum, & tumultu pugnarum? Idem illis, quod Chriſto.

II. Chriſti pax & bellum. Eadem nimirum lex eſt Chriſtianorum & Chriſti: Huic naſcituro elegantiſſimè præcinuit Iſaias, conflatum iri ſæculo ejus aureo gladios in vomeres, lanceas in falces, &c. Ut Cumæum carmen tot antè ſæculis cantatum ſileam, cujus ultima ætas venerat vivente Virgilio, imperante Auguſto. Accinuêre Chriſto naſcenti cælites choraulæ Canticum pacis, id eſt Canticorum Canticum. Eadem fuit vox cygnæa innocentiſſimi ſenis, qui à pace orſus eſt cantum, cùm pacis auctorem geſtaret. Chriſtus ipſe pacem teſtamento moriturus diſcipulis legârat: eoſque, ubi revixit, legati ſui memores fecit, toties repetitâ ſolenni ſuâ ſalutatione, *Pax vobis*. Ille tamen Salomon noſter etiam David fuit: ille pacificus, etiam belligerator: ille cui & à quo toties pax acclamata, dicit tamen; *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Dicunt vulgò, ſi vis pacem para bellum; fructus belli pax. Aliter res habet in Chriſto & Chriſtianis: pax & bellum juncta ſunt, amica, fœderata; nec pacem Chriſtianam habes, niſi bellum geris; nec bellum geris, niſi pacem habes. Hoc verò eſt præliari prælium Iſraël cum lætitia.

III. Vita humana, militia. Dicebat olim Seneca epiſt. 36. *Vivere, mi Lucili, militare eſt:* & libro de Providentiâ militiam reſtringit ad bonos, quaſi res ad triarios redierit, aliis arma abjicientibus, ait enim: *Optimum quemque militare, & edere operas.* Idem libro de Tranquillitate oſtendit, in quocumque demum vitæ genere ſis, tamen militandum, etiam pacatiſſimo: *Neque enim*, inquit, *ille ſolus militat qui in acie ſtat, & cornu lævum dextrumq́; defendit, ſed & qui portas tuetur, & ſtatione minus periculoſa, non otioſa tamen fungitur*, &c. Sententiam Philoſophi altioris, antiquioris, divinioris audire placet de ſimeto ſuo pronuntiantis, velut è cathedra Job. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarii dies ejus:* & natura & ſtipendio ad militandum obligatur. Idem de ſeipſo loquitur, c. 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.*

IV. Vita Chriſtiani, militia. At ne Jobo ſoli militiam inter ſervos Dei tribuas: homini ſcilicet, cui atrociſſima cum paupertate, cum morbis, cum orbitate, cum calumniis, cum injuriis, cum malis omnibus, cum inferis ipſis, adversùs unum caput conjuratis, certamina fuêre. Ecce & Apoſtolos milites fuiſſe pronuntiat Eccleſia, cùm eos vocat, *Cæleſtis aulæ milites, Belli triumphales duces.* Ecce & Apoſtolorum diſcipulos, ac poſteros omnes, ad arma vocat Apoſtolus ipſe, Rom. 13. *Induamur arma lucis:* armis inſtituit ad Epheſ. 6. ſcuto, lorica, gladio: claſſicum canit, & hoſtes oſtendit 2. Cor. 10. v. 3. &c. coronas oſtentat 1. Cor. 9. v. 25. Vocant & alii Apoſtoli ad bellum, cùm monent; adverſarium circuire, excubandum ne irruat: ſi reſiſtamus diabolo, fugiturum à nobis, &c. Monet poſt illos Tertull. lib. ad Martyras, *Vocatos nos ad militiam Dei vivi, quando in ſacramenti verba reſpondimus.* Bellum igitur eſt vita Chriſtiana. Pax noſtra militat.

V. Belli externi cum interno comparatio nulla. Et ejuſmodi quidem bellum eſt, ut præ eo bella noſtra vix inſtar habeant depictorum. Spectaſti aliquando ab egregio pictore efformatum in tabella prælium. Ab ignibus tormentorum picturæ lumen eſt, umbræ à fumo: hinc ſtant turmæ quaſi expectantes ſignum, inde concurrunt cornua: vulneratos vides, ſtratos, moribundos, mortuos. Diſperſæ cohortes, palanteſque, & per cadavera proruentes, à victoribus urgentur & cæduntur. Horror paſſim & conſternatio, ac plurima mortis imago. Sed age, ô bone, quid trepidas? Pictura eſt belli, non bellum. Idem tibi de bellis noſtris, præ bello Chriſtiano, auſim affirmare: non certamina ſunt, ſed umbra certaminum, ſi huic compares. Excurramus per ſingula.

VI. Qui utrobique hoſtes? Primùm ſi hoſtes contuleris, cum quibus certandum eſt. In externo bello, vel pugnas cum finitimis, vel cum domeſticis: vel peregrinum, vel ſociale, vel civile bellum eſt. Si cives impugnant; ſocii juvant, vicini ceſſant. Omnes iſtos numquam, aut rarò, videas in unum conſpirare. At in bello interno, quot exteriùs hoſtes ſint, quis numeret? Paullinus certè epiſt. 2. ad Severum: *Tota hujus mundi figura .... laqueus mentis, & gladius eſt.* Adde illos cum quibus nobis monet eſſe certamen Apoſtolus, Eph. 6. *Mundi rectores tenebrarum harum, Principes, Poteſtates, ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* De dæmone Cyprianus monebat, in præf. de Exhort. Mart. ad Fortun. *Adverſarius vetus eſt, & hoſtis antiquus, cum quo prælium gerimus... Artes ...*

ipſo uſu vetuſtatis edidicit. Auguſtinus itidem monuit, tract. 4. in epiſt. Joan. *Si tu ſolus cum diabolo pugnaveris, vinceris. Exercitatus eſt hoſtis: quot palmarum?* Sapienter Anachoreta neſcio quis olim, alteri dicenti, ſe jam mortuum eſſe: *At enim*, inquit, *diabolus nondum eſt mortuus.* Quid autem de ſocialibus bellis à corpore? Senſus habemus voluntati ſubditos, ſed inconſtantes, tumultuoſos, rebelles, obedientes non voluntati ſed objectis ſuis, quorum imagines ad imaginationem tranſmittunt, & inde antemuralia animi hoſtibus produnt. Paſſionibus abundamus, quæ voluntati militant, at quàm ſæpè transfugæ? Amore nil infidelius: odio nil pertinacius: lætitiâ nil levius: triſtitiâ nil contumacius: deſiderio nil fugacius: timore nil abjectius. Neque in appetitu, qui animo inſtar eſt mænium, hoſtis hæret; ſed & ipſam arcem mentis occupat, imò mens ipſa ſibi hoſtis eſt, & civile bellum concitat ſibi ipſi. Memoriam innumeræ tenent damnoſæ imagines rerum: Intellectum ignorantis: Voluntatem inconſtantia & malitia. Quid inter tot hoſtes agat conſcientia, tam validè impugnata, tam parum defenſa?

VII. Hoſtes inteſtini.

Iſtud animi ab hoſtibus periculum egregiè pingebat Cyprianus, lib. de Mortalitate: *Obſeſſa mens hominis, & undique diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit.* Eleganter item Proſper epigram. 94.

Numquam bella bonis, numquam diſcrimina deſunt,
Et quocum certet, mens pia ſemper habet.
Pulſant exteriùs diverſis motibus hoſtes:
Intùs civile eſt, & ſociale malum.

Atque hoc malum civile magis multò timendum, quàm hoſtes exteriores, idem Proſper indicat carmine de Providentia, ubi dicit,

Ipſaque bellum
Libertas movet, & quatimur civilibus armis.

Didicerat opinor ab Auguſtino, qui lib. 2. cont. Jul. militiam Chriſtianam *civile bellum* vocat, quia periculoſiſſimum nobis cum nobis ipſis præſium eſt.

VIII. Quod belli tempus?

Deinde in externo bello pax eſt aliquando, aut induciæ ſaltem, aut minimùm quies ab armis. Eſt cùm dici aliquando poſſit, *Quievit terra à præliis. Tempus belli, & tempus pacis*, aiebat Eccleſiaſtes. At in bello interno, ſive Chriſtiano, nulla pax dum vivimus, induciæ nullæ, quies nulla, vacatio nulla, etiam in ſenectute. *Et nos, qui ſenuimus in iſta militia* (ita de ſe Auguſtinus ad populum, ſerm. 43. de verbis Dom.) *minores quidem hoſtes habemus, ſed tamen habemus. Fatigati ſunt quodammodò hoſtes noſtri jam etiam per ætatem: ſed tamen etiam fatigati non ceſſant qualibuſcumque motibus infeſtare ſenectutis quietem.* Quamdiu vivis, impugnaris: ſi vincis, pax æterna; ſi vinceris, bellum æternum ſequetur. Tempus vitæ hujus tempus belli eſt: tempus vitæ alterius, pro illis tempus pacis, pro his tempus belli. Auguſtinus inculcat 19. de Civit. cap. 27. *Quamdiu vitiis imperatur, plena pax non eſt: quia & illa quæ reſiſtunt periculoſo debellantur prælio; & illa quæ victa ſunt, nondum ſecuro triumphantur otio, ſed adhuc ſolicito premuntur imperio.* Unde infert, pacem à piis non expectari debere niſi in alterâ vitâ; & deinde cap. 28. bellum æternum manere impios. Secutus magiſtrum diſcipulus Proſper lib. 1. de Vitâ Cont. cap. 1. monet quantumvis in hac vita ſtrenuè dimicemus, etiam hoſtibus proſtratis numquam deſiſtendum à pugna: *Nec enim*, inquit, *vincentes ſecuros faciunt viriliter deſudata jam prælia, ſed magis ſolicitant adverſariorum rediviva certamina.*

IX. Quæ loca?

Adde, contra vim externam loca aliqua tuta eſſe; ac licèt jam nulla non capi poſſint, ſcientiâ militari ad ſummum perfectâ: tamen vel naturâ vel arte ita munita eſſe, ut extra ſubitos caſus poſita ſint, nec ad deditionem niſi honeſtis conditionibus cogantur. At in interno bello *res aliter* habet. Quocumque loco es, & impugnari, & capi, & ſubitò occupari, & ad turpem deditionem adduci potes. Dic age, quo loco es? In honeſto matrimonio? Certè, qui invênit mulierem bonam, invênit theſaurum: ſed & theſauro fur & tinea eſt, manus avidæ, rubigo. Zelotypia, & alia mala, nonne in ſanctiſſimas domos penetravêre? Nonne in matrimonio erant Urias, David, Samſon, Salomon, D. Henricus, & tot alii? Es in Eccleſiaſtico ſtatu? Civitas eſt ſupra montem poſita, non tamen extra teli jactum. Ambroſius certè in ea civitate habitabat, de quo tamen locutus Aug. 2. cont. Jul. *Non*, inquit, *quando iſta dicebat, exercitum quemdam variarum cupiditatum intra ſemetipſum tamquam Chriſti miles egregius debellabat?* Es in Paradiſo terreſtri? Ibi à Deo ipſo collocatus es, ut de arbore vitæ nutriaris? Serpens occurrit. Es in tertio cælo, nec te illuc ipſe rapuiſti, ſed Deo ſurſum evocante raptus es? Angelus ſatanæ ſequitur. Omnis locus, omne tempus, ſolicita & periculoſa ſunt.

X. Quæ vulnera, & pericula?

Prætereà in bellis iſtis multos videas ſine vulnere: alios leviter percuſſos: qui læſi ſunt graviter, chirurgum habent: ſi immedicabile vulnus eſt, at ſentiunt, at dolent, at vident ſe mori. In his autem præliis frequentiſſima vulnera: adeò ut à levibus immunis hominum nemo fuerit, præter Hominem Deum, ejuſque matrem. Gravia autem quot generum, in caritate, temperantia, religione, juſtitia? Eaque incurabilia de ſe omnia: curabilia tamen arte cæleſtis medici, ſi vulnerati plagas ipſi ſuas non amarent, ſi ſentirent, ſi dolerent, ſi manum chirurgi admitterent. Unus ex illis pro omnibus clamat, Eccleſ. 5. *Peccavi, & quid accidit mihi triſte?* Hinc in ſanguine miſeri volutantur, calamitati ſuæ arrident, mortem amplectuntur: *Et vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata.* Jam verò, *quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* De anima hîc res eſt: de æternitate agitur: cælum aut inferi præmium ſunt: alterutrum evenire oportet: æternùm triumphas, victor; æternùm peris, ſi vinceris. Vides, credo, quàm iſtud bellum periculoſum ſit: ubi tantis diſcriminibus & tam frequentibus vulneribus agitur, tam intutis locis, tanto tempore, tam numeroſis hoſtibus undique irruentibus, cum inteſtino malo.

XI. Quis Chriſtianis Imperator?

Sed macte animis Chriſtiani: multò plures pro nobis ſunt, quàm contra nos: plura ſunt, quæ animent, quàm quæ terreant. Ac primùm omnium Imperatoris noſtri virtus ac fortuna. *Malo*, dicebat ille olim, *agmen cervorum duce leone, quàm agmen leonum duce cervo.* Quid ergo timeamus duce leone de tribu Juda: Imperatore illo, qui uti Judas Machabæus: *Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione?* Accidit aliquando in bellis externis, ut duces verbis & exemplis animos ſuorum abjiciant: at Imperator noſter, quæ verba, quæ exempla, quas faces, quos ignes nobis ſuggerit? Cùm coronâ ſpineâ ut galeâ tectus, ſanguine ſuo loricatus,

cruce

cruce armatus nobis præit, & ut Mathathias 1. lib. Mach. cap. 2. exclamat: *Omnis qui habet zelum legis, ſtatuens Teſtamentum, exeat poſt me.* Jonathæ, 1. Reg. 4. audax facinus meditanti, intrepidus armiger ſocium ſeſe offert generoſis vocibus: *Fac omnia, quæ placent animo tuo: perge quò cupis, & ero tecum, ubicumque volueris:* addit apud 70. *Sicut cor tuum, cor meum.* Animos heri ac ducis ſui bonus ſervus, ac miles, induerat. Milites Judæi 2. Mach. 11. exhortatione audita ducem ſequuntur, *Parati etiam muros ferreos penetrare*, &c. Te duce, ô Chriſte, & ferociſſimas beſtias & muros ferreos penetrabimus.

XII. Qui commilitores? Commilitonum virtus addit militibus animos. Hinc ſoliti prudentes Imperatores tironem veterano, timidum generoſo, fidelibus eum qui dubiæ fidei eſt jungere. Juſſi eamdem ob cauſſam Judæi formidoloſos ex acie dimittere, oe ſociis pavorem ſuum communicarent, ut in Commentariis diximus, ad v. 56. O quot nobis, & quàm generoſi commilitooes! De Eccleſia Militante ſumus: aſpice quaquaverſum. Virgines, pueri, infantes trophæa reportant, ſpoliis opimis onuſti ſunt: *Non poteris, quod iſti, & iſtæ?* Ipſa Eccleſia Triumphans, ſecura jam ſui, effundit ſe tamen de cælo, non ad ſpectaculum ſolùm certaminis noſtri, ſed etiam ad auxilium. Nno vides 2. Mach. 10. *Viros quinque, Iudæis ducatum præſtantes?* Idem tibi auxilium promittitur, ſi velis tantùm. Quinque parum ſunt? Mille legiones habebis. Circumſpice cum timido ſervo Eliſæi, 4. Reg. 6. *Et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum.* Itaque, *noli timere: plures enim nobiſcum ſunt*, ex Angelorum exercitu. Hi omnes commilitones, auxiliares, hyperaſpiſtæ ſunt: tu modò velis eſſe Machabæus, id eſt ſubjugator, & domitor.

XIII. Quæ arma? Jam arma ipſa contuere, contrecta, experire: non penetratu facilia, oon uſu deterenda, non impactu elidenda, non ictu retundenda, non ſubripienda inſciis, non auferenda invitis. *Arma te*, inquit Aug. ſerm. 43. de ver. Dom. *ſume inſtrumenta bellorum. Præcepta Dei arma tua ſunt.* Ea in manus ſume. Manus animi tui, intellectus, & voluntas. Intellige, quæ Deus imperavit: ama; quæ intellexeris, & hoſtem proſtraviſti. Non amas? Ora: pete gratiam, per quam, ut Proſper loquitur epigr. 94. anima tua

Vnde eſt facta volens, fiat & inde valens.

Iſtis armis infirmitas de fortitudine, ſolitudo de multitudine, corporeus homo de ſpiritalibus nequitiis triumphavit. Iſtis muniti Martyrum & Confeſſorum exercitus ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulavêre, & cooculcavêre leonem & draconem. Iſta ſunt, quæ ab Apoſtolo vocantur *arma lucis* Rom. 13. Iſta ſunt quæ cap. 6. Epheſius donat, cùm hortatur ad pugnam: *Sumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*

XIV. Quæ militiæ Chriſtianæ merces? Denique mercedem militiæ conſidera. Poſt viceſimum quartum belli cruenti annum, provinciam unam Rex ditionibus ſuis addiderit; oppidula viginti ceperit; Ithacâ, Cnidóve, aut alio ejuſmodi nidulo, fines auxerit. En tot mortium, tanti cruoris, talium impenſarum fructum. Fac Alexandri inſtar *obtinere Reges gentium, & tyrannos.* Sed quid iſthæc ad æternitatem? Miles autem ſub iſto duce aut Rege alget, calet, ſitit, eſurit, periclitatur, vulneratur, cicatricibus plenus eſt. Quid inde ſtipendii? quid mercedis? Pudet, & piget dicere. Quotidiana exempla ſunt. Mendicant manci, mutili. Ut mercedis aliquid acceperint, quantillum illud eſt? Quàm parum durabile? Quot fures effodiunt, quot tineæ arrodunt comparatam per quotidianas plagas, ac mortes, mercedulam? Unum accipe de centenis millibus Eduardum Paciecum, narrante Oſorio Silvenſi Epiſcopo, in rebus geſtis Emmanuëlis Regis. Vix ſcio an illi omnis profana antiquitas Imperatorem, non dico ſuperiorem, ſed vel parem produxerit. Judas alter Machabæus, præliatus prælia domini cum lætitia, ſtetit, certavit, vicit ad miraculum: ingentes exercitus hoſtium, cum exigua manu, quinies breviſſimo intervallo proſtravit, ut viceni ſingulis oppooi poſſent: aliàs paucis, aliàs nullo è ſuis deſiderato. Hunc virum, ex Indiis reducem, ab ipſo Epiſcopo, Regis juſſu, pro concione audientibus civibus Uliſſiponenſibus, applaudente Rege ipſo & principibus univerſis, ſummopere oon tamen ſupra virtutem laudatum, paullò pòſt calumniatores auſi aggredi, Emmanueli perſuasêre, interverſam ab eo pecuniam Regiam. Ergo Regis ejuſdem juſſu, admiratoris ac laudatoris ſui, diſcinctus, & in compedibus tractus ad carcerem, diu ibi hæſit in tenebris: donec probatâ innocentiâ liber dimiſſus; ſed inglorius, pauper, ac fermè mendicus ad extremum obiit. En mercedem, en theſauros in terris per bella repoſitos.

XV. Deo militandum. Quantò fælicius cum Chriſto, & pro Chriſto pugnamus! *Hunc ſequamur*, inquit Paull. ep. 39. ad militem, *huic militemus, cui cinctus numquam diſcingitur miles, qui militantibus ſibi honorem regni cæleſtis largitur.* Si mavis Mathathiam moribundum audire: *Vos ergo*, inquit, *filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis... Date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Noo gloriam ſolùm accipietis, ſed magnam, & extra quam nihil verè magnum: non nomen tantùm & famam, ſed nomen æternum. I demens Macedo, furioſe Antioche, pervade prærupta, trana torrentes, urere Sole ac gelu, ſanguini innata, mortem provoca, ot implere poſſis hiſtoriam, &, ut ajebat ille, *Vt pueris placeas, & declamatio fias.* Nos ad gloriam æternam, ad nomen æternum per certamina noſtra, Chriſto duce, ſuperis comitibus, firmo ac ſecuro gradu nitimur. *Et hi quidem:* Explorator ille, qui trans excubias hoſtiles duci ſuo nuntiatum venit, quæ explorata habeat: Centurio ille, qui in prima fronte legionis inter tela volitat, ſecurus ſui: Juvenis ille, qui per medios ignes, inter murorum ruinas, geſtit primus in hoſtilem murum evadere: *Hi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*, laudis aliquid, honoris, dignitatis, theſauros furi ac tineæ obnoxios, &c. ut tardiſſimè, morte amittendos: *Nos autem incorruptam.* Jejunandum, orandum, domanda vitia, vis nobis facienda. At quâ mercede? Æternâ. Theſaurum exſpectamus, ubi fur & tinea non erunt. Dignáne eſt tanta merces tantillo certamine? Et ubi theſaurus noſter eſt, ibi non erit cor noſtrum?

SECTIO SECUNDA.

Quadrageſima tempus militiæ.

I. Chriſtianus eſt Dei miles.

MONET Apoſtolus Timotheum ſuum, ut ſtrenuè non ducis ſolum, quà Epiſcopus, ſed & militis, quà Chriſtianus, officium impleat, 1. Tim. 1. v. 18. *Milites bonam militiam.* Timotheo, id eſt Dei ſervo, Deum colenti, Deum honoranti dictum, omnibus Chriſtianis dictum eſt, qui Deo ſervire, eum colere, & honorare ſacramento adacti ſunt. In ejus jam pridem verba juravimus, ſtipendium accepimus, beneficiarii ſumus, vernaculi ſumus: tot titulis obſtringimur ad militandam Deo bonam militiam, quot nominibus quis adigi ad militandum poteſt. Armat vernas Abraham, Gen. 14. nos vernaculi Dei ſumus in ejus domo nati, ancillæ filii. Beneficiarios Princeps ad arma excit, nos beneficio Dei ſpiramus, movemur, ſumus, & ipſi ſumus Dei beneficia. Stipendiarii ad bellum coguntur: nos tot Dei ſtipendia quot momenta numeramus. Accedit ad iſta repetitum toties ſacramentum, quo etiam ultrò, ſi alia nomina deſint, teneamur.

II. Pugnãdum per Quadrageſimæ tẽpus.

Militemus igitur bonam militiam, quamdiu vivimus: ſed hoc potiſſimùm tempore, quod ſacris præliis eximiè, divino Imperatoris noſtri inſtituto, per Eccleſiam deſtinatum eſt. Tempus accedit, quo ſolent Reges ad bella procedere: cœpit Dominicâ Quinquageſimæ procedere Rex noſter, in fronte Apoſtolicæ cohortis, illud ſuum prædicens: *Ecce, aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur. Vexilla Regis prodeunt,* ad ſigna miles. Dominicâ primâ Quadrageſimæ pugnantem ducem videbimus, ter ab hoſte petitum, ter victorem: & quidem primus in ipſum impetus à Gaſtrimargiâ eſt, quam jejunio proſtravit: ſolicitatus ut è lapidibus panes creet, verbo Domini verboſum hoſtem avertit in fugam.

III. Primus hoſtis, intemperantia Gulæ.

Hic nimirum primus animæ hoſtis eſt, quem in Quadrageſima debellatum venimus. Jam pridem notatum: *Nabuzardan principem* Babylonicæ *militia*, à Nabuchodonoſore ad Hieroſolymam ſolo coæquandam relictum, apud 70. vocari ἀρχιμάγειρον, *principem coquorum*, ſeu præfectum menſæ Principali: ut intelligamus Viſionem Pacis, Templum Domini, Domicilium Spiritus Sancti, vaſtari ab intemperantia, adeoque hanc nobis eſſe exarmandam ſi tuti eſſe volumus. At non ita notum, quod Exc. 3. ad cap. 1. ſect. 3. num. 6. ex Gen. 37. adduximus: *Putipharem*, eunuchum Pharaonis, apud quem caſtitas, honor, vita, ſalus Joſephi periclitata ſunt, à Vulgata *principem militia* vocari, à 70. etiam ἀρχιμάγειρος. Ita nempe eſt: Chriſtiani, qui Joſephi eſſe debent, Accreſcentes, Revelatores Arcanorum, nuſquam magis periclitantur, quàm domi principis coquorum. Ab intemperantiæ habitu ad cætera vitia pronus lapſus eſt. Hanc intemperantiam geminâ acie per Quadrageſimam petimus, Abſtinendiâ & Jejunio.

IV. Sobrietas victrix.

Scripſit Prudentius libellum elegantem, cui titulus Pſychomachia, id eſt, Animi pugna. In ea fides primùm contra idololatriam certat, vincitque facili negotio: tum humilitas contra ſuperbiam: deinde caſtitas contra libidinem, patientia contra iram. Profligatæ fugiebant vitiorum acies: cùm ecce luxuria curru invecta, ebria, unguentis madens, totam pænè aciem virtutum, roſarum violarumque jactu, pluſquam baliſtarum fragore perturbatam, miſſura erat ſub jugum; niſi ſobrietas arrepta Cruce, Chriſti vexillo, hortata Chriſtianos rem reſtituiſſet. Ad profligatos Catholicorum mores reſtituendos, nullum Quadrageſimâ tempus aptius eſt: cùm ſobrietas agens ſub ſignis Abſtinentiam & Jejunium in luxuriam ducit, quæ Anticineralibus Bacchanali licentiâ apud multos egit, de Chriſtianis triumphabunda.

V. Bellum intemperãtiæ indicitur.

Tuba ipſa Joëlis monet Quadrageſimam militiam eſſe: *Canite*, inquit, *tubâ in Sion, ſanctificate jejunium, congregate cœtum*, &c. Adversùs iram Dei omnibus armis pugnandum eſt. Exarmaverimus Deum, ſi vitia exarmemus. Iſraëlitæ Machab. lib. 1. c. 4. *Exclamaverunt tubis ſignorum*, id eſt tubis ſignificantibus Dei voluntatem ac præceptum. Tubâ nobis canitur à Joële, ut ſignificetur nobis à Deo bellum adversùs intemperantiam indictum, & vocatos ad arma omnes, qui ſub ſignis merent. Retrò ire non licet: Dei præceptum eſt, atque utinam obſervetur meliùs, nec tam de facili gratia legis fiat, aut occupetur. Diceres jam vix ullis indictum eſſe jejunium, quàm qui per paupertatem non jejunare non poſſunt. At ſciant iſti delicatuli, à Juda, 2. Mach. 13. militibus indictum jejunium victoriæ teſſeram fuiſſe: *Hæ*, inquit Tert. lib. de Jejunio, *ſunt vires jejunantium, cœlum pro illis militat.* Rari inter Chriſtianos victores, qui non jejunatores. Vide quædam hoc ipſo capite ad verſum 13.

VI. Concionator bellat.

Te potiſſimùm reſpicit illa belli indictio, Chriſtiane Concionator. Tibi è ſpecula inclamat Iſaïas, cap. 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Tubicen es, miles es, dux es, *argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina*: pete vitia, non vitioſos: nec time, ne quis tibi ſuccenſeat, *niſi qui de ſe antè voluerit confiteri*, ut ajebat in ſimili Salv. 4. de Prov. Sagittarius es: ſcopum pete: ſi quis te inſcio poſt illum lateat, ipſe ſibi imputet. Iram peto, iracundum pingo, fumoſum, contumelioſum, rixoſum: heus tu, inquit, aliquis è turba, tu me. Ego verò in ſcopum intendo, ut quid ſub illo lates? In ſuperbiam jaculor: Oculos ſublimes, frontem erectam, verba Thraſonica carpo: & tu mihi, inclamat alter, convitium publicè facis. Ego, inquam, ad ſcopum collimavi: tuum erat ibi non adeſſe. Ebrietatem configo: matutinos cœtus, veſpertinas compotationes, collegia bacchantium noto: hic equidem vapulo, inquit ille in angulo potor. Nec de te ſanè cogitâram, niſi te proderes: ſcopum configebam, cur te ſcopum feciſti? Juvenem libidinoſum pingo: cujus oculi, ut araneæ, venenum è floribus legunt: manus, ut ſcarabæi, ſemper in fimo: imaginatio, ut corvus Noëmi, ſemper in cadaveribus. Certè tu me hic petis, inquit delicatulus. Egóne te, qui neque quis ſis novi? Ad ſcopum jaculabar, te ſcopum eſſe neſcieram.

VII. Hortandi ad militandum Chriſtiani.

Ita perge Quadrageſimam totam. Tempus pœnitentiæ eſt: pœnitere quis poſſit, ſi crimen neſciat? At quàm multi, hodiéque, neſciunt, niſi doceantur? Mone, inſta cum Eccleſia: *Utamur ergo parciùs Verbis, cibis, & potibus, Somno, jocis: & arctiùs Perſtemus in cuſtodiâ.* Audin' Eccleſiam etiam excubias indicentem ſolitò frequentiores, & excitatiores? Adeò & judicio Eccleſiæ, Quadrageſimæ tempus Militia eſt. Et quidem, quomodò militiæ ſilentium & ſecretum in tempore neceſſaria ſunt, cibi ac potus abſtinentia militibus frequens, ſomni

breves,

breves, vigilantia perpetua. Ita Eccleſia ſubditis ſuis verborum, jocorum, ciborum, potus, ſomni parſimoniam hoc militiæ Chriſtianæ tempore commendat. Et tu, Chriſtiane Orator, inculca, urge, inſta. Imperatorum erat olim ſuos ad pugnam adhortari: te Imperator noſter Chriſtus vicem ſuam implere jubet: fac ita horteris, ut milites, & belli magnitudo, & Imperatoris tui dignitas poſtulant. Fecêre ante te alii, in iis Bernardus cujus hæc verba ſunt, ſerm. 5. de Quadrag. *Hodie, dilectiſſimi, ſacrum Quadrageſimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Chriſtianæ.* Ecce longè ante me Bernardo Quadrageſima, militia eſt. De militia Chriſtianâ ſi plura voles: reperies apud Chryſoſt. homilias duas, quas huc transſcribere nec conſilium neque animus fuit. Habet etiam Auguſtinus utillimum de Agone Chriſtiano libellum, qui ſcriptus ineruditis, perplacet eruditis. Auctor non malus, apud S. Aug. t. 9. p. 2. librum ſcripſit de vitiorum ac virtutum conflicto: videtur monachus Benedictinus fuiſſe, idque colligo ex cap. poſtremo. Tota Baſilii Magni præfatio in Aſcetica, eſt de ſpiritali militia. Scripsêre & recentiorum aliqui benè longos de militia Chriſtiana tractatus. Eos, ſi placet, conſules: nos hîc interim ſcribendo ſervabimus, quod dicendo conati ſumus cum Auguſtino, tract. 6. in epiſt. Joan. *Melius eſt ſervare reliquias, quàm onerare corda nimio cibo.*

EXCURSUS II. MORALIS

Ad C. 3. *v.* 46. Congregati ſunt, & venerunt in Maſpha, quia locus orationis erat in Maſpha, &c.

Oratio ad Deum fons eſt bonorum, malorum remedium.

SECTIO PRIMA.

Efficacia Orationum.

I. Remedia malorum quærenda. IN Excurſibus ad caput primum varia de cauſſis bellorum, calamitatumque omnium publicarum, ediſſeruimus: quibus lectis, mihi quis ingerere poſſit illud ex Aug. ep. 29. *Cùm quidam ruiſſet in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet ne moreretur, quàm ſuffocaret ne loqueretur, acceſſit alius, & eo viſo miſerans, ait: Quomodò huc cecidiſti? At ille: obſecro, inquit, cogita quomodò hinc me liberes, non quomodò huc ceciderim quæras.* Multa de miſeriarum noſtrarum cauſſis diſputas, quin tu potiùs remedia exponis? Inquiris, quomodò præcipitaverimus: admove potiùs ſcalas, ut exſurgamus.

II. Duplex eorum genus. Id etiam præſtare animus eſt, ubi occaſio feret. Et quò ordinatiùs loquamur, remediorum genera bina comperio, qualia à medicis nuncupantur: Anodyna, ſeu lenitiva; & Alexipharmaca, ſive curantia. In bellis, dolorem ſenſumque calamitatum lenire poſſunt conſiderationes variæ, ex fide aut ratione ductæ: quales jam olim Conſolatio philoſophica Boethii ſubminiſtrat: nuper idem fecêre, parentum noſtrorum ætate, Lipſius Latino de Conſtantia libro, Værius Gallico. Ejuſmodi fomenta dolorum locis ſuis hinc inde reddemus, per varios Excurſus. Alexipharmacum ſeu efficax removendo malo remedium, niſi ab Deo orationibuſque, nullum eſt: quod modò demonſtrabimus. Deo enim gratiæ, ſpes etiam nobis ſupereſt impetrandi cælitùs boni illius, de quo non malè ſcriptores Ethnici Silius, & Seneca: *Pax optima rerum, Quas homini noviſſe datum eſt. Pacem reduci velle victori expedit, Victo neceſſe eſt.* Eccleſiæ Catholicæ fit quod Cic. 5. in Verrem Syracuſis ait contingere, ut dies nullus quantumvis ater illic abeat, quin Sol videatur. Nulla tam horrenda Catholicis incumbit tempeſtas divinæ juſtitiæ, ut miſericordiæ obtinendæ fiducia non effulgeat.

III. Orationes non ſunt inutiles ad bona impetranda. Quanti ſint orationes in malis publicis indicabimus ſectione ſextâ Excurſus hujus, & poſtmodùm Excurſu ad cap. 14. ſect. 2. Nunc ſat fuerit generatim exponere, quàm ad omnia ſint efficaces. Increduli homines, convellendæ ſuæ fiduciæ, objiciunt: Immutabilem Deum eſſe: fixum manere, quod ſemel decrevit: orari homines, vel ut voluntatem concipiant, quam non habent; vel ut vertant, quam habent: in Deo hoc nefas eſſe ſuſpicari. Itaque fruſtra eſſe orationes: cùm equidem, fiant necne, eventura ſint, quæ Deus ſemel effatus eſt. Sed fatiloquis iſtis jam pridem Auguſtinus, Gregorius, & alii reſpondêre. Ille ep. 107. ad Vitalem Pelagianum de orando pro incredulis: *Deus, ut omnia opera ſua futura in prædeſtinatione præſciverit, ſic illa diſpoſuit, ut quoſdam non credentes ad fidem ſuam, orationes credentium pro eis exaudiendo, convertat.* Greg. 1. Dial. cap. 8. *Quæ Sancti viri efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur.* Deus ergo non mutat, ſed facit ob preces prævisas, quod facturus non erat, ſi preces defuiſſent. Probat ſententiam ſuam Greg. ex Gen. 25. *Conſtat, quia prædeſtinatio precibus impletur: quando is, in quo Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinaverat, oratione obtinuit, ut filios habere potuiſſet.* Vide & D. Th. 2. 2. q. 83. art. 2. ubi dicit, ab æterno diſpoſitas rerum omnium cauſſas, non tantùm effectus.

IV. Certa illarum efficacitas in impetrando. Non ergo inutiles ſunt ad flectendam Dei voluntatem, ac bona impetranda orationes. Imò ad eum finem ita efficaces ſunt, ut certò, & infallibiliter effectum ſuum ſortiantur, ſi debitæ conditiones non deſint. Qua de re à Chriſtiano

dubitari non poteſt, non modò ſine temeritatis infamia, ſed nec ſine turpi infidelitatis nota. Temerariæ impudentiæ eſt, Patrum terminos tranſgredi, & eorum communi contraire ſententiæ. Uni quidem atque alteri, ubi ratio exigit, modeſtè refragari liceat: illorum enim nullus de ſe irrefragabilis eſt, ne Auguſtinus quidem, nec ſi quis alius ad æquale faſtigium auctoritatis aſcendit. At ubi vel univerſi, vel pars longè maxima, ad idem ſentiendum docendumque conſpirant; non aſſentiri, effrontis contumaciæ eſt; contrà niti, præfidentis & inſolentiſſimæ ſuperbiæ. Atqui Patrum omnium, quicumque de oratione ſcripsêre, aut dixêre, vox una eſt: orationi vim ad impetrandum certam eſſe, & efficacem, ex quo præſertim Chriſtus affuit, orationis doctor, & interventor. Congerere nolo dicta plurima ſingulorum: tres ſint pro omnibus.

V. Dei vincula ſunt.

Dionyſius cap. 3. de div. nom. ut efficaciam illam populari ſimilitudine pingat, quod de facundia olim quiſpiam, idem ait de oratione: inſtar eſſe catenæ ingentis, quæ cælum connectat terræ, & Deum ad nos trahat, vel potiùs nos ad Deum ſublevet. Quod etiam agnoviſſe videtur tota Hebræorum antiquitas, cùm orationem vocavêre *Thephilah*, à radice *Taphal* quod eſt *copulare*, quia per illam Deo anima conjungitur, aut Deus ad animam trahitur. Et ſacer cantor Cant. 4. eódem reſpeaiſſe videtur, cùm Deum ſponſi nomine inducit dicentem piæ animæ, ſub perſona ſponſæ: *Sicut vitta coccinea labia tua*: labiis tuis, id eſt precibus, ſicut vittis, iiſque cocco rutilæ caritatis intinctis, me colligatum tenes.

VI. Et arma generis utriuſque.

D. Ephrem lib. de Panoplia, explicans illud pſ. 17. *Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea: quaſi dicat*, inquit, *oratio, quam protenſis brachiis ad te fundo, inſtar eſt ſagitta, quæ rectà ad cor tuum paternum fertur, illúdque penetrat, & ſuavem tuam miſericordiam expugnat.* Neque abs re obtinuit vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudo, ut ſacerdotes in Sacro diductis brachiis & extenſis manibus orent, & exhibeant velut arcus nervum intentum: deinde ad clauſulam conſuêtam orationis, *Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum*, flexo ad Crucifixi imaginem, quæ ideò ſemper expoſita eſt, capite, ac junctis manibus, velut ſagittam emittant. Neque arcus modò eſt oratio, expugnandæ Miſericordiæ divinæ: ſed etiam ſcutum, excipiendis & infringendis Juſtitiæ telis. Sapiens teſtis eſt cap. 18. ubi agens de ira Dei in populum Judaicum, Num. 16. Aaron, inquit, *proferens ſervitutis ſuæ ſcutum orationem, reſtitit iræ Dei.* Ob eamdem cauſſam initio naſcentis Eccleſiæ D. Jacobus, quem Minorem vocamus, dictus eſt ab Hebræis *Oblias*, ſeu *Ophlias*, id eſt *murus & præſidium* populi: aut *Obilam*, quod quidam explicant, protectionem & ſcutum: quia populum precibus tegebat, adversùs vindictæ divinæ ſpicula vibrantia.

VII. Item clavis bonorum omnium.

Nec minùs eleganter, ac verè, Aug. ſerm. 226. de Tempore: *Oratio*, inquit, *juſti clavis eſt cæli, aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio.* Quod probat hiſtoria vetere, eoque validiore, quò notior eſt: *Clavis cæli fit ſermo Eliæ: jubet enim, & clauditur cælum: orat, & aperitur.* Unam hiſtoriam recenſet Auguſtinus: at ubi mare fiſſum, flumina conſiſtentia, Sol & Luna medio curſu detenta, rupes liquentes, ſepulcra aperta? Quid autem numeremus, quod numerari non poteſt, niſi ſperemus ſummam nos inire poſſe omnium miraculorum, imò gratiarum omnium à Deo hominibus conceſſarum? Quæcumque tandem ſunt Chriſtianis divitiæ beneficiorum corporalium, quæcumque opes ſanctitatis & bonorum ſpiritualium, de theſauro Dei depromptæ ſunt, & theſauri illius clavis fuit oratio. Auguſtino etiam hoc demus, nullum eſſe in cælis Sanctum, niſi vi orationis: ita enim loquitur lib. de Eccl. dogm. *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire: nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari: nullum niſi orantem, auxilium promereri.*

VIII. Efficaciæ fundamēta tria.

Hanc auream clavim, qua in ſecreta aulæ cæleſtis ſecurè penetrare licet, Chriſtus ad mortem diſcedens Apoſtolis reliquit: quomodò parens peregrè profecturus caris filiis, quibus fidit, dat claves apothecarum, & ciſtarum. Verba Chriſti ſunt Joan. 16. *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis.* Iis verbis fundamenta omnia efficacis orationis continentur: eaque ſunt, ut Chriſtianus poſthac de efficacitate, ambigere nequeat, citra fidei noxam, & divinæ veracitatis injuriam. Fundamenta autem tria ſunt, quorum unicum ſufficere potuerat. Primum eſt, promiſſio divina, iis verbis: *Amen amen dico vobis.* Alterum, Dei benignitas & liberalitas: *Si quid petieritis Patrem.* Tertium, Chriſti merita, ac potentia: *In nomine meo.* Iſthæc expendemus: ac deinde quæſtionem brevem, nec abs re, proponemus ad extrema ſententiæ verba, *dabit vobis.*

IX. Quoties promiſſus à Deo effectus orationum?

Ut promiſſio ex merito ponderetur, tria conſideranda ſunt, quoties promiſerit, quomodò, quis? Toties promiſit nos impetraturos quod petemus, quoties pollicitus eſt, non confuſum iri ſperantes in ſe. Orari enim ſine ſpe non poteſt. At quot locis Scripturæ nobis inculcatur efficacia ſpei? Ut jure Gregorius dicere potuerit, Scripturam univerſam à Deo exaratam animandæ hominum fiduciæ. Sed hæc de ſpe conſideratio alterius loci eſt. De oratione privatim, præter dicta à Chriſto, quando monet orandum, & ſemper quidem, & docet modum orandi: tria ſunt loca præcipua, ubi diſertè pollicetur futurum, ut precando omnia impetremus. Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.* Et ne quis ſpei timidæ dicat duos ibi poni, non unum ſolummodò: reſpondebit Auguſtinus, intelligi de corpore & anima, conjunctim orantibus. Meliùs reſpondeat Chriſtus ipſe Luc. 12. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.* En omnem, qui petit, accipientem, non duos tantùm ſimul. Expreſſiſſima omnium, & fortiſſima promiſſio iſta eſt. *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis.*

X. Promiſſio Chriſti jurata.

Aug. tract. 41. in Joan. explicans illud cap. 8. *Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; de emphatica particulæ iſtius geminatione ſic loquitur: *Amen amen veritas dicit: & quale eſt Domini noſtri dicere, amen amen dico vobis? Multùm commendat, quod ita pronuntiat. Quodammodò, ſi dici fas eſt, juratio eſt, Amen amen dico vobis.* Affirmari tantùm à nobis voluit Chriſtus, quæ dicimus, aut negari: ſit ſermo veſter, *Eſt eſt, Non non.* Ipſe tamen noſtrâ cauſsâ, ſimplici affirmatione non contentus, præponit *Amen amen.* Ecquid, inquit Tertullianus, lib. de Pœnit. fælices ſumus, quod etiam jurare non dedignatur Chriſtus, ut fiduciam noſtram excitet? Sed nonne miſerrimi, ſi adhuc auditis illis vocibus diffidimus? *O beatos nos quorum cauſâ etiam Deus jurat: miſeros, ſi nec juranti Deo credimus!*

Et Deo

Digitized by Google

XI. *Quis promittat.*

Et Deo quidem, non per hominem aliquem ab ſe delegatum, aut per Angelum juranti: ſed per filium ſuum. Si Angelus nobis Dei verbis quidpiam promiſſurus adveniat, eumque ſciamus à Deo miſſum, nec tamen credamus; meritò, ut Zacharias D. Joannis pater, obmuteſcere cogemur. Si Prophetam pollicentem, aut comminantem non audiamus, quomodò Eliam Achabus, Saül Samuelem non audiêre; jus erit, ut idem in nos, quod in illos, ſtatuatur. At Deus *multifariàm, multiſq; modis, olim loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in Filio.* Non per procuratorem nobiſcum amplius, ſed per ſemetipſum ſtipulatur. Nec promiſſo contentus, ſcribi jubet per tabellionem ſuum fidiſſimum: & *ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* Promiſſum ſanguine proprio obſignat: ea enim verba in itinere ad hortum Olivarum protulit, pridie mortis ſuæ. Deinde cavet nobis, honore ſuo & nomine. Quid enim Deo honoris, ſi promiſſa non ſervat? Numquid infidelis dicetur, aut impotens? Promittit Nechao Ægyptius Sedeciæ Regi auxilium, contra Babylonium Regem: non præſtat. Quid de illo ſermonum? Infidum eſſe, invalidum, vanum oſtentatorem ac promiſſorem, baculum arundineum, undique inclamatur. Similiſne eſt Deus filio hominis, ut polliceatur, & non faciat; vel quis difficultas occurrit, quam expedire non poteſt; vel quia non conſtat fides?

XII. *Indignum promittenti non fidere.*

Salvianus lib. 4. ad Eccleſiam, incredulos Chriſti de eleëmoſyna promiſſis Chriſtianos vehementer urget, comparationibus familiaribus, quæ huic etiam de oratione materiæ optimè conveniunt. *Si tibi quicumque ex cauponibus aliquid promitteret, fidem promittenti non abnegares. Si mutuum aliquid propola, aut ſalſamentarius poſtularet, redditurum eum non diffideres. Mendacibus denique atque perjuris, cautione facta, & dato fidejuſſore res creditur. Chriſtus tibi & fideliſſimam cautionem, & fidejuſſores optimos dedit: cautionem ſcilicet Evangelium, fidejuſſores Apoſtolos ſuos. Et, ſi id parum eſt, Patriarchas, Prophetas, Martyres ſuos, totam denique divinarum ſeriem literarum. Et non credis ei, nec fidem commodas? Quem, rogo, tam prodigum inter homines, & tam miſerum invenire poſſis, cui fidem tot fidejuſſoribus denegares?* Eſto ſit Abſalone pejor, perjurus magis quàm Achan, magis intelligens propoſitiones quàm Antiochus, magis proditor quàm Alcimus, non majoris fidei quàm Tryphon: quod tamen illi non dabis, idoneo fidejuſſori daturus es. Et tot pignoribus caventi Chriſto non credes?

XIII. *Fidendum Bonitati divinæ.*

Faciamus tamen non promiſiſſe: ſola Bonitatis ac Liberalitatis divinæ cognitio nobis ad fiduciam deberet ſufficere. Non promiſit Abraham peregrinis, eos à ſe acceptum iri hoſpitio: ſciunt tamen hoſpitalem viatores, & ad eum ſpe illa nixi divertunt. Non promiſit auxilium Job oppreſſæ viduæ, & orphano: quia tamen ſciunt id ipſi conſuêtum, fidunt, accedunt. Nihil pollicitus eſt Tobias ſociis exilii Ninivitani Iſraëlitis: ſciunt tamen ab illo invitari ſolere pauperes diebus feſtis: itaque pleni fiducia undique advolant. Nulla ſeſe ſponſione obſtrinxit Machabæus noſter, ad juvandos tribules ſuos: convolant tamen undique, quia nôrunt fortem viribus à juventute ſua, & bono publico optimè affectum. Ut nullâ ſeſe pollicitatione Deus obligaverit ad preces noſtras audiendas: nonne tamen nôſti, ipſum eſſe Deum, *à quo bona cuncta procedunt,* uti hodie loquitur Eccleſia?

XIV. *Pater eſt.*

Non audis *Patrem* eſſe? Eâ enim voce Chriſtus ex deſtinato utitur: *Si quid petieritis Patrem.* Non dicit ſi quid rogaveritis Dominum, Creatorem, Conſervatorem, Adonai, Jehova, El, Tſaddai, Jah; non illum nobiliſſimum Dei titulum, *Qui eſt*, commemorat. Sed nomen accipit dulciſſimum & bonitatis ſignificantiſſimum, *Pater.* Nec dicit *Patrem meum*, ſed *Patrem* abſolutè: ut oſtendat noſtrum eſſe patrem, &, cùm aliquid petimus, poſtulare nos oportere bonorum filiorum affectu. Item ut intelligamus, eum eſſe excellenter & antonomaſticè patrem, qui amore planè ſingulari liberos complectatur, nec deſerat etiam derelictos à parentibus. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* pſ. 26.

XV. *Et amat: ergo dabit poſtulata.*

Ne quis tamen puſillæ fiduciæ, & nigri cordis homo, objiciat: pater & mater interdum liberos abjiciunt, aut ſaltem non admodùm curant, immorigeros & refractarios. Ego verò, quoties Deo inobediens fui, quàm ingratus, ac rebellis! Et non timeam ne rejiciar? Audeámne pleno ore me filium dicere? Audi, Chriſtiane fidei nimis modicæ, occurrentem formidini tuæ lymphaticæ Chriſtum ipſum. Præviderat fore, qui iſta objicerent. Itaque ſubjicit mox hanc ſuaviſſimam ſententiam: *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amáſtis, & credidiſtis, quia à Deo exivi.* Te Petre amat, licèt præfidentem: te Jacobe & Joannes, licèt ambitioſum: te cœtus omnis Apoſtolice, licèt contentioſum, & nondum caritate impletum per Spiritus Sancti infuſionem: te Apoſtolorum diſcipule, licèt vitioſum, licèt peccatorem. At nonne Chriſtum amas? Nonne peccata tua tibi diſplicent? Tibi ergo etiam dicitur: *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amáſtis, & credidiſtis.* Jam expende parabolas Chriſti, Luc. 12. de amico, & patre. Fideres amico, & patri: non fides Deo, quem audis ex ore veritatis patrem tuum eſſe, nec patrem tantùm, ſed patrem amantem?

XVI. *Quid eſt, petere in Chriſti nomine.*

Maximè cùm illum urgeas in Chriſti nomine, quod tertium eſt efficacis orationis fundamentum: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* In nomine Chriſti peti putat Greg. hom. 17. poſt Aug. tract. 102. in Joan. quando petuntur ſalutaria: *Neque enim petitur in nomine Salvatoris, quod non pertinet ad rationem ſalutis.* Hinc forſan Eccleſia in oratione, quæ Dominicâ quintâ poſt Paſcha recitatur, poſtulat à Deo, ut nobis tribuatur *deſiderare quæ recta ſunt, & deſiderata percipere.* Alii dicunt peti in nomine Chriſti, quando ab hominibus oratur tamquam Chriſti legatis: ſed ea ratione non tam homines orarent, quàm Chriſtus ipſe, cujus illi eſſent legati. Verum quidem eſt, Chriſtum pro nobis orare, & per præteritionem intelligendum, quod ſubdit in hoc Evangelio, *Non dico vobis, quia rogabo Patrem pro vobis:* ſed & nos ipſi pro nobis orare debemus. Vera itaque eſt explicatio Cyrilli lib. 11. c. 7. & Chryſoſt. hom. 78. in nomine Chriſti nos petere, id eſt, uti interventu ejus apud Patrem: dilectionem ejus, merita, poteſtatem patri repræſentare. Conſule, ſi lubet, Toletum Annot. 29. in cap. 16. Joannis. Et adverte modum iſtum orandi præfiguratum Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi.* Chriſtus eſt altare de terra, Deus homo, cui victimæ noſtræ imponi debent, ut æterno Patri placeant. Ita Greg. 3. Mor. c. 20. Iſaiáſque illuc alludere videtur, c. 56. *Victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo.* Reſpexit etiam eò Joannes Apoc. 8. cùm dicit *de orationibus Sanctorum*, poni *ſuper altare aureum incenſa*

multa

multa. Eódem ſpectant oſculationes altaris in Miſſis: & thuriſicationes in Sacris ſolennibus.

XVII. Eccleſia per Chriſtum petit. Hoc ergo ſeoſu Eccleſis, in omnibus orationibus ad Patrem, pro clauſula addit, *Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.* Et in rogationibus, poſtquam Sanctorum nomina & interventum ad Deum interpoſuimus, denique omnia claudimus ſolenni epilogo, *Per Dominum.* Notat Salmeron tomo 9. tract. 71. dici, *Per Dominum*, non autem *propter Dominum*: ut indicetur, inquit, non tantùm propter Chriſtum, id eſt propter ejus merita peti, ſed etiam peti per illum, per quem nobis omnia præſtantur; qui velut canalis eſt univerſorum beneficiorum cæleſtium. Putârim tamen, potiſſimùm ſignificari illa particulâ argumentum per quod petimus. Magni intereſt ad impetrandum, quis petat, quid petat, ſed maximè per quid petat, ſeu quo motivo. Itaque flagitare ſolent mendici *per Deum*; & hoc potiſſimùm à Chriſtianis miſericordibus in largienda ſtipe attenditur. Attendit maximè Deus, quas nos rationes ponamus in libello noſtro ſupplici. Una eſt pro omnibus, quòd per Chriſtum petamus: non, ut olim, *per Abraham ſervum tuum, & Iſaac dilectum tuum*, ô Deus: ſed per merita Filii tui, ſanguinem ejus, amorem veſtrum mutuum. Illa nobis dedit, & tibi à nobis exhiberi voluit, cùm dixit, *In illo die* Eccleſiæ, *in nomine meo petetis*: Et *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

XVIII. An efficax ſit pro aliis oratio. Quid autem illud eſt *Dabit vobis*? An ſolùm efficax eſt oratio, quando pro nobis petimus, non quando pro aliis? Ita putat Aug. tract. 102. in Joan. qui habetur in Officio Dominicæ 5. poſt Paſcha. Et D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 7. ad ſecundum, inter conditiones efficacis orationis numerat, ut *pro ſe* quis oret. Ratio illorum eſt, quod Chriſtus dicat, *dabit vobis*, non autem, *dabit aliis.* Sed facilè reſpondeatur, eo loquendi modo indicari, cujus cauſsâ aliquid detur. Orat Joab pro Abſalone Davidem: hic dicit, Do tibi Abſalonem, id eſt, propter orationem tuam do Abſaloni. Cæterùm orationes noſtras, etiam pro aliis viventibus eſſe efficaces: nam de mortuis alia eſt ratio, cùm juſtitiæ divinæ ad plenum ſatisfacere debeant, aut potiùs ſatiſpati, ſi pro illis non ſatisfit. Efficaces ergo pro aliis eſſe orationes, probat valido argumento Toletus ex 1. Joan. 3. *Hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.* Cui ſententiæ hæc ſubditur, de oratione pro aliis: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum, & non ad mortem, petat, & dabitur ei vita*, &c. ſed hoc de argumento plura dicentur cap. 3. libri ſecundi. Accedamus itaque fiduciâ erecti ad Deum, non in meritis noſtris, ſed Chriſti. Gen. 27. ubi veſtimentorum Jacobi fragrantiam ſenſit Iſaac, protinùs illi benè precatus, *Ecce odor filii mei*, &c. Chriſti veſte purpurea, ſanguine ejus, nos induamus, odore virtutum ejus nos obvolvamus, & exſpectemus liberalem à Deo Patre, ab antiquo dierum, benedictionem. *Domine, quid eſt homo, quòd memor es ejus? Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos?* Oratio mea talibus auribus indigna eſt, & facies mea indigna tam puris oculis. Sed dignus eſt ille poſtulata noſtra impetrare, cujus tibi merita exhibemus: dignabitur nos audire Bonitas tua paterna, & Fidelitas tua in promiſſis, quam imploramus.

SECTIO SECUNDA.

Cur ſæpè orationes ſint inefficaces?

I. Afflictionũ utilitas. APUD Spondanum anno 1536. Catharina Angliæ Regina, quam Henricus VIII. Angliæ Rex repudiavit, utramque fortunam experta, ſed magis ſiniſtram, ſolebat dicere: Si optio daretur è tribus, mediam ſe malle fortunam, quàm leniſſimam vel aſperrimam: ſi alterutra harum eligenda foret, malle aſperrimam. Infælicibus enim vix deeſſe conſolationem; fælicibus ferè deeſſe mentem. Potuit id ſapiens & pia Princeps tum experimento ſuo didiciſſe, tum, ut docta & in linguis verſata erat, ex Seneca deſumpſiſſe, epiſt. 94. *Quaſi iſta inter ſe contraria ſint, bona fortuna, & mens bona: ita meliùs in malis ſapimus, ſecunda rectum auferunt.* Eam nos calamitatum utilitatem ſparſim variis locis per Commentaria, & Excurſus digerimus.

II. Orandum tamen ut liberemur. Si ergo tanta eſt illarum utilitas, quorſum orem Deum, ut liberer? Ora omninò, & flagita ut libereris, donec tibi conſtet Deum id nolle, nec tibi expedire. Si enim ægro medici vocandi ſunt, medicamenta adhibenda quantùm poteſt, quamdiu de ſanitate ſperatur, eamdémque in formam de aliis calamitatum generibus: multò magis ad orationes confugiendum eſt, quandoquidem remediis omnibus efficacia ex Deo proveniat. Deliberas? Adi conſiliatorem prudentem; ſed priùs Deum. Litigas? Conſule Juriſperitum; ſed priùs Deum. Ægrotas? Advoca medicum; ſed priùs Deum, ne reprehendi merearis ut Aſa 2. Paral. 16. Scis à Deo eſſe omne datum optimum, & omne donum perfectum. Scis item oratione data optima, & dona perfecta efficaciter impetrari. Et quò magis credas, quæ contra eam efficacitatem objici poſſunt, univerſa proponam.

III. Objicitur difficultas. Idem enim dicere poſſimus, quod Gedeon, Jud. 6. Angelo apparenti, & pacem ac ſalutem honorificam impertienti: *Obſecro*, inquit, *mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, quomodò nos apprehenderant hæc omnia?* Si verum eſt, & experientiâ majorum comprobatum, adeſſe Deum ſeſe invocantibus: unde iſta in nos anniverſaria Madianitarum peſtis? Nonne cum Gedeone ſacrificavimus, & meliùs quàm Gedeon, carnem Chriſti, panem Angelicum, ubi nobis toties *Pax tecum* inclamatur? Nondum tamen poſt tot annorum ſuſpiria, ac lamenta, potuimus exſtruere aram, cui nomen fiat *Domini pax.* Quoties in Sacro dictum, *Agnus Dei .... dona nobis pacem: Domine qui dixiſti Apoſtolis tuis pacem relinquo vobis .... Eccleſiam pacificare digneris*, & alia ejuſmodi? Quoties in Litaniis repetiimus: *Vt Regibus & Principibus Chriſtianis pacem*, &c. *Vt cuncto populo Chriſtiano pacem largiri digneris?* Jam Jubilæa, Indulgentiæ omnes, quæ eo fine dantur. Jam publicæ preces indictæ, deinde tot privatæ, quibus à Deo petimus, ut hoſtium ſublatâ formidine, tempora noſtra ſint tranquilla.

IV. Difficultas augetur. Dic ægro, medicinam quamdam ipſi utilem eſſe, quam aliis non profuiſſe ſciat, & ipſe fruſtra tentârit. Dic mercatori, negotiationis genus quæſtuoſum eſſe, unde ipſe aliíque lucri nihil retulerint. Quid reſponſi accipies? Sit oratio medicina malorum, ſit negotiatio cum Deo ad permutationem bonorum. At quis fructus toties orantibus? Creſcit ex eo difficultas: quòd hæretici aliíque Infideles orant in publicis calamitatibus, & citiùs

quàm

Digitized by Google

quàm nos impetrare videntur. Vide bella inter Hæreticos, Suecos & Danos, Anglos & Batavos, quamdiu duravêre nuper, & modò duratura ſunt, præ longitudine bellorum inter Catholicos? Inde illorum in nos ludibria: & voces Fidelium gementium cum Pſalmiſta, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?* Nonne hîc igitur meritò cum Gedeone iteramus: *Si Dominus nobiſcum eſt, quomodò apprehenderunt nos hæc omnia?*

V. Objectioni reſpondetur.

En apertam querimoniam, & duplicem quidem: Cur Deus Fideles non audit? Cur Infideles audire videtur? Quid iſtis argumentis opponet prudens Chriſtianus, & credens ſimul verè omnia à Deo dici, & juſtè omnia à Deo fieri: adeóque verum eſſe quod dixit, orationes ſuorum eſſe efficaces: & juſtum eſſe quod facit, cùm orantes Fideles non audit, Infideles exaudit? An recurret ad quæſtionem noſtram, cur Deus malis ſæpe proſperam fortunam largiatur? Quâ de, Excurſu ad cap. 3. An reddet ſapientia Lactantii verba lib. de Ira Dei cap. 20. *Cur & qui peccant ſæpè fælices ſunt, & qui pie vivunt ſæpè miſeri? Quia fugitivi & abdicati liberè vivunt: & qui ſub diſciplina patris, aut domini ſunt, ſtrictiùs, & frugaliùs. Virtus enim per mala probatur & conſtat, vitia per voluptatem.* Dicétne quod Gregorius lib. 16. Mor. in Job. cap. 10. *Nonnunquam bona terrena juſtis ſubtrahi, quæ largo munere tribuuntur injuſtis: quia & deſperatis ægris medici, quidquid popoſcerint, dari præcipiunt; & eis, quos reduci ad ſalutem poſſe prævident, quæ appetunt dari contradicunt.*

VI. Extenditur reſponſio.

An contentus erit generali illa Auguſtini reſponſione lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Deus exaudit propitius, non exaudit iratus: & rurſus non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus: & rurſus non parcit propitius, & parcit iratus: & in his omnibus bonus perſeverat, & juſtus.* Quem ferè in ſenſum ep. 48. ad Vinc. *Non omnis qui parcit amicus eſt: nec omnis qui verberat inimicus. Meliora ſunt vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici. Meliùs eſt cum ſeveritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus moleſtus, ambos amat. Quis nos poteſt ampliùs amare quàm Deus? Et tamen,* &c. *Noveris aliquando furem avertendis pecoribus pabulum ſpargere; & aliquando paſtorem flagello ad gregem pecora errantia revocare.*

VII. Dei erga amicos conſuetudo.

Adverti etiam poterunt divinæ Providentiæ mores erga amicos; quos initio primùm duriùs, poſteà leniùs tractare ſolet, adverſiſque proſpera ſobjungere. Jer. cap. 30. v. 6. *Hæc dicit Dominus, vocem terroris audivimus, formido, & non eſt pax.* mox v. 10. *Non timeas ſerve meus Iacob, ait Dominus, & non paveas Iſraël, quia ecce ego ſalvabo te.* Ad quæ verba Hier. *Primùm triſtia annuntiantur, ut poſt malorum magnitudinem læta ſuccedant. Gratior quippe eſt ſanitas, ægrotatione depulſâ.* Quàm horribiles minæ intonant Amos c. 9. v. 9. *Ecce concutiam in omnibus gentibus domum Iſraël, ſicut concutitur triticum in cribro,* &c. At quanta ſobjicitur conſolatio, verſ. 11. *In illa die ſuſcitabo tabernaculum David quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerant inſtaurabo.* Sic & Chriſtus Matthæi 10. v. 7. *Tradent vos in Conciliis,* &c. mox verſ. 30. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite timere,* &c. Malachiæ 3. colloquium eſt inter homines modicæ erga Deum fiduciæ, & alios Dei conſuetudinem intelligentes. *Vanus eſt,* inquiunt illi, *qui ſervit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus triſtes coram Domino Deo exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: ſi quidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & ſalvi facti ſunt.* Poſt tam atrocia dicta probi commoti, querimoniam rationibus, ex fide petitis, conantur compeſcere: *Tunc locuti ſunt timentes Dominum unuſquiſque cum proximo ſuo.* Deus qui ubique præſens eſt, dicta omnia ſignavit: *& attendit dominus, & audivit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus.* Ad extremum ſententiam tulit in hæc verba: *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, ſicut parcit vir filio ſuo ſervienti ſibi. Et convertemini, & videbitis quid ſit inter juſtum & impium: & inter ſervientem Deo & non ſervientem ei.*

VIII. Cur auditus à Deo dæmon, non Apoſtolus?

Hujus loci reſponſio propria, & maximè energica eſt Auguſtini in pſ. 144. Primùm audientiam facit, velut rem magnam dicturus: *Attendite,* inquit, *fratres mei, magnum myſterium, diſcendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliviſcendum, propter abundantiam in hoc ſæculo.* Quid iſtud myſterii eſt? Pendemus omnes: expedi, ſi placet: habes attentos & avidos auditores. Legiſtis, inquit, aut audiſtis ſaltem quemadmodùm dæmon à Deo poteſtatem in bona omnia Jobi petierit & ſtatim impetrârit: deinde in ipſum ejus corpus? Scimus. Scitis etiam D. Paullum ab Angelo ſatanæ colaphizatum, & è variis ſententiis hanc eſſe veroſimiliorem, eo ſatanæ Angelo intelligi tentationes carnis, quas invitus patiebatur Apoſtolus: & quis non? Quid deinde? Etiam ſcitis à Paullo ter Dominum rogatum, ut tam dedecoroſo adverſario liberaretur, nil reſponſi tuliſſe, niſi, *Sufficit tibi gratia mea?* Poſteaquam eas hiſtorias auditoribus in memoriam reduxit Auguſtinus: *Quid,* inquit, *dicam? Revera comparandus Apoſtolus diabolo? Apoſtolus rogat, & non accipit: diabolus petit, & accipit.* Difficultatem audiſti: accipe ſolutionem. *Sed non accepit Apoſtolus, propter perfectionem ſuam: accepit diabolus, ad damnationem ſuam,* id eſt ad pudorem & confuſionem majorem.

IX. Idem de Fidelium & Infidelium oratione dicendum.

Hoc Auguſtini reſponſum rei noſtræ applicemus. Maximo tyranno contra Gratianum arma ſumente, orat Ambroſius, orant Catholici ómnes pro Chriſtianiſſimo Imperatore, qui etiam teſte idololatra hiſtorico Ammiano Mar. *per exempla electorum gradiebatur Principum.* Contrà Pagani, & homines dubiæ religionis, vota pro Maximo faciunt, irritati contra Gratianum, quòd Pontificatus Maximi inter Gentiles titulum, quem alii Principes Catholici non reſpuerant, renuiſſet. Unde vulgò Romæ tunc jactatum: *Si Gratianus non vult fieri Pontifex Maximus, Maximus Pontifex fiet.* Et verò hic Gratianum fugientem ad Lugdunum aſſequitur, & occidit. *Quid dicam? Revera comparandus Fidelis Infideli? Fidelis rogat, & non accipit: Infidelis rogat, & accipit. Sed non accepit Fidelis, propter perfectionem ſuam; accepit Infidelis, propter damnationem ſuam.* Idem dic de Saladino Antiochiam obſidente, & cum Turcis ſuis *Alla,* id eſt Deum inclamante: obſeſſis interim Deum vera fide ac cultu invocantibus; in quibus fortiſſimæ virgines religioſæ, quæ ſibi vultum abſciſſo naſo, poſtquam capta urbs fuit, dehoneſtaverunt, ne ſtuprarentur. Idem de D. Ludovico & Soldano Ægyptio. Idem de Philippo II. Hiſpaniæ Rege, & Eliſabethâ Anglâ. Idem de quotidianis aliis.

X. Conditiones efficacis orationis.

Sed quia hoc etiam reſponſum nimis generale eſt, colligitur preſſius aliud, & ſingularius, ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 15. Orationem non exaudiri, *quando vel orans ipſe, vel is pro quo oratur,*

vel ipſa

Digitized by Google

vel ipſa petitio, non placent exauditori. Defectus illos ex tribus capitibus notant quidam indices in S. Thomam, dicuntque eos haberi in reſponſione ad ſecundum argumentum. Sed revera iſthæc ibi non habentur: quæritque ſolùm eo articulo D. Thomas, *utrùm oratio ſit meritoria;* & ex occaſione meriti, quod orationi tribuit, quando ex religione oritur, per caritatem imperatâ, deflectit ad vim impetrandi, aitque *poni quatuor conditiones, quibus concurrentibus ſemper impetrat quod petit: ut ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeveranter.*

XI. Petuntur ex parte quatuor cauſſarum.

Clarè, ut arbitror, diximus, ideò orationes noſtras frequenter à Deo non audiri, quia bonæ non ſunt: bonas non eſſe, quia aliquid deeſt ex uns cauſſarum. *Bonum enim*, ut vulgò loquuntur Philoſophi, *ex integra cauſſa, malum ex ſingulis defectibus.* Bonum perfectum eſt; quod deficit, imperfectum, atque adeò malum. Si cauſſa efficiens, ſive is qui orat, malus eſt: ſi materia, ſeu petitio, aut injuſta, aut noxia, aut inutilis: ſi forma, ſeu modus, rectè non adhibetur: ſi finis vel æternus, vel temporalis ad æternum referendus non ſpectatur. Si peccator, ſaluti adverſa, oſcitanter & languidè, ad otium & voluptates uſurus, dona adpoſtulat: quid mirum ſi non auditur?

XII. Illarum defectu non impetramus.

Panacæam medicus, vel theriacam, vel bezoarium deprædicavit. Emis, & adhibes tibi, altetive: nullo tamen ſucceſſu. Occurris medico, & conquereris. At ille, ô bone, inquit, vel medicamentum non ſincerum, vel corpori non benè diſpoſito, vel non quomodò oportuit, ingeſſiſti. Aptè querulo illi dixerit medicus, quod alia occaſione agens de vi coërcendis hæreticis Auguſtinus ſcribebat ad Vincentium, epiſt. 48. *Numquid ideò negligenda eſt medicina, quia nonnullorum eſt inſanabilis peſtilentia?* Narrat idem Auguſtinus epiſt. 5. ad Marcellinum, de Vindiciano medico ſibi noto, qui *interrogatus à quodam, juſſit dolori ejus adhiberi, quod tempori congruere videbatur.* Æger idem poſt aliquot annos, ſimili dolore tentatus, medicamentum ſimile non vocato medico adhibuit. Nec tantùm non curatus eſt exinde, ſed etiam graviùs afflictus. *Miratus æger recurrit ad medicum, indicat factum. At ille, ut erat acerrimus, ita reſpondit: ideò malè acceptus es, quia ego non juſſi.* Ut adſtantes exiſtimarent eum magicis artibus uti, vimque medicamentis tribuere, quæ citra incantationes manerent otioſa. Sed mox rem aperuit, videlicet ſe illi ætati non fuiſſe juſſurum. Medicamentum deinde ægro anniſque conveniens admovit, eumque perſanavit. Morbo omni, tempori, ætati congrua medicina oratio eſt. Uti illâ ſummi, infimique, pueri juxta ac ſenes, privatis ac publicis in calamitatibus debent, ſed ex medici præſcripto: *quid enim infirmo ſit utile, magis novit medicus, quàm ægrotus,* inquit Auguſtinus apud Proſperum in ſententiis. Talis ſit oratio, qualem orationis commendator & legiſlator Chriſtus eſſe voluit.

XIII. Præſertim defectu cauſſæ efficientis.

Cauſſas illas conditionéſve quatuor examinabimus, ac primùm præcipuam, ſive efficientem. De qua in anteceſſum do, quod habetur Gen. 4. de Abele & Caino. Offert uterque convenientia ſibi munera, hic ex agricultura, ille de paſtoritio ſuo cultu: tam Caïn de frugibus terræ, quàm Abel de primogenitis gregis & adipibus eorum. Nec conſtat, quod aliqui dixêre, ab Caino deteriora Deo oblata, ab Abele meliora. Æqualitas ergo ex muneribus fuerit. Cur igitur *Deus reſpexit ad Abel, & ad munera ejus; ad Caïn verò, & ad munera ejus non reſpexit?* Sive, ut Theodotionis verſio habet, *ἐνεπύρισεν, inflammavit*? Unde traditio antiquiſſima apud Hebræos, igne cæleſti conſumpta munera Abelis: Caini oblatione intactâ & ſpretâ. Cur tanta in muneribus non diſparibus diſtinctio? Rationem reddit ipſe ordo verborum: *reſpexit ad Abel, & exinde ad munera,* quia ad Abelem innocentem & ſanctum reſpexerat. *Ad Cain verò non reſpexit,* hominem iracundum & invidum, & jam tunc ad fraterna odia inclinantem; & quia offerens indignus erat reſpectu, etiam oblata dedignatus eſt. Quid nos in ſecretis orationibus, cùm ante nos eſt Agnus ille, gregis Fidelium ductor, ſupra ſacrum altare? Petimus, ut munera noſtra, ſacrificia, preces, *reſpicere dignetur, & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus eſt munera pueri juſti Abel.* Ideo accepta habuit, quia juſtus erat, qui offerebat; addimus Abraham & Melchiſedech, utrumque juſtum ac Deo gratum. Volumus à Chriſto benedictionem accipere? Antè cum Propheta pœnitente, quomodò Leodii fit in Cathedrali templo, miſericordiam imploremus, & dicamus, *Cor contritum non deſpicies.*

SECTIO TERTIA.

Prima orationis conditio à cauſſa efficiente.

I. Peccatores interdum audiuntur.

SOLEBAT Bellarminus, ut in ejus vita narratur, amicis ſuis tria ſeriò perpendenda commendare: quid à me Deus expetit: quid ego à Deo: quod impedimentum eſt, ne utriuſque deſiderium impleatur? Alteram modò partem earum quæſtionum ponderamus: quod noſtrum ſit à Deo deſiderium, quod ejus impedimentum? Eccurnam quæ poſtulamus à Deo non obtinemus? Reſpondit promptè cæcus Evangelicus: quia peccatores ſumus: & *ſcimus quia peccatores Deus non exaudit, ſed ſi quis voluntatem ejus facit, Deus hunc audit,* Joan. 9. Reſponſo cæci ſtatim Theologus opponet D. Auguſtinum, qui 1. Retract. cap. 3. revocat, quod dixerat lib. 2. de Ordine: *Opera danda eſt bonis moribus: Deus enim noſter aliter nos exaudire non poterit.* Item D. Thomæ auctoritatem p. 3. q. 82. art. 2. in. corp. *Oratio malorum interdum exauditur, & fructuoſa eſt: vel propter devotionem eorum, pro quibus fit, vel in quantum fit in perſona Eccleſiæ.* Ita orans malus pauper pro bono eleëmoſynario aliquando impetrat. & Rogationes, ſupplicationes, preces publicæ, nomine Eccleſiæ, vel à malis factæ, ſæpè ſunt utiles. Et ratio hujus impetrationis Theologica reddi poteſt: quòd oratio impetratoria ſit, quia fide & ſpe plena eſt: fidem autem & ſpem habere peccator poteſt, quantumvis caritatem amiſerit.

II. Non ex merito, ſed ex miſericordia Dei.

Advertendum tamen, quod idem D. Th. habet 2. 2. q. 83. art. 16. *Oratio peccatoris in quantum ex bono deſiderio naturæ fit, exauditur ex miſericordia Dei, & non ex merito peccatoris.* Non itaque certò & infallibiliter efficax eſt. Aliter res habet in juſto orante; cui Deus debet, quod petit, ex juſtitia, quia ex promiſſo. Promiſſor enim, ſi promiſſum eſt acceptatum, neque à promiſſario remittitur debitum, exſolvendo eſt obſtrictus. Atqui Chriſtus nos impetraturos, quæ poſtularemus, pollicitus eſt: pollicitationem acceptavimus, ideò enim orando petimus, & facimus ut petitiones noſtræ in omni obſecratione innoteſcant apud Deum.

Deum. Quamobrem, ſi juſti ſimus, id eſt puri à culpa letali, dubium non eſt, quin ex ea parte efficax ſit oratio. Et hæc prima ejus conditio erit.

III. Sacrificiorũ in lege genera tria.

In Levitico, ubi ritus ac cæremoniæ ſacræ Judæis præſcribuntur, tria erant ſacrificiorum genera: Holocauſtum, nobiliſſimum genus, quod ferè ad agnoſcendam ſummam Dei creatoris poteſtatem fiebat, & agendas Deo gratias, adeoque erat Euchariſticum: quamquam & alia ſacrificia ad eumdem finem referri poterant. Alterum erat Propitiatorium, ſeu pro peccato, ad obtinendam à Deo remiſſionem culpæ, aut pœnæ illi debitæ. Tertium Pacificum, ſive Impetratorium, quod ad pacem, id eſt, bona varia à Deo poſtulanda offerebatur. Vulgò dicitur Chriſtus, & verè, hæc omnia ſacrificiorum genera in divino Euchariſtico recapitulâſſe, & in unum coëgiſſe. Eſt enim Holocauſtum, cùm totus Chriſtus offeratur, &, quantum ex vi ſacrificii eſt, conſumatur: ſimul Euchariſticum, ut ipſa vox ſonat, & cùm in eo paſſim gratiæ agantur ſupremo Numini. Eſt Propitiatorium pro peccatis, id eſt pro pœna præſertim peccatorum: nam non ſacerdos ſolùm, ſed etiam populus ſe ad illud comparat per confeſſionem. Eſt Impetratorium ad varias gratias: inde collectæ, ſeu collecto populo faciendæ orationes ad varia beneficia cælitùs, non pro ſpiritalibus tantùm rebus, ſed etiam pro temporalibus poſtulanda.

IV. In oratione Chriſtiana Deo exhibetur,

Quod de Euchariſtia dici ſolet, id ego non timidè orationi Chriſtianæ applicavero. Præit mihi Azarias, Dan. 3. in fornace, orationem ſuam appellans ſacrificium: *Sic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo, ut placeat tibi, Domine Deus.* Quid ais? Modò aſſerebas non ſupereſſe Templi locum, neque altaris, nec ſacerdotem, neque hoſtiam: & nunc de ſacrificio loqueris? Ita verò: nam oratio mea ad Deum, vice ſacrificii eſt. Eodem ſenſu eleganter Oſeas cap. 14. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, id eſt preces, quas vitulorum, aliorúmve animalium inſtar, Deo immolabimus. Quomodò autem ſacrificiorum tria fuêre genera, ita & orationum. Holocauſtum & Euchariſticum, quando ſeſe Chriſtianus Deo offert totum, agitque Deo grates de beneficiis acceptis: quod manè potiſſimum fit. Alterum propitiatorium: veſpere faciendum præſertim, in conſcientiæ Examine. Tertium Pacificum & Imperatorium: adhibendum maximè in audiendo ſacro, & cùm negotia urgent.

V. Immaculata ſit oratio ex corde puro,

Hoc autem in rem noſtram adverto ex Levitico, cùm hoſtia Pacifica offerebatur, deligendam fuiſſe abſque ulla macula ſive defectu: cap. 3. *Si hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, immaculata offeret coram Domino.* Vis bona à Deo impetrare, vis pacem obtinere, qui Pacificorum ſacrificiorum finis erat? Immaculatam orationem offer Domino, id eſt de puro corde & conſcientia munda. Audeáſne, inquit Auguſtinus, Deum vocare patrem, & orare, peccatis inquinatus? De ſerm. Dom. in mon. lib. 2. cap. 10. *Si quis plebeius ſenatorem grandioris ætatis ab eo ipſo patrem vocare permittatur, ſine dubio trepidabit, nec facilè audebit, cogitans humilitatem generis ſui, & opum indigentiam, & plebeiæ perſonæ vilitatem. Quantò ergo magis trepidandum eſt, appellare patrem Deum, ſi tantæ ſint labes, tantæq; ſordes in moribus?* Satage ergo ut filius dici merearis, antequam invoces patrem. Alioqui victima tua rejicietur, nec promiſſo te exaudiendi Deus tenebitur, ut ait Hieronymus in Zach. 10. *Neque enim ſponſor in crimine eſt, ſi ille cui repromittitur, indignum ſe fecerit ſponſione: præſertim cùm proponatur optio promittentis: ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: ſin autem nolueritis, gladius devorabit vos.* Fortiùs loquitur Tert. lib. de Oratione. *Quid enim eſt ad pacem Dei accedere ſine pace, ad debitorum remiſſionem cum retentione? Nec ab ira ſolummodò, ſed & ab omni confuſione animi debet eſſe libera mentis intentio, à tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt ſpiritus ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit à Spiritu Sancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à læto, aut impeditus à libero. Nemo adverſarium recipit.* Etiam nervoſiùs inſtat Salvianus lib. 3. de Prov. *Quæ ratio eſt, ut ſuſurremus à Deo non reſpici terras, cùm ipſi non reſpiciamus ad cælum? Et moleſtum ſit à Deo deſpici preces noſtras, cùm Domini præcepta deſpiciantur à nobis?* Idem lib. 4. de Provid. *Sicuti illi ſolent, qui munitiſſimas arces obſident.... Ita nos ad expugnandam miſericordiam Dei omni peccatorum immanium ſcelere, quaſi omni telorum genere: pugnamus, & injurioſum nobis Deum putamus, cùm ipſi injurioſiſſimi Deo ſimus?*

VI. Prophetæ de eo teſtimonium.

Fortius nihil dici poteſt, quàm ab Iſaia, Chriſti & Eccleſiæ, adeoque & malorum noſtrorum propheta. Cap. 59. *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Veli inſtar, & muri objectæ ſunt culpæ noſtræ, ne potentia & miſericordia Dei ad nos penetret. Ejuſdem capitis reliquum, uti & totum fermè caput primum, in eo argumento conſumitur. Deus disertè dicit odioſas ſibi fore orationes Judæorum: *Cùm extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationes non exaudiam.* Ratio: *manus enim veſtræ ſanguine*, id eſt peccato, *plenæ ſunt. Lavamini* ergo, & *mundi eſtote*, ſi vultis audiri.

VII. Bellorum cauſſæ peccata.

Nec mirum, orantibus ut hoſtes amoveantur aures à Deo non præberi, cùm ipſi cauſſas hoſtilium bellorum non amoveant. Nonne id ſatis Excurſu 5. ad cap. 1. probavimus? Quid fruſtra in exterioribus diſquirendis immoramur, ut malorum noſtrorum originem reperiamus? In nobis ipſis latet, niſi adulari malefactis noſtris velimus. 3. Reg. 18. ubi colloquium Eliæ cum Abdia narratur, relátu digniſſimum, dein cum Achab: poſtquam Achab dixit, *Túne es ille qui conturbas Iſraël?* Reſpondet intrepidè propheta: *Non ego turbavi Iſraël: ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini.* Occurrat nobis bellum furiæ inſtar: ſparſis vice capillorum ſerpentibus, oculis rabie ſcintillantibus, ſpumeo ore & anhelo, veſte ſanguineâ, manu unâ facem, alterâ enſem intentans, pedibus nudis & cruentis aras, imagines, calices, virgines, ſacros viros, ſacraque omnia conculcans. Dicamus illi quod Eliæ Achab: *Túne conturbas Iſraël*, Eccleſiam, Europam univerſam, Leodium, agrumque: qui dum hæc ſcribo, & in precibus quadraginta horarum in æde Lambertiana dico, fœdè ab externo milite vaſtatur? Si ergo ſic bellum interrogem, idem reddet quod Elias Achabo: *Non ego turbavi: ſed vos, qui reliquiſtis mandata Domini.*

VIII. Cauſſæ tollendæ, ut mala tollantur.

En malorum noſtrorum fontem. Vis remedium, petis, inſtas: & tamen cauſſam non tollis? Hydropi vis medicinam fieri: & ſemper potas? Diteſcere cupis: ſemper tamen prodigis? Honorari deſideras, & moleſtè fers ſi contumelia in-

fertur: identidem nihilominùs ridenda loqueris, & facis? Caſtigari non vis: & caſtiganda committis? Quid iſthoc aliud eſt, quàm alterâ manu panem oſtentare, aliâ lapidem librare? Plangimus inſanam priſci illius libidinem: qui cùm oculorum unum intemperantiæ profluvio amiſiſſet, & de altero amittendo periclitaretur, conſulto medico, auditoque, temperandum ſibi eſſe, ſi partem lucis ſervare vellet: pereat, inquit, mihi lux omnis, potiùs quàm voluptas. Partem ſuaviſſimæ lucis, ex miſericordia divina affulgentis, per peccata amiſimus: ſi peccare pergimus, de luce reliqua perdenda agitur, tantum abeſt, ut pacem ſperare debeamus.

IX. Peccata orantibus obſtrepunt. Accedit Joab occiſo Abſalone ad Davidem, 2. Reg. 19. geſtans forſan unam haſtarum, quas infixerat in corde Abſalonis. Gratúsne fuerit Davidi? Et qui filium Dei peccatis ſuis occidit, quantum in ſe eſt, Deóne gratas ſperet futuras orationes ſuas? Accedit ſupplex aliquis ad Principem: dumque exponere poſtulata incipit, obſtrepunt undique & obmurmurant aulici, hinniunt equi, latrant canes, ringunt ſimiæ, ganniunt vulpes. Qui fiet, ut Princeps audiat ſupplicantem? Preces noſtras Deo afferimus: canes, equi, ſimiæ, vulpes obſtrepunt: detractiones, invidiæ, injuſtitia, fraudes, diſſimulationes adulatoriæ, luxus, ſuperbia, aliaque vitia. Nonne ſcimus peccata in cælum clamare? *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ. Clamor Sodomorum aſcendit coram me.* Oppreſſio pauperum, viduarum, atque pupillorum, & merces operariorum defraudata clamare etiam in cælum dicuntur, ut ſapienter à majoribus noſtris pueri edocti ſumus. Clamat oratio noſtra: ſed nonne culpæ validiùs vociferantur? Ardet domus tua: invocas imbrem de cælo: tu tamen non modò aquam non affundis, ſed etiam flamas injicis? Meritò itaque tibi Iſaias idem occinat, quod Judæis cap. 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, ſuccincti flamis: ambulate in lumine ignis veſtri, & in flamis quas ſuccendiſtis.*

X. Iuſti pacem impetrant. A Gedeone ſtructa fuit ara, cui nomen *Adoniſalem, Domini pax.* Et verò pacem peperit illuſtri divinitus victoriâ: ſed poſtquam & ipſe Deo placitus, & peccandi occaſionem à domo paterna & vicinia omni ſubmovit, deſtructo altari Baalis, & tauris ejus occiſis. Quis ille eſt, quo de ſcribitur Joſue 11. & 21. *Quievit terra à præliis: Dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum civitates?* Filius Nun, rigidus recti cultor, & ſeverus exactor. Quinam illi ſunt, de quibus Pſalmiſta pſ. 98. *Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos?* Antè dixit, *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.* Moſes manus elevat orans, vincuntur Amalecitæ, Exod. 17. Aaron ſtat inter mortuos & viventes: ſiſtit peſtem, quaſi obice interpoſito, Num. 16. Samuel adverſus Philiſtæos Dei opem miraculo impetrat, 1. Reg. 7. Sed quales viri? *Cuſtodiebant teſtimonia ejus, & præceptum quod dedit illis.* Ezechias petit, audiente Iſaia, à Deo, Iſ. 39. *Fiat pax & veritas in diebus meis.* Quàm ſanctus, quàm ab omni graviori culpæ labe alienus, qui etiam ſerpentem æneum, ſeu Nehuſtan, poſtpoſitâ omnis populi offenſione, diſturbârit? D. Leo Attilam, Italiæ interiora ſpectantem, molliri neſcium, prædâ ineſcatum, cædibus aſſuetum, ab ſuis avertit. At quis Pontifex? Sed nos de Sanctorum & juſtorum orationibus plura poſtmodùm.

XI. Ex pœnitentes. Proxima innocentiæ pœnitentia eſt. Hanc adhibuêre, quibus proſperitas publica cordi fuit. Apud Baron. tom. 12. an. 1188. Henricus Rex Angliæ cruce ſignatus, ut iret in terram ſanctam, inter alia hoc ſtatuit conſenſu ſuorum: *Nullus enormiter juret: nullus ludat ad aleas aut decios: nullus poſt proximum Paſcha utatur vario, vel griſio, vel ſabellinâ, vel eſcarlettâ. Omnes contenti ſint duobus ferculis ex empto. Nullus aliquam mulierem ducat ſecum in peregrinatione: niſi fortè aliquam lotricem peditem, de quâ nulla habeatur ſuſpicio.* Apud eumdem Baronium an. 1180. patre mortuo Rex Richardus eamdem proſequens peregrinationem, *Meſſanæ in Sicilia in capella quadam, nudus ad pedes ſuorum Epiſcoporum procidens, non erubuit confiteri peccata ſua. Vepres enim libidinum aſcenderant caput ejus,* &c. Vix ullum illuſtrius pœnitentiæ, ad avertenda publica mala efficacis, exemplum produci poteſt, quàm quod de Roboamo, Semeia prophetâ, & Seſac Ægyptio Rege narratur, 2. Paral. 12. Ubi omnia expendenda veniunt; illa nominatim Prophetæ verba: *Vos me reliquiſtis, & ego reliqui vos in manu Seſac.* Tum verba Principum: *Iuſtus Dominus.* Et illa Dei: *quia humiliati ſunt, non diſperdam eos,* &c.

XII. Concluſio. Itaque ad caput redeundum eſt. Si impetrare velimus hoſtium depulſionem, patriæ ſecuritatem, de præteritis peccatis dolendum, à præſentibus cavendum, providendum in poſterum. Quos effectus à Deo ſpectari in calamitatibus publicis videbimus, Excurſu 2. ad caput 4. Firmandæ, inculcandæque veritati, hac ſectione propoſitæ, tres iterum teſtes audiamus. Lact. lib. de Ira Dei cap. 21. *Deus non thure, non hoſtia, non pretioſis muneribus, quæ omnia corruptibilia ſunt, ſed morum emendatione placatur: &, qui peccare deſinit, iram Dei mortalem facit.* Greg. lib. 9. ep. 45. ad Epiſcopos Siciliæ, de Longobardis aliiſque barbaris agens: *Quibus,* inquit, *reſiſtere virtute non poſſumus, lacrymis obviemus.* Tum ſubjicit: *Hortor, ut omni hebdomada, quartâ & ſextâ feriâ, Litaniam inexcuſabiliter indicatis* &c. Erat autem Litania ſupplicationis genus. *Sed ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantiùs ſtudendum eſt, ut voces actibus adjuventur. Nam manis fit oratio, ubi prava eſt actio.* Iſaias cap. 26. Soterium, aut epinicium canticum, ſic incipit: *Vrbs fortitudinis noſtra Sion Salvator ejus, ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abiit, ſervabis pacem, pacem quia in te ſperavimus.*

SECTIO QUARTA.

Altera conditio orationis bonæ à fine bono.

I. Melior finis orationis principio. M*Elior eſt*, inquit Eccleſiaſtes cap. 7. *finis orationis, quàm principium.* Cujus ſententiæ admodùm diſſonantes ſunt explicationes. Multi enim *orationem* Hebraïca phraſi pro re negotióve accipiunt, uti ſæpè uſurpatur Hebræum *Davar*, & Græcum λόγος. Ita Chal. & Hebraizantes omnes: qui aiunt ſignificari, rei negotiive exitum magis attendendum, quàm principium: fæliciorémque eſſe, qui perfecit, quàm qui cæpit. Alii, & in his Hieronymus, putant commendari conſtantiam in benè cæptis, idémque eſſe, ac quod vulgò fertur, finis eſt operis corona. Sunt qui orationem accipiant

piant pro increpatione amica, quàm ſapiens erranti adhibet: eam initio diſplicere, in fine placituram: & huic explicationi favent antecedentia ac conſequentia, putatq; Pineda germanam eſſe. Alii, in his Cajetanus, interpretantur, de orationis cujuſlibet ſeu concionis fine, qui gratior ſolet eſſe, quàm principium: & ex eo, inquit Cajetanus, judicatur de ſapientia dicentis, ſi ab inſtituto exordio non recedat. Liranus de oratione ad Deum intelligit, connectensque cum antecedentibus & conſequentibus, ait; qui calumniam patitur initio orationis mæſtum eſſe, in fine lætum, poſtquam à Deo didicit, patientem eſſe arrogante meliorem. Putârim, non incommodè accipi de fine, quem orans ſibi proponere debet, ante inchoandas ad Deum preces, pluriſque longè eſt quàm principium; cùm alioqui & principium, & reliqua orationis, exerrent, ſi ad debitum finem non referantur.

II. Actionum à fine diverſitas.

Tres autem fines Deum oraturo propoſiti eſſe poſſint, quemadmodùm & aliud quidvis acturo: Malus, Indifferens, Bonus: aut ſi mavis, Contranaturalis, Naturalis, Supernaturalis. Ille, diaboli eſt; iſte, hominis; hic, Fidelis, & Chriſtiani, imò Angeli. Rectum eligat oportet, qui rectè agere & orare vult. Auguſtinus epiſt. 48. ad Vinc. hanc boni finis neceſſitatem inculcat variis exemplis. *Cùm boni & mali eadem faciunt, eadémque patiuntur, non factis & pœnis, ſed cauſis utique diſcernendi ſunt. Pharao populum Dei duris laboribus atterebat: Moyſes eumdem populum impiè agentem duris coërcitionibus affligebat. Similia fecerunt, ſed non ſimiliter prodeſſe voluerunt.* Subdit: *Cùm & Pater tradiderit Filium ſuum, & ipſe Chriſtus corpus ſuum, & Judas Dominum ſuum: cur in hac traditione Deus eſt pius, & homo reus: niſi quia in una re quam fecerunt, cauſſa una non eſt ob quam fecerunt?* Propiùs ad rem noſtram loquitur idem Auguſtinus ep. 42. ad Madaurenſes idololatras: *Nec quiſquam erit homo noſtrorum temporum, qui ſe in illo judicio de ſua poſſit infidelitate defendere. Cùm Chriſtum cantet, & juſtus ad æquitatem, & perjurus ad fraudem: & Rex ad imperium, & miles ad pugnam: & maritus propter regimen, & uxor propter obſequium: & pater propter præceptum, & filius propter obedientiam: & dominus propter dominationem, & ſervus propter famulatum: & humilis ad pietatem, & ſuperbus ad æmulationem: & dives, ut porrigat; & pauper, ut ſumat: & ebrioſus ad phialam, & pauper ad januam: & bonus, ut præſtet; & malus, ut fallat: & Chriſtianus venerator, & paganus adulator. Omnes Chriſtum cantant: ſed quâ voluntate & ore cantent, eidem ipſi, quem cantant, rationem ſine dubio reddituri ſunt.*

III. Malo fine oran poteſt.

Verùm, fierine poſſit, ut Deum quiſquam oret malò fine? Auguſtinum interroga, fierine poſſit, ut eleëmoſynam faciat quis malo fine: oratio enim de ſe opus eleëmoſynâ ſanctius non eſt: illa quidem actus religionis, hæc actus caritatis aut miſericordiæ, quæ caritatis pars eſt. Reſpondebit, Tract. 8. in epiſt. Joan. *Paſcit eſurientem caritas, paſcit & ſuperbia: caritas, ut Deus laudetur; ſuperbia, ut ipſa laudetur. Veſtit nudum caritas, veſtit & ſuperbia. Jejunat caritas, jejunat & ſuperbia. Sepelit mortuum caritas, ſepelit & ſuperbia. Hoſpitem ſuſcipit miſericordia, ſuſcipit & ſuperbia. Intercedit pro paupere miſericordia, intercedit & ſuperbia.* Putas, ſiniſtra intentio quæ tam ſanctum opus miſericordiæ vitiat, non poſſit etiam opus religionis corrumpere: præſertim ubi nobis aliqua à Deo petimus, homines noſtri ipſorum amantes, & concupiſcentiâ multò magis, quàm amicitiâ, trahi ſoliti?

IV. Etiam a Fidelibus.

Id Romanis accidiſſe advertit idem Auguſt. l. 2. de Civit. quos ait mirum non eſſe, ſi infælices ſint: *Cùm quærant tempora, non in quibus ſit quieta vita, ſed potiùs ſecura nequitia.* Sed iſti Infideles tunc erant, aut non multò Infidelibus meliores. Ergo accipe, quid Apoſtolus de Fidelibus ipſis, & primæ quidem ac ſanctiſſimæ ætatis ſentiat, Jac. 4. Poſt bellorum originem in cupiditate deprehenſam: *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Non ut plura miſericordiæ opera faciatis; non ut ſeveriùs jejunetis; non ut attentiùs oretis, frequentioráque ſint religionis opera; non ut ſalus multorum per has nationum commiſtiones ne periclitetur: non ut gloriæ Dei magis exutum ſit: ne iſtud quidem, ut patriæ conſulatur, ut quietiùs quiſque ac tranquilliùs agat, ut hoſtes de cætero comprimantur, & in eos mala ſua pro meritis regerantur: ſed *ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.*

V. Malo fine orans non audiendus.

Quo ore conqueratur, qui ſic orârit, ſe à Deo non auditum? Cùm David profugus 1. Reg. 27. ab Achis Rege, Satrapáve, oppidum Siceleg pro præſidio accepit: umquámne impetraturus fuiſſet, ſi eo, non adversùs Iſraëlitas, ſed contra vicinos Philiſtinis Infideles uſurus ſciretur? Cùm Simon Thaſi, frater Machabæi Judæ, filiam ſuam Ptolemæo dedit, eumque velut generum ſummi Sacerdotis in Doch munitione conſidere paſſus eſt: certè non prævidebat fore, ut divitiis, affinitate, loci munitione adversùs ipſum uteretur. Numquam alioqui filiam perfido deſponſaturus, neque opes commiſſurus, quibus ipſe liberique perirent. A Deo petis pacem, cum illâ ſperas commoda & facultates, cum his voluptates, ex voluptatibus peccata. En arcem præſidiúmque Dei gloriæ impugnandæ. Vis obtinere, ut in concupiſcentias impendas: itaque non obtinebis. Nam quem intueris finem, in corde tuo latentem Deus intuetur. Tertullianus admonuit libro de Oratione, verbis, quorum partem Cyprianus libro de Oratione repetiit: *Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Dæmonium oraculi Pythii: Et mutum, inquit, intelligo, & non loquentem exaudio. Dei aures ſonum exſpectent?* Orationes aureas recita, quales ſæpiùs Pſalmiſta ingruentibus hoſtibus, quales Ezechias Sennacheribo imminente, quales Azarias in fornace, quales Daniel Babylone, quales Judas ac Judæi in Maſphath, quales Eccleſia pro bellis, pro pace, pro peccatis, pro neceſſitatibus: aureæ omnes ſunt. Malo fine orans non audiêris. Dicet tibi Deus, quod Auguſtinus ſcripſit Licentio, epiſt. 41. *Quid mihi linguam auream, & cor ferreum?*

VI. Fines naturales in oratione ſpectarunt Judæi.

Deo gratiæ, non ii ſumus, qui alimenta concupiſcentiis noſtris à Deo poſtulemus. Pacem precamur: petimus quietem publicam: patriæ, cui amor debetur, ſecuritatem poſtulamus: hoſtium feritatem comprimi oramus, & eos pro meritis plecti, ne paria deinceps præteritis audeant. Hoccine tantùm? Quid ergo altius ac divinius aſpicis, quàm quod Judæi, craſſa ac terrena animalia? Non audis ipſos paſſim orantes, ut unuſquiſque poſſit vivere *ſub ficu ſua, & ſub vite ſua?* Non audis declamantes, pro gente ac patria mori juſtum honeſtúmque eſſe? Si nihil ampliùs petis, & in iis hæres tamquam extremo poſtulatorum fine: idem fermè facis, ac qui hamo aureo exſuccam ſalpam piſcetur; aut reti ſerico, aureóve, putres muſcas venetur; aut clavem auream adhibeat reſerandæ ciſtæ, ubi ſcruta vilia ſint. Sic ſunt res humanæ, quomodò ſcruta, muſcæ, piſces contempti, ſi Chriſtianis oculis intueare. Ad hæc tu orationem

adhibes, quæ hamus aureus eſt, rete oobiliſſimum, clavis theſauros cæli Deique aulam reſeratura?

VII. Et Ethnici. Quando autem flagitas, ut hoſtium ſuperbia & contumacia conteratur: ſi illic ſiſtis, meritò illud Chriſti audies, *Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Imò plùs faciunt, quàm tu umquam facturus es? Neſcis Regulos, Curtios, Scævolas, Brutos, aliaque celebrata Romanis nomina? Quibus amici, liberi, membra, vita, viliora fuêre amore patriæ. Quibus adversùs hoſtes infractus terroribus, invictusque jactura & doloribus animus. Non audiſti, quo malorum contemptu Græci in hoſtem ire ſoliti? Quid iſte egerit hoſtilem navim retentans dextrâ, tum ſiniſtrâ, denique mordicus, cùm manum utramque amiſiſſet? Tu ſcilicet pro magno putabis, ſi Deum Chriſtianus oret, ut hoſtium ferocia coerceatur, & comprimatur: quando Lacones trecenti, inſeſſis montium faucibus, certa morte factum dederint, quod timidè à Deo poſtulas? Deinde infirmi judicii quiſpiam, & ſuperſtitioſæ mentis, objiciet, cruentam nimis eſſe, nec ſatis convenientem manſuetudini Chriſtianæ contra hoſtes orationem. Verùm nos ſuperſtitioſo iſti vanam opinionem terſimus, Excurſu 2. ad cap. 2. num. 11. 12. 13. quos oumeros huc transferre poteris. Potiſſimùm adverte, quod catremo numero decimo tertio ſcripſimus: cladem hoſtilem tunc ſanctiſſimè peti, quando ea neceſſaria, vel admodùm utilis eſt, ad bonum animorum ac Dei cultum.

VIII. Spectandus finis bonus. Et hic finis eſt, quem bonum, ſupranaturalem, Angelicum appellavimus, quemque omnibus in rebus ſpectari à Chriſtiano volebat Paullus, Col. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini IESV Chriſti.* Et Paullinus Paullo accinens ep. 21. ad Amandum: *Omnis ratio noſtra in præceptis & laudibus Altiſſimi occupata eſſe debet: illi omne quod loquimur, omne quod vivimus, cum perpetua gratiarum actione dependi, cujus opere ac munere loquimur ac vivimus.* Piè admodùm & familiariter Auguſtinus eadem de re, con. 2. in pſ. 48. *Modò ſi amicus tuus intraret in domum tuam, & inveniret, te in loco humido frumenta poſuiſſe, qui fortè ſciret naturam corruptionis frumentorum, quam tu neſcires, daret tibi hujuſmodi conſilium, dicens: Frater, perdis, quod cum magno labore collegiſti: in loco humido poſuiſti, paucis diebus iſta putreſcent. Et quid facio, frater? Leva in ſuperiora. Audires amicum ſuggerentem, ut frumenta levares de inferioribus ad ſuperiora: & non audis Chriſtum monentem, ut theſaurum tuum leves de terra ad cælum?* Agit de eleëmoſyna Auguſtinus, alibique ſæpiùs inculcat, ut ſurſum noſtra ponamus, ne pereant.

IX. Ita Judæi oravêre. Et tu Chriſtiane, Deum orans, ne preces tuæ pereant, eas *leva in ſuperiora*: ad finem ſupernaturalem & divinum refer etiam quæ petis bona temporalia, inter quæ eſt conſervatio patriæ, & hoſtium compreſſio. Sic egit Joſue cap. 7. *Quid facies nomini magno tuo?* Ita Regius vates pſ. 113. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; ſuper miſericordia tua & veritate tuâ, nequando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum.* Quorum verborum prima pars adeò Othoni 1. placuit, uti Baronius tomo 10. anno 973. narrat ex Vittichindo, ut ad prælia omnia ſolitus fuerit dicere, *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Hauſerat eas voces, opinor, ex conſilio & exemplo intimi amicorum & conſiliatorum Notgeri, quem Leodienſis tota fermè civitas pro conditore agnoſcit: inſigne præſertim D. Joannis Evangeliſtæ collegium ac templum, in quo hæc per quadraginta horarum preces rogatus ſum ut dicerem. Similem orationis finem ſibi præfixit Ezechias, 4. Reg. 19. *Vt ſciant Gentes, quia tu es Deus ſolus.* Ita & in Maſphath Judæi oravêre 1. Mach. 3. cùm *Sancta conculcata* religionemque profanatam commemorarent.

X. Et Eccleſia. Sanctorum iſtorum exemplo Eccleſia Deum orans dicit: *Vt omni perturbatione ſubmota, liberis tibi mentibus ſerviamus: Vt tranquillitate pacis tuâ poteſtate ſervatâ, ad remedia correctionis utamur: Vt qui juſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur.* En iterum divini nominis gloriam pro fine propoſitam. Salvianus 7. de Provid. querentibus ætatis ſuæ Chriſtianis à Deo ſe non audiri, ſic reſpondet: *Si quando proſperi aliquid, præter ſpem noſtram & meritum, Deus tribuit: alius adſcribit hoc fortunæ, alius eventui, alius ordinationi ducum, alius magiſtro, alius patrocinio, nullus Deo. Et miramur, ſi nobis cæleſtis manus aliqua non præſtet, cui quidquid præſtiterit derogamus?* Gloriam ſuam Deus petit, & peti vult, idque ſpectari in poſtulatis quibuſvis.

XI. Lingua caritatis. Cùm libellos ſupplices Eccleſiaſticis Laïciſve Principibus offerimus, ea linguâ, ſtyloque, ut vocant, utimur, quâ in iis curiis ſolet. Cæleſtis curiæ quæ lingua eſt? Ubi Miſericordia intercellatur & audit, Bonitas ac Liberalitas ſcribit ac ſignat, Potentia amabiliſſima efficit: certè non aliâ utendum eſt lingua, quàm ipſâ caritatis. Ita Eccleſia per Quadrageſimæ tempus tam ſæpè nobis dicendum & audiendum proponit: *Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.* Non audis linguam caritatis erga animas noſtras, & alienas, cùm propitium Deum optamus? Non audis caritatem erga Deum, cùm nominis divini gloriam, & bis quidem, flagitamus? Num. 17. virga Pontificis Maximi, Aaronis nomine inſcripta, efflorefcit: flores amygdalini ſunt, albi, qui miſericordiæ & pacis color eſt: fructus amygdalæ duro cortice, nucleo ſalubri, ſymbolum fortunæ initio malæ, poſteà melioris. Actionibus noſtris, & orationibus Chriſti Pontificis Max. nomen inſcribamus, ad ejus gloriam oremus, dicamusque, *Adjuva nos Deus ſalutaris & Salvator noſter, & propter gloriam nominis tui ſanctiſſimi libera nos* ſervos tuos: da quietem, bella ſubmove, hoſtes comprime, juſtitiam verte in miſericordiam: ut te laudemus, tibi ſerviamus, *benedic populo tuo in pace.*

SECTIO QUINTA.

Orationis conditio tertia à bona materia.

I. Ingrata petitio non auditur. SI bonus, & bono fine, à Deo poſtules rem Deo ingratam, mirabitur nemo te pati repulſam, non orationis vitio, ſed materiæ. Quis Salomoni matre ſuâ gratior? Promittit illa diſertè quidvis hanc impetraturam, & in ipſo tamen articulo, pro Adonia privigno ſuo petentem nuptias Abiſag Sunamitidis, vacuam dimittit, & quidem fermè cum convitio, 3. Reg. 2. Quia ſcilicet res bono publico noxia futura erat: quod à matre non præviſum, ab ſapiente filio tangebatur, experientiâ vixdum ſopitæ ambitioſæ pompæ.

Quid

Quid autem agendum, ut ingrata Deo non petamus? Nudáne illi charta pro libello ſupplici offerenda, cui quod placuerit inſcribat? An, quod de anachoretis narratur, alphabeti literas Deo proponemus, ut inde ſibi ipſe verba noſtra ac poſtulata componat? An, quod de Socrate refert D. Thomas, 2.2. q. 83. a. 5. generatim dumtaxat rogandus Deus, ut quæ bona ſunt donet, nihilque omninò flagitandum ſingulare? Quomodò etiam ex Socratis mente expreſſit Juvenalis Satyr. 10.

Si conſilium vis,
Permittes ipſis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebuſq; ſit utile noſtris.

II. An petenda à Deo temporalia?

Idémne ſaltem precabimur, quod Salvianus l. 1. de Provid. *Domine*, inquit, *non proſperitatem hujus vitæ petimus, nec pro præſentibus bonis ſupplicamus. Scimus enim aures tuas his ſupplicationibus clauſas eſſe, & auditum te ad hujuſmodi preces non habere. Sed pro his tantummodò petimus, quæ ſunt futura poſt mortem.* Idem forſan intuebat Baſilius Conſt. monaſt. c. 2. *Auguſtiſſimus, & digniſſima majeſtatis,* ἀξιωματικώτατος, *Deus indignè fert à ſe peti exigua, & ſe indigna.* Nonne autem exigua ſunt temporalia omnia, quantivis fiant à cæcis mortalibus, ex ſenſu & experientia omnia æſtimantibus, nec ſatis providentibus æternorum magnitudinem, quia oculos fidei non habent perpurgatos? Si autem temporalia nimis parva ſunt, & res parvæ Deo ſunt indignæ, conſequens eſt ingratam fore eorum petitionem, adeóque impetratum non iri.

III. Temporalium, & minutorum petitio Deo non eſt ingrata.

At pace magnorum horum Epiſcoporum: nam de auctoritate Socratis aut poëtæ, imò & anachoretarum, quorum mens quàm actio magis laudanda eſt, non tantopere laboramus: bonâ ergo Salviani & Baſilii veniâ, non modò non eſt ingratum Deo, quædam ſingularia poſtulare: ſed neque ingratum eſt petere & temporalia, & exigua. Diſco id ex Greg. 1. Dial. c. 9. qui poſt narratam innocentis pueruli de gallina, quam vulpes abſtulerat, petitionem à Deo & impetrationem, quærit, cur Deus ſuos dignetur audire vilibus in rebus? Et reſpondet, *Vt per minima, quæ percipimus, ſperare majora debeamus.* Pluris facio Eccleſiæ totius auctoritatem, quæ ſingularia multa, eáque temporalia æquè, ac ſpiritualia, à Deo petit in cœtibus ſuis Litaniarum, ſupplicationum, & tempore ipſius auguſtiſſimi Sacrificii. Idque omni ætate factum conſtat ex Arnobio l. 4. cont. gen. ubi de Chriſtianorum conventibus agens, *In illis pax*, inquit, *& venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis.* Tertullianus item in Apologetico, ætate ſua ſolitum ait pro Cæſare, imperio, pace, hoſtium repreſſione, fælicitate publica, quantumvis Infideles imperium tenerent, à Chriſtianis orari. Nec mirùm, cùm id Dei nomine Paullus juſſiſſet ep. ad Phil. 4 & diſertiùs 1. Tim. c. 2. Sed dubium omne tollit Chriſtus ipſe Matth. 6. & Luc. 11. ubi rogatus à diſcipulis, ut eos doceret orare, ſeptem petitiones digeſſit, & mediam quidem poſuit de rebus temporalibus. Hoc enim ſignificat *panis quotidianus* καθημερινὸς, ſive, ut alius Evangeliſta vocat, ἐπιούσιος, quæ vox non *ſuperſubſtantialem* ſed *ſubſtantiæ*, id eſt nutrimento, *neceſſarium convenientémve* ſignificat.

IV. Utendum precibus à Deo dictatis.

Utere ergo, inquit Auguſtinus tract. 7. in Joan. *precibus, quas tibi conſtituit & compoſuit Iuriſperitus cæleſtis. Qui enim habent cauſſam & volunt ſupplicare Imperatori, quærunt aliquem Scholaſticum Iuriſperitum, à quo ſibi preces componantur: ne fortè, ſi aliter petierint quàm oportet, non ſolùm non impetrent quod petunt, ſed etiam pœnam pro beneficio conſequantur. Cùm ergo quærerent ſupplicare Apoſtoli, & non invenirent, quomodò adirent Imperatorem Deum, dixerunt Chriſto, Domino, doce nos orare: hoc eſt, Iuriſperite noſter, aſſeſſor Dei, imò conceſſor, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro juris cæleſtis, docuit quomodò orarent.* Quis dubitare auſit, quin Deo grata ſit poſtulatio, ab ipſomet Deo dictata? In qua, ut idem Auguſtinus ait epiſt. 121. ad Probam, æquivalenter continentur omnia, quæ per nos à Deo peti, & adjungi poſſunt. Nam, quomodò Tertullianus, poſt explicatam libro de Orat. Dominicam orationem, loquitur, *Ius eſt ſuperſtruendi extrinſecùs petitiones*, id eſt alias, aut magis explicatas, addendi.

V. Licita ſit materia orationis.

Sed quid tandem ad quæſtionem noſtram diſtinctè, & particulatim reſpondebimus? Quænam conditiones neceſſariæ ſunt, ut materia poſtulati Dei non ſit ingrata? Duæ omnino opinor: prima, ut liceat; altera, ut ſaluti noſtræ exiſtimemus conducibilem. Petere, quod illicitum eſſe ſciremus, peccare eſt, quomodò deſiderare. Aug. epiſt. 121. ad Probam, hanc regulam ſtatuit: *Hoc licet orare, quod licet deſiderare.* Inde alteram regulam figamus: *Non licet orare, quod non licet deſiderare.* Iſtas regulas ex alterius philoſophi ſenſu Romanus philoſophus expreſſit epiſt. 10. de orando Deo agens: *Apud Athenodorum*, inquit, *inveni: Tunc ſcito eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cùm eò perveneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palàm.... Sic vive coram hominibus, tamquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.* Audiente homine probo ac ſapiente, petere à Deo illicita non auſis; quemadmodùm nec, Deo ſpectatore, peccatum admittere.

VI. Quæ licita ſunt, non ſemper ideò ſunt ſalutaria.

Si licita eſt petitionis materia, non tamen continuò Deo placebit, niſi conditio altera acceſſerit, ut nobis ſalutarem fore arbitremur, id eſt, vel certò ſciamus ſaluti noſtræ utilem fore, vel ſaltem ita nobis perſuadeamus. Certò ſcimus ſalutarem eſſe peccatorum remiſſionem, Dei amicitiam, aliáque ejuſmodi ſpiritalia bona. Temporalia autem bona, quæ ad animi ſalutem directò non referuntur, ſcientiam, honorem, divitias, aliaque ejuſmodi, interdum utilia ſaluti putamus, noxia tamen ſunt. Quis Judaici judicii homo non pronuntiâſſet, benè orâſſe divitem illum Luc. 12. cujus horrea plena erant? Attende tamen, quàm malè opibus uti ſtatuerit. Sic erat populo Judaico Oſee 12. & Iſ. 2. quemadmodùm dicetur Excurſu 1. ad cap. 4. Itaque miſeræ illi ac fatuæ genti idem accidit ex opulentia, quod ex eſu carnium Num. c. 11. & Pſ. 77. Caput Moſi obtuderant, ut illas acciperent, faſtidioſi eſcæ divinæ, Angelicis manibus ex rore efformatæ. *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Nota eſt hiſtoria ex Paulli Syllogo l. 3. c. 48. à Cauſſino noſtro recitata tom. 3. Aulæ ſanctæ, ad Axioma ſeu legem quintam: de Daniele Thebaidenſi anachoreta, qui Eulogium quemdam latomum in vicino, quia ab eo hoſpitaliter exceptus erat, virtutéſque ejus pernoverat, orationibus ſuis ad ſummum honoris in aula Juſtini ſenioris evexit. Factus eſt enim Prætoriani militis præfectus, ſimulque virtutem oblitus: donec, Juſtino mortuo, in Hypatii & Pompeii factione contra Juſtinianum ſtetit, & profugere coactus, ad priſtinam fortunam bonamque mentem rediit. Digna narratu hiſtoria eſt: & hîc referrem, niſi libri iſti eſſent in manibus.

VII. Miſericorditer à Deo quædam recuſar. ...

Deus itaque, à quo *cùm tribuitur, quod malè deſideratur, majoris iracundiæ eſt*, Gregorio teſte: ſæpè piis, benè & diu poſtulantibus, non concedit, quæ rogant. *Multum autem*, inquit Proſper epig. 96.

concedit, qui nocitura negat. Diſcat felici ſupplex gaudere repulsâ. Sic Auguſtinus Paullino epiſt. 34. *Bonus Dominus, qui non tribuit ſæpè quod petimus, ut quod malimus*, vel malle deberemus, *attribuat.* Et alibi non ſemel producit familiare medici exemplum. Tract. 73. in Joan. *Novit medicus, quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem, poſcat ægrotus: & ideò contraria poſcentis non facit voluntatem, ut faciat ſanitatem.* Tract. 6. in epiſt. 1. Joan. cap. 3. *Diſcite rogare Deum; ut medico committatis, quod ipſe novit, faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantum caritatem tene. Nam ille ſecare vult, urere vult: tu ſi clamas, & non exaudiris in ſectione, uſtione, & tribulatione: novit ille quouſque putre eſt. Tu jam vis revocare manus: & ille vulneris ſinum attendit: ſcit quouſque perveniat: non te exaudit ad voluntatem, ſed exaudit ad ſanitatem, quia contradicit voluntati. Non fit quod vis, ſed fit quod tibi expedit.* Alludit ſanctus Doctor ad verba Joan. 1. verſ. 6. *Hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus, ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.* Conc. in pſ. 85. *Si verè Deum invocaſti, certus eſto, quia id fortè quod volebas temporaliter, ideò non accepiſti, quia tibi non proderat. Ædificetur in hoc cor veſtrum fratres, cor Chriſtianum, cor fidele: ne incipiatis triſtes fieri, veluti fraudati à deſideriis veſtris, ire in indignationem contra Deum. Æger multa petit à medico, non dat medicus: non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſanitatem. Ergo medicum tuum pone Deum: pete ab illo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit. Deus etſi voluntati noſtra non dat, saluti dat. Tu cum ſapientia ſalutem exſpecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit.*

VIII. Idem demonſtratur. Placuit eadem medici ſimilitudo Hieronymo in prolog. in Habacuc. *Quomodò ſi ægrotans, & æſtuans febribus, aquam frigidam poſtulet, & dicat ad medicum: Vim patior, crucior, uror, exanimor. Uſquequò, medice, clamabo, & non exaudies? Et reſpondeat ſapientiſſimus & clementiſſimus medicus. Scio, quo tempore debeam dare quod poſtulas. Non miſereor modò, quia miſericordia iſta crudelitas eſt, & voluntas tua contra te petit. Ita & Deus noſter ſciens clementiæ ſuæ pondera, atque menſuras, interdum non exaudit clamantem.* Maluit patri Deum, quàm medico, comparare Chryſoſtomus bomilia 24. io Matth. Filius Dei es: ipſe patrem ſeſe demonſtrat non dando quod nociturum eſt, oec porrigendo pro pane ſerpentem, aut pro ovo ſcorpionem. Mittit nos D. Leo ad orationem, ſummo cum affectu ac perſeverantia factam à Chriſto, non auditam tamen: ita ille ſerm. 5. de Paſſ. *Demonſtratum eſt, quid poſſit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi. Quia enim nos quid oremus ſicut oportet, neſcimus, & utile nobis eſt plerumque ne fiat, quod volumus: Deus juſtus & bonus, quando ea quæ nocitura ſunt petuntur, negando miſeretur.* Jobi ænigmatica locutio eſt, cap. 9. *Cùm invocantem exaudierit me, non credo, quòd audiverit vocem meam.* Si exaudiit, quo pacto non audit? Nodum ſolvit D. Thomas: *Contingit, quòd Deus hominem exaudit, non ad votum, ſed ad profectum.*

IX. Temporalia à Deo petuntur cum conditione. Hinc ſoliti viri omnes magni, quoties à Deo temporalia bona petiêre, conditionem hanc ſemper vel apertè addere, vel mente intelligere: ſi ſaluti meæ expedit, ſi voluntas tua eſt, ô Deus, cui me meáque permitto. Ne ſi abſolutè ac ſimpliciter ejuſmodi res poſtulent, audiant illud filiis Zebedæi meritò dictum: *Neſcitis quid petatis.* Juriſperitus noſter cæleſtis, in libello ſupplice pro nobis compoſito, tres petitiones præpoſuit poſtulato de rebus temporalibus. Eas expende, videbiſque poſitas antè conditionum inſtar. Quaſi Deo dicamus. Abſolutè peto, Deus, gloriam tuam: item regnum tuum, id eſt, ſalutem animæ meæ: denique, ut *voluntas tua* in ſpiritualibus juxtà ac temporalibus perficiatur. His conditionibus *Panem*, à te, ô Deus, poſtulamus, id eſt vitam ac ſanitatem, & eò conducentia ac commoda: ſi nempè è gloria tua, è bono animæ, ex voluntate tua fuerit.

X. Materia publicarum precum an bona ſit? Ad materiam precum noſtrarum publicarum veniamus. Pacem petimus ac tranquillitatem regionis hujus: ut Deus adſit juſtæ defenſioni, ſi adhuc neceſſaria eſt: ut inimicos & aggreſſores confundat, & diſperdat, quatenùs ſecuritati pacatæ gentis, Imperialis, & Eccleſiaſticæ neceſſarium fuerit. Iſthæcne petere licitum eſt? Imò debitum. Natura id exigit, ratio, conſcientia. Diſcimus à natura, ſingulas corporis ejuſdem partes mutuo ſibi auxilio eſſe, ac tutamento. Infans illius inſtinctu manus ſervando capiti opponit, dum labitur. Partes vermiculi ſecti ſeſe rejungere conantur. Calor à frigore vicino impugnatus partes omnes ſuas contrahit. Aqua in pulvereum pavimentum ſparſa guttatim ſeſe colligit, ut adversùs ſiccitatem ſit validior. Quantò magis ratio volet, ut unius reipublicæ civiliſve corporis membra inter ſe defendant, armis & temporalibus & cæleſtibus, adversùs hoſtem externum? Quod ratio geotes omnes edocuit, id nobis Theologia & conſcientia inculcat: ſubditos, ſi bella ingruunt, Principi ſuo obſequium, amorem, fidem, orationes debere. Quærit Ambr. ſerm. 19. in pſ. 118. cur Exo. 32. clamârit Moſes orans: uxor autem Elcanæ 1. Reg. 1. orârit in corde, movens labia tantùm? Chryſ. ait, orâſſe ſubmiſsè, quia clamor cordis non oris eſt neceſſarius: Cæſarius, Arel. ne alios orantes obturbaret: Ambroſius; *fortaſſe*, inquit, *quia filios poſtulabat, hoc eſt, bona quidem, ſed privata, non publica.* Quod publici boni eſt, clara voce & fidenter à Deo petendum, non tantùm quia licitum, ſed etiam quia debitum.

XI. An ſalutaris? Sed pax, aliaque paci præpoſita vel conſequentia, ſúntne nobis ſalutaria, quæ altera conditio eſt? Nonne peccata plecti utile eſt, & mores emendari? Nonne viſi aliquando populi meliores, cùm pauperiores? An ſatis tot calamitatibus emendati ſumus? Nonne de quibuſdam noſtrûm idem dici poteſt, quod de Trevirenſibus poſt clades barbaricas à Salviano: *Putabam vos in excidiis rem tantùm atque ſubſtantiam, neſciebam mentem atque intelligentiam perdidiſſe?* Si autem peccata nondum emendata ſunt, magis expedit medicamentum iterari, morbo penitùs tollendo. Nonne ideò Eccleſia, quaſi dubitans an pax ſit utilis, jubet nos cum conditione dicere in orationibus ſecretis, ante ſumendum Chriſti corpus: *Deus, qui dixiſti Apoſtolis tuis, Pacem relinquo vobis.... reſpicias.. fidem Eccleſiæ tuæ, eámque ſecundùm voluntatem tuam pacificare digneris?* Viden' conditionem divinæ voluntatis anteponi paci petendæ?

XII. Salutarem faciamus emendatione. Itaque ut nobis ſalutarem pacem faciamus, mundandus præteritis culpis animus, ſerióque in poſterum ſtatuenda emendatio. Si præterita non expiaverimus, id nobis accidet meritò, quod de ſe ajebat Ennodius in Vita ſua: *Tu autem, qui in cælis habitas, irridebas me. Tu, quem non deliniunt verba, ſed puritas. Tu, quem ſæpè muti loquimur, & clamantes tacemus.* Si ſeria non ſit in futurum emendationis voluntas, cavendum ne nobis eveniat, quod Aug. monet tract. 7. in Joan. *Quod*

factum

Digitized by Google

factum es, ſi mentitus fueris in precibus! Non, quomodò dicitur in foro, carebis beneficio reſcripti: ſed nec reſcriptum impetrabis. Juris enim forenſis eſt, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit, quod impetravit. Cæterùm Deo noſtras, pro publica hujus ditionis pace ac ſecuritate, orationes iñ poſterum placituras, ex eo conjicio, quòd hactenus placuerint. Vix triduum Lambertianarum precum elapſum erat, cùm præcipuus cladium noſtrarum auctor, Bruxellis captus eſt. Continuatis alibi precibus, hoſtiles copiæ maximam partem è finibus noſtris excesſêre, & ſpatium reſpirandi dedêre. Deo grates de initio beneficiorum agamus, ſimulq́ue fidenter oremus, ut perficiat. Aug. ſerm. 17. de verbis Apoſt. *Agendo gratias illi, qui dedit, ab illo petat & quod nondum dedit. Non enim tu in accipiendo proficis, ille in dando deficit. Quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas, fons vincit ſitientem.* Sumus in D. Bartholomæi æde, in-vitatu Collegii, ob publicas preces. Bartholomæus, qui à priſcis *ductor orationis* dictus eſt, & oratione plurima impetrâſſe, ſignificat nomine ſuo filium haurientis aquas. Eo præeunte, & interventore, ad Chriſtum fontem inexhauſtum adeamus, & hauriamus ſalutarium donorum aquas, nobis, & omni populo ſitienti: ut det *deſiderare recta, & deſiderata percipere, & ut petentibus deſiderata concedat, faciat eos, quæ ſibi ſunt placita, poſtulare.*

SECTIO SEXTA.

Quis modus orationi adhibendus?

I.
Modus ſeu forma quãti ſit?

CELEBRE eſt illud Oratoris Græci, à quo cùm peteretur, quæ oratori conditio maximè neceſſaria foret, quæve partes ejus præcipuæ, reſpondit, Pronuntiationem, ſive Perorandi dicendíve modum. Inſtante interrogatore, quid deinde potiſſimum arbitraretur: iterum dixit Pronuntiationem. Tertiùm rogatus, tertiùm idem reſpondit: idem redditurus, quotieſcumque interrogaretur. Nec malè priſcus iſte. Experimur enim quotidie, ad populum plus longè valere dicendi modum, quàm dictorum materiem, elegantiámve, aut diſpoſitionem. Neque in orationibus modò, ſed & in privatis ſermonibus, pluris eſt loquendi modus, quàm elegantia. Imò & in quibuſvis rebus magis forma, quàm materies attenditur. Videas in tela aliquem decentiùs ambulantem, quàm alium in holoſerico. Et ſæpè cernimus equites in ſtrigoſo burico, aut burdone, honeſtiùs ſedentes, quàm alios in generoſo caballo.

II.
In orationibus attendendus.

Quod autem iſte de perorando ad homines cenſuit, idem de oratione ad Deum dixero: primas ejus partes eſſe modum orandi. De illo varis Angelicus Doctor articulo 15. quæſtionis ſæpiùs adductæ: ſed quæ orationes quaſvis, etiam privatas, ſpectant, adeóque ab aliis fuſè tradita, à nobis poſtmodùm perſtringentur. Nunc quia de publicis orationibus potiſſimùm agimus, ob mala publica indictis, & quis Leodii communes ejuſmodi orationes adhuc conſtanter continuantur, de harum forma & ratione prius tractandum eſt. Exemplum à Mathathiæ filiis in Maſphath convenientibus, libros legis pandentibus, Nazaræos, alioſq́ue conciliatores divinæ benevolentiæ ſecum adhibentibus, peti commodè poſſit. Sed aptiſſimè Catholicorum precibus offert ſe, in ipſo tempore, hiſtoria leproſorum decem à Chriſto ſanatorum, Luc. 17.

III.
Tria in publicis precibus adhibenda.

Hi *viri*, Chriſto occurrente, *levaverunt vocem ſuam, dicentes, IESV præceptor miſerere noſtri.* In illis probus unus vir fuit, qui Deo gloriam dedit, & cui à Deo data gloria eſt: fide enim ſalvum fuiſſe, & ante leprâ mentis, quàm corporis vitio mundatum, ex ipſius veritatis ore diſcimus. Inde tres publicarum orationum, apud Catholicos habendarum, conditiones conficio: primam, ut communiter, ore uno & animo fiant, id enim eſt vocem ſimul levare: alteram, ut ad Chriſtum precatio dirigatur, eumq́ue occurrentem nobis ac præſentem in auguſtiſſimo Sacramento, ubi cum fiducia divinæ miſericordiæ clamare poſſimus, *IESV præceptor miſerere noſtri*: tertiam, ut, quò gratiores ſint Chriſto preces noſtræ, comprecatores adhibeamus homines Deo gratos, gloriamq́ue ipſi reddere aſſuêtos.

IV.
Oratio an prohibita in publico.

Chriſtus Matth. 6. docens diſcipulos ſuos orandi modum, jubet eos clauſo cubiculo *orare in abſcondito*: ipſeq́ue oraturus in montem *ſolus ſeceſſit* ante eligendos Apoſtolos: & ante patiendum, ut oraret Patrem, *avulſus eſt ab eis ſicut jactus eſt lapidis.* Solitudinem oraturis Chriſtus commendat verbo, & exemplo: qua ergo ratione publicum precandi ritum commendemus? Difficultas hic nulla eſt, ſi occaſionem dictorum & factorum Chriſti attendamus. Matth. 6. docet diſcipulos fugiendam hypocriſin, jactantiamq́ue bonorum operum, quam in oſtentatione pietatis, per longas ac publicas orationes, Phariſæi quærebant: verum Dei ſervum, ab captanda hominum approbatione alienum, & unico Deo teſte precum ſuarum contentum eſſe debere. Non ergo publicam orationem damnat, ſed inanem appetitum publicè placendi. Cùm verò in montem ſeceſſit oraturus, & à diſcipulis avulſus eſt, ſignificare voluit, oraturis quærenda apta loca colligendo animo, & ab iis diſcedendum, quæ interpellare poſſint neceſſariam tantæ audientiæ attentionem.

V.
Communiter quando orandum.

Alioqui tum Chriſtus ipſe publicè oravit ſæpiùs, in templo Hieroſolymitano, domo utique orationis, & poſt cœnam, ante exeundum ad hortum Gethſemani, hymnum communiter cum diſcipulis dixit, quod & aliàs ſæpè feciſſe indubitatum eſt: tum Apoſtoli publicè frequenter in eodem templo oravêre, uti Act. 3. de Petro & Joanne nominatim expreſſum eſt, euntibus ad horam orationis nonam, & Act. 21. de Paullo ad Hieroſolymitanum templum aſcendente, exſolvendi voti, & palàm orandi gratiâ. Quamquam lubens conceſſero, in cauſſis privatis privatas orationes commendabiles eſſe: at in publico negotio adhibendam eſſe publicam, quæ plurimùm apud Deum poſſit. Et huc facit partitio orationis, in communem & ſingularem, quam ex D. Th. 2. 2. q. 83. art. 12. retulimus in Comm. ad v. 47.

VI.
Gratum id Deo.

Ita olim in Synagoga fieri ſolitum, plurimis Scripturæ ſacræ locis oſtenditur. Pauca de multis illuſtria indicabo. 1. Reg. 7. Congregatus ad Samuelem populus in Maſphath ſacrificat, orat, jejunat in cõmune: mox hoſtes ipſorum devicti. 2. Par. 20. orante Joſaphato Rege, *Omnis Iuda ſtabat coram Domino, cum parvulis, & uxoribus, & liberis.* Ab illa oratione, poſt inſignem victoriam, laudeſq́ue Deo decantatas, nomen factum valli Benedictionis. Judith 8. generoſa virago, populum liberatura, orationes publicas pro communi neceſſitate poſtulat, & obtinet. 2. Machab. c. 3.

imminente

imminente in ærarii ſacri depoſita Heliodoro, ſupplices ab omni hominum genere preces Deo offeruntur, fœliciſſimo eventu. Judas Machabæus, ingruente prælio decretorio, ad locum orationis omnes ſuos cogit, publicáſque ad flectendum cæremonias adhibet tanto numero, ut vix uſquam aliàs pluribus quemquam priſcorum uſum fuiſſe exiſtimem. Eas in Commentariis digeſſimus, & cauſſam fructúmque notavimus, ad verſ. 47.

VII. *In Eccleſia uſurpatum.* Meritò itaque tam illuſtribus exemplis, eventiſque, invitati ſancti Patres, in publicis neceſſitatibus ad publicas orationes confugêre. Narrat Baronius ex Anaſtaſio Bibliothecario, anno 753. tomo 9. Stephanum Papam pedibus nudis ſupplicationem obiſſe, proſequente, & communiter orante, omni plebe Romana: inde Aiſtulfum Longobardorum Regem à Pipino Franciæ Rege compreſſum. Peſte Romæ graſſante, D. Gregorius l. 11. Regiſ. epiſt. 2. ſtatuit, ut ad preces communes. *Litania Clericorum exeat ab Eccleſia B. Ioannis Baptiſta: Litania Monachorum ab Eccleſiâ Martyrum Ioannis & Pauli: Litania Ancillarum Dei ab Eccleſiâ Beatorum Martyrum Coſma & Damiani: Litania fœminarum conjugatarum ab Eccleſiâ Beati primi Martyris Stephani: Litania Viduarum ab Eccleſiâ Martyris Vitalis: Litania pauperum & infantium ab Eccleſiâ Martyris Cæciliæ.* Vides vix ullum hominum genus omiſſum, ut in calamitate omnes ſpectante orent pariter omnes: & quò communiùs id faciant, ſingulæ illæ Litaniæ, ſeu cunciorantium, poſtquam in loco ſibi deſignato convenerint & orârint, jubentur adeſſe omnes *in Eccleſia ſancta Genitricis Domini.*

VIII. *Patrum ſenſus.* Innocentius Pontifex, epiſtolâ ad Aurelium & Auguſtinum, quæ 97. eſt inter Auguſtini epiſtolas, rogans eos, ut pro ſe Deum exorent, rationem hanc ſubjicit: *Communibus & alternis plùs agimus orationibus, quàm ſingularibus aut privatis.* Eamdem ob cauſſam Auguſtinus ep. 121. Probæ ac domeſticis ait, *Orate certatim, concordi ſanctoq; certamine:* & Cyprianus lib. de oratione, vult Chriſtianos eſſe *conſonantes in preces, & ſpiritûs conſenſione concordes.* Quem in finem ſacerdotes ſacris myſteriis operantes jam olim iterare ſoliti, *Orate, Oremus.* Denique ex Tertulliano idoneo teſte accepimus, primis Eccleſiæ ſæculis, etſi ferveret adversùs Chriſtianos perſecutio, & conventicula omnia vetarentur, prohiberi tamen non potuiſſe, ne ad communiter orandum conveniretur. *Coimus*, inquit in Apolog. *in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.* Importuna eſto Principibus multitudo eâdem de re ſupplicantium: at Deo placet cum in modum vim miſericordiæ ſuæ fieri, & & ſanctâ violentiâ ſibi poſtulatum extorqueri.

IX. *Exemplum Apoſtolorum.* Morem hunc ab Apoſtolis priſci illi acceperant. Nam Act. 1. *Erant unanimiter perſeverantes in oratione, cum mulieribus & Mariâ.* Act. 12. ubi occiſo Jacobo Petrus captivus de vita periclitabatur, *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſiâ ad Deum pro eo:* ab Eccleſia, id eſt, communiter à cœtu Apoſtolorum, aliorúmque Fidelium. *Vis*, inquit Chryſoſt. hom. 79. ad populum, *diſcere quanta ſit potentia orationis in Eccleſia communiter facta? Captus erat Petrus, catenis adſtrictus, oratur ab Eccleſiâ conſtanter pro illo, ſtatim carcere liberatur. Quid ergo illa oratione potentius, quæ Eccleſiæ columnam, & turrim adjuvit?* Eamdem veritatem firmans Chryſ. hom. 2. in 2. ad Cor. Ninivitarum, Infidelium quamvis, exemplum adducit, exauditorum à Deo, quia *clamaverunt ad illum omnes in fortitudine: Deus*, inquit, *frequenter reveretur multitudinem unanimem & conſentientem in ſupplicando, quaſi eum pudeat tot ſimul precatoribus poſtulata non condonare.*

X. *Chriſti promiſſum.* Animandæ fiduciæ noſtræ ponderandum promiſſum Chriſti apud Matth. 18. de efficacia orationis communiter factæ: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quam petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.* Privatæ orationi efficaciam promiſi, at publicæ longè præſentiorem ac promptiorem. Ratio ex caritate ſumitur, quæ fiduciæ conjuncta beneficentiam divinam, Deumque ipſum, ad homines devocat. *Ubi enim ſunt duo vel tres*, quid ſi centum? quid ſi mille? quantò magis ſi centum millia? *Ubi* ergo *ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*, id eſt mei cauſâ, cum caritate & concordiâ mutuâ mihi gratiſſimâ. Aut, ut commodè intelligi poteſt, comprecantibus in commune hominibus nomini meo addictis; quod alterum eſt fundamentum cur orationes publicæ efficaces ſint: quia ſcilicet tunc etiam juſti orant pro bono publico, cujus partes ſunt, uti infrà dicemus, num. 16. Ubi ergo ſic ſunt congregati, *ibi in medio illorum ſum.* Eſt illic Chriſtus affectu ac benevolentiâ, adeſt ope & gratia. Quid verò ſi etiam re adſit, & præſentiâ ipſâ corporeâ, quomodò cùm à Catholicis preces communes fiunt, & Venerabile Sacramentum publicè proponitur, aut defertur; & undique ad illum voce ac mente inclamatur, *JESU præceptor miſerere noſtri?*

XI. *Coram arca oratum.* Soliti olim viri ſancti, fœminæque illuſtres, cùm à Deo quidpiam efficaciùs volebant impetrare, ad ea loca ſe conferre, ubi præſentia Numinis manifeſtior foret. *Perrexit Rebecca* Gen. 25. *ut conſuleret Dominum.* At quò perrexit? Ad montem Moria, ſeu locum ubi *Dominus videt*, ſeu *Dominus videbit*, inquit Auguſt. quæſt. 72. in Gen. ubi ſacrificium Chriſti cruentum, pariter & incruentum, manifeſtâ figurâ adumbratum fuerat. Ad eumdem montem Jacob, quando in Meſopotamiam proficiſcebatur, deflexit, ad captandum Dei oraculum & auxilium, quod ſcalarum viſo adpromiſſum eſt. Ita apud Liranum varii affirmant, Hebræi, & Catholici. Helias *æternitatis candidatus*, ita cum Tertullianus vocat, antequam in cælum eveheretur, ad varia loca viſit 4. Reg. 2. Galgalam ubi prima populi facta circumciſio Joſ. 5. Bethel nocturno Jacobi viſo inſignem Gen. 29. Jericho cujus muri, circumlatâ arcâ, & clangentibus ſacerdotalibus tubis, corruerant, Joſ. 6. Jordanem, cujus undæ conſtiterant, tranſeunte arca Domini, & illo tranſitu ſanctimoniæ aliquid accepiſſe videbantur.

XII. *Arca Ven. Sacramentum.* Quid autem fuit arca Domini, ſive arca fœderis, niſi figura quædam aut umbra Venerabilis Sacramenti: in quo ſub ſpeciebus ſacris, velut ſub arcæ involucro, non lex in tabulis lapideis ſcripta, ſed Legiſlator caritatis, & fons totius beneficentiæ continetur? Notum tamen, quantâ fiduciâ, in omnibus anguſtiis ac periculis, ad arcam ſuam Iſraëlitæ confugerent; quandoquidem tanti facerent, vel loca ipſa tranſitu aut contactu arcæ conſecrata. Aucta Iſraëlitarum pietas ac fiducia, poſtquam ad arcæ præſentiam 1. Reg. 5. Dagon bis corruit, aliaque prodigia, tum apud Philiſtæos, cùm illic detineretur, tum apud Judæos, cùm reveheretur, patrata. Vide 3. Reg. 8. & 9. quomodò Salomon à Deo petat & obtineat, ut exaudiantur in Templo orantes coram arca. Quanta autem nobis ſpes & pietas eſſe debet, coram Domino ipſo ac Servatore, noſtri cum Deo fœderis ac teſtamenti æterni indubitato pignore? Curopalates narrat, & ex illo Baronius tom. 11.

an. 1040.

Digitized by Google

an. 1040. Saracenis Siciliam omnem, unicâ Meſſanâ exceptâ, tenentibus, Catacalum cognomento Combuſtum, præfectum Conſtantinopolitani Imperatoris, ante eruptionem tentandam, publicè ſacrum fieri juſſiſſe, ut coram arca noſtra ſacroſancta milites orarent: peracto ſacro, omnes divino epulo participâſſe: inde animatos in hoſtem exiſſe: occiſo duce, reliquam turbam fermè ad internecionem delêſſe: tantum prædæ fuiſſe, ut gemmæ, annuli, aurum modiis, quemadmodùm frumenta aut legumina, venderentur. Victorias ejuſmodi multas, poſt adoratum ab exercitibus Chriſtianis in hoſtia incruenta Salvatorem, reperies apud Corn. in illud Zach. 9. *Frumentum electorum.* De Sanctæ Claræ ad Chriſtum in Euchariſtia verbis, cùm Saraceni Aſſiſio imminerent, & fælici exitu orationis, notiſſima hiſtoria eſt.

XIII. Preces coram Ven. Sacramento.

Paci itidem ac victoriæ impetrandæ preces ejuſmodi adhibitæ. Apud Spondanum Clemens III. Pont. Max. poſt captam à Saladino Hieroſolymam, juſſit ubique in ſacro poſt ſolennia verba, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, interſeri, *Tua eſt Domine potentia*, &c. aliaſque orationes, ac deinde cantato, *Agnus Dei*, pacem poſtulari. Fervebat civilibus Regum bellis Europa, anno ſæculi decimi ſexti quinquageſimo ſexto; quando Franciſcanus concionator Joſephus Firmanus auctor fuit, ut placando Deo, paciq́ue publicæ impetrandæ, preces horarum quadraginta perpetuarum coram Ven. Sacramento, in provincia Mediolanenſi, inſtituerentur. Hanc quidam precum ejuſmodi originem eſſe arbitrantur, apud Spondanum eo anno. Quamquam certum eſt, longè altiùs repeti debere: cùm apud Græcos perpetuas, non horis ſolùm quadraginta, ſed annis totis preces fuiſſe conſtet, apud monachos ſaltem, quos ob eam orationum continuationem *ἀκοιμήτους*, *non dormientes*, vocabant. Apud eumdem Spond. Clemens VIII. preces item horarum quadraginta non interruptarum Romæ indixit, ut Numen Galliæ regno concuſſo, & in ruinam præcipitanti propitiaret.

XIV. Ven. Sacramentum, nobiſcum Deus.

Notat Baronius ex Euſtathio an. 564. ſolitos olim Græcos, cùm terræ motibus quaterentur, hæc verba domorum parietibus inſcribere, *Dominus vobiſcum eſt, ſtate*, aut ut alii legunt, *Dominus nobiſcum eſt, ſtate.* Alluſiſſe videntur ad nomen Chriſti Propheticum *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*: ideoque forſan ſcripſiſſe illam ipſam vocem *Emmanuel*, & ſubſcripſiſſe, *ſtate*. Anno eodem refert Baronius, Eutychium Conſtantinopolitanum Patriarcham, alterum ejus Eccleſiæ Chryſoſtomum, ab Juſtiniano Imperatore ad inſulam deſertam, cui Princepo nomen, relegatum; ubi cum cuſtodibus exſcendit, in primæ domus, quò ingreſſus eſt, pariete eam inſcriptionem ſub crucis figura vidiſſe, indeq́ue ſolatium magnum & animos hauſiſſe. Quando preces horarum quadraginta publicæ fiunt, propoſito Ven. Sacramento, mihi videor in templorum noſtrorum muris, aut potiùs in pectoribus verorum Fidelium legere inſcriptum iſtud, *Emmanuel, nobiſcum Deus, ſtate.*

XV. Timoris vani amuletum.

Quid trepidatis? Quid nutatis? Deus in medio noſtri, non commovebimur. Conſtantinus Magnus in capulo enſis ſui, ſuper ſpiſſas laminas aureas, unum è Chriſti clavis geſtat, & intrepidus hoc ſacro amuleto incurrit in pericula. Lanceâ, quâ Chriſti latus confoſſum fuit, armatus Carolus Magnus nuſquam, vel intèr medios hoſtes, expavit. Eum enſem Conſtantini Magni nomine aureis literis inſculpto, eamq́ue lanceam pro magnis, ut erant, muneribus Hugo Rex Provinciæ, Italiæve, miſit, teſte Luitprando & Baronio t. 10. an. 929. ad Henricum Aucupem Othonis Magni patrem: ut eis pignoribus certius de cælo auxilium ſentiret. Quantò nos ſecuriores ſumus, cùm ipſum videmus, geſtamus, alloquimur, clavis confixum, lancea perfoſſum? Ipſum, qui victima noſtra eſt, & altare, & Sacerdos? Ipſum, à quo omnis precum noſtrarum efficacia, tamquam ab ſummo interpellatore ac mediatore?

XVI. Juſti ſunt munimẽta, & fulcra urbium.

Quod eò magis ſperandum, ſi comprecatores adſunt homines Deo grati, quam nos tertiam conditionem orationum publicarum conſtituimus: aut ſi mavis ſecunda erit ratio, cur efficacia publicis orationibus certior, quàm privatis, promiſſa ſit. *Philo, lib. de ſacrificiis Caïn & Abel*, ait valdè Chriſtianè: *Cùm bonum virum in aliqua domo aut urbe video habitantem, domum & urbem beatam prædico: tum quia præſens fælicitas ei manſura eſt, tum quia abſens ventura. Deus enim ultra menſuram ſolet gratias profundere, etiam in indignos, dignorum reſpectu. Hinc oro, ut diu vivant viri boni. Et ſi quando contingit unum mori, valde doleo, non ejus cauſâ, qui glorioſâ morte vitam ſuam clauſerit; ſed ſuperſtitum, qui tanto auxilio ſunt deſtituti.* Subdit paullò poſt: *Urbibus, ut permaneant, firmiſſimum munimentum, τὸ ὀχυρώτατον, ſunt viri boni.* Imò, inquit idem *lib. de migratione Abraham, fulcrum ſunt & ſuſtentaculum, ἔρεισμα, univerſi generis humani*: vel unicus juſtus orbem univerſum ſuſtentat:

XVII. Columnæ, & ſalvatores.

Modum eum loquendi hauſiſſe videtur Philo ex Cant. 5. verſ. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ.* Ubi Chald. paraphraſtes: *Juſti ſunt columnæ ſæculi: & baſes ſuper ſuſtentacula auri optimi, ſunt verba legis in quibus laborant.* Eòdem ſpectat clauſula epiſtolæ ad Angelum Philadelphiæ Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Talis columna regi Judæorum Joæ fuerat Jojada; Ezechiæ Iſaias; Samaritis Eliſæus, impoſitis ad id ſignificandum manibus ſuis Regio arcui. Talis Romano imperio & urbi defenſor fuit Pontifex Max. de quo Hieron. in epit. Marcellæ ad Principiam: *Vir inſignis Anaſtaſius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur. Imò idcircò raptus atque tranſlatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur.* Talis Theſſalonicenſium ac Macedoniæ omnis propugnator Acholius; de quo Ambr. ep. 22. ad Clerum Theſſalon. *Urgebat, & prœliabatur S. Acholius, non gladiis, ſed orationibus: non telis, ſed meritis*: deinde poſtquam narravit Gothos victores Macedoniam intrare non auſos, comparans eum Eliſæo 4. Reg. 7. ubi ſubito terrore Syri obſidionem Samariæ reliquerunt: *Non manu*, inquit, *metu, ſed ſæviente lue & ardenti peſtilentia perturbati Gothi, ac territi ſunt. Denique tunc fugerunt, ut evaderent: egreſſi poſteà pacem rogaverunt, ut viverent.*

XVIII. Eccleſiaſtici pro omnibus orant.

Scio potiſſimùm hanc orandi provinciam & efficaciam ad Eccleſiaſticos, paſtoreſque in primis pertinere. Rectè Gerardus Cameracenſis Epiſcopus in Synodo an. 1034. apud Baron. tom. 11. *Genus humanum*, inquit, *ab initio trifariàm eſt diviſum, in orantibus, pugnatoribus, & laboratoribus: & unus duorum, duòque unius egent auxilio.* Eâdem ſententiâ dicitur, Deum ſua ſingulis ordinibus officia diſtribuiſſe verbo vulgari, *Tu ora: tu protege: tu labora.* Quamquam aliqui ſecundo loco pro nobilium ordine non ſatis aptè, *Tu vora*, repoſuêre. Juſtinianus *Cod. de Epiſcopali audientia* ait, *certiſſimè ſe credere Sacerdotum precibus ſibi datum*

barbaros

Google

barbaros ſubjugare, &c. Proſper 1. de Vit. Cont. c.ult. poſtquam bonos paſtores deſcripſit: *Iſti ſunt*, inquit, *miniſtri verbi, adjutores Dei, oraculum Spiritus Sancti. Per tales Deus placatur populo, populus inſtruitur Deo.* Et lib. 2. c. 2. ad Aaronis hiſtoriam Num. 16. alludens: *Qui velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadverſionis à populo .... Ipſi columnæ fortiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium.*

XIX. Preces quorumvis juſtorum. Verum id omninò eſt de probis Eccleſiaſticis, quorum proprium munus precari in publica: certum etiam tamen de cujuſvis conditionis, aut ordinis juſto, quem *firmamentum gentis ſuæ* & *ſtabilimentum populi* vocare poſſimus, quomodò Siracides Joſephum indigetat Eccleſiaſt. c. 49. Loth ſacerdos non erat natus ſaltem longè antè ordinis Levitici diſtinctionem. Dominus tamen Sodomitas puniturus Gen. 19. jubet ipſum inde abſcedere, quaſi eo præſente, & contrà orante, fulmina jaculari non poſſit: *Feſtina, ſalvare ibi: nec enim potero facere quidquam, donec pervenias illuc.* Eccleſiaſtæ c. 4. dicitur: *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ*, Græcè, *ἐν μόχθῳ αὐτῶν, in labore ſuo.* Poſt alia ſubjicitur, de funiculo triplici ad rumpendum difficili. Ea diverbia aptè paraphraſtes Chaldaicus de orationibus juſtorum quorumlibet explicat: *Si unius*, inquit, *potens eſt oratio, quantò potentior duorum, & trium?*

XX. Viduarum preces. De ordine Eccleſiaſtico non fuit Proba vidua, ad quam eſt Auguſtini epiſtola de orando Deo 121. jam à nobis ſemel adducta: *Concerta*, inquit ſanctus Doctor, *in oratione vincere hoc ſæculum, ora in ſpe, ora fideliter & amanter, ora inſtanter atque patienter, ora ſicut vidua Chriſti. Quamvis enim ad omnia membra ejus, hoc eſt ad omnes qui in eum credunt, & ejus corpori ſociantur, ſicut docuit, orare pertineat; ſpecialiter tamen diligentior cura orationum ejus viduis videtur injuncta.* Ita apud Spond. anno 1531. Helvetorum pagi Catholici, ante decretorium cum hæreticis longè numero potioribus certamen, quo victoriam pacémque glorioſam obtinuêre, inter alias publicas preces octodecim etiam viduas deſignavêre; quæ ſub prælii tempus alternis ſenæ continenter orarent, in ſacello, cui ab eremo nomen, ubi D. Virginis imago miraculis celebris colebatur, exinde partâ victoriâ celebrior. Quamquam in ea re non preces viduarum ſolummodò eminent, ſed auxilium præſertim victricis Virginis, de quo aliàs erit forſan in Commentariis ad lib. 2. dicendi locus.

XXI. Pueri miſericordiam Dei flectût. Sacerdotes Fideles Ninivæ non erant: juſti nulli juſtæve civium, quod ſciamus, in urbe Infideli & perditorum morum: permiſti exulum Iſraëlitarum aliqui, de alio utique quàm Levitico genere, veniam à Deo obtinuêre, conjunctis puerorum infantiumque lacrymis. Innoxiæ enim ætatis reſpectu præcipuè, ad miſericordiam ſeſe flexum fuiſſe Deus ipſe ſignificat, Jonæ 4. cùm eorum meminit, qui neſciebant quid intereſſet *inter dexteram & ſiniſtram ſuam.* Suprà diximus Joſaphatum, imminentibus Regulorum trium hoſtilibus copiis, communes orationes indixiſſe, fœliciſſimo eventu: aderant parvuli, præcipui deprecatores apud innocentiæ amatorem Deum. Neque infantium obliti ſunt Bethulienſes, Judith 8. quando illos proſtraverunt ad eam urbis ſuæ partem, quæ Hieroſolymitanum templum ſpectabat: velut invidiam cælo facturi, ſi ætas peccare neſcia publicis reorum parentum calamitatibus involveretur. Joël cap. 2. ad avertendam Dei vindictam ſupplicationes univerſo populo indici vult, nominatimque congregari parvulos, ipſoſque adhuc ubera ſugentes, lactei corporis ac mentis. *Nova* enim *bella elegit Dominus*: vim ſibi fieri, ad exarmandam iram ſuam, ab imbellibus cupit: invictus vinci ſe ab illis patitur, qui arma numquam adversùs cælum geſtaverint.

Hebræorum exemplo Ethnici, quando aliquid publicè ab ſuperis impetrandum erat, pueros turmatim ad templa oraturos, aut, ſi nondum per ætatem orare poterant, orantium ſpeciem exhibituros allegabant. Ita narrat Jamblichus in vita Pythagoræ lib. 1. c. 10. nominatimque ait, quando, ſicco cælo campi exareſcebant, ac meſſis periclitabatur, ſolitos impetrandæ pluviæ circumire ſupplicabundos puerulos, ac puellulas. Eam enim ætatem Numini eſſe gratiſſimam. Et apud Latinos poëtas legimus, per communia diſcrimina impuberibus pueris ac puellis ſcriptos hymnos, quorum cantu ſuperos ad publica vota flecterent. Quidni autem eum morem ab Hebræis ad Ethnicos, quemadmodùm & alios multos, imitatione traductum dicamus, per æmulam religionis ſuperſtitionem? Quemadmodùm & alii multi ritus, uti ad verſ. 48. hujus capitis in Comm. monuimus, ad Gentiles à Judæis tranſiêre. XXII. Ethnicis id etiam uſurpatum.

Manet apud Chriſtianos, hodiéque, pia conſuetudo infantium precibus ac ſupplicationibus adhibendorum. Stant albati in adytis templorum, dum officia Eccleſiaſtica perſolvuntur: incedunt medii, mediæve, inter ſupplicantium pompas. Et quamvis ſimplicium annorum inſcitiâ, vel non orent, vel nondum orare didicerint: cæterorum tamen precationes, conjunctione ac præſentia ſua, adjuvant apud illum, qui dixit, Matth. cap. 19. & Marc. 10. *Sinite parvulos venire ad me.* Sic B. Franciſcus Saleſius Genevenſis Epiſcopus platêas frequens obire ſolebat, binis omnino terniſve ſacerdotibus comitibus, proſequente agmine puerorum ſupplicantium, quorum voces gratiores Deo fore, quàm ſuas, vir ſanctus arbitrabatur: ut perhibent, qui vitam ejus ſcripſêre. Similem in modum apud Spond. anno 1450. Guilielmus Carterius Epiſcopus Pariſienſis, poſt Francorum illuſtrem de Anglis victoriam, ubi horum millia quatuor, illorum viri omninò octo deſiderati fuerant, ſupplicationem decrevit ab Eccleſia S. Innocentis ad ædem S. Mariæ, quâ puerorum millia duodecim, ab anno ſeptimo ad undecimum, bini proceſſêre, ſingulique faces cereas accenſas geſtavêre. XXIII. Frequentatum a Catholicis.

Celebratum eſt Albuquercii facinus, apud Oſorium rerum Emmanuelis ſcriptorem. Rebus Luſitanicis ac Chriſtianis Malacæ conſtitutis, in citeriorem Indiam renavigans, tam atroci tempeſtate jactatus eſt, ut navis jam una parte fatiſcens undas hauriret. Vectores omnes, ut in iſtis periculis ſolet, ad vota verſi ſuperos inclamabant. At ipſe puerulum conſpicatus, in demerſâ parte navis naufragio proximum, in humeros ſuſtulit, tamdiúque tenuit, dum ab aliis navibus ſcaphæ ad evadendum ſubmitterentur: identidem inclamans, equidem ſe criminibus ſuis mortem commeritum, ab iſtius tamen pueri innocentia ſubſidium ſperare. Pueri unici ſocietas magno duci fiduciam attulit, & ſalutem: quidni ab agminibus puerorum, inter communes preces nobiſcum orantium, aut orantibus ſimilium, opem divinam naufraganti Europæ impetratum iri ſperemus? XXIV. In naufragio puer ſpem animat.

Cariorem credo longè eſſe Numini teneram culparumque neſciam ætatem, quàm Regibus, Imperatoribúſve. Atqui ſæpè legimus, victoribus urbes provinciaſque, rebellionis damnatas, illorum reſpectu perniciem evaſiſſe. Narrat Petrus XXV. Victor à pueris vincitur.

Matthæus,

Matthæus, Genuenſes, excuſſo Regis Ludovici XII. patrocinio, cùm bello idcirco petiti, ingentique prælio fracti fuiſſent, jamque acies victrix urbi inſtaret, neque auxilii quidquam aliunde, quàm ab hoſtis clementia ſperaretur: ut eam obtinerent, mulieres ac liberos ex urbe ad Regem iratum emiſiſſe, ramos manibus prætendentes, ſupplicique habitu ac voce miſericordiam inclamātes: eo ſpectaculo commotum Regem, civitati, gentique ruituræ, peperciſſe.

XXVI. Iam. Apud Raderum noſtrum tomo 1. Bavariæ ſanctæ, D. Henricus Imperator, obſidens Trojam Apuliæ urbem, obſtinatione civium accenſus jurārat, ſe quidquid maſculini ſexus foret internecioni daturum. Sperabant cives auxilium à Baſilio Græcorum Imperatore. Sed eo deſperato, compulſi ad deditionem, ut animum irati Cæſaris flecterent, monachum miſère cum Cruce, juſſis ſubſequi pueris omnibus, adeóque ipſis fermè infantibus. Veniunt in caſtra ad Cæſarem, lugubrique voce inclamant, κύριε ἐλέησον, *Domine miſerere.* Vidit ille, & illacrymavit: immotus tamen in ſententia, agmen illud validiſſimum à ſe abſcedere in urbem juſſit, cum dicto: Viderent, qui innocenti turbæ auctores necis eſſent; ſibi certè eam imputari non debere, ſed præfractæ rebellium parentum pertinaciæ. Nondum tamen abjecta ſpe veniæ, remiſſi poſtridie legati iidem, eâdem formâ & eloquenciâ. Tunc verò pius Cæſar, cùm tenere ſe ampliùs non poſſet, de ſede proſiluit dicens, *Miſereor ſuper turbam.* Mox pax urbi data, abolitis injuriis omnibus, eâ ſolùm impoſitâ lege, ut mænium pars ſubrueretur: quam etiam conditionem clementiſſimus Cæſar, rogantibus proceribus urbis paullò pòſt remiſit.

SECTIO SEPTIMA.

Orationis ſubſidia.

I. Locus orationis. AD formam orationum quarumlibet publicarum privatarúmve pertinet, D. Thoma teſte, ut Piè fiant, & Perſeveranter. De quibus conditionibus, quia ad argumentum noſtrum privatim non ſpectant, & ab aliis tractari ſolent, pauca breviter dicemus, aut potiùs, quæ dici poſſint, indicabimus. Pietati conducunt tria, locus orationis, ſitus corporis, compoſitio animi, & hæc præcipua eſt pietatis pars & velut eſſentia. De loco, ad publicas præſertim pro communi neceſſitate precationes, conſtat *Domum Dei eſſe domum orationis*, Iſa. 56. Matth. 21. &c. Primùm, quia oratione conſecratur, & cæremoniis Eccleſiaſticis; nunc quàm maximè diviniſſimo ſacrificiorum omnium. Deinde quia orationes ibi fiunt ab Angelis, qui templis delectantur: à ſanctorum animabus, quæ corpora ſua amant, unde Joannes, Apoc. 9. videbat ſubtus altare animas interfectorum, &c. à vivis, qui ad templa concurrunt, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, atque invitamento Sanctorum. Denique, quia efficaciores ſunt in templo preces: primùm ex eo, quòd magis piè Chriſtiani illic orare ſoleant, conciliante pietatem præſentiâ Chriſti, Sanctorum reliquiis, &c. vide S. Thom. 2. 2. quæſt. 84. v. 4. Deinde, quia fiduciâ majori oratur, ubi plures orant: præterea quia majore animi puritate oratur, & ipſe ingreſſus templi purificat. vide S. Thom. 3. p. quæſt. 83. art. 3. Denique, quia exauditio certior in templo promiſſa eſt, Iſ. 56. *Lætificabo vos in domo orationis meæ.* Confer cum his, quæ diximus ad v. 45. & 46. ſuprà.

Eſto itaque velit Paullus 1. Tim. 2. *viros levare manus puras in omni loco*: Chriſtus dicat Samaritanæ, Deum ubique præſentem, ubique orandum: II. Situs orantis. Sancti in carcere, in mari, in cubiculis, in conſortiis orārint: & Auguſtinus lib. 1. de Ordine Licentium à D. Monica matre ſua reprehendi non probet, quòd in quibuſvis angulis caneret, *Domine Deus virtutum converte nos, & ſalvi erimus.* Conſtat tamen, locum peculiarem orationis, maximè de publicis rebus, templum eſſe. Adde, in loco publico corpus ad pietatem decoro ſitu magis ſolere componi. Verum quidem, Deo preces offerri poſſe fructuosè qualibet compoſitione membrorum. Ita Aug. docet ad Simpl. lib. 2. q. 4. à ſtantibus, flexis, ſedentibus orari poſſe: exemplo primùm Publicani Luc. 18. deinde D. Stephani, & Apoſtoli Act. 7. & 20. tum Davidis 2. Reg. 7. & Heliæ 3. Reg. Imò & jacentes orare poſſe, ex Pſ. 6. cui addere poſſis jacentem in lecto Ezechiam.

Idem tamen eodem loco vigilanter advertit, III. Quando quærendus. de compoſitione membrorum cogitari non debere, quando Deus ipſemet ſeſe animæ per orationem infundit: at ubi quærenda eſt pietas, neque ultrò offertur à Deo, tunc ſitum aliquid conferre. Verba ejus ſunt. *Cùm quæritur oratio, membrorum ſitum accommodari ad movendum animum: cùm autem infertur appetitus orandi, non eſt utique differenda oratio, ut quæramus, ubi ſedeamus, proſternamur, &c.* Et lib. de cura pro mortuis c. 5. dicit: *flectere genua, extendere manus, ſe ſolo proſternere, etſi exteriora ſint dum oramus, ex interiori tamen affectu oriri, eúmque augere, adeóque non eſſe inutilia.* Conſule ea de re Baronium anno Chriſti 58. numero 102. & ſequentibus: ubi diſces, numquam ab Eccleſia neglectum in orationibus, præſertim publicis, ſitum: Chriſtianos orare de geniculis non ſolitos à Paſcha ad Pentecoſten, ex Tert. Ex epiſtola verò Nicolai Papæ ad Bulgaros, ſtando, flectendo, pectora percutiendo, conſtrictis & complicatis ad pectus, reorum inſtar, manibus, olim orare Fidelibus ſolenne fuiſſe. Significationes earum cæremoniarum attingit D. Th. 2. 2. q. 84. art. 2.

Euſebius Gallic. homiliâ in illud, *Ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi in medio illorum ſum*, valdè piè explicat de conſenſu corporis & mentis inter orandum, ut duo ſimul orent. Oret corpus, membris ſingulis benè compoſitus, ſi fieri poteſt: mens tamen agat partes præcipuas. IV. Compoſitio animi per attentionem. *Quomodò*, inquit, *probabitur congregatus, ſi à ſemetipſo cogitationum divagatione diſperſus eſt? Aut quomodò erit Deus in medio tui, ſi tecum ipſe non fueris? Si deeſt ille qui poſcit, quomodò aderit ille qui poſcitur? Quomodò ſuſcitabitur judex, ſi dormierit advocatus? Oportet itaque, ut quod poſtulat vocis ſonus, obtineat ſedulitatis affectus.* Hæc prima pietatis internæ pars eſt, Attentio ad id quod petimus: cui plurimum conferet vivax præcogitatio operis, quod orando præſtamus; & quis ille ſit, quem allocutum imus. Juvabit item ſolitudo corporis, ut clauſo ſenſuum oſtio oremus: ſolitudo intellectûs, ut nimis multa ante orandum ſcire nolimus, præſertim quæ ad nos non ſpectant: ſolitudo voluntatis, ut omnia, quæ volumus, ad Deum atque animum referamus. Sequetur eas ſolitudines neceſſaria excluſio curarum omnium ante orandum. Nam, ut inquit Baſilius ep. 1. ad Greg. Nanz. *uti oculus circumactus non poteſt benè intueri rem objectam: defigi debet in unum locum, ut benè videat. Ita*

mens

mens curis diſtracta non poteſt cernere veritatem. Silentio opus eſt orantibus,

Nam templum Domini per ſacra ſilentia creſcit,
Et tacitè ſtruitur non ruitura domus, ait Proſ. epigr. 26. Epigr. item 81.

Tranquillam, & curis vacuam, ſapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hoſpes erit.

De evagationibus, & earum remediis, luculentè multi.

V. Per fervorem, aut ardorem animi.

Altera pietatis internæ pars eſt ardor animi. Deeſſe hanc nobis frequenter Auguſtinus conqueritur, lib. 1. ad Simpl. ſub finem: *Nonne aliquando oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & penè nulla, imò omninò interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus?* Defectûs autem hujus variæ cauſſæ ſunt: à Deo, noſtrum nobis nihilum ingerere volente, ſubtractâ gratiâ quam ſentiamus: à dæmone, humores corporis commovente, & frigus immittente, ut orationem, à qua bona nobis omnia procedunt, reddat inſuavem; à naturali corporis malè affecti & dejecti conſtitutione, quâ per conſenſum animus malè afficitur: ex defectu fidei de Deo præſente, & ſpei de ejus bonitate, maximè autem ex defectu caritatis. Aug. in pſ. 37. agens de clamore in oratione: *Frigus caritatis, ſilentium cordis eſt: flagrantia caritatis, clamor cordis. Si ſemper manet caritas, ſemper clamas: ſi ſemper clamas, ſemper deſideras.* Conſule & ipſum quæſt. 52. ſuper Exodum, ubi de clamore Moſis agit. Nos his contenti ſumus de piè orando.

VI. Tempus orationis quale eſſe debeat?

Ad Perſeveranter orandum duo ſpectant, Temporis aptitudo, & Duratio. Arabes dicunt: *Sapientiſſimum hominum eſſe, qui fines reſpicit.* Non minùs aptè dixerimus: Prudentiſſimum hominem eſſe, qui tempora rebus idonea novit eligere. Prudentia politica, militaris, œconomica pendet à tempore. Medicus, mercator, agricola tempora eligunt: *Omni enim rei tempus eſt, & opportunitas*, Eccl. 8. & 9. *Omnia tempus habent.* Ipſum ſalutis noſtræ negotium occaſiones ſuas habet, & momenta idonea, monemurque, ut *quæramus Dominum dum inveniri poteſt*, & intremus antequam *clauſa ſit janua.* Ita & orationi ſua ſunt tempora: ait enim Deus 2. Cor. 6. *In tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Quod verò eſt tempus illud acceptum? Poteſt id quæri de eo qui oratur, & de eo qui orat. Deo, qui oratur à nobis, certum eſt omne tempus eſſe idoneum: paratas ſemper aures habet: numquam ipſi incommodamur, nec faciles aditus aut mollia fandi tempora ſunt quærenda, quâ de re aliquid Drexelius Rhetoricæ lib. 2. cap. 11. §. 4.

VII. Quodnam convenientius in anni partibus, & diei?

Aliter ſe res habet in homine, qui orat. Ejus enim pietas, aliaque ad efficaciam orationis facientia, multum pendent à varietate temporum. Quid autem hîc quæramus? An quâ ætatis ſuæ parte magis orare debeat homo? Infantiam Deo placere monuimus ad calcem præcedentis ſectionis. Orare tamen etiam debet juvenis, in ætate maximè periculoſâ, in bivio virtutis & vitii: oret vir, in ætate negotiis maximè implicatâ: oret ſenex, ad portam æternitatis proximè poſitus inſtar mendici. *Oportet ſemper orare*, Luc. 18. id eſt omnibus vitæ partibus. Quærat aliquis, quâ potiùs anni parte orandum ſit? Dicam hyeme orandum, quia plus otii eſt, & in illam incurrunt ſanctiſſima tempora Adventûs, & Quadrageſimæ: Vere, quia tunc ſolent Reges ad bella procedere 2. Reg. 11. & pax petenda eſt: Æſtate, quia tunc meſſis & vindemia, & omnia vitæ humanæ neceſſaria, aut conducibilia, periclitantur: Autumno, quia tunc meſſem ſuam & vindemiam Deus habet, & frequentes ſunt mortes. Itaque & ſic *Oportet ſemper orare.* Cui fini Deus in Veteri Teſtamento ſic feſta præcipua diſtribuit, ut in partes anni ſingulas incurrerent. Addidit ineuntibus menſibus Neomenias, Sabbatha ſeptimanis, ſacrificia in ſingulos dies. Id ipſum in Eccleſia Spiritus Dei ſanxit, ſparſis per annum ſolennioribus feſtis, Dominicis in menſes & ſeptimanas diſpoſitis, præſcriptaque oratione quotidiana, ut dicere poſſimus, *Per ſingulos dies benedicimus te.* Nam & huc ſpectat iſtud monitum, *Oportet ſemper orare:* Deo enim omni die indiges: adeoque ut Tertull. ajebat lib. de exhort. Caſt. *Quotidie, omni momento, oratio neceſſaria eſt.* At quâ potiſſimùm diei parte orandum? Neque enim in momenta orari poteſt: & Cæſari ſua etiam reddenda ſunt. Pſalmiſta, Iſaias, Sapiens matutinam orationem maximè commendant; & verò tunc ſerenior anima, purior conſcientia, corpus compoſitius, tempus tranquillius eſt; qua de re aliquid dicturi ſumus in Comm. ad cap. 4. v. 52. At nonne etiam veſpere orandum claudendo diei? Nonne meridie in fervore cogitationum ac rerum? Ut ter minimùm quotidie invocetur Deus, exemplo Danielis cap. 8. & monito Pſalmiſtæ, pſ. 54. Unde forſan D. Ludovicus Galliæ Rex auctor fuit, ut ære campano manè, meridie, ac veſpere ſignum orandi publicum detur: eam enim conſuetudinem ab ipſo manâſſe, perhibent multi.

VIII. Apta ſunt orando infelicia tempora.

Quærit Drexelius noſter, diurnúmne tempus an nocturnum precibus aptius: & quædam pro nocturno affert, ex Bernardo præſertim ſerm. 84. in Cant. tum ex Chryſoſtomo, & ab exemplo Chriſti, aliiſque. Addi poſſit Cyprianus lib. de Orat. ubi docet nocte orandum: *quia filiis lucis etiam in noctibus dies eſt. Quando enim ſine lumine, cui lumen in corde eſt?* Sed, omiſsâ illâ quæſtione, hoc petamus, tempúſne diurnum fælicitatis, an tempus nocturnum calamitatis, vel periculorum, orando Deo ſit magis idoneum? Et hîc omnes audio pronuntiare, numquam efficaciores eſſe precationes, quàm ubi miſeriæ ingruunt. Rationes ſunt: quia Deus vult, *Invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me*, pſ. 49. quia tunc ardentiùs oramus, ob ſenſum noſtræ infirmitatis, & divini auxilii neceſſitatem, & magis Deo tunc fidimus: vide hac de re totum pſalmum 06. Atqui ſemper eſt vel privata aliqua noſtra, vel publica Eccleſiæ neceſſitas: ergo *in noctibus extollite manus veſtras in Sancta*, ut Anna, Judith, Eſther, Ezechias, David fecêre. Conſolere poteris hac de re Mendozam, in lib. 1. Reg. Ann. 9. ſect. 1.

IX. Aptius tempus proſperitatis.

Non tamen dubitem aſſeverare, longè gratiores eſſe Deo preces, quæ proſperitatis tempore fiunt, quàm quæ tempore calamitoſo. Primùm, quia tunc minùs admiſtum habent amoris proprii, & puriori intentione fiunt: gratiores autem Deo eſſe diximus orationes, quò melior eſt finis. Deinde, quia tunc minùs ſunt coactæ, prodeuntque ex corde magno & animo volenti; *hilarem autem datorem diligit Deus.* Sic præcipuæ tres orationes Evangelicæ factæ ſunt tempore proſperitatis: à Maria Virgine *Magnificat*, à Zacharia *Benedictus*, à Simeone *Nunc dimittis.* Ad extremum, quia prudentis eſt occurrere potiùs malis venturis, quàm adverſùs illa pugnare, cùm advenerunt: & majorem laudem meretur medicus, qui oportunis medicamentis, quæ præſervativa vocamus, peſtem

avertit,

avertit, quàm qui jam artus depaſcentem expellit. Matth. 26. & Mar. 14. murmuratur contra piam mulierem, quæ unguento trecentorum denariorum, in caput Chriſti effuſo, domum totam odore implevit: defendit illam Chriſtus, & ab omnibus laudari vult, quia prævênit. Murmurent tenuis pietatis homines, cùm publicæ preces antevertendis malis publicis indicuntur: *unguenta* ſunt *ſuaviſſimi odoris Domino: Bonum eſt & jucundum habitare* & orare *fratres in unum, ſicut unguentum quod ex capite* ſummi Pontificis defluit *in oram veſtium*, quibus populus univerſus adumbrabatur. Quereris iſtud uoguentum ante neceſſitates publicas effundi, & dicis, *Ut quid perditio hæc?* Audies à Chriſto laudandam diligentiam Eccleſiæ, quia *prævênit*.

X. *Perſeveranter orandum.* Non ſufficit idonei temporis ad orandum electio, niſi adſit perſeverantia: *Oportet enim ſemper orare, & non deficere.* In omnibus operibus bonis, ut rectè monuit Bern. ep. 24. ad Gilbertum Epiſc. London. *Cauda beſtiæ capiti jungatur.* Idem ep. 129. ad Conſules, Conſiliarios, & cives Januenſes, ſive Genuenſes, poſtquam eos collaudavit, quòd ſuas conciones avidè excepiſſent, & factis audita ſecuti eſſent: *Et quid*, inquit, *reſtat cariſſimi, niſi ut admoneamini de perſeverantia? Quæ ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Porrò abſque perſeverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur... Soror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis... Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Quod generatim de virtutibus omnibus, & bonorum operum exercitio, rectè ſtatuit Bernardus, id de oratione nominatim ac disertè Chriſtus monuit; efficacem fore, ſi comitem habeat perſeverantiam. Piè & commodè Drexelius, lib. de Rhetorica cæleſti, dicit, orationis quatuor partes eſſe: exordium ab humilitate, cui aptes, quæ de compoſitione corporis diximus: narratiooem ab attentione, de qua etiam locuti ſumus: confirmationem à fiducia, ſeu, ut nos expoſuimus, ab incenſæ mentis ardore: perorationem victricem, & perſuadendi potentem, à perſeverantia.

XI. *Parabolis oſtenditur.* Eò ſpectat, quod Chriſtus dixit Luc. 11. *Petite, Quærite, Pulſate.* Plus eſt quærere, quàm petere: plus eſt pulſare, quàm quærere. Et quidem vult omninò, ut perſeveretur pulſando, adhibetque parabolam hominis, ab amico vicino panes cum importuna conſtantiâ flagitantis, & impetrantis. Cujus parabolæ partes omnes ſi perpenderis, videbis non alio ſpectare, quàm ad perſeverantiæ commendationem. De nocte ſurgit, clauſis jam domorum foribus. Amicum vocat, inſtat rationibus; viatorem ad ſe divertiſſe, amicum eſſe ſibi, adeoque & illi. Neceſſitatem exponit, non eſſe ſibi quod ponat ante illum. Repulſam paſſus, non abſcedit, etſi tam præcisè reſponderetur, non poſſum ſurgere. Excitat dormientem, evocat invitum, quia perſeverat pulſans. Chryſoſt. hom. 24. in Matth. qui cap. 17. eamdem parabolam narrat, *Tu igitur*, inquit, *iſta conſiderans ne deſiſtas, donec accipias: quamdiu invenias, ut recedas; nec omninò abeas quoadusque clauſa reſerentur. Si enim cum hoc ſtudio mentis acceſſeris, & dixeris, niſi accepero, non recedam, prorsùs recipies.* Alludere etiam videtur Chryſoſtomus ad luctam Jacobi cum Angelo Gen. 32. in quâ orationis figura valdè expreſſa eſt, quando Jacob dixit: *Non dimittam te, donec benedixeris mihi. Benedixitque ei*, Angelus, *in eodem loco.*

XII. *Etiam peccator perſeverans obtinet.* Non omittenda pia & docta Toleti animadverſio, ad efficaciam perſeverantiæ. Eum qui jam in lectulo ſeſe ad ſomnum compoſuerat, ſurrecturum ait Chriſtus, & daturum, perſeveranter pulſanti, *panes*, non *tres* tantùm, ſed *quotquot habet neceſſarios*: & daturum, etſi non *quia amicus ejus eſt*, tamen *propter improbitatem ejus*, id eſt, quia cum impudenti quadam importunitate, & cum calore, obſtinatè petit. Unde confici poteſt, etiam peccatorem à Deo neceſſaria poſtulantem, etſi non obtineat amicitiæ titulo, quo caret, obtenturum tamen conſtanti ſtudio poſtulandi. Idem ex parabola viduæ Luc. 18. colligero. Chriſtus, poſteaquam dixit, *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*, ad exemplum deligit fœminam, cui minor ad petendum & importunè inſtandum verecundia eſt: & viduam quidem, cujus aſſidua neceſſitas aſſiduitatem poſtulandi faciliùs excuſat. Urget vidua apud judicem, obtinetque, non quia ipſi grata, aut quia muneribus eum conciliavit, ſed ob perſeverantiam ſolam: ut intelligamus, etiam cæteris orationis conditionibus deficientibus, perſeverantiam tamen mirè efficacem eſſe. Quod in Chananæa Infideli muliere, & Deo inimica, manifeſtè cernitur.

XIII. *Qualis debeat eſſe perſeverantia.* Promiſſa tamen non eſt indubitata impetratio, niſi amicis Dei perſeveranter orantibus: adeoque magni refert, ſcire qualis & quanta debeat eſſe perſeverantia. Difficulter id poſſe definiri ait Suarez cap. 23. de Oratione in communi, multaque diſputat. Nos, omiſſis ſcholaſticis diſceptationibus, tria exiſtimamus eſſe neceſſaria, ut dicamur *ſemper orare, & numquam deficere.* Primum ſit, ut ex quo orare cœpimus, donec optata conſequamur, non interrumpamus voluntatem orandi actu contrario, id eſt ne nolimus orare, quia deſperamus de fructu. Alterum, ne interim peccato aliquo gravi amicitiam cum Deo abrumpamus: aut certè, ſi id mali contigerit, illicò amicitiam redintegrare conemur, ut pro non abrupta haberi poſſit. Nam ſi voluntas orandi intercidat, vel gratiâ divina excidatur; ſimul abrumpetur Dei promiſſio, quæ perſeverantiæ continuatæ facta eſt: quamvis interdum divina liberalitas, ſupra meritum, & ultra promiſſum, largiatur, quomodò Chananææ.

XIV. *Aliæ conditiones.* Tertium ſit, ut identidem precemur, eamdemque rem iteratis orationibus, renovato deſiderio ac fiduciâ, à Deo expoſtulemus: hoc enim eſt *ſemper orare & numquam deficere.* Non jubet Chriſtus, ut omiſſis actionibus aliis omnibus uni orationi vacemus, ſed vult orari identidem, & numquam nos animo langueſcere. Non quòd ſemper eodem modo ſimus compoſiti, ſed quia debemus conari nos diſponere. Iſta eſt Auguſtini explicatio in pſ. 36. Chryſ. hom. 79. & aliorum, quos apud ejus loci interpretes videre poteris. Sic etiam accipio illud de Anna Samuelis matre 1. Reg. 1. *Vultus illius non ſunt ampliùs in diverſa mutati*; poſtquam pro filio ſuſcipiendo precata fuerat, numquam deinceps animo defecit. Ita D. Heribertus apud Rupertum in ejus Vitâ, indicto triduano jejunio, ſupplicationibus, precibus, ad avertendam Numinis iram tempore ſiccitatis & peſtis, *facit hoc inſtanter, &, ſicut de Anna propheteſſa ſcriptum eſt, vultus illius non ſunt ampliùs in diverſa mutati: non antè deſtitit, quam ſuis condignum meritis reſponſum calitùs accepit.*

XV. Exempla perſeverantiæ. Quæris, quomodò perſeverandum? Ex forma propoſitorum paſſim in ſacris Literis exemplorum. Gen. 25. Iſaacus quadragenarius uxorem ducit, ſexagenario naſcuntur parvuli, poſtquam deprecatus fuit Dominum pro uxore, eò quòd ſterilis eſſet: *Docet nos*, inquit Chryſ. hom. 44. in Gen. *Deus magnitudinem patientiæ Iſaaci, ut eam imitemur, & aſſidui ſimus in oratione.* Iſaacus noſter, Chriſtus pro nobis immolatus, eidem perſeverantiæ docendæ, *pernoctavit in oratione Dei*, & ter repetiit *eundem ſermonem dicens*: cæcum ſanavit, qui, *quò magis increpabant, eò magis clamat, dicens: Fili David miſerere mei*: voluit, ut Apoſtoli ſui, ad Spiritum Sanctum impetrandum, eſſent *unanimiter perſeverantes in oratione.* Fac quod Centurio Act. 10. *deprecans Deum ſemper*, id eſt ſtatis horis, quantum per negotia licebat. Imitare claudum Act. 3. conſtantiſſimè ſedentem, & ſtipi flagitandæ intentum, ad Templi portam. Idem exemplum ubique nobis ad templorum Chriſtianorum fores Providentia divina propoſuit: ut diſcamus quàm perſeveranter orandus ab homine Deus, cùm ita de recula homo oretur ab homine. In publicis præſertim cauſſis faciendum, quod ſcribebat Bernardus ep. 221. ad Ludov. Regem Franc. *Profectò ſtabimus, & pugnabimus uſque ad mortem, ſi ita oportet, pro matre noſtra: non ſcutis & gladiis, ſed precibus fletibúſque ad Deum.* Cætera de oratione dicentur ad cap. 3. lib. 2.

CAPVT

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM.

Gorgias cum parte copiarum nocte Iudaos aggredi ſtatuit, Nicanore in caſtris relicto. Eo conſilio intellecto, Iudas, eadem nocte, ſuos adversùs Nicanorem ducit, venitq́ in ejus conſpectum, prima luce: caſtris ad pugnam egreſſum fugat, fugientem inſecutus, Syro-Macedonum tria millia interficit: reductos ad locum certaminis ſuos à ſpoliis abſtinet, donec debellatum ſit cum Gorgia: qui cùm caſtra Iuda vacua inveniſſet, ratus eum fugiſſe, ad Nicanorem revertebatur; ſed ex itinere conſpectâ Iudaorum acie, & caſtrorum ſuorum fumo, cladem odoratus, fugit ad Philiſthaos. Tum denique ſecuri Iudai ſpolia invadunt. Anno ſequenti Lyſias, per ſe bellum geſturus, in Iudaam penetrat: ſed à Iuda caſus, amiſſis quinque ſuorum millibus, ad reparandas vires Antiochiam ſe recipit. Poſt hac, prima Iuda cura fuit, de reſtituendo Templo, religionis arce: contendit cum omnibus copiis Hieroſolymam: diſpoſitis, qui arcis praſidiarios continerent, mundat Templum, altare & vaſa ſacra inſtaurat, offert ſacrificia eodem die, quo Gentiles altare profanârant. Ad dies octo feſtum Encaniorum celebratur, annuumq́ deinceps indicitur. Mons Sion, ad vim Gentilium arcendam, munitur: & Bethſura, locus Hieroſolyma vicinus, & oportunus, praſidio firmatur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET aſſumpſit Gorgias quinque millia virorum, & mille
equites electos: & moverunt caſtra nocte, 2. ut appli-
carent ad caſtra Iudæorum, & percuterent eos ſubitò: &
filii, qui erant ex arce, erant illis duces. 3. Et audivit Iudas,
& ſurrexit ipſe, & potentes, percutere virtutem exerci-
tuum regis, qui erant in Emmaüm. 4. Adhuc enim di-
ſperſus erat exercitus à caſtris. 5. Et vênit Gorgias in caſtra
Iudæ noctu, & neminem invênit, & quærebat eos in montibus: quoniam
dixit: Fugiunt hi à nobis. 6. Et cùm dies factus eſſet, apparuit Iudas in cam-
po cum tribus millibus virorum tantùm; qui tegumenta & gladios non ha-
bebant: 7. Et viderunt caſtra Gentium valida, & loricatos, & equitatus in
circuitu eorum, & hi docti ad prælium. 8. Et ait Iudas viris, qui ſecum erant:
Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis.
9. Mementote qualiter ſalvi facti ſunt patres noſtri in mari rubro, cùm ſeque-

retur eos Pharao cum exercitu multo. 10. Et nunc clamemus in cælum, &
miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti patrum noſtrorum,
& conteret exercitum iſtum ante faciem noſtram hodie: 11. Et ſcient omnes
Gentes, quia eſt qui redimat & liberet Iſraël. 12. Et elevaverunt alienigenæ
oculos ſuos, & viderunt eos venientes ex adverſo. 13. Et exierunt de caſtris
in prælium, & ruba cecinerunt hi qui erant cum Iuda. 14. Et congreſſi ſunt:
& contritæ ſunt gentes, & fugerunt in campum. 15. Noviſſimi autem omnes
ceciderunt in gladio, & perſecuti ſunt eos uſque Gezeron, & uſque in campos
Idumææ, & Azoti, & Iamniæ: & ceciderunt ex illis uſque ad tria millia viro-
rum. 16. Et reverſus eſt Iudas, & exercitus ejus, ſequens eum. 17. Dixítque
ad populum: Non concupiſcatis ſpolia: quia bellum contra nos eſt, 18. Et
Gorgias & exercitus ejus prope nos in monte: ſed ſtate nunc contra inimicos
noſtros, & expugnate eos, & ſumetis poſteà ſpolia ſecuri. 19. Et adhuc loquente
Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam proſpiciens de monte. 20. Et vidit
Gorgias quòd in fugam converſi ſunt ſui, & ſuccendunt caſtra: fumus enim,
qui videbatur, declarabat quod factum eſt. 21. Quibus illi conſpectis timue-
runt valdè, aſpicientes ſimul & Iudam, & exercitum in campo paratum ad
prælium. 22. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum: 23. Et Iudas
reverſus eſt ad ſpolia caſtrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum,
& hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas. 24. Et converſi,
hymnum canebant, & benedicebant Deum in cælum, quoniam in ſæculum
miſericordia ejus. 25. Et facta eſt ſalus magna in Iſraël in die illa. 26. Qui-
cumque autem alienigenarum evaſerunt, venerunt, & nuntiaverunt Lyſiæ
univerſa quæ acciderant. 27. Quibus ille auditis, conſternatus animo defi-
ciebat: quòd non qualia voluit, talia contigerunt in Iſraël, & qualia manda-
vit Rex. 28. Et ſequenti anno congregavit Lyſias virorum electorum ſexagin-
ta millia, & equitum quinque millia, ut debellaret eos. 29. Et venerunt in
Iudæam, & caſtra poſuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem
millibus viris. 30. Et viderunt exercitum fortem, & oravit, & dixit: Bene-
dictus es ſalvator Iſraël, qui contriviſti impetum potentis in manu ſervi tui Da-
vid, & tradidiſti caſtra alienigenarum in manu Ionathæ filii Saül, & armigeri
ejus. 31. Conclude exercitum iſtum in manu populi tui Iſraël, & confun-
dantur in exercitu ſuo & equitibus. 32. Da illis formidinem, & tabefac auda-
ciam virtutis eorum, & commoveantur contritione ſua. 33. Dejice illos gla-
dio diligentium te: & collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum, in
hymnis. 34. Et commiſerunt prælium: & ceciderunt de exercitu Lyſiæ quin-
que millia virorum. 35. Videns autem Lyſias fugam ſuorum, & Iudæorum
audaciam, & quòd parati ſunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam,
& elegit milites, ut multiplicati rurſus venirent in Iudæam. 36. Dixit autem
Iudas, & fratres ejus: Ecce contriti ſunt inimici noſtri: aſcendamus nunc
mundare Sancta, & renovare. 37. Et congregatus eſt omnis exercitus, &
aſcenderunt in montem Sion. 38. Et viderunt Sanctificationem deſertam, &
altare profanatum, & portas exuſtas, & in atriis virgulta nata ſicut in ſaltu
vel in montibus, & paſtophoria diruta. 39. Et ſciderunt veſtimenta ſua, &
planxerunt planctu magno, & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum. 40. Et
ceciderunt in faciem ſuper terram, & exclamaverunt tubis ſignorum, & cla-
maverunt in cælum. 41. Tunc ordinavit Iudas viros, ut pugnarent adver-
ſus eos qui erant in arce, donec emundarent Sancta. 42. Et elegit ſacerdo-
tes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei. 43. Et emundave-
runt Sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.

44. Et cogitavit de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo
faceret. 45. Et incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud: ne fortè
illis eſſet in opprobrium, quia contaminaverunt illud Gentes, & demoliti
ſunt illud. 46. Et repoſuerunt lapides in monte Domûs in loco apto, quoadul-
que veniret Propheta, & reſponderet de eis. 47. Et acceperunt lapides inte-
gros ſecundùm legem, & ædificaverunt altare novum, ſecundùm illud quod
fuit priùs: 48. Et ædificaverunt Sancta, & quæ intra Domum erant intrinſecùs:
& ædem, & atria ſanctificaverunt. 49. Et fecerunt vaſa ſancta nova, & intule-
runt candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in Templum. 50. Et in-
cenſum poſuerunt ſuper altare, & accenderunt lucernas, quæ ſuper candela-
brum erant, & lucebant in Templo. 51. Et poſuerunt ſuper menſam panes,
& appenderunt vela, & conſummaverunt omnia opera, quæ fecerant. 52. Et
ante matutinum ſurrexerunt quinta & vigeſima die menſis noni (hic eſt men-
ſis Caſleu) centeſimi quadrageſimi octavi anni: 53. Et obtulerunt ſacrificium
ſecundùm legem, ſuper altare holocauſtorum novum, quod fecerunt. 54. Se-
cundùm tempus, & ſecundùm diem, in qua contaminaverunt illud Gentes,
in ipſa renovatum eſt in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis. 55. Et
cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt, & benedixerunt in cælum
eum, qui proſperavit eis. 56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo,
& obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris & laudis. 57. Et
ornaverunt faciem Templi coronis aureis & ſcutulis: & dedicaverunt portas,
& paſtophoria, & impoſuerunt eis januas. 58. Et facta eſt lætitia in populo
magna valdè, & averſum eſt opprobrium Gentium. 59. Et ſtatuit Iudas, &
fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſraël, ut agatur dies dedicationis altaris in tem-
poribus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vigeſima die menſis
Caſleu, cum lætitia & gaudio. 60. Et ædificaverunt in tempore illo montem
Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes,
& conculcarent eum, ſicut anteà fecerunt. 61. Et collocavit illic exercitum,
ut ſervarent eum, & munivit eum ad cuſtodiendam Bethſuram, ut haberet po-
pulus munitionem contra faciem Idumææ.

COMMENTARIUS AD CAPUT QUARTUM.

Gorgias ſcientia militaris: vide etiam verſ. 5.

℣. 1. 2. ET ASSUMPSIT GORGIAS QUINQUE MILLIA VIRORUM, ET MILLE EQUITES ELECT. ET MOVERUNT CASTRA, &c. Rectè Gorgias l. 2. c. 8. v. 9. dicitur *vir militaris*, *& in bellicis rebus experientiſſimus*. Id ex hoc facinore videre eſt. Fatigatos ex itinere Judæos occupare ſtatuit, nullo ipſis, ad reficiendum quiete corpus, dato ſpatio. In hunc finem, non toto exercitu rem aggreditur, ne iter ejus ſentiatur, ſed cum expeditis ſex millibus. In iis quinque peditum millia habet ad irrumpendum, equites mille ad inſtandum diſperſis & fugientibus. Noctu movet, ut adſit improviſus, & ad terrorem geminandum: exiſtimaturos enim Judæos, hoſtem cum omnibus copiis adeſſe.

Filii ex arce qui?

Fidos & gnaros ductores habet nocturni itineris, non indigenas Judæos, ſed præſidiarios arcis Hieroſolymitanæ, qui in Vulgata noſtra dicuntur, *filii, qui erant ex arce*, Græcè, per Hebraiſmum notiſſimum, *filii arcis*, id eſt in arce habitantes præſidiarii: ut fruſtra ſit cum Lyrano ſubaudire vocem, *alienigenarum filii*. Sic enim dicuntur *filii arcis*, quomodò *filii Sion*, *filia Ieruſalem*, id eſt cives Hieroſolymorum: *filii regni*, id eſt indigenæ: *filii Orientis*, id eſt Orientalium regionum incolæ: *filii Babylonis*, id eſt Babylonii: imò ſagittæ vocantur *filiæ pharetræ*. Ab iis viæ ducibus circumducitur per averſa itinera, & calles occultos, ut à tergo irruat incautis. Id enim ex eo colligo, quòd ducibus opus eatenùs non erat, ſi aperto itinere progredi voluiſſet. Vides Gorgiam nullo non boni ducis officio functum, adeoque meritò rei militaris ſcientiſſimum appellari.

Moralis applicatio Gorgiæ & Lyſiæ cum dæmone, & bello ſpirituali.

Pia eſt tropologia Rabani dicentis, per *Gorgiam dæmonem*, piorum hoſtem, adumbrari: ab eo *quinque peditum millia* aſſumi, quia per *quinque ſenſus* inſidias moliri ſolet, & qui eis ſerviunt ſibi adjungit: *mille equitibus* ſignificari *ſuperbiam*, diabolici exercitus robur, eamdem notari in *filiis arcis* viarum ducibus: *nocte* expeditionem ſuſcipi, quia viola ſunt *opera tenebrarum*, & nox mentibus offunditur ante peccatum: contrà, Judam in luce pugnare, figuram filiorum lucis, qui non odêre lucem, ut qui malè agunt, ſed manifeſtari volunt opera ſua, quia in luce ſunt facta. Hoc eodem capite, ſimili tropologiâ, *Lyſiam* facit *dæmonis figuram*: ab eo trahi *ſexaginta millia peditum*, quo numero ſignificatur

ſignificatur nobis perpetuò cum dæmone pugnandum, cùm *ſenarius*, temporis & laboris numerus ſit; quomodò ſeptenarius, quietis & æternitatis: habere *quinque equitum millia*, quibus *ſenſuum* corporeorum virtuti infeſtorum *quinarius* adumbratur: *bis terq; contritum, non tamen deſiſtere à nequitia, ſed rediviva ſemper reſuſcitare prælia*; quemadmodùm dæmon victus licèt ſæpiùs, non deſinit tamen pertinaciter inſtare victori. Iſta de multis delibata ſi placebunt, habebis quò tropologiam ornes; cùm ſcientiam militarem Gorgiæ cum experientia dæmonis conferes; cùm Lyſiæ potentiam expendes; cùm nomen ipſum interpretabere, quod à λύειν, id eſt *ſolvere* derivatum, *Diſſolutum* ſonat, & rectè cum dæmone convenit, *Diſſolutorum* capite, & auctore omnis diſſolutionis.

Cur milites Judæ hìc Potentes vocantur?

℣. 3. Et audivit Judas. Senſit Gorgiæ iter providus dux Judas: & occaſione utendum ratus, ut exercitum Regis, qui erat Emmaünte, percuteret, per Gorgiæ abſentiam deminutum ac debilitatum, anteverſo tempore pugnæ, quod pridie edixerat, cap. 3. v. 58. *ſurrexit ipſe, & potentes.* Noctu movit cum omnibus ſuis, qui nomine *potentium* intelliguntur: tum, ut alludatur ad id, quod Judas pridie inter hortandum dixerat, *eſtote filii potentes*: tum, ut intelligatur, quâ animi alacritate & fiducia proceſſerint: tum, quòd amotâ ex legis præcepto inutili turba, nulli ſupereſſent milites, niſi *potentes*, & generoſi.

Cur Judæ cognitum Gorgiæ iter, non contrà?

℣. 4. Adhuc enim diſperſus erat exercitus, Græcè *copiæ, à caſtris.* Intellige de Gorgiæ copiis, quæ nondum ad Nicanorem in caſtra redierant: fefellerat enim hoſtem Judas tacito itinere, & forſan etiam ad dexteram deflexo per montana, quò longiùs à Gorgia abeſſet, qui ut ex locorum ſitu colligi poteſt, ad ſiniſtram circumducebatur. Adverte, Judæ iter à Gorgia non cognitum; contrà Gorgiæ reſcitum à Juda: quod eò factum arbitror, non quia Gorgias exploratoribus caruerit, homo belli experientiſſimus; ſed quia, qui in hoſtili terra bellum gerunt, ab indigenis plerumque falluntur; qui autem in ſuâ, occultos paſſim habent amicos & nuntios. Hoc unum in bellis, quæ intra fines patriæ excipiuntur, inter plurima incommoda, commodum eſt.

Gorgiæ iter, & celeritas.

℣. 5. Et venit Gorgias in caſtra Judæ noctu, et neminem invenit, et quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis. Obſervs in Gorgia conſilium pariter boni ducis, & celeritatem. Nocte è caſtris egreſſus, per flexus viarum nocte vênit in caſtra Judæ: non repertum ſtatim abſque mora inſequitur, quà fugiſſe putabat: cumque pronum eſſet ſuſpicari, ad montana ac tutiora loca ſe recepiſſe, veſtigat eum per montes, quos ex loci poſitu intelligo, qui tribum Dan à tribu Juda diſterminant, & vocantur montana Judææ. Ad extremum, cùm neque illîc Judam deprehendiſſet, reditum, recto per eoſdem montoſos calles itinere, ad caſtra Nicanoris intendit.

Judæ acies qualiter inſtructa?

℣. 6. Et cùm dies factus esset, id eſt ſimul cum luce, ut Græcum ſonat, *apparuit Judas in campo*, id eſt in planitie, ubi ſcilicet erat Emmaûs, ut notatur c. 3. v. 40. *cum tribus millibus virorum tantùm.* Græcè non habetur *tantùm*, ſed πλὴν *verumtamen*, refertùrque ad ſequens membrum: *apparuit cum tribus millibus virorum: verumtamen tegumenta & gladios non habebant.* Ut etiamnum tangeretur experientiâ veritas eorum, quæ ſuis Machabæus tam ſanctè pronuntiârat, ante congrediendum cum Serone, ſuprà cap. 3. v. 18. & 19.

Quomodo Judæi dicuntur gladios & tegumenta non habere?

Sed mirêre, quo pacto ſocii Judæ dicantur, ne *gladios* quidem habuiſſe, nedum *tegumenta*, Græcè καλύμματα; quo nomine indicantur galeæ, loricæ, ſcuta, & quidquid aliud ad corpus adversùs hoſtilia tela tegendum adhibetur? Quid ergo factum ſpoliis hoſtilibus, quæ cæſo Apollonio, & deletis ejus copiis ſublata narrantur, cap. 3. v. 12? Si poſt eam victoriam aliqui etiam inermes è Judæis fuêre: nonne eorum armis, qui de Seronis exercitu, eodem cap. v. 24. ceciderunt, inſtrui potuêre? Jam verò in priore cum Nicanore prælio lib. 2. cap. 8. cæſis millibus novem, armis eorum collectis, ut ibi nominatim obſervat ſacer Hiſtoricus verſ. 27. in hoc altero cum eodem Nicanore certamine, delectorum è Judaicis copiis tria millia, florem ipſum exercitûs, viros *potentes*, etiamnum *tegumentis*, imò *gladiis* ipſis caruiſſe, quis credat? Difficultas iſta, quæ ex textu noſtro alioqui videatur vix ſolubilis, ex Græco penitùs evaneſcit: additur enim ad iſtud, *tegumenta & gladios non habebant*, καθὼς ἠβούλοντο, *prout volebant*, id eſt, non tam apta quàm deſideràſſent. Etſi enim cæſorum jam tribus præliis, arma cepiſſent: cùm tamen partim retuſa eſſent, partim fracta, quædam ictibus pertuſa, capta omnia, prout ſors objecerat, omnia ad alienum corpus & manus facta, iis tam expeditè uti non poterant Judæi, quàm ſuis; maluiſſentque habiliora alia, quæ ſibi curâſſent, ſed curare non licebat. Caverant enim proculdubio Syro-Græci, quod olim Philiſthæi, 1. Reg. 13. *Ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.*

Cur armati, & diſpoſiti ante lucem Syri?

℣. 7. Et viderunt castra Gentium valida, et loricatos. Græcè, *Et viderunt exercitum Gentium validum loricatum*: ex quibus verbis colligitur, omnes aut pleroſque ſaltem Syro-Macedonum loricatos fuiſſe. At, inquies, cur prima luce jam armati erant, imò acie ad pugnam inſtructâ? Iſtud enim videtur colligi ex eo, quòd jam loricis inſtructi eſſent: iſtud autem, quòd eſſet *equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium.* Deinde idem infertur ex eo, quòd verſ. 13. viſis Judæis ſtatim è caſtris erumpant, & prælium ineant: erant itaque compoſiti in ipſis caſtris ordines, & ſub ſignis, alioqui tam citò componi non potuiſſent. Reſpondendum, planè Nicanorem cum ſuis eam noctem, aut alteram ejus partem vigilâſſe, & ſub armis egiſſe, hoc conſilio; ut vel Gorgiæ ſubita impreſſione, à tergo impulſos Judæos, & diſſipatos, ipſe à fronte exciperet; vel ne ſe imparatum invenirent, ſi fortè ultrò ſe aggredi per tenebras auderent. Quid ſi prætereà Judæ iter, quod Gorgiam aliâ viâ gradientem fefellerat, Nicanorem non fefellit?

Si particula affirmantis.

℣. 8. 9. 10. & 11. Continetur brevis exhortatio Judæ ad ſuos, ne timeant hoſtium numerum, aut impetum: Maris rubri & Pharaonis demerſi recordentur: eumdem eſſe Deum: orent illum, fidantque fore, ut meminerit pacti cum patribus ſuis initi, & clade hoſtium illud de novo ſanciat. In Græco paullò aliter habetur iſtud, *Clamemus in cælum, & miſerebitur*: pro *&*, non eſt καὶ, ſed εἰ, *ſi. Clamemus in cælum, ſi miſerebitur.* Idem tamen eſt ſenſus utriuſque textus. Neque enim Judas dubitanter loquitur: & ſæpè in Scriptura *ſi* ponitur pro *&* vel *ſic*, & affirmantis vox eſt, non ambigentis. Quomodò quod Joannis 21. nos jam conſtanter habemus, *Sic eum volo manere*, &c. Græca fermè omnia exemplaria non οὕτως, id eſt *ſic* habent, ſed ἐὰν, *ſi eum volo manere.*

Cæſorum numerus in pugna cæſos complectitur.

℣. 12. 13. 14. & 15. Deſcribitur pugna cum Nicanore. Syri, qui alienigenæ & ἀλλόφυλοι vocantur, quia

quia inciſcumciſi & idololatræ, cõſpectâ Judæorum acie, vallo egrediuntur. Tubâ ſignum ad certamen datur à ſociis Machabæi. Concurritur. Nec diu pependit victoria. Perruptis ordinibus, Syros ad fugam compellunt Judæi: tota Emmaüntis planitie palantes inſequuntur, imò ad fines uſque Idumæorum ac Palæſtinorum. Cæſis partim in prælio, partim in fuga, tribus hoſtium millibus, ab inſequendo revocantur, & ad locum certaminis reducuntur. Salianus exiſtimat, notari numerum cæſorum in fugâ tantùm. Sed quorſum de cæſis in prælio taceatur? Cur ii potiùs exprimantur, qui fugiendo periêre? Nec refert, quòd textus noſter eum numerum ſubnotet, poſt fugam narratam. Nuſquam enim commodiùs dici poterat, quot eo prælio hoſtium millia interiiſſent, quàm cæde omni patratâ.

Quæ Aſſaremoth?

Difficultas eſt in locis, ad quæ Judæi Syros inſecuti dicuntur verſ. 15. Primùm enim, quæ iſta eſt *Gezeron*, ſeu, ut Græcè in quibuſdam habetur *Aſſaremoth*? Nuſquam enim Aſſaremoth inter Judææ loca reperitur, præterquam apud Sept. interpretes, Jer. 31. ubi Aquila vertit, *ſuburbana*; Hieronymus, *regionem mortis*, ex Hebræo *Sedemoth*. Invenio Aſſima in media fermè tribu Juda: Aſſemon & Aſſemoth in extrema Simeonis tribu: Azmot ſive Azmaveth in tribu Benjamin. Accedunt ea oppidorum nomina ad Aſſaremoth: illorum tamen nullum hîc intelligi poteſt; cùm Nicanoris copiæ, diverſo prorſus itinere, ad fines Azotiorum & Jamnienſium decurrerint.

Quæ Gezeron?

Nomen item *Gezeron*, ſeu, ut Sixtina Græca habent, *Gazeron*, nuſquam reperitur. Maximè affine eſt Gazer ſeu Gezer civitatis Leviticæ nomen, ab Emmaünte horis circiter octo diſſitæ in Ephraïtica tribu: quam hîc intelligi exiſtimat Bonfrerius in Onomaſtico. Sed obſtat iter, nimis à campis Jamniæ & Azoti deflexum, quò Syri fugêre. Eſt item Gaza, aliter Gazara appellata urbs Palæſtinæ: ſed nimis ab Emmaünte remota, ut de illa hîc agi poſſit. Eſt & Gaddera ſeu Gedera in tribu Juda, ternis circiter ab Emmaünte horis, ad Auſtrale ejus latus; ſed neque illam hîc intelligi patitur ratio fugæ. Supereſt oppidum Gedor ſeu Gador, inter Azotum ac Jamniam interjectum, adeóque huic loco aptiſſimum; præterquam quòd Joſephus faveat, Gaderam nominans. De eo oppido dicemus ad cap. 15. v. 38.

At ubi reperiemus Aſſaremoth? Poſſit ſumi iſtud vocabulum appellativè pro ſuburbanis. Poſſit dici in exemplaria Græca, ubi habetur ea vox, mendum irrepſiſſe. Sed meliùs forſan dicatur eadem fuiſſe Gazeron & Aſſaremoth: cùm inſolens non ſit eaſdem urbes eſſe binomias.

Difficultas de campis Jamniæ, Azoti, Idumææ.

Alia difficultas eſt de campis Jamniæ, Azoti, Idumææ, quò uſque Judæi etiam Syros inſecuti dicuntur, disertè in utroque textu. Si enim eodem die ſuos Judas ad locum certaminis reduxit: quod inſinuat ſacer Hiſtoricus ut mox videbimus verſ. 25. cùm narrata Gorgiæ fugâ, & deprædatione caſtrorum hoſtilium, dicit, *Et facta eſt ſalus magna in Iſraël in die illâ.* Et, ſi textus Scripturæ non loquatur, res tamen ipſa per ſe clamat, tantillum Judæorum exercitum non plùs quàm horis aliquot hoſtem inſequi debuiſſe, relictâ à tergo bonâ copiarum hoſtilium parte, integrâ & intactâ, adeóque obtentâ dimidiatâ ſolùm victoriâ: omiſſis item caſtris hoſtilibus & ſpoliis, id eſt fructu victoriæ. Cùm igitur eodem die cum ſuis Machabæus ad Emmaüntem redierit: quo pacto ad campos uſque Jamniæ, Azoti, Idumææ potuit excurriſſe; quandoquidem urbes illæ diei itinere & eò plus, hæc regio bidui minimùm Emmaünte diſtet? Difficultatem auget ipſa locorum iſtorum inter ſe diſtantia: abeſt enim Azoto Jamnia, horis circiter decem; Azotus ab Idumæa pluribus. Adeóne effusè palantes ac diſperſi fugêre Syro-Macedones, ut ad tam diſſita loca alii aliter pervenirent? Adeóne immemores paucitatis ſuæ fuêre Judæi, ut tam diverſo itinere fugientibus inſtare auderent: extenuatis, imò nullis in tam exiguo, tam latè tamen ſparſo numero, ordinibus?

Ejus ſolutio una.

Hic multiplex nodus uno ictu amputatur, ſi dicas: campos Jamniæ, Azoti, Idumææ vocari, qui eò reſpiciunt, & ducunt, non autem qui ad eas toparchias aut regiones pertinent. Erant autem in campis Emmaünti ſubjectis itinera diverſa, Jamniam, Azotum, & in Idumæam ducentia. Sic hodie in urbibus portas ab celebrioribus locis, ad quæ reſpiciunt, appellamus. Sic paſſim itinera publica, & vias ſtratas, à termino quamvis remoto, ad quem excurrunt, nominamus. Sic olim apud Judæos ipſos *Galilæa Gentium* vocata, non tam quòd à Gentibus inſeſſa, ex quo Salomon Hiramo Tyrio dederat terram Chabul, 3. Reg. 9. quàm quòd via illac eſſet maris trans Jordanem ad Gentes, Phœnices, ac Tyrios.

Altera ſolutio.

Alter modus iſtius nodi per partes ſolvendi erit, ſi dixeris: eo tempore colonias Idumæorum paſſim per Judæam ſparſas fuiſſe, ideoque etiam non longè ab Emmaünte oppida quædam incolere potuiſſe, quæ ab incolis Idumææ nomen ſortirentur. Iſtud autem gratis non dici patet, tum ex eo, quòd tribus Juda fermè Idumæam teneret, unde factum, ut etiam auctoribus profanis *Idumæa* vox pro *Iudæâ* celebretur; tum verò ex capite ſequenti v. 3. ubi videbimus Idumæos fuiſſe in Acrabatena: nam disertè perhibetur Idumæos fuiſſe in *Acrabathane* regione cis Jordanẽ, multò longiùs ab Idumæa iſta quàm Emmaüs; imò Iſraelitas ab illis *circumſeſſos*, quo verbo indicatur, Idumæos paſſim in Judæa ſparſos. De Jamnia & Azoto dicendum, earum urbium fines longè extendi, & partem Daniticæ tribûs amplecti potuiſſe: ſeu ad ampliandum territorium, de Syriæ Regibus pecuniæ avidis, à maritimis & opulentis urbibus emptam: ſeu ultrò ab ipſis Regibus attributam, ad vires Judæorum accidendas; quomodò poſtmodùm ab Alexandro Rege Judæis Accaron attribuitur. Utram voles ſolutionem amplectere: utraque difficultati ſatisfacit. Si tamen ſenſum meum ſequi lubet, ego priorem potiùs elegero. Etſi enim, quod de ampliatis Jamnienſium & Azotenſium finibus conjecimus, fieri potuit, & probabile ſit factum eſſe: nullus tamen eſt idoneus fidejuſſor.

Redit Judas ad locum certaminis.

℣. 16. Et reversus est Judas, et exercitus eius, sequens eum. Clariùs Græcè: *& reverſus eſt Iudas & copia, ab inſequendo eos* ἀπὸ τοῦ διώκειν ὄπισθεν αὐτῶν. Cùm jam ſatis diu terga fugientium cecidiſſent Judæi, nec diutiùs eos fatigari expediret, quia nondum erat debellatum, receptui Judas cecinit, & victores ad locum certaminis reduxit: ſuſpicatus, quod evênit, brevi eò Gorgiam cum ſuis rediturum, quo cæſo aut fugato, plena demum eſſet futura victoria.

Victoribus ſæpè erepta victoria cupiditate ſpoliorum.

℣. 17. & 18. Dixitque ad populum: Non conc. spolia, quia bel. con. nos est, et Gorg. et exerc. eius pro. nos in mon. sed sta. nunc con. inim. nostros, et expug. eos, et sume. postea spol. sec. Sapiens ac ſalubre Judæ monitum, ne ſui ad ſpolia diripienda

excurrant, donec confectum ſit prælium. Verendum enim ne Gorgias, qui in montibus vicinis errabat, in ipſo tempore ſuperveniens, prædâ implicatos, & diſperſis ordinibus ad pugnam imparatos, opprimat. Sciebat ſcilicet providus dux, præproperam ſpoliorum cupiditatem ſæpè totis exercitibus nocuiſſe, & victos de victoribus effeciſſe. Vide ea de re Polybium lib. 10. obſervantem, ex illa aviditate lucri *accidiſſe multis victoribus, ut caſtris hoſtium & civitatibus potiti, non illis ſolùm ejecti ſint, ſed & periclitati de ſumma rerum.* Refert Spondanus ad annum 1495. in prælio Foronovenſi, ubi fœderatos Italiæ proceres ingenti clade proſtravit Carolus Octavus Galliæ Rex, cæſis hoſtium ſupra tria millia, amiſſis infra ducentos de ſuis, nullum tamen hoſtium à Gallis captum: quia in ipſo ardore certaminis inter ſe clamabant, memores eſſent Guinegaſtæ, ubi de victoribus victi fuerant ſpoliorum cupiditate, ſub Ludovico undecimo. Ejuſmodi rerum converſiones, ex aviditate prædæ, paſſim apud hiſtoricos occurrunt. Eò reſpexit Ambr. lib. 1. Off. cap. 39. *Nihil tam contrarium fortitudini, quàm lucro vinci. Frequenter pulſis hoſtibus, & inclinatâ in fugam adverſariorum acie, dum exuviis cæſorum capitur præliator, inter ipſos, quos ſtravit, miſerandus occubuit; & triumphis ſuis dejectæ legiones, dum ſpoliis occupantur, hoſtem in ſe revocârunt, qui fugerat.*

Gorgias cladem ſuorum cognoſcit.

ŷ. 19. 20. ET ADHUC LOQUENTE JUDA HÆC, ECCE APPARUIT PARS QUÆDAM copiarum Gorgiæ PROSPICIENS DE MONTE, qui planitiei ad Emmaſintem imminet, & terminus eſt montanorum Juda. *Et vidit Gorgias*, Græcè non habetur Gorgias, intelligendus eſt tamen, nec vidiſſe ſolùm alienis oculis credendus eſt, ſed & ſuis: tum quia credibile, ſtrenuum ducem in fronte copiarum fuiſſe, & cum illa prima parte quæ de monte proſpexit: tum quia vir militiæ peritiſſimus de ſtrage ſuorum aliis non credere debuit, cùm per ſe poſſet facilè cognoſcere. *Vidit* igitur *Gorgias, quòd in fugam converſi ſunt ſui*: Græcè ſolùm habetur τετρόπωνται *converſi ſunt*, neque additur *ſui*; ſed patet ſubaudiendum eſſe. *Vidit* fugam ſuorum, non quòd viderit fugientes, longè enim jam abierant, ſed quòd cladem eorum cognoverit certiſſimo indicio: fumabant enim caſtra Nicanoris, unde collegit deſerta à ſuis eſſe, & veniſſe in hoſtium poteſtatem.

A quibus ſuccenſa caſtra Nicanoris?

Quod dicitur, *ſuccenderunt caſtra*, in dubio nos relinquit, an à Judæis, an à reliquiis Syro-Macedonum combuſta fuerint. Si iſtud mavis cum Nobilio, qui in Græcis quibuſdam ait addi, *οἱ περὶ Ἰούδαν, ſocii Iuda ſuccenderunt*, &c. Si ergo illud mavis, dicendum erit Judæos, cùm primùm ab inſequendo reducti ſunt, in caſtra Nicanoris involare cœpiſſe, ſed mox retractos, & ſub ſignis ſtare juſſos à Juda, cum ſalubri iſta monitione verſûs 17. & 18. Sin alterum magis probas: dicendum, Syros, qui ad caſtra tuenda relicti à Nicanore fuerant, viſâ clade ſuorum, vallo diffiſos ignem caſtris injeciſſe, & Hieroſolymam ſe trepidâ fugâ recepiſſe.

Gorgiæ fuga.

ŷ. 21. 22. QUIBUS ILLI CONSPECTIS, TIMUERUNT VALDE, ASPIC. SIMUL ET JU. ET EXERC. EIUS IN CAM. PAR. AD PRÆL. Gorgias intellectâ ſtrage Nicanoris, qui tamen cum longè majore copiarum parte in caſtris remanſerat, ſimul viſa conſternatione ſuorum, & hoſtium alacritate ad pugnam, veritus cum victoribus congredi, retrò abſceſſit, *& fugerunt omnes in campum alienigenarum.* Ex quibus verbis colligo, abiiſſe trepidè, & confuſis ordinibus, tantus eos terror, ex inopinata Nicanoris clade, invaſerat. Etſi enim altero tanto plures eſſent quàm Judæi, non ſperabant tamen illis ſe pares fore, quos Nicanor cum numeroſiore milite non tuliſſet.

Alienigenæ hîc qui?

CAMPUS ALIENIGENARUM, etſi quis ſit non exprimitur, intellige tamen hîc Philiſtinorum fines: quia nullæ alienigenarum terræ viciniores erant loco certaminis: & quia per planitiem Emmaſinti ſubjectam diverſa itinera, ad Azotios, Jamnienſes, alioſque maritimos populos ducentia, fugientibus patebant. Fugam itaque cum ſuis Gorgias eòdem, quò Nicanor, intenderit.

Quæ ſpolia reperta in caſtris ſuccenſis?

ŷ. 23. ET JUDAS REVERSUS EST AD SPOLIA CASTRORUM. Sed ſi ardebant, ut ex fumo conjecit Gorgias, quid in illis ſupererat ſpoliandum? Reſpondendum, arſiſſe ſummùm partem aliquam caſtrorum. Nam ſi injectum à Syris ipſis ignem dixerimus, in ea trepidatione ubique excitare non potuerunt: ſin à Judæis, ſtatim Machabæi imperio compreſſi ſunt. Adde, valdè latè metatos Syro-Macedones, cùm numeroſus eſſet exercitus, & auctus multorum mercatorum affluxu: ut etiam ab otioſis, ac ſecuris, per multas horas caſtra tota ſuccendi non potuerint. Spolia itaque ſecuri per Gorgiæ fugam Judæi diripuêre, *& acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas.* Impedimenta exercitus totius hoſtilis cepêre, & in iis quidquid pecuniæ & mercium negotiatores ſecum in caſtra advexerant, ad comparanda ſibi emptione, vel permutatione, Judaica mancipia, ut cap ſuperiore v. 41. annotatur. Hyacinthum, & purpuram intellige, veſtes hyacinthinas & purpureas, quarum apud Tyrios ac Phœnices præſertim mercatus: quid autem ſit hyacinthus, & ut à purpura diſtet, licèt affinis color, ſi explicatiùs ſcire voles, conſule Plinium lib. 9. cap. 38.

Gratiæ de victoria Deo agendæ.

ŷ. 24. 25. ET CONVERSI, cùm præda & opibus onuſti reverterentur, *hymnum canebant, & benedicebant Deum in cœlum*, altâ & ſonorâ voce laudes Dei cantabant, id enim indicatur iſtâ phraſi, *benedicere in cœlum: quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Probabile eſt eas ipſas voces à Judæis cantatas, forſan & totum pſalmum 135. unde excerptæ ſunt. Nam pſalmus iſte in ejuſmodi expeditionibus celebratus fuit, ut patet ex 2. Paral. cap. 20. v. 21. ubi Joſaphat in Ammonitas, Moabitas, ac Syros pugnaturos, eum cani jubet, & ad primos ejus verſus mutuâ inter ſe cæde fanatici hoſtes ſæviunt. Exemplo Judæorum diſcant Chriſtiani victores, Deo ſtatim agere gratias, & ei meritas laudes adſcribere. Memorandus ſemper erit in hoc genere Carolus Quintus, qui obtentâ nobiliſſimâ contra Proteſtantes Germanos victoriâ, verſis in Chriſtianam ſententiam Cæſaris vocibus, *Veni*, inquit, *vidi*, *Deus vicit*: quæ verba tum alii hiſtorici, tum Spondanus refert ad annum 1547. Apud eumdem Spondanum anno 1476. Stephanus Moldaviæ Vaivoda, Turcis ingenti clade proſtratis, plùs centum ſignis militaribus captis, ſoli Deo acceptam ferens victoriam, toto deinde quatriduo in gratiarum actionem jejunavit, pane & aquâ contentus. Summo Pontifici, licèt ipſe de Græca Eccleſia eſſet, Regibus Poloniæ, & Hungariæ, munera de manubiis miſit, opemque ac fœdus contra communem illum Chriſtianorum hoſtem petiit. Aliquid de agendis Deo gratiis poſt proſperos ſucceſſus legiſti in Excurſu 2. ad cap. 3. ſect. 4.

ŷ. 25. Et

Digitized by Google

Geſta dici unius.

℣. 25. Et fac. est salus magna in Israel, ſeu Iſraëliis obtigit valdè ſalutaris victoria de hoſtibus *in die illa*. Etſi *dies* in Scriptura uſurpetur interdum pro temporis aliquo ſpatio, non definito, hîc tamen nomen iſtud pro die uno ſumendum eſt, quo Nicanor cæſus, Gorgias ab inveſtigando Juda rediens fugatus, caſtra hoſtilia incenſa & ſpoliata fuêre. Neque enim diutiùs à ſocio Gorgias abeſſe debuit: nec Judas longiùs exſpatiari. Primâ itaque luce cum Nicanore pugnatum: horis aliquot, ad meridiem circiter, cæſi fugientes: meridie ceſſatum, & lento itinere ad reparandas vires reductæ Emmaüntem copiæ: deflexo jam die, Gorgias abſterritus fumo caſtrorum, & Judæorum alacritate, fugâ ſibi conſuluit: ad veſperam uſque diei, prædâ convaſatâ, victores cum læto cantu gratias Deo agentes ad ſua ſe recepêre. Sic actus memorabilis ille Iſraëlitis & ſalutaris dies.

Lyſiæ nuntiatur clades ſuorum.

℣. 26. & 27. Narratur, eos, qui de hoc prælio evaſerant, triſtes cladium teſtes, ac nuntios, ad Lyſiam veniſſe. Hunc perculſum & animo fractum, quòd iſta longè præter ſpem ſuam accidiſſent, & fruſtrata eſſent mandata Regis, quæ diſcedens in Perſidem dederat. Maximè proculdubio coquebat, tantos apparatus in irritum cecidiſſe, tantas copias à tam paucis & toties cæſas, ea dedecora ſe belli Judaici adminiſtratore accepta.

Hiſtoriæ ſeries firmatur.

Adverte autem, narrari hiſce verſibus, quæ partim poſt hoc prælium ad Lyſiam perlata ſunt, partim poſt prælium tertium cum Timotheo & Bacchide, de quo lib. 2. cap. 8. v. 30. Dicitur enim in textu noſtro: *quicumque evaſerunt, nuntiaverunt Lyſiæ univerſa*, & Græcè, *quotquot ſalvati ſunt*, ſeu *ſaluti ſuæ conſulere potuerunt fugiendo*. Atqui non eſt probabile, omnes omninò, qui de Nicanoris & Gorgiæ exercitu, poſt prælium jam ab Hagiographo deſcriptum, ſalvi evasêre, ducibus ſuis deſertis, refugiſſe in Syriam: quandoquidem ex lib. 2. cap. 8. v. 34. 35. 36. colligatur, Nicanorem non reverſum ad Lyſiam, niſi poſt Timothei & Bacchidis cladem; deſperatâ denique, poſt tertiò tentatam fortunam, de Judæis victoriâ. Igitur hi duo verſus, partim cladi Timothei & Bacchidis anteponendi ſunt, partim poſtponendi, hoc modo, ut aliqui de primo ac ſecundo Nicanoris prælio, ut fit, fugientes ad Lyſiam cladis nuntii venerint, & eum perculerint: poſt tertium denique hujus expeditionis prælium, pluribus quàm unquam Syrorum cæſis, conſternati demum omnes, qui ſalvi evaſerant, aliis aliâ viâ in Syriam refugerunt, & in iis Nicanor ipſe, abjecta ſpe omni rei benè gerendæ. Vide ſeriem noſtram hiſtoriæ num. 39.

Chronologia ſtabilitur.

℣. 28. Et sequenti an. congr. Lys. virorum electorum sexag. mil. et equi. quinque millia, ut debell. eos. Tranſitur ad narrationem ſexti prælii, quod à Juda cum Lyſia ipſo initum. Quartum à Serario noſtro vocatur, idcirco quia tria anni unius prælia, cum ducibus à Lyſia in Judæam ſubmiſſis confecta, in unum confudit: ſed malè, ut annotavimus ad capitis 3. v. 40. & ad verſum ſuperiorem hujus capitis. *Annus* expeditionis à Lyſia ſuſceptæ in Græcis dicitur ἐχόμενος, *proximus*: in Vulgata vocatur *ſequens*, expeditiones ſcilicet Nicanoris factas eodem anno, quo Epiphanes profectus eſt in Perſidem: qui cùm fuerit centeſimus quadrageſimus ſeptimus regni Græcorum, ex cap. 3. verſ. 37. conſequens eſt, hunc eſſe centeſimum quadrageſimum octavum.

Aſiatici regni potentia.

Obſerva præterea hîc, quod ad verſum 39. capitis tertii indicavimus, quantarum eſſet virium Monarchia Syriæ: cùm tot deletis ſuorum millibus, ſexaginta tamen peditum millia, equitum quinque in aciem educere Lyſias potuerit. Iſtas quidem copias omnes de ordinaria Syriæ militiâ fuiſſe non crediderim: ſed partim ex reliquiis exercitûs Nicanori attributi, partim ex iis quas ſecum Lyſias ipſe ad tutelam regni retinuerit, partim ex novo delectu. Hoc enim poſtremum colligo ex textu Græco, qui habet συνελόχησεν, id eſt *collegit*, ſeu *coëgit*, ubi nos habemus *congregavit*. *Colligere* autem magis ſignificat de novo legere militem, quàm jam ante collectum *congregare*. Sic infrà verſu 35. ubi nos habemus *elegit milites*, Græcè eſt voce ſignificantiore ξενολόγει à ξένος, *peregrinus* & λέγω, *eligo* id eſt *peregrinum militum legebat*, ad ſupplementum ſcilicet acciſæ tot Judaicis præliis Syriacæ militiæ.

Inanis fiducia Lyſiæ.

Cùm tam numeroſo exercitu ſperabat Lyſias omninò fore, *ut debellaret eos*, & bellum Judaicum conficeret: quæ ipſius ſpes indicatur etiam in textu Græco voce ἐκπολεμῶν, quod idem eſt, ac debellare. Unde poſſis inferre, quàm multi ſe ultrò iſti exercitui, velut ad certam victoriam, adjunxerint: quantus mercatorum numerus in caſtra, quaſi ad nundinas, confluxerit. Quis enim iſtorum, qui gentis Judaicæ excidium deſiderabant, non ſibi perſuaſiſſet, tantâ belli mole denique oppreſſum iri?

In Idumæámne venit Lyſias?

℣. 29. Et venerunt in Judæam Græcè Ἰδουμαίαν, *Idumæam*. Sed lectio noſtra retinenda eſt, & dicendum, vocem iſtam in Græco textu corruptam eſſe, poſitamque Ἰδουμαίαν pro Ἰουδαίαν, facili literarum tranſmutatione ob affinitatem nominis. Poſſit tamen etiam non improbabiliter dici, Lyſiam, cùm in Judæam vênit, eodem itinere penetrâſſe in Idumæam, id eſt Idumæorum colonias per Judæam ſparſas, ut paullò antè ad verſum 15. advertimus. Nam in Idumæam propriè dictam, ſeu montes Seir, quorſum iviſſet, tranſitâ Judæâ totâ, qui Hieroſolymam petebat, & quærebat Machabæum, in vicino cum ſuis verſantem? Niſi forſan dicamus, omnem terram ad ſortem tribus Juda pertinentem, imò & ad ſortem Simeonis, aliquando dictam fuiſſe Idumæam, ut ex Joſepho annotat Adrichomius.

Item an Bethoron aut Bethſuram?

Paullò difficilius eſt quod ſequitur, *Et caſtra poſuerunt in Bethoron*: Græcè enim non habetur *in Bethoron*, ſed *in Bethſuris*, cui lectioni aſtipulatur Joſephus, aitque Lyſiam Bethſuræ caſtra metatum. Hunc nodum Serarius non attigit. Salianus cum Vatablo ad annum mundi 3890. lectionem Vulgatæ præfert Græco textui, quantumvis in omnibus codicibus conſentienti. Bonfrerius tamen noſter opinabatur, Græcam ſententiam eſſe veriorem, huncque Vulgatæ locum unum eſſe de iis, *quæ mutanda videbantur, & conſultò immutata relicta ſunt*, in Sixtinis Bibliis, ut eorum emendatores loquuntur in præfatione ad lectorem: ubi & ſapientes duas afferunt ejus conſilii rationes. Ego verò nec lectionem Græcam rejecerim, & Vulgatam noſtram retinuerim: imò neque operæ-pretium putârim diſputare, utra ſit verior. Favet Græco textui ultimus verſus hujus capitis, ubi munitur Bethſura, quaſi ad occupandum locum hoſtibus opportunum, & à Lyſia inſeſſum. Favet Latino, quòd Seron eodem loco in Bethoron caſtra fixerit, cap. 3. v. 16. ut planum ſit,

commodam

commodam caſtris ſtationem fuiſſe. Favet denique utrique textui, quòd Bethoron & Bethſura etſi inter ſe itinere diei diſtarent, aut circiter: totum tamen inter ea oppida ſpatium numeroſiſſimæ Syrorum copiæ inſidere poterant, ut commodè cum impedimentis tenderent.

Quæ hic Bethſura?

Diximus ſuprà cap. 3. v. 16. quæ ſit Bethoron. Videndum nunc, quæ ſit Bethſura, tum ad hujus loci intelligentiam, tum ad aliorum multorum, cùm de ea ſæpiùs fiat mentio. Duplex itaque eſt Bethſura, Hebraïcè Bethſor aut Bethſur, Græcè interdum Bethſura plurali numero, ut hoc loco. Utraque erat in tribu Juda. Diſtabat una fermè octo horis itineris Hieroſolymâ ex deſcriptione Adrichomii, milliari uno Eleutheropoli, ut habet Hieron. in locis Hebraïcis, & hanc eſſe putamus quæ Joſ. 15. v. 58. nominatur Beſſur, cenſeturque in ſorte tribus Juda.

Ejus, de qua hic, ſitus.

Bethſuram alteram conſtat ex lib. 2. cap. 11. v. 5. abfuiſſe ſtadiis quinque Hieroſolymâ: ſeu oppidum ipſum, ut Hieronymus vocat, caſtrúmve, ut alii, ſtadiis omnino quinis ab Hieroſolyma diſtaret: ſeu potiùs Hagiographus notârit diſtantiam rupium & montium, in quibus ſitum erat. Certum eſt enim fuiſſe in faucibus Thermopylarum inſtar: tum ex Joſepho id diſertè aſſerente lib. 13. cap. 9. tum ex Hagiographo ſuprà: tum ex nomine ipſo, ſignificante domum rupis, petræ, aut fortitudinis. Et hinc patet, cur tanto utrimque ſtudio peteretur, ad Hieroſolymæ vel defendendæ vel oppugnandæ oportunitatem.

Judæ copiæ creſcunt.

ET OCCURRIT ILLIS JUDAS CUM DECEM MILL. VIRIS. Septem millia ſecum habuit primo cum Nicanore prælio, 2. Mach. 8. Tria altero, ſuprà v. 6. Nunc ad decem excrevit, affluentibus ad famam rerum geſtarum in dies ſociis. Numerum denarium Rabanus in Gloſ. Ord. aptat tropologiæ ſuæ: *Regis*, inquit, *noſtri exercitus in hoc eſt validior cæteris, quòd per omnia divinis ſtudet obtemperare præceptis*, quæ decalogo comprehenduntur.

Deum Judas orat: ante omnia orandum.

℣. 30. 31. 32. 33. ET VIDEBUNT CAS. FOR. VALDE. Græcè in ſingulari habetur καὶ εἶδε: *Et vidit* Judas ſcilicet: & hoc magis aptè quadrat cum verbis præcedentibus, ac ſequentibus, *Occurrit Judas, vidit, & oravit, & dixit*. Vera tamen eſt ſententia textus noſtri: neque enim ſolus Judas *vidit* copias Lyſiæ, ſed & commilitones ejus *viderunt*. Sequitur oratio Judæ uſque ad v. 34. in qua omnia plana. Deum laudat ab auxilio Davidi contra Goliathum dato, 1. Reg. 17. & Jonathæ atque armigero contra Philiſthinos, 1. Reg. c. 14. Orat, ut eumdem in modum copias Lyſiæ Iſraëlitis cedendas præbeat, eò majori dedecore, quò plures ac validiores à paucioribus: terrorem eis immittat, fiduciam omnem tollat, ut conſiſtere non audeant: ex nova hoſtium clade, novum ſervis ſuis det argumentum laudes ſuas decantandi. Pergit ſanctus Heros præire Chriſtianis omnibus, militibus præſertim, exemplo; ut ab oratione, quidquid difficile aggreſſu eſt, auſpicentur, eamque ita familiarem ſibi faciant, ut ad quodvis periculum ultrò, etiam non vocata, erumpat, & animum ſpe ac fiducia exſuſcitet.

Lyſiæ clades, & receptus.

℣. 34. 35. ET COMMISE. AD INV. ET CECIDERUNT DE CASTRIS LYSIÆ QUINQUE MILLIA VIRORUM. Additur Græcè, *& ceciderunt ex adverſo eorum*. Quam particulam exprimere voluit Joſephus, cùm dixit, *Iudam Deo fretum in primam Lyſiæ aciem tanto impetu invaſiſſe, ut ex hoſtibus quinque millia ſterneret*. Inde tantus terror reliquis immiſſus, ut fugâ paſſim captâ, Lyſias, licèt tantum ſibi copiarum præ Judæorum numero ſupereſſet, nihil tamen ultra tunc tentandum ratus, ultrò Antiochiam abierit. Videbat enim, hinc ſuorum metum, inde Judæorum ex ipſa deſperatione audaciam, *& quòd parati ſunt, aut vivere, aut mori fortiter*. Maluit itaque, ut ait Salianus, videri nimis timidus, quàm parum prudens.

Novæ expeditionis apparatus.

Antiochiam redux, *Elegit milites, ut multiplicati rurſus venirent in Iudæam*. Pluribus verbis, & expreſſioribus, Græcè habetur in editione Sixtina, καὶ ἐξενολόγει καὶ πλεονάσας τὴν γεγενημένην στρατιὰν, ἐλογίζετο παραγίνεσθαι εἰς τὴν ἰουδαίαν. Quæ ſic ad verbum reddo, paullò aliter, quàm Nobilius, eâdem tamen ſententiâ: *Et peregrinum militem legebat, & ſuppleto qui fuerat exercitu, cogitabat redire in Iudæam*. Id eſt: Mercenarios conduxit, & reparato ad priorem numerum exercitu, cogitabat, cum eo ſupplemento novis animis ac viribus Judæam invadere.

Religio rerum-publicarum fundamẽtum.

℣. 36. DIXIT AUTEM JUDAS, ET FRATRES EIUS: ECCE CONTRITI SUNT INIMICI NOSTRI: ASCENDAMUS NUNC MUNDARE SANCTA, ET RENOVARE. Digni Mathathia filii, paternæ pietatis hæredes, ſtatim ut per hoſtes licet, de Templi reſtauratione cogitant. Prima ipſorum cura eſt, de reſtituendo cultu divino, tamquam fine rerumpublicarum, & columnâ omnis benè fundati ſtatus. Abierat Lyſias, & ſecum militem omnem abduxerat, ſoli è Syro-Macedonibus manſerant præſidiarii arcis Hieroſolymitanæ: tam præclarâ occaſione utendum ratus Judas, ut quomodò eximii Ducis munere, ita & ſancti Pontificis fungeretur, dixit Hieroſolymam eundum, ſancta mundanda ac renovanda. Idem fratres ejus dixêre, aſſensêre ſocii omnes.

Præ cæteris curanda per Principes.

Machabæi exemplum proponit Eccleſiæ Prælatis, & Doctoribus, Gloſſa Ordinaria ex Rabano. *Dicitur, quòd Iudas, contritis hoſtibus, atque ſopitis ad tempus bellis, hortatur ſuos, ut mundarent Sancta & renovarent: quia maximum habent ſtudium ſancti Doctores, ut in quibuſcumque læſa ab hoſtibus ſubjectorum ſibi fuerat Eccleſia, ad priſtinum ſtatum ſanctæ converſationis iterum reſtauretur*. Nec Doctorum modò ac Prælatorum ea potiſſima cura eſt, ſed etiam Principum, qui ſalvam volunt rempublicam. Chriſtus hoc docuit, quando Hieroſolymam cum ſolennibus acclamationibus ingreſſus, & exceptus ut Rex, rectà contendit ad Templum, & à fœdis nundinationibus ac latrociniis illud expurgavit. Vides imaginem prototypo, umbram corpori, Machabæum Chriſto, etiam in ea Templi expurgatione, congruere. Dicit Petrus 1. 4. *Tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei*. Tu Prælate, tu Princeps, ſi judicium Dei tuo prævenire vis, incipe à Dei domo, ſordes ejice, renova illam in ſtatum priſtinum, & Juſtitiam divinam exarmabis. Si horologia exerrant, ante omnes rotas primaria potiſſimum viſitur, ſi quod in ea vitium ſit: nam eâ exorbitante, neceſſe eſt ſequi cæteras. Primaria rerumpublicarum rota religio & cultus Dei eſt: ſi deordinata eſt, imperturbatus eſſe non poteſt ordo cæterarum. Plura hac de re Excurſu ad cap. 7.

Judas Pontifex fuit ſtatim à morte Mathathiæ.

Quæres hic, an ergo Judas Machabæus ante expurgatum Templum Pontifex fuerit? Petavius Rationarii temporum lib. 5. cap. 8. putat, anno circiter centeſimo quadrageſimo nono regni Græcorum, de Duce populi factum Sacerdotem ſummum, gentis ſuæ conſenſu: neque aliâ ratione nititur, quàm Joſephi & Euſebii auctoritate dicentium,

dicentium, ipſum in eo magiſtratu triennio fuiſſe. Unde conſequens erit, in hac Templi expurgatione nondum Pontificatum geſſiſſe. Nos verò, neglectâ Joſephi & Euſebii opinione, pro certo habendum putamus, Judam Ducem ſimul populi & Pontificem fuiſſe ab ipſâ Mathathiæ morte. Cùm enim Mathathias Pontifex fuerit, ut idoneis auctoribus, & validâ ratione probavimus, ad verſum primum capitis ſecundi, ubi de ejus officio quæſitum eſt: hoc poſito, dubitari ampliùs non debet, quin Judas in patris locum Dux & Pontifex ſucceſſerit. Quorſum enim diutiùs abſque certo capite Synagoga orba manſiſſet? Cur, tertio demum Principatûs anno, de tam neceſſario magiſtratu ei deferendo cogitatum fuiſſet? Si Pontifex non erat, cur alienas partes invadit, repurgando Templo, & ſacris omnibus inſtaurandis? Iſtam itaque ſententiam, & adhuc ſecuti ſumus, & deinceps amplectemur, ut certam.

Venit Hieroſolymam cum ſuis?

℣. 37. Et congregatus eſt omnis exercitus, Græcè παρεμβολὴ, quam vocem nunc *caſtra* nunc *exercitum* interpretata eſt Vulgata noſtra, eodem ſenſu. *Et aſcenderunt in montem Sion.* An ergo Hieroſolyma à Judæis recepta erat? Planè, & obſiſtente quidem nemine. Syri enim viribus ſuis diffiſi, nec tuendæ toti civitati ſe pares fore arbitrati, in arcem refugerant. Et veroſimile eſt, id à Lyſia, Philippo arcis præfecto, aliiſque præſidiariis datum in mandatis, ut in ejus ſolius tutelam intenti eſſent, ſi fortè quid à Judæis per ſuam abſentiam tentaretur: aſſore ſe ſuppletis copiis anno proximè ſequenti, & facilè omnia recuperaturum, modò arx ſervata eſſet. Opinor etiam à Lyſia, antequam diſcederet, proviſum arci de commeatu ac neceſſariis cæteris, imò & immiſſum militem, auctumque præſidium, ne nihil tanto molimine egiſſet.

In Templum.

℣. 38. Et viderunt Sanctificationem deſertam ἁγίασμα, *Sanctum*, id eſt altare holocauſtorum, ut ad verſum 57. capitis primi monuimus. Profanatum autem fuerat impoſito idolo, ut ibidem.

Quid factum idolo?

Quid autem iſto idolo factum? Mirum ſanè eſt, nullam de eo hîc fieri mentionem, neque infrà verſu 43. ubi dicuntur *lapides contaminationis abjecti in locum immundum.* Capite tamen ſexto, verſu ſeptimo, nuntiatur Antiocho in Perſide, *quia Judæi diruerunt abominationem, quam ædificaverat ſuper altare, quod erat in Ieruſalem*: & hæc quidem continuâ ſerie ſubjunguntur, poſt narratam Lyſiæ cladem. Unde conficitur ad id uſque tempus ſtetiſſe abominandum idolum, & nunc ſolummodò amotum fuiſſe, cùm victoribus Judæis aditus ad Templum patuit. Nec dubito, non dejectum tantùm, ſed & ludibrio habitum, ac denique comminutum, quomodò à Moyſe Exo. 32. vitulo aureo factum eſt: quæ licèt à Scriptura non exprimantur, zelus tamen Judæ ac fratrum id perſuadet.

Triſtis facies Templi.

Et portas exuſtas à Calliſthene, qui igne ignem luit, exuſtus à Judæis, poſt obtentam de Timotheo & Bacchide victoriam, ut narratur cap. 8. lib. 2. v. 33. *Et in atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu, vel in montibus.* Pro *virgulta*, Græcè eſt generalius nomen φυλὰ, quo plantæ quævis & herbæ ſignificantur: enatæ autem paſſim in atriis Templi herbæ, imò & *virgulta*, quòd ut capite ſuperiore v. 45. dictum eſt, *Ieruſalem non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum, nec erat qui ingrederetur, & egrederetur de natis ejus.* Et jam tertius annus erat, cùm Judæi omnes ingreſſu Templi arcebantur, *& ablata erat voluptas à Iacob.* Adde, forſan à Gentilibus pavimenta ex areis Templi ſublata fuiſſe, & eò faciliùs plantas undique erupiſſe.

Paſtophoria, quid?

Et paſtophoria diruta. Intellige exedras, gazophylacia, cubicula Sacerdotum, aliaſque ædiculas ad varios uſus, tum ad latera Templi, tum in porticibus extructas. Παςὸς thalamum ſignificat, unde πρόπαςος, quaſi dicas prothalamium, locus ante thalamum. *Paſtophorium*, id eſt, *ferens thalamum*, vel ferens ad thalamum: thalamus autem in cubiculo reponitur, & per hoc itur ad illum.

Cur jam lamentati Judæi?

℣. 39. Et ſciderunt veſtimenta ſua, et planxerunt planctu magno, et impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum. Signa ſunt mæſtitiæ ſolennia. Vide notata ad cap. ſecundi verſum decimum-quartum. At, inquies, cur jam iſta ſigna doloris? Nonne pridem intellexerant profanatum ac deſolatum Templum? Numquid non eam calamitatem nominatim deplorârat Mathathias cum ſuis? Quid ergo novi accidit, ad novas lamentationes excitandas? Aſpectus ipſe rei lugubris vehementiùs perculit animum, & potentiùs affectum movit. Solent enim objecta oculis, ac præſentia, percutere longè aliter quam abſentia, licèt certò ſciantur. Audierant tres amici Job omne malum, quod acciderat ei: tamen cùm ad eum veniſſent, & elevâſſent procul oculos ſuos, exclamantes ploraverunt, ſciſſiſque veſtibus, ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cælum. Nihil vident quod neſciant, audierant enim omnem Jobi calamitatem; ſed vident quod non viderant: inde clamor, & lacrymæ, & laceratio veſtium, & pulveris aſperſio, & omnia ſummæ triſtitiæ indicia in ſapientibus viris. Tanta ad motus excitandos rebus præſentibus vis eſt. Hanc ob cauſam puto Divam Virginem, quæ, quamvis abſens, quidquid patienti & crucifixo filio fiebat, mente intuebatur; adeſſe tamen voluiſſe morienti, & ex propinquo eum ſpectare, ut acrior eſſet doloris ſenſus, & cruciatus vehementior.

An Hieroſolymam antehac venerint Judæi, ex quo profanatum Templum?

Sed nonne, inquis, etiam antehac Hieroſolymam venerant Judæi, & Templum videre potuerant, prorsùs ut ſpectaculum novum ipſis modò non fuerit? Fateor ex libri ſecundi cap. 8. verſu 31. 32. & 33. intelligi, eos Hieroſolymæ fuiſſe poſt victoriam de Bacchide & Timotheo, ante diſceſſum Nicanoris, adeóque aliquot menſibus ante victoriam de Lyſia. Reſponderi tamen poteſt: Primùm, obiter tantùm à Judæis tunc ſpectatam Templi deſolationem, neque ex condicto, neque à tam multis ut modò, adeóque nunc ſolenniorem eſſe lamentationem. Secundò, etſi Hieroſolymam intrârint, non tamen conſequens eſſe, ut ad Templum aſcenderint: potuêre enim tunc arceri acceſſu per præſidiarios arcis; quibus modò Judas, copiis auctis, militem habet, quem opponat, dum cæteri ſui repurgando Templo occupantur.

Anticipatio frequens in Libro ſecundo.

Denique ſuſpicio mihi incidit, in iſto libri ſecundi loco eſſe ὕστερον πρότερον, ſive anticipationem narrationis, figuram in Scriptura frequentem, & nominatim in illo Machabæorum libro. Sic capite decimo narratur Templi expurgatio, poſt relatam mortem Epiphanis: cùm tamen conſtet contigiſſe, eo nondum mortuo, ex hujus libri cap. ſexto, verſu 7. Eodem igitur modo dicere poſſis, iſtum Judæorum Hieroſolymam adventum in libri ſecundi cap. 8. præponi diſceſſui Nicanoris, non quòd anteceſſerit tempore, ſed quòd ſic narrare

commo-

commodum fuerit. Neque in tali oarratione quidquam de veritate rerum geſtarum minuitur, cùm nulla adhibeatur nota temporis. Si hanc ſuſpicionem meam probes, quam tameo in hiſtoriæ ſerie numero 39. ſequi nolui, dices, ex quo Templum à Syris profanatum fuit, numquam Judam Hieroſolyma veniſſe, nedum Templum vidiſſe, oiſi nunc, fugato Lyſia.

Quæ tubæ ſignorum?

℣. 40. ET CECIDERUNT IN FACIEM SUPER TERRAM, ET EXCLAMAVERUNT TUBIS SIGNOR. ET CLAMAVERUNT IN CÆLUM. Diſtinguendus eſt clamor tubis excitatus, à clamore ſublato in cælum: hic enim eſt clamor populi ejulantis, Judæis conſuetus in ejuſmodi rebus, ut lib. 2. Eſdræ, cap. 8. cùm legem audirent. Tubæ *ſignorum* ſeu σημασιῶν *ſignificationum*, ſunt tubæ ſacræ, ſeu ſacerdotales, quæ ad ſignificandos dies feſtos, ſacrificia, aliaſque cæremonias religioſas adhibebantur. Vide Num. capite 10. ubi Moſes jubetur ſibi parare tubas duas: item cap. 29. ubi prima dies menſis ſeptimi vocatur, *dies clangoris & tubarum*: item cap. 31. ubi Moſes dicitur, dediſſe *tubas ad clangendum* Phinees, filio Eleazari Sacerdotis. In earum tubarum locum ſucceſsêre apud nos æra campana, quorum ſonitu ad officia divina populus convocatur. Tintinnabulorum uſus olim apud profanos, ad varias actiooes ſignificandas; crepitaculorum, apud Eremitas fuit. Conſule, ſi lubet, Baronium ad annum Chriſti 58. num. 103. &c.

Coërciti præſidiarii arcis.

℣. 41. TUNC ORDINAVIT JUDAS VIROS, UT PUGNARENT ADVERSUS EOS, QUI ERANT IN ARCE, DONEC EMUNDARENT SANCTA. Neceſſe omninò fuit conſtitui, qui vim præſidiariorum arcis & eorum eruptiones prohiberent, ut quietè perficeretur Templi emundatio. Imminebat enim illi arx, aut ſaltem ita vicina erat, ut inter ſe fermè contingerent. Vide dicta ad capitis primi verſ. 35. Quod Vulgata noſtra habet, *ordinatos viros, ut pugnarent*: Græca Siatina, & Regia habent πολεμεῖν, quod idem eſt ac pugnare; alii textus Græci ἐκπολεμεῖν, quod eſt expugnare, quamquam & interdum ponitur pro pugnare ſimpliciter. Utrumque dici poſſit à Juda mandatum ſuis; ut & pugnarent adverſùs præſidiarios Syros, ſi fortè conarentur erumpere; &, ſi occaſio ferret expugnandi, ne eam negligerent. Neque enim dubitandum, jam tunc à Machabæo de arce occupanda cogitatum fuiſſe: cùm ſatis videret, quamdiu ab exteris teneretur, nec certam fore libertatem, nec ſecuram religionem.

Sacerdotibus ſanctitas neceſſaria.

℣. 42. ET ELEGIT SACERDOTES SINE MACULA, VOLONTATEM HABENTES IN LEGE DEI. Duæ condiriooes electorum iſtorum ſacerdotum notantur: prima, *ſine macula* ἀμώμους Græcè, id eſt *irreprehenſibiles*: altera, *voluntatem habentes in lege Dei*, Græcè θελητὰς νόμου, quaſi dicas *volones legis*, aut *voluntarios in lege*, omni voluntate legi ſtudentes. Prima conditio ad corpus ſpectat, altera ad animum. De prima conſule Levitici caput vigeſimum primom, à verſu decimo-ſeptimo uſque ad finem, ubi particulatim exprimuntur maculæ omnes, id eſt defectus corporis, quibus ſacerdos à miniſterio altaris arcetur. Machabæus noſter non eos ſolùm, qui iſtiuſmodi defectibus careant, eligit, ſed curat, ut ſiot legis amatores. Propè aderat crepuſculum gratiæ, umbræ legis paullatim evaneſcebant: ſciebat Dux generoſus, & ſanctus Pontifex, parvi eſſe in ſacerdotibus corporis integritatem, ſi contaminatus eſſet animus, cujus potiſſimùm inſpector Deus eſt.

Qui de ea ſcripſerunt?

De ſacerdotum veteris Legis officio, ſi omnia voles, conſule Riberam lib. 3. de Tabernaculo, cap. 3. & Barradium tomo 2. lib. 3. cap. 32. De ſacerdotum virtute & vitiis præter priſcos Auctores, tractant ubertim è recentioribus Mendoza in libros Regum tomo primo, partim in Commentariis, partim in Annotationibus: Creſſolius in Myſtagogo, qui totus eſt de ea materia: Antonius Molina inſigni de Sacerdotio volumine. Præclara ad ſacerdotes monita compendio reperies in homilia ſcripta à S. Leone IV. Papa ad Epiſcopos, ut ſacerdotibus recitaretur: refert Baronius tomo 10. ad annum 855.

Qui lapides contaminationis?

℣. 43. ET MUNDAVERUNT SANCTA, ET TULERUNT LAPIDES CONTAMINATIONIS IN LOCUM IMMUNDUM. Duplex hîc quæſtio: Qui *lapides contaminationis*, ſeu contaminati, noto Hebraiſmo? Quis *locus immundus*, quò congeſti? Ad primam, certum eſt intelligi; præſertim idolum Jovis Olympii, & ejus baſim: tum aras ſacrilegas, idola, & idolis juſſu Antiochi extructa paſſim Hieroſolymâ totâ, ſed potiſſimùm in ipſis areis Templi. Etſi enim id non exprimatur capite primo verſ. 50. non eſt tamen ambigendum, quin à Syris factum fuerit, quò magis Judæis doleret. Intelligo præterea contaminatos lapides, eos qui lepra domuum aſperſi erant, de quâ Lev. 14. à verſu 34. uſque ad 54. Credibile enim eſt toto triennio, quo deſertum fuit Templum, curante, mundante, viſente nemine, in porticibus ejus, exedris, & paſtophoriis enatas maculas aliquas, lepræ ſimiles, adeóque ea cæremoniis Moſaicis expurgandas. Utinam nos domui Dei ita coaptati ſimus, & tunſionibus ac preſſuris expoliti, ut numquam inde erui mereamur, & immundi lapides à mundis ſecerni.

Quis immundus locus quò congeſti?

Ad alteram quæſtionem de loco immundo, placet conjectura Serarii, & poſt eum Saliani, dicentium, impuras illa ſaxa, quæ idolis & ſacrificiis Gentilium addicta fuerant, in vallem Gehennon, & Topheth Hieroſolymæ ſuburbanum elata eſſe. Sic 2. Paralipomenon c. 29. hortatu Ezechiæ Regis ſacerdotes expurgant Templum à ſacrilegis immunditiis, quas eò pater ejus Achaz invexerat: & verſu 16. nominatim dicuntur illas exportâſſe ad torrentem Cedron, qui interſecat vallem Gehennon & Topheth. Sic 4. Reg. c. 23. Joſias *omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & univerſa militia cæli, combuſſit foras Ieruſalem in convalle Cedron. Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem in convalle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in pulverem. Contaminavit quoque Topheth, quod eſt in convalle filii Ennon, ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam ſuam, per ignem Moloch.* Ex quibus verbis habes, cur Topheth locus impurus & abominandus cenſeretur: quia ſcilicet in eo ſacrificia impiiſſima celebrata erant ab idololatris Judæis. Vide & cætera ejus capitis, magnopere enim faciunt ad hunc locum illuſtrandum.

Ubi repoſiti lapides leprâ aſperſi.

Leproſos tamen lapides ædificiorum Templi, quales repertos quoſdam exiſtimamus: non eſt putandum, ſimul congeſtos in vallem Topheth cum iſtis contaminatiſſimis idololatrarum. Etſi enim Levit. 14. juberentur exportari in locum immundum, nihilominùs quia aliquando ſacri fuerant, & tam ſanctæ ædi ſervierant, non debuerunt cum iſtis miſceri. Exportati ergo fuerint ad locum paullò honeſtiorem, ſed communem ac profanum, qui comparatione ſacri poſſit dici immundus.

Conſultatur de altari profanato.

℣. 44. 45. & 46. Variis partibus Templi expurgatis, *cogitavit Judas de altari holocauſtorum*, quid opus facto? Græcè eſt, *iniêre conſilium*.

In om-

In commune itaque conſultavit Judas, cum fratribus & primoribus Judæorum, tamquam de re magni momenti. Hinc enim reverentia altaris, ſanctificati ſolenni conſecratione, & tot deinceps holocauſtis, aliiſque ſacrificiis, jam inde ab Eſdræ temporibus, poſtulare videbatur, ut ejus lapides in locum immundum non abjicerentur. Inde autem contrarium ſuadebat ejus profanatio ſolennis, ab idololatris facta impoſito idolo, & ſacrilegis victimis; metuſque, *ne fortè ſi non deſtruerent illud, illis eſſet in opprobrium, quia contaminaverunt illud Gentes*, haberentque Judæorum hoſtes perpetuam materiam ipſis inſultandi. Cùm eum in modum inter conſecrationis reverentiam, & profanationis execrationem dubii fluctuarent, *incidit illis conſilium bonum*, ut mediam viam tenerent, neque integrum ſervarent, nec lapides in profanum locum exportarent. Itaque *demoliti ſunt illud, & repoſuerunt lapides in monte Domûs, in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & reſponderet de eis*, quid faciendum.

Reverentia erga res ſacras. Vides, quâ reverentiâ res ſacras tractent ſancti iſti Fideles? Quanta deliberatione, quàm maturo conſilio, agant de ſeponendis ipſis altaris lapidibus? Quomodò, quæſo, Heroës iſti, ſi modò redeant, legem iſtam Eccleſiaſticam obſervent cap. Altaris, De Conſecratione, Diſt. 1. *Non licet, quæ in ſacrario fuerunt, malè tractari?* Quanta religione ſacras veſtes, calices, Sanctorum reliquias, ſacrum Chriſma aſſervent? Quàm exhorreant ſacrilegam hæreticorum, imò Catholicorum quorumdam cupiditatem, qui templa invadunt, ſpoliant, exurunt, temeritate majori, quàm profanas domos aggredi fas foret, ſi quis ſit æqui & honeſti reſpectus? Ipſis ea in re Mahumetanis deteſtabiliores: cùm conſtet, obſervante Du-Plexio in Carolo IX. & aliis hiſtoricis, Solymannum, vi capta Rhodo, prohibuiſſe, ne de ſuis quiſquam ſanctorum reliquias, vaſa ſacra, Ordinis ſancti Joannis ornamenta, quorum pretio vel Catholicorum avaritia irritaretur, attrectare auderet; ſi attrectâſſet, impunè non fore.

Quis Propheta quem expectandũ ſtatuunt? Quæres, quis ille ſit *Propheta*, cujus reſponſum expectandum decernitur? Serarius putat intelligendum Chriſtum Dominum: de quo Deuteronomii 18. *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit Dominus.* Videbant enim inſtare id tempus, ideoque & infrà lib. 1. c. 4. v. 42. Simoni Principatus & Pontificatus decernitur *in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis*: & verò in familia Simonis uſque ad Herodem Aſcalonitam, & Chriſti adventum, utraque dignitas manſit. Si dicas, non haberi in Evangelio, quòd Chriſtus de iſtis lapidibus interrogatus ſit, reſponderi poteſt: *non omnia ſcripta* eſſe in Evangelio, ut ait S. Joannes cap. ult. deinde Phariſæos invidos non dignatos forſan ea de re Chriſtum interrogare, ne viderentur id faciendo Chriſtum agnoſcere pro Propheta. Ita Serarius. Nihil tamen vetat, ut idem Serarius advertit, & poſt eum Salianus, Prophetæ nomen ſumi hîc pro Propheta quolibet, quales fuêre Zacharias & Aggæus à Deo miſſi, cùm Templum reædificaretur poſt captivitatem Babylonicam. Poſſit & Prophetæ nomine intelligi, phraſi Scripturæ non inuſitatâ, vir aliquis divinarum rerum valdè intelligens, qui perplexam iſtam de altari quæſtionem ſapienter enodaret. Quomodò ſi nunc à viris probis, & intelligentibus, integra ſolutio difficilis cujuſpiam caſus conſcientiæ, ad quietiora tempora, & celebris alicujus Doctoris adventum ſervaretur.

Struitur altare novũ. ℣. 47. Et acceperunt lapides integros ſecundùm Legem, quæ habetur Exodi 20. v. 25. & Deuteron. 27. v. 5. & 6. vetatque ſtrui altare lapideum ex lapidibus, quos ferrum tetigerit, ſed adhiberi jubet rudes & impolitos. *Simplicitas Deo grata.* In quo præcepto innuitur obſcurè, quod alibi, ex communi intelligentia, clariùs dicitur Prov. 3. *Cum ſimplicibus ſermocinationem* Dei eſſe. Putem prætereà, rudibus illis atque informibus ſaxis, ad altare Dei adhibitis, indicari rudes & idiotas Apoſtolos, Chriſto, qui idem ſacerdos & victima & altare eſt, proximè admotos.

Mores antiqui ſervandi. Ejuſmodi igitur lapidibus integris Judæi *ædificaverunt altare novum, ſecundùm illud quod erat priùs*, ſeu ut Græcè habetur, κατὰ τὸ πρότερον, *ſecundùm prius*, ſupple *altare*. Non tantùm ſervârunt quod lege præſcriptum erat quoad materiam, ſed etiam ad amuſſim ſecuti ſunt formam ipſam prioris altaris. Ut illud etiam hinc diſcas, *Moribus antiquis*: nec facilè novationes ullas, in rebus præſertim ſacris & cultu religioſo admittendas, ſed exigenda omnia, quantumvis minuta & indifferentia, ad priſcam Patrum normam, *ſecundùm illa quæ erant priùs*.

Templum inſtauratum & conſecratum. ℣. 48. Et ædificaverunt Sancta, id eſt reſtaurârunt, quæ in Templo diruta erant ſuprà verſ. 38. tum quæ ad porticus & paſtophoria areis circumpoſita pertinebant, tum quæ ad ipſius ædis interiora ſpectabant, *quæ intra Domum erant intrinſecùs*. Nihil enim, vel intrinſecùs, vel extrinſecùs, incontaminatum & illibatum reliquerat ſacrilega Infidelium immanitas. Curatis verò ſartis tectis, *& Ædem, & atria ſanctificaverunt*: Græcè non habetur vox, *ædem*, ſed planè ſubintelligi debet; ſanctificanda enim fuit ædes pariter, & atria ædi circumjecta. De ritu autem ejus ſanctificationis, ſeu conſecrationis, vide Exodi 40. ubi narratur ſanctificatio Tabernaculi facta per Moyſen.

Vaſa & altaria nova. ℣. 49. Et fecerunt vasa sancta nova, qualia recenſentur Num. 7. Nova autem omninò jam fieri debuêre, quia cap. 1. v. 23. impius Epiphanes vetera omnia abſtulerat. *Et intulerunt candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in Templum*: Græcè habetur non ſolùm altare *incenſorum*, ſed etiam *holocauſtorum*. Illata itaque altaria duo: & illud quidem incenſorum ſive thymiamatis, ſuo loco repoſitum, ſtetit abſque altari lapideo: hoc verò holocauſtorum, ſive ex ære fuit uti Exodi cap. 38. ſive ex auro de quo mox, impoſitum fuit & coaptatum altari lapideo, ſuprà deſcripto ad verſ. 47. *Menſa*, de qua hîc mentio, erat deſtinata imponendis panibus propoſitionis.

An fuerint aurea? Iſthæc omnia ex auro fabricata fuiſſe, aſſerit Joſephus: Salianus rejicit, quòd parum conſentaneè id dicatur inopiæ temporum iſtorum. Sed advertere debebat, tot victoriis magnas opes collectas, neque uſquam meliùs, quàm in Templum & pauperes collocari potuiſſe, adeoque non eſſe incredibile, quod ait Joſephus; præſertim cùm etiam coronarum aurearum, ad ornatum templi adhibitarum, fiat mentio verſu 57. Si autem Judæi, ad faciem Templi decorandam, ſumptibus non pepercêre, quid pro ſacris vaſis & altaribus, longè Templi fronte ſanctioribus & auguſtioribus, feciſſe putandi ſunt?

Judas Moſen imitatus. Obſerva etiam poſt Serarium, cùm hîc unius candelabri tantùm, altaris unius holocauſtorum, alterius incenſorum, unius menſæ mentio fiat, putandum eſſe à Juda Sanctum inſtructum fuiſſe more Moſis, non Salomonis. Ille enim iſta ſingula tantùm intulit in Templum, hic verò plura. Conſule de iſtis aliiſque huc ſpectantibus Exodi cap. 37. 38. 39. 40. Et Num. 7. 8. Item Paralip. cap. 4.

Ignis ſacer.

℣. 50. ET INCENSUM POSUERUNT SUPER ALTARE, ET ACCENDERUNT LUCER. QUÆ SUP. CANDEL. ERANT, ET LUCEBANT IN TEMPLO, ſeu lucere cœperunt. Unde autem ignis ſacer acceptus: habetur lib. 2. c. 10. *ex ignitis lapidibus*, de quibus nos meliùs ad eum locum.

Panes propoſitionis.

℣. 51. ET POSUERUNT SUPER MENSAM PANES propoſitionis duodecim, in memoriam duodecim tribuum Iſraël inſtitutos: ut indicaretur, panem & victum Iſraëlitarum omnium à Deo pendere.

Vela Templi.

ET APPENDERUNT VELA. Notat Serarius dici *vela*, non *velum*, contra illos, qui unum tantummodò in Templo ſtatuunt. Sed validum argumentum non eſt. Reſponderi enim poteſt, *vela* dici, quòd unius partes duæ forent, & unum plurium inſtar. Verùm diſputatio iſta hujus loci non eſt.

Prudens myſteriorum occultatio.

Aptè hic Rabanus: *In appenſione velorum exprimitur occultatio myſteriorum: non enim omnibus manifeſtanda ſunt divinæ legis myſteria; ſed pro captu ingenii quorumlibet, & profectu ſcientiæ atque virtutum.* Quod Quintilianus monebat de humanioribus ſcientiis: vaſis anguſti oris liquorem inſtillandum, ne effunderetur; ita rerum cognitionem, pro captu diſcentium, paullatim infundendam. Doctor Gentium ſapientiſſimus, 1. Cor. 3. *Lac*, inquit, *dedi vobis potum, non eſcam: non enim poteratis.*

Quando hæc facta?

ET CONSOMMAVERUNT OMNIA OPERA QUÆ FECERANT: jam antè curata, in Templum intulerunt, locis ſuis aptârunt, & officiis ſuis conſecrare cœperunt. Hæc omnia facta fuêre viceſimâ quartâ menſis Caſleu veſpere: ſub veſperam enim thymiama adolebatur, lucernæ accendebantur, exponebantur panes propoſitionis.

Feſta pridie inchoata.

Itaque cùm Joſephus dicit, iſthæc facta viceſimo quinto die, explicandus eſt de die ſecundùm uſum ſacrum: quo uſu cenſebatur inchoari dies à veſpera præcedente; quomodò nos ritu Eccleſiaſtico in Officiis divinis feſta inchoamus à primis, ut nunc loquimur, Veſpêris.

Quo menſe & die?

℣. 52. ET ANTE MATUTINUM SURREXERUNT QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS NONI: HIC EST MENSIS CASLEU. Reſpondet Caſleu partim Novembri, partim Decembri noſtro: & hunc quidem diem alii apud Serarium noſtrum putant fuiſſe Decembris decimum-quartum, alii decimum-quintum.

Oratio matutina.

℣. 53. ET OBTULERUNT SACRIFICIUM SECUNDUM LEGEM, Exod. 29. Num. 28. Matutino iſto ſacrificio monentur Chriſtiani, primâ luce, ſtatim ut evigilaverunt, holocauſtum amoris Deo offerendum, conſecrandas ipſi omnes diei actiones; ſacrificium matutinum, id eſt Miſſam, ubi Agnus Dei in holocauſtum pro populo offertur, quamprimùm fieri poteſt audiendum: ut beneficia, quibus manè ſuos Deus ſolet impertiri, accipiant. Manè Loth Sodomis eductus, Jacob ab Angelo benedictionem obtinuit, Iſraëlitæ mare Rubrum tranſiêre, manna collegêre, legem accepêre. Manè David profectus ad Saulis exercitum, quo die Goliathum occidit. Manè ab Eſdra prælegi cœptus liber Legis ad populum. Manè Chriſtum paſtores viſêre. Manicare ſolitus Chriſtus ad Templum. Manè mulierés profectæ ad ſepulcrum. Manè ſoliti majores noſtri, priſcæ Eccleſiæ filii, convenire ad orandum, ut ex hymnis Prudentii, Ambroſii, Auſonii conſtat. Imò Plinius junior epiſt. 10. ad Trajanum, de Chriſtianis agens: *Soliti ſunt*, inquit, *ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere, ſeq; ſacramento obſtringere, ne fidem fallant, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committant.* Quid multa? Fideles quoſvis alloquuntur Pſalmiſta & filius, cùm dicunt: *Repleti ſumus manè miſericordia Dei: Annuntiandam manè miſericordiam ejus; Manè videndum, quia Deus non eſt volens iniquitatem: Manè ſeminandum ſemen: Manè vigilandum ad ſapientiam: Manè ſurgendum ad vineas.*

Matutina negotia.

Si profanorum auctoritatem addere placuerit, vide, ut alios omittam, Senecam epiſt. 122. lepidè invehentem in antipodas morum humanorum, quibus noctescit, cùm aliis dieſcit. Secutus iſtorum exempla Heliogabalus, illuſtriſſimus purpuratorum ganeonum: ad multam lucem dormiebat, diem pergræcabatur, veſpere ſalutationes admittebat, noctu negotia tractabat. Proavorum noſtrorum memoriâ Paullus II. in multis laudandus Pontifex, in hoc certè reprehendendus, noctes vigilabat & agebat, dies dormiebat, prandebat ad veſperum, ſub lucem albeſcentem cœnabat. Ita refert Spond. anno 1468. Tales, *Principes tenebrarum* quiſpiam apud Salmeronem non incommodè appellare ſolitus: qui *noctem verterunt in diem*, aliâ longè ſententiâ, quàm Job loquebatur. *Operarios* etiam *tenebrarum*, & *filios noctis* vocare poſſumus.

Muſica adhibetur inſtaurationi Templi.

℣. 54. SECUNDÙM TEMPUS ET SECUND. DIEM, IN QUA CONTAMIN. ILLUD GEN. IN IPSA REN. EST, IN CANT, ET CITH. ET CIN. ET IN CYMB. Comparatur dies renovatorum ſacrificiorum cum die contaminati Templi: vide cap. 1. verſ. 62. Adhibitæ ad augendam lætitiam voces feſtæ cantorum & inſtrumentorum: horum tria omninò genera recenſentur; ſeu quòd iſta ponantur præ cæteris; ſeu quòd revera alia non eſſent, deperditis cæteris per tam longam ceſſationem. *Cinyra* quid ſit, mihi non conſtat. Certum eſt vocem eſſe Græcam, à chordis ſeu nervis movendis deductam. Quidam interpretantur citharam: ſed ab illa hîc disertè diſtinguitur. Suſpicabar eſſe, quam Mandoram dicimus, lyræ & citharæ mediam.

Difficultas de tempore Tēpli purgati exl. a.

Obſerva autem, ex lib. 1. c. 1. verſ 57. & 62. cum hoc loco collatis, conſtare, triennium totum à profanatione altaris holocauſtorum fluxiſſe, ad hunc uſque renovati ſacrificii diem. Nam die decimâ-quintâ menſis Caſleu, anno centeſimo quadrageſimo quinto, erectum eſt, juſſu Antiochi, abominandum idolum, & viceſimâ quintâ ejuſdem anni & menſis cœptæ illi immolari victimæ: anno verò centeſimo quadrageſimo octavo, viceſimâ quintâ ejuſdem menſis Caſleu, renovatum à Juda Machabæo juge ſacrificium. Unde habes tam exactè notatum triennium, ut de illo dubitari non poſſit. Quomodò ergo libro ſecundo cap. 10. v. 3. disertè habetur, ſacrificia in hac Templi dedicatione oblata *poſt biennium*?

Augetur auctoritate Joſephi.

Auget difficultatem Joſephus l. 1. de Bello c. 1. dum ait, durâſſe hanc profanationem tres annos & ſemis. Deinde, Danielis duodecimo, à die, quo ablatum fuerit juge ſacrificium, numerantur dies mille ducenti nonaginta, id eſt tres anni ſex menſes dies quindecim. Denique apud eumdem Danielem capite octavo verſ. 13. & 14. disertè dicitur, à conculcatione Sanctuarii uſque ad emundationem, lapſuros dies bis mille trecentos, ſive ſexenniùm, & quod excreſcit. Quomodò tres anni & medius, imò ſex anni, cum biennio libri ſecundi, & cum triennio libri primi conciliari poſſunt?

Reſpondetur Joſepho.

Reſpondeo ad Joſephi auctoritatem, cum Serario, ſex menſes, vel ab eo imprudente adjectos, vel à librario negligente, aut lectore ſciolo, ob malè intellectum Danielis oraculum cap. 12. Alioqui Joſephus ipſe ſibi apertè contradicat; cùm lib. 12. Antiq. c. 11. disertè affirmet, eodem menſe ac die, poſt tertium annum exactè recurrente, purgato

Templo,

Digitized by Google

Templo, renovata ſacrificia. Et in eamdem ſententiam Joſephum citat Hieronymus, in Commentariis ad cap. 12. Dan.

Explicantur loca Danielis.

Ad iſtam verò Danielis ex cap. 12. ſententiam, quam Porphyrius huic deſolationi applicabat apud Hieron. ibidem: reſpondeo cum eodem Hieronymo, tres & ſemis annos de tempore Antichriſti intelligendos eſſe. Addo etiam applicari poſſe, ſaltem figuratè, Antiochi temporibus, quem Antichriſti expreſſam imaginem fuiſſe monuimus, ad capitis primi verſum 57. Nec refert, quòd dierum numerus exactè non conveniat Antiocho: non enim opus eſt, ut in imagine omnia ad amuſſim prototypo reſpondeant; ſatis eſt, ſi in præcipuis rebus ſit perfecta ſimilitudo. Quamquam & dici poteſt, tres annos & ſemis duràſſe Templi contaminationem: ejus principium ducendo non ab erectione idoli ſuper altare, ſed à *contaminatione Sanctificationis* factâ cædibus innocentum per Apollonium, ante adventum ſenis Antiocheni, ut diſertè habetur lib. 1. c. 1. v. 38. Ad alium locum Danielis ex capite octavo, qui ex omnium Interpretum conſenſu, non figuratè ſolùm, ſed literaliter de Antiochi temporibus explicandus eſt: reſpondeo eos bis mille trecentos dies, ſive annos ſex, tres menſes, dies viginti, ut ibi numerat Gloſſa interlinearis, longè ante Templi profanationem incipiendos. Aut ab Jaſonis irruptione Hieroſolymam, à qua uſque ad Templi emundationem invenies illud intervallum; ita Salianus ad annum Chriſti 1884. Aut à cæpta per Antiochum Judæorum perſecutione, poſt ſecundam expeditionem Ægyptiacam: à quo tempore uſque ad perſecutionis finem, qui non obtentus eſt reſtauratione Templi, ſed tyranni morte, numerantur facilè ſex anni tres menſes viginti dies. Utrovis modo iſtum locum explices, vel alio aliquo reconditiore, parum intereſt ad rem noſtram: cùm non ſit propria hujus loci quæſtio.

Conciliatio varia libri hujus cum ſecundo.

Ad antilogiam ex libro ſecundo allatam, facillima erat reſponſio, niſi rei per ſe claræ auctores varii opinionibus ſuis tenebras offudiſſent: ut nimis ſæpè fit in Theologicis & Scripturæ quæſtionibus. Sixtus Senenſis libro 8. ad vitandam hanc difficultatem, duas fingit dedicationes Templi, aliam hoc loco, aliam libro ſecundo narratam. Sed res ipſa clamat, utramque eſſe eamdem: nec refert, quòd libro ſecundo narretur dedicatio Templi poſt mortem Antiochi, id enim fit ibi extra ordinem hiſtoriæ, & quaſi per parentheſin, ut ad verſum 39. ex occaſione obſervavimus. Torniellus biennium, de quo libro ſecundo, dicit, terminari in adventu Judæ Hieroſolymam, & ſic conatur illud conciliare cum triennio de quo libro primo. Sed ut benè obſervat Salianus, diſertè finis biennii ab auctore libri ſecundi figitur in mundatione Templi, & ſacrificiis oblatis, non autem in adventu Judæ. Serarius dicit, libri ſecundi auctorem Chaldaïca annorum putatione uſum, annos duos ſolùm profanationis numerare, quia tertius Chaldaicus nondum erat completus: completi autem erant tres ſolidi anni Judaici, quâ ſupputatione auctor libri primi utitur. Verum id quidem eſt, diverſam eſſe utriuſque libri chronotaxim, ut fusè diſſeruimus ad verſum 11. capitis primi. Cui tamen perſuadebit Serarius, ob illam chronotaxeos varietatem, tres annos ſolidos Judaicos fluxiſſe ab erectione idoli ad Templi uſque expurgationem, non tres ſolidos Chaldaicos? Quî id factum? An quod intercalârint eo intervallo Chaldæi, non Judæi, adeóque iſti annum unum fecerint longiorem? Et quis iſtorum auctor idoneus? Aliter nodum hunc ſolvit S. Thomas hoc loco: *Uno*, inquit, *anno duravit contaminatio, antequam Iudas, & ſui, remedium aliquod apponerent. Poſtquam verò ille incæpit remedium adhibere, duravit duobus annis: & ſic loquitur hìc, cum dicit, poſt biennium.* Contra iſtam Angelici Doctoris explicationem Salianus objicit, quòd tollat annum, quo Mathathias rebus Judaicis præfuit, à Joſepho diſertè attributum. Sed non animadvertit Salianus illam vocem, *ſui*: qua non fratres ſolum Judæ, ſed & pater comprehenduntur. Eſt enim pater filio æquè *ſuus*, ac fratres. Unde annum illum, quo *Judas ac ſui* remedium malis non adhibuêre, intelligere videtur ſanctus Thomas annum Principatûs Mathathiæ, quo renaſcens reſpublica Judaica, nondum aperto Marte contra hoſtes pugnare audebat, quod demum Principatu Machabæi cæptum.

Vera conciliatio, & biennii, de quo lib. 2. explicatio.

Si hoc ſenſu verba ſancti Thomæ explicâris, auctor ipſe erit ſententiæ, quam non improbat Serarius, probat Salianus: & verò probanda eſt, cùm planiſſima ſit, & maximè obvia, ſolutio difficultatis propoſitæ. Dicendum igitur, *Biennium* iſtud libri ſecundi ſumendum ab initio Principatûs Judæ: ut Templum mundatum fuerit tertio anno pòſt, quàm profanatum fuerat abominandâ ſtatuâ Jovis; ſecundo autem anno pòſt, quàm Judas defuncto patre Principatum iniit. Mortuus eſt enim Mathathias anno centeſimo quadrageſimo ſexto, ut habetur ſuprà; cap. 2. v. 70. & ſtatim ſurrexit Judas filius ejus pro eo: anno autem centeſimo quadrageſimo octavo, ſub finem menſis Caſleu, inſtauratur cultus divinus. Quorſum alibi conquirere contortas biennii explicationes, & antilogiarum conciliationes, cùm hìc ſit tam aperta, & extra controverſiam poſita? Ne verò cavillationi locus ſuperſit: ſi quis contendere velit à morte Mathathiæ biennium ſolidum non fluxiſſe ad hoc uſque tempus; etſi id probari non poteſt, tamen tu ne contendas contrà, ſed reſpondeas, in textu libri ſecundi dici *poſt biennium*, id eſt cùm biennium ad finem accederet: qua phraſi dicitur Luc. 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer*; id eſt, poſtquam octavus dies vênit, quo circumcidi debebat Chriſtus.

Adoratur Deus.

℣. 55. & 56. Et cecidit omnis populus in faciem, et adoraverunt: dum holocauſtum cremaretur, & cantica ſacerdotalia reſonarent, humili geſtu Deum adoravêre omnes, qui aderant è populo, prono in terram vultu: *Adoratio* enim *eſt nota ſubmiſſionis internæ*; & hìc Judæi, in terram ac pulverem ſe abjicientes, profitentur ſe nihil eſſe coram Deo. Vide S. Thom. 2. 2. q. 84. verſ. 2. ubi quærit: *Utrùm adoratio importet actum corporalem?*

Gratiæ aguntur.

Et benedixerunt in cælum, clarâ voce laudaverunt *eum, qui proſperavit eis*, τῷ εὐοδώσαντι αὐτοῖς, id eſt, *qui eos recto itinere deduxerat*; etſi per ambages & circumitus calamitatum, rectâ tamen ſecundùm juſtitiam & miſericordiam ſuam viâ, ad initium novæ proſperitatis adduxerat. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo*, uno enim die tanta lætitia expleri non poterat, & ſtudium renovati poſtliminio cultus divini: dedicatum autem fuit altare victimis plurimis, per octonos iſtos dies oblatis, nam *obtulerunt holocauſta cum lætitia, & præter holocauſta ſacrificium ſalutaris, & laudis*, id eſt, hoſtias pacificas, & euchariſticas. Nec dubitandum eodem tempore alia omnium generum ſacrificia peracta, de quibus agitur in Levitici capitibus primis: ut jactura triennii cumulatâ per paucos dies pietate ſarciretur.

Quæ coronæ, & ſcutula?

℣. 57. Et ornaverunt faciem Templi coronis aureis, et scutulis. Scuta aurea Templo affixerat Salomon, 3. Regum 10. Ærea repoſuerat Roboam, 3. Reg. 14. Machabæus & ſocii nec *ſcuta*, nec *ærea*, ſed *ſcutula aurea*, & corollas ponunt ad Templi faciem: etſi enim habeatur *coronis aureis & ſcutulis* ſimpliciter, non repetitâ voce *aureis*, tamen ſubintelligi debet. Quod enim alioqui ornamentum forent ſcutula ex inferiore materia, quàm coronæ illis adjectæ? Ego ſanè mihi perſuadeo, *ſcutula* iſta & *coronas* unius operis fuiſſe, cum in modum, quo nunc fiunt ornamenta architecturæ, quæ vulgari voce *Coria* vocamus. Coronæ itaque ſcutula circumplectebantur: ſcutulis vel nomina Dei inſcripta erant, vel quid aliud ad augendam populi pietatem, & diei celebritatem.

An ex auro?

Intelligo item coronas ex auro, non autem inauratas ſolùm: opinabatur enim Bonfrerius noſter, eas tantùm coronas, quæ marmori antè inſculptæ erant, auro inductas fuiſſe. Sed plus aliquid, ni fallor voce *ornaverunt*, & voce *aureis* indicatur; quàm iſtud inaurationis ornamentum, non admodùm pretioſum, atque adeò nec valdè memorabile. Præterquam quòd, coronæ inauratæ propriè dici aureæ non poſſunt: & verba Scripturæ in proprio & obvio ſenſu accipienda ſunt, ubi nîl impedit.

Fortitudo & honor conjuncta.

Benè autem *coronæ aureæ* connectuntur cum *ſcutis*, ut conjunctio victoriæ cum prælio, præmii ex fortitudine conſecutio ſignificetur. Olim apud Romanos, juncta fuêre delubra Virtutis & Honoris: ut intelligeretur ab illa gradum proximè ad iſtum eſſe. Meliùs hoc à Machabæo noſtro diſcemus, ex iſtis in Templi fronte pendentibus corollis & ſcutulis: meliùs ab altero Machabæo, ſpiritalis militiæ duce, S. Paullo, cujus edictum eſt, 2. Tim. 2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*: qui de ſe ipſe pronuntiat, 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi ... in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.*

Scutula an dedicari potuerint?

Quærat hîc aliquis: quomodò à Machabæo apposita ſcutulorum ornamenta ad frontem Templi, & quomodò id paſſus Judaicus populus? Poſtmodùm enim pati noluit dedicata per Pilatum ſcuta inaurata, non in Templo, ſed in Herodis palatio. Et ne exiſtimes, à Pilato ſcutis adjectum quidquam quod idololatriam ſaperet: nihil illis inerat, inquit Rex Agrippa apud Philonem lib. de legatione ad Caium, imaginis, aut rei alterius lege prohibitæ: ſolus inſcriptus erat titulus neceſſarius cum nomine dedicantis, & ejus cui dedicabatur. Commota tamen ad hoc gens Judaica, cùm à Pilato pervicaci homine, & Cæſarum gratiam impensè aucupante, impetrare non poſſet, ut ſcuta tollerentur; ſupplicibus literis à Tiberio obtinuit, ut Cæſaream aufferrentur. Reſpondendum: inter ſcutula Machabæi & ſcuta Pilati id maximoperè intereſſe, quòd illa Deo dedicata eſſent, hæc memoriæ Auguſti, ut ex cætera Agrippæ oratione colligitur. Inſuetum autem erat apud Judæos, ſcuta iſto modo ad hominis memoriam Hieroſolymis exponi. Adde, adjectam forſan fuiſſe titulo literam D. ad Auguſti nomen, ut Divus & quaſi Deus ſignificaretur: quod tunc Romanis ſolenne, Judæis intolerabile fuit.

Portæ quî dedicatæ?

Et dedicaverunt portas Templi, quæ exuſtæ fuerant à Calliſthene. Dedicatio iſta intelligenda, de renovatione ſolenni & revocatione ad uſum priſtinum, refectis & inſtauratis, quæ deerant. Græcè habetur *ἐνεκαίνισαν*, renovârunt. Sic etiam *paſtophoria* inſtaurata, & appoſitæ eis januæ.

Quando?

Sed an modò tantùm portæ Templi refectæ, poſt ſacrificia oblata, & januæ paſtophoriis appoſitæ? Nonne ſuprà verſu 48. narratur, ædificata Sancta, & quæ intra domum, & ædem, & atria ſanctificata? Reſponderi poteſt, hoc loco quædam dici per recapitulationem Hebræis familiarem, & uſitatam in Scripturis. Poteſt tamen etiam dici, quædam ante ſacrificandum reparata, quædam pòſt, prout deprehendebantur neceſſaria, & prout commodum erat. Difficile enim fuit, in tam vaſtis Templi ædificiis, omnia vitia & damna paucis diebus deprehendi, & curari.

Lætitia Judæorum de mundatione Templi.

℣. 58. Et facta est lætitia in populo magna valde, et aversum est op. Gentium; quia Gentiles deſierunt Judæis inſultare, & objicere profanationem Templi. De lætitia autem populi, præter ea quæ hîc, & libro ſecundo cap. 10. habentur, addit Joſephus l. 12. c. 11. *Per octo dies nullum honeſtæ voluptatis genus omiſſum, & populo præbitum epulum ſumptuoſum.* Neque incredibile eſt, in eo publico gaudio factum id à Juda Machabæo, exemplo Salomonis: nec deerant opes, poſt tot victorias & prædas: & favebat conſuetudo præbendarum populo partium de victimis, ad ſacrificium pacificum immolatis, quâ de Levitici c. 4. & 7.

Figura lætitiæ de converſione peccatoris.

Non eſt omittendum, quod Rabanus obſervat, in hac lætitia Judæorum ob reſtitutum Templum, exprimi gaudium Fidelium de peccatorum converſione: *Myſticè*, inquit, *renovatio Templi, converſio eſt hominum ad pœnitentiam peccatorum, qui aliquibus erroribus atque facinoribus contaminati erant. Tunc enim cantandum, gaudendum, jubilandum, atque laudandum quibuſque Fidelibus eſt, quando viderint proximos ſuos per correctionem morum, atque meditationem legis Dei, in ſemetipſis inſtaurare, quod antè jam per negligentiam deciderat. Vnde etiam ſacrum Evangelium narrat, Luc. 15. Salvatorem dixiſſe, in cælis gaudium naſci ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Si de uno, quantò magis de multis exultatio erit, converſis ad veracem cultum Dei? Quia ſicut ſcriptum eſt: In multitudine plebis dignitas eſt Principis, Prov. 14. illius videlicet Principis, qui vult omnes homines ſalvos eſſe, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

Reſurrectio ſpiritalis.

S. Gregorius Nazianz. Catholicâ fide Conſtantinopoli contra varias hæreſes aſſertâ, templum excitarat Anaſtaſiæ ſeu Reſurrectionis, quaſi monumentum reſuſcitatæ fidei, ut ipſemet loquitur, oratione in diſceſſu habitâ. Templo Hieroſolymitano, à Juda jam purgato, idem dare poſſis Anaſtaſiæ nomen: idem ſpiritali Chriſtianæ animæ templo à peccatis emundato, & hoſtiis ſalutaris, ac laudis, ſuaviſſimique odoris holocauſtis conſecrato, per actus Fidei, Spei, Caritatis, & hujus præſertim. Libro ſecundo capite 10. dicitur ignis ſacer, quo victimæ crematæ ſunt, exceptus ex ignitis lapidibus. At nonne corda peccantium lapides ſunt? Ignita fiunt per ejus gratiam, qui potens eſt de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Ignitis amore Dei cordibus, gratiſſimæ actuum interiorum & exteriorum victimæ adolentur.

Præceptum Judæ de feſto Dedicationis.

℣. 59. Et statuit Judas, et fratres eius, et universa Ecclesia Israel. Primo loco *Judas* ponitur, quia ipſius erat edicta & leges ferre, utpote Pontificis & Principis. Deinde ponuntur *fratres ejus*, quia res gerebat eorum conſilio, Simonis præſertim. Denique additur *univerſa Eccleſia Iſraël*, quæ legi à Machabæo latæ lubens conſenſit, ad tantæ rei memoriam. Statutum igitur, *ut agatur dies Dedicationis altaris in temporibus ſuis, ab anno in annum per dies octo*, eos numerare incipiendo à *quinta & viceſima die menſis Caſleu*: & octoni iſti dies quotannis agantur, *cum lætitia & gaudio.*

Religioſè ſervatum à poſteris.

Judæ præceptum tantâ religione à poſteris obſervatum eſt, ut Joſephus l. 12. c. 11. notet, vocari ſolitum feſtum iſtud ætate ſua φῶτα, id eſt *lumina*, ſeu *diem luminum*; tum quòd illo renovaretur memoria fælicitatis, quæ ex inſperato Judæis illuxerat, ut ipſe ait; tum quia magno gaudio agebatur, lætitiæ autem ſymbolum lumen eſt; tum denique, quòd plures cerei & lucernæ in ſynagogis accendebantur, quàm feſtis aliis, idque etiam hodie à Judæis factitari obſervat Serarius, poſt Antonium Margaritam libro de ritibus Judæorum. Unde autem mos iſte apud Judæos, plura hoc feſto quàm aliis lumina accendendi, profectus ſit, & nomen ipſum *feſti luminum*, unde fluxerit, non malè conjicit Salianus ex libri 2. c. 2. v. 22. ubi nominatim agitur *de illuminationibus, quæ de cælo factæ ſunt ad eos qui pro Iudæis fortiter fecerunt*: ſive ex *illuminationes* pro favore divino ſumantur phraſi Scripturæ, uti dum dicit David, *Dominus illuminatio mea*, id eſt fautor meus: ſive accipiantur pro apparitionibus Angelorum, qui Judæis auxilio ſæpiùs fuêre in præliis contra Infideles, Machabæo Duce.

A Chriſto honoratum Joan. 10.

Quæres, an de hiſce Encæniis loquatur Evangelium Joan. c. 10. ubi dicitur, *Facta fuiſſe Encænia Hieroſolymis, hyemem fuiſſe, ambulaſſe JESUM in Templo in porticu Salomonis.* Reſpondeo, planè intelligendum de his, non autem de feſto Dedicationis templi Salomonici, aut de altero templi Zorobabelici. Ita paſſim Catholici omnes ſentiunt, paucis exceptis: aſſentiuntur hæretici ipſi, quod mirêre, & in his Beza ad eum Joannis locum.

Probatur à tempore.

Rationes ſunt: Prima à Rabano perſtricta, à Salmerone explicatiùs tradita, tomo 8. Tract. 43. quòd Dedicatio templi Salomonici ex 3. Reg. 8. in menſis Ethanim ſeu Tiſri diem viceſimum tertium, id eſt non longè ab æquinoctio autumnali incideret: quo tempore *hyems* in regionibus illis eſſe non poterat, quæ tamen erat iſtis apud Joannem Encæniis. Dedicatio autem templi Zorobabelici menſe Adar celebrabatur, ex 1. Eſd. c. 6. quo menſe conſtat, ver in Judæa eſſe ſolere, cùm Aprili ferè illic metere inciperent: adeóque tunc *hyems* eſſe non potuit, eſto frigus aliquando fuerit, quale Joan. 18. memoratur nocte Paſſionis Chriſti, & quale nos interdum, etiam adulto vere, imò & æſtate, ſentimus. Supereſt itaque Dedicatio tertia à Machabæo facta, cujus meminiſſe Joannes potuerit.

À nomine.

Alteram rationem duco ex ipſa Encæniorum appellatione, quam huic Machabæi Dedicationi ſingulariter attributam, & quaſi propriam fuiſſe, ex eo colligitur; quia etiam hodie Judæi in Calendario ſuo hoc feſtum abſolutè vocant *Encænia*, ut advertit Serarius. Unde cùm ſimpliciter dicat Joannes *facta Encænia*, intelligi debet de eo feſto, quod per antonomaſiam ſic vocabatur. Adde Dedicationem templi Salomonici propriè vocari non potuiſſe *Encænia*, cùm non fuerit *renovatio* templi, ſed ædificatio. Zorobabelica item Dedicatio non admodùm propriè *Encænia* vocaretur, cùm Templum non fuerit inſtauratum & refectum, ſed ædificatum de novo. Hîc verò à Machabæo partes Templi dirutæ & profanatæ reædificantur, & emundantur, cultúsque divinus reſtituitur, & propriè *encæniatur*.

In Eccleſia poteſtas eſt præcipiendi.

Diſce hinc, poteſtatem condendorum feſtorum in Eccleſia eſſe, cùm in Synagoga fuerit: diſce item exemplo Judæorum, quam debeas Eccleſiæ præceptis obedientiam. Qua de re commodiùs dicemus ad cap. 10. lib. 2. ubi etiam erit occaſio diſſerendi de feſtorum quorumdam nuper abolitorum & indictorum obſervatione. Conſule interim Baronium ad annum Chriſti 58. ubi docet inſtitutionem Apoſtolicam eſſe pro feſtis Martyrum, poſteriorem pro Confeſſoribus. Conſule & Fagundem de Præceptis Eccleſiæ. Octavarum item inſtitutionem in Eccleſia eſſe antiquiſſimam, vel ex Auguſtino diſce, qui librum de divinatione dæmonum ſic incipit: *Quodam die, in diebus ſanctis Octavarum, cùm manè apud me eſſent fratres multi laici Chriſtiani.* Idem l. 1. de ſer. Dom. in mon. c. 4. meminit *Octavarum feriarum, quæ in regeneratione novi hominis celebrabantur.*

Munitus ipſe mons Sion, non Acra.

℣. 60. Poſt Templi ſacrorumque reſtitutionem, cavendum erat in futurum, ne rurſus à præſidiariis arcis munia religionis diſturbarentur. In eum finem, *ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum* ejuſdem montis, *muros altos & turres firmas, nequando venirent Gentes, & conculcarent eum* montem Sion, *ſicut anteà fecerant.* Salianus reprehendit Joſephum, quòd mænia civitatis inſtaurata dicat à Machabæo, & turres exſtructas: ipſemet tamen hoc loco non ſequendus, qui in monte Acra turres dicat inædificatas, ad Templi cuſtodiam. Nam ex textu ipſo manifeſtum eſt, munitum ipſummet *montem Sion, & in circuitu* ejus, id eſt, ad extremas partes montis; non autem in rupibus ab eo disjunctis, qualis erat Acra, ſtructos muros ac turres. Prætereà, cùm ex dictis ad capitis primi verſum 35. & 36. conſtet, arcem Antiochi fuiſſe in ipſo monte Sion, Templo imminentē; conſequens eſt, munitiones à Machabæo in eodem monte excitatas, cùm id ſolùm ſpectaret, ut Templum adversùs impetum præſidiariorum arcis tueretur.

An civitatis mænia inſtaurata?

Quod autem ait Joſephus, mænia civitatis ipſius inſtaurata: & hoc prorſus credibile eſt, eâ præſertim parte, qua Bethſuram ſpectabant, ut munitionibus Templi, continuatâ quaſi ſerie, per reparata mænia, ac ſubterraneus meatus, de quibus l. 2. c. 13. Bethſuræ munitio hæreret. Itaque Machabæus munimēta excitavit, non tantùm circùm Templum, quod in monte Moria ſitum erat; verùm & in ipſo propriè dicto monte Sion, ad Orientalem ejus partem ac Templi latus, exadverſum arci Syrorum. Sicque omninò feciſſe debuit, ad mutua Templi ac Bethſuræ auxilia: uti etiam in tabella noſtra exprimendum curavimus.

Bethſuræ ſitus.

℣. 61. ET COLLOCAVIT ILLIC EXERCITUM, monti Sion jam munito firmum & numeroſum præſidium impoſuit Judas. Græcè habetur, *collocaverunt*, Judas ſcilicet, & fratres, primoresque Judæorum communi conſilio id fecerūt. *Et munivit*, ſeu, ut Græcè habetur, *munierunt illum ad cuſtodiendam Bethſuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ*, Auſtralis ſcilicet. Erat ergo Bethſura ad Auſtrale Hieroſolymæ latus.

Mutua Templi & Bethſuræ auxilia.

Quæri hic poteſt: An mons Sion munitus fuerit, ut præſidio eſſet Bethſuræ? An verò Bethſura munita, ut præſidio eſſet Templo? An utraque potiùs munitio excitata, ut mutuo ſibi auxilio forent? Prima ſententia in textu Latino clara eſt. Altera ex textu Græco colligitur, ſi commata addantur, & ſic legatur, ὠχύρωσαν, αὐτὸ τηρεῖν, τὴν Βαιθσοῦραν: *munierunt, illud cuſtodire*, ſive, ad illud ὄρος, montem Sion cuſtodiendum, *Bethſuram.* Tertia tamen ſententia, etſi in verbis Scripturæ non tam clarè apparet, ex re ipsâ plana eſt. Firmatus igitur fuit mons Sion præſidiario milite: firmata item Bethſura, ut ex vicino alter alteri locus munimento foret.

EXCURSUS I. MORALIS

Ad Cap. 4. *v.* 8. Ne timueritis multitudinem eorum: & impetum eorum ne formidetis.

Inſpiciuntur motus animorum.

SECTIO PRIMA.

Tranquillitas Chriſtiano militi neceſſaria.

I. Tranquillitas quàm neceſſaria. QUod Judas Machabæus fecit, ut ſuos verbis ad pugnam animaret, idem fecit Chriſtus ad ultimum Paſſionis ſuæ certamen de cœnaculo progreſſurus. Et quomodò Judas exhortationem ſuam incæpit ab inanis metûs excluſione: ita ſuam Chriſtus ab illis verbis: *Non turbetur cor veſtrum,* Joan. cap. 14. verſ. 1. quæ ipſa verba paullò pòſt verſu 27. iterans dicit, *non turbetur cor veſtrum, neque formidet*; id eſt turbas omnes ab animo veſtro excludite, eas maximè quæ à vanæ formidinis tumultu oriuntur. Aptiſſimè equidem dux uterque iſtud monitum ſuis commendavit, pugnaturis adversùs Syro-Macedones victoriæ fiducia inflatos; & adversùs infenſas legiones ſatanæ, qui expetiverat eos, ut cribraret ſicut triticum. *Magnum enim fortitudinis firmamentum eſt animus non turbatus:* nec duci ſolùm omninò neceſſaria eſt ad ordinandam aciem tranquillitas, ſed etiam militi, ad vim repellendam & inferendam, cavendosque & deſtinandos ictus.

II. Militi Chriſtiano. Idem nobis in militia Chriſtiana præceptum accuratiſſimè obſervandum, ut quantum fieri poteſt tranquilli ſemper ſimus, neque ab hoſtibus occupemur turbati. Canticorum 6. *Sulamitem* appellari audio, id eſt pacificam ſeu pacatam, quæ tamen paullò antè comparata eſt *aciei ordinatæ,* & mox cap. 7. confertur *choris caſtrorum.* Nimirum mens hominis pacata, & ſerena, dæmonibus terribilis eſt inſtar aciei ordinatæ, caſtrorumque Dei, quæ nulla tentationum ars facilè poteſt perrumpere. Eamdem ob cauſſam cap. 8. ſeipſam muro impenetrabili comparat, & caſtos amores ſuos turri firmiſſimæ, ex quo facta eſt *coram ipſo quaſi pacem reperiens.* Contrà verò perturbatus animus aditum tentationibus aperit: ſicut civitas factionibus ac ſeditionibus agitata patet hoſtium incurſionibus, aut inſidiis. Monitum infœlicis politici Chriſtiano indignum celebratur, *Divide, ut regnes:* artem illam nullus dæmone meliùs novit, dividit animum hominis à ſeipſo, paſſiones adversùs rationem excitat, ut tumultuantes incautosque invadat, & ſæva tyrannide dominetur. Vulgò dicimus, fœlicem eſſe ſolere piſcationem nocturnam & in aqua turbida; ſerumque piſcatrici cuipiam avi id à natura eſſe inſitum, ut aquam capiendis piſcibus turbet: turbat dæmon, ut capiat; tumultuatur, ut expiſcetur.

III. Opera Chriſtiana per noctem mentis non ſuccedunt. Apoſtoli autem, & Apoſtolorum diſcipuli Chriſtiani, nubilo cœlo & per tenebras nihil capiunt. Luc. 4. *Per totam noctem laborantes,* vacua navi redibant ad litus, niſi Chriſtus per diem illos locuplete præda ditâſſet. Et Joan. 21. *Nocte nihil prendiderunt:* ſed *manè facto,* & Chriſto ſtante in litore jubenteque ad dexteram navigii rete jaci, uberrima fuit piſcatio. Dæmon, & dæmonis aſſeclæ, in turbido & obſcuro aliquid capiant: ſed diſcipuli Chriſti clara luce, & ſereno, piſcari debent. Araneæ venenatæ nubilo cœlo maximè laborare conſueverunt, cùm mellis artifices apiculæ otiantur. Idem nobis Pſalmo 103. innuitur: *Facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ: catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Quando nox animis incumbit, abſente luce & ſerenitate, ferini affectus, leonina rabies, lupina odia, ſerpentinæ invidiæ, aliaque bellnina monſtra graſſantur. At ubi rediêre dies & ſerenitas, feræ ſeſe condunt in latibulis, *& in cubilibus ſuis collocabuntur: Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperum.*

IV. Turbatio cordis quotuplex? Meritò itaque Chriſtus olim Apoſtolis commendavit, nobisque commendat, ne turbetur cor noſtrum. Quod præceptum ut rectè intelligamus, & exequamur; notandum, tria in perturbatione poſſe intercurrere. Primum eſt, motus appetitus ſenſitivi, qui plerumque non eſt in noſtra poteſtate: exempli cauſâ, cùm ex improviſo in hominem peſte infectum, vel inimicum, aut amicum incurris, timor, ira, lætitia exſurgunt. Alterum eſt, motus ſanguinis ex ſubitæ paſſionis motu: timor enim illum conglaciat, ira fervefacit, lætitia dilatat, & in vultu ipſo aliisque membris non infrequenter prodit commotionis ſuæ indicia, vel pallore, vel rubore, vel tremore, vel rigore. Tertium eſt, rationis & voluntatis motus, appetitûs ſenſitivi motibus vel omninò renitentis, vel prorsùs obſequentis, vel inter aſſenſum ac diſſenſum fluctuantis: quorum cùm quotidiana ſint exempla & experimenta; nemo in ſemetipſo non poteſt agnoſcere, ſi vel ſemel ſeſe introſpiciat.

V. Apathia qualis ſit? Cùm Chriſtus vetat nos turbari, de quanam iſtarum turbationum intelligit? An de ipſis ſenſûs & ſanguinis motibus? Cùm dicuntur Stoici diſcipulos ſuos apathiam omnimodam docuiſſe. Eam ſi docuêre, rem non ſolùm arduam, ſed etiam naturæ omninò impoſſibilem, docuêre. *Eumdem* enim, inquit Hier. lib. 3. adv. Pelag. à nobis adducendus ad cap. 9. v. 6. &c. *ſemper vultum habere non poſſumus.* Nec philoſophorum tantùm nulli apathia contigit, ſed neque ulli ſapientium noſtrorum, quantumvis in virtute exercitatorum, & in gratia provectorum. Unus Chriſtus, ejusque ſanctiſſima Mater, ita paſſiones omnes habuerunt in poteſtate: ut rectam rationem numquam antevenerint, aut occupârint ſubita eruptione; ſed meditatò ſecutæ ſint. Timuit Chriſtus, cœpit pavere,

pavere, tædere, & mæſtus eſſe, lacrymatus eſt, quia voluit, quia *turbavit ſemetipſum*. Virgo *turbata eſt in ſermone* Angeli, verecundiæ motu: timuit Chriſto ad Paſſionem eunte: triſtata eſt cùm ſtaret juxta Crucem JESU: iſtos motus excitavit ratio, non excepit; præcucurrit, non ſecuta eſt. At in aliis Divis omnibus, quantævis ſanctimoniæ, neceſſe fuit ut aliquando motus naſcerentur ante rationis imperium; quemadmodùm oportuit, ut aliquando veniabiliter peccarent ex infirmitate naturæ. Divi Philippus & Jacobus, quorum feſto id Chriſti monitum in Evangelio commodiſſimè legitur, primo die ſereniſſimi & pulcerrimi menſium omnium. Ii ergo Apoſtoli, qui ante acceptum Spiritum Sanctum, paucis horis poſt Chriſti monitum auditum, ita turbati fuêre ſubito metu per tenebras Paſſionis, ut relicto Domino trepidè & effuſè cum reliquis fugerint. Poſt acceptum Spiritum, quando ille inter barbaros Scythas, hic inter infenſos Judæos verſati ſunt, ille poſt mille diſcrimina ad ſtipitem fixus, hic poſt varia ludibria de pinnaculis Templi præcipitatus, numquámne agitationem ullam timoris, aut morſum triſtitiæ ſensêre rationi præcurrentem? Numquámne cum Paullo dicere potuerunt, *Sentio legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ?*

VI. Qualem Stoici docuerint? Ipſi illi apathiæ doctores, non talem eam finxêre, ut nullum omninò motum in ſapientis mentem admitterent. Clariſſimus Stoicorum Latinorum eſt Seneca, Græcorum Epictetus. Iſte ſententiam ſuam ac ſuorum apertè exponit libro de Tranquillitate, ubi ait, agitationes quaſdam interdum eſſe in animo ſapientis, non magnas eas quidem, aut procelloſas: ſicut *eſt quidam tremor tranquilli maris, aut lacûs, cùm à tempeſtate requievit.* Epicteti ſententia refertur ab Auguſtino lib. 1. quæſt. in Gen. q. 30. Narratâ hiſtoriâ Stoici, per tempeſtatem naufragiique diſcrimen pallentis ac turbati, & à petulante juvene irriſi: quam etiam hiſtoriam narrat lib. 9. de Civit. cap. 4. Illâ ergo narratione factâ, ſubdit: poſt plexam falſo reſponſo petulantiam inepti adoleſcentis, prolatum ab eo Stoico librum Epicteti, *Ubi legebatur, non ita placuiſſe Stoicis, nullam talem perturbationem cadere in animum ſapientis, quaſi nihil tale in eorum appareret affectibus: ſed perturbationem ab eis definiri, cùm ratio talibus motibus cederet, cùm autem non cederet, non dicendam perturbationem.*

VII. Qualem Chriſtus? Chriſtiana omninò, & ipſiſſima Chriſti doctrina eſt. *Non turbetur*, inquit, *cor veſtrum*. Non dicit, non turbentur oculi, ſenſus, imaginatio, ſanguis, paſſiones; ſed cor non turbetur: cor utique illud, de quo Sapiens, *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Cor animi, quod eſt ratio & voluntas, unde vita ſpiritualis pendet, ſicut à corde vita corporalis. Turbent itaque quomodolibet ſeditioſæ paſſiones, tumultuentur ſenſus, efferveſcat ſanguis aut congelaſcat: ſi tamen illis ratio non cedit, ſi voluntas renititur, perturbatio non eſt. Multò minùs perturbatio vocabitur: ſi times, cùm æquum eſt timere, & intra rationis modum; ſi amas, cùm ratio poſtulat ut ames, nec limites recti egrederis; ſi triſtaris ex debito, & convenienter; ſi quamlibet aliam paſſionem ſentis, quia ſentire debes, quia humanum eſt ut ſentias, quia ſentire vis, & ſicut Chriſtus turbas temetipſum in tempore.

VIII. Turbatis omnibus cor non turbatum. Dicebat D. Catharina Senenſis, ſecretarium aliquod ſe intùs habere & intimum penetrale, quòd nullæ unquam perturbationes irrumperent. Tumultuabantur tamen interdum circùm ipſam, & frendebant inimici, amici, dæmones, paſſiones: prorsùs ut ipſamet vix ſibi præſens eſſet, & præſentem Deum ſentire non poſſet, præ immenſo tentationum ſtrepitu. Pax nihilominùs erat in adytis, cùm in porticibus turbaretur. Idem nobis, cum bono Deo, eveniet, ſi aſſueſcamus non paſſionibus ſervire, ſed imperare: ut quantum fieri poteſt rationis juſſum non antecurrant; aut ſi, ut aliquando fieri neceſſe eſt, præcucurrerint, mox ex ejus arbitrio & legibus intra æqui ac decori cancellos compeſcantur. Per tempeſtatem latera navis fluctibus quatiuntur, tranſtra interdum obteguntur, prora ipſa & puppis aſperguntur: at ſpecula, & ſumma mali pars, quamdiu ſtant, numquam undis tanguntur. Senſus quatiantur procellis tentationum, agitetur appetitus undis paſſionum, fluctuet impetita inanibus rerum ſpectris imaginatio, intellectus ipſe obſcuritate laboret: voluntati tamen inter iſthæc conſtare poteſt rectitudo ſua, & cordi tranquillitas, quamdiu nihil admittit quod non liceat, nec deceat. Aere ventis turbato, imbribus fœdato, tonitribus quaſſo, fulminibus ſcintillante, fulguribus lacero, ſumma illius pars quieta eſt. Dum torrentibus valles proſcinduntur, plana camporum diluviis inundantur, ſilvarum abditiſſima ſecreta natant, ſecuræ ſtant in culminibus montium domus, & aliena damna quietæ deſpectant. Solent in arcibus cubicula aliqua ita ſpiſſis muris ſepiri, ita firmis fornicibus obtegi; ut ſi fortè obſidio ingruat, ruptis vi tormentorum aggeribus ac mœnibus, laceris miſſilium pilarum igne cæteris ædificiis, intacta tamen illa maneant. Turbetur, inquit Chriſtus, in vobis corpus veſtrum, turbetur appetitus, quidquid infimæ regionis eſt inquietetur, quidquid extra rationem & voluntatem poſſidetis hoſtilibus ictibus vapulet: ſed *non turbetur cor veſtrum.*

IX. Duplex via ad tranquillitatem. Quis autem modus obtinendæ tam optabilis tranquillitatis? Alii ab aliis indicantur, & à nobis aliqui, Exc. ad cap. 13. ſect. 5. 6. 7. Toto fermè præterea Tractatu de Bona Voluntate. Hoc loco duos omninò ex ipſius Chriſti ſermone offero: qui poſtquam dixit, *Non turbetur cor veſtrum*, mox ſubjicit, *Creditis in Deum, & in me credite*: & paullò pòſt, *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quaſi dicat: perturbationum pervulgatiſſima origo eſt, ex nimio rerum temporalium affectu: ut ne turberis, eas contemne: ut contemnas, aſpira ad æterna, cogita manſiones cæleſtes, deſidera domum Patris præ porcorum haris, dic ex animo cum D. Philippo, *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis;* Deus tibi ſufficiat, & quæ ad Deum ducunt. En alterum moderandæ perturbationis modum, à Chriſto indicatum, à nobis alibi deductum in Tractatu de bona voluntate, & Exc. Mor. ad cap. 10. Prior modus, & commendatior, ab excelſa exiſtit in Chriſtum fiducia: *In me*, inquit, *credite*, id eſt firma fide ſpem veſtram ſtabilite. Et poſt aliquot verſus: *Non turbetur*, inquit, *cor veſtrum, neque formidet: audiſtis, quia dixi vobis, vado & venio ad vos.* Quaſi dicat, turbas animi, & inanes formidines excludite, vegeta ſpe præſentiæ meæ, & auxilii. Et in ſermonis iſtius clauſula velut ad caput rediens, idemque monitum iterans; *In mundo*, inquit, *preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Sola in me fiducia, ſuperandis ac proculcandis perturbationibus, ſatis una eſt.

X. Fide Deo, ut non turberiſ.

Quis non miretur juvenem, recèns à paſcuis & gregibus, ad caſtra & aulam perductum, hic Inter periculoſiſſimas inſidias, illic inter aperta diſcrimina, ſecurum conſiſtere? Audi ſecuritatis tam admirandæ cauſſam ex ipſomet, pſ. 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant adverſùm me caſtra, non timebit cor meum:* quia *in hoc ego ſperabo.* Plura de ſpe non affero, alio locu ad cap. 11. commodiùs dicturus. Prætermittere tamen non debeo Machabæi noſtri exemplum, qui poſtquam hortatus eſt milites ſuos, ne hoſtium multitudinem timeant, impetúmve formident, timoris & formidinis antidotum proponit his verbis: *Et nunc clamemus in cælum, & miſerebitur noſtri Dominus.... Et ſcient omnes gentes, quia eſt qui redimat, & liberet Iſraël.* Certè ſi fiducia Machabæo militive ejus defuiſſet, naufragium feciſſent eorum corda, fluctibus formidinis inundata, & ventis paſſionum variarum agitata. *Qui enim hæſitat*, ut Jacobus Apoſtolus loquitur, *ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.* Nautæ hodie duos ſupra triginta ventos numerari aiunt: totidem ventis, & pluribus, fluctuat cor deſtitutum fiduciâ in Deum: *qui autem confidit in Domino, ſicut mons Sion*, quem venti petere poſſunt, non impellere, nec commovere in æternum.

XI. Hominum genera quatuor.

Bellarmini monitum inſigne huic Chriſti monito illuſtrando ſubſerviet. Habetur concione 2. in pſ. *Qui habitat.* par. 1. in verſum 1. Notat quatuor eſſe hominum genera. Primi nullam omninò habent in Deo aut hominibus fiduciam, ſuſpicaces, & nigris imaginibus ac ſpectris, quaſi per Ægyptiacas tenebras undique incurrentibus, aſſueti; non abſimiles pendentibus de patibulo, qui neque terræ hærent nec cælo: ita iſti nec Deo fidunt, neque amicos habent. Secundi in ſolis hominibus ſpem collocant, cogitatione de Deo nulla; miſeri & ipſi ac fatui, qui baculo arundineo aut telæ aranearum ſe benè nixos exiſtiment: non abſimiles improvido iſti architecto, qui fundaverat domum ſuper arenâ, ad primos torrentium incurſus ruituram. Tertii videntur quidem fidere Deo ſoli, at revera non fidunt niſi ſibi, aut inanibus ſuis perſuaſionibus, fingentes ſibi gratiam Dei & miſericordiam præſtò fore ſemper, quamvis citra ullum omninò ſuum meritum & cooperationem. In eo genere ſunt plerique hæreticorum ætatis noſtræ: & diſſoluti multi ſemi-Catholici. Videas illos ſecuros ſalutis ſuæ, imperturbatos fermè ad omnia eventa, quaſi in cælo jam conſiſterent, aut mox illuc quadrigis igneis evehendi: quos tamen brevî, poſt fallacem iſtam tranquillitatem, manet ſumma & æterna perturbatio. Quarti verè Deo fidunt, & ab ipſo bona omnia exſpectant: ſic tamen, ut ſciant non conferri immeritis, & aliquid conferendum de ſuo, præparandumque in conſcientia pura, & fide non ficta, locum beneficiis divinis. De hac vera Chriſtianaque fiducia Chriſtus loquebatur, cùm dicebat: *Non turbetur cor veſtrum: Creditis in Deum, & in me credite:* fide viva, bonis operibus animata, ſpem veſtram fulcito, ſpe tranquillitatem munite, & longè ex animo metuum ac perturbationum tetriculamenta aſpellite.

SECTIO SECUNDA.

Malus timor proſcribitur, bonus commendatur.

I. Genera timoris duo.

IUDICIBUS demerendis non munera ſolùm offerri per reos ſolent, ſed etiam timor, aut timoris ſimulatio. Hinc olim atrati in judicio ſoliti adeſſe apud Romanos: quam conſuetudinem qui omisêre, Herodes Agrippa, & Milo, damnati ſunt; indignantibus judicibus ſe non timeri, & reorum fiduciam pro contemptu poteſtatis ſuæ habentibus. Judex Deus eſt, & pater omne judicium dedit filio: iſti Judici timorem debemus, etiam ante judicii tempus, ut ipſum nobis demereamur. At quem timorem? Quaternos affert D. Thomas, præeunte Magiſtro, 2.2.q. 19. art. 2. &c. Filialem, Initialem, Servilem, Mundanum. Nos duobus omninò timoris generibus contenti erimus, Naturali, & Supernaturali: hunc in ſuas deinde ſpecies diſſecturi, cauſſasque, & uſum; poſtquam de Naturali dixerimus quid ſit, unde oriatur, quomodò eo utendum ſit ad virtutem, quando vitio vertendus.

II. Naturalis, & ejus cauſſæ.

Timor Naturalis paſſionum animalium una eſt, de qua, quicumque Ethicam quavis linguâ attigêre, multa ſcripſerunt, nobis pauca ſufficient. Oritur ex cognitione mali, ut imminentis, evitabilis tamen. Cor frigore conſtringit, inde tremor, pallor, interciſus anhelitus, manus diſſolutæ, genua debilia, aliaque ſymptomata. Species ejus numerat D. Thomas Segnitiem, Erubeſcentiam, Verecundiam, Admirationem, Stuporem, Agoniam. Ineſt hominibus omnibus, etſi alii aliis graviùs ſentiant. Cauſſæ ſunt: diſpoſitio humorum & ſanguinis: inexperta rerum mens, nimis experta: amor ſui nimius. Si ſanguis frigidus eſt, ater, pituitoſus, omnia etiam tuta timebuntur: cui ſi accedat perturbata conſcientia, *mota ad Lunam trepidabit arundinis umbram; & terrebit* eam *ſonitus folii volantis* Lev. 26. Experientiæ defectu trepidatur ad res inſolitas, ut cometas, ignes fatuos, portenta omnia, ſolitudinem, tenebras: inde timores, quos Pſalmiſta *nocturnos* vocat: inde panici, qui totos ſæpè exercitus diſſipavêre, junccetis viſis, ſalicetis attonſis, multo pulvere, quaſi hoſtes ingruerent. Nimia experientia timorem excitat, quando futura pericula ex præteritis æſtimantur: ita plerumque boni Oratores initio timent, ubi rudes ſecuri ſunt: ita veteranus miles tremit ante conflictum, tirone ludente: ita ſapiens cavet & circumſpicit, ubi ſtultus tranſilit & confidit. Amor ſui ſuorumque commodorum nimius, tam eſt communis cauſſa timendi, ut aliam nullam eſſe Auguſtinus exiſtimet lib. 83. quæſt. 33. *Nulli dubium eſt, non aliam eſſe metuendi cauſſam, niſi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum.* Ipſe coram Theodoſio dicturus Mediolani, *tabificarum curarum febribus æſtuabat*: Cicero coram armatis, Demoſthenes coram Philippo, Herodes Sophiſta coram Antonino, Muretus coram Pontifice obmutuêre; quia de benè dicendo nimis erant ſoliciti, nimiſque deſiderabant. Itaque, ut Auguſt. monet, ep. 116. ad Nebridium: *Magna ſeceſſione à tumultu rerum labentium, mihi crede, opus eſt; ut, non duritiâ, non audaciâ, non cupiditate inanis gloriæ, non ſuperſtitioſa credulitate, fiat in homine, Nihil timere. Hinc enim fit illud ſolidum gaudium,*

gaudium, nullis omnino lætitiis ex ulla particula conferendum.

III. Virtuti ſubſervit. Timorem naturalem, & de ſe indifferentem, virtuti applicâris: ſi, quando ſentis te trepidare timore ubi non eſt timor, conſtanter contraëas quantumvis reluctante natura, contraque cogites & agas. Times canem pictum, aut rictum leonis ænei: accede, & palpa. Jejunium times, ut noxium, experire: matutinas vigilias exhorres, tenta. Canes picti ſunt, & leones ærei. Metuis alloqui virum iſtum, quia ſerius eſt, oportet tamen: accede ergo, & hominem videbis. Itaquidquid fermè nos in humanis movet, ſuperandum eſt acceſſu fidenti, adſpectu, esperientiâ. D. Tereſia affirmat, paſſionem nullam ſibi fuiſſe infeſtiorem timore, neque aliter ſuperari potuiſſe, quàm contrà in omnibus nitendo, ubi ratio dictaret. Chriſtus pavet, ad ultimum uſque timoris effectum agoniam: exſurgit nihilominùs, & prodit obviàm cuneo hoſtili, omnibuſque malis quæ metuebat. De prætentandis & aggrediendis ultrò terriculamentis omnibus dicimus alibi. Poſteaquam eo remedio, & priore quod Auguſtinus indicat, uſus fueris, ſi timor nihilominùs perſeverat, à natura eſt; quam ferre & pati æquanimiter oportebit, velut morbum à Deo inflictum, cùm corrigi non potuit.

IV. Et vitiis. Vitioſus erit timor, ſi modum excedat à ratione præſcriptum. At quàm vitioſus? D. Th. 2. 2. q. 143. art. 3. dicit: Timiditatem eſſe vitium intemperantiâ levius, ob mentis perturbationem, ob difficultatem remedii, ob impulſum externum. De ſe ergo grave vitium non eſt: gravius tamen fieri poteſt ex adjunctis. Si mala temporalia timentur, cum animi perturbatione magna; qualis fuiſſe videtur Eliæ 3. Reg. 19. Multò magis, ſi ita ad damnorum temporalium pericula trepidatur, ut de malis animæ non cogitetur: qualis fuit Saülis 1. Reg. 28. ad mortis denuntiationem: item Caini Gen. 4. ad Dei minas, ubi *anguſtæ mentis homo præſentem mortem veretur, perpetuam negligit*, ut notat Ambr. lib. 2. de Abel & Cain c. 9. Quærit D. Thomas 1. 2. q. 42. *Utrum timor timeri poſſit?* Reſpondetque affirmativè, quamvis D. Auguſtinus negare videatur. Et verò quis Dei ſervus non timeat hujuſmodi timorem, qui *expellit à ſe timorem Dei*, Eccl. 23? Deuter 20. jubentur in procinctu ad certamen ablegari, qui ſunt *formidoloſi & corde pavido*. Factum id à Gedeone Jud. 7. Et à Juda Machabæo capite proximè præcedente, v. 56. unde huc nonnulla transferri poterunt. Nempe meticuloſis iſtis locus non eſt in caſtris Eccleſiæ militantis: imò neque in triumphantis civitate. Lego enim edictum Apoc. 21. *Timidis, & incredulis, & execratis, & fornicatoribus .... pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Adverto, cum Tertulliano adv. Gnoſt. cap. 12. infælix damnatorum agmen duci à timidis: *Inter omnes reprobos, imò ante omnes, timidis particula in ſtagno ignis & ſulphuris.*

V. Remedia vitioſi timoris. Peſſimi iſtius & metuendiſſimi timoris remedium primum, eſt à viva fide, quam in timore etiam naturali Apoſtolis præſcripſit Chriſtus. Naufragium enim metuentibus dixit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei? Nondum habetis fidem? Ubi eſt fides veſtra?* Apud Mat. Mar. Luc. Alterum ex fide profluens, eſt à ſpe in Deum: *Qui enim habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, & dicet, *ſi ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Tertium eſt ab amore Dei, de quo Aug. de agone Chriſtiano cap. 33. *Caritas nec cupiditatem habet ſæculi, nec timorem ſæculi, id eſt, nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ne amittat res temporales. Per quas duas januas intrat & regnat inimicus: qui primùm Dei timore, dein caritate pellendus eſt.* Quartum remedium indicat Auguſtinus timorem ipſum; ut malus bono, clavus clavo, pellatur. Sapiens etiam monuit Eccl. 34. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit.* Chriſtus ipſe docuit Matth. 10. & Luc. 12. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus... Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere..* In naufragii præſenti periculo, qui antè metuebant mercium jacturam, ultrò illas præcipitant, ex majore metu vitæ perdendæ. Ita in animæ periculis, ſpernenda cætera: alioqui, *qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.* Quod explicans Gre. 24. Mor. cap. 7. ait: *Pruina inferius gelatur, nix de ſuperioribus ruit. Et ſæpè nonnulli dum temporalia adverſa pertimeſcunt, diſtrictioni ſe æternæ animadverſionis objiciunt.* Moſes Pharaonem timebat: occurrit illi Angelus & mortem minatur Ex. 4. ut metum metu repellat, majore minorem, inquit Theodor. q. 14. in Ex. Struebantur Davidi inſidiæ, formidabiles fortiſſimo cuivis: ut eam formidinem vincat, accerſit Dei timorem: *Principes*, inquit Pſ. 118. *perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis trepidavit cor meum.* Quæ verba expendens Ambr. ſerm. 21. Deum precatur, ut ſalutari iſto timore dignus ſit, quia *ſicut calor excludit calorem, ita divini judicii terror terrorem excludit humanum.* Sic erat ævo Ambroſii Lucifer Calaritanus, cùm lib. 1. adver. Conſtantium Imp. ſcriberet: *Quomodò vigor inanis dignitatis tuæ nos ab hoc potuit, aut poteſt, propoſito flectere, qui præter Deum ſtatuerimus metuendum neminem?* Sic forſan erat apud Bar. an. 1169. Gratianus nepos Eugenii Papæ, legatus ab Alexandro III. ad Angliæ Regem, in cauſſa S. Thomæ Cantuar. cùm Regi multa minanti dixit: Domine, minis abſtine, quia de tali curia ſumus, quæ novit imperare Regibus. Sic erat apud Spond. an. 1266. Clemens IV. Pontifex, qui acceptis Manfredi Siciliæ tyranni minacibus literis, reſpondit: eas literas nec favorem mereri, quia veritati eſſent contrariæ; nec timorem incutere homini timorato, qui nil timeret præter Deum, & quod eſt formidabile propter ipſum.

VI. Timores duo ſupernaturales. Quem verò timorem Dei ſuadeo? Duplex enim afferri ſolet, Filialis & Servilis, inter ſe diſtincti ex cauſſa, & objecto. Cauſſa enim filialis timoris eſt caritas, & forſan eadem virtus: cauſſa alterius eſt ſpes: adeoque inter ſe tantum diſtant, quantum amores amicitiæ, & concupiſcentiæ. Objectum Filialis eſt culpa: Servilis eſt ſupplicium, & ex illo culpa. Iſte nihil exhorret, niſi Deo diſplicere, Deo carere: hic præ oculis habet judicium, æternitatem, inferos. Iſte filiorum eſt, patrem offendere timentium, quia amant patrem, non quia exhæredari timent: hic eſt ſervorum, dominum offendere metuentium, quia domo expelli nolunt, non quia dominum amant, etſi amant tamen. Uter illorum timorum ſuadendus eſt? Uterque: Deus enim & pater eſt, & herus: Chriſtus & Salvator eſt, & Judex. Pater, & Salvator, ametur: herus, & Judex, timeatur. Sint nobis affectus illi comites perpetui, ut Angelus Tobiæ, & canis: allatrando canis utilis eſt monitor, ita & ſervilis timor non eſt inutilis ſociam habenti caritatem.

VII. Pretium ſervilis [illegible] Diſputant Theologi: meritoriúſne ſit timor ſervilis: ſive an opera bona, ex ejus impulſu profecta,

ſecta, vitam æternam mereantur? Negavêre aliqui, videanturque Auguſtinum in partes ſuas trahere poſſe. Affirmant alii vehementer, & optimè fultis nituntur argumentis. Sed quorſum id diſputemus: cùm ſatis nobis ſit, Chriſtiano cuivis conſtare, timorem ſervilem Deo placere, bonum eſſe, laudabilem, ſupernaturalem, utillimum? Chriſtus commendavit, cùm dixit *Timete eum, qui poteſt perdere*, &c. Potéſtne à divino Doctore commendari, quod bonum & ſalutare non ſit? *Cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus ſum?* inquit Aug. *Malè times? Vanè times? Non audeo. Quandoquidem, ipſe Dominus, ablato timore, ſubjecit timorem.* Sufficere hoc poterat ad illius pretium & laudem: ulteriùs tamen aliquid inquiramus, quod noſtrum eſſe arbitror: An timor ſervilis ſit virtus Theologica? Injuriam virtutibus Theologicis aliqui facere nos putabunt, quòd talem illis comitem demus, eamque apud multos nimia ſapere volentes deſpicabilem. Præterea tres omnino vulgò numerantur, & ab ipſomet Apoſtolo, 1.Cor. 13. ſufficitque is numerus, ut ex earum officiis in Theologia conficitur. Denique D. Thomas 2.2.q.19. art. 9. ad 3. dicit *eſſe minus aliquid virtute Theologica.* Contrà autem, videtur timori nihil abeſſe, ad virtutis Theologicæ naturam: Deus enim eſt ipſius præcipua materia & forma, cùm ejus objectum primarium ſit Dei amiſſio, ob juſtitiam divinam peccata punientem. Deinde cùm ſpes ſit Theologica virtus, timor illi eodem jure accenſendus eſt. Illa enim ſummum ſuum bonum appetit amore concupiſcentiæ: hîc ſummum ſuum malum eodem amore refugit. Unde conſequitur, timorem in eodem virtutum ordine ac ſpem locari debere: imò, ni fallor, eamdem prorſus eſſe virtutem, quia ab eodem habitu proficiſcuntur amor boni, & fuga mali oppoſiti Quomodò ergo caritas & timor filialis idem ſunt, ita ſpes & timor ſervilis.

VIII. Pœnitentibus utilis eſt.

Si cui non placet, tam altè commendationem hujus virtutis repetere, ſatis illi ſit utilitas. Quidquid uſquam eſt Fidelium, in claſſes tres diſtribui ſolet, Pœnitentium, Proficientium, Perfectorum: quibus reſpondent Viæ tres ad Vitam ſpiritus, Purgativa, Illuminativa, Unitiva. Pœnitentium genera duo ſunt: publicè pœnitentiam agentium, & privatim. De ritu publicæ, in Eccleſia olim ſervato, diximus Exc. 2. ad cap.1. num. 7. Privata pœnitentia ea eſt, quæ à ſingulis peccatoribus vel ex motu ſpontaneo, vel ex præſcripto agitur in ſecreto, non propalam. Pro utroque iſto genere dubium non eſt, quin timor utillimus ſit, ſive ad deteſtanda peccata præterita, ſive ad cavenda in poſterum. Qui leviter dormitant, ex ſe facilè excitantur, aut ad ſonum quemvis, etiam lyræ aut fiſtulæ: at qui altè dormiunt, ut Jonas in navi, aut Petrus in carcere, percuſſo demum latere, aut ingenti agitatione evigilant. Ut dormitantes juſti expergiſcantur, ſufficiet vox ſuavis, *Evigilate juſti, & nolite peccare.* Sed peccatoribus tonitrua inſonabunt, & tormenta; dicique de illis poterit, quod de hæreticis Auguſt. ep. 50. *Sicut meliores ſunt, quos dirigit amor: ita plures ſunt, quos corrigit timor.* Ab illo correcti, ab eodem relabi prohibentur. Camus & frænum eſt, quo maxillas eorum, qui ad Deum non approximant, Pſalmiſta conſtringi cupiebat. Eſt gladius Cherubini, arcendis ab ingreſſu mentis malis cogitationibus: Eſt domina, qua abſente, *cogitationum ſe clamor, velut ancillarum garrula turba multiplicat.. ut verò ad mentem redierit, mox confuſio tumultuoſa compeſcitur*: quæ duæ ſimilitudines B. Laurentio Juſtiniano, in ligno Vitæ cap.2. placuerunt. Anchora eſt, firmando adverſus procellas tentationum animo, ut ait Greg. 16. Mor. cap. 16. *Anchora cordis, pondus timoris: & plerumque fluctu cogitationum quatitur, ſed per diſciplinæ vincula retinetur.* Certè ſi abſit timor, quantò plura crimina committerentur in civitate ipſa Dei; quemadmodùm in rebus-publicis ſi judices & judicia deſint? Tertullianus id notârat, inter naſcentis Eccleſiæ initia, lib. 2. con. Marc. *Legis apud Matthæum, mali latam viam eſſe, & multò frequentiorem: nonne omnes illaberemur, ſi nihil in illa timeretur? Horremus horribiles minas creatoris, & vix à malo avellimur: quid ſi nihil minaretur?*

IX. Et proficientibus.

Ipſi juſti, ut peccati jacula retundant, ſcutum timoris objiciunt: quo fæliciter uſus D. Ephræm, ab impura muliere ſolicitatus, ejus uſum aliis ſuaſit, eoque retulit iſtud Pſalmiſtæ, *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno.* Eodem pudicitiam ſuam contexit Suſanna, Dan. 13. cùm dixit, melius eſſe incidere in manus hominum abſque peccato, quàm peccare in conſpectu Dei. Panacæam dicere poſſimus; quomodò P. Arozius, vir illuſtris è Societate noſtra, herbam eſſe medicam dixit, ſervandæ per noſtros inter colloquia & converſationes caſtitati: nec ſervandæ ſolùm caſtitati, aliiſque virtutibus, ſed etiam augendo in dies profectui. Ideò ſcholam illum vocabat D. Ephræm, παιδευτήριον, hominibus ad virtutes, ſicut pueris ad literas informandis. Pædagogum eodem ſenſu dixit Aug. con. 25. in pſ. 118. & ante eum Baſilius, ac Gregorius Nanz. Legiſlatorem appellat Vates Regius pſ. 9. *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos*, alii vertunt, *terrorem.* Ab eodem vocatur baſis verbi divini, cùm pſ. 118. dicit, *ſtatue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo*: ut notat Ambr. ſerm. 5. in eum pſ. Ipſarum virtutum Theologicarum baſis eſt, nedum cæterarum: ideoque à Cypr. vocatur lib. 3. ad Quir. cap. 20. *Fundamentum, & firmamentum fidei & ſpei.* Poterat etiam addere caritatis, cùm Siracides dixerit cap. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi.. ſperate in illum.. diligite illum.* & cap. 27. generatim de omni virtutum quarumcumque ſubſtructione dixerit; *Si in timore Dei non tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua.*

X. Imò & perfectis.

Eſto utilis ſit proficientibus: ſed an perfectis, & caritate conſummatis? Non vulgò narratur de fœmina, aquam & ignem ferente, ut inferorum ignes extingueret, cælos exureret, doceretque homines Deo propter Deum ſolum obſequi? Specioſè talia dicuntur: imbecilliori præſertim ſexui, & ingenio. Sed revera perfectiſſimis quibuſvis ad perfectionem ſuam tuendam, ſolitum adhiberi ſalutarem timorem, ſacræ paſſim Literæ & hiſtoriæ demonſtrant. Omitto Abrahamum, qui Gen. 12. tranſit *ad convallem illuſtrem*, & Gen. 22. mittitur *in terram viſionis*: ubi ex Hebræo legunt varii, *convallem timoris, terram timoris.* Quis vir Job fuit? Simpléxne, rectus, perfectus? Dicit tamen de ſe: *Semper, quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum.* Quis vir David, antequam in peccatum rueret, & poſtquam ſurrexit? Ille tamen dicit pſ. 118. *à judiciis tuis timui*: ſeu, ut alia verſio habet, *horripilavit caro mea*: generatimque juſtis omnibus dicit, *Timete Dominum omnes Sancti ejus: Exultate ei cum tremore.* Quis vir Tobias? Dicit tamen filio cap. 4. *Noli timere, fili: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timue-*

Digitized by Google

ſi timuerimus Deum. Quis vir D. Andreas Apoſtolus? Pendens tamen in cruce dicebat: *Non me permittas, Domine, famulum tuum à te ſeparari.* Qui viri, Apoſtoli cæteri? Perpetuò tamen Dei timorem Chriſtianis adhuc à Chriſti ſanguine, & igne Spiritus Sancti calentibus commendant. Qui viri Martyres? Eos tamen timore ſuppliciorum timorem mortis viciſſe, ſcribit Ambr. in illud pſ. 118. *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum.* Qui viri Doctores? Inter illos quis Auguſtinus? Dicit ille in pſ. 80. *Fratres, nimis timidus eſſe volo: melius eſt enim vobis non dare ſecuritatem malam. Non dabo, quod non accipio; timens, terreo. Securos vos facerem, ſi ſecurus fierem ego. Ignem æternum timeo.* Quis Hieronymus? Ille tamen & ſibi & Euſtochio dicit, de cuſtodia virginitatis: *Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito, ſed timorem. Onuſta incedis auro, latro tibi vitandus eſt.* Quid jam Hilariones, alioſque Anachoretas ſanctiſſimos, ad judicia Dei contremiſcentes memorem, cùm omnibus generatim dictum ſit: *Timete Dominum omnes ſancti ejus?*

XI. Quem timorem foras mittat caritas?

At verò nonne dilectus diſcipulus dixit 1. 4. *Perfecta caritas foras mittit timorem?* Dixit omninò, de timore malo quem ſuprà proſcripſimus, quia à Deo avertit ob malorum præſentium fugam: de timore etiam non ſervi tantùm ſed mali mancipii, à quo nihil præſtaretur penitùs in heri obſequium, ſi virgæ non inſtarent. Quem timorem Auguſtinus ep. 120. tract. 43. in Joan. tract. 9. in ep. Joannis, aliiſque locis comparat timori mulieris adulteræ, quæ *timet virum, ne veniat.* Eumdem variis locis condemnat, nominatim de Spiritu & litera cap. 14. *Mandatum ſi ſit timore pœnæ, non amore juſtitiæ,* id eſt eo excluſo, *ſerviliter ſit, non liberaliter, & ideo nec ſit.* De eodem Ambroſius lib. 8. in Luc. cap. 17. *Infirmus cuſtos diuturnitatis eſt timor.* De Timore autem non purè ſervili, ſpemque & caritatem non excludente, intelligi debet, quod idem Auguſtinus ait tract. 9. in ep. Joan. ſetæ inſtar eſſe linum inducentis: aut quod Saleſius maluit lib. 11. de Amore Dei, acûs inſtar eſſe ſerico & auro in opus phrygium intexendo. De illo generatim omnibus hominum claſſibus, ſeu cum peccatis luctentur, ſeu ad virtutes nitantur, ſeu in culmine ſanctimoniæ conſiſtant, monet Eccleſiaſticus cap. 2. *Serva timorem Dei, & in illo veteraſce.* Audi, lege, cogita, ſpecta interdum, quod tibi ſalutaris timoris aculeos infigat, quod ſancti multis modis fecêre.

XII. Quid timendum maximè?

Olim Seneca dicebat ep. 4. *Auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, ſed infantium. Illi levia, hi falſa formidant, nos utraque.* Ad humana mala trepidamus, quæ levia ſunt: ad ipſa malorum terriculamenta & umbras trepidamus, quæ falſa ſunt. Sapientis eſt, primùm nuſquam timere, niſi quod malum eſt: deinde ibi magis timere, ubi majus malum eſt. Quod autem majus eſt malum, niſi privatio majoris boni? Quod majus bonum, quàm animi æternum? Ejus privationem ita ſeriò metuebat D. Cyrillus Alexandrinus, natus licèt & educatus inter brachia caritatis, ut tota fermè oratione de animæ exceſſu, aliud nihil iteret, quàm timorem mortis, judicii, inferorum. Formidanda verò illa ſunt, & memoranda ſæpe noviſſima, ut in æternum non peccetur. Afferam tamen modò, quæ magis timenda ſint, & ſine quibus iſta nihil penitùs habeant metuendum. Trepidet Chriſtiana mens ad cogitationem de jactura gratiæ habitualis, gratiarum actualium, morsûs conſcientiæ. Iſta ſunt *ſigna in Sole, Luna, ſtellis,* ad quæ homines ſi quid fidei habent, areſcere deberent præ timore & exſpectatione: cùm Sol gratiæ habitualis obſcuratur; cùm Luna gratiæ actualis, creſcens mirabiliter in diminutione, non dat lumen ſuum; cùm ſtellæ & ſcintillæ ſyndereſeon intermicare nocti conſcientiæ deſinunt.

XIII. Gratiæ habitualis pretium.

Quantum bonum eſt Regis gratia, quantum malum ejus jactura? Nonne iſti jacturæ præoptet ſapiens aulicus damna rerum quamvis pretioſarum? *Indignatio* enim *Regis nuntii mortis, & vita in hilaritate vultûs ejus.* Quanti ergo faciemus gratiam habitualem, id eſt eſſe Dei amicum, filium, hæredem? Quàm ſedulò cavebimus, & exhorrebimus, tali gratia excidere? Si ſyngrapham à Rege haberes de debito decem millium talentorum, æquè diligenter, opinor, cuſtodires, ac Thamar Judæ ſcipionem & annulum. Si ab illo literas nobilitatis, aut dignitatis gentilitiæ, teſtes accepiſti, omnem adhibes curam, ne amittas. Imò irredimibilium aliquorum cenſuum titulis diligenter caves, & prudenter metuis, ne pereant. Gratia habitualis ſyngrapha eſt, & pignus vitæ æternæ: titulus eſt ſummæ nobilitatis, qua creamur fratres Chriſti, Deique familiares & liberi: literæ ſunt de cenſu, numquam omni ævo redimibili, ad vitæ beatæ perennitatem. O anima Chriſtiana, ſi ſcires donum Dei, quàm timeres ne tibi excideret? Quàm lubenter omnia præ jactura ejus prodigeres?

XIV. Amittendo, homo fit Dei inimicus.

Sed iſtud præſertim quemvis, ſtupidiſſimum licèt, movere debet, modò tantùm habeat fidem ut granum ſinapi: quòd jacturâ gratiæ ita amicus Dei eſſe deſinat, ut capitalis fiat inimicus. Cùm ita alienus es ab aliquo, ut nihil ab illo accipias, ne laudes quidem; ut nuſquam, quod in te eſt, apud ipſum conſiſtas: nemo de capitali inter vos diſſidio dubitat. Atqui *peccatori dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas?* Dicet illis æterna ſententia, *Diſcedite à me.* Si enim per immenſitatem meam poſſem abeſſe alicunde, nuſquam eſſe vellem, ubi eritis, ita à vobis ob peccatum averſus ſum. Eſt ergo peccator omninò inimicus Dei, in cujus regno, oculis, manibus ſemper verſatur: eſt inimicus illius, qui ſemitas omnes noſtras conſiderat: illius, qui ex juſtitia ſua nihil poteſt impunitum prætermittere. illius, qui vitam & ſalutem noſtram capillo tenui ſuſpendit, ſicut Angelus Prophetam: illius, qui *poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Eſſe vermiculum tantæ Majeſtati, creaturam Creatori, hominem Deo inimicum? Hoc de ſe, citra amplificationem ullam, in ipſa dictione tam eſt horribile Chriſtiano homini, ut ſine dubio idem ſit ſenſurus quod ego, inter formidanda omnis terribiliſſimam eſſe amicitiæ divinæ jacturam

XV. Quanti gratiæ actuales faciendæ.

Ut iſtud malorum maximum numquam nobis eveniat, timeamus & vitemus jacturam actualium gratiarum: quo nomine comprehendo monita omnis interiora, cogitationes congruas, illuſtrationes intellectus, inſpirationes voluntatis, rectè agendi occaſiones. Neceſſariæ ſunt, ne labamur in peccatum:

Nam qui non cecidit, propriis ſi viribus aptat,

Hoc ipſo quo ſe ſtare putat, cecidit: ut ait Proſp. epigr. 33. Neceſſariæ ſunt ad ſurgendum ex lapſu: nam teſte Aug. lib. 2. de lib. arb. cap. 20. *Non ſicut homo ſponte cecidit, ita etiam ſponte ſurgere poteſt.* Neceſſariæ ſunt ad profectum in virtutibus: nam, ut loquitur Euſ. Gall. hom. 3. ad monachos,

monachos, *Ubi viderit Deus devotionem animi ardentiorem, inſinuabit affectum; & quantum nos addiderimus ad ſtudium, tantum ille apponet ad adjutorium... Gratia ergo de gratia, & profectus profectibus ſerviunt; lucra lucris, & merita meritis locum faciunt.* Si autem quis ſtudium ſuum & diligentiam gratiæ non accommodet; ſi munus Dei, ſi pretioſos paradiſi fructus, negligat? Meritò illi accidet, quod Athenaïdi Eudociæ, uxori Theodoſii junioris, ob non ſervatum pomum, mariti munus. Cavendum ne eveniat, quod ſuppreſſori talenti & minæ Mat. 24. & Luc. 19. Qui cuſtodes, altrices, pediſſequas gratiæ habitualis malè tractaverit, verendum ne & hac ſe indignum fecerit: uti multis ſibi notis accidiſſe narrabat Macarius hom. 27. qui gratiis neglectis de ſummo virtutum culmine in libidinem, in pellicatum, in ima vitiorum corruerunt.

XVI.
Quam timenda obduratio.

Atque utinam ad conſcientiæ obdurationem, & ſynderesſeos jacturam, certiſſimum beſtiæ characterem, non devolvantur; à Deo deſerti, quia Deum deſeruêre. *Illa enim*, Auguſtino lib. 3. de lib. arb. cap. 8. *eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque illud, quo benè uti noluit, cùm ſine difficultate poſſet, ſi vellet: ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quod rectum eſt.* Eorum, qui congregari ſub alas Chriſti noluerunt, domus deſerta relinquitur, Matth. 23. Virginibus, quæ oleum habere neglexerunt, dicitur, *Neſcio vos.* Poſtquam nato Jeſraël, id eſt Dei ſemine, ſeu gratiis actualibus, Iſraëlitæ correcti non ſunt, naſcuntur liberi Juſtitiæ divinæ, *abſque miſericordia*, &, *non populus meus.* Deus deficit miſerans, ſiniſque ut miſer peccator palpet in meridie, ſicut cæcus in tenebris. Poſtquam tubæ ſepties circùm Jerichuntem inſonuêre, civitas internecione deletur. De homine ejuſmodi obdurato, cui nomen Gedeoni, habet D. Bonaventura cap. 11. Vitæ Divi Franciſci. De alio non abſimili, in Vita Divi Franciſci Xaverii lib. 6. cap. 1. Quorſum autem annotare duo, cùm quotidiana ſint exempla? Confige, ô Deus, timore tuo carnes meas: dicam cum ſervo tuo Chryſoſtomo, nihil timeo niſi peccatum: timeo jacturam gratiæ habitualis, quia peccatum eſt: timeo jacturam gratiarum actualium, quia peccati via eſt: timeo obduratam conſcientiam, quia in peccato detinet, & defigit.

XVII.
Effectus timoris fuga peccati.

Vetus verbum eſt, quatuor optimarum matrum peſſimas eſſe quatuor filias: aliter alii numerant, ſic ego: veritas odium parit, proſperitas ſuperbiam, familiaritas contemptum, ſecuritas periculum. Ita planè eſt, *qui præſumit, minùs veretur, minùs præcavet, plus periclitatur*, apud Tert. de cul. fœm. Et, ut Bern. ſcribebat ep. 85. *Si negligis, incidis; ſi caves, paves.* Quid pavea? Sine dubio peccatum, cujus fuga præcipuus timoris effectus eſt. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo*, inquit Eccleſ. cap. ult. Cujus ſententiæ explicationes variæ ſunt, & obviæ, adeoque illis non immoror. Id ſolum noto, primam ſententiæ partem eſſe de Dei timore, alteram de obſervantia mandatorum ejus: quaſi dicat, primus timoris effectus, certiſſimumque indicium, eſt nihil contra vel præter Dei voluntatem admittere, & fugere peccatum. Idem ante illum parens dixerat Pſ. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare:* in Hebræo eſt, *Contremiſcite, & nolite peccare.* Ita Ex. 20. Moſes dicit populo, ad legem ferendam cum apparatu terrifico Deum veniſſe, ut *terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Inde etiam paſſim in ſacris Literis, cùm dicitur aliquis *timens Deum*, vel *timoratus*, ſubditur fermè ſemper, *& recedens à malo:* quia peccati fuga primarius laudabilis timoris effectus eſt.

XVIII.
Vigilantia pro cavendo.

Fuga autem illa in duobus conſiſtit, Vigilantiâ, ne peccetur; Pœnitentiâ promptâ, ſi fortè peccetur, quamvis veniabiliter. Vigilantia duplex eſt; Prælatorum, pro aliis; ſingulorum, pro ſe. De prima, quam Paullus Timotheo commendabat, Gregorius Paſtoribus in admon. Joannes Sardenſi Angelo Apoc. 3. hîc non agimus: ſed de privata tantùm, quam ad ſingula opera adhibere debemus vel actu, vel habitu; idque ſemper habere in mente, Deus offendendus non eſt. Solitus id ſuis olim commendare Abbas Pœmen: Quis enim, inquiebat, perſeverantiam mihi ſpondeat, ſi vigilantia non adeſt, & continua in memetipſo reprehendendo diligentia, quamvis cæteræ virtutes præſtò forent, unicâ illâ abſente? Túne ergo me hominem curis diſtentum, negotiis familiaribus publiciſque diſtrictum, ad illam perpetuæ vigilantiæ catenam alliges, velut anachoretas otioſos, inquiet aliquis? Pœmenis, ut audio, præceptum putas cellitis ſolummodò datum: accipe ergo idem à Paſtore ſummo Mar. 13. *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Et Joſepho ab Arimathia decurioni, & Joannæ uxori Chuſæ procuratoris, & infimis artificum, & ſummis nobilium: occupationes ſuas nemo cauſſetur, cùm animæ ſervandæ & Dei non offendendi ſumma ſit. Quis olim Jobo occupatior in familia numeroſa, & populo oneroſo? Ait tamen de ſe, cap. 9. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quia non parceres delinquenti.*

XIX.
Ab omnibus adhibenda.

Et verò nulli magis opera ſua verenda ſunt, majorque ad non peccandum diligentia adhibenda, quàm qui in majoribus periculis verſantur. Certum eſt autem plùs eſſe ſæcularibus, quàm anachoretis religioſiſve periculi. Urbi hoſtilibus incurſibus obnoxiæ præſidium validius & certius imponitur. Inter turbas & tumultus cautiùs, quàm in laxo itinere, ambulari ſolet. Aurigæ lutea vaſa portantes attentiùs currum regunt, quàm qui ferrea. D. Paullinus, ea expertus diſcrimina, ſcribebat Amando & Sancto, ep. 26. *Anguſta via gradimur, & quaſi in fune ſuſpenſo ancipites ambulemus: & niſi certo libramine veſtigia fixerimus, ut non declinemus dextrâ vel ſiniſtrâ, facilè nos in hujus vel illius partis ruinam inimicus impellet.* Quantâ diligentiâ funambuli, vel viatores in præcipitiis, pedes figunt? Ita nos ſumus in hujus vitæ periculoſiſſimis itineribus, quorum diſcrimina auget infirmitas noſtra & hoſtium undique incurſantium quotidiani impulſus. Itaque non ſæcularium modò, ſed etiam ſanctiſſimorum quorumcumque Eccleſiaſticorum nemo, citra divinam revelationem, de futuro ſecurus eſt. Cecidêre ſtellæ de cælo, ignes fatui lapſum non timeant? Non hîc Tertullianum, Origenem, Oſium, Salomonem, Samſonem congero: non alios plurimos infauſtè in peccata, forſan & in ſupplicia peccatorum æterna, præcipites. Apud Baronium & alibi caſus iſtos explicatos reperies. Hoc unum inde conficio: Vigilare omnes debere, cùm ſecurus nemo ſit. Greg. 34. Mor. cap. 13. ad illud de Leviathan, *ſternet ſibi aurum quaſi lutum*, ubi nomine auri intelligit viros probos, qui ſub diaboli poteſtate per peccatum lutei fiunt: *Quorum caſus*, inquit, *utilitate non modica electorum profectibus ſervit: quia illorum lapſum dum conſpiciunt, de ſuo contremiſcunt, & ruina quæ illos damnat, iſtos humiliat.* Eódem reſpexit Aug. ep. 107. *Vile eſt*

omnibus

omnibus, vel penè omnibus, propter humilitatem ſaluberrimam, ut quales futuri ſint, ſcire non poſſint. Noli altum ſapere, ſed time.

XX. Pœnitentia pro expiando.

Si autem aliquis ex infirmitate humana dormitans vel dormiens à peccato occupetur, quid agat? Recurrat & tunc ad optimum conſiliarium timorem Dei; dicet, *ne tardes converti ad Dominum:* docebit, cum B. Ennodio, *fugiendum ab ira ejus ad miſericordiam ejus.* Optimè enim timori cum ſpe convenit: jungi debent columnæ ignis & nubis: Magdalena pedem utrumque Chriſti oſculetur: inferior & ſuperior mola non disjungantur, ut ait Greg. 33. Mor. cap. 11. Cantetur Domino Miſericordia & Judicium. Timor ergo ſpe comitatus te ducet ad tribunal Pœnitentiæ, & quæ Sacramentum, & quæ virtus eſt: ſuadebitque, ut hujus & illius manu Dei inimicum diſcerpas. Confeſſionis manus digitos quinque habeat; Diligentiam, Dolorem, Claritatem, Integritatem, Frequentiam: ut benè examines, deteſteris, explices, nil reticeas, non facilè recidas. Si confiteri non potes, recurre ad virtutem pœnitentiæ, nec diu differ, ne tibi Gregorius hom. 12. in Evangelia Chryſaorii notiſſimam ſibi hiſtoriam inculcet. Quærit D. Thomas 3. p. q. 84. art. 8. & 9. *Vtrùm pœnitentia debeat durare uſque ad mortem? Vtrùm pœnitentia debeat eſſe continua?* Suaſero ſaltem ego, imò Patres omnes, quotidianam, per conſcientiæ Examen. Partes ejus jampridem in digitos quinque partiti ſunt, qui de illo præcepta ſcripsêre: ut gratiæ Deo agantur, à Deo lumen petatur, inquiratur in conſcientiam, dolor excitetur de admiſſis, voluntas de cavendis. Nota iſta ſunt, iis quibus ſcribo: at non nota omnibus ad quos dicentur, dicique interdum expedit, etſi nota eſſent.

EXCURSUS II. MORALIS

Ad Cap. 4. v. 36. Aſcendamus mundare Sancta, & renovare.

Emundatio culparum in bellis.

SECTIO PRIMA.

Peccata præterita bellicis calamitatibus expurgantur: alia in præſens impediuntur.

I. Aliquando juſta cauſſa à Deo non defenditur.

JURISCONSULTUS Peruſinus, qui lucem tenebris juris dicitur intuliſſe, *Baldus in l. Conſulari ff. de Senatoribus*, referente ad annum 1528. Spondano; poſtquam fusè diſputavit de Philippi Franciæ Regis, & Angli contrà, jure in Galliæ regnum, & potius eſſe longè jus Philippi pronuntiavit. Cur ergo, inquit, in bello de ea cauſſa excitato inferiores Franci fuerunt? Numquid injuſtiori cauſſæ Deus faviſſe dicendus eſt? Objectioni reſpondet: non ideò Francos divino judicio ſuccubuiſſe, quod injuſtum peterent, *Sed propter aliam cauſſam, quæ erat in mente divina.* At quæ cauſſa illa abſcondita? Quò Juriſconſultus non pervaſit, Theologus penetrat cum Aug. l. 19. de Civ. cap. 15. *Omnis victoria, cùm etiam malis provenit, divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens.*

II. Ad peccatorum purgationem.

Quod diviſim ponit Auguſtinus, id conjunctim in Dei ſervis ponendum eſt. Calamitates omnes, publicæ præſertim, & in his maximè bellica mala, puniunt ſimul, & emendant. Præterita purgant: in præſens & futurum præveniunt. Reſpublicas bellis emundari oſtendemus Excurſu ad cap 6. Nunc de ſingulis oſtendendum eſt: quibus miſeriarum voce idem dicit Deus, quod Chriſtus languido, Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat,* Fideles verberibus moniti eadem ſibi ingeminant, quæ generoſi juxtà ac pii fratres, Mathathiæ liberi: *Aſcendamus nunc mundare Sancta, & renovare:* mentes noſtras quæ verè *Sancta* ſunt, & templa Dei, expurgemus pœnitendo, caveamuſque, ne de cætero inquinentur.

III. Purgatio ob triplicem finem.

Exinanitiones ſive evacuationes, quas medici præſcribunt, ſeu medicamentis, ſeu ſanguinis miſſione, ſeu ſudore, aliiſve artibus, tres ob fines fieri poſſunt: vel ad morbi præteriti reliquias depellendas: vel in præſens ad confirmandam valetudinem, & humorum contemperationem: vel in futurum, ad præveniendas morborum occaſiones: quæ tribus verbis comprehendere poſſimus, curationis, conſervationis, præſervationis. Cùm nos Deus per miſerias bonis temporalibus exinanit & evacuat, tribus finibus id facit: ad expurganda præterita peccata: ad impedienda in præſens: ad prævenienda in poſterum. Præterita emundat, docendo ſontes eſſe calamitatum noſtrarum: impedit in præſens, aliò mentem & affectus divertendo: prævenit in futurum, materiam & occaſionem tollendo.

IV. Culpa & pœna ſeparabiles in peccato.

In præteritis peccatis duo ſunt, culpa, & pœna. Hanc, quà temporalis eſt, à culpa ſeparabilem eſſe, vulgò & rectè evincitur ex hiſtoria Davidis 2. Reg. 12. cui, poſt remiſſum peccatum, denuntiatur tamen ſupereſſe pœnam pendendam filii morte. Nec minùs certò probaverim ex Num. 20. ubi Moſes condemnatur ad terram promiſſionis non ingrediendam: etſi dubitari non debeat de culpæ levis, ab ipſo patratæ, remiſſione. Aliquid non abſimile eſt Num. 12. & 14. in Maria ſorore Moſis, & in Exploratoribus. Patet item ex Manaſſis hiſtoria: quem certum eſt pœnituiſſe. Superfuit nihilominus pœna temporalis luenda ex

ejus criminibus: quandoquidem diſertè dicatur 4. Reg. 24. Jeruſalem diruta propter Manaſſia iniquitates. Item Jerem. 15. *Dabo eos in fervorem univerſis regnis terræ, propter Manaſſen filium Ezechiæ.* Ita David, remiſſâ Abſaloni culpâ fratricidii; in ejus tamen pœnam noluit ipſum ad ſe admittere. Et quotidie à parentibus, ac dominis ſapientibus, id fieri videmus, ut condonatâ offenſâ, aliquid tamen etiam exigant ſupplicii. Et ratio eſt in humanis pariter, ac divinis, quòd pœnitentis actus talis eſſe poſſit, ut reconciliationem mereatur; ſed non tam exquiſitæ ſit humiliationis, & intenſi fervoris, ut omninò ſatisfaciat juſtitiæ.

V. *Culpam calamitates emundant.*

Utramque hanc peccatorum partem calamitatibus ſæpè expurgari manifeſtum eſt. Primùm enim: Fidelis non neſcit illas eſſe nuntiorum inſtar, & literarum à Deo, quibus peccator monetur, ut reſipiſcat, niſi majora mala velit incurrere. Quomodò enim Eccleſia, ante vibrandum majoris Excommunicationis fulmen, ſolet monitoria præmittere. Ita Deus cum populis agit, eos identidem per varias calamitates officii ſui commonefaciendo, antequam ad extrema ſupplicia, exitiumque, deveniant. Urbes abominandas, quas Aſphalthites lacus ſepelit, antequàm igne cælitùs demiſſo abſumerentur, Reges quatuor externi vaſtavêre: Deo ſic providente, ſi fortè terror, & jactura, criminibus modum ponerent. Plagas Ægyptiacas conſidera: gradatim aſcendunt, donec ad ſummam veniant, totius exercitus cum Rege ſuo in aquis interitum: & quidem adverte, exercitum locuſtarum, qui Ægyptum arroſerat, Moyſe orante in eodem mari demerſum fuiſſe, quaſi ut locus, ubi Pharao periturus erat, deſignaretur. Hinc aptè Auguſtinus ep. 87. *Res proſpera donum eſt conſolantis, res autem adverſa donum eſt admonentis Dei.* Et Pſalmiſta, *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus*: arcus ipſe, & ſagittæ ſonus, & vox ſagittarii, præambula ſunt letiferorum vulnerum, niſi majora ex minorum ſenſu caveamus. Cùm generalia mala incumbunt, & planguntur: ſic accipienda ſunt, tamquam ſi Deus inclamet, ſeſe iratum, &, niſi reſipiſcatur, acerbiùs puniturum.

VI. *Sæpe ad factum.*

Itaque ad eam denuntiationem multi, quibus conſcientiæ ſtimulus, & Dei timor ſupereſt, ad pœnitentiam confugiunt. Vidimus ævo noſtro Confeſſionis Sacramento fieri, quod ætate ſua Proſper Baptiſmo factum perhibet, lib. 2. de Voc. gen. cap. 33. *Effectibus gratiæ Chriſtianæ ipſa, quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quàm multos enim, qui in tranquillitate pacis Sacramentum baptiſmatis ſuſcipere differebant, ad aquam regenerationis confugere inſtantis periculi metus impulit, & lentis tepidiſq; animis, quod diu cohortatio quieta non ſuaſit, minax ſubitò terror extorſit?* In Davide id olim præceſſerat, 2. Reg. 12. ad divinam à Nathane denuntiationem: *Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ uſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me.* Ad eas belli minas trepidus David dixit: *Peccavi Domino.* Non equidem dicô, doloris iſtius cauſſam, formámve & motivum, terrorem fuiſſe: vera enim alioqui non fuiſſet contritio: fuiſſe autem veram conſtat ex eo, quòd ſtatim audierit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Sed minæ illæ occaſio fuerunt contritionis. Illis enim perculſus, agnovit iratum ſibi Deum eſſe: deinde offenſam, ad quam antè obduruerat, magni fecit: denique & Deum offenſum. Si minæ ſolæ futuri belli adeò Davidi profuerunt: quid nobis ſenſus?

VII. *E ferro ac bello medicamenta culparum.*

Locus poëtarum communis eſt, ut cùm bella deteſtari volunt, in ferrum, ejuſque effoſſores invehantur. Vitæ enim humanæ, de ſe ſatis fragili, ac periculis innumeris undique objectæ, &, quamvis nihil extrinſecùs contrarii adveniret, ex compugnantibus internè humoribus perituræ, nova diſcrimina, ab auctore naturæ in penetrale terrarum abdita, eruiſſe. Ex hoc tamen execrabili mortis inſtrumento medici auxilia ſanitatis, & vitæ ſervandæ remedia, conficiunt. Inde electuarium de chalybe: aqua quam chalybeatam vocant, ſeu crudo chalybe candentique intinctam: fontes noſtri Spadani aliæque acidulæ lymphæ, quibus à ferro & chalybe tinctura præcipua ac medica vis, adversùs inveteratos præſertim morbos lienis, hepatis, alioſque ejuſmodi. Declametur quantumvis in belli mala, quæ ſanè multa & magna ſunt: eo nihilominus publicarum cladium inſtrumento ſæpè Deus, ad inveteratos & pertinaces animi morbos, uſus eſt. Fecit quomodò medicus apud Greg. 33. Mor. cap. 17. ad curandum interiùs ſauciavit exteriùs, & cutis prurigine ſanavit viſcerum labem.

VIII. *Etiam pœnæ per illa ſatisfit.*

Nec culpæ modò graves expurgantur: ſed etiam pœnæ illis debitæ frequenter ſatisfit. Num. 31. habetur præceptum primitiarum ex bello dividendarum, tum offerendarum Domino. Vide v. 28. & clariùs v. 32. uti & 70. apertiùs extulêre, quàm Vulgata. Expende præſertim ac mirare exactam Dei juſtitiam, qui exigit quingenteſimam tantùm partem ab iis quos miſerat ad bellum; ab aliis autem, qui non laborârant, quinquageſimam. Venit itaque labor bellicus in partem debiti apud Deum: & in eumdem modum, noſter ex hodierdis calamitatibus bellicis labor, quem Deo volente toleramus, in numerato habebitur. Docemur in Theologia tres eſſe bonorum operum prærogativas, ut Meritoria ſint, Impetratoria, Satisfactoria. Meritoria tamen magis eſſe, quæ plùs habent caritatis, uti eleemoſyna. Impetrare efficaciùs, quæ plus habent fiduciæ, uti oratio. Satisfacere promptiùs ac largiùs, quæ plus difficultatis ſecum ex natura ſua afferunt, uti jejunium. Exaggera quantumlibet bellicas calamitates; quò plus exaggerâris, eò magis ſatisfactorias eſſe probaveris, modò Chriſtiana mente accipiantur, & ferantur.

IX. *Bella Judicium extremum antecurrentia.*

Chriſtus, extremâ ante Paſſionem prophetiâ, præcurſuras Judicio extremo miſerias prænuntians, certamina gentium ac regnorum in iis, non poſtremo loco, commemorat. Et Joannes in Apocalypſi, de Antichriſti ævo agens, paſſim cædes, excidia, incendia, prælia ingeminat. At quorſum Deus mundo brevi ruituro, improbiſque in æternum bellum ad inferos abituris, ac probis ad pacem ſempiternam adſpirantibus, bella iſthæc immitti ſinit? Quid probis pacis filiis cum bello? Quid improbis ſat magna ſupplicia mox laturis? Neſcis, inquit Iren. lib. 5. ſub finem, purgatorium ignem à die judicii ampliùs non ſuperfuturum? Et probos, qui tunc vivent, rectà in cælum ituros? Pœnæ tamen culpis eorum debitæ aliquid reliqui eſſe poterat, niſi Deus bellicis terroribus ac damnis illos exercuiſſet, ac juſtitiæ ſuæ ſatisfeciſſet.

X. *Pœnæ ſatisfaciendum tempeſtivè.*

Bellarminus, apud quem Conc. 4. de Trib. Irenæi ſententia eſt, eam non ineleganti ſimilitudine extendit. Socii duo in cauponam divertunt, ludunt, compotant in veſperam. Simulât unus ire ſe ad cauponem, & inſalutato hoſpite ac ſocio diſcedit. Caupo alterum detinet, nec dimittit niſi

perſoluto

perſoluto ſumptu, aut dato idoneo fidejuſſore. Animus & corpus itineris ſocii in eamdem vitæ cauponam divertêre, tempus ſefellêre, debita contraxêre. Ad mortis veſperam, corpus vivis brevi morbo ſubtrahitur, & in ſepulcrum abditur. Animus itaque & ſuam, & ſocii impenſam ſolvet in purgatoriis ignibus, uſque ad noviſſimum quadrantem: niſi vel voluntariæ afflictationes & ultrò ſuſceptæ, vel à Deo immiſſæ quales hodie ſentimus, à corpore partem ſumptuum juſtè exegerint.

XI. Publicis calamitatibus peccata impediuntur in præſens.

Sed enim præteritas noxas, pœnarumque debita, expiâſſe parum ſit, ſi nova contrahantur. Id perinde eſt, inquit Petrus 2. 2. atque *ſus lota in volutabro luti.* Itaque propitium Numen per belli damna etiam in præſens cavet, ne relabamur. Baſilius, hom. *Quod Deus non eſt auctor malorum,* utramque utilitatem attingit. Ait enim: *Calamitates publicas, eſſe plagas peccata immodica punientes. Medicum cum morbo bellum gerere, non cum ægroto: ita Deum nobiſcum.* En primum effectum, cui alterum annectit: *Bella, ſiccitates, inundationes, tempeſtates, fames, aliáque ejuſmodi eveniunt ad impedienda peccata: ſicut obices fluviis ruentibus opponuntur.*

XII. Cogitatio malorum metu ac ſenſu occupata.

Notum illud Hieronymi ep. ad Ruſtic. de anachoreta juvene, cui moleſtas de luxuria cogitationes excuſſit moderator aliis moleſtiis. Dederat enim in mandatis, ut cæteri eum inſectarentur occaſione qualibet, laboribuſque ſimul & probris onerarent. Unde rogatus à moderatore, ecquid jam luxuria obtunderet: *Vivere,* inquit, *non licet, & fornicari licebit?* Ita Deus modò cum multis Catholicorum agit. Ambires, ſuperbires, luxuriareris, prodigeres, prægræcareris, inſanires, niſi cogitationem tuam aliò, per malorum ſenſum, averterem. Efficiam ut dicas; *vivere vix licet, & peccare licebit?* Tertull. de fuga in perſecutione, id advertit in ætatis ſuæ hominibus: *Quando,* inquit, *Deus magis creditur, quàm quando magis timetur? Tunc Eccleſia in attonito eſt: tunc fides in expeditione ſolicitior, & diſciplinatior in jejuniis, & ſtationibus, & orationibus: non vacatur, niſi timori & ſpei.* Apud Nieremb. Theopolitici p. 1. lib. 2. cap. 11. Sebaſtianus Viêra, Societatis noſtræ ſacerdos, affirmavit in Japonia, per tempus acerbæ perſecutionis, excepta à ſe ſupra confeſſionum millia quatuor; in nulla peccatum grave inventum. Adeò ſenſus præſentium malorum temporalium mala ſpiritualia, quæ ſola verè mala ſunt, arcuerat.

XIII. Abundantia eſt ruina.

Contrà, in proſperitate ac commodis, mens humana ad qualvis noxas facilè abripitur. Jeremias cap. 22. poſtquam ſententiam tulit contra Joachim filium Joſiæ, dicit verſu 21. *Locutus ſum ad te in abundantia tua, dixiſti, non ſerviam.* Ubi Græca pro abundantia habent παραπτώσει, id eſt, *lapſu:* quaſi idem foret, abundantia, & ruina, ſive lapſus in peccata, qui ſolus vera ruina eſt, & omnium cauſſa ruinarum. *Manaſſes* Ezechiæ optimi Regis peſſimus filius, *Deum in pœnâ conſtitutus agnovit, quem in regno poſitus anteà non quæſivit.* Quomodò loquitur Victor Cartenenſis lib. de pœnitent. inter Ambroſii opera. Ozias *cùm roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum.* 2. Par. 26. Idem in Rege Joas, & lamentabilius, eſt advertere, 2. Par. 24. Salomoni pax ſua & opulentia caro ſtetit, forſan æternâ animæ jacturâ. Bern. lib. 2. ad Eug. de Conſid. *Sapiens David, ſapiens Salomon: ſed, blandientibus rebus ſecundis, alter ex parte, alter ex toto deſipuit.* De Davide idem propoſuit Aug. in pſ. 50. *Quando David Saülem inimicum patiebatur, non concupiſcebat alienam. Factus eſt ſecurus, devictis hoſtibus preſſurâ caruit, tumor excrevit.*

SECTIO SECUNDA.

Peccata in futurum bellicis calamitatibus præveniuntur.

I. Captivitas medicinæ loco eſt.

NARRAT Epiſcopus Vulturariæ Simon Majolus, Canic. collo. 4. eventum mirabilem, quem ex ore ipſiuſmet, cui accidit, ſeſe accepiſſe aſſeverat, Mediolani Novembri anni 1566. Ex Majolo alii recitavêre. Italus quidam, cui Pecchio nomen, ingenii acris & animi homo, in illuſtris ac potentis viri odium incurrit, & ab ejus emiſſariis in via captus, ſaccóque incluſus, deinde in ſubterraneam ſpecum abditus eſt: conſcio nemine præter nobilis illius famulum fidiſſimum, qui captivo in dies panis & aquæ tantillum, inter tenebras, per anguſtum foramen miniſtrabat. Poſtquam Pecchius evanuit, à ſuis conquiſitus, repertâ mulâ cui inſederat cruentâ, in cædis ſuſpicionem itum eſt: capti bini veteres inimici, & quæſtione adacti ut falſum ſibi crimen imponerent, capite inſontes luêre. Dein hæreditas, velut per cædem vacua, ab ſuis adita eſt. Poſt annum decimum-nonum exactum à captivo inter tenebras, cum ſpe tamen perpetuâ in Deum ac preces Magnæ Matris: moritur efferus adverſarius, & tortor. Hæres ad novanda ædificia, pecuniamque impendendam, adjecto animo, ſubrui ſpecum ſubterraneam jubet. Aperto muro, & immiſſa luce, apparuit ſqualidus, hirtus, pallens homo, ſpectri inſtar, aut ſatyri. Poſtquam agnovêre, paullatim luci & cibis aſſuefactus; ſibique, ac ſuis, & poſſeſſionibus priſtinis redditus eſt. Hoc in rem noſtram advertendum: podagrâ ante captivitatem miſerè vexatum fuiſſe: eam totis captivitatis novem-decim annis non ſenſiſſe, & in reliquam vitam ea liberum fuiſſe. Fames & ſqualor veteres humorum acrium reliquias conſumpſerat, & in præſens ac futurum ſanitatem ſervârat.

II. Opum ac commodorum ſubtractio morte liberat.

Quod illi carcer, hoc pleriſque bella faciunt: non modò præteritos morbos excoquunt, ſed & præſentibus, ſecuturiſque, materiam tollunt. Neque objeceris, quod Salvianus, lib. 6. de Prov. *Quod prius actum eſt, vitioſitate fuit; quod nunc non agitur, neceſſitate .... Quod non ubique, quæ prius acta ſunt, aguntur, miſeriæ beneficium eſt, non diſciplinæ.* Eſto ab neceſſitate, & ex calamitate, beneficium proficiſcatur: beneficium tamen eſt. Opimium prædivitem & avarum hominem, narrante Horatio l. 2. Sat. 3. lethargo laborantem medici, poſt ignem aliáque remedia fruſtra adhibita, excitavêre effuſis è ciſta nummis quàm maximo ſtrepitu. Æger, ratus ſua ſibi ab avidis hæredibus præproperè auferri, lethargum penitùs excuſſit, & convaluit. Deus Catholicis per avidas militum manus effundit, quæ maximè amant; neque effundit modò, ſed tollit, ut morbos excutiat, mortemque præveniat, cararum opum & commodorum jacturâ.

III. Quanta ab opibus mala.

Fatendum eſt, divitias multis eſſe inſtrumenta benè faciendi. Inde hoſpitalis Abraham, munificus & in cultu Dei magnificus Joſias, Job miſericors in pauperes. At longè pluribus occaſionem peccandi præbuêre. *Patrimonium grande, grandis*

tentatio, inquit Iſid. 3. ſen. c. 63. ſent. 10. Si captivas tenent opes: en avaritiam, ſordes, cordis erga miſeros duritiem. Si captivitate eas liberant: ad ſuperbiam, ambitum, luxum, intemperantiam, libidines plerumque abutuntur. Itaque à Chriſto aptiſſimè ſpinis comparantur: quia quomodò hæ manus tangentium, niſi attenti ſint, lacerant & ſauciant: ita illæ attrectatu ſuo conſcientias laniant, & exulcerant, vario peccatorum genere, nec rarò contrariorum: ut eumdem & rapacem videas, & prodigum, aliáque ejuſmodi.

IV. Diſſolutio in moribus. Specta Evangelicum divitem Luc. 12. reſupinum in cubili, & ſecum ineptiſſimè ratiocinantem: *Anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos.* Quid inde infers? Ergo pauperes alam, ut Job? Ergo peregrinos excipiam, ut Abrahamus? Ergo fami publicæ providebo, ut Joſeph? Ergo derelictos viſam, & mortuos ſepeliam, ut Tobias? Ergo oppreſſos, & viduas defendam, ut David? Nihil iſtorum: *Requieſce* tantùm, *comede, bibe, epulare*: & quæ ad epulas conſequentia ſunt. *Hac*, inquit Ambr. *dicit ſæcularium abundantiâ rerum temulentus. Supinabatur, quia in manibus et ad voluptatem omnia ſuppetebant: & conſcius impietatis ſuæ, cujus pœna ſequeſtrabatur, putabat quòd Deus impiorum ſcelera non videret.* Et generatim idem Ambr. lib. 2. de Interpellatione in Job cap. 5. *Magna*, inquit, *illecebra eſt delinquendi rerum affluentia ſecundarum: ſupinat, extollit, oblivionem auctoris inducit.*

V. Et peccatum genus omne. Geneſis 13. verſ. 13. ubi Vulgata noſtra, & Sept. habent, Sodomitas fuiſſe *peſſimos & peccatores*, Chaldæus habet, *Viri Sodomitæ erant iniqui cum ſuo mammona, & peſſimi in corporibus ſuis coram Domino nimis.* Ubi vides primò divitias poni, tum luxuriam. Quo ferè ſenſu ab Ezechiele dictum, cap. 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium.* Apud Oſeam c. 12. ubi Græca legunt: *Dives effectus ſum, inveni requiem mihi*: Vulgata pro *requie* habet *idolum, inveni idolum mihi.* Eadem locutione qua Iſaïas utitur, cap. 2. *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum ejus: & repleta eſt terra equis, & innumerabiles quadrigæ ejus.* Opulenti ſumus omnes, magnates omnes, in equis ambulamus, in rhedis trahimur, in oſtro & auro conſpicimur, in commodis & honoribus natamus. Quid inde? *Et repleta eſt terra ejus idolis*: idolo aureæ ſtatuæ Nabuchodonoſoris: idolis aureis vitulorum Jeroboam: idolis vanitatis, luxuriæ, ſuperbiæ, injuſtitiæ. Minatus eodem capite propheta judicium, ſeu diem Domini, cedris, quercubus, montibus & collibus celſis, altis turribus, validis muris; devenit denique etiam ad claſſes marinas, & *ſuper omnes naves Tharſis.* Quorſum inſtrumentis commerciorum naufragia minari? Quia opes invexêre, & vitia cum opibus.

VI. Peſti hac parte bellū præoptandum. Atque adeò quis non immeritò inde argumentum colligat, pro bello adverſus peſtem & famem: probetque, majoris eſſe miſericordiæ divinæ opus, quia magis ſubtrahit alimenta vitiorum, quàm binæ aliæ calamitates. Certè apud Spondanum ad annum 1348. num. 5. 6. 7. & 9. Antonius Villanov. & Nang. narrant, poſt horrendam illam peſtem, quæ orbem, ac præſertim Europam, de Catajo erumpens ita vaſtavit, ut viceſima pars mortalium vix ſupereſſet; mores publicè longè corruptiores fuiſſe, laxatamque nominatim Ordinum mendicantium diſciplinam: quia opes peſte non perierant; & ad pauciores reductæ majorem præbebant peccatis materiam. Neque abs re Chriſtus, apud eumdem Spondanum anno 1254. cùm provinciæ Tarviſinæ, quam Marchiam ſeu limitem vocant, delitiis innatanti pœnam criminum pararet, & ab Angelis conſilium petere videretur: reſpondit Angelorum unus, Ecelinum quemdam, facinoroſiſſimum hominem, aptum eſſe carnificinæ exercendæ. Gladius itaque, Chriſti juſſu, in ejus hominis manus traditus eſt. Ita religioſo viro oranti viſum. Et mox tyrannus ille ita ſævire ac bacchari cœpit, ut æquale nihil in omnibus retrò ſæculis legeretur. Denique infælici fato functus, ita deſolatam provinciam & depauperatam reliquit, narrante eòdem Spond. ad annum 1259. ut jam materia luxui non ſupereſſet.

Agnoſcamus igitur in calamitatibus hodiernis clementem Dei manum; qui, ut Auguſt. loquitur de theatris aliiſque ſedibus vitiorum, per bella ævo ſuo everſis, epiſt. 5. ad Marcellinum, *Si hæc pollere permittat, tunc indignatur graviùs: hæc ſi impunita dimittat, tunc punit infeſtiùs. Cùm verò evertit ſubſidium vitiorum, & copioſas libidines inopes reddit, miſericorditer adverſatur.* *Sic*, inquit Auguſtini diſcipulus Proſper, — VII. Deus miſericorditer punit.

pietate Dei terrarum non vacat orbis,
Et nihil eſt quod nos non trahit ad veniam.
Cùm Rex ſalvandis ipsâ quoque conſulit irâ,
Et ſanat medicus vulnera vulneribus.

Quid quereris? quid impatiens es? *Perverſitas, quam putas, ratio eſt. Quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt: Deo de momentaneis æterna medicante. Incidiſti in manus ejus, ſed feliciter incidiſti. Magnifica bono tuo Deum iratum.* Ita Tertul. in Scorp.

Ferunt, apud Perſas in moribus fuiſſe, ut nobili puniendo veſtes detraherentur, & eo ſpectante cæderentur. Deus nos velut nobiles caſtigat: externa fortunæ involucra detrahit, poſſeſſiones, commoda, honorem, eáque cædit aut cædi permittit, ut animæ parcat. Auguſt. ep. 64. ad Macedonium. *Sicut eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Nam, ut exempli gratiâ manifeſtum aliquid ponam, quis non crudelem veriùs dixerit eum, qui puero pepercerit, volenti obſtinatiſſimè de ſerpentibus ludere? Quis autem non miſericordem, qui, talia prohibens, contemptorem verborum etiam verberibus emendaverit.* Hunc in modum Deum bellicis terroribus cum populo ſuo agere, docet Ambroſius, ſerm. 24. toto, qui de bello eſt, nec fuit huc transſcribendus. Sapientiſſimè hiſtoricus ſacer 2. Machab. c. 6. lectorem monet, ut non exhorreſcat ad calamitatum Judaïcarum narrationem, ſed reputet eas eſſe, *non ad interitum, ſed ad correptionem.* Id eſt, uti propheta Jerem. 30. loquebatur, non eſſe *plagam inimici*, ſed vulnus amici. Aut, quemadmodùm Philoſophus 1. Rhet. loquitur, eſſe κόλασιν οὐ τιμωρίαν, caſtigationem paternam, non ſupplicium judiciale. Qua de re conſule, ſi lubet, Leſſium de perf. divinis, cap. 13. Et illud diſce Boëthii, lib. 4. proſa 7. *In veſtra ſitum eſt manu, qualem vobis fortunam formare malitis. Omnis enim, quæ videtur aſpera, aut exercet, aut corrigit, aut punit.* — VIII. Duplex à Deo caſtigatio.

Quare benè utentibus à Deo immiſſa ſupplicia optabilia ſunt. Optabat certe Bernard. ſerm. 42. in Cant. ut iraſceretur ſibi pater miſericordiarum; & toto corpore cohorreſcebat, cùm infortunium eorum recordabatur, de quibus Deus Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te, non ultrà iraſcar tibi.* Reſpiciebat etiam forſan illuc Job, cap. 6. *Quis det ut veniat petitio mea, & quis capit ipſe me conterat? Solvat manum ſuam, & ſuccidat me? Et hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat?* Quid in eo genere optaverit afflictiſſima Anglorum — IX. Optabilis bonis.

Regina

Regina Catharina, quid Seneca in eamdem ſententiam, adſcripſimus ad initium ſectionis ſecundæ Excurſu 2. ad cap. 3.

X. *Maxima calamitas non benè uti calamitate.*

Quàm verò lugendi & miſerandi, qui utilitatem miſeriarum culpâ ſuâ amittunt? Cujuſmodi Trevirenſes fuêre Salviani ævo; qui, poſt cladem, in Circenſibus ludis, tamquam altiſſimâ pace, inſaniebant. *Putabam vos*, inquit ſub finem lib. 6. *in excidiis rem tantùm atque ſubſtantiam, neſciebam mentem atque intelligentiam perdidiſſe.... Omnia quæ fuerant, aut ablata, aut imminutata ſunt, ſola tantum vitia creverunt.... Nihil nobis de pace & proſperitate priſtina reliquum, niſi ſola omninò crimina, quæ proſperitatem non eſſe fecerunt.* Ejuſmodi & Romani per eaſdem barbaricas clades. Nam Hieronymus ſic de iis ſub alieno nomine conqueritur, epiſt. ad Aug. quæ eſt 26. inter hujus epiſtolas. *Capta Ieruſalem tenetur à Nabuchodonoſor, nec Ieremiæ vult audire conſilia; quin potius Ægyptum deſiderat, ut moriatur in Taphnes, & ibi ſervitute pereat ſempiterna.* Dicuntur poſt Gothicam vaſtationem vociferati inſanè: *Redde Circenſes, & nihil nocuerunt Gothorum enſes.*

XI. *Gemina eſt damnatio.*

Quid iſtis malè feriatis, & perniciem ſuam accerſentibus dicas, niſi quod auctor homiliæ de excidio urbis inter opera Auguſtini? *Quidquid hic paſſus fuerit homo, ſi corrigatur, emendatio eſt: ſi nec ſic corrigatur, duplex damnatio eſt.* Et iſtud Auguſtini con. ep. fundamenti, c. 1. *Quidquid divinitus ante ultimum illud judicium vindicatur: ſive per improbos, ſive per juſtos: ſive per neſcientes, ſive per ſcientes: ſive occultè, ſive palam. non ad interitum hominum, ſed ad medicinam valere credendum eſt: quam qui reſpuerint, extremo ſupplicio præparantur.* Præjudicium æternæ damnationis eſt, temporalibus afflictionibus non emendari. Sed nos ea de re fuſiùs, Tractatu de bona voluntate, ſect. 10.

XII. *Imitemur miſericordiam divinam.*

Nos verò non modò laudemus, & amplectamur miſericordiam divinam, quando in ſuppliciis ſumus: ſed etiam imitemur, quovis vitæ & fortunæ tempore, peccata præterita purgando, præſentia cavendo, futura præveniendo. Olim ajebant, virum probum eſſe debere bicipitem, Jani inſtar, ut præterita pariter & futura adſpiceret, & inter ſe, formando judicio, compararet: *Quid eſt quod futurum eſt? Ipſum quod factum eſt.* Ego Chriſtiano homini perficiendo tres vultus optaverim, quales olim in triviis Hermas ponebant tricipites. Intueatur tempus præteritum, præſens, ac futurum. Præterito Pœnitentia, præſenti Vigilantia, futuro Providentia, ſeu prævidentia aut præcautio neceſſaria eſt.

XIII. *Qualis de præteritis pœnitentia eſſe debeat.*

Non is ſum, qui peccata ſemel aut iterum benè confeſſa moleſtè recoqui velim. Audivi Apoſtolum de ſe dicentem, & aliis exemplo præeuntem: *Quæ retrò ſunt obliviſcens, ad anteriora extendens meipſum*, Phil. 3. Scio ab Angelo aliquando piſcinam turbari, quando morbida conſcientia eſt; at quando ſana, auctorem turbarum & inquietudinis eſſe dæmonem, ut eâ præteritorum anxiâ nimis curâ ab futurorum proſpectu, & perfectionis ſtudio, avertat. Nec tamen etiam ignoro: Davidem, auditis illis Dei nomine verbis: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum;* licèt certus eſſet de culpa remiſſa, inclamâſſe: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea.* Quid enim ſi pœna luenda ſupereſt? Deinde, an umquam nova pœnitendi materia deerit? Auguſtinus poſt delicta juventutis multo fletu expiata, Confeſſione item publicâ, moribundus tamen pœnitentiæ pſalmos & *Miſerere*, & *amplius lava me*, & *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*, multis cum lacrymis, ingeminat. Particularim non revocemus in memoriam peccata benè confeſſa: generatim tamen eorum meminerimus, & nos pœniteat.

XIV. *Vigilantia & providentia in præſens ac futurum.*

Si vera ſit pœnitentia, aderit Vigilantia comes, ne quod elapſum plangimus, in præſens committamus. Sæpè inculcavit Chriſtus ſuum illud, *Vigilate*: ne hoſtes pervigiles invadant incautam urbem. Excubitori teſſera militaris datur: hæc noſtra ſit, Nil contra Deum. Scribam, laborabo, negotiabor, converſabor: at in omnibus nil contra Deum. Idem in futurum omne tempus vero pœnitenti ſtatuendum eſt: occaſionibus præcogitatis, inſtruendum adverſus hoſtes armamentarium, expedienda arma, ne umquam imparatis ingruant. Hoc Chriſtus monuit parabolâ de Rege ituro ad bellum, & de ædificante turrim, Lucæ 14. Et languido ad piſcinam ſanato ait: *Ecce ſanus factus es*; non ſatis eſt, de cætero *jam noli peccare*, cave tibi in poſterum, malo tuo doctus, *ne deterius tibi aliquid contingat.* Utinam ita propitio Numine præterita mala mundemus, in præſens caveamus, futura diſponamus, ut mereamur fælicem æternitatem, quæ numquam præteribit, ſemper præſens erit & futura.

EXCURSUS III. MORALIS

Ad verſum eumdem.

Peccati mortalis gravitas.

SECTIO PRIMA.

Natura peccati mortalis.

I. Variæ deſcriptiones.

Etsi tractatum ab aliis multis argumentum, hoc loco tamen prætterire non debui: cùm à quolibet concionatore tractari neceſſe ſit, & populo proponi poſſit variis modis, quorum hunc ego aliquando ſecutus ſum. Ac primùm explicanda ejus natura: de quâ diverſæ ſunt apud Theologos definitiones, aut potiùs deſcriptiones. Nec mirum, cùm monſtrorum, quæ certam ſpeciem vix habent, difficillima ſit definitio: nil autem peccato ſit magis monſtroſum, unde omnis nata eſt monſtrorum Tartareorum deformitas. D. Thomas Aquinas dicit, Peccatum mortale eſſe *privationem nitoris animæ.* Quomodò enim ſublata luce, colores etiam rebus & pulcritudo tolluntur: ita per opera tenebrarum in animam tetra nox inducitur, indéque naſcitur, ſicut Alexander Alenſis deſcribebat, *Privatio debita pulcritudinis*, quâ præſente humana mens Deo & Angelis amabilis eſt, abſente abominabilis. Aliter paullò D. Bonaventura: *Peccatum*, inquit, *eſt averſio à Deo, & elongatio per diſſimilitudinem:* avertitur à Deo peccator, quia ab ejus ſanctitate & puritate diſcedit: & nonne, ô *Domine omnes qui te derelinquunt confundentur?* Subtili Doctori Scoto peccatum eſt *reatus ad pœnam*: quaſi peccare aliud nil ſit, quàm ſe divinæ vindictæ velut ſcopum objicere, ad excipienda promeritarum pœnarum tela: *Arcum enim ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

II. Peccator Dei inimicus.

Communiſſimè ac veriſſimè Theologi hodie ſic definiunt: *Peccatum mortale, eſt offenſa Dei uſque ad amicitiæ diſſolutionem.* Offenſa eſt, & quidem tanta, ut Deus φιλάνθρωπος, hominum amator, deſinat eſſe ejus amicus. Auſculta Deum ipſum de peccatoribus loquentem Iſ. 1. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Heu, conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabo me de inimicis meis.* Audis hoſtes vocari & inimicos, abruptâ gratiâ, abnuntiatâ amicitiâ. Et ne de averſione dubites: tanta eſt, quod etiam ſuprà Excurſ. 1. ſect. 2. num. 14. advertimus, ut peccatoris benefacta, & laudes ſuas, Deus reſpuat. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Capitalem hoſtem eſſe neceſſe eſt, ex cujus ore, ne ipſa quidem præceptorum divinorum & miraculorum commemoratio toleretur. Quid quod alienatio tanta eſt, ut ne in eodem quidem loco videantur poſſe conſiſtere: & ſi fieri poſſet ut Deus ubique non foret, ab ea mundi parte vellet abeſſe, ubi peccator verſaretur? Hinc in extremo judicio ii, qui à ſiniſtris erunt, audient: *Diſcedite a me maledicti*; conſiſtere enim ſimul in ea voluntatum disjunctione nequimus.

III. Contumelioſus Deo.

Nullus labor major eſt, inquiebat olim neſcio quis, *quàm ferre illuſorem.* Pauperiem bona caduca eripientem tolerârim, cùm tot de vulgo homines tulerint. Morbos utcumque patienter feram, ne fœminis, inter valetudinis mala non ingemiſcentibus, cedere videar. At ubi ad ludibria, ad contumelias, ad famæ honoriſque diſpendia venietur; ibi verò omnis mihi patientiæ conſtantia peribit. Manſuetiſſimum Davidem novimus, quam virtutem ſuam apud Deum ipſum commendare auſus eſt. Talis tamen, ſpretus in legatis ſuis, & contumelioſè habitus, notum eſt quid fecerit, 2. Reg. 10. & 12. Unum nomino, cùm milleni occurrant, quibus manſuetudinem omnem excuſſit honor, injuriâ aliquâ percuſſus. Inde plerumque factiones, ſeditiones, bella ſurrexêre; nec familias modò univerſas, ſed & provincias ac regna perdidêre. Quid execrandam duellorum peſtem commemorem, quam vix alius umquam ævo noſtro, quàm contumeliæ vindicandæ affectus, excitavit? Nos homuli honorem noſtrum ab æqualibus, vel ſemel, laceſſiti non ferimus. Patiatur Deus infinitæ majeſtatis gloriam ſuam à vili vermiculo lædi, non ſimplici contumeliâ, quotieſcumque peccat mortaliter?

IV. Et quidem quadrupliciter.

At, inquis, facilè intellexerim injuriam honori divino fieri per certa criminum execrandorum genera, directò adversùs illum pugnantia. Oderunt Deum dæmones, & damnati: quis dubitet, ſine injuria tantæ bonitatis id non fieri? Cultum, uni Deo debitum, ad plures deorum larvas transfert idololatra. Magus dæmoni ſe mancipat, legitimóque domino ſe impiè ſubtrahit. Impotentis animi & linguæ ſacrilegus blaſphemator, ac perjurus, Dei nomen horrendis piorum auribus lacerant. Sceleroſa ejuſmodi capita contumeliæ Deo inflictæ argui poſſe, indubitatum eſt. Quid autem de avaro dicemus, de vindictæ avido, de projecto in ventrem aut ventri ſubjecto, de raptore injuſto, de loquace detractore, aut quolibet alio in ſe, proximúmve, peccante? Iſti cùm peccant, de Deo interdum ne cogitant quidem: tantum abeſt, ut honori divino injuriam meditentur. Nihilominùs, inquit Bernardus ſerm. 3. de Reſurr. quilibet iſtorum peccantium ita Deum impetit, ut non modò ejus gloriam tollat, ſed divinitatem, quantum in ſe eſt, deleat. *Ipſum, quantum eſt in ſe, Deum perimit voluntas propria. Omninò enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire. Vult ergo Deum non eſſe Deum; qua, quantum in ſe eſt, vult eum aut impotentem eſſe, aut injuſtum, aut inſipientem.* Vides triplicem eamque horribilem contumeliam, Deo per quodlibet peccatum inflictam, notari à D. Bernardo. Nos quadruplicem deſignabimus, qualem arbitramur ante

ante oculos fuiſſe Regis homicidæ & adulteri, cùm Deo dicebat, *Tibi ſoli peccavi*; etſi non neſciret, ſeſe etiam atrociter in hominem geminato ſcelere impegiſſe.

V. Dei dominium. Deum eſſe rerum omnium Dominum, humanæ præſertim voluntatis, vel ratione ſola notiſſimum eſt. Ut hic poſſimus aptare verba Aug. lib. 3. cap. 12. de lib. arb. *Nullus eſt cælum terrámque rationabiliter intuens, omnéſque naturas viſibiles in ſuis generibus moderatas, formatas, ordinatas, qui vel alium credat eſſe artificem omnium quàm Deum, vel non eum ineffabiliter laudandum eſſe fateatur, dominumq́ universorum cogatur agnoſcere.* Dominia duo in ſcholis diſtinguimus, Proprietatis unum; alterum, Juriſdictionis. Hoc creaturas intelligentiâ ac libertate præditas, adeóque præcepti capaces, ſolùm reſpicit: illud omnes complectitur, quæ poſſideri poſſunt. Deus proprietate Dominus eſt omnium, primùm quia illa creavit: nihil autem domino ulli magis proprium eſt, quàm opus ſuum opifici, præſertim ſi ab illo ſit & ars & materies. Deinde, quia conſervat omnia, eáque conſervatio inſtar eſt creationis perpetuæ, continuamq́ue inducit dependentiam, velut luminis à Sole. Itaque Deus eleganter à D. Paullo vocatur, *Portans* omnia *verbo virtutis ſuæ*; & à D. Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 12. dicitur, non tantùm *Omnipotens*, ſed etiam *Omnitenens*: *nam in ipſo vivimus, movemur & ſumus, & ſi hoc opus ſuum rebus ſubtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus. Neque enim*, ut idem ait, *ſicut ſtructuram ædium cùm fabricaverit quis, abſcedit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus ejus, ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit.* Tertiò: quia Deus ſibi ipſi ut fini creat ſingula, & conſervat; creaturáque omninò nulla eſt, & nihil in creaturarum ulla, aut quantulacumque earum particulâ, quin ad Deum referatur: quare & illas quomodò fecit, ita poteſt citra injuriam ullam deſtruere. Ex eo proprietatis dominio conſequitur, connexione neceſſariâ, dominium Juriſdictionis in creaturas rationis & obedientiæ compotes: ut quia ſibi eas creavit, & conſervat, iis etiam poſſit, prout videbitur, præcipere, prohibere, permittere, ſupplicia inobedientibus irrogare, præmia obtemperantibus reddere.

VI. Leges, & imperium. Nec imperare poteſt modò, ſed etiam imperat. Nam ſine rationis lumine & lege nemo naſcitur: innatum ipſi eſt Dei imperium, bona approbantis, mala damnantis; ut, quomodò ſapienter Publius Mimus loquebatur, *Illo nocens ſe damnet, quo peccat die.* Homini cuilibet dicit Lactantius l. 6. de vero cultu cap. 24. *Quid agis? Quid machinaris? Quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur. Putas tibi contigiſſe, ut oculos omnium effugias, demens. Quid prodeſt tibi non habente conſcium, habenti conſcientiam?* Omnibus, etiam idololatris, dicit Tertull. lib. de Cor. militis: *Quæris igitur Dei legem? Habens iſtam communem, in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quam & Apoſtolus ſolet provocare?* Idem lib. de Anima: *Propterea nulla anima ſine crimine, quia nulla ſine boni ſemine.* Idem lib. 2. ad nationes. *Quis magis rei ſitis: patent oculi, nec vident: hiant aures, nec audiunt: cor ſtupet ſaliens: neſcit animus quod agnoſcit.* De naturæ lege plura dicemus Exc. 1. ad cap. ult. ſect. ult. Nunc cum Fidelibus loquimur, quibus ad eam legem addita eſt divina maximo paratu, expreſſâ dominii divini mentione, & ad ſingulorum præceptorum confirmationem inculcatâ, verbis iſtis: *Ego Dominus.* Cum Chriſtianis loquor, quibus iterata eſt ea lex per ipſum Dei filium, qui venit eam adimplere, non ſolvere; de quo pater diſcipulis: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Cum Catholicis loquor, quibus ad divinam legem humanæ prætereà additæ ſunt, eadem vetantes, eadem præcipientes; & Dei nomine, à quo manat omnis auctoritas.

VII. Peccator rebellis. Poſt tam multas leges, & repetita præcepta, excuſſo tamen obedientiæ jugo rebellis peccator, tamquam ſi Domino careret, arbitrio ſuo vivit: ſi tamen arbitrio ſuo vivere dicendus eſt, quem cupiditates & effrænes animi motus præcipitem abripiunt. *Labia noſtra*, inquiebant illi apud Regium vatem pſ. 11. *à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?* Quaſi labia ſua, & oculi, & manus, & corpus omne, & mens, & animus totus à Deo non foret, ita Dominicorum præceptorum immemores deſideriis ſuis obſequuntur. Inde juſtiſſima Dei querimonia, Jer. 2. *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti: Non ſerviam.* Dominus es, quia me creâſti, quia me conſervâſti, quia me mihi dediſti, quia me tibi feciſti: nihilominùs *non ſerviam.* Imperas, mones, increpas: lex domeſtica, lumen rationis, mihi eſt pro perpetuo præcepto: nihilominùs *non ſerviam.* Accedunt præcepta alia juſtificata in ſemetipſa, illuminantia oculos, dulciora ſuper mel & favum: nihilominùs, *non ſerviam.* Cui ergo ſervies, ſi Deo non ſervis? Cujus rei cauſâ officium, cui tot nominibus obſtrictus es, deſeris?

VIII. Bonitatem increatam ſpernit præ creata. Et en alteram injuriam Bonitati & Amabilitati divinæ factam, quòd ſe peccator ita gerit, quaſi bonitatem & amabilitatem increatam in creaturis illi præponeret. Bonitas divina duplex eſt: una abſoluta, quæ nil aliud eſt, quàm ſumma, illimitata, & undequaque infinita perfectio: alia reſpectiva, quam benignitatem vel beneficentiam nominare poſſumus, ut diſtinguatur à priore. Utraque in titulis, qui vulgò jam olim Deo dati ſunt, comprehenditur, ut *Optimus Maximus* diceretur, & primùm quidem *Optimus*, deinde *Maximus*. Utrique peccator contumelioſus eſt, quando creaturam, bonitate ſeu perfectione infinitè à Deo diſtantem, & incomparabiliter beneficentiâ imparem, cùm ipſa Dei beneficium ſit, præ illo tamen quærit & complectitur. Auguſtinus in pſ. 102. & 134. homines ad amandum Deum excitaturus: *Bonus*, inquit, *Dominus, ſed bonus, non ut ſunt quæ fecit. Nam fecit Deus omnia bona valdè, non tantùm bona, ſed bona valdè..... Si hæc omnia bona ſunt: qualis eſt ille qui fecit? Quale bonum? Omnis boni bonum, unde omne bonum. Bonum ſimplex: ipſum bonum unde omnia ſunt bona, ipſe eſt Deus tuus. Videte, fratres, ſi vos delectant iſta bona, quæ appellantur bona, ſi vos delectant bona, quæ non ſunt per ſe bona, qualis erit contemplatio boni incommutabilis, æterni, ſemper eodem modo manentis? Bonum ergo tuum quære, ô anima.*

IX. Quantæ id indignitatis. Sic prorsùs facere deberet, ſi rationem ſequeretur. Contrà tamen omninò facit: deſerto infinito bono, fugacem & exiguam bonitatem eligit: quod tantumdem eſt, ac ſi omiſſo corpore umbram ſectaretur, tenuémve imaginem pulcerrimo vultui præponeret. Finge tibi Imperatorem conſtitutâ die adeſſe in Imperatorio cultu, ſolio ſublimem, Procerum coronâ cinctum, ut à plebeiis aliquibus ſacramentum fidelitatis excipiat: hos verò Imperatori tergum obvertere, & ad veſtigium, quod fortè tranſiens luto impreſſerit, oſculandum accurrere. Id, inquis, numquam acciderit; mera chimæra eſt. Imò toties accidit

quoties tenuia bonitatis divinæ veſtigia, omiſsâ Dei veneratione, prono in lutum affectu ſalutamus. Quid de ſponsâ cenſeas, quæ acceptum à ſponſo annulum amet, ſponſum obliviſcatur? *Quis non deteſtetur hanc amentiam*, inquit Aug. Tract. 2. in Joan.? Quid de illa pronunties, quæ ex infima fortuna ad dignitatis Regiæ conſortium evecta, Regis ac ſponſi ſui, modis omnibus abſolutiſſimi, imperfectas quaſdam & fugaces, & infidas, & fragiles imagunculas, ad uxorium affectum excitandum diſpoſitas, conſpicata diſſuavietur, exornet, circumferat, oculis geſtet & pectore, ſponſum ipſum oblita? Inſanam illam, & meritò, pronunties, & ſimul de teipſo ſententiam feras: ſi quando, quod avertat Deus, ſpecie creaturarum delectatus, non tantùm deos putes, ſed nec recogites quantò ſit illis pulcrior, qui fecit illas. Cæcitatem tantam, & fatuitatem, meritò Nierembergius noſter exaggerat, & deplorat lamentator Jeremias cap. 2. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

X.
Dei præſentia ubique.

Tolerabilius tamen malum foret, ſi quidem Deo inſcio, aut non inſpectante, id fieret. At in ipſius oculis, ante os ejus, in ejus ſinu & brachiis patrari, quaſi vel non videat, vel videre aut ſentire non poſſit, id verò atrociſſimum eſt. Scit Deum ubique præſentem, teſtem, ἐπίσκοπον, ut eleganter à Sophare vocatur, Jobi cap. 20. v. 29. Audit Auguſtinum ſerm. 46. de verbis Domini: *Ipſe timendus eſt in publico, ipſe in ſecreto. Procedis, videris: intras, videris. Lucerna ardet, videt te: lucerna extincta eſt, videt te. In cubile intras, videt te: in corde verſaris, videt te. Ipſum time, illum cui cura eſt ut videat te, & vel timendo caſtus eſto. Aut ſi peccare vis, quære ubi te non videat, & fac quod vis.* Eumdem audit hom. 27. *Quomodò quiſque in vico, cùm occurrerit ei cui aliquid debet, ſi ad manum eſt diverticulum, dimittit quò ibat, & it per aliam partem, ne faciem videat creditoris. Hoc tu in iſto verſu te feciſſe arbitratus es. Devitâſti dicere, dimitte ſicut & ego dimiſi.... Quem devitas? Quis devitas? Quò ibis ubi tu eſſe poſſis, & ille non eſſe?*

XI.
A peccatore contemnitur.

Iſtiuſmodi verba centies repetita audiit, & credidit Chriſtianus. Agit tamen illorum inſtar, qui pſ. 72. & 93. dicunt: *Quomodò ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Ait* cum impijs Ezech. 8. in abſcondito cubiculi ſui: *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Apud Siracidem cap. 23. *Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens in animam ſuam, & dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. Et non intelligit*, imò ſe gerit tamquam non intelligat, *quoniam omnia videt oculus illius.* Quid tibi videtur de Chamo Noëmi filio, ſopitum patrem illudente? Numquid immeritò paternam indignationem ſentiet, imprecatione etiam ad poſteros tranſiturâ? Quid cenſes de Pontificum famulis, qui obvelatum Chriſtum alapis petunt, & duriore ictibus quibuſvis interrogatione percutiunt: *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* Hominem illi arbitrabantur: peccator Deum novit, & omniſcium non ignorat, habet tamen pro amente aut cæco.

XII.
Potentia divina.

Et, quod capitaliſſimum eſt, ipſiuſmet beneficiis ac manu ad eum percutiendum abutitur. Potentiæ divinæ debemus quidquid in animo facultatum habemus, quidquid in corpore ſenſuum ac membrorum, quidquid extra nos neceſſarium, utile, jucundum, fovendis ſenſibus corporeis, exercendis animi facultatibus objicitur. Ampliùs, à divina potentia non ſenſus modò ſunt, ſed uſus ſenſuum: nec facultates tantùm, ſed omne facultatum exercitium. Hoc eſt quod Auguſtinus Enchiridii cap. 27. ait: à Deo *ſubminiſtrari* quibuſvis, etiam Angelis malis, *vitam vivacemque potentiam; quæ ſubminiſtratio ſi auferatur, interibunt.* Concurſum Dei vocamus, ſive cooperationem, ſine quâ nec deſignare, nec velle, neque efficere quidquam poſſemus: eam Deus paratam nobis exhibet, & velut pendentem, exſpectantemque nutum voluntatis, ſive in bonam partem uti malimus, ſive in malam: id tamen unicè deſiderans, ut, quomodò oportet, ad gloriam Creatoris utamur, & animæ noſtræ ſalutem.

XIII.
Quâ peccator abutitur.

Sed, prô dolor! impia peccatoris voluntas, proculcatâ Dei reverentiâ, contemptoque ejus deſiderio, facultates ſuas ac ſenſus adversùs illum armat, illorum miniſterio in ipſum pugnat, & invitam, ut ita loquar, Dei manum trahit & applicat actionibus, quibus peccatum implicatum eſt; &, quantum in ſe, Sanctitati infinitæ irrogat ſocietatem culpæ. Quo quid atrocius & ignominioſius dici poſſit, non video. Si mendicus ſtipem, à locuplete & benefico homine acceptam, inſumat coëmendo veneno, quo vitam benefactoris ſui tollere conetur: non jam ingrati crimen, ſed parricidale facinus eſſe clamemus. Si miles gladio Regio Regis ipſius, optimè de ſe meriti, pectus appetat, ſcelus ſupra parricidii immanitatem fuerit. Id agunt, qui, quod Dionyſius de Apollophane amico ſuo adhuc Infideli dixiſſe fertur, armis à Deo acceptis adversùs Deum pugnant. Stultis & puerulis grandiuſculi interdum, ad ludibrium, facies apprehensâ ipſorum manu converberant. Conſimili ludibrio peccator potentiâ Dei abutitur, ad petendam ipſius majeſtatem, intolerabili contumeliâ.

XIV.
De eſtatie peccati.

Qui iſta credunt, & ſciunt, infinitum Dei odium ergà peccatum mortale non mirantur, non maximam piorum quorumvis ab illo averſionem, non ſtudium impediendi in aliis, non curam abolendi ſincerâ pœnitentiâ ſi quando commiſerunt, non fixam conſtantemque voluntatem quidvis præ illo in poſterum tolerandi. Statuunt ſibi pro inviolabili lege Auguſtini ſententiam 159. inter excerptas ex illo ſententias. *Vnum eſt ſummum bonum, aliud autem ſummum malum. Illud propter quod appetenda ſunt cætera bona, ipſum autem propter ſeipſum. Hoc propter quod declinanda ſunt cætera mala, ipſum autem propter ſeipſum.* Summum bonum Deus: ſummum malum peccatum eſt. O Domine univerſorum, in ditione tuâ cuncta ſunt poſita, & ego ſervus tuus: poſſide me, non poſſideant me domini abſque te. O fons omnis perfectionis & beneficentiæ, te amem, in te figam omne deſiderium meum, neque umquam immolem cupiditates meas diis alienis. O lux mentium, ô Sol qui hominum corda contuêris in abſconditas partes, ita ſim coram te, ut tu ſis ſemper coram me, & contempler te qui me contemplaris, ne umquam te ipſum te teſte offendam. O potentia uſque modò operans, dans mihi omnem operandi facultatem, mecum agens ſemper, actiones meas tibi conſecro, & volo ut omnes à te incipiant, & per te captæ finiantur.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Pœna peccati mortalis.

I. Fides futurorum languet.

FERUNT Bononiæ, cùm Carolus V. Imperator coronaretur, præcipuos quoſdam ex ejus aulâ proceres apud magnatum aliquem ad feſtas epulas invitatos; cumque inter honeſtas invitationes & colloquia mentionem de Deo, ejuſque providentiâ ac juſtitiâ, intuliſſe: exceptum à Cæſareo Eleēmoſynario ſermonem, excurſumque in amplam commendationem Chriſti ac religionis Chriſtianæ, & rerum credendarum: hoſpitem civem Bononienſem in cujus domo prandebatur, continere ſe non potuiſſe, quin latens in animo venenum proderet, diceretque; Si iſthæc mihi perſuaſa eſſent, nihil non acerbitatis lubens ſubirem, vitæ emendandæ, & expiandis peccatis, ne in futurum plecterentur. Quod ille de ſe, id ego de Chriſtianis ferè pronuntiem: ſi certò crederent, inferorum pœnas mortali unico peccato debitas; aut, quia ſe credere aiunt, ſi fide viva, non languidâ & pænè emortuâ, id ſæpe recogitarent, longè aliam vigilantiam vitandis peccatis, longè majorem curam, eluendis præteritorum maculis, impenderent. Quâ de re Cypr. ſeu quis alius libro de Unit. Eccl. *Statuta*, inquit, *perfidis æterna tormenta nemo conſiderat. Quod metueret conſcientia, ſi crederet; quia non credit omninò, nec metuit. Si autem crederet, & caveret: ſi caveret, evaderet.* Ut ſopitam fidem noſtram excitemus, veritates duas inter ſe connexas & pendentes conemur expendere: primùm, ex gravitate peccati mortalis colligamus Dei juſtitiam, in pœna æterna infligenda: deinde, ex æterna pœna conficiamus peccati mortalis gravitatem.

II. Divina bonitas, & Quarſquſia.

Ut prima quæſtio clariùs diſcutiatur, ante omnia ponendum eſt, Deum ſummè eſſe miſericordem, & ex ſe ferri ad benignitatis ac clementiæ opera, naturamque ejus eſſe miſereri ſemper & parcere: quod tum ex perpetuis à mundi initio divinæ bonitatis effectis; tum ex Incarnatione præſertim ac morte filii Dei, manifeſtum eſt. Secundò ſtatuendum, homines ſive corpus ſpectes, ſive animam primæ eſſe inter creata nobilitatis. Corpori elementa omnia, & miſta ſerviunt: terrá illi pro pavimento eſt, cælum pro tecto: aqua humorem & nitorem, aër reſpirationem præbet: Sol & lux aſtraque omnia oculis, aves canoræ auribus, jumenta & pecora tactui, edulia omnia guſtui, odoratui plantæ & aromata varia famulantur. Animæ verò tanta nobilitas eſt, ut non immeritò illam quis Deum creatum vocaverit: cùm perfectam Dei imaginem immaterialitate ſua, immortalitate, indiviſibilitate, potentiis exhibeat: cùm ipſi inſtituta ſint Sacramenta, ipſi addicta gratiæ divinæ auxilia, ipſi deſtinatum gloriæ lumen & æterna fælicitas, ubi ſimiles Deo erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. Cum ea nobilitate humanæ animæ jungendus amor Dei erga illam, qui de ſe ſub Sapientiæ figurâ dicit, *Delitia mea eſſe cum filiis hominum:* qui *in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus*, quando *apparuit benignitas & humanitas*, ſeu ut Græcè habetur φιλανθρωπία *Salvatoris noſtri Dei:* cui pro eximio titulo dici exinde poteſt, præeunte Sapiente: *Tua ſunt omnia, Domine, qui amas animas.*

III. Gravitas & æternitas pœnarum inferni.

Statuendum tertiò, ſummas eſſe damnatorum pœnas; ſive pœna illa attendatur, quæ ſenſus animi & corporis cruciabit; ſeu expendatur, quam damni vocamus, & exiſtet ex privatione viſionis beatificæ. Hæc, ut advertit D. Thomas, reſpondet averſioni à Deo; illa, converſioni ad creaturas. Utramque breviter & eleganter complexus eſt Euſebius Gallic. hom. 4. in fine, hiſce verbis: *Interpoſitum inter vivos & mortuos expaveſcendum chaos, vaſtúmque diſcrimen: excluſa à natura viventium tenebræ exteriores, dura ſeparatio à dulci intuitu Sanctorum & à ſocietate Fidelium: & è contrario, inter lacrymabiles gemitus planctúſque lugentium, collegium triſte miſerorum, & à beata patria æternum tetterrimæ noctis exilium. Quàm lugubre erit hominis, Deum videre & perdere, & extra pretia ſui perire conſpectum?* Nihil in iis tormentis horribilius erit, quàm ipſorum interminata æternitas, toties Scripturæ verbis, miraculis, apparitionibus Angelorum, dæmonum, animarum inculcata. *Nulla*, inquit Aug. 6. de Civ. cap. 12. *major & pejor eſt mors, quam ubi non moritur mors.* Nam, ut ait Minutius Fælix in Octa. *Illic ſapiens ignis membra urit & reficit, carpit & nutrit*: ſeu, ut loquitur Euſeb. Gal. hom. 1. *Non caſualis, ſed rationabilis & pœnalis exuſtio: quia culpam jubetur inquirere, ſubſtantiam neſcit abſumere.* Finge tibi quantaſvis ſæculorum revolutiones, extende intellectum quàm longiſſimè potes, numeros complica & multiplica, & quidquid arithmetica & algebra concipere poteſt, congere: poſtquam numeros omnes ſæculorum conſumpſeris, adhuc ſupererit tota dimetienda æternitas. Rectiſſimè itaque ad eam cogitationem Bellarminus pronuntiabat: tam horribilem eſſe damnationem, ut, quamvis unicus homo damnari deberet, omnes tamen ſibi deberent metuere.

IV. Cur pœna tanta unico peccato infligatur?

Quæ cùm ſint certiſſima: & pœnas inferorum ſummas eſſe ac ſempiternas: & Deum eſſe clementiſſimum: & ab illo hominem ſingulariter amari, nobiliſſimam creaturam: ecquis non miretur, qui ergo fiat, ut tam miſericors Dominus, tam carum ſibi hominem, tali ſupplicio damnet, ob unicum peccatum mortale? Semel omninò dæmones peccavêre, & eo quidem peccati genere, quod patratu facillimum eſt, cogitatione: ob iſtam tamen culpam hactenùs ſupplicia luerunt, & tota ſupereſt luenda æternitas. Sed iſtud de Angelis non ita intellectu eſt difficile. Quid autem, quòd non pauci hominum damnatorum proculdubio in pœnis iiſdem detinentur, ob unicam noxam graviorem? Cujuſmodi eſt adoleſcens ille, quem ferunt, ad decimum octavum ætatis annum ſummâ innocentiâ vixiſſe, & tunc unico luxuriæ peccato infæliciſſimè immortuum. Itane ob voluptatis brevem guſtum, ob cogitatiunculæ unius libidinem, æternùm ſine fine puniatur culpa cum fine? Quâ id juſtitiâ fiat: quâ pœnæ ad culpam commenſuratione? Propoſuerat hanc quæſtionem Presbytero Deogratias Paganus quiſpiam; Presbyter D. Auguſtino, Africæ totius oraculo. Reſpondet Aug. ep. 49. ad quæſt. 4. *Quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniat ſeveritatem.* Voluit peccator, ſi non expreſsè & explicitè, at ſaltem implicitè & interpretativè; ſeu ſic egit, quaſi vellet æternùm peccare. Nam qui momentaneâ libidine oculorum, aut carnis, aut vindictæ, aut famæ, ad crimen uſque patrandum vinci ſe patitur: multò magis ſempiternam ejuſmodi libidinem deſideraturus fuerat. Meritò igitur æternùm punitur, qui æternùm peccare voluiſſet. Hanc D. Auguſtini rationem amplexus eſt D. Thomas, 3. con. Gen.

cap. 144.

Digitized by Google

cap. 144. & ex illa confecit, peccatorem debuiſſe *ſecundùm divinum judicium ita puniri, ac ſi æternaliter peccâſſet. Nulli autem dubium eſt, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur.* Gregoriuaetiam, longè ante D. Thomam, cum Auguſtino ſentiens lib. 34. Mor. cap. 16. ait: *Voluiſſent utique peccatores ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine in iniquitatibus permanere ... Ad diſtricti ergo judicii juſtitiam pertinet: ut numquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.*

V. Rationes aliæ.

Ingenioſam aliam rationem affert D. Th. 1. 2. q. 87. art. 3. Quia peccator, mortaliter offendendo, ad eum ſtatum ſponte devolutus eſt, ubi caritatem reparare oon poteſt, nec ſe ampliùs unquam ad Deum convertere, amiſſâ per culpam ſuam gratiâ ejusque merito: ſine quo cùm æternùm ex ſe manere debeat averſus à Deo, ſequitur inde juſtiſſimè pœna æterna. Optimè & clariſſimè idem D. Th. 1. 2. q. 87. art. 4. dicit: *Peccatum ratione averſionis eſſe infinitum, & mereri pœnam infinitam.* Ubi & hanc affert ratiocinationem: *Tantò eſt gravius peccatum, quantò major eſt perſona, contra quam peccatur. Sicut gravius eſt peccatum percutere Principem, quàm percutere hominem privatum.* At, inquies, nonne D. Thomas ait per privationem ſummi boni, quod infinitum eſt, pœnam quaſi infinitam infligi, reſpondentem averſioni à ſummo bono? Verum id quidem: ſed peccati mortalis infinitudo longè plus poſtulat: neque enim privatio boni infiniti verè infinitam pœnam affert, cùm homo non ſit capax ſuſcipiendæ ac ferendæ pœnæ, quæ magnitudine ſit infinita. Debet itaque, duratione æterna ſupplicii, juſtitia divina compenſare infinitam malitiam peccati. Vide ſi lubet Gerſonem lib. de Vita ſpir. Coroll. 7. Expende item verba ſignificantiſſima Salviani l. 1. de Prov. *Mali in quibuſlibet miſeriis conſtituti, non ſunt tamen tam miſeri, quam mali.*

VI. Neceſſe eſt offenſam mortalem eſſe infinitam.

Facilius & apertius ad intelligentiam nobis fuerit, ex Dei juſtitia argumentum ducere ad peccati gravitatem. Juſtitia enim Dei nobis ipſo lumine naturæ notior eſt. A notioribus autem ad ignotiora duci debet argumentum. Sic ergo ratiocinemur: Alterutrum horum ut ſit neceſſe eſt, vel peccati malitia infinita, vel Deus injuſtua, quando unicum peccatum æterno punitur ſupplicio. Quiſquis enim pœnæ plus imponit, quàm exigat culpa, cùm quod juſtum eſt excedat, injuſtus eſt. Atqui Deo injuſtitiam tribuere nemo quantumvis ſceleratua audeat, niſi eâdem operâ divinitatem illi velit detrahere. Nam ſi iniquus eſt, bonus non eſt; ſi bonus oon eſt, nec Deus eſt: cùm Deus ſit id, quo nil nec melius nec perfectius excogitari poteſt. Aliquid autem Deo injuſtè puniente melius excogitari poſſet; nimirum Judex aliquis non crudeli aut tyrannicâ libidine gaudens pœnis miſerorum, ſed invictâ æquitate paria meritis reddens ſupplicia. Si ergo Deus injuſtus eſſe nequit, & juſtè ſempiternas pœnas irrogat peccatori: peccatorem oportet maximi, & certâ ratione infiniti, criminis eſſe reum, cui à juſto judice talis merces tribuitur.

VII. Damnatus eſt vas in honorem, & in contumeliam.

Etſi hæc ratiocinatio tam manifeſta & invicta mihi quidem videtur, ut examinari non debeat: aptetur tamen ad captum rudiorum. Jeremiæ 25. comparantur Iſraëlitæ vaſis magni pretii: *Cadetis,* inquit, *quaſi vaſa pretioſa.* Eâdem ſimilitudine adumbrari poteſt pretium cujuſlibet humanæ animæ. Eſto Reginæ alicui vas murrhinum, materiâ & arte exquiſitiſſimum: quale Liviæ ex cryſtallo nativo, pondo librarum quinquaginta, in Capitolio repoſitum; quale aureum hyacinthis plurimis diſtinctum, quod Juſtinianus Imperator Romam ad Pontificem Max. ſubmiſiſſe dicitur, quaſi munus dignum gradu accipientis & dantis. Finge tibi aliud quodlibet vas quantivis pretii; numquam ſatis ad comparationem humanâ animâ dignam acceſſeris. Id poculum aliquando Regina, ex abaco abreptum, ſolo affligit & confringit, fruſtaque ac teſtas comminuit & proculcat, vetatque eorum quidquam à ſuis ſervari. Quid tu ad hoc ſpectaculi? Nonne vel amentem eſſe aſſeras inſanamque Reginam: vel poculum, ut ſic damnetur, propudioſiſſimo alicui miniſterio admotum, aut præſentiſſimo veneno infectum eſſe debuiſſe? Hominis animus *vas eſt in honorem*, ſummi artificis opus, qui novit figmentum noſtrum, immortali materia, arte inimitabili ipſam artificis ſui exhibens imaginem. Hoc tanti pretii opus, repentè fit *vas in contumeliam*, abjicitur, diffringitur, conculcatur in inferno. In cujus rei figuram Lev. 6. *Vas fictile*, in quo cocta fuerit victima *pro peccato*, confringi jubetur. Item Lev. 11. confringendum præſcribitur vas fictile, ſi in illud inciderit quidpiam *ex animalibus immundis.* Deus hominem peccatorem tractat velut *calicem venenarium*, quomodò Tert. loquitur lib. de Reſurr. carnis, *in quem mors aliqua ructavit; ſibricii, vel archigalli, vel gladiatoris, vel carnificis ſpiritu infectum.* Itaque venenum peccati horrendum ſit oportet, propter quod tantæ abominationi eſt Deo ſuum ipſum tantæ dignitatis opus.

Jer. 22. dicit Deus: *Si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Cùm à Sapiente viro videris annulum digito detractum in flamas abjici, conficies præſentiſſimâ aliquâ peſte fuiſſe afflatum. Quid de peccatoribus damnatis cenſeas, quos annulorum inſtar digitis ſuis ornandis; id eſt potentiæ ſuæ, ac bonitati, ſapientiæque demonſtrandæ, Deus adhibuerat? Si imprudentes in urbem Regiam ingrediamur, videamusque magno ſtrepitu filium Regis raptari ad publicum ſupplicium, non, quod in Hiſpaniâ aliquando factum, extingui in carcere: ſi ardentem rogum ſpectemus, Regemque ipſum advertamus inter ſpectatores, filii ſui ſupplicia ſiccis oculis cernentem: continuò inferemus, aut deſipere Regem, aut filium atrociſſimi criminis reum eſſe. Spectat Deus ardentem æternis flamis divitem epulonem, auditque clamantem, *Pater Abraham*, & ne ſtillam quidem roris ardori mitigando aſpergi ſinit: quanti ergo ſceleris fuerit, micas Lazaro negâſſe? Animæ humanæ cum ſponſa, Dei cum ſponſo, comparatio familiaris eſt. Attende quid pro ſponſa illa egerit, quomodò illam quæſierit, & deſponsârit ſibi in miſericordia & miſerationibus. Interroga te, quid judicaturus ſis, de optimi Regis uxore cariſſimâ, extremo ſupplicio per Regem ipſum implacabiliter damnatâ: quanti criminis rea eſſe debuerit. Eum in modum agitur cum homine reo gravis contumeliæ, aut vindictæ, aut unicæ fœdæ cogitationis. Quantæ ergo malitiæ ea ſit oportet, cùm idcircò à beneficentiſſimo Rege, & optimo ſponſo, æternùm ſponſa torqueatur? VIII. Eſt annulus Dei, filius, ſponſa.

Conſiſte in medio anima, verbis Tertulliani te alloquor de Teſt. an. *Non eam te advoco, quæ ſcholis formata, bibliothecis exercitata, academiis & porticibus Atticis paſtam ſapientiam ructas. Te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello, qualem habent* IX. Quantum ergo damnati peccatum.

habent, qui te ſolam habent: illam ipſam de compito, de trivio, de textrina totam. Audiſti, à clementiſſimo & æquiſſimo Numine, nobiliſſimam creaturarum hominem, maximis, & ſempiternis ſuppliciis damnari, ob peccatum mortale. Appende culpam, & pœnam: & hâc benè perpensâ pronuntia, quid de illa denique pronunties. Quanta tibi videtur, quæ tantum pœnæ commeruit? Obmuteſcis, exhorres, ſuſpiras, & pro omni reſponſo non habes quod afferas, niſi verba Pſalmiſtæ: *Terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Vir inſipiens non cognoſcet. Cum exorti fuerint peccatores, ut intereant in ſæculum ſæculi.* Collige te, & reſpira paulliſper, ut & alteri quæſtioni reſpondeas. Crediſne, ô anima, quæ de gravitate culpæ & æternitate pœnæ dicuntur? Non credam verò, inquis, rem tot oraculis, ſignis, præjudiciis, viſis, ſcriptoribus teſtatam? Si credis, quomodò te credere ex operibus tuis intelligam? Mortem æternam cominùs ſpectas, & in ejus conſpectu tot flagitia committis, libidinis cauſſâ, nummorum, honorum? *Et propter hoc tales*, inquit tibi Salv. lib. 3. ad Eccl. *animam tuam deſeris, & credere te judicium Dei, dicis?* Mahumetanus, Paganus, Infidelis quiſpiam alius, comparatâ fidei vitâ tuâ, non credere te dicet. Salvianus iterum increpabit 4. ad Eccl. *Non credis igitur, non credis. Et licèt religionem veſtibus ſimules, & licèt ſanctitatem pallio mentiaris, non credis omnino, non credis.*

X. Laus Juſtitiæ & Miſericordiæ divinæ.

Omittamus hominem vel incredulum, vel obduratum, & ex utraque ratiocinatione conficiamus, primùm, laudem Juſtitiæ Dei in horrendis inferorum tormentis. Ipſe enim eſt qui juſtificatur in ſermonibus ſuis, & vincit cùm judicatur. Sic Apoc. 19. Babylone in ſtagnum ignis projectâ, auditur vox turbarum multarum, in cælo dicentium: *Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & juſta ſunt judicia ejus. Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes Sancti ejus: & qui timetis eum, puſilli & magni.* Poſtquam Dei Juſtitiam in aliis ſpectaverimus, & laudaverimus, eò dulcius nobis ſapiet Miſericordia ipſius erga nos, & ex intimis præcordiis dicemus: *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.* Quoties damnari potuimus, ſi peccantibus vitam abſtuliſſet, ſi peccaturis gratiam ſubtraxiſſet; ſi labentes non tenuiſſet; ſi lapſos non erexiſſet? *Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.*

SECTIO TERTIA.

Remedium peccati mortalis.

I. Collyrium ſpirituale.

SEPTIMA epiſtolarum, quas Chriſti nomine D. Joannes Angelis, id eſt Epiſcopis populiſve, Eccleſiarum Aſiaticarum ſcribere jubetur, deſtinata eſt Angelo Laodiceæ, qui amore ſui ebrius, divitem ſe & indigum nullius rei exiſtimabat, parumque aberat, quin cum Chriſto dicere auderet, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cùm tamen eſſet *miſer, & miſerabilis & cæcus & nudus.* Monetur itaque, ut collyrio oculos ſuos inungat, ad videndum, Apoc. 3. Quod autem illud eſt oculorum medicamen? Gregorius 1. par. Paſt. cap. 11. ait, eſſe conſiderationem & obſervationem mandatorum Dei: *Collyrio oculos inungimus, ut videamus, cùm ad cognoſcendam veri luminis claritatem intellectûs noſtri acumen medicamine bonæ operationis purgamus.* Et verò *præceptum* Domini *lucidum* eſt, *illuminans oculos: & intellectus bonus omnibus facientibus.* Ambroſius dicit, eſſe compunctionem lacrymas elicientem: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Anſelmus putat, eſſe memoriam noviſſimorum, quæ multis ſapientiæ mater eſt: *Utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent.* Rupertus humilitatem interpretatur: *Cor tuum vera humilitate purifica, ut paupertatem tuam videas, & divitias bonitatis Dei agnoſcas:* ſicut cæcus natus, luto ſuper oculo poſito, miſſus ad natatoriam Siloë viſum recepit.

II. Paſſio Chriſti.

Sunt qui collyrio, pungente & acri medicamine, putent adumbrari calamitates à Deo immiſſas, quarum ſenſu curati multi, qui anteà ſenſum amiſerant: ſicut amaro piſcis felle curata Tobiæ cæcitas. Dionyſius Carthuſianus valdè accommodè exiſtimat, indicari memoriam maximæ & acerbiſſimæ calamitatis, Paſſionis Chriſti, cujus ſanguine oculis mentis illito, malorum noſtrorum magnitudinem intuemur, peccatorum horrorem deprehendimus, Juſtitiæ divinæ ſeveritatem cernimus, deplorandum peccantium ſtatum contemplamur. En collyrio utebatur Bernardus, cùm dicit ſerm. 3. de Vigilia Nativ. Domini, *Ex magnitudine remedii periculi mei æſtimo qualitatem*: monetque ut & nos illo utamur: *Attende, quàm gravia oportet fuiſſe vulnera, pro quibus neceſſe fuit Dominum JESUM vulnerari.* Secuti exemplum & monitum ſanctiſſimi Patris, hanc ſententiam firmemus: à peccatore, quoties crimen aliquod grave ſeu mortale admittit, iterum Chriſtum crucifigi: oſtendamuſque, eam non eſſe piam meditationem, ſed ſolidiſſimam ac fundatiſſimam veritatem. Ut gradatim ad illam aſcendamus, ſubſternenda veritas alia, Chriſtum pro expiandis peccatis paſſum eſſe: & huic ſubſtruenda etiam alia inſtar baſis, Deo ſatisfieri vel ob unicum peccatum mortale non potuiſſe, niſi à perſonâ infinitâ, qualis fuit Deus homo.

III. Quis Deo propiciato ſatisfaciat?

Eſto unicum in mundo peccatum, non dico Originale, quale Ādami contagione transfundendum in poſteros, ſed Actuale, quale fuit Caini homicidium ex invidia, Davidis homicidium ex adulterio, Salomonis idololatria. Si iſta nimis gravia videntur: eſto gravis unica contumelia, qualis Judæorum, dicentium Chriſto, *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Eſto unicum peccatum voluntatis, quale cùm voluerunt lapidare Chriſtum. Eſto unicum peccatum intellectûs, ſine tam deſtinata malitia voluntatis: quale cùm Phariſæus quiſpiam de turba, cæteris in ſpeciem modeſtior, illud tamen volvebat in mente, *hic blaſphemat*: quomodò aliàs multi temerè judicavêre. Ob unam illam cædem injuſtam, ob contumeliam unicam, ob odium grave, ob ſolum judicium temerarium, ſi reus ejus criminis à Dei juſtitia veniam impetrare volet, neceſſe omninò eſt, ut perſona infinita Deus homo Deo ſatisfaciat, alioqui ſpes veniæ prorſùs nulla eſt. Hoc D. Leo dicit ſerm. 1. de Nativ. & Baſ. in pſ. 48. imò Theologia univerſa aſſerit: imò ratio ipſa & natura edocet.

IV. Offenſæ gradatio.

Ecquis ignorat offenſam eò eſſe graviorem, quò major eſt offenſi dignitas, abjectior vilitas offendentis? Et contrà eò ſatisfactionem eſſe minorem, quò ſatisfaciens vilior eſt, dignior cui ſatisfit? Inter homines nihil quoad naturam intereſt, nihil quoad ſtructuram corporis, & animi pretium. Tolle omnia involucra fortunæ, quid eſt homo niſi homo? Diſtantia tamen gradûs civilis efficit, ut alter alteri eminere videatur. Supra ſervum eſt in-

eſt ingenuus: Supra hunc nobilis: aſcende hinc ad magiſtratus, ad Principes. Offendat de turba quiſpiam aliquem æqualem ſibi, quomodò Sedecias Pſeudo-propheta Michæam colapho percuſſum, contumelia eſt, non ita difficulter pari pœna, aut veniæ deprecatione, exorabilis. Quid ſi idem improbus ariolus auſus fuiſſet os Abdiæ Regii œconomi pulſare? Jam, credo, plus fuiſſet contumeliâ ſimplice: ut ſceleris appellationem ac pœnam mereretur. Quid verò, ſi quemadmodùm Semei in Davidem, ita ipſe in Joſaphatum, aut Achabum Regem, probris & verberibus incurriſſet? Crimen, opinor, læſæ majeſtatis diceretur, ſatisfactione nullâ, ſupplicio nullo, niſi extremo & ignominioſiſſimo, expiabile. Gradatim ab hominibus ad Angelos aſcendamus. Fac infimi ordinis Angelum carne veſtitum inter homines verſari, ſatiſque pro dignitate ſua cognitum eſſe: contumelia ab aliquo Sedeciæ ſimili inflicta quod nomen ſortietur, ſupra crimen læſæ Majeſtatis? Fac Archangelum aliquem probro pari per hominem percuti. Fac Dominationem: fac Seraphinum: & ne multis cogitationem tuam morer, fac D. Virginem, fac ſacratiſſimam Chriſti humanitatem, omni honore digniſſimam offendi: quod nomen tanto facinori impones? Aſcende à ſacra Chriſti humanitate ad Deum, infinito intervallo diſtantem, & perpende, quid eâ comparatione ſentiendum ſit de offenſa, ipſius bonitati, dominationi, præſentiæ, potentiæ illatâ per abjectiſſimum homulum. Deinde cogita, quæ ſatiſpaſſio, aut quæ ſatisfactio demum æqualis inveniri poſſit.

V. Æquari non poteſt ulla ſatiſpaſſione, aut ſatisfactione.

Demus ob unicum illud cogitationis peccatum, leviſſimum in mortalium genere, infligi peccatori quoſlibet corporis & animi cruciatus. Parum id eſt. Calamitates publicas urbibus, provinciis, regnis ideò Deus immittat. Et hoc parum eſt. Cælo noctem inferat, terræ Oceanum miſceat, in antiquum chaos omnia confundat, ipſas Angelorum mentes potentiâ ſuâ conſervativâ ſubtractâ deſtruat: nondum tamen offenſæ unius mortalis enormitas æquabitur. Offenſa enim menſuram ſuam capit à Dei infinitudine; pœna ſuam à patiente, qui finitus, adeóque nunquam illi, quidquid patiatur, commenſurari poterit: nam *finiti ad infinitum nulla eſt proportio.* De ſatisfactionis omnis inæqualitate eadem, quæ de ſatiſpaſſione, ratio eſt. Non ille ſolùm peccator vitam omnem agat in quantavis acerbitate pœnarum: ſed orbe Chriſtiano univerſo publicis ſupplicationibus, jejuniis, orationibus inſtetur. Addant Beati quidquid fecêre, Virgines puritatem ſuam, Confeſſores humilitatem, Martyres patientiam, zelum Apoſtoli, Patriarchæ ac Prophetæ fidem ſuam ac ſpem in Deum perpetuam. Accedant Angelorum omnium cogitationes, ac deſideria ſancta. Superjiciat ad cumulùm Beatiſſima Virgo quidquid umquam præſtitit ad Dei obſequium, præſtaréve poſſet æternitate tota, ſi ſtatus adhuc eſſet merendi. Omnia iſthæc congeſta, ſecluſo Dei hominis, id eſt perſonæ infinitæ merito, tam longè aberit, ut unici illius peccati mortalis malitiam exæquent, quàm longè abeſt finitum ab infinito, inter quæ nulla poteſt eſſe proportio. Fateri id neceſſe eſt, ſi fidem ſecuti ratione ſimul utimur. *Mendaces quidem filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum* ſic ſe gerunt, quaſi id verum non foret: aliter vitam acturi ſi altè in animum deſcendiſſet, quod non poſſunt non credere.

VI. Chriſtus pro peccatis paſſus.

Nec minùs movebit Chriſtianam mentem veritas altera, quæ ex priore exiſtit: Chriſtum, id eſt perſonam infinitam, pro peccatis mortalibus ſatisfeciſſe, non Incarnatione ſolùm ſuâ, verùm etiam Paſſione. Ad hoc probandum non produxerim verba D. Joannis Baptiſtæ, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum, & peccata, mundi*: non illa Lucæ 24. *Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus remiſſionem peccatorum*: non illa Paulli Hebr. 9. ubi dicit, quemadmodùm ſanctificationem ab immunditia legali conferebat ſanguis hoſtiarum; ita emundationem ab operibus mortis & mortuis conferri per ſanguinem Chriſti, qui victima ſimul fuit & ſacerdos. Sola Iſaiæ verba ponderemus, tot ante Chriſtum ſæculis prolata, cap. 53. *Verè*, inquit, *languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Languores nulli ac dolores peccatis acerbiores ſunt: ne dubites quin eorum cauſâ Chriſtus crucem ſubierit, miram ſuam de illo prænuntiationem propheta inchoat ab aſſeveratione. Quia tamen aliquis forſan languorum & dolorum appellatione morbos corporis à Chriſto perſanatos interpretabitur, ſubjungit Vates: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Ne & hîc aliquis occurrat, & dicat de ſe privatim non agi, de enormibus tantùm peccatóribus, non uſitatis & quotidianis, ſubditur: *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

VII. Infertur inde peccati malitia.

At, inquis, nomine ſuo Propheta loquitur. Audi ergo & Dei nomine dicentem: *Quia abſciſſus eſt de terra viventium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Percuſſiſti, ô Deus, filium tuum? Nonne Pilatus percuſſit injuſtâ ſententiâ? Nonne Pontifices accuſatione falsâ? Nonne ſatellites comprehenſione nocturna? Nonne Judas infami proditione? Sed nec ſatellites, qui ad unam Chriſti vocem abiêre retrorſum: nec Pontifices, qui inconvenientibus teſtimoniis Chriſtum de peccato arguere non potuerunt: nec Pilatus, qui non habuiſſet poteſtatem in Chriſtum ullam, niſi datum eſſet deſuper: illorum nemo quidquam Chriſto nocuiſſet, niſi Deus Pater eorum mala voluntate uti, ac Filium percutere, voluiſſet? Cur autem? Audis reſpondentem: *propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* In urbe primaria tetrarchiæ Ariſtobuli, parte Syriæ, ad ſolenniſſimum diem, cùm ingens undique multitudo conveniſſet, repentè judicii capitalis ferale ſignum auditur: forum nigris pannis, velut ad funeſtam tragœdiam, undique conveſtitur: in medio ſuggeſtus prœaltus extruitur, theatri inſtar: concurſatur undique à militibus, à miniſtris Regiis, à primoribus ipſis ex utroque ordine. Attonitis omnibus tanto apparatu, & tam inexpectati terroris ſucceſſu perculſis: ſub meridiem prodit è palatio reus, vultu confuſo & mutato, ut vix agnoſci poſſet: præterquam quòd ſpiſſiſſima ſpectantium multitudo conſpectum adimebat. Apparuit tamen denique ipſum Regis filium eſſe, eumque unigenitum, morum amabiliſſimorum, innoxium planè, & mente quàm corpore pulchriorem. Qui inde motus animorum extiterint, facilius eſt cogitare, quàm exprimere. Præſertim poſteaquam publicatum eſt, filium optimum à juſtiſſimo patre plecti, ad expiandam offenſam & ſervandam ſalutem populi.

VIII. Filius à Patre percuſſus.

Parabolam hanc exiſtimas? Ipſiſſima Chriſti patientis hiſtoria eſt. Urbs primaria tetrarchiæ Ariſtobuli erat Hieroſolyma: feſtum Paſchæ ſolenniſſimum: ferale theatrum, Calvaria: pulla circùm forum tapetia, caligo ab eclipſi Solis: prodit filius Dei unigenitus inter carnificum manus,

publico

publico & ignominioſiſſimò ſupplicio afficiendus; & altè Dei nomine inſonat præcedens multis ſæculorum paſſibus Iſaias, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum: & Deus poſuit in illo iniquitatem omnium noſtrûm.* Æſtima, quale ſcelus, quantæ fuerint iniquitates, quæ filium Dei addixêre morti tam probroſæ, & tam horrendæ carnificinæ: eaſdemque in animo tuo ad hoc ſpectaculum cogitationes volve, quas habiturus eras, ſi cariſſimum optimi Regis filium, ſimili cauſſa occiſum, ſpectâſſes.

IX. *Peccati Chriſtum crucifigit.* Perge porrò: & confice, quotieſcumque à Chriſtiano graviter Deus offenditur, toties ab illo Chriſtum iterum crucifigi. Neque ad id probandum affero, quod D. Ludgardi lacrymabunda D. Virgo dixiſſe fertur, fleturam ſe, ſi fleri io cælo poſſet, quia quotidie improbi Chriſtiani iterum filio ſuo mortem inferrent: nec quod Chriſtus ipſe D. Brigidæ dixit ſanguinolentus, ſic ſe à Chriſtianis iterum malè habitum quomodò aliàs à Judæis: nec quod Cantipr. refert lib. 2. cap. 49. num. 10. de juvenibus, Lovanii noctem ioter aleas & juramenta agentibus, & homine foris jacente vulneribusque conſciſſo. Nota iſta ſunt, nec rejicienda; non tamen certum ad ejuſmodi veritatem probandam argumentum faciunt. Nec multum urgebo magni Pontificis verba apud Spond. an. 1269. Is erat Clemens IV. qui Jacobo Aragoniæ Regi, adultero poſt multas monitiones obſtinato, Hieroſolymitanam quam voverat peregrinationem cogitanti, idque per literas ſignificanti, reſcripſit: *Crucifixum non recipere ejus obſequium, qui inceſtuoſo connubio ſe commaculans, ipſum iterum in ſe crucifigeret.* Et verò ſervus ille libidinis tempeſtate jactatus, redire in Hiſpaniam compulſus eſt, peregrinatione infecta, Chriſto crucifixoris ſui probroſa officia dedignante.

X. *Probatur efficaciter.* Longè alterius auctoritatis ſunt D. Paulli verba Hebr. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Item Hebr. 10. *Qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit.* Certam tibi rem faciunt, Apoſtolo interprete profecta de cæli adytis oracula: manifeſtam ratiocinatio fecerit. Chriſtum occidit, quantum in ſe eſt, quiſquis cauſſam ponit, quæ morti ſufficiat Chriſto inferendæ. Atqui eam ponit Chriſtianus quilibet, cùm ſe graviore culpa obſtringit. Committit enim, cujus cauſsâ Chriſtus mortuus, & quod ab alio, quàm à Chriſto, expiari non potuit. Babylonii Hebræos tres ad fornacem damnandos curavêre, Danielem ad leones: illine ideò mortis rei non fuêre, quia hi miraculo mortem evaſerunt? Qui Regi venenum præbeat, aut pugionem impingat, & antidoto vel loricâ impediatur, ne efficiat quod voluit, regicida tamen eſt. Habet jam Chriſtus antidotum immortalitatis, veſtitus eſt loricâ impaſſibilitatis, peccata mortem ipſi ampliùs inferre non poſſunt: non ideò tamen de ſe peccator non eſt Chriſticida.

XI. *Qualis peccator Chriſtianus?* Colligit ex ſimili ratiocinatione Bellarminus, Chriſtianum peccantem pejorem eſſe Pilato qui Chriſtum damnavit, Judæis qui ſententiam extorſêre, carnificibus qui crucifixêre: quia illi, ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: hominem tantùm videbant; Deum etſi credere tenebantur, non tamen credebant. At Chriſtianus eum impetit, & crucifigit, quantum in ſe eſt, quem credit filium hominis & filium Dei. Idem ſenſit ante Bellarminum Bern. ſer. 2. Paſ. *In hoc fortè nimis reprehenſibiles Iudæi, quàm novi crucifixores, qui manibus, & verbis illi mortem accerſunt, immortalem mortificant incrucifigibilem crucifigunt.* Ante Bernardum Aug. in pſ. 21. præf. in Enarr. 2. *Iam non eſt iraſcendum Iudæis, qui morientem deriſerunt, non regnantem. Et quis, qui adhuc Chriſtum irrideat? Vtinam unus eſſet: utinam duo: utinam numerari poſſent! Tota palea areæ ipſius irridet eum, & gemit triticum irrideri Dominum.* Ante Auguſtinum Tert. lib. de Spect. *Alleguntur in ordinem Eccleſiaſticum artifices idolorum. Proh ſcelus! Semel Iudæi Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus ejus laceſſunt.* De uno peccatorum genere loquitur Tertullianus, imò de omni, cùm omnium par ſit ratio. Sunt qui, ex eo capite, Chriſtianos peccatores non Judæis ſolùm pejores affirment, ſed etiam dæmonibus; ſi beneficia divinitùs collata comparentur, Verbi incarnati opera, & gratiarum dona.

Sed quia illatio illa nimis forſan quibuſdam videri poſſit horribilis, & facere deteſtabilem peccatorem: diſcamus potiùs deteſtari peccatum, atque ideò redeamus ad caput, & ex magnitudine remedii æſtimemus morbi gravitatem. Attendamus, qualia oportet fuiſſe vulnera, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum vulnerari. Ægrotabas, deſperatus eras, natura nil poterat, ratio nil videbat, experientia nil reperiebat: medicus arceſſendus fuit è cælo, venæ ipſi aperiendæ, ut ex ejus ſanguine tibi conficeretur medicamentum. Optimus Samaritanus pro vino & oleo tibi vitam ipſe ſuam infudit, & hoc ſolum pro mercede poſtulavit, *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare.* Tu ingratus, non modò medico non obtemperas; ſed etiam, tamquam multa febre phreneticus, in illum involas? Abſit, bone JESU. Aperi oculos meos ſanguine tuo, ut videam peccati gravitatem, deteſter, dicam, *Quis arguet me de peccato?* XII. *Quàm deteſtabile peccatum?*

SECTIO QUARTA.

Tres peccantium gradus.

PECCATUM mortale admiſiſſe, prorſus horrendum eſt: peccando conſueſcere, longè horribilius: indureſcere in peccato res omnium horribiliſſima eſt, verè fundus putei abyſſi. Tres iſtos peccatorum gradus, tribus in Quadrageſima Evangeliis continuis adumbratos invenio: primum in filio viduæ Naimiticæ, qui *defunctus efferebatur*, Luc. 7. alterum Joan. 11. in Lazaro, qui *quatriduanus eſt, fætet*: tertium in Judæis Joan. 8. qui ad verba & miracula Chriſti obduratis, *tulerunt lapides ut jacerent in eum; IESVS autem abſcondit ſe.* Haud ſcio an qui Evangelia jam olim ordinavêre, in mente hunc ordinem non habuerint: mihi certè viſus eſt valdè conveniens, diſponendo ad ſeriam pœnitentiam populo Chriſtiano, qui primus ferè inſtituendæ Quadrageſimæ finis fuit. Subdemus ex proximè ſubſequentis ſeptimanæ Evangeliis varia peccatorum genera; peccata cogitationis ad illud Joan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Peccata linguæ, ad illud Joan. 7. *Murmur multum erat de eo in turba.* Peccata operis, ad illud Joan. 10. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod opus eorum me lapidatis?* Peccata occulta, ad illud Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Peccata aliena, ad illud Joan. 11. *Collegerunt Principes & Phariſæi Concilium adverſus* I. *Quo fine illa hic tractentur.*

IESVM. Sequentur triduo ſeptimanæ ſanctæ tres Pœnitentiæ partes. Contritio, ad illud Joan. 12. *Maria accepit libram nardi piſtici pretioſi.* Confeſſio, ad illud Mar. 14. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti.* Satisfactio, ad illud Luc. 22. *Occurret vobis homo amphoram aquæ portans, ſequimini eum.* Iſthæc omnia ſub unum adſpectum pono; ut videas cur tam longè excurram, & ad materias tam pervulgatas, non pervulgato tamen modo tractandas, aut potiùs delineandas. O ſi talibus potiùs quidam hodiernorum Eccleſiaſtarum immorarentur, quàm vanis fictiunculis, & pruritibus aurium!

II. Peccator adoleſcens. Filium viduæ Naïm Ambroſius, & Bonaventura, figuram faciunt Generis humani univerſi, per peccatum originale demortui, & ſuſcitati Chriſto lignum Crucis tangente. Familiarius eſt, quòd Venerabilis Beda figuram facit hominis cujuſvis, per peccatum mortui. Eam nos ſimilitudinem ad tria capita contrahemus, quòd peccator ſit adoleſcens, & mortuus, & lugeatur. Adoleſcens Græcè eſt, νεάνισκ☉, adoleſcentulus. Peccator adoleſcentulus eſt, quia eo ipſo quòd peccat, eligit pejora, non cogitat futura, non audit conſilia, reſpuit monita: quæ vitia ſunt ejus ætatis apud Horatium, *Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper, Vtilium tardus proviſor, prodigus æris.* Peccator adoleſcentulus eſt, quia etſi centenarius foret, omnes tamen ipſius anni, quamdiu in peccato eſt, periêre: illi etiam, quos in virtute egerat; quandoquidem, ut Propheta dicit, *Omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.* Multò autem magis periêre, quos egit in peccato. Reviviſcere enim non poſſunt opera bona per peccatorem facta; quia numquam vitam habuêre; nec reviviſcit, niſi quod aliquando vixit. Meritò itaque Bern. ſermone 20. in Cant. loquens inſtar peccatoris: *De mea miſera vita*, inquit, *ſuſcipe*, ô Deus, *obſecro reſiduum annorum meorum: pro his verò quos vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*, &c. Quid mirum à tanto Doctore pro perditis habitos annos in peccato: cùm Eſſeni omnes apud Philonem lib. de Vita Contempl. habere ſolerent pro pueris, quamlibet grandævos, qui ſub finem vitæ ad virtutis ſtudium apud ipſos profitendum accederent. Sicut Barlaam ſeptuagenarius apud Damaſc. dicebat tamen, natum ſe ſolummodò annis quadraginta quinque, quos in vanitate non conſumpſerat. Sic in Scriptura Cain *adoleſcentulus* vocatur, interprete Hier. Gen. 4. Saul dicitur tantùm annis duobus regnâſſe 1. Reg. 13. Salomon etiam 3. Reg. 11. dicitur annis quadraginta regnâſſe: quia ſcilicet, ut varii Patres explicant, cæteri eorum anni, quos in peccato egêre, non numerantur. Ethnici ipſi intellexêre, vitam extra virtutem actam in numerum venire non debere. Inde celebre epitaphium cujuſdam, cui nomen *Simili*, Adriani Imperatoris ævo: *Similis hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit: ſeptem tamen dumtaxat annis vixit.*

III. Et mortuus. Hac ſententiâ peccator, ſit licèt annorum totidem quot Saul Salomónve vixêre, ſit quingentorum, quot aliqui Caino tribuunt; *adoleſcentulus* tamen eſt: & quamvis *pueritia* abierit, *puerilitas remanet*, ut loquitur Sen. ep. 4. Neque adoleſcentulus modò eſt, ſed & defunctus effertur. Vis à Paganis etiam diſcere mortem peccatoris? Arabum verbum eſt: *Improbus mortuus eſt, etiamſi ſit in manſionibus vivorum. Probus vivit, etiamſi ſit in manſionibus mortuorum.* Vis à Judæo audire? Philo lib. de Profugis fusè docet vivere probos omnes, mortuos eſſe qui virtuti non vivunt, & & ad id aptat hanc Moſi ſententiam, *Qui adhæretis Domino, vivitis omnes hodie*; quaſi non adhærere Domino, ſit eſſe mortuum. Meliùs eſt à patre Evangelico diſcere, qui de filio adoleſcentiore & prodigo dicit, *Mortuus erat, & revixit.* Abſente anima, corpus cadaver eſt, viſu fœdum, tactu gelidum, odore tætrum. Anima, abſente gratia, cadaver animæ eſt luridum, exſangue, fœtidum: ideoque datum gravi peccato mortalis nomen, ſeu letalis, quia mortem animæ affert.

Quamquam valdè piè Haynevius noſter advertit, mortale meritò vocari, quia decemplex ab illo mors proficiſcitur. Prima Dei; quia quantum in ſe eſt divinam eſſentiam deſtruit, ut diximus hîc ſect. 1. Secunda primæ Perſonæ, cui attributum ſuum tollit, Potentiam ſcilicet, malè ea utendo: item deſtruit quantum in ſe eſt Filiationem, ergo & Paternitatem. Tertia ſecundæ Perſonæ, quia Chriſtum rurſus crucifigit. Quarta Spiritus Sancti, quia extinguit caritatem. Aug. ep. 22. *Dicit Apoſtolus Spiritum nolite extinguere: non quia ille extingui poteſt: ſed, quantum in ipſis eſt, extinctores ejus meritò dicuntur, qui ſic agunt, ut extinctum velint.* Quinta, Animæ. Aug. 15. de Civ. cap. 2. *Mors animæ fit, cùm eam deſerit Deus, ſicut mors corporis, cùm illud deſerit anima.* Tertull. lib. de Spect. *Idololatres* (eadem peccatorum aliorum ratio eſt) *idem homicida eſt. Quæris, quem occiderit? .... Non extraneum neque inimicum, ſed ſeipſum. Quibus inſidiis? Erroris ſui. Quo telo? Offensâ Dei. Quot plagis? Quotquot idololatriis.* Sapiens cap. 6. *Homo per malitiam occidit animam ſuam.* Sexta, Vitæ æternæ. Facit hominem reum pœnæ æternæ, quæ *mors ſecunda* vocatur in Apoc. Septima, operum omnium meritoriorum antè factorum. Octava, operum omnium præſentium. Nona, honoris. Mortem civilem eam vocamus. Capite minuti olim dicebantur exules. Peccator apud Sanctos honorem amiſit, eſt ab eis ſeparatus, exul à ſancta civitate. Decima, corporis: quia per peccatum mors intravit in orbem terrarum. Et ideò forſan Job. 18. vocatur *primogenita mors*, quia eſt prima peccati filia. IV. Decemplex peccati mors.

Sancti tot mortium mala credunt, & lugent ex monito Siracidæ, cap. 22. *Supra mortuum plora, defecit enim lux. Supra fatuum plora, defecit enim ſenſus... Luctus mortui ſeptem dies: fatui autem, & impii, omnes dies vitæ eorum.* Non vides Chriſtum flentem ſuper civitatem? Non vides flentem in horto? Quid autem niſi peccata? Angeli ipſi flerent ſi beatitudo pateretur: ideò ſtylita quidam ſolitus videre peccatores ad ſe venientes dæmonibus cinctos; Angelo ponè ſequente, & lacrymabundo. Vide Raderum par. 2. Virid. cap. 5. *Deus ipſe*, ut inquit D. Catharina Gen. cap. 39. Vitæ, *ſi fieri poſſet magis doleret, quàm ullus umquam hominum propter ſeparationem ejus à ſe: nam qui plus amat, plus dolet.* Conemur intellectum habere & ſenſum Sanctorum, ut & nos de miſera peccatorum conditione doleamus, & Chriſtum oremus, ut miſericordiâ motus reddat adoleſcentem matri ſuæ. Dicebat Aug. ſerm. 18. de verbis Apoſtoli: *Súntne in te, ô Chriſtiane, viſcera miſericordiæ; qui plangis corpus, à quo receſſit anima, & non plangis animam, à qua receſſit Deus?* Plangamus verò mortuos noſtros, multò magis nos ipſos ſi mortui ſumus: & inclamemus Salvatorem & vivificatorem, *donec abſorbeatur, quod mortale eſt, à vita gratiæ.* V. Lugenda.

Quod

VI. *Lazarus figura peccatoris, aſſueti peccare.*

Quod de Naimitico adoleſcente, idem de Lazaro multi dixêre, figuratam in illo mundi mortem, & ſuſcitationem per Chriſtum. Imò eruditus admodùm vir D. Vendelinus mihi aliquando dixit, & fermè perſuaſit, quatuor exactè annorum millia fluxiſſe à mundo condito ad Lazari ſuſcitationem, eóque referri quatuor dies mortis Lazari: diem unum ſcilicet pro annis mille reponendo, quia *mille anni ante oculos* Dei, *tamquam dies heſterna quæ præteriit*. Familiarius eſt, quod dicunt Theoph. Antioch. lib. 2. All. Euſebius Gall. ſerm. de Lazaro. Gregorius hom. 26. in Evang. Auguſtinus, variis locis: Lazarum figuram eſſe peccatoris, longâ peccandi conſuetudine illigati. Verba aliorum Patrum, ſi placet, apud ipſos reperies: affero hîc pauca ſolius Aug. Tract. 49. in Joan. *Genus mortis immane mala conſuetudo appellatur.* Lib. 1. de ſerm. Dom. in mon. cap. 23. *In ſepulcro jam putens, quia vi conſuetudinis obruitur:* quæ verba habet poſtquam dixit, tres eſſe in Evangelio mortuos, ita peccatores tres: primum, qui cogitatione peccavit, domi jacere mortuum, ſicut filiam Jairi: alterum, qui opere patravit, efferri ſicut Naimiticum adoleſcentem: tertium, qui conſuêvit, in ſepulcro jacere ut Lazarum. Eamdem explicationem habet ſerm. 43. de ver. Dom. & ſerm. 44. qui totus eſt de tribus mortuis ſuſcitatis: ubi ſub initium dicit, qui miracula tantùm Chriſti mirantur, non explicant, ſimiles eſſe iis, qui manum antiquarii in literis laudant, legere tamen & intelligere nequeunt.

VII. *Quatriduanus eſt, fœtet.*

Sequamur tantorum virorum veſtigia & primùm videamus in Lazaro ſepulto ſtatum peccatoris: deinde in ſuſcitato ſtatum pœnitentis. Non ſolùm itaque mortuus eſt, qui peccandi habitum contraxit, nec decemplici tantùm morti obſtrictus, ſed etiam quatuor jam dierum mortuus inveteratus. Eos quatuor dies numerat D. Aug. ſerm. 44. de ver. Dom. nec meliùs illo poſſumus; primum, delectationem; ſecundum, conſenſum; tertium, opus; quartum, conſuetudinem. Exempla obvia ſunt in conſuetudine detractionis, vindictæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum. Fœtidum dicebamus eſſe animæ mortuæ cadaver. Ita eſt omninò apud Deum, qui idcirco volebat ſacrificium pro peccato offerri ſine thure & oleo; hircum præterea, olens animal, pro peccato ſiſti ſibi volucrat. Ita eſt apud Angelos, vel illo teſte, qui cum Anachoreta ambulans, ut Gabriel cum Tobia, obturabat nares tranſeunte juvene calamiſtrato, ſed luxurioſo. Ita eſt apud Sanctos: olim D. Antonium, Hilarionem, Pachomium, nuper D. Philippum Nerium, alioſque, qui odore diſcernebant peccatores, imò ipſa interdum genera peccatorum. Ita eſt apud ſapientes quoſvis, ut Auguſtinus ait ſerm. 28. de ver. Apoſt. *Quod ſcatet luxuriis, quod bullit luxuriis, vermes ſunt animæ mortuæ. Denique omnis homo prudens, qui tales luxuriantes, perjuros attendit, ſano cordis olfactu, avertit ſe, non vult intueri... Unde iſta ſanitas ſe avertit, niſi quia putet anima mortua?* Paullino importabilis fuit iſte fœtor, cùm ſcribebat ad Sev. ep. 7. *Sit nobis odor eorum tamquam odor mortis, ne deſinamus eſſe odor Chriſti.* Si autem peccator omnis fœtet, quantò amplius qui in peccato per conſuetudinem computruit, velut in fæcibus ſuis? Adeò putidus eſt, ut vix ipſe ferre poſſit ſeſe, & pigmenta pulvereſque conquirat, quibus odorem tætrum ex ſe exhalantem aliquantum leniat. Num quis ſuperbus, avarus, luxurioſus, detractor, vindictæ avidus audire vult? Quin potius magnanimitatis, frugalitatis, civilitatis, libertatis nomine vitia obtēdit?

Corpus computreſcens terrâ obruitur, aut ſepulcro clauditur, ne aerem inficiat. Clauſa eſt etiam ſuo ſepulcro anima peccare aſſueta. *Quis eſt*, inquit Ambr. lib. 5. in Luc. cap. 7. *tumulus tuus, niſi mali mores?* Inferni nomine in Scriptura aliquando ſepulcrum intelligitur: ſepulcrum conſuetudinis inſtar eſt inferni, *ubi nullus ordo*, nec fit quod ratio vult, ſed quod ſolet. Pſalmiſta ſepulchrum vocat *Perditionem*: conſuetudo perditio eſt & jactura bonorum omnium; vel antè omnia periêre, vel per illam pereunt, ſolâ reliquâ ſpei ſcintillulâ, & fidei lucerculâ, quemadmodum olim ſolitæ lampades poni in ſepulcris. Adſtricta ſunt & obvoluta membra ſepulti, & lapis ingens ad oſtium monumenti, ut ſignificetur vis & pondus conſuetudinis, cujus *graviſſimum eſt imperium:* quando, ut Salv. loquitur lib. 7. de Prov. *aliam quodammodo naturam vitia fecerunt.* Greg. 26. Mor. cap. 24. ad illud Eliu, *Salvabit te de ore anguſto latiſſimè. Omnis*, inquit, *qui viam vitæ deſerens in peccatorum ſe tenebras dejicit, quaſi in puteum vel foveam mergit. Si verò diutina perpetratione & conſuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad ſuperiora jam poſſit exſurgere, quaſi anguſti putei ore coarctatur.* Et Bern. lib. 1. de Conſ. affert ad idem exprimendum verba Jobi: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, præ anguſtia cibi mei ſunt. Primùm importabile videtur aliquid: proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeò grave: paullò poſt & leve ſenties; paullò poſt nec ſenties; paullò poſt etiam delectabit. Ita paullatim in cordis duritiam itur, & ex illa in averſionem.* Inde quò? Ad exitium, ut funeſtæ plurimæ & obviæ paſſim hiſtoriæ oſtendunt.

VIII. *Jacet in ſepulcro clauſus.*

IX. *Suſcitatur.*

Ecce locus, ubi poſuerunt eum actus frequentati, & habitus roborati. Sed an deſperatus eſt exitus? Non reſurget frater noſter ante reſurrectionem in noviſſimo die? Oremus, mittamus pro illo nuntios noſtros, preces & ſingultus ad Salvatorem, dicamuſque: *Ecce quem amas infirmatur*, mortuus eſt, *quatriduanus eſt*, *fœtet* in ſepulcro. Amas illum, ô Domine, quandoquidem turbâris temetipſum in horto pro illo, & lacrymatus ſis, & clamans voce magna exſpirâris in Cruce. *Ad Chriſti clamorem*, inquit Aug. ſerm. 43. de ver. Dom. *etiam tales, licet mortui, licet ſepulti, licèt putentes, reſurgent tamen & ipſi, reſurgent. De nullo enim jacente deſperandum eſt ſub tali ſuſcitatore.* Clamat Chriſtus voce timoris de extremo judicio: reſurgit Pelagia. Clamat voce ſpei & voce Caritatis: reſurgit Auguſtinus ipſe, & de ſe poteſt pronuntiare, quod hom. 27. *Ceſſit voci miſericordiæ moles ſepulturæ: ceſſit mors vitæ: ceſſit infernus ſuperno.* Quid autem faciemus inſtitis & funibus antiquæ conſuetudinis, quibus colligatus eſt? *Solvite eum, & ſinite abire.* Animos etiam hic erigit Aug. Tract. 49. in Joannem. *Novimus, videmus quotidie homines, peſſimâ conſuetudine permutatâ vivere meliùs. Ecce ipſa ſoror Lazari, ſi tamen ipſa eſt quæ unxit pedes Domini, & terſit capillis ſuis, quos laverat lacrymis, meliùs ſuſcitata eſt quàm frater ejus Lazarus, de magna malæ conſuetudinis mole liberata eſt. Vidimus multos, novimus multos, nemo deſperet.* Et in pſ. 88. *Laudas* Deum *quia reſurrexerunt mortui: plus lauda, quia redempti ſunt. Vides hominem heri voraginem ebrietatis, hodie ornamentum ſobrietatis. Vides heri cœnum luxuriæ* &c.

X. *Obduratio quid?*

Dicebat Sen. ep. 39. *Deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores ſunt. Funiculus* ſimplex facilè rumpitur. non *triplex*: quid ſi ita contorqueantur multi, ut fiat *quaſi vinculum plauſtri peccatum?*

catum? Nihilominus qui Samſoni vires dedit ad abrumpendos ſeptem nerviceos funes, facilè etiam dabit ad abrumpendam inveteratam conſuetudinem. Vidimus in Lazaro. Sed ecce longè pejorem & deſperatiorem peccatoris ſtatum viſuri ſumus, cauſſamque ejus, & effectum. Statum deſcribit Aug. in pſ. 39. *Qui jam de profundo clamant non penitùs ſunt in profundo, clamor ipſe jam levat. Sunt alii profundiùs in profundo, qui non ſentiunt ſe eſſe in profundo. Tales ſunt ſuperbi contemptores, non pii deprecatores, non lacrymoſi clamatores, ſed tales, quales alio loco Scriptura deſignat: Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Vide eumdem in pſ. 129. Eoſdem obduratos deſcribit Paullus, 1. Tim. 4. *Cauteriatam habentes conſcientiam*, id eſt, duram & ioſenſibilem, ſicut calloſa labra veteris esuterii. Clarè Bernardus lib. de Conſcien. dicit eſſe qoatuor conſcientiarum genera, bonam & tranquillam, booam & turbatam, malam & tranquillam, malam & turbatam. Quæ omnium optima? Quæ peſſima? Quis peſſimus ſtatus in ægritudine? Indolentia. Gangrænæ ſignum aut periculum, ubi membrum non ſentit. Quando lethargicus nec ſtrepitu, nec ferro, nec flamma excitatur, actum eſt. Tale eſt *cor durum*, quod deſcribit Bern. lib. 1. de Conſ. & hia verbis claudit: *cor durum eſt quod nec Deum timet, nec homines reveretur.* Vide eumdem de gradibus humilitatis: ubi ait gradum ultimum ſuperbiæ, & peccati, eſſe conſcienoiam obduratam.

XI. Ejus cauſſa. At unde homo illuc devenit? Quæ cauſſa? An ex Deo? An ex homine? Definitum habemus Trid. ſeſ. 6. can. 6. poſt Arauſ. Item Oſ. 13. *Perditio tua Iſraël.* Sap. 1. *Deus mortem non fecit.* Eccl. 15. *Non dicas, ille me implanavit.* Auguſtino impoſuerant aliqui contrarium. Reſpondet pro ipſo Proſper, ad articulos falsò impoſitos, ad 3. ad 8. ad 14. item in reſponſ. ad 3. objectionem in capitulis Gallorum. Iſta ſolùm iodico, quia facilia ſunt ioventu. Reſpondet pro ſeipſo Auguſtinus lib. 2. cap. 25. de pecc. mer. & remiſſ. *Sicut corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clauſus averſúſque diſcedat, ut autem videatur, adjuvatur ab ea; neque hoc omninò, niſi illa adjuverit, poteſt. Ita Deus, qui lux eſt interioris hominis* &c. Quam lucis & ſolis ſimilitudinem B. Saleſius Epiſc. Genevenſis extendit parabolâ virorum, in itinere dormientium: quorum pars radiis Solis in oculos incideotibus excitata perrexit, alis ſeſe à radiis Solis avertit & in itinere manſit. Quid autem dicemus ad loca Script. Ex. 4. 1. Reg. 2. Iſ. 63. Rom. 1. ubi Deus indurare dicitur, facere errare, tradere in reprobum ſenſum? Ao ergo ipſe cauſſa eſt indurationis? Reſpoodet D. Thomas 1. 2. q. 75. art. 4. ubi quærit, an peccatum ſit cauſſa peccati: dicitque omninò cauſſam eſſe, aliquando finalem, aliqoando formalem, aliàs materialem, ſæpiſſimè efficientem tum per ſe, tum per accidens: per ſe, quia habitum efficit; per accidens, quia removet gratiam Dei, & ſic, inquit, Deus indurare dicitur. Theologi dicunt Deum indurare dupliciter, Poſitivè, & Negaòvè. Poſitivè, dando gratias, qoibus peccator oon utitur, imò abutitur & fit eò inſolentior, ſicut Agar ancilla Saræ, aut famulus malè feriatus ioſoleſcit beneficiis heri, qui ideò ipſi dicit: *Ego te talem feci, mea indulgentia te corrupit.* Ita Deus loquitur de peccatore, inquit Orig. lib. 1. coo. Cel. cap. 1. & Aug. ſerm. 88. Poſitivè item indurare dicitur Deus, irrogando ſupplicia, adversùs quæ ſe peccator obſtinat mala voluntate. Jer. 5. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt; & renuerunt,* &c. Prov. 23. *Verberaverunt me, & non dolui,* &c. Caſtigat Deus Pharaonem, & Nabuchodonoſorem: hic reſipiſcit, ille indureſcit; unde niſi à malâ voluntate? Negativè Deus indurat, ſubtrahendo gratias, deſeri merentibus: Jer. 30. *Propter multitudinem iniquitatum dura facta ſunt peccata tua.*

XII. Remedium. Quare ô Pharao, quare Ophni, quare Philoſophi periiſtis? Quia Deus gratiam ſubtraxit, qua uti nolebatis. Quare tot Judæi obſtinati? Quia *tulerunt lapides, & IESVS ſe abſcondit ab eis.* Unde mortes horribiles inter Catholicos, quales narrantur à B. Petro Damiano, Petro Cluniacenſi, &c. *IESVS ſe abſcondit ab eis*, quia merebantur deſeri. Itaque primùm caveamus nobis ab illo miſerrimo ſtatu obdurationis, ut Paullus monebat Heb. 13. *Adhortamini voſmetipſos.... ut non obduretur quis ex vobis.* Secundò miſeris illis compatiamur, eóque magis quo minùs ſenoiunt, ſicut Bern. Fulconi ſcribebat ep. 2. *Inde magis doleo, quòd cùm ſis dolendus, non doles,* &c. Tertiò conemur juvare, etiam invitos, quomodò lethargicum, quamvis oolentem, excitamus, ut Aug. monebat ſerm. 59. de ver. Dom. & hom. 11. Denique ſi juvare obſequiis non poſſumus, ſaltem oremos, ut monet Aug. pſ. 39. *Si eſt in vobis miſericordia, orate pro talibus.* Nam *potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.*

SECTIO QUINTA.

Peccatorum genera quinque.

I. Eſt cogitationis peccatum. IN ea oratione quam ad generalem peccatorum confeſſionem Eccleſis recitari voluit à ſacerdote & à miniſtro ante Sacri introitum: quamque adoleſceos, Abbati Villarienſi celebranti miniſtrans, cùm recitâſſet, & abſolutionem, quæ poſtmodùm recitatur, piè excepiſſet, auditæ feruntur cæliiùs hæ voces, *Dimittuntur tibi peccata tua*, ut narrat Cæſarius l. 8. c. 23. In ea ergo oratione tria peccatorum geocra numerantur. Primum eſt cogitationis, de quo tria populus Chriſtianus fructuosè docebitur: eſſe peccatum; quomodò internoſci poſſit; quod remedium. Eſſe peccatum mentis ſcire debet quiſquis amens non eſt: imò & omne peccatum ex illa proficiſci. Cùm enim nullum ſit, ubi libertas noo eſt; nec ſit libertas niſi in mente: conſequens eſt mente peccari. Adde *ſtudiorum ſalutarium etiam citra effectum laudandam eſſe tractationem*, ut Sen. aiebat lib. de Vita Beata. Et *mentem boni ſtudii ac pii voti... habere præmium voluntatis*, ex Salv. præf. in lib. de Prov. Ita & ratio dictat, mentem mali ſtudii damnandam eſſe. Vidêre hoc Ethnici. Democrates philoſophus: *ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλὰ τὸ μὴ ἐθέλειν: bonum eſt, non tantùm malè non agere, ſed nec malè velle.* Imò & Mimus, *Exeritur opere nequitia, non incipit.* Unde mirari ſatis non poſſum, Phariſæorum quorumdam ſtultitiam ſimul & oequitiam, docentium, interna alienarum rerum deſideria crimini non vertenda. Quo in errore eſt Joſephus, l. 12. Antiq. cap. 13. Noo ergo legerant *malum cogitationum, cogitationes noxias, perverſas cogitationes*, Iſaiæ 1. Jerem. 4. Sap. 1.? Noo intellexerant iſtud Prov. 11. *Manus contra manum non erit innocens malus?* Sed ſinamus cæcos illos duces cæcorum, mundantes quod eſt deforis catini: contra quos Chriſtus ipſe diſputavit Matth. 15. dicens, *De corde exeunt cogitationes*

Digitized by Google

tiones malæ... hæc coinquinant hominem. Sciunt Catholici eſſe peccatū tale, & unicum ejuſmodi æternæ damnationi ſufficere: neque opus eſt, ut ad hoc craſſis duriſque hominibus inculcandum, narret Raulinus in Itinerario Parad. ſerm. 11. de matrona cæteroqui virtutum amante, ob non expiatum unicum mentis crimen damnata, uti ipſa poſt mortem oranti Epiſcopo faſſa eſt, cùm ipſi in ignibus apparuiſſet. Tot ejus articuli probationes habemus, quot ſunt in inferno dæmones: qui cùm mentes tantùm ſint; mente tantùm peccavêre, ſeu ſuperbiâ, ſive invidiâ, ſeu ſpirituali luxuria, ſeu quovis alio nomine explicetur.

II. Qui internoſcendū? Si tantum eſt in cogitationibus periculum, quis ergo ſalvabitur? Agit enim ſemper intellectus noſter, prout imagines ingeruntur: & voluntas objectis ab intellectu, continenter ſolicitatur. Quis inter tot incurſus inviolatum ſe conſervet, etſi omni cuſtodia cuſtodiat cor ſuum? Ne trepida, Chriſtiane: tres ſunt cogitationis gradus, quos rectè nôſſe initium victoriæ eſt. Primus, eſt cogitationis ſimplicis: alter, deliberatæ cum plena advertentia: tertius, conjunctæ cum voluntate efficaci, effectum licèt impediat timor dedecoris, defectus occaſionis, aliquidve hujuſmodi. Primum gradum conſtat peccatum non eſſe, imò ſi reſiſtatur, materiam eſſe virtutis: qua de re celebria ſunt multa Divi Bernardi verba, & aliorum Patrum. Benè Auguſt. l. 2. de Gen. contra Man. cap. 14. notat tentationes nobis accidere, ſicut Adæ in Paradiſo: ſerpentem ſuggerere, id eſt quodlibet objectum malum incurrere: Evam moveri, id eſt cupiditatem: Virum, id eſt rationem, ſi non reſiſtat, expelli de Paradiſo, & vitâ beatâ privari. Reſiſtat ergo Adam, ſeu Voluntas rectrix, Evæ & ſerpenti; numquam proſcribetur. Secundus gradus à Theologis dicitur cogitatio moroſa, à mora voluntaria & deliberata: quam conſtat mortale peccatum eſſe, ſi moræ reſpondet materia. Ita cenſuit Aug. lib. 12. de Trin. cap. 12. *Damnabitur homo, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis conſentiur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* Tertius gradus multò magis peccatum eſt, & planè lugenda craſſorum quorumdam Catholicorum imperitia, qui vix confitenda eſſe autumant, quæ patrata non ſunt. *Sed*, inquit Tertullianus lib. de Pœnit. *turpiſſimum eſt dicere; volui, ſed non feci: atqui perficere debes, quia vis; aut nec velle, quia nec perficis.* Exemplum gradationis iſtius in cogitando, ſolet proponi ex materia caſtitatis. Ego putârim æquè commodè, & magis apertè, explicari poſſe in vindicta aut invidia, qualis fuit Phariſæorum adversùs Chriſtum.

III. Remedia. Dum id exemplum expendis, obiter aſſigno malarum cogitationum remedia. Primum eſt à Dei omnia ſcientis præſentia: de qua hæc tantùm tibi propono, ex Eucherio ad Valerianum, *Quod ſcire homines non vis, ne egeris; quod Deum, ne cogitaveris.* Ex Iſidoro de Contemptu mundi: *Ibi pecca, ubi Deum neſcis eſſe.* Ex Sen. epiſt. 83. *Quid prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Deo nihil clauſum eſt. Intereſt animis noſtris, & mediis cogitationibus intervenit.* Ex Democrate, & ex Rabbinis ſententias vide Excurſ. 3. ad cap. 1. ſect. 2. num. 10. En tibi Catholicorum, Paganorum, Judæorum conſilium. Alterum erit: ut naſcentibus cogitationibus ſtatim occurras, petaſque quod Joſue ab Angelo, cap. 5. *Noſter es, an adverſariorum?* Ad caritatem tendis, an ad amorem laſcivum? Ad vindictam, an ad juſtitiam? Narratur 2. Machab. 14 facinus Raziæ inteſtina ſua projicientis. Suadet nobis Philoſophus Romanus, ut projiciamus quæ cor noſtrum laniant, *quæ ſi aliter nequirent, cor ipſum revellendum erat.* Nos verò non expectemus ut cor noſtrum lanietur, & revellendum ſit; ſed ingreſſum laniena claudamus. Alioqui, *viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus; conſenſum conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio*: ut ait gloſſa in cap. 31. Job. Tertium remedium Chriſtus proponit *in die magno feſtivitatis*: cùm dicit, fore ut credenti in ſe *flumina de ventre ejus*, id eſt de corde, fluant *aquæ vivæ.* Idem fons non manat aquâ dulci & amarâ: eadem mens malis ſimul & bonis cogitationibus non ſcatet. Molæ alii comparant intellectum, quidquid injicitur molenti, igniémque excitanti, ſi nihil offertur. D. Anſelmus dicebat, eumdem hominem ſcribere ſimul & ſeminare non poſſe: nec bonis ſimul & malis animum intendere. Oremus denique Deum ſeminatorem caſti conſilii, & cui omne cor patet, ut ſpiritum rectum innovet in viſceribus noſtris, & purificet cogitationes cordis noſtri.

IV. Damnantur ad omnibus linguæ vitia. Si pervigilem Cherubinum cum flammeo gladio poſueris ante paradiſum cordis tui, ut illud omni cuſtodiâ ſerves, facile tibi etiam fuerit linguam ſervare: ex abundantia enim cordis os loquitur, & peccata facillimè ex mente in linguam proſiliunt. De his opus non eſt, ut quæramus, quod de cogitationibus: an peccata ſint? Undique enim nobis acclamatur cum Jacobo: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Apud Catholicos libri Theologorum, & Aſcetarum, Caſibus & præceptis de vitiis linguæ pleni ſunt. Apud civilis vitæ magiſtros præcipuum monitum eſt: *Scit vivere, qui ſcit tacere.* Apud Hæreticos pleroſque maximè celebratur Chriſti ſententia: *Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non.* Apud Hebræos laudatur monitum Rabbi Achiva: *Propugnaculum legis, traditio; decimæ, divitiarum; vota, abſtinentiæ; ſilentium, ſapientiæ.* Apud Mahometanos vulgò dicitur, Arabico proverbio: *Duobus modis pereunt homines, abundantiâ opum, & abundantiâ ſermonum.* Philo lib. quis ſit hæres divinorum, pulcerrimum vocat Ethnicorum præceptum, *Audi & tace.*

V. Cur cavenda? Cùm itaque conſtet apud omnes; & ſæpè, & graviter linguâ peccari, pro modo materiæ: nihil nobis agendum eſt, quàm ut ad pervigilem illi cuſtodiam adhibendam hortemur, oſtendamuſque, qui eâ peccat, Deo primùm injuriam facere, tum proximo, & ſibi. Deo injuriam facit, quia membro tam ſcitè elaborato, tam benè circumvallato, ad laudes ejus annuntiandas dato, malè utitur: præſertim poſtquam toties in Pſalmis, in octo capitibus Proverbiorum, in Eccleſiaſtico cap. 28. &c. audivit linguæ cuſtodiam à Deo commendari. Conſule & expende iſta, ſi placet, & confer quæ habet Jacobus cap. 3. linguæ elogia. Poſt toties iterata præcepta, peccat tamen Chriſtianus: qui dixiſſe debuerat, quod Hilarius lib. 1. de Trin. in fine: *Ego quidem hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me tibi, pater omnipotens Deus, conſcius ſum: ut te omnis ſermo meus, & ſenſus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipſe uſus, à te mihi conceſſus, loquendi poteſt referre, quam ut prædicando te tibi ſerviat.* Tu autem, Chriſtiane, linguâ non tantùm non prædicas Deum ſed & offendis: & præterea, quod in peccato mentis non accidit, offendis proximum. Dicebat Paullus, *Fides ex auditu*: ſimili modo poteſt dici, & exemplis firmari, Spes ex auditu, Miſericordia ex auditu, Caritas ex auditu.

Lingua enim bona, eſt *medicamentum vitæ.* Contrà etiam, infidelitas ex auditu, ut adoratio vituli; inobedientia, qualis Adami, ex auditu; vindicta ex auditu, ut 1. Reg. 21. rebellio ex auditu, ut Num. 13. luxuria ex auditu, ut in virgine lapſa apud Ambroſium. Pſalmiſta dicit, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*: verſio alia habet, *Struxerunt mihi foveam.* Ita omninò fabulatio lingulacæ, fovea audientis eſt, & ſimul ipſiuſmet: qui enim malè loquitur & proximo injurius eſt, & ſibi. Nam animæ ſuæ nocet apud Deum: honori apud homines. Dicit Euſebius Gall. *Exterior reddit, quod dictat interior*: Paulinus ep. 24. vocat *eloquia partus animæ*: & alibi, *ſaporem mentis* ait *guſtari in ſermone.* Verbo vulgari dicitur: *Ubi manus, ibi dolor; ubi oculus, ibi amor; ubi lingua, ibi cor.* Ex ore ſuo hominem judicant homines: Deus autem damnat. *Ex verbis tuis condemnaberis*, inquit Chriſtus Mat. 12. Quot putas apud inferos modo ardent, & cum epulone petunt refrigerari linguam? Quot maledici, ſimiles Phariſæis? Quot detractores & murmuratores, ſimiles Judæis Evangelicis?

VI.
Peccator filius Belial.

Sæpè in Scripturis peccatores vocantur, *Filii Belial*: & plerumque ubi in Vulgata habemus, *Filii prævaricatorum, iniquitatis, peſtilentes, prævaricatores*, Hebraïcè eſt *Ben Belial.* Quo nomine quidam aiunt ſignificari *homines abſque luce*, alii *homines inutiles*, alii *homines non aſcendentes*: quæ omnia peccatoribus apprimè congruunt. Vera eſt explicatio Hieronymi, ſignificari *Homines abſque jugo*, uti exprimitur Jud. 9. Et verò peccatores omnes, ſeu qui linguâ peccant, ſeu qui cogitatione ſola, confringunt jugum Dei, & dicunt, *Non ſerviam*, Jer. 2. Maximè tamen Chriſtianus, opere peccatum patrans, adeoque magis deliberatè, ut plurimùm, quàm mente aut verbo: abjicit Chriſti *jugum ſuave*, & ipſum in ſe, in donis ſuis, & in honore appetit, optimo domino inſanè rebellis.

VII.
Appetit Chriſtum in ſe, & in donis ſuis.

Chriſtum in ſe per peccatum appeti docuit diſertè Paullus, Heb. 6. & 10. Secuti Tert. Aug. Bern. Clemens IV. quorum verba retulimus Sect. 3. quæ hîc per compendium repeti poterunt, uti & ratiocinatio. Neque enim umquam ſatis inculcabitur odium peccati. Chriſtus præterea in donis ſuis appetitur. Non jam loquor de naturæ donis, de quibus Euſeb. Gal. hom. 4. de Epiph. eleganter diſſeruit: *Quàm benè Deus corporis humani membra diſpoſuit? Et tamen ad contumeliam ſui abutitur Creatoris indulta ſibi pulcritudinis honore mens reproba. Bonum Dei opus eſt oculus: & tamèn indignis concupiſcentiis maculatur aſpectus. Manus bonum opus eſt Dei: & tamen ad facinus iniquitatis, ad crimen peragendæ impietatis extenditur. Sed illis ipſis creaturis, quæ extra nos ſunt, quæ bona facta ſunt, malus malè utitur. Auro appetitur veritas… deputantur ad inſtrumenta nequitiæ ornamenta naturæ.* Loquor de donis gratiæ, quæ propriè Chriſti ſunt, non quà Creator, ſed quà Salvator eſt, & ea emit tanto vitæ ſuæ ac mortis pretio: *propter nos egenus factus, ut ejus inopiâ divites eſſemus.* Quantum donum fides? Eam peccator cadaver facit. Quantum donum ſpes? Eam de cælo ad terram abjicit. Quantum donum caritas? Eam amori ſecularum poſtponit, & penitùs perimit: verè prodigus, qui perdit talem ſubſtantiam vivendo luxurioſè.

VIII.
Et in honore.

Atque utinam ipſum ſimul honorem Chriſti & Chriſtianæ religionis non perderet. Volebat Chriſtus, videri opera noſtra bona; Petrus, ex bonis operibus nos conſiderari; Paullus, portari Deum in corpore noſtro: ut inde glorificaretur Deus, & bonis exemplis Infideles & peccatores converterentur. Quid autem, cùm in bonorum operum vicem mala omne genus, à Chriſtianis patrata, conſpiciuntur? Inſultant nimirum Infideles & Chriſto, & ejus religioni: qua de re quædam dicimus Exc. 1. ad cap. 15. num. 11. &c. Expende præterea iſtud Aug. in pſ. 25. *Quid mihi perſuades, ut Chriſtianus ſim? Ego fraudem à Chriſtiano paſſus ſum, & numquam feci. Falſum mihi juravit Chriſtianus, & ego numquam.* Item iſtud in pſ. 30. Con. 2. *Quam multos, fratres mei, putatis velle eſſe Chriſtianos, ſed offendi malis moribus Chriſtianorum?* Ita apud Baron. anno 1169. Soldanus Iconii ſecretò ſe baptizandum curavit: quia ejus aulici malis Chriſtianorum moribus offenſi dicebant, *Quomodò poteſt idem fons fundere aquam dulcem, & ſalſam?* Inſultant Infideles Chriſtianis & Chriſto, imò & diabolus ipſe, ut Cyprianus eloquenter exhibet l. de Eleem. in fine, faciens ipſum, deprehenſis in amphitheatro Chriſtianis, dicentem Chriſto: *Ego pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella*, &c.

IX.
Peccata occulta quadruplicia.

In Pſalmo 18. quem *Nichad meod*, id eſt valdè excellentem, vocant Hebræi, poſt laudem Dei à creatione, & à lege, David dicit mandata à ſe cuſtodita: ſed mox quaſi ſeſe reprehendens, *delicta*, inquit, *quis intelligit?* Ubi Auguſtinus, *Si videntur tenebræ, intelliguntur delicta.* Subjicit Pſalmiſta: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo ſuo.* Ubi quidam occulta eadem putant eſſe, quæ aliena. Sed certum eſt, occulta multa non eſſe aliena, & contrà. Itaque intelligamus, quid iſta ſint propriè: *Dicamus, & cum intellectu cantemus, & cantando oremus, & orando impetremus, ab occultis meis munda me*, inquit ibidem Auguſtinus. Poſtquam viderimus quid illa ſint, aſſignabimus etiam remedia. In homine, qualis fuit mulier in civitate peccatrix, cui remiſſa ſunt peccata multa, quatuor Occultorum genera reperiri poſſunt. Primum eorum eſt, quæ paucis hominibus conſciis fiunt; non autem impudenter & palàm, quod proſtitutæ conſcientiæ indicium eſt. Ita fratres ſecretò inter ſe collocuti ſunt de Joſepho vendendo. Ita ſenes ſolicitavêre Suſannam, dicendo, *Nemo nos videt*: videbat tamen eos Deus, & Angeli, & Suſanna ipſa: accidítque quod Chriſtus poſteà dixit, *Nihil occultum, quod non reveletur.* Iſta ergo apud Catholicos occulta dici non poſſunt. Alterum genus eſt cognitorum Deo, Angelis, homini peccanti, hominibus aliis nullis. Tale fuit peccatum Cain, Her & Onan, Davidis cùm Uriam periculo exponendum curavit, ideóque dicit, *Tibi ſoli peccavi.* Ethnicus quidam (Apuleius) pronuntiabat, *Quod nemo* (hominum) *ſcit, penè non fit.* Verum id foret, ſi alii teſtes nulli eſſent, quàm homines. Sed Chriſtianus novit ſeſe *ſpectaculum eſſe mundo, & Angelis, & hominibus*: adeóque iſtud etiam peccatum non vocabit occultum.

X.
Tertium genus.

Tertium genus eſt Deo ſoli, & homini peccanti, cognitorum; qualia ſunt peccata cogitationum & voluntatis ſolius, quò Angeli non penetrant, niſi ex conjecturis: quale eſt Simonis de Chriſto, *Hic ſi eſſet propheta*, &c. Sed nec talia dici debent apud Chriſtianos occulta, cùm ſciant *pravum cor hominis & inſcrutabile* cognoſci à Deo. Cùm non neſciant iſtud Tertulliani lib. de Pœn. *Quantaſcumque tenebras factis ſuperſtruxeris, Deus lumen eſt.* Et iſta Minutii Fælicis in Oct. *Deus ſpeculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt, intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris…. Reges tantum regni ſui per officia miniſtrorum univerſa novère. Deo indicio opus non eſt: non ſolùm in oculis ejus, ſed & in ſinu vivimus.* Quod ipſum Infidelibus

cognitum

cognitum fuiſſe non ignorant, adeò manifeſta veritas in oculos incurrit. Senecæ monitum audierunt epiſt. 83. *Sic vivendum eſt, tamquam in conſpectu vivamus: ſic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum introſpicere poſſit. Et poteſt. Quid enim prodeſt, ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil Deo clauſum eſt. Intereſt animis noſtris, & mediis cogitationibus intervenit.*

XI. Quartum genus. Supereſt quartum genus, Deo ſoli cognitorum, non homini ipſi, qui commiſit, aut committit. An verò poteſt peccari, ſine libertate? Eſtne libertas & electio ſine cognitione? Si eſt cognitio, quomodò peccatum eſt incognitum, & occultum? Tripliciter hoc contingere poteſt, Ignorantiâ, Inadvertentiâ, Oblivione. Ignorantiâ; qualis ævo Joſiæ, & Eſdræ, neſcientium legem. Inadvertentiâ; cùm intellectus ad alia abreptus non advertit peccatum: quod Raziæ accidiſſe aliqui putant, item Samſoni, D. Petro in horto, D. Apolloniæ, &c. Oblivione; quando peccatum ſcienter & advertenter commiſſum, planè elabitur memoriâ, ut ſibi accidiſſe narrat D. Ephræm de furto in pueritia commiſſo. Sed omniáne peccata per quamvis ignorantiam, inadvertentiam, oblivionem contracta, aut manentia, veniant nomine occultorum? Ne carnificinam conſcientiarum inſtituamus, duæ diſtingui debent ſpecies Ignorantiæ: eadémque Inadvertentiæ & Oblivionis ratio eſt. Invincibilis facit peccati materiam, ſed deeſt forma, quia cognitio deeſt omninò, & adeſſe non poteſt: adcóque abeſt libertas, citra quam non eſt peccatum. *Nemo enim peccat in eo, quod caveri non poteſt.* Alia Auguſtini loca vide lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. & lib. de duab. anim. cap. 11. & cap. 12. Vincibilis, cùm neſcis quod ſcire potes & debes, habet materiam ſimul & formam peccati: vis enim neſcire, non advertere, oblíviſci, quia vis peccare. De hoc genere peccatorum occultorum habetur Deut. 32. *Signata eſſe in theſauris Dei.* Job. 14. Signata *quaſi in ſacculo.* Thren. 1. Vigilare *jugum iniquitatum.* Tales erant iniquitates Hardſuni, hominis opulenti, qui mortuus poſt percepta piè Sacramenta, apparuit tamen Abbati amico ſuo, dixitque ſe continenter torqueri: ut narrat B. Petrus Dam 5. Epiſt. 15. cum hoc epiphonemate: *Attendendum, quàm recta ſit linea divinæ juſtitiæ, & quam artifex apud Deum menſura vindictæ.*

XII. Remedia. Remedium primum commune omnibus ejuſmodi peccatis, eſt timor ſanctus, ſine anxietate tamen. Sic monebat Auguſt. lib. de perf. juſt. *Quantalibet homo ſit præditus juſtitiâ, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum, cùm Rex juſtus ſederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non poſſunt, nec illa de quibus dictum eſt, Delicta quis intelligit?* Idem monuêre, Baſilius Conſt. 2. D. Leo ſerm. 8. de Quadrag. D. Greg. 5. Mor. c. 7. ad illud Jobi, *Ante quam comedam, ſuſpiro:* & cap. 23. ubi affert exemplum D. Paulli. Remedium particulare contra Ignorantiam eſt, ſtudere gradûs ſui officiis; neque inſtitutum amplecti, aut munus aggredi, aliquóve ſe ingerere, niſi præviſo quid illic Deo debeatur. Non accipies agrum, quin priùs onera excuſſeris: accipies gradum, antequam ſcias, quid curæ ſequatur? *Ignorans ignorabitur.* Remedium contra inadvertentiam, eſt maturitas, & fuga præcipitationis: *in* actionum tuarum *principio ſit verbum* & ratio, reflecte ad actiones tuas, multùm ſi magnæ ſunt, parum ſi parvæ: pondera aureos numos, & argenteos interdum, ſi æreos non ponderas. Remedium contra oblivionem erit examen quotidianum: ſaltem ante Confeſſionem diligens. Quale? Uti pro re gravi. Chryſoſtomum dicunt, à maximis peccatoribus non plus horâ ad examen exigere. Qui ſic egit, confidat remiſſa peccata. Vide Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Peccatorum alia ſunt Commiſſionis, alia Omiſſionis: illa, cùm fiunt, quæ non debent: iſta, cùm non fiunt, quæ debent. Diſputant Theologi, poſſitne eſſe peccatum meræ Omiſſionis: ſed ea diſputatione omiſſa, dicamus in peccatis Alienis genus utrumque inveniri: utrumque Phariſæos incurriſſe in Chriſto: remedium utriuſque. Novem ſunt modi Alienorum peccatorum, verſibus duobus comprehenſi, apud D. Thom. 2. 2. q. 67. a. 7. in corp. Omnium exempla facillimè reperies in Scriptura: Juſſione peccat Abſalon; Conſilio, Achitophel; Conſenſu, Vagao; Palpatione, juvenes cum Roboam; Recurſu, quo Protectio & Defenſio reducitur, Pharao protegens Magos; Participatione, Rechab & Baana; Silentio, Heli; Permiſſione, Azarias; Defectu delationis, Jonadab conſiliarius Ammonis. Adverte item modorum iſtorum tres eſſe Omiſſionis, cæteros Commiſſionis. Omnes fermè convenêre in Caïpham & aſſeclas quando collegerunt conſilium adversùs JESUM. Proponit ipſe, ſuadet, jubet: alii conſentiunt apertè, aut ſilent, quidam adulantur: omnes fermè rei ſunt; quia vel cauſſam peccati ponunt; vel non amovent, cùm deberent, *Quantum* autem *diſtat à jubente permittens?* ut ajebat Salv. Remedium ſingulare accipio à Paullo Eph. 5. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Nam, ut monet Proſper 1. de Vita Cont. *Quid proderit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato?* Auguſt. q. 146. in Exodum notat totum peccatum populi in adorando vitulo tribui Aaroni, *quòd eis conſenſit ad faciendum.* Idem in cap. 4. epiſt. ad Galatas, poſtquam narravit multa, quæ ævo ſuo peccabantur, *atque utinam,* inquit, *ô Domine, non omnia, quæ non potuerimus prohibere, faciamus.* Non tantùm peccant, qui cauſſa ſunt alieni peccati: ſed etiam qui cauſſas non amovent, cùm debent, & poſſunt: aliquando & ipſi qui poſſunt amovere, etſi non debeant ex juſtitiâ, ſed ex caritate: imò & ipſi qui cùm deberent, non tamen poſſunt, verendum eſt ne crimen interdum incurrant, quando in eam impoſſibilitatem nimis procraſtinando, & prudentiæ humanæ pluſquam oporteret tribuendo, prolapſi ſunt.

XIII. Peccata aliena.

CAPUT QUINTUM.

ARGUMENTUM.

Finitimæ Iudæis Gentes, audito inſtauratum Templum, ex inolitâ invidia, Iſraëlitas ipſis permiſſos tollere ſtatuunt. Iudas ad ſuos defendendos accingitur, ac primùm Idumæos, tum Beanitas, deinde Ammonitas invadit, ubique victor. Subjiciuntur multæ ejuſmodi expeditiones, adversùs conterminos Iudææ alienigenas: quæ licet continuâ ſerie non acciderint, narratione tamen connectuntur, quia ejuſdem argumenti ſunt, & ſimili prioribus occaſione ſuſcepta. Iudas ergo ſimul acceptis nuntiis de clade Tubianæorum Iudæorum, & Galilæorum à finitimis metu, in omnia intentus, copias in tres partes dividit: primam ipſe in Galaaditim ducit, adjuncto ſibi Ionatha, alteram Simoni dat ad Galilæorum auxilium, tertiâ Ioſepho & Azariæ ad Iudææ cuſtodiam relictâ. Res à Simone in Galilæa proſperè geſta: fuſis ac coërcitis hoſtibus, reductis Iudæis ad interiora patriæ, ne injuriæ amplius obnoxii eſſent. Iudas ex alia parte liberatis obſidione Iudæis, cæſo Timotheo, captis variis civitatibus, eodem, quo frater Simon, conſilio Iſraëlitas Galaaditicæ regionis incolas in Iudæam traduxit: in itinere Ephronitas, tranſitum negare auſos, ad internecionem delevit, ex ſuis nemine per tot pugnas deſiderato. Integra erat lætitia, niſi Iudæi per ejus abſentiam, temeritate Ioſephi & Azariæ, cladem à Iamnienſibus accepiſſent. Gratiis Deo & hoſtiis in Templo perſolutis, Iudas expeditiones novas adverſus Idumæos, Samaritas, Azotios ſuſcipit, & proſperè conficit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET factum eſt, ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædifi-
catum eſt altare & ſanctuarium ſicut priùs, iratæ ſunt val-
dè: 2. Et cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter
eos, & cæperunt occidere de populo, & perſequi. 3. Et
debellabat Iudas filios Eſaü in Idumæa, & eos qui erant in
Acrabathane, quia circumſedebant Iſraëlitas, & percuſſit
eos plagâ magna. 4. Et recordatus eſt malitiam filiorum
Bean, qui erant populo in laqueum, & in ſcandalum, inſidiantes ei in via.
5. Et concluſi ſunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizavit

eos,

eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. 6. Et tranſ-
ſivit ad filios Ammon, & invênit manum fortem, & populum copioſum;
& Timotheum ducem ipſorum: 7. Et commiſit cum eis prælia multa, &
contriti ſunt in conſpectu eorum, & percuſſit eos: 8. Et cepit Gazer civita-
tem, & filias ejus, & reverſus eſt in Iudæam. 9. Et congregatæ ſunt
Gentes quæ ſunt in Galaad, adversùs Iſraëlitas qui erant in finibus eorum, ut
tollerent eos: & fugerunt in Datheman munitionem, 10. & miſerunt literas
ad Iudam & fratres ejus, dicentes: Congregatæ ſunt adversùm nos Gentes per
circuitum, ut nos auferant: 11. Et parant venire, & occupare munitionem, in
quam confugimus: & Timotheus eſt dux exercitus eorum. 12. Nunc ergo
veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis.
13. Et omnes fratres noſtri, qui erant in locis Tubin, interfecti ſunt: & ca-
ptivas duxerunt uxores eorum, & natos, & ſpolia, & peremerunt illic ferè
mille viros. 14. Et adhuc epiſtolæ legebantur, & ecce alii nuntii venerunt de
Galilæa conſciſſis tunicis, nuntiantes ſecundùm verba hæc: 15. Dicentes con-
veniſſe adverſum ſe à Ptolemaïda, & Tyro, & Sidone: & repleta eſt omnis
Galilæa alienigenis, ut nos conſumant. 16. Ut audivit autem Iudas, & popu-
lus, ſermones iſtos, convênit Eccleſia magna cogitare quid facerent fràtribus
ſuis, qui in tribulatione erant & expugnabantur ab eis. 17. Dixitque Iudas
Simoni fratri ſuo: Elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa:
ego autem & fratres meus Ionathas ibimus in Galaaditim. 18. Et reliquit
Ioſephum filium Zachariæ & Azariam, duces populi, cum reſiduo exercitu
in Iudæa ad cuſtodiam: 19. Et præcepit illis, dicens: Præſtote populo huic:
& nolite bellum committere adversùm Gentes, donec revertamur. 20. Et par-
titi ſunt Simoni viri tria millia, ut iret in Galilæam: Iudæ autem octo millia
in Galaaditim. 21. Et abiit Simon in Galilæam, & commiſit prælia multa
cum Gentibus: & contritæ ſunt Gentes à facie ejus, & perſecutus eſt eos uſque
ad portam Ptolemaïdis: 22. & ceciderunt de Gentibus ferè tria millia viro-
rum, & accepit ſpolia eorum. 23. Et aſſumpſit eos, qui erant in Galilæa, & in
Arbatis, cum uxoribus, & natis, & omnibus quæ erant illis, & adduxit in
Iudæam cum lætitia magna. 24. Et Iudas Machabæus & Ionathas frater ejus
tranſierunt Iordanem, & abierunt viam trium dierum per deſertum. 25. Et
occurrerunt eis Nabuthæi, & ſuſceperunt eos pacificè, & narraverunt eis
omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide, 26. & quia multi ex
eis comprehenſi ſunt in Baraſa, & Boſor, & in Alimis, & in Caſphor, & Ma-
geth, & Carnaïm: hæ omnes civitates munitæ, & magnæ. 27. Sed & in cæteris
civitatibus Galaaditidis tenentur comprehenſi, & in craſtinum conſtituerunt
admovere exercitum civitatibus his, & comprehendere, & tollere eos in una
die. 28. Et convertit Iudas, & exercitus ejus, viam in deſertum Boſor repentè,
& occupavit civitatem: & occidit omnem maſculum in ore gladii, & accepit
omnia ſpolia eorum, & ſuccendit eam igni. 29. Et ſurrexerunt inde nocte, &
ibant uſque ad munitionem. 30. Et factum eſt diluculo, cùm elevâſſent
oculos ſuos, ecce populus multus, cujus non erat numerus, portantes ſcalas
& machinas, ut comprehenderent munitionem, & expugnarent eos. 31. Et
vidit Iudas quia cæpit bellum, & clamor belli aſcendit ad cælum ſicut tuba, &
clamor magnus de civitate: 32. Et dixit exercitui ſuo: Pugnate hodie pro
fratribus veſtris. 33. Et venit tribus ordinibus poſt eos, & exclamaverunt tu-
bis, & clamaverunt in oratione. 34. Et cognoverunt caſtra Timothei quia
Machabæus eſt, & refugerunt à facie ejus: & percuſſerunt eos plaga magna.
& cecide-

& ceciderunt ex eis in die illa ferè octo millia virorum. 35. Et divertit Iudas
in Maſpha, & expugnavit, & cepit eam: & occidit omnem maſculum ejus,
& ſumpſit ſpolia ejus, & ſuccendit eam igni. 36. Inde perrexit, & cepit Caſ-
bon, & Mageth, & Boſor, & reliquas civitates Galaaditidis. 37. Poſt hæc au-
tem verba congregavit Timotheus exercitum alium, & caſtra poſuit contra
Raphon trans torrentem. 38. Et miſit Iudas ſpeculari exercitum: & renuntia-
verunt ei, dicentes: Quia convenerunt ad eum omnes Gentes, quæ in cir-
cuitu noſtro ſunt, exercitus multus nimis: 39. Et Arabas conduxerunt in auxi-
lium ſibi, & caſtra poſuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium.
Et abiit Iudas obviàm illis. 40. Et ait Timotheus principibus exercitus ſui:
Cùm appropinquaverit Iudas, & exercitus ejus ad torrentem aquæ: ſi tran-
ſierit ad nos prior, non poterimus ſuſtinere eum, quia potens poterit adver-
sùm nos. 41. Si verò timuerit tranſire, & poſuerit caſtra extra flumen, trans-
fretemus ad eos, & poterimus adversùs illum. 42. Ut autem appropinquavit
Iudas ad torrentem aquæ, ſtatuit ſcribas populi ſecus torrentem, & mandavit
eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis: ſed veniant omnes in prælium.
43. Et transfretavit ad illos prior, & omnis populus poſt eum; & contritæ
ſunt omnes Gentes à facie eorum, & projecerunt arma ſua, & fugerunt ad fa-
num, quod erat in Carnaïm. 44. Et occupavit ipſam civitatem, & fanum
ſuccendit igni, cum omnibus qui erant in ipſo: & oppreſſa eſt Carnaïm, &
non potuit ſuſtinere contra faciem Iudæ. 45. Et congregavit Iudas univerſos
Iſraëlitas qui erant in Galaatide, à minimo uſque ad maximum, & uxores
eorum, & natos, & exercitum magnum valdè, ut venirent in terram Iuda.
46. Et venerunt uſque Ephron: & hæc civitas magna in ingreſſu poſita,
munita valdè, & non erat declinare ab ea dextra vel ſiniſtra, ſed per mediam
iter erat. 47. Et incluſerunt ſe qui erant in civitate, & obſtruxerunt portas
lapidibus: & miſit ad eos Iudas verbis pacificis, 48. dicens: Tranſeamus per
terram veſtram, ut eamus in terram noſtram: & nemo vobis nocebit: tan-
tùm pedibus tranſibimus. Et nolebant eis aperire. 49. Et præcepit Iudas præ-
dicare in caſtris, ut applicarent unuſquiſque in quo erat loco. 50. Et appli-
cuerunt ſe viri virtutis: & oppugnavit civitatem illam tota die, & tota nocte,
& tradita eſt civitas in manu ejus: 51. Et peremerunt omnem maſculum in
ore gladii, & eradicavit eam, & accepit ſpolia ejus, & tranſivit per totam ci-
vitatem ſuper interfectos. 52. Et tranſgreſſi ſunt Iordanem in campo magno,
contra faciem Bethſan. 53. Et erat Iudas congregans extremos, & exhortaba-
tur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda. 54. Et aſcende-
runt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocauſta, quòd
nemo ex eis cecidiſſet, donec reverterentur in pace. 55. Et in diebus, quibus
erat Iudas & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater ejus in Galilæa contra
faciem Ptolemaïdis, 56. audivit Ioſephus Zachariæ filius, & Azarias princeps
virtutis, res benè geſtas, & prælia quæ facta ſunt, 57. & dixit: Faciamus & ipſi
nobis nomen, & eamus pugnare adversùs Gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt.
58. Et præcepit his qui erant in exercitu ſuo, & abierunt Iamniam. 59. Et exi-
vit Gorgias de civitate, & viri ejus obviàm illis in pugnam 60. Et fugati ſunt
Ioſephus & Azarias uſque in fines Iudææ: & ceciderunt illo die de populo
Iſraël ad duo millia viri, & facta eſt fuga magna in populo: 61. Quia non au-
dierunt Iudam, & fratres ejus, exiſtimantes fortiter ſe facturos. 62. Ipſi autem
non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël.
63. Et viri Iuda magnificati ſunt valdè in conſpectu omnis Iſraël, & Gentium

omnium

Digitized by Google

omnium, ubi audiebatur nomen eorum. 64. Et convenerunt ad eos fauſta
acclamantes. 65. Et exivit Iudas, & fratres ejus, & expugnabant filios Eſaü,
in terra quæ ad Auſtrum eſt, & percuſſit Chebron, & filias ejus: &
muros ejus & turres ſuccendit igni in circuitu. 66. Et movit caſtra ut iret in
terram alienigenarum, & perambulabat Samariam. 67. In die illa ceciderunt
ſacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in
prælium. 68. Et declinavit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & ſculptilia deorum ipſorum ſuccendit igni: & cepit ſpolia
civitatum, & reverſus eſt in terram Iuda.

COMMENTARIUS AD CAPUT QUINTUM.

Invident finitimæ Gētes Judæis, & cur? ℣. 1. Et factum est ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare et Sanctuarium sicut priùs, iratæ sunt valde. Græcè habetur, *ædificatum altare, & Sanctuarium innovatum* ἐνεκαινίσθη: propriè enim ædificatum non eſt Templum, ſed inſtauratum; altare autem de novo extructum, ut capite ſuperiori dictum eſt. Ubi ergo id apud vicinas gentes rumor ſparſit, ſecuti magni animorum motus, ex invidia fælicitatis alienæ. Prorsùs eodem modo, quo lib. 2. Eſdræ cap. 4. Nehemia muros Hieroſolymitanos inſtaurante, tumultuantur Samaritani, Arabes, Ammanitæ, Azotii: ut Judæi inter laborandum, expediti eſſe ad pugnam, & alterâ manu enſem geſtare debuerint. Unde autem iſta invidia? Primùm ex rei naturâ: pronus enim ex ſe ad iſtud vitium homo eſt: *Cui*, inquit Salv. lib. 5. de Prov. *ita ſufficit fælicitas ſua, ut etiam alium velit eſſe fælicem?* Et paullò pòſt: *Parum alicui eſt, ſi ipſe ſit fælix, niſi alter fuerit infælix.* Cùm autem hominum omnium iſtud malum ſit: maximè tamen vicinorum, & ſimilium inter ſe. *Par dignitas*, inquit Ennodius in Vita S. Epiph. Tic. *cauſſa diſcordiæ*, ex invidia ſcilicet, & metu ne alter creſcat. *Et ideò*, loquit S. Th. 2.2. q. 36. art. 1. *his qui multum diſtant loco, vel tempore, vel ſtatu, homo non invidet, ſed his qui ſunt propinqui, quibus ſe nititur æquare, vel præferre.* Et Philoſophus 2. Rhet. cap. 10. *invideri ait potiſſimum ſimilibus genere, cognitione, ſtatura, habitu, opinione.* Exempla quotidiana ſunt inter contiguarum domuum incolas, ejuſdem generis artifices, inter fratres ipſos, imò inter ipſos, niſi vigilent, Sanctos. Nam ut ait S. Thomas quæſtione citata art. 3. in corpore, *in genere invidiæ inveniuntur aliqui primi motus, quandóque etiam in viris perfectis, qui ſunt peccata venialia.* Inviderunt igitur Judæis populi finitimi, primùm quia finitimi: adde, & eodem ferè genere, magna ſaltem pars, Arabes ex Iſmaële, Ammonitæ & Moabitæ ex Loth, Idumæi ex Eſaü. Deinde auxit invidiam extrinſecùs ipſa dæmonis invidia, cui plurimum dolebat reſtitutus Dei cultus, & inde ſecutura multorum hominum ſalus. Antiquum ſcilicet obtinet infælix ſpiritus, & invidere pergit, qui primùm invidendo peccavit, ut diſertè Cyprianus libro inſigni de zelo & livore: ad quem te ablego, ſi plura voles de hoc argumento. Conſule etiam Proſperum lib. 3. de Vita Contemplativa, capite præſertim 4. & 9. mala invidiæ, & ejus ſigna graphicè pingentem.

Tu ſi de hoc argumento dicere aliquando placuerit: & verò expedit, cùm pervulgatiſſimum ſit vitium, non apud nos ſolùm, ubi literæ binæ inſignibus urbis circumpoſitæ ſunt L. & G. quas ego aliquando Livorem & Gulam, familiaria nationi vitia, interpretatus ſum: non in iſtis tantùm urbibus, de quibus dici potuit tritum illud, *Manè pſalterium, meridie convivium, veſpere convitium*: ſed Romæ etiam, quam *maledicam civitatem* Hieronymus appellat epiſtolâ ad Marcellam; ſed ubivis. Si ergo tam neceſſariam materiam populo ediſſerere placuerit: nuſquam opinor naturam vitii meliùs expoſitam, breviuſque reperies, quàm apud D. Thomam 2.2. q. 36. art. 1. ubi oſtendit, triſtitiam de bono proximi, non quà malum alteri eſt, ſed quà ipſius bonum, eſſe animam invidiæ, virus caritatis, cujus eſt de bono proximi gaudere. Invidiæ natura.

Inde colliges, vitium eſſe parvulorum, id eſt Malitia. hominum anguſtæ mentis. Moſes Num. 11. ait, *Quis mihi det, ut omnes prophetent?* Eumdem in modum magnanimus quilibet, non modò non ægrè fert, ſed etiam optat, ut alii creſcant: quia nihil ſibi decedere veri ac ſui boni experitur incrementis alienis, neque iſta tanti facit, ut dolore digna ſint, quamvis ſibi eſſent oneroſa. Vitium præterea phreneticorum eſt, ſuos ipſorum artus admordentium: quemadmodùm invidi cor ipſi ſuum arrodunt, & ex alienis, ut ait in Paſtorali Gregorius, quæ ſi diligerent, ſua facerent bona, non diligendo ſua faciunt mala. Diabolicum denique vitium eſt; non ſolùm quia ex multorum ſenſu, ut modò diximus, illo peccavit: ſed præcipuè eò quòd dæmonis ingenium malo gaudet, quia malum eſt; bono dolet, quia bonum eſt; damna hominibus infert ſine lucro ſuo; lucra hominum indignè fert, quamvis ſint ſine damno ſuo. Ita invidum proximi utilitas coquit aut dignitas, non quia ſibi nocet, ſed quia illi proficit. Superbia bonum honeſtum videtur appetere, luxuria jucundum, utile avaritia: quod illorum amat invidia?

At quibus indiciis tam peſtilens vitium, inter Indicia. latibuli ſui tenebras, deprehendam? Ex te ipſo diſce. Cor tuum quomodò ſe habet erga fælicem amicum, & te honoratiorem? Amabas antè, æqualem aut inferiorem: jam amare deſinis, quia excelſior, cùm in illo tamen nihil præter fortunam mutaverit. Dolet ergo tibi fortuna, & malè tibi eſt, quia illi meliùs. Oculos attende, qualiter res alienas adſpiciunt; ſi non rectè, ut Saül Davidem, intuentur; ſi ſplendidarum actionum luce, velut fumo lacrymoſo, læduntur; ſi in

malam

malam partem interpretantur, quod in bonam trahi potuit. Linguæ advigila, ſi facilè alteri obloquitur, ſi mala lubens commemorat, quamvis vera; ſi bona ſilet, aut commendat ad ſilenda impediendáve meliora. Aures conſule, ſi laudibus alienis, quaſi ſpinis punguntur; contrà ſi vituperiis unguntur, & deliniuntur, quaſi oleo peccatoris & adulatorum blanditiis. Manibus denique advigila, ne ad damna inferenda feſtinent, ex odio alieni boni: quod Philiſtæi fecêre Abrahami puteis, Davidi Saül, Caino Abel, Joſepho fratres, Chriſto Phariſæi. Φθόνος, & φόνος ut advertit Baſilius quæſt. 255. re affines ſunt, & voce, *livor*, & *cædes*: quod mox in Judæorum finitimis viſuri ſumus. Tu ne umquam ad id barathrum devolvâre, fac ſinceræ caritati ſtudeas. *Neque enim in terra, uti & cælo, erit invidia diſparis claritatis, ubi regnat unitas caritatis.*

Odium effectus invidiæ. ℣. 2. ET COGITABANT TOLLERE GENUS JACOB, QUI ERANT INTER EOS, odium ſuum ſtatuerunt effundere in Iſraëlitas ſibi permiſtos, cùm Judam Machabæum tot præliis invictum aggredi non auderent: *& cœperunt occidere de populo, & perſequi*, Græcè ad verbum, *cœperunt interficere in populo, & tollere.* A malo conſilio ad malefacta progrediuntur: initium dant cædi Judæorum, velut ſublato ad eos tollendos ſigno. En quo ducat invidia, ad iram, ad odia, ad rapinas, ad cædes. Ita Caino odium fratris ex invidia, ex odio fratricidium. Rectè igitur à Greg 31. Mor. cap. 31. inter filias invidiæ primo loco *Odium* ponitur: & à Sancto Thoma 2. 2. q. 36. art. 4. ad 3. ſtatuitur in *Odio* terminus, ſeu ultimus finis, effectorum invidiæ: quando enim invidus alienam fælicitatem tollere, vel minuere non poteſt, triſtitiam concipit, ex triſtitiâ odium. Planè ſic accidit hoc loco: vellent conterminii Judæis populi eos opprimere, non poſſunt: inde triſtitia, tum odium, ad extremum cædes.

Invidiæ pœna communis. Adverte etiam hîc duplex Dei judicium, quod ferè invidiam ſequi ſolet: primùm, qui alios perdere volunt, ipſi pereunt: deinde, ut eò magis doleat, ipſis conatibus alieni honoris & gloriæ minuendæ, eam augent. Parvæ iſtæ gentes, ſuâ in Iſraëlitas invidiâ, Judam adversùm ſe concitavêre, & ſuo damno occaſionem illi creſcendi dedêre.

Acrabathane, quæ? ℣. 3. ET DEBELLABAT JUDAS FILIOS ESAÜ, ET EOS, QUI ERANT IN ACRABATHANE, QUIA CIRCUMSEDEBANT ISRAELITAS, ET PERCUSSIT EOS PLAGA MAGNA, additur in Græco, *& concluſit* ſeu compreſſit *eos, & cepit ſpolia eorum.* Ad hujus loci intelligentiam, quærendum, quæ ſit illa *Acrabathane*, ſeu ut Græcè habetur *Acrabattine*. Duplicem ejus ferè nominis urbem invenio: Prior eſt *Acrabata* ſita in dimidia tribu Manaſſe intra Jordanem, caput Toparchiæ Acrabatenæ: poſteriorem ponit Adrichomius in diverſa omninò Judææ parte, ad extremos montes Idumææ Auſtralis, propè ultimam maris mortui linguam: eo loco qui Aſcenſus Scorpionis dicitur, Hebraïcè Acrabbim, unde Acrabatenæ nomen ductum ſit. De hac agi in hoc loco putat idem Adrichomius, citatque pro ſe Hieronymum in Abdiæ caput primum: eum ſequitur Bonfrerius in Onomaſtico; item Salianus, etſi fateatur, ſe locum citatum apud Hieronymum non inveniſſe. Favetque huic ſententiæ textus Græcus, ubi habetur ſic ad verbum, *Pugnabat Iudas in filios Eſau, in Idumeâ Acrabattinen*: quaſi dicat oppugnatam à Juda, in Idumæâ propriè dicta, urbem quamdam, quæ Acrabatine vocaretur.

Non eſt Aſcenſus Scorpionis: ſed caput Acrabatenes toparchiæ. Nihilominùs dicendum mihi videtur, nomine Acrabathanes in hoc loco, non aliam intelligendam eſſe, quàm priorem Acrabatam, ſeu Acrabatenam, quod jam ante indicavimus capite quarto in explicatione verſus 15. ſub finem. Ratio prima eſt: quòd Idumæi Acrabateni dicantur circumſediſſe Iſraëlitas; non poſſunt autem propriè id feciſſe, qui in Aſcenſu Scorpionis, ſive Acrabbim habitabant; facere autem facillimè potuerunt, qui incolebant Acrabatenam toparchiam, id eſt ad extremos fines tribus Ephraim, atque in ipſis terræ promiſſæ viſceribus. Secunda: quòd poſt Acrabathanen depopulatam dicatur Judas, tranſiſſe ad Beanitas, Ammonitas, Galaaditicæ terræ incolas, quaſi omnes iſtæ gentes finitimæ ſint: Aſcenſus autem Scorpionis non poteſt dici vicinus hiſce populis, à quibus tamen non longè abeſt Acrabatena toparchia. Tertia: quod nuſquam niſi apud Hieronymum legatur Aſcenſus Scorpionis vocatus Acrabatena: verba ejus ſunt ad illud Abdiæ capite primo: *Hæreditabunt hi qui ad Auſtrum ſunt montem Eſaü*: *Reverſo*, inquit, *in regnum ſuum Iuda, qui habitavit in Meridie, & poſſedit cunctam regionem, juxta diviſionem Ieſu filii Nave, quæ vergat ad Scorpionem, id eſt omnem Acrabatenam, hi qui priùs terminis arctabantur anguſtis poſſidebunt montem Eſaü, id eſt montes Seir* &c. Iſta ſunt Hieronymi verba ab Adrichomio indicata, à Saliano tamen non viſa. Putat igitur Hieronymus Aſcenſum Scorpionis Acrabatenam dictum; ſed ſolus, quem ſciam. Nam Joſephus, etſi lib. 12. Antiq. cap. 12. de hac expeditione Judæ agens, ſolum nomen Acrabatenes habeat, abſque ulla ſitûs deſignatione; tamen alibi paſſim, ubi id nomen refert, non aliam intelligit, quàm toparchiam. Neque uſquam apud auctores profanos, vel Acrabata, vel Acrabatena aliter ſumitur, quàm pro ea, quæ una erat de Judææ toparchiis. Quare neque hîc in alia ſignificatione id nomen ſumendum erit: & ſic ſumit Serarius, cùm eamdem intelligat Acrabatenam, de qua Joſephus lib. 3. de bello cap. 2. & Plin. lib. 5. cap. 15. qui abſque dubio de Acrabatene toparchia loquuntur.

Solvitur objectio ex Scriptura. Quod autem ſupra ex textu Græco contra hanc ſententiam adduxi, nihil obſtat. *Debellari* enim *à Iuda filios Eſaü in Idumeâ Acrabattinem*, idem eſt, ac ſi dicatur, debellatos filios Eſaü, qui in Acrabatene habitabant, & quæ tum erat inſtar alterius Idumææ, ob incolas Idumæos. Et ne mireris Idumæos à nobis collocari, in hac longè diſſitâ regione à montibus Horræorum, qui propriè & communiùs Idumæa dicebantur: ſcire debes duplicem Idumæam fuiſſe, Orientalem, & Auſtralem: illam Arabiæ deſertæ, hanc Petrææ conterminam: utramque ab Eſaü ſive Edom ſic vocatam, ab eoque & ab ejus poſteris inſeſſam. Prior erat ad montes Seïr ſeu Sanir in dimidia tribu Manaſſe Transjordanina: poſterior in montibus Horræorum, qui etiam Seïr dicebantur, ad fines tribus Juda & Simeonis. De priore apertè ſermo eſt Thren. 4. ubi dicitur: *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus*; terra autem Hus erat trans Jordanem, Baſanitidi ſeu Galaaditi proxima. De poſteriore Idumæa paſſim Scriptura loquitur, & ab ejus Rege Num. 20. Iſraëlitæ tranſitum petierunt, ut in terram promiſſam penetrarent. Hoc poſito, non difficile erit intelligere, quomodò ab Idumæis mitti potuerint coloni in Acrabatenem, non longè diſtantem à priore Idumæa: itemque quomodò Iſraëlitæ ab iiſdem dicantur *circumſeſſi* fuiſſe, quando-

quandoquidem ex utraque parte terræ promiſſæ habitarent, quà Cœleſyriam ſpectat, & quà Ægyptum.

Beanitarum malitia punita.

℣. 4. 5. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laq. et in scand. insidiantes ei in via. Agnoſce manifeſtum Hebraiſmum, qualibus paſſim hic liber ſparſus eſt. *Laqueus, ſcandalum, inſidiæ* idem ſunt, ut ſynonymis malitia Beanitarum ſignificantiùs exprimatur, qui apud ſe tranſeuntibus Iſraëlitis inſidias ſtruebant; quaſi ſaxa occulta, ad quæ imprudentes offenderent, aut cæca retia, quibus clauderentur. Beanitæ itaque, non tam aperto bello, quàm latrociniis in Iſraëlitas ſævire ſoliti erant: & quandoquidem occaſione reparati Templi in eos tam ſeverè animadvertatur, crediderim, tunc potiſſimùm ea latrocinia & cædes exercuiſſe, cùm è vicinis regionibus Iſraëlitæ ad Templum ſolennibus feſtis ex lege confluerent, aut inde reverterentur, nominatimque id feciſſe hacce noviſſimâ per Machabæum dedicatione. Crudeli eorum malitiâ meritò irritatus Judas: *& concluſi ſunt ab eo in turribus*, coacti eò refugere, cùm aperto Marte pugnare non auderent; *& applicuit ad eos*, turres oppugnavit; *& anathematizavit eos*, quaſi holocauſtum Deo conſecravit, ut nihil ne de ſpoliis quidem eorum ſupereſſet, ſed omnia flammis abſumerentur, quomodò orbe Jericho factum à Joſue, cap. 6. v. 17. *Et incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant*, ad exemplum aliorum: ne quis deinceps cultum divinum impedire, & ad Templum adeuntibus inſidiari auderet.

Qui Beanitæ?

At qui fuerunt iſti *filii Bean*, onde forſan Beanorum nomen ad Colonienſis Academiæ tirones traductum? Quis populus? Ubi ſita regio? Res ſanè obſcura eſt, neque aliter quàm conjecturis attingi poteſt. Salianus non aliud dicit, quàm ſignificari à Joſepho, Beanitas fuiſſe populos Idumæos. Joſephus tamen hoc non dicit, ſed nomen Bean mutavit in Batanem, quem principem facit Acrabatenorum Idumæorum, atque à Machabæo interfectum: adeoque hanc in Beanitas expeditionem cum ſuperiore in Idumæos malè confundit. Serarius putat, Bean convenire poſſe, cum eâ quæ Judith 1. in textu Græco βελὰν vocatur, quamque aliqui putant eamdem eſſe, quæ Joſue 19. v. 38. vocatur Bethanath, & collocatur in ſorte tribus Nephthali. Bonfrerius noſter exiſtimabat, Beanitas eoſdem eſſe & Moabitas: hoc, opinor, argumento, quòd Moabitarum, gentis Judæis infenſæ, quomodò Idumæorum, & Ammonitarum facienda ſit mentio; item, quòd Machabæus à Beanitis ad Ammonitas tranſierit, Moabitæ autem Ammonitis erant finitimi; denique quod Moabitis montoſa eſſet, adeoque frequentibus turribus munita, ad quas Beanitæ refugiſſe dicuntur. Nec diſplicet Bonfrerii conjectura; quandoquidem in terra Rubenitis ac Gaditis attributa, Moabitis finitimâ, olimque ab iis poſſeſſâ, urbs *Bean* recenſeatur, Num. 32. v. 3. ſeu *Bean*, ut Euſebius vocat in Onomaſtico.

An Batanæa?

Mâlis tamen hîc forſan Batanæam regionem intelligere, Trachonitidis ſive aſperæ ac montoſæ regionis partem, ſitam ad radicea montis Seir, Baſanitidi ſeu regioni Baſan proximam, finitimam illi Idumææ, quam priorem ſuprà vocavimus. Favet loci ſitus: cùm ex Acrabatene toparchiâ, Jordane tranſito, in Batanæam excurſus ſit facilis, & ex Batanæa in Ammonitas finitimos. Favet & nominis affinitas, præſertim cum Græcè βαταν legatur, quæ vox ex βαλὰς facilè deflecti potuit, unâ literâ mutatâ in aliam non longè diſſimilem. Adde, & Joſephum legiſſe non *Bean*, aut *Bean*, ſed *Batan*: etſi malè hoc nomine, non populum aliquem, ſed Principem Idumæorum intellexeris.

℣. 6. 7. 8. Et transivit ad filios Ammon, id eſt Ammonitas, Arabiæ Petrææ conterminos: quorum Rabbath, id eſt urbs præcipua, Philadelphiæ poſtmodùm appellationem ſortita, erat ad montes Galaad, & ad fontes torrentis Jaboc ſeu Jeboc, ex iis montibus decurrentia per plaoa ad extremum mare Galilææ. Fuerunt ergo Ammonitæ, Beanitæ, Idumæi Orientales, Acrabateni finibus juncti, aut ſaltem non longè diſſiti: ideóque ab his ad iſtos, ab iſtis ad illos continua ferie tranſitur.

Ammonitis, & torrens Jaboc quo ſitu?

Et invenit manum for. et Timotheum ducem ipsorum, et contriti sunt &c. Parebat Ammonitis tota Regibus Syriæ: ab illis Timotheus iſti regioni præfectus non uno prælio frangi potuit: ſæpiùs cum illo jam pugnatur à Juda, poſtmodùm rurſus, ut infrà videbitur.

Prælia Judæ cum Timotheo.

Et cepit Gazer civitatem. Græca Regia etiam habent *Gazer*; Sixtina, *Iazer*: Joſephus appellat urbem Jazorum. Intellige ergo hîc non Gazer ſeu Gazaram, de qua dictum eſt c. 4. v. 15. & cap. 7. dicetur: ſed Jazer, de qua Joſue cap. 13. v. 25.

Jazer urbs.

Sita erat urbs iſta in extremis Ammonitarum finibus, eoſque diſtenniloabat ab Amorrhæis. Si Euſebius & Hieronymus, qui decimo circiter milliari Philadelphiâ diſtantem faciunt, non erravêre: errant, qui multò longiùs eam collocant, ad Arnon Moabitidis torrentem aliqui, alii paulò cis illum. Mihi Euſebii potiùs, quàm horum, ſententia ſequenda videbatur.

Ejus ſitus.

Lacus ingens ex fontium affluxu ad eam urbem effectus, & per magnum rivum in Jordanem procurrens, inde maris Jazer nomen accepit. Solent enim Hebræi congregationes omnes aquarum appellare maria.

Mare Jazer.

Eam igitur civitatem occupavit Judas. *& filias ejus*: id eſt, oppida & vicos ipſi ſubjecta, & vicina, celebri paſſim phraſi Scripturæ, toto præſertim libro Joſue. Addit Joſephus, Jazer direptam ac ſuccenſam, abductaſque civium uxores & liberos in captivitatem: quod etſi valdè explodat Salianus, non video, cur non ſit veroſimile.

Quæ filiæ Jazer?

Et reversus est in Judæam, confectis hiſce bellis. An ergo extra fines Iſraëlitis attributos, & ab eis olim poſſeſſos exierat? Nonne Galaaditis univerſa, & Amorrhæorum regio, tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſitarum addicta fuit per Moyſen, & ipſa terra Jazer nominatim, cap. 32 Numerorum? Quomodò igitur inde Machabæus in Judæam reverti dicitur, ſi ibi erat intra Judææ terminos? Dicendum, quod jam aliquoties indicavimus, ſumi hoc loco, & aliàs ſæpè, Judææ nomen reſtrictiùs, pro regione ad regnum Juda pertinente, & complectente ſortes tribuum duarum, Juda, & Benjamin.

Judæa reſtrictiùs ſumpta.

Judæa autem latiùs ſumpta comprehendebat quidquid olim tribubus duodecim à Deo fuerat aſſignatum, hodie apud nos Terra ſancta nominatur: clauditurque ab Occidente, mediterraneo mari; ab Oriente, Arabiæ finibus; à Meridie, montibus Seir & Ægypti limite; à Septemtrione, jugis Antilibani montis, quem in Scripturis Libanum vocari diximus. Longitudinem ejus terræ Bonfrerius in chorographia videtur definiſſe

Terra ſanctæ fines, & longitudo.

horis ſeptem ſupra ſexaginta: Tirinus ad eum numerum addit ſenas aut circiter: adderet etiam aliquot Bredenbachius, qui, apud Ortelium, Damaſcum Hieroſolymâ diſſitam aſſerit itinere ſextidui. Nos in ea ſententiarum varietate elegimus, quæ maximè locorum particularium intervallis congruere viſa eſt.

Stabilitur ſeries hiſtoriæ.

Inter hunc, & ſequentes verſus interponenda videntur, quæcumque in ſerie hiſtoriæ à numero 43. uſque ad 53. deſcripſimus, de morbo ac morte Epiphanis, ſucceſſione Eupatoris, bello cum Gorgia, cum Timotheo ad Gazaram, cum Lyſia ipſo, ac pace denique non diuturnâ. Ac de morte quidem Epiphanis & Eupatoris ſucceſſione, quin ante reliqua hujus capitis acciderit, dubitari non debet. Nam tantum temporis in expeditione Machabæi adversùs Iduhæos, Beanitas, atque Ammonitas fluxiſſe debuit, quantum erat neceſſe ad nuntiandam Epiphani cladem ſuorum in Judæa, & reſtaurationem Templi: quæ nuntia mors ejus excepit, & filii regnum, tutore Lyſia, excluſo Philippo. Bellum etiam cum Gorgia, Timotheo, Lyſia, præpono ſequentibus in hoc capite bellis, quia hæc inciderunt in idem fermè tempus, ac prælium cum Timotheo altero, de quo verſu 37. Atqui hoc prælium idem eſſe dicimus, atque id quod libro ſecundo, capite duodecimo, quodque poſtponitur præliis cum Gorgia, Timotheo alio, & Lyſia.

Satisfit objectioni.

At verò, inquies, ſi tam multa interponenda ſunt, quorſum igitur ab Hagiographo continenter deſcribuntur? Rationem in argumento capitis attigimus. Id factum, quia magnam inter ſe affinitatem habent iſta omnia cum conterminis nationibus bella: præterquam quod eâdem fermè de cauſâ ſuſcepta ſint, ad ulciſcendas ſcilicet gentis Judaicæ injurias. Nec novum eſt Scripturæ, res temporibus diſſitas, argumento affines, aut occaſione aliquâ conjunctas, continuâ ſerie commodè narrare: idque tum alibi paſſim deprehendere eſt, tum in ipſis Evangeliis. Ne autem inde falſi in Scriptura periculum aliquod metuas: non enim dicit eodem tempore iſthæc accidiſſe, etſi eodem loco narret. Quemadmodùm ſi in narranda Herois cujuſpiam vita, quæ ipſe in prima juventute, & extremo ſenio, ad eamdem virtutem ſpectantia, geſſerit, abſque temporis deſignatione ob argumenti ſimilitudinem conjungas; nihil à veritate alienum dixeris, imò memoriæ audientium aut legentium ſervieris. Sic hoc loco res habet.

Bella ſpiritualia adumbrata.

Proſequamur itaque cum Hagiographo noſtro bellantem adversùs varias nationes Judam, & in eâ diverſitate ac continuatione præliorum intelligamus, deſignata Fidelis hominis cum vitiis, Eccleſiæ cum Infidelium erroribus, certamina. *Diverſa*, inquit Rabanus, *Gentium prælia, varia vitiorum atque errorum ſignificant bella.* Et verò vix umquam aliàs ſpiſſiora prælia quàm hoc capite numerantur: invenies enim decem minimùm, in Galaaditicæ regionis incolas, vel accolas, in Chananæos, in Samaritas, in Palæſtinos. De Chriſtiani cum vitiis pugna diximus Excurſu 1. ad c. 3. De Eccleſiæ autem bello cum Infidelibus quædam dicemus, ad verſum 17. hujus capitis.

Pœnitentes & pii gravius peccatoribus tentati.

Obſerva tamen, antequam progrediamur: tunc nationes illas adversùs Judæos maximè tumultuari cœpiſſe, cùm reſtitutus fuit cultus divinus, palamque pietati vacare licuit. Sic maximè ſentiri ab homine Chriſtiano tumultum vitiorum, & tentationum aſſultus; cùm Templum Dei in ſe per pœnitentiam emundavit, & meliorem vitam inſtituit. Hinc ſæpe viſi, qui, cùm in criminibus hærerent, pacati ſibi ac tranquilli videbantur, mox ut reſipuêre, gravibus animi motibus agitati ſunt, turbante dæmone, quòd mutationem in melius non ferret. Sic etiam Eccleſia perſecutionibus Paganorum, & Hæreticorum erroribus impugnatur acerbiùs, cùm maximè floret, & pravis moribus correctis, ad priſtinam ſanctitatem, Pontificum aut Conciliorum ſtudio, reducitur; & valet etiam hîc iſtud 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto IESV, perſecutionem patientur.*

Galaaditis regio.

℣. 9. uſque ad 14. ET CONGREGATÆ SUNT GENTES, QUÆ SUNT IN GALAAD. Etſi aliquando tota regio Transjordanina, ſeu Peræa, Galaaditis appelletur: magis propriè tamen & reſtrictè appellatio tribuitur ei tractui, quem poſſedit dimidia tribus Manaſſe, Jordanem inter & montem Galaad; eumque tractum hic intelligi, patebit ex dicendis.

Datheman munitio.

Illuc immigrârant multi ex vicinis populis coloni, ubertate agrorum invitati: qui Iſraëlitas inter ſe habitantes exoſi, ex condicto nunc aggrediuntur, multiſque occiſis ut diſertè habetur v. 12. alios compellunt *in munitionem Datheman.* Quod nomen cùm alibi nuſquam habeatur in Scriptura, videtur caſtrum iſtud & oppidum non ita pridem à Judæis Galaaditis excitatum, ad ſecuritatem ſuam. Nec mihi dubium eſſe poteſt, ex ipſo narrationis ordine, quin fuerit in eadem regione Galaad: etſi alibi locaverint alii, nominatim Tirinus.

Quis hic Timotheus?

Scriptæ ex Datheman per obſeſſos *literæ ad Judam & fratres*; quibus nuntiabatur, quo loco eſſent. Addebatur, ducem Infidelium iſtorum eſſe Timotheum: non eum, qui, medio duas inter Galaaditicas expeditiones tempore, occiſus eſt, lib. 2. cap. 10. ſed alium quempiam: eumdem forſan, qui Ammonitarum dux dicitur, v. 6. ſuprà. Eumdem certè, ut arbitror, qui lib. 2. c. 12. pacem à Lyſia cum Judæis initam violaſſe dicitur.

Tubia regio.

Iiſdem literis ſignificabatur clades Judæorum, *qui erant in locis Tubin*: interemptos fermè ex eis mille, prædamque abactam, & captivas abductas eorum uxores ac liberos. Loca autem *Tubin* alia non ſunt, quàm Tubianæa regio, ſeu terra Tob, pars Galaaditidis, ſic appellata ex ſoli bonitate. Eam Tirinus in tribu Gad collocavit: meliùs multò Bonfrerius in Manaſſitarum ſorte Transjordanina, unde oriundus Jephthe habitavit in terra Tob. Vide ipſum ad cap. 1. lib. Judicum. Tubianæis vicinam eſſe oportuit munitionem Datheman, cùm hinc potiſſimùm illorum clades nuntietur. Græcè mendum eſt, ἐν τοῖς τοῦ βίου vel, *τωβίου, in locis vitæ*, vel *Tobiæ*.

Calamitates ſolitariæ eſſe non ſolent probis.

℣. 14. 15. ET ADHUC EPISTOLÆ, obſeſſorum in Datheman Judæorum, *legebantur* à Juda ac fratribus: *& ecce alii nuntii venerunt de Galilæa, conſciſſis tunicis*, Græcè διεῤῥηχότες, *qui lacerârant* tunicas ſuas, in mæroris ſignum: *nuntiantes ſecundùm verba hæc*, afferentes nova triſtia, prioribus ſimilia. Vix ſcilicet calamitates incedunt ſolitariæ, &c, in viros probos præſertim, catervatim irruunt; ut eos, ſi non vi obruant, at mole premant. Nuntii ex diverſiſſimis partibus ad Machabæum eodem temporis momento veniunt, velut ex condicto, quomodò ad Jobum cap. 1. Nuntiabant itaque ex Galilæa *conveniſſe adversùm ſe à Ptolemaida*, ſeu Ptolemaide: ſicut enim dicitur lampas & lampada, caſſis & caſſida, Thrax & Thraca, Hellas

infrà

Infrà cap. 8. Hellada, ſic etiam Ptolemaïs & Ptolemaïda. Item conveniſſe à Tyro & Sidone Phœniciæ celeberrimis urbibus, in eodem quo Ptolemaïs tractu maritimo, & inter ſe vicinis: ut intelligas communem fuiſſe conſpirationem.

Galilæa duplex.

Addebant nuntii: *& repleta eſt omnis Galilæa alienigenis, ut nos conſumant*: Græcè habetur *ab omni Galilæa alienigenarum*, conveniſſe ſcilicet, *ut nos diſperdant*. Galilæa alienigenarum, & Gentium, & Superior, dicitur, quæ Phœniciæ & Antilibano adjacet, complectiturque tribum Nephtali, & maximam partem tribûs Aſer. Inferior dicta eſt, quæ infra lacum Geneſareth tendebatur ad mediterraneum mare, alluebaturque torrente Ciſon, Iſſacharitis & Zabulonitis contributa.

Quàm populoſa.

Vix credibile eſt, quod Joſephus de utraque Galilæa agens, dicit, partim in Vita ſua, partim lib. 3. Capt. cap. 4. Ibi enim ait, ducentas & quatuor in illa urbes & vicos eſſe: hîc, in iſtorum minimo oppido contineri incolarum pluſquam quindecim millia. Id, ſi verum eſt, oppidorumque nomine etiam vici veniunt, oportebit in Galilæa, quæ quarta pars terræ promiſſæ vix erat, habitâſſe tres milliones & ſexaginta millia hominum, & eo plus; qui numerus fermè ſupra fidem eſt. Addit ibidem Joſephus, quod magis ad rem noſtram pertinet, Galilæam utramque ἀλλοφύλοις, alienigenis, circumdatam eſſe, ut non mireris Judæos inde in interiora Judææ traductos infrà verſ. 23.

Judas militem partitur.

ỳ. 16. 17. 18. 19. 20. Narratur coactum concilium, imò concionem populi. hoc enim videtur innuere *Eccleſia magna*; à Machabæo & fratribus, ut diſpiceretur, quid facto opus foret, ad opem oppreſſis fratribus ferendam. Viſum, dividendas copias, ut citiùs utriſque ſuccurri poſſet: idque conſilium apparet à Machabæo datum, cùm dicitur: *Dixit Iudas Simoni: Elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa, ego autem, & frater meus Ionathas, ibimus in Galaaditim.* Attributa Simoni tria millia electorum ejus arbitrio: Judas cum Jonatha octo millia duxit.

Joſephus & Azarias qui ſint?

Ne autem ipſis ad bellum profectis interior Judæa injuriæ Infidelium pateret, relicti ad tutelam, cum cætera copiarum parte, *Ioſephus Zachariæ filius, & Azarias*, qui hic vocantur *duces populi*: infrà verſu 56. *Azarias* vocatur nominatim, *princeps virtutis*, Græcè tamen id de utroque dicitur, ἄρχοντες τῆς δυνάμεως, *principes exercitus*. Unde colligas utrumque de primoribus populi fuiſſe, & rebus gerendis valdè exercitatum: alioqui eos Machabæus non præfeciſſet exercitui, præteritis ipſis fratribus ſuis Joanne & Eleazaro, de quibus in hiſce expeditionibus non eſt mentio. Putem etiam, eos de ſacerdotali genere fuiſſe, & ad ipſorum cladem alludi infra v. 67. ut ibi advertemus. Iis igitur, reliquo exercitui præeſſe juſſis, mandavit Machabæus, ne, ſe abſente, auderent *bellum committere adversùm Gentes*: id eſt, ne bellum ultrò inferrent, ſed illatum ſolùm propulſarent.

Eccleſia creſcit perſecutionibus?

Obſervanda hîc duo: Primùm creſcere ſemper copias Judæorum, quaſi ſemen militum ipſa ſint prælia. Tria millia ducit Simon, octo Judas, non pauca Joſepho & Azariæ committuntur, quandoquidem ex eis cadant millia duo infrà v. 60. Agnoſce in hac figurâ, Eccleſiæ inter perſecutiones incrementum, & calamitatis pro Chriſtianâ re utilitatem. Vetus Hieronymi verbum eſt, *Sanguis Martyrum, ſemen Chriſtianorum*: quod ipſe ex vetuſtiore & veriſſimo Tertulliani verbo imitatus eſt, in Apologetico ad Scapulam: *Semen eſt, ſanguis Chriſtianorum: ſecta plures efficimur, quoties metimur à vobis.* Imprecabatur furioſa illa ſuimet victima apud Poetam: *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor*: ex oſſibus & ſanguine Martyrum enaſcuntur ultores Chriſtiani, qui non aliam de hoſtibus vindictam expetunt, quàm ut ſibi ipſis hoſtes eſſe deſinant, fidem amplectantur, de Dei inimicis amici fiant. Eccleſiaſtici votum eſt c. 49. *Oſſa Prophetarum pullulent de loco ſuo*: pullulant de locis ſuis oſſa Martyrum ante ipſam reſurrectionem, cùm de eorum exemplis ſuccreſcunt imitantium turmæ, germinant virtutes, ex uno centeni prodeunt. Granum frumenti cadens in terram moritur, inde fruges multiplicato fœnore. Machabæi noſtri JESU Chriſti exercitus augetur inter prælia: labores ipſi & pericula militem advocant. Conveniant undique gentes, *ut nos conſumant*; conſumpti durabimus; in ipſa infœlicitate proſperitatem, in detrimento profectum, in damno lucrum inveniemus.

Cur Judas numeroſiorem militem habet, quàm Simon?

Alterum quod notes, eſt verſu 17. ubi multò numeroſior Judæ, quàm Simoni miles attribuitur: quia ſcilicet illius expeditio & longior erat, & difficilior, in regionem remotiorem & hoſtibus Judæorum ubique infeſſam. Hæc vera ratio eſt. Allegoriam innuit Rabanus, quod Simon eos ſignificet Doctores, qui in Gentiles pugnant; Judas verò & Jonathas alios, qui adversùs Judæorum & Hæreticorum errores præliantur. Unum cum tribus millibus in Gentiles pugnare: quia idololatris fides unius Dei & Trinitatis perſuadenda eſt. Duos cum octo millibus in Judæos & Hæreticos pugnare, quia utriuſque Teſtamenti Scripturâ revincendi ſunt, & ad Chriſti ſpiritualem reſurrectionem octonario ſignificatam adducendi.

Bella ſpiritualia in Paganos.

Si hanc Rabani allegoriam explicare clariùs, & longiùs extendere volueris; Adverte: *Galilæâ Gentium* valdè aptè exprimi *Gentiles* ex ipſo nomine: *Simone* autem, id eſt *obediente*, optimè ſignificari Doctores & prædicatores, qui idololatriam expugnatum eunt; non enim eunt niſi ex obedientia, illi nominatim quibus votum eſt Obedientiæ ſummo Pontifici circa miſſiones. Vides ignota maria trajicientem, ad efferas & barbaras gentes navigantem, novos orbes quærentem Xaverium? Simon eſt, obedit. Vides ſocios ejus, nunc inter exuſtas æſtu arenas, ſub ipſo torridæ Zonæ Sole, nunc inter Septemtrionum glacies, & gelu perpetuo rigentes ſilvas? Simones ſunt, obediunt. Vaſa ſunt electionis, ut portent nomen JESU coram gentibus. Ii ſunt quibus applicari poſſint verba Iſaiæ cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, ad populum terribilem poſt quem non eſt alius, ad gentem exſpectantem & conculcatam.*

Bella ſpiritualia cum Hæreticis difficiliora.

Ex aliâ parte hoſtes Judæorum, qui in Galaaditide graſſantur, Hæreticos adumbrant. Galaad *abjectionem* ſignificat: abjecti hæretici. Galaad intra terminos eſt terræ promiſſæ: hæreſis intra Eccleſiam naſcitur. Iſti Judæorum adverſarii inter Judæos habitant: ſic hæretici exierunt è nobis, ſed non erant ex nobis. Judas qui Confitentem ſignificat, cum Jonatha, id eſt Dei gratia, adverſus Hæreticos præliatur: firma enim fidei confeſſione, & abundante Dei gratiâ, ad iſtud certamen opus eſt. Majores item copiæ dantur Judæ, quàm Simoni, quia hæreticos difficiliùs eſt ad fidem reducere, quàm idololatras adducere. Vel quòd à Deo illi tamquam magis noxii magis deſeruntur. *Ethnici*, inquit Tert. lib. de Carne Chriſti, *non credendo credunt, at hæretici credendo non*

 credunt;

credunt, & ideò magis peccant lucem admiſſam ejiciendo, quàm illi non admittendo. Vel quòd inſtructiores ſunt, & ingenio ſuo ac ſcientiæ plus tribuunt. *Scripturarum*, inquit Rabanus hic, *teſtimoniis abutentes, & per veritatem ſani intellectûs debellandi.* Vel denique, quia hæreſeos proprius character eſt pertinacia in errore. Sic à Sancto Ignatio noſtro unus ad Gentiles primùm miſſus Xaverius & quidem in Simonis locum, Simon novus, cui unica litera I, epiſtolâ ſubſcripta Ignatii nomen indicans, ſatis erat, ad metiendam & remetiendam orbis totius viam: duo verò adversùs Hæreticos miſſi Laynius & Salmeron, Judæ inſtar & Jonathæ, uterque doctrina inſignes. Similia in Divorum Dominici, Franciſci, aliisque familiis notare poteris.

Quid Eccleſiæ hæreſes conferunt?

Quod verò Eccleſiæ ab his in hæreticos præliis emolumentum? Diſce à Tertulliano, de Præſcrip. adv. Hær. *Ad hoc ſunt hæreſes, ut fides, habendo tentationem, habeat & probationem.* Diſce ab Auguſtino lib. 16. de Civ. cap. 1. *Multa ad fidem Catholicam ſpectantia, dum hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur, & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.* Sic ep. 105. notat, Catholicos ad Scripturam diligentiùs legendam excitari hæreticorum impugnatione. Sic in pſ. 54. oſtendit, propter Arianos de Trinitate accuratiſſimè in Eccleſia diſputatum: de Pœnitentia quæſitum propter Novatianos. Ita hodie Venerabilis Sacramenti myſterium auguſtius & celebrius fecit Calviniana hæreſis: ad liberi arbitrii cum divina gratiâ conciliationem, ingenia Catholicorum acuit Pſeudo-Auguſtinianorum ſeu Janſenianorum temeritas. Idem Auguſtinus, de utilitate hæreſeon agens, lib. 18. de Civ. cap. 51. *Inimici*, inquit, *omnes Eccleſiæ quolibet errore cæcentur, vel malitiâ depraventur, ſi accipiant poteſtatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam: ſi tantummodò malè ſentiendo adverſantur, exercent ejus ſapientiam: ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficentiam.* Vide, de hoc eodem argumento, Vincentium Lirin. libello contra hæreſeon novitates, variis locis, præſertim paullò poſt initium, ubi hæreſibus applicat iſtud Deut. 13. cùm dicitur, ſi pſeudo-propheta venerit ad ſeducendum populum, id permitti, *ut tentet vos Dominus Deus noſter.*

Emigratio è locis virtuti infeſtis. vide & verſum 53.

℣. 21. 22. 23. Perſtringitur expeditio Simonis, qui *abiit in Galilæam, & commiſit prælia multa cum Gentibus*, & contritæ ſunt *Gentes à facie ejus, & perſecutus eſt eos uſque ad portam*, Græcè portas, *Ptolemaidis: & ceciderunt de Gentibus ferè*, Græcè *ad, tria millia virorum, & accepit ſpolia eorum. Et aſſumpſit eos qui erant in Galilæa, & in Arbatis, cum uxoribus, & natis, & omnibus quæ erant illis, & adduxit in Iudæam, cum lætitia magna.* Lætos ipſos adduxit, & ab aliis collætantibus excepti fuêre. Probavêre ſcilicet omnes prudens Simonis conſilium, qui Judæos, cùm pacati, tot circumjectis in vicino hoſtibus, eſſe non poſſent, in tuto collocandos judicavit, & adduxit in Judæam preſſiùs ſumptam, ubi quietiùs Deo, reipublicæ, ac ſibi vacarent. Sic hodie Catholici multi è regionibus Infidelium, ubi Deo pacatè ſervire non ſinuntur, emigrant: & ultrò patriam exilio mutant, ut in Judæa, id eſt regione ubi veræ fidei confeſſio publica viget, habitare poſſint.

Arbata quæ?

De *Arbatis*, ſeu, ut Græcè eſt, ἀρβάττοις, *Arbattis*, quæritur quid ſint? Nuſquam enim tota Scripturâ, præterquam hîc, Arbatorum nomen: niſi dicas, ut Salianus notat, Abialbon *Arbathiten* unum de fortibus David 2. Reg. 23. qui Abel 1. Paral. 11. dicitur, ex Arbatis oriundum fuiſſe. Auctores ipſi, qui locorum Hebraicorum Onomaſtica texuêre, & in his Euſebius, Hieronymus, Adrichomius, Arbatorum ne meminerunt quidem. Bonfrerius in ſuo hoc ſolùm dicit, *Arbata locus circa Galilæam.* Dicendum igitur ex conjectura, partem aliquam Galilææ, aut oppidum fuiſſe, ubi potiſſimùm habitabant Judæi illi, quos defenſum ivit Simon, & ſecum reduxit. Quod itaque in textu dicitur, *in Galilæa & in Arbatis*, iſtud *&*, non diſtinctionem loci ſignificat, ſed conjunctionem potiùs, more Scripturæ uſitato: ut hîc ſit ſenſus: *In Galilæa, & eo præſertim Galilææ loco, qui Arbata dicitur.*

Series hiſtoriæ.

Dum hæc à Simone fiunt, Judas & Jonathas alibi rem impigrè gerebant: unde in ſerie hiſtoriæ quædam hiſce verſibus præpoſuimus, alia interſeruimus. Numero 56. 57. 58. Joppen à Iuda captam, victos Arabes, Caſphin expugnatam ex libri 2. capite 12. Numero autem 60. 61. 62. tum 64. &c. cladem Ioſephi & Azariæ, & expeditiones alias Iudæ, quæ hoc capite ſubnectuntur.

Ioppe ubi ſita?

Joppe, de qua in hiſce libris frequens mentio eſt, portum habet hodieque nominatiſſimum; quò Europæi fermè omnes, ſancta loca viſuri, ſolent appellere. *Iapha* nunc appellatur, ex Hebraico nomine *Iapho.* Sita erat in ipſis tribuum Ephraim, Iuda, & Dan confiniis: ad quam autem potiùs illarum ſpectaverit, decidere noſtra non intereſt; præſertim cùm certæ nullæ, in magna opinionum varietate, rationes afferantur.

Jamnia quàm diſſita Hieroſolymis?

Jamnia item portus fuit celebris propè eoſdem fines, oppido Ioppenſi Auſtralior. Azoto ducentis ſtadiis Strabo diſſitam facit. Libri ſecundi, cap. 12. manifeſtè indicatur Hieroſolymâ remotam fuiſſe *ſtadiis* omninò *ducentis quadraginta*: cui numero ſex addit Gorionides apud Tirinum. Sed eo Gorionidæ auctario prætermiſſo, ſi ſtadiorum menſurâ Romanâ, tunc paſſim etiam Græcis cognitâ & uſurpatâ, Hiſtoricus ſacer uſus eſt: abfuit Hieroſolymis Jamnia horis omninò decem. Tirinus, quia forſan Græcanicâ menſurâ paullò breviore, quàm Romana, ſcriptorem illum uſum exiſtimat, ex eo ſtadiorum numero conficit decem fermè horas itineris, non autem totas. In ſua tamen chorographia diſtantiam iſtam non ſervavit, uti nec Bonfrerius: nos exprimere conati ſumus, ideoque litus maris, cui urbs adſita erat, in ſinum introrſum recedentem efformavimus; ut Hieroſolymâ propiùs abſit quàm litus cæterum.

An eadem quæ Accaron?

Accaroni eamdem aliqui *Iamniam* fecêre apud Ortelium, neque Ortelio diſplicet. Bonfrerius in Onomaſtico eam ſententiam non omninò rejicit. Sed vel ex hoc Machabæorum libro prorſus videtur explodenda; cùm cap. 10. diſertè memoretur Accaron, memoratâ tum alibi Iamniâ, tum illo ipſo capite, velut urbibus planè diverſis.

Caſphin ubi?

Casphin non longè à Iamnia reponit Adrichomius: accedit Bonfrerius in Onomaſtico; etſi non probat Adrichomii conjecturam, putantis è Scriptura colligi, ſtadiis omninò novem abfuiſſe Iamniâ: quia ſtadiis novem *inde*, id eſt Iamniâ, dicitur Iudas cum Arabibus commiſiſſe, & mox ſubditur de urbe Caſphin. Tirinus paullò longiùs Adrichomio ſemovet ad Orientem: mihi etiam ulteriùs aliquantò, ad Boream & Eurum ſtatuenda videbatur, ex lib. 2. cap. 12.

Characa urbs ubi?

Victis enim Arabibus: quos à Timotheo immiſſos in interiora Iudææ credibile eſt, ut Iudam interim diſtinerent, dum ipſe Iudæos omnes in

Galaadi-

Galaaditide opprimeret. Iis ergo victis, & Caſphin expugnatâ, dicitur Iudas *inde*, id eſt à Caſphin, profectus *ſtadia ſeptingenta quinquaginta*, veniſſe *in Characa*; quod nomen *feneſtram* ſignificat, eratque urbs aut munimentum apud eos, *qui dicuntur Tubianæi, Iudæos*. Tubianæos autem ſuprà verſu 9. in Manaſſitica Galaaditide reponimus: unde Caſphin aberat horas præter propter duas ſupra triginta, ne dicamus horas triginta & unam, ſextamque horæ, & ſtadium unum.

A caritate celeritas.

℣. 24. Et Judas Mach. et fratres eius, transierunt Jordanem. Joppe interceptâ, Jamnienſi portu ſuccenſo, victis in vicino conductitiis Syrorum Arabibus, expugnatâ Caſphin, iter ad fallendum hoſtem reflectunt, & per Vallem illuſtrem ad Jordanem ducunt; continuatis laboribus, ac memoranda celeritate, in pedeſtri præſertim agmine. Urgebat ſcilicet, quod utinam Chriſtianos caritatis alumnos eodem modò ſtimulet, ſtudium ſubveniendi arctatis fratribus, & ad extremum adductis. *Pedibus*, apud Poëtam, *timor addidit alas*: hic fraternus amor.

Quod deſertum Judas tranſiit?

Et abierunt viam trium dierum per desertum, tranſito Jordane. Intellige ergo hîc, nomine deſerti, ſolitudines partim Moabitidis, partim Arabiæ Petrææ. Fuiſſe enim ſolitudinem in tribu Ruben & Moabitide, diſcimus ex Joſue. 20.& 21. ubi Boſor, civitas refugii in tribu Ruben, ponitur in campeſtri ſolitudine. Hac Moabitica ſolitudine emenſa, quæ utique diem unum non tenuit, tridui reliquum, torrente Arnon tranſmiſſo, poſitum eſt in itinere per Petræam Arabeiam, ſecundùm montes eam à Transjordanina Petrææve regione diſtermioantes.

Cur illac?

Circuitus ille faciendus fuit, ne per hoſtile ſolum rectà in hoſtes docentibus alimenta deeſſent; & ad flumen Jazer, torrentem Jaboc, rivoſque alios Petrææ per hoſtilium copiarum partem diſtinerentur, donec Datheman veniſſet in Timothei poteſtatem. Præthereà videtur Judas voluiſſe improviſus hoſtibus advenire: quod alio nullo itinere meliùs poterat.

Nabuthæorum regio ubi?

℣. 25. Et occurrerunt eis Nabuthæi. Incolæ Arabiæ Petrææ, Nabathæi communiùs appellati, ab ejus regionis urbe Nabatha, quam Bonfrerius eamdem exiſtimat eſſe ac Petram, ſeu Recem, propè montem Hor & Madianitidem. Sed vel ex hoc loco non obſcurè colligitur, Nabathæos longè ab ea Petra habitâſſe: cùm occurrant Judæis, ex Moabitide in Galaaditidem pergentibus. Itaque meliùs Tirinus Nabatham, ſic vocatam ab Iſmaëlis primogênito Nabajoth, collocat non longè à rupe Arnon: potuit etiam, ex ratione triduani itineris, propiùs ad Ammonitas admovere; non tamen ibi Sabam, Arabiámve fæliciem annotâſſe debuit, vir de Scripturæ ſtudioſis valdè benè meritus.

An Nabuthæi Iſraëlitæ?

Erant Nabuthæi Judæorum amici, ut disertè habetur infrà, cap. 9. verſ. 35. non autem inter Iſraëlitas cenſebantur: etſi Salianus id colligere conetur ex iſtis verbis; *narraverunt omnia, quæ acciderunt fratribus eorum in Galaaditide*. Neque enim narrârunt, quæ ſuis fratribus acciderunt, ſed quæ fratribus eorum, id eſt Judæorum; ex eodem Abrahæo genere per Iſmaëlem prognati, at non ex Iſraëlitico.

Diſcrimen Judæorum Galaaditarum.

℣. 26. 27. Hi ergo pro vetere cum Judæis amicitia, ſalutato Juda & Jonatha, &, ut veroſimillimum eſt, rebus neceſſariis donato, referunt *comprehenſos*; id eſt, ut ex ſequentibus intelligitur, captos in quibuſdam urbibus, in aliis locis circumſeſſos Judæos: cædem aut vim in poſterum diem parari; cædem, captis; vim, obſeſſis. Græcè enim habetur hoſtes Iſraelitarum ſtatuiſſe, *craſtino admovere exercitum munitionibus*: pro quo Vulgata habet, *civitatibus his*.

Baraſa an Boſra?

Nominantur autem præſertim ſex civitatès munitæ, & magnæ: *in Baraſa, & Boſor, & in Alimis, & in Caſphor, & Mageth, & Carnaim*. Græcè pro Baraſa habetur Boſorrha: unde Bonfrerius conjiciebat reſtituendum in Vulgata nomen Boſra. Sed cum Boſra una Arabiæ, alia Idumææ urbs ſit, conjectura iſta locum habere non poteſt, & lectio textûs noſtri retinenda, quam etiam Bonfrerius in Onomaſtico retinuerat.

Alima urbs, an regio?

Pro, *in Boſor, & in Alimis*, Græcè eſt, *& Boſor in Alemis*: quaſi *Alima*, vel *Alema*, non urbis nomen ſit, ſed regionis, ubi ſita fuerit Boſor; forſan ad hanc diſtinguendam ab alia Boſor Moabitica, de qua ſuprà. Retinenda tamen & hîc lectio noſtra: cùm non appareat ratio inſerendi nomen regionis, ubi agitur ſolùm de urbibus, iiſque ſatis ex poſitu cognitis; ut periculum non eſſet, ne cum urbibus cognominibus confunderentur. Pro, *Caſphor*, Græca Regia habent *Caſcor*; pro *Mageth*, habent *Maced*.

Earum urbium ſitus.

Harum urbium pleraſque Tirinus, in chorographica ſua tabula, conſtituit inter torrentes Arnon & Jaboc. Sed tota itineris & circuitus triduani per deſertum ratio, id nullatenus pati videtur. Quorſum enim tam citato agmine per Nabathenam circumflexiſſent; ſi urbes ibi erant, & rectà illuc tranſito Jordane duci poterat, itinere compendioſo, neque impedito? Meliùs itaque ab aliis collocantur in dimidia tribu Manaſſe, trans torrentem Jaboc, & ulteriorem rivum, qui in medium mare Galilææ influit, vocaturque à quibuſdam Hieromace: cumque ſitum nos ſequemur, aut mutabimus; prout exiget ordo narrationis, & curſus victoriarum Machabæi, réſque ipſa ſubjecta.

Baraſa occupata, & excıſa.

℣. 28. Et convertit Judas, et exercitus eius, viam in desertum Bosor repente, et occupavit civitatem. Quam civitatem, & quam Boſor? Non illam certè Moabiticam; à qua jam minimùm itinere tridui receſſerat, & ad quam fruſtra rediiſſet, ut periclitantibus craſtino Judæis ſuccurreret. Non aliam Boſor Galaaditicam, quæ demum verſ. 36. capta memoratur. Baraſam itaque hîc intellige, quæ poſtmodùm non nominatur, & primo loco poſita eſt verſ. 26. Græca Regia ſic legunt hunc verſum: *Et convertit Iudas, & exercitus ejus iter in deſertum ad Boſorrha repentè: & cepit civitatem*. Baraſam autem Boſorrham etiam appellari, ſuprà monuimus. Fuerit itaque iſta urbs in aditu Galaaditidis poſita ad montes, primáque occurrerit Machabæo; poſtquam auditis Nabuthæis iter ſuum non retroflexit, ſed repentè convertit per reliquam Petrææ Arabiæ ſolitudinem ad montes Galaad.

Juſtè deletur.

In eam civitatem cæde maſculorum omnium, deprædatione, incendio ſævitum eſt. Juſtè & prudenter id à Juda factum: tum quòd incolæ permiſtos ſibi Judæos, cives ſuos, injuſtè obtruncare ſtatuiſſent, atque adeò pœnam talionis mererentur: tum ut cæteræ urbes, hujus ſupplicio, abſterrerentur ab inferenda, quam in poſterum diem cogitabant, Judæis cæde.

Hæretici quomodò impugnandi?

Judæ inſtar, inquit Rabanus, Doctores Catholici hæreſim impugnantes omnem maſculum occidunt in ore gladii, id eſt, *omnem vigorem iniquarum ſectarum gladio Spiritus Sancti, quod eſt verbum Dei, deſtruunt*.

deſtruunt. Accipiunt ſpolia eorum, *cùm teſtimonia Scripturarum ſanctarum, quibus illi abuſi ſunt, ab eis, quaſi injuſtis poſſeſſoribus, auferunt.* Incendunt civitatem, *cùm ipſam confeſſionem iniquarum doctrinarum, quàm illi nequiter compoſuerant, per ignem juſtæ ultionis anathemate perpetuo comburunt.* Utinam Theologi & Eccleſiaſtæ nonnulli hodie ea monita obſervent. Tertium quidem de exurendis Hæreticorum libris, in quibuſdam regionibus ſatis diligenter ſervatur. At primum & ſecundum, de impugnandis per Scripturam ſacram hæreſibus, non item: ut Proleg. Sect. 5. & 6. diximus.

Celeritas Judæ.

℣. 29. uſque ad 37. ET SURREXERUNT INDE NOCTE, mira iterum celeritate uſi. Nam eo ipſo die, quo à Nabuthæis diſcrimen fratrum ſuorum didicerant, Baraſam occupavêre ſub veſperam: eam horis aliquot prædati, vix ullâ imò nullâ quiete ſumpta; quæ etiam ſumi non poterat, in ea urbis ſtrage, omnia miſcentibus lamentis & vociferationibus pereuntium, & perdentium: ſine mora ergo *ad munitionem* Dathemam obſidione liberandam citato agmine rapiuntur.

Solvitur obſidio Datheman.

Et verò commodiſſimè venerunt prima luce, cùm ab Infidelibus ſcalæ & machinæ admoverentur occupandæ munitioni, quæ mox urbs & civitas dicitur. *Et vidit Iudas, quia cœpit bellum:* jam ad manus ventum erat: *& clamor belli aſcendit ad cælum ſicut tuba,* ſeu ut Græcè eſt, *clamor urbis aſcendit in cælum tubis,* &c. Nihil itaque cunctandum ratus, ſuoſque ad fratrum auxilium hortatus, & copias in tres ordines partitus, forſan ut totidem partibus caſtra hoſtilia invaderet, ſigno tubis dato, factáque ad Deum oratione, obſidentes aggreditur. At illi, cognito Machabæum adeſſe, cujus vel nomen ſolum ipſis terrori erat, *refugerunt à facie ejus, ceciderúntque ex eis in illa die ferè octo millia virorum,* ſeu, ut Græcè eſt, *ad octo millia virorum.*

Urbes à Juda captæ.

Victoriâ uſus Judas in ea hoſtium conſternatione *divertit*, ſeu, ut Græcè eſt, *declinavit in Maſpha* Galaaditicam, ad radices montis Hermon, quam Malloo Joſephus appellat, non autem ad aliam ultra torrentem ſitam Gaditicæ tribûs. Cæde, deprædatione, incendio in illam, uti in Baraſam, pro meritis ſævitum: indéque, eodem victoriæ curſu, occupata *Casbon, Mageth, Boſor, & reliquæ civitates Galaaditidis,* quas proinde inter ſe finitimas intra Manaſſiticæ tribûs limites collocamus.

Timotheus cæſus.

℣. 37. uſque ad 45. Timotheus interim, qui proculdubiò ad præfecturæ ſuæ interiora refugerat, collectis ſuorum reliquiis, & ſuppletis novo delectu, *congregavit exercitum alium:* ad quem ſe adjunxêre ex vicinis populis plurimi, additíque Arabes conductitii. Itaque conflatus eſt *exercitus multus nimis:* ut centum viginti peditum millia, bis mille quingenti equites numerarentur, ex cenſu libri 2. cap. 12. unde ſupplenda ſunt, quæ hic deſunt. Tanta multitudo, quæ tumultuariè confluxerat, tumultuario prælio protrita & confecta eſt. Vide noſtram hiſtoriæ ſeriem num. 64. 65. 66.

Scribæ ſub Juda militant.

In textu plana ſunt fermè omnia. Si quid difficultatis eſt, paucis quæſtiunculis expedire conabimur. Ac primùm: quorſum Judas verſ. 42. deligit potiſſimùm *ſcribas populi*, ut ab illis ſui omnes ad tranſmittendum torrentem adigantur, & hominum nemo relinquatur ad aliam ripam, ſeu, ut Græcè eſt, hominum nullus ſinatur caſtra figere, παρεμβαλεῖν? Obvia quidem ratio eſt, cur ad ſarcinas manere nullum voluerit: ne quam inde occaſionem à prælio abſtinendi timidiores arriperent; & ne ab hoſtibus inde majores animi ſumerentur, ex Timothei omine, cui ſimile eſt, 1. Reg. 14. omen Jonathæ. At cur ad illud officii delecti ſunt ſcribæ, homines literis ac legis ſtudiis addicti; & non potiùs centuriones, ac viri militares? Dicendum: ſcribas euſdem & milites fuiſſe, illis temporibus, quæ gladium magis, quàm calamum poſtulabant. Quid autem mirum, ſi ſcribæ ordines duxerint, quando ſummus ipſe Pontifex ducebat exercitum?

Urbs Raphon, ad torrentem Jaboc.

Major difficultas eſt in definiendo loco certaminis. Quid enim eſt *Raphon?* Quis *torrens*, ad cujus ulteriorem ripam Timotheus caſtra poſuit? Ad quam ripam torrentis Machabæus ſtetit, ad quam tranſiit? Raphon urbem facit Joſephus, aſſentitur Salianus, ſequitur Bonfrerius, eámque locat paullò ſupra oſtium torrentis Iaboc, ad Borealem ripam: nec mihi occurrit, quod meliùs dicatur. Conſequetur: torrentem, de quo hîc mentio, alium non eſſe quàm Iaboc, qui Manaſſitas à Gaditis dividit, eſtque Galaaditidis præcipuus; ut antonomaſticè torrens appellari poſſit, imò & *flumen*, quæ ipſi appellatio tribuitur verſ. 41. tum Latinè, tum Græcè.

Judas ex Auſtrali torrentis ripa tranſgreſſus.

De ripa, ubi Timotheus conſtitit, ſtatuendum eſt ex poſitu urbis Carnaim, quò ex clade Timotheani refugerunt. Fuiſſe autem eamdem urbem, quæ alibi Aſtaroth Carnaim appellatur, olimque erat Regia Og Regis Baſan, cenſent plerique, nec video rationem aliter ſentiendi. Itaque Timotheus ad Borealem ripam ſeu Manaſſiticam copias continuit: Iudas ex altera tranſmiſit. At nonne modò dicebamus, & ſeries rerum poſtulabat, in Manaſſitica tribu continuatas à Iuda urbium expugnationes? Omninò. Sed *poſt hæc verba*, ut habetur verſ. 37. id eſt, poſt res haſce geſtas, cùm Timotheum maximis copiis ſtipatum apud Characam urbem Tubianæam fruſtra quæſiſſet, quomodò libro 2. cap. 12. verſ. 17. narratur: ipſos Ammonitidis fines ad Gaditicam tribum trangreſſus eſt, ut illum ad ſua tuenda revocaret, & terrorem quaquaverſum circumferret: quod etſi Scriptura non exprimat, ſatis tamen ex rerum ordine intelligitur.

Carnaïm & Carnion urbs eadem.

Quæras etiam, quæ fuerit Carnaïm, eadémne quæ Carnion vocatur libro 2. cap. 12. verſ. 21.? Adrichomius in tabulis utramque diſtinguit, diſtinguit etiam Serarius, & Tirinus: ex eo, ut apparet fundamento, quòd iſtam in Timotheum expeditionem libro ſecundo deſcriptam, ab hac noſtrâ diverſam eſſe putent. Saliano contra probabilius videtur, eamdem utrobique narrari. Vide eum ad annum 3891. numero 98.

Stabilitur ſeries hiſtoriæ.

Mihi verò non probabilius ſolùm eſt, ſed fermè indubitatum. Conveniunt enim plurimæ circumſtantiæ, idem utrobique dux, idem tempus expeditionis, eventus idem; fani mentio utrobique, in quo cæſi plurimi: quod enim fanum generatim hîc vocatur, verſ. 44. *Atargateum* ἀταργατεῖον, id eſt, Deæ Atargates fanum, diſertè dicitur in textu Græco libri ſecundi, cap. 12. v. 26. Adde ſimilitudinem nominis Carnaim & Carnion, quod auctor libri ſecundi, Græcè ſcribens, in Græcum deflexit. Accedit, quòd nuſquam Joſephus Carnii meminerit; ſed *Carnaim* ſolùm quam *Carnain* vocat, quomodò & hîc ſcribitur in textu Græco.

Reſpondetur objectionibus.

Nec obſtat, quòd varia in hoc libro de iſta expeditione narrantur, quæ in libro ſecundo expreſſa non ſunt, & contrà: nihil enim novi eſt, alterum ab altero Scripturæ librum ſuppleri, ut paſſim fit in libris Paralipomenon & Regum. Parum etiam ad rem, quòd hoc loco referatur ea expeditio ante mortem Antiochi, at libro ſecundo poſt mortem: jam enim ſuprà poſt verſum octavum adverti-

advertimur, ab auctore libri primi omnia hæc, cum finitimis gentibus, prælia narrari per anticipationem. Denique nihil obſtat, quòd *Carnaim urbs* vocetur; *Carnion* autem, *præſidium*: poteſt enim idem locus eſſe utrumque ſimul, quomodò *Bethſura* disertè hiſce ipſis libris *munitio* vocatur, & *civitas*. *Carnion* certè, quantumvis *præſidium* ſolummodò nominet auctor libri ſecundi, tamen ſatis innuit valdè amplum fuiſſe, cùm ibi viginti quinque millia promiſcuæ multitudinis ceciderint. *Carnaim* item, etſi *urbs* hîc dicatur, valdè munitam fuiſſe, adeoque præſidium vocari potuiſſe, patet ex eo, quòd illuc miles Timothei à prælio refugerit; videturque ob loci ſitum & munitionem, accepiſſe ipſum nomen *Carnaim*, id eſt, *Cornua*, quod Hebræa phraſi robur, potentiam, ſuperbiam ſignificat.

Dæmon intrepidè aggrediendus Machabæo Chriſtiano.

Ex facinore Machabæi, torrentem tranſeuntis, & intrepidè hoſtem aggreſſi, diſce, ſi dæmonum impugnationes, & fortunæ ictus vincere vis, ultrò illis obviàm eundum. Timotheo ſimilis dæmon, ex timore aut fiducia noſtra victoriæ augurium capit: nihil illo adversùs formidoloſos audacius, nihil adversùs audaces formidoloſius: in reſiſtentes lepus, in trepidantes leo eſt. Lupi indolem habet, quem ſi fidenter aggrederis, fugit: ſi times, nihil ferocius. Perſpectum hoc ſancto Jacobo, ſpiritali Machabæo, cùm epiſtolæ ſuæ Canonicæ cap. 3. dicit, *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Perſpectum item Antonio magno, alteri Judæ, cùm ſuos hortabatur, ne dæmonem timerent, à quo horreri ſciret piorum vigilias, jejunia, orationes; ſed ultrò in certamen, armis illis muniti, deſcenderent. Ipſe ſibi infirmitatis ſuæ conſcius vim apertam parare vix audet; ſed ferè per artes & cuniculos agit. Aucupis potiùs inſtar eſt, quàm militis: hinc à Tertul. libro de anima dicitur, *Spiritus nequam, ab ipſa etiam januâ nativitatis animas aucupabundus.* Et Auguſtinus, ep. 146. ad Conſentium, tentationes dæmonis non aliter fieri putat, quàm deceptione: *Alia*, inquit, *eſt tentatio deceptionis, alia tentatio probationis; ſecundùm illam, non intelligitur qui tentat, niſi diabolus: ſecundum hanc verò tentat Deus.* Tranſgredere itaque audacter *torrentem* paſſionum, Chriſtiane miles, Deo fide, cave quidquam in te ſit fanatici metus, videbis mox verſam dæmonis aciem, *Carnaim* capies & exures, *& omnia Cornua peccatorum conterentur, & exaltabuntur Cornua juſti.*

Calamitates occupa, vinces.

Eodem ſtratagemate utendum adversùs omnem fortunæ ictum, & calamitates quaſlibet. *Torrentem* tranſgredere, id eſt, vitæ mortalis & rerum caducarum amorem: quid enim ſunt aliud quàm torrens? Occurre calamitatibus, infortunia occupa. Cùm eminùs & trepidè aſpicis, fulmina putes: ſi cominùs & fidenter intueris, larvæ ſunt. Præcogita itaque quidquid evenire poteſt, & animum adversùs humana omnia obfirma, hoc eſt illis obviàm ire, hoſtem occupare. Theſei id conſilium apud Ciceronem Tuſc. 3. *Præmeditatio*, inquit, *futurorum malorum, lenit eorum adventum. Itaque apud Euripidem à Theſeo dicta laudantur:*

Futuras mecum commentabar miſerias,
Vt ſi quæ invecta diritas caſu foret,
Non me imparatum cura laceraret recens.

Nimirum, inquit ibidem Cicero, *hac eſt præſtans & divina ſapientia perceptas penitùs & pertractatas res humanas habere: nihil admirari, cum acciderit; nihil, antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari.* Seneca ep. 63. poſtquam dixit Annæum Serenum à ſe immodicè defletum, & maximam ſibi lugendi cauſſam fuiſſe, quòd numquam cogitaverat mori eum ante ſe poſſe: *Aſſiduè*, inquit, *cogitemus, tam de noſtra, quàm de omnium, quos diligimus mortalitate*; Jobi hoc ſtratagema, quem præcogitando adversùs mala obduruiſſe, atque ideò tam pacatè tot genera miſeriarum tuliſſe, exiſtimat Chryſoſt. l. *quod nemo læditur niſi à ſeipſo.* S. Lupus flagello Dei Attilæ, feroci ac barbaro homini, obviàm eundo, eum tractabilem fecit: occurre flagellis Dei calamitatibus, ſuaves, molliores ſaltem, efficies. Mavis Chriſti veri noſtri Machabæi exemplum? Vide ipſum trans *torrentem* Cedron ultrò ad patiendum euntem: vide Iudæ proditori occurrentem: audi tam ſæpè de Paſſione ſua cum diſcipulis colloquentem, quaſi ut ſe, illos ſaltem, aſſiduâ ejus dici cogitatione præmuniat. De iſta occupatione calamitatum multa præclarè Seneca variis epiſtolis, uti 76. ſub finem, ubi virum magnum ait ſimilem eſſe debere poëtico iſti Heroï, qui eventuras ſibi calamitates ſecurus audit, & dicit: *Non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave ſurgit. Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.* Item epiſt. 91. ubi hæc è multis: *Inexpectata plus aggravant, novitas adjicit calamitatibus pondus. Ideò nihil nobis improviſum eſſe debet: in omnia præmittendus eſt animus, cogitandumq; non quidquid ſolet, ſed quidquid poteſt fieri.* Vide epiſtolæ reliqua, digna ſunt lectu. Vide & Manuale Epicteti, ubi hoc præceptum, ad ſuperandas generoſa occupatione calamitates, egregiè commendatur. Vide & nos ad cap. 6. verſ. 46.

Ephron expugnata.

℣. 45. uſque ad 52. Narratur Judam, eodem conſilio quo Simonem, Judæos Galaaditicæ regionis in interiorem Judæam reduxiſſe, & cum illis iter facientem veniſſe ad urbem Ephron, quà neceſſariò erat ipſis tranſeundum: Ephronitas recuſâſſe, & ad prohibendum tranſitum vim paráſſe: poſt diei totius ac noctis oppugnationem, à victoribus Judæis cæſos maſculos omnes tanto numero, ut tranſiretur *per totam civitatem ſuper interfectos*: capta ſpolia, dirutam denique ac ſolo æquatam urbem, id enim in utroque textu indicatur voce *eradicavit.* Addit Joſephus etiam incenſam fuiſſe. In textu nihil eſt ambiguum, niſi quòd, ubi Vulgata v. 47. habet, *& incluſerunt ſe, qui erant in civitate*, Interpres Græcorum Regiorum verterit, *& incluſerunt eos, qui de civitate.* Sed textum Græcum non benè intellexit: etſi enim habeatur ἀπέκλεισαν αὐτοὺς *incluſerunt eos*, vertendum tamen fuit, *incluſerunt ſeipſos*, cùm ſæpè αὐτοὺς Græcè ponatur pro ἑαυτοὺς *ſeipſos*: quomodò etiam hîc in Sixtinis Nobilius expreſſit. Aut ſi Interpres ille volebat pro αὐτοὺς ponere *eos*, ἀπέκλεισαν vertiſſet *excluſerunt*, ut ſenſus eſſet, *qui erant in civitate excluſerunt eos*, id eſt Iudæos non admiſerunt, clauſis imò obſtructis portis.

Sita erat trans Jordanem.

De ea civitate Ephron tria quærenda: primùm, quæ fuerit: deinde, an eadem ſit de qua lib. 2. cap. 12. v. 27. & 28. denique, an jure Machabæus pro negato tranſitu tantas pœnas exegerit. Ad primum: conſtat, hanc Ephronem non fuiſſe in tribu Ephraim, ubi urbs erat ejus nominis. Nam iſta erat cis, illa trans Iordanem: patet ex verſu proximè ſequenti, ubi Iudas, Ephrone diruta, dicitur *tranſgreſſus Iordanem*, ut iter in Iudæam proſequeretur. Aptè Adrichomius hanc Ephronem ponit in finibus tribus Manaſſe, & tribus Gad, non longè à Iordane, & torrente Iaboc: ea enim videtur recta via fuiſſe Machabæo, poſt Timotheum trans torrentem Iaboc victum, & Carnaim captam, in Iudæam redeunti. Bonfrerius mediam illam poſuit inter fluvios Iaboc & Iazer. Tirinus locavit ad Borealem ripam tor-

rentis Iaboc, quo loco Raphon à Bonfrerio ſtatuitur. Suſpicabar ego eamdem eſſe Ephronem & Raphonem, levi commutatione literarum.

Eadem eſt, de qua libro ſecundo.

Ad alterum: dicis Salianus, non improbabile eſſe, de eadem Ephrone in utroque libro agi. Dixiſſe potuit, dubium eſſe non debere: nec dubitat ipſe Serarius ad caput quintum libri primi; licèt ab hoc capite, in ſua Concordantia, caput duodecimum libri ſecundi non rectè disjunxerit. Eamdem autem urbem eſſe convincunt, primùm nomen, tum ſitus, deinde loci munitio, & civium multitudo utrobique, ingens item utrobique cædes, cujus numerus libro ſecundo exprimitur ad viginti quinque millia. His adjunge, quæ præcedunt, & ſequuntur, eadem planè. Ante Ephron occupatam Timotheus cæditur, Carnaim capitur libro primo: idem fit libro ſecundo, ut ſuprà obſervavimus. Pòſt, libro primo venitur in *Bethſan*, libro ſecundo venitur *Scythopolim*, quæ eadem urbs eſt ac Bethſan, ut mox dicemus.

Juſtæ cæſi Ephronitæ.

Ad tertium: de tantæ ſtragis Ephronitis illatæ juſtitia dubitari non poteſt, vel ex eo, quòd Iudæorum nemo in tam acri oppugnatione, munitiſſimæ, & fortiſſimè defenſæ civitatis, ceciderit, ut conſtat ex verſu 54. Non ſervâſſet autem Deus tam manifeſto miraculo impugnatores injuſtos. At ex quo capite ea juſtitia ducitur? Salianus anno citato, numero 48. dicit, *tantam ſeveritatem ad ſolum tranſitum negatum referri non poſſe, ſed oportere eos ſe hoſtiliter in Iudæos geſſiſſe, mortémque commeritos.* Forſan ea illis erant civitatibus Galaaditidis, in quibus *tenebantur comprehenſi* Iudæi v. 27. Et verò, cùm Ephron à promiſcuis Gentibus habitaretur, prorſus credibile eſt, hoſtili animo in Iudæos fuiſſe, & cædes patrâſſe, quales ab aliis Galaaditidis incolis factæ hoc capite memorantur. Hoc ad conjecturam Saliani fulciendam dixerim. Alioqui quærenda non fuit alia Machabæo oppugnationis cauſſa, quàm neceſſarii omnino tranſitus, tam amicè poſtulati, recuſatio contra jus Gentium. Non poterat, cum tantis impedimentis, & imbelli turbâ, viam iſthac aliam inire: retrogredi, & circuire per ambages, in hoſtico non licebat, niſi ſummis & forſan intolerandis incommodis: fidem dabat, ſe pacato agmine tranſiturum, nec dubium quin obſides obtulerit: negatur ab inhumanis hominibus, quod negari in eo articulo fas non erat: juſtè igitur vi extorquere vult, cùm gratîs non detur: ac denique, cùm deditio non fiat, ſed aſſultu urbs capiatur, juſtè illi infert, quod ſolet vi captis urbibus.

Cur cæſi maſculi omnes?

De omnibus maſculini ſexus cæſis, quo numero etiam infantes comprehenduntur, peculiaris hujus loci difficultas non eſt. Paſſim enim occurrit in Veteri Teſtamento, permiſſam Iudæis, imò imperatam à Deo innocentium cædem in iis præſertim civitatibus, quæ ad terræ promiſſæ ſortem pertinebant. Vide Deut. 20. legem Dei ea de re, quam hic exactè videtur ſervare Machabæus; cùm Ephron eſſet intra fines terræ promiſſæ, quomodò & Baraſa ac Maſpha, ubi etiam ſuprà dicuntur cæſi omnes maſculini ſexus.

Quis campus magnus?

℣. 52. Et transgressi sunt Iordanem in campo magno, contra faciem Bethsan. Quis iſte campus magnus? Quæ Bethſan? Campus magnus non ille eſt, quem Adrichomius, eumque ſecutus Bonfrerius in Onomaſtico dicunt vocatum aliter campum Mageddo, & Eſdrelon, in Galilæa. Sed alius eſt iſto ſuperior, de quo pluribus locis Ioſephus, nominatim lib. 4. Capt. cap. 27. Tendebatur à lacu Tiberiadis ad Aſpalthithen interfluente Iordane: alio nomine dictus *Vallis illuſtris*, & *Save*, & *Regis*: à Ioſepho dicitur *campus Regius*: apud Hieronymum in locis Hebraicis vocatur *Aulon*. Hac oportebat Iudam ex Galaaditica regione recto itinere Hieroſolyma redeuntem, tranſire, niſi per longiſſimas ambages circumire vellet mare Tiberiadis, ac deinde per Galilæam & Samariam progredi. Sed ſupervacanei erant iſti circuitus, tantam præſertim turbam ſecum trahenti.

Quæ Bethſan?

Bethſan duplicem ſtatuit Hieronymus. Aliam Ioſ. 17. v. 11. *Fuitq́ hæreditas Manaſſe in Iſſachar, & in Aſer, Bethſan, & viculi ejus*, &c. Aliam Iud. cap. 1. v. 27. *Manaſſes quoque non delevit Bethſan.* Sed pace Hieronymi, nullum ejus diſtinctionis apparet fundamentum. Quorſum enim duas ponere Bethſan in ſorte Manaſſe? Nonne eadem urbs aſſignari potuit Ioſ. 17. & non expugnari Iud. 1.? Adde utrobique eaſdem finitimas urbes accenſeri tribui Manaſſe; fuit igitur & eadem Bethſan, urbs propè Iordanem, quæ aliter Scythopolis dicta eſt. Nomine *Bethſan* Hebræo hic liber Hebraicè ſcriptus utitur, ſignificatque *Domum inimici & domum tumultûs*, aut *quietis* etiam. Liber poſterior Græcè ſcriptus, vocat eam c. 12. v. 29. Græco nomine σκυθῶν πόλιν *Scythopolin*, à Scythis reſtauratoribus olim, & habitatoribus ſuis: Solinus fabulatur à Libero conditam, deductâ Scytharum coloniâ. Si plura de ea voles, conſule Adrichomium, & Bonfrerium in Onomaſtico, & ad Joſue cap. 17. Quid autem ea urbe à Machabæo factum, quàm amicè habiti, quòd Iudæos cives ſuos amicè & ipſi habuiſſent, vide lib. 2. cap. 12. v. 29. 30. 31. & in noſtra hiſtoriæ ſerie numero 68.

Cura paterna erga ſuos.

℣. 53. Et erat Iudas congregans, et exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda. Exemplum optimi ducis, paterno & tenero erga ſuos omnes animo, qui cùm ſciret poſtremam agminis partem magis opportunam eſſe hoſtium incurſionibus, & in ea hærere ſolere laſſos aut debiles: ipſe per ſe eos tuetur, & animat. Illuſtrius hoc factum celebri illa ac ſuaviſſimâ curâ Patriarchæ Iacob erga ſuos, cùm ex Meſopotamia redux, eodem fermè itinere, quo Machabæus, graderetur. *Tranſivit vadum Iaboc*, inquit de iſto Scriptura Gen. 32. *traductiſque omnibus, quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus.* Vides Patriarcham congregantem extremos, quomodò Machabæus noſter facit, paſtoris inſtar, gregem ſuum agentis ante ſe, ne quod ei pecus pereat. De iſto item Gen. 33. dicitur, quòd greſſus ſuos attemperâris parvulis, imò animalibus: *Præcedat*, inquit fratri ſuo Eſaü comitatum offerenti, *dominus meus ante ſervum ſuum: & ego ſequar paullatim veſtigia ejus, ſicut videro parvulos meos poſſe.* Non agnoſcis geminam caritatem Machabæi noſtri, hortantis Judæos, cum familia tota tranſmigrantes, & eos ad iter animantis?

Superior ſubditos ſervet.

Attexo prudens monitum Rabani, ipſiuſmet verbis: *Iudas*, inquit, *Doctores ſanctæ Eccleſiæ ſuo exemplo inſtruit, qualem ſolicitudinem, quantúmque ſtudium debeant habere erga ſubjectos: ut in via præſentis vitæ verbum exhortationis illis impendere non negligant, ſed docendo, admonendo, increpando, atque conſolando, ſemper eis prodeſſe ſtudeant, nullúmque relabi à ſuo comitatu, atque deperire, quantum in ipſis eſt, permittant; ſed magis feſtinent, ut conſervato numero in ſuam curam ſuſceptorum, læti in terram Iuda, juxta Paulli ſententiam, ad montem Sion ac civitatem*

Dei

Dei viventis Jeruſalem cæleſtem, ac multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & judicem omnium Dominum, revertentur, tunc digni laudibus gratias agant, cujus dono ad ſedem quietis ac pacis pervenire potuerunt. Utinam hoc ſervent Prælati omnes: utinam & iſtud non malum Lirani ad hunc locum præceptum, qui ex ea Judæorum per Iudam facta tranſmigratione ait oſtendi: *quòd quilibet bonus ſuperior, ſi videat ſubditos ſuos eſſe periculosè quantum ad fidem, vel mores in aliquo loco, debet eos ad locum ſecuritatis transferre.*

Gratiæ Deo holocauſtû.

℣. 54. Et ascenderunt in montem Sion, cum lætitia et gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace. Ex libro ſecundo habemus tempus, quo Hieroſolymam venêre, imminente feſto Pentecoſtes. Unde credibile eſt non aſcendiſſe in Templum, neque holocauſta obtuliſſe, niſi feſto Pentecoſtes: aliquot enim dies ipſis fuêre ponendi in legitimis purificationibus, ob cædes patratas, & tacta cadavera hoſtium. Simul itaque per legem licuit, Machabæus cum ſuis Templum ingreſſus, qui paullò ante optimi ducis officio fungebatur, nunc ſanctum Pontificem induit; Deo acceptas refert, tot, tantillo tempore, de hoſtibus reportatas victorias. Ille Sancti Herois novus & cæteris ſolennior triumphus fuit, de vanitate & inſolentia: cùm tam proſperis ſucceſſibus non inflatus, laudem omnem fonti omnium bonorum tribuit, nullâ ſibi parte ſervatâ, holocauſtum de ſuis operibus Deo offerens, ſimul cum holocauſtis victimarum.

Lætitia de ſubditis ſervatis.

Actæ nominatim Deo gratiæ, quòd de ſuis nemo in tam diverſis ac frequentibus prælиis deſideratus eſſet: quod ſane manifeſto miraculo non poteſt non adſcribi. Ut enim alias expeditiones taceam: quis credat, potuiſſe tota die ac nocte oppugnari urbem Ephron, armis ac viris valdè munitam, & acerrimè defenſam, ex oppugnantibus tamen ne unum quidem cecidiſſe, niſi Deus Sabaoth ſcuto bonæ voluntatis ſuæ milites ſuos coronâſſet? Diſcant etiam hinc ſuperiores, quanti vitam ſuorum ſpiritualem pendere debeant, eamque exterorum converſioni, errorumque debellationi longè præponant, pluriſque coronam civicam de ſervato cive, quàm alias quaſlibet, etiam aureas, faciant. Aguntur à Juda nominatim gratiæ Deo de ſuis ſervatis: pluris nempe illi erat vita ſubditorum, quàm tot urbium expugnatio, & tot hoſtium cædes. Abſit ut qui Machabæum imitantur, ad convertendos peccatores quoſvis, vel alterius cujuſlibet boni communis prætextu, ſuos ipſi ſubditos ſalutis periculo exponant: *Qui ſuorum*, inquit Paullus 1. Tim. 5. *maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

Clades Joſephi & Azariæ.

℣. 55. uſque ad 63. Narratur expeditio Joſephi & Azariæ, ejus tempus, locus, modus, ſucceſſus, cauſſa. Videbis & hic Iudam Chriſto ſimilem, cumque Deo gratias de ſuis ſervatis in Templo ageret, potuiſſe verbis Chriſti fermè uti; *Pater ſancte, quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex iis periit, niſi filius perditionis*, Joan. 17. Non periêre ex ſubditis Judæ per hæc tempora, niſi filii perditionis, qui ultrò perire voluerunt, ſpretoque Judæ mandato, ſibi cladem acceſſiverunt. Hi ſunt Joſephus & Azarias, de quibus ad verſum 18. ſuprà. Tempus pugnæ notatur v. 55. cùm Simon in Galilæa, Judas cum Jonatha in Galaaditide agerent: unde in ſerie hiſtoriæ num. 62. hanc expeditionem iſtis interſeruimus. *Locus* fuit ad Jamniam, maritimam urbem opulentam, è qua Gorgias cum ſuis erupit: idem forſan qui lib. 2. cap. 12. v. 32. dicitur præfectus Idumææ, & pœnas luit cladis illatæ, clade viciſſim acceptâ. *Modus* refertur v. 58. ubi, quod in textu noſtro habetur, in ſingulari *præcepit*, in Græco eſt *præceperunt*; ſubintellige igitur in textu noſtro *præcepit* uterque *his, qui erant in exercitu ſuo*, ſibi à Juda commiſſi ad tutelam Judææ. *Succeſſus* certaminis v. 60. eſt *fuga ad fines* uſque *Judææ*, & urbis Hieroſolymitanæ viciniam; cædes *duorum millium*, Judæorum; *fuga*, non autem *plaga*, ut interpretes Græcorum non rectè vertetunt, *magna in populo*, nuntiis cladis conſternato, & ad munitiora loca refugiente.

Ejus cauſſa.

Cauſſa cladis indicatur v. 57. famæ vana cupiditas: expreſſiùs notantur tres cauſſæ v. 61. & 62. Prima: quia *non audierunt Judam & fratres ejus*, id eſt, eorum & præcepta & conſilia, præceperat enim Judas, ne quid ſe abſente tentarent, & verò præcipere poterat dux & Pontifex; adde conſilia & monita data à fratribus Machabæi: utraque ſprevêre, & pœnas dederunt inobedientiæ ſimul, & imprudentiæ. Altera ratio fuit, ipſa cauſſa non obediendi, quòd *exiſtimarent ſe fortiter facturos*: vanus magni nominis amor ipſis de ſe fiduciam dedit, & cæcos ac præcipites egit in exitium. Tertia cauſſa ſubjungitur, quòd *non eſſent de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël*, ſeu, ut Græcè habetur, *quibus data eſt ſalus Iſraël per manus eorum*, id eſt, quos Deus deſtinârat ad reſtituendam rem Judaicam: ideò itaque victi fuêre, quia ultrò ſibi tribuêre munus ducendi exercitûs, quod Deus non dederat.

Peccarintne mortaliter Joſephus & Azarias?

Quæres, peccarintne mortaliter iſti duces hoc facto? Videri poſſint peccâſſe, cùm tot in unum vitia conveniant: Vanitas: Præſumptio ſeu nimis de ſe fiducia: Imprudentia: Inobedientia, eaque in re gravi, & poſt expreſſum ducis ſui præceptum ſuprà verſu 19. Sed cùm de iis non ſim, qui facilè damnant, ſciamque ad peccatum mortale multa requiri, inprimiſque perfectam peccati cognitionem, ac voluntatem: dixerim potiùs, eos ſolùm venialiter peccâſſe. Potuerunt enim ſibi perſuadere, mandatum à Juda cum conditione datum, ne quid moverent, niſi ſeſe offerret occaſio manifeſta rei benè gerendæ: quam ſe nactos arbitrati ſunt, cùm dicantur *exiſtimâſſe ſe fortiter facturos.* Inobedientia igitur expreſſa non fuit, nec contemptus mandati. Superſunt fiducia de ſe nimia, vanitas, & imprudentia, quæ de ſe gravia peccata non ſunt, neque ad mortale pervenient, niſi extrinſecùs augeantur. At ſi mortaliter non peccavêre, cur Deus in eos tanta clade ulciſcitur? Quia, etiam ob peccatum unicum veniale, calamitates publicas populis Deus juſtiſſimè poteſt immittere, ut in Excurſu diſputabimus.

Ne majora te accipias.

Eorum interim damno monemur, ne quid, publicè præſertim, ſeu pace ſeu bello, ſeu in politico ſtatu, ſeu in Eccleſiaſtico, ſupra vires aggrediamur. Bajulos videmus, cùm onus ſuſcipiunt, librare humeris, ut ſentiant an ſint ferendo. Ita nos in officiis ac muniis publicis, quæ vernaculo noſtro idiomate *onera* aptiſſimè vocamus: ſi imponuntur, ante addicendam operam, quatiamus humeros, & pondus cum viribus noſtris comparemus. Nam ſi plus ſit virium in onere, quàm in ferente; neceſſe eſt, ut abjiciat, aut fatiſcat. Præclara ea de re monita habes apud Senecam lib. de

Tran-

Tranquillitate cap. 4. & 5. Eódem reſpicit iſtud Iſa. 16. *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valdè: ſuperbia ejus & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus: idcirco ululabit Moab ad Moab, univerſus ululabit.* Neque abludit Sapiens Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora ne ſcrutatus fueris.* Eódem commodiſſimè aptabis parabolas Chriſti Luc. 14. de Rege, ante bellum ſuſcipiendum vires ſuas æſtimante: & de ædificatore turris rationes ſumptuum ante inchoandum opus ineunte.

Ne ultrò te ingeras in munia.

Si verò honores ac munia viribus noſtris majora ne accipere quidem debemus, quantò minus in ea nos ultrò ingerere, vel æmulatione pravâ, vel famæ vanâ cupiditate, ut magnis nominibus inſeramur? Nomen Apoſtoli, & dandi Spiritus Sancti poteſtatem, licitatur Simon Magus Act. 8. Exorciſtarum Chriſtianorum famam æmulantur Judæi, & falſi fratres Act. 19. & 20. At quo ille, & hi ſucceſſu? Quot quæſierunt, contra Eccleſiaſtici cap. 7. præceptum, *fieri judices*, cùm *virtute non poſſent irrumpere iniquitates*, & peſſimè ipſis ac reipublicæ ceſſit? Quot non *vocati à Deo tamquam Aaron*, Pontificatu & Ducatu populi Chriſtiani arrepto, ipſi cum parte gregis periêre? Quot cum Joſepho & Azaria, aut cum Nemrotiſnis operariis Gen. 11. auſi dicere, *Faciamus nobis nomen*, non nomen fecêre, ſed *Babel*, id eſt, confuſionem? Rabanus hoc Azariæ & Joſephi factum refert ad hypocritas, qui non ſimplici intentione, ſed faſtu arrogantiæ, virtutes Sanctorum imitari appetunt: Liranus ad eos, *qui munus legendi aut prædicandi, quo ſpirituale bellum cum vitiis committitur, præſumunt exercere, cùm tamen ſint inepti, propter defectum ſcientiæ vel vitæ:* defectu ſcientiæ contemnendos ſe populo præbent: defectu vitæ ſcandalo ſunt. Serarius applicat Hæreticis Calvinianis, qui famam rerum illuſtrium inter Infideles pro religione Chriſtiana à Catholicis ſacerdotibus geſtarum æmulantes, ejuſmodi itinera ſuſcepêre, ſed fructu nullo: addere potuerat, ex ipſius Calvini epiſtolâ, magno ſuo damno; cùm non modò Infidelibus fidem non perſuaſerint, ſed ipſi perverſi fuerint, quia *non erant de ſemine eorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël.*

Qui viri Juda?

℣. 63. & 64. Nihil obſcurum eſt, præter iſta verba, *Et viri Iuda magnificati ſunt.* Qui enim hic viri Juda? Certè Machabæus & fratres, de quorum gloria hic mentio, erant de tribu Levi, non Juda. Reſpondent quidam, eos vocari *viros Iuda*, quòd de tribu Juda eſſent materno genere, qua de re vide annotata ad cap. 2. v. 1. ubi de Regio Mathathiæ genere diſputavimus. Reſponderi etiam poſſet, vocari *viros Iuda*, quia in Judæa interiore habitabant, quantumvis ad eam tribum non pertinerent, ut ibidem obſervavimus. In Græco textu omnis difficultas tollitur: *καὶ ὁ ἀνὴρ ἰούδας καὶ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν*, *& vir Iudas & fratres ejus glorificati ſunt*, id eſt Judas Machabæus, ejuſque fratres.

Expeditio.

℣. 65. 66. Et exivit Judas et fratres ejus, peracto Pentecoſtes feſto, ut ex libro ſecundo intelligitur: *& expugnabant filios Eſaü in terra, quæ ad Auſtrum eſt*, Hieroſolymæ & Judææ Auſtralis: *& percuſſit Chebron & filias ejus, & muros ejus, & turres ſuccendit igni in circuitu.* Celeberrima eſt urbs Chebron ſive Hebron, in media fermè tribu Juda poſita: quam cùm Idumæi tenerent, neceſſe eſt valde latè ſparſos fuiſſe, & hinc habes, quo illuſtretur verſus ultimus capitis præcedentis, item quod de Idumæis diximus ad enodandam difficultatem verſus 15. eodem capite. Quod autem Judas urbis iſtius munimenta combuſſerit: id feciſſe putandus eſt, vel quia non erant ipſi neceſſaria ad tuendam Hieroſolymam, cui defendendæ exſtructa erat Bethſura; vel ne hoſtes rurſum eam occuparent, dum ipſe aliò iter convertiſſet, quod mox feciſſe narratur. Nam fractis Idumæorum viribus, *movit caſtra, ut iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam*, ex alia parte Judææ obverſam. Neminem toto Samaritano itinere auſum Judæ obſiſtere omninò credendum eſt, cùm nullius prælii aut urbis captæ mentio fiat. Dicit quidem Joſephus poſt victos Idumæos, Mariſſam urbem captam, & everſam. Sed meritò à Saliano exploditur, quod Samariam in Mariſſam transformârit: niſi eadem ſit Mariſſa, quæ Mareſa dicitur lib. 2. cap. 12. v. 35. videturque interjecta fuiſſe inter Idumæam, cujus præfectus erat Gorgias, & Odollam, quò ſeſe Judas ex prælio recepit. Ex eodem capite libri ſecundi multa ſupplentur de expeditione in Idumæos, quæ hoc libro prætermiſſa ſunt. Vide ſeriem hiſtoriæ num. 69. & 70.

An hæc clades ſit eadē, qua Azarias & Joſephus?

℣. 67. In illa die ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium. Græca Regia pro *ſacerdotes in bello* habent, *ἱερεῖς πόλεων*, *ſacerdotes urbium* ſenſu nullo probabili. Mendum ſuſpicor, & non *πόλεων*, ſed *πολέμῳ*, *bello*, reſtituendum: aut iſtud *πόλεων* delendum, quod etiam omititur in Siſtinis. Quæſtio eſt: an *ſacerdotes* iſti diverſi ſint à Joſepho & Azaria, & alia hîc, alia ſuprà v. 60. clades narretur? Eamdem putat eſſe Liranus. Salianus ad annum mundi 3891. num. 52. probabilius putat, eamdem non eſſe: hunc etiam ſequebatur Bonfrerius noſter. Serarius difficultatem non attingit: videtur tamen facere eoſdem hîc & ſuprà, cùm *Ioſephum & Azariam* vocet *ſacerdotes.* Dionyſius Carth. ſententiam dividit, putatque cladem eamdem eſſe: ſed *ſacerdotes*, qui cecidêre, non eſſe Joſephum & Azariam, verùm alios quoſdam ex genere ſacerdotali, qui ſub ipſis militabant.

Eſſe probatur.

Putârim ego, multò probabilius eoſdem eſſe ſacerdotes, cladem eamdem, ut in hiſtoriæ ſerie num. 62. indicavi. Ratio eſt: Primùm, quòd nuſquam totâ hiſtoriâ Machabæorum fiat mentio de aliis, qui copias duxerint, præter liberos Mathathiæ, quàm de Joſepho & Azaria. Secundò, cauſa belli eadem penitùs hîc aſſignatur, & totidem penè verbis: ſuprà v. 61. *Exiſtimantes ſe fortiter facturos*, hîc, *dum volunt fortiter facere:* ſuprà, *non audierunt Iudam & fratres ejus*, hîc, *ſine conſilio.* Deinde, hoc verſu 67. cùm nullus cladis locus, auctor nullus, nullus modus, nulla omninò circumſtantia notetur, præter perſonas & tempus, idque generatim, videtur Scriptura ipſa lectorem ad antè dicta tacitè remittere: alioquin rem benè notabilem valdè parum expreſſerit. Denique, nuſquam ampliùs de Joſepho & Azaria fit mentio in cætera Machabæorum hiſtoria; unde colligo in fuga cum ſuis periiſſe. Neque enim ſileri debebat, quid illis factum eſſet, ſi ſuperſtites fuiſſent acceptæ cladi: præſertim cùm nobiles eſſent ac ſpectati inter ſuos, &, ut disertè textus Græcus habet v. 56. *Principes exercitus ἄρχοντες τῆς δυνάμεως.* Adde ſi ſupervixiſſent, Machabæum, pro boni ducis officio, non inultam fuiſſe paſſurum eorum temeritatem, nec Scripturam eorum ſupplicium aut dedecus prætermiſſuram fuiſſe, ad exemplum poſterorum.

At quor-

Occurritur objectioni.

At quorſum hoc loco Scriptura commemorat iterum, quod paullò antè narravit? Reſpondeo, nihil eſſe in Scripturâ, & apud Hebræos, recapitulatione frequentius: eam figuram hîc agnoſco. Neque inutilis tautologia eſt, cùm aliqua omiſſa ſupplentur, quomodò hîc. Suprà enim dictum non fuit, Joſephum & Azariam ſacerdotes fuiſſe, hîc exprimitur: ſuprà nominatim eorum mors expreſſa non fuit, hîc narratur. Quid autem ad tempus cladis? Supra enim notatur accidiſſe, per abſentiam Judæ in Galaaditide ante Pentecoſten: hîc dicitur *in illa die*, quaſi dum perambularet Judas Samariam, jam victis Idumæis, adeoque aliquantò poſt Pentecoſten. Reſpondetur illud, *in illa die*, latè ſumi poſſe, id eſt, *non longè ab eo tempore*. Quid verò ſi dicamus, Joſephum & Azariam læſos in prælio, cùm Judas eſſet in Galaaditide, mortuos ex vulneribus, cùm eſſet in Samaria? At inquies, dicuntur *cecidiſſe in bello*. Reſpondeo, poſſe dici in bello cadere, qui in prælio vulneratus, ex vulneribus poſteà moritur; bellum enim non finitur, etſi prælium ceſſârit. Ut poſt has reſponſiones parva aliqua difficultas ſuperſit: non tamen quanta ſubeunda eſt clades duas facientibus.

Periculum in juvandis proximis.

Accipe breve nec inutile Rabani monitum, affine annotatis ad cladem Joſephi & Azariæ ſuprà: *Quod dicitur ſacerdotes in bello cecidiſſe, dum ſine conſilio exeunt in prælium, nimis formidanda ſententia eſt: at providendum, ne quis, dum aliorum errores attendit expugnare, petulantiâ ſuâ atque incautelâ mortem ſibi acquirat perpetuam.* Doctoribus, Eccleſiaſticis, Confeſſariis dictum, *Vos eſtis lux mundi*: ſint Solis inſtar, qui lucendo non conſumitur, ille enim eſt *lux mundi*: non ſint inſtar candelæ, aut tædæ, quæ aliis lucendo, ipſa exedit ſe, & moritur. Caveant ne ſint ſimiles aquis baptiſterii, quæ dum lavant Chriſtianos, ipſæ ſordeſcunt. Monuit Chriſtus eos eſſe *Sal terræ*: ſalem conſilii ac prudentiæ figuram eſſe, nemo neſcit. Prudenter agant cum proximo, prudenter conſcientias tractent, prudenter in errores aliorum inquirant, prudenter libros hæreticos legant, etiam quibus licet: ſic alios è cœno vitiorum extrahant, ut ipſi non labantur: ſic in profundum torrentem demerſos adjuvent, ut ipſi non trahantur. Viſi ſæpè, qui naufragos periculo eripere voluerunt, ipſi tamen cum naufragis periêre. O ſi non ejuſmodi nimis multi inter Catholicos adjutores animarum, etiam bono zelo, & intentione purgatâ, exeuntes in prælium, ſed *ſine conſilio*, ignominiam & plagas, forſan & mortem denique retuliſſent! Inde labes interdum caſtitatis, fidei, temperantiæ, humilitatis, imò & pernicies. Difficile eſt, inquit Epictetus, inter idiotas idiotam non fieri: *neceſſe eſt*, inquit S. Leo ſer. 4. de Quadr. *de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere*: utinam ne quid amplius! *Cum conſilio* igitur, *exite in prælium: Salem habete inter vos.*

Azotus & oppida ſubjecta.

℣. 68. Et declinavit Judas in Azotum &c. Ultima eſt expeditio à Juda hoc itinere facta, neque in textu eſt difficultas, niſi forſan quæras, quænam illæ ſint *civitates*, quarum *ſpolia accepit* Judas? Dicendum nomine *civitatum*, Græcè πόλεων *urbium*, intelligenda oppida Azotiis ſubjecta: erat enim Azotus civitas locuples, & territorio potens, jam inde à priſcis Philiſthinorum temporibus.

Joſephus defenſus, & notatus.

Duo hîc Salianus in Joſepho reprehendit, meritò alterum, alterum immeritò. Immeritò, quòd dixerit ſuccenſam Azotum à Juda: neque enim incredibile id eſt, etſi in Scriptura taceatur, imò id probabile fit per everſionem ararum, & idolorum: neque obſtat cap. 10. dici combuſtam eam urbem à Jonatha, potuit enim ex illo tempore reædificata fuiſſe, potuit ex parte tantùm incenſa fuiſſe à Juda. Meritò autem reprehendit, quòd averſionem ararum & idolorum ſileat, quomodò etiam ſiluit everſa profana altaria, & deſtructum Jovis ſimulacrum à Machabæo, cùm Hieroſolymam ac Templum expurgavit. Tacuiſſe ea videtur reſpectu Infidelium, quorum metuebat offenſam homo profanus, & parum ſanæ religionis.

Præcipua hiſtorici regula.

In iſtis itaque locis alteram ſaltem partem regulæ hiſtorico inprimis commendatæ, & maximè neceſſariæ, non ſervavit: *Ne quid falſi audeat, ne quid veri non audeat.* Quam regulam expendendi occaſio eſſe poterit ad lib. 2. cap. 2. v. 29. Interim de prima parte conſtat; abhorrere longiſſimè ab officio hiſtorici falſitatem omnem; cùm hiſtoriæ ſcriptio ſit publica profeſſio veritatis, adeoque falſi numquam ſcienter dicendi, vel ad favorem, vel ad odium; quod etiam à cujuſvis viri boni officio alienum eſt. De altera verò parte, quæri multa poſſunt. An hiſtorico liceat, in rebus ullis, cauſiſve, ad narrationem ſuam pertinentibus, veritatem ullam diſſimulanter præterire, vel ex metu, vel ad gratiam? Quid ſi veritas illa non publicè nota ſit, ſed ipſi ſolummodò privatim hiſtorico, paucíſve aliis? An peccata ſecreta ſibi cognita, ſi taceat, quando publicè noxia ſunt, cenſeri debeat prævaricator officii? An etiam culpas ſecretas, non publicè damnoſas, notare poſſit, ut Cenſor publicus, ad alios ſimilis notæ timore coercendos? An ipſas ſuſpiciones ſuas prodere, ſaltem de improbis, poſſit?

EXCURSUS I. MORALIS

Ad Cap. 5. v. 54. Aſcenderunt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocauſta.

Caritatis ad Deum aſcenſus, & via.

SECTIO PRIMA.

Qualis ſit via caritatis.

I. Caritatem vult Deus.

ITERATUS Judæ ad Sancta aſcenſus admonet me, ut aliquid dicam de caritate, quæ nos ducit ad Sancta, & ad Sanctorum inhabitatorem Deum. Ipſe enim aſcenſum ſuum media caritate conſtravit: ipſe in tabernaculo ſuo hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, inauratas tabellas, aurea vaſa ſpectari voluit, ut iſtis figuris intelligeremus, quàm grata ipſi eſſet in cultu ſuo caritas. Eodem fine inducta auro omnia fermè Templi Salomonici: & in Zorobabelici per Judam Machabæum renovatione, licèt prædâ tantùm divites eſſent Judæi, cætera pauperes, ſcutula tamen aurea fronti Templi ornandæ aptata ſunt. De hac materia, quia alibi locus dicendi non erit, neque omninò præteriri decet, pauca indicabo potiùs, quàm exponam, ſub imagine viæ, quâ Deus ad nos venit, nos ad Deum accedimus. Quomodò artifices antiqui gigantæam molem in exigui annuli pala effinxêre, currus totos navéſque inſtructas ſub alis muſcæ ſculpsêre: ita nos luculentum iſtud vaſtumque argumentum in unicam ſectionem contrahemus. Qui plura noſtris, & diverſa voluerit, facilè apud obvios omni idiomate ſcriptores reperiet: è quibus unum maximè commendare ſolitus ſum, B. Franciſcum Saleſium Epiſcopum Genevenſem; quia neminem ego quidem vidi, qui uberiùs, familiariùſque ſimul, ac ſolidiùs de amore Dei ſcripſerit.

II. Eſt via Domini.

Monet nos poſt D. Joannem Baptiſtam Eccleſia, toto Adventûs tempore, maximè ultimâ ejus ſeptimanâ, ut paremus viam Domini. Quæ autem iſta via eſt? Aliáne quàm caritatis? De qua loquens Paullus 1. Cor. 12. ait, *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, ſeu ut Græca habent, *excellentiorem ſupra modum viam.* Via iſta eſt, qua ut ad nos veniret *Verbum* Dei, *exultavit ut gigas*: amore *caro factum eſt*, amore carnis miſerias & mortem experiri voluit. D. Zeno Veronenſis Epiſcopus ſerm. de fide, ſpe, & caritate, hanc alloquens, *Tu*, inquit, *Deum in hominem demutatum voluiſti. Tu Deum abbreviatum paulliſper à majeſtatis ſuæ immenſitate peregrinari feciſti. Tu virginali carcere novem menſibus religâſti. Tu mortem, Deum mori docendo, evacuaſti.* Eodem radio Sol ad oculum deſcendit, oculus quà poteſt aſcendit ad Solem. Ignis divini radius eſt caritas, per eam Deus ad nos deſcendit, nos ad illum aſcendimus. Meritò ita cenſuit Auguſt. epiſt. 52. ad Macedonium: *Ad eum, qui ubique præſens eſt, & ubique totus, non pedibus ire licet, ſed moribus. Mores autem noſtri, non ex eo quod quiſque novit, ſed ex eo quod quiſque diligit, dijudicari ſolent. Nec faciunt bonos mores, niſi boni vel mali amores.* De hac ſemita loquens Idiota Contempl. 1. cap. 17. ait: *Vera dilectio, benigniſſime Domine JESU Chriſte, eſt via rectiſſima veniendi ad te, nec opus eſt aliqua alia virtute, in cujus exercitio poteſt eſſe via obliqua, ſed ſolùm amore & dilectione.... Via rectiſſima abſque devio: via brevis, abſque tædio: via plana, abſque tumulo: via clara, abſque nubilo: via ſecura, abſque periculo: via jucunda cum bono ſocio, ſcilicet tecum, Domine, amantiſſimo duce.* Attigit eadem fermè illius commoda, quæ nos hîc ſuggeremus, ad parandum viam Domino naſcituro. Eſt enim Rectiſſima omnium, Breviſſima, Luciſſima, Mundiſſima. Rectiſſima eſt, quia amor ducit: breviſſima, quia alas ſuas commodat: luciſſima, quia prælucet facem: mundiſſima, quia ipſe puriſſimus eſt.

III. Rectiſſima eſt via caritatis.

Evangelicus Propheta agens de itineribus æternitatis cap. 28. *Semita juſti*, inquit, *recta eſt*, *rectus callis juſti ad ambulandum.* Seu temperantiæ ſemitam ingrediatur, ſeu callem juſtitiæ, ſeu fortitudinis clivum, ſeu quod aliud iter virtutis, juſtum ſemper deducit Dominus per vias rectas: omnium tamen rectiſſima, adeóque inventu facillima eſt via caritatis. Comparemus eam cum utroque virtutum genere, Moralium & Theologicarum. Non ago de virtutibus naturalibus, quales etiam in Paganis olim fuêre, hodie ſunt in hæreticis. Etſi illas abſit ut damnem, quas Auguſtinus ipſe adſcribit *muneri divino, non humano*, epiſt. ad Cirtenſes; poſtquam narravit, de Polemone ebrioſo, imò ebrio, cùm audiſſet Xenocratem de temperantia diſputantem, ad ejus virtutis amorem deinceps accenſo: quæ qualiſcumque virtus, cùm animi quædam fuerit pulcritudo, à Deo veniſſe dubitandum non eſt, à quo ipſa etiam venit corporis pulcritudo. Ita ibi diſputat Auguſtinus. Sed nos hoc loco ſolas cum caritate Chriſtianas virtutes comparamus, dicimuſque; etſi omnis ſemita juſti recta ſit, longè tamen omnium rectiſſimam eſſe caritatem, tum ex ratione tendendi in finem objectúmve ſuum, tum ex objecti ipſius latitudine.

IV. Directiùs ſpectat Deū aliis virtutibus Theologicis.

D. Thomas explicans illud Paulli, *Excellentiorem viam vobis demonſtro*, ait ideo excellentiorem eſſe caritatem, quia per illam *directiùs itur in Deum.* Virtutes enim morales, fidei gratiæque conjunctæ tendunt in Deum, ſed ex obliquo & per circuitum; quia directò vel Dei cultum, vel bonum noſtrum, aut proximi, intuentur. Theologicæ Deum directò ſpectant, aliæ tamen aliis directiùs, ut docet idem D. Thomas 2. 2. q. 23. a. 5. *Fides & ſpes attingunt quidem Deum, ſecundum id quod ex illo provenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed*

caritas

Digitized by Google

caritas attingit ipſum Deum, ut in ipſo ſiſtat, & non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Habere itaque videatur, ex ſententia D. Thomæ, fides admiſtum aliquid amoris quem vocamus concupiſcentiæ, etſi ipſa in intellectu reſideat. Cùm enim ad credendum impellimur, affectus ille & voluntas aliquid ſuave & commodum appetit in credendo, veri ſcilicet cognitionem, quâ nihil intellectui dulcius eſt. Idem, & multò ſpectabiliùs, accidit in ſpe, quæ de ſe eſt amor concupiſceotiæ. Quomodò autem, qui eo amore hominem aliquem diligit, non tam tendit in amicum, quàm illum ad ſe trahit: quia non tam ſpectat commodum amici, quàm ſuum ipſius, facitque ex ratione, quod beſtias quotidie videmus ex ſenſu. Ita qui ſpe in Deum teodit, magis ad ſe Deum trahit, quàm in Deum trahitur: quia ab illo bona omnia exſpectat, eumque amat ut ſibi utilem. At caritas tota fertur in Deum, non quà nobis ſuavis aut utilis eſt, ſed quà in ſe bonus: nec cognitionis dulcedinem, aut voluntatis ſatietatem in eo quærit, ſed unicam ipſius gloriam. Quod verò de ſpe diximus, idem de timore, quà boneſtus quidem, ſed ſervilis eſt, dicere oportet.

V. Objecta caritatis, aliis comparata.

Preterea fides unicam habet pro objecto Veracitatem Dei: aut Scientiam ſimul & Bonitatem, quæ fundamenta ſunt Veracitatis, ut falli nequeat, nec fallere. Spes tribus ſummùm Dei perfectionibus innititur, Bonitate, Scientia, Potentia; ut velit, ſciat, poſſit nobis prodeſſe. Timor, quà ſervilis eſt, ad haſce forſan addit Juſtitiam, ſi tamen à ſpe diſtinguitur. At caritas & Veracitatem Dei amplectitur, & Bonitatem, & Scientiam, & Potentiam, & Juſtitiam, & quidquid aliud in Deo eſt; non aliud tamen, niſi quia ſic nobis offert intellectus noſtri imbecillitas. Quidquid enim in Deo eſt, Deus eſt, adeóque ſummè bonum & ſummè pulcrum eſt: pulcrum autem omne & bonum amabilia ſunt. Juſtitiam amamus in judice, etiam in Herodis fratre Philippo Ituræa & Trachonitidis Tetrarcha, quem legimus numquam, vel inter ambulandum, à juſtitiæ adminiſtratione ceſsâſſe. Sapientiam in hominibus, ex auditu licet ſolùm notis, uti in Auguſtino, Chryſoſtomo, aliiſque diligimus: dolemuſque cum de Origenis, Tertulliani, Salomonis lapſu, ad ſalutarem timorem incutiendum, diſputatur, nec dolemus de illorum malo, niſi quia eos amamus. Idem de miſericordia, potentia, benignitate, virtutibuſque omnibus generatim ſentiendum eſt, quas vel in ipſis inimicorum animis amamus, niſi illas invidia vel obſcuret, vel larvâ vitii induat. Si autem tanta eſt virtutum pulcritudo in homuncionibus quibuſvis: quanta eſt in ſummo omnium creatore? Quàm amabilis in illo juſtitia, quàm ſpecioſa miſericordia, quanta ſapientiæ forma, quàm elegans potentiæ facies, quàm lætus benignitatis vultus, quàm jucundi immenſitatis oculi, quàm decora ſpecies majeſtatis, quot undique caritatis inexhauſtæ fomenta & incentiva? Meritò igitur Beati, poſtquam Dei juſtitiam ſpectavêre Apoc. 19. laudem, ſalutem, gloriam, & virtutem Deo acclamant: quia juſtitia etſi terribilis magis quibuſdam videtur, quàm amabilis, revera tamen amabiliſſima eſt, quia perfectiſſima, adeóque optima & pulcerrima.

VI. Nemo illa non videt.

Meritò etiam D. Auguſtinus Cirtenſes, rudes licèt & recèns ab hereſi Donatiſtarum converſos, ep. 130. hortatur ad exercitationem caritatis: *Deo, Deo inquam, fratres gratias agite; Deum timete, ne deficiatis; amate, ut proficiatis.* Excellentiſſima quidem ſupra modum eſt via caritatis, ſed inventu facillima: quámque cùm inveneris, exerrare vix poſſis. Quò enim rectius iter eſt, eò minùs erroribus obnoxium. *Hæc erit vobis directa via;* inquit Iſaias cap. 35. *ita ut ſtulti non errent per eam.* Notum eſt, quod D. Bonaventura aliquando fratri Ægidio dixit, nullum adeò rudem eſſe & idioticum, qui ſummè Deum amare non poſſit, quantum Theologorum doctiſſimi. Narrat Epiſcopus Genevenſis poſt alios lib. 6. de Amore Dei, cap. 4. Et verò tam ignarus Fidelium nemo eſt, qui fidem non habeat, & Deum neſciat: fide autem præeunte & diem intellectui inferente, voluntas non feretur in incognitum. Damnabat Apoſtolus Infideles ipſos, quòd Deum non glorificaverint, cùm tamen inviſibilia ipſius per ea quæ facta ſunt intelligere potuerint. Deum quidem oculis corporis non ſpectabant: at opera ipſius intuebantur, & ex operibus eum poterant agnoſcere, agnitumque amare debebant & laudare. Oceanum quidem iſtum infinitæ magnitudinis numquam coram viderant: ſed fluvios inde ortos & illuc refluentes habebant præ oculis, eoſque ſequi debebant, ut Oceanum invenirent: qui enim neſcit viam ad mare ſequatur fluvium. Ignotum hominem ex ſolius imaginis conſpectu, lyricinem aut cantorem ex lyræ ſolius aut vocis auditu, diligimus. Rebus omnibus creatis impreſſæ ſunt creatoris imagines, ſpectanturque quaquaverſum, & oculis ſeſe ingerunt radii divinæ lucis: ſimul undique voces clamantis & amantis Dei audiuntur. Quare inexcuſabiles fuere Infideles, qui Deum non agnovêre, & agnitum non amavêre. Quid autem de nobis ſentiendum, quibus præter naturæ ſpectacula & oracula, offert Deus filium ſuum, Verbum carnem factum: ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur?

VII. Quàm viſibilia in Verbo Incarnato.

Certè quocumque in ſtatu Chriſtum adſpiciamus, in oculos incurrit Deus-homo, infinitè diſtantia complexus, ut nos finiti & puſilli ad infinitum aſſurgamus. Vide maternis viſceribus clauſum, in carcere novimeſtri, velut cordium raptorem, animarumque & amoris exactorem: aut ſicut ſponſum Cant. 2. qui *ſtat poſt parietem, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos,* accendenſque amorem latendo. Vide natum in Bethleem, & pannis obvolutum ſtramentiſque incubantem in primo vitæ limine, mendici inſtar, qui amoris ſtipem à nobis flagitat, & ignem caritatis quo calefiat. Vide adoleſcentem ac juvenem turbis ſeptum, & paſſim doctrinæ ſuæ ac gratiæ dona proponentem, ut amoris aliquid ab hominibus recipiat: ea enim permutatione contentus eſt. *Venit in hunc mundum,* inquit D. Leo ſerm. 5. de Paſſ. *dives atque miſericors negotiator cœli, & commutatione mirabili inivit commercium ſalutare, noſtra accipiens, ſua tribuens.* Noſtra autem ſola propriè eſt libertas ac voluntas, & primus partus voluntatis amor: de quo Iſaias cap. 55. præcinuit. *Venite, emite, abſque argento & commutatione, vinum & lac,* puriſſimæ & robuſtiſſimæ caritatis. Vide moribundum, & alia aliis legantem, nobis ſanguinem totum ac vitam: pater eſt qui reliquum ſibi nihil facit, quia filios amat, & ut ametur à filiis. Vide ſedentem à dextris virtutis Dei, in gloria majeſtatis ſuæ, in quem deſiderant Angeli, & Beati omnes proſpicere: Solis inſtar eſt, fixis vagiſque ſideribus cincti, cuſtodientiſque fornacem ſuam in operibus ardoris, & æſtu caritatis. Vide latentem ſub admirando Euchariſtiæ Sacramento, velut viaticum noſtræ peregrinationis, aut potiùs viæ perpetuum comitem, qui nobiſcum ſit uſque ad conſummationem ſæculi, & continen-

& continenter nobis inclamet, ut progrediamur & amemus.

VIII. *Ambula rectum.*

Scriptor Tractatûs de Sina & Sion, inter opera D. Cypriani, dicit ævi ſui morem fuiſſe, ut per vindemiam ſpecula in vineis exſtrueretur, collocareturque in ea puer, qui viatoribus inclamaret, *Ambula rectum*; ſi qui forſan de via ad carpendos racemos deflecterent, nimiſque immorarentur. Ita, inquit, à Deo in Eccleſiæ vinea collocatus eſt *Puer Dominicus*, Chriſtus JESUS, qui Chriſtianis aſſiduè inclamet, *Ambula rectum.* Chriſtus in altari repoſitus, in ciboriis expoſitus, inter manus Sacerdotis elevatus, per plateas delatus, in pectus noſtrum illatus, iſto amoris immenſi prodigio nobis perpetuò inclamat: *Ambula rectum*, per viam Domini, per caritatis iter, & noli deflectere neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Vetitum non eſt tranſeunti ad vineas, carpere aliquid racemorum pendentium; ſed deflectere de via, & carpendo in vineis immorari, vetitum eſt. Carpe, Chriſtiane, de creaturis quod occurrit in via caritatis: ſed cave unquam de ea divertas & exeas, ob illarum inſanam cupiditatem. *Per hunc enim amorem Creatoris*, inquit Aug. 4. con. Jul. *benè quiſque utitur creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullus quiſquam benè utitur creaturis.* Quiſquis ergo *non amat Dominum IESVM, anathema ſit.*

IX. *Ad perfectionem citò venitur, via caritatis.*

Docendo caritatis ſemitam eſſe rectiſſimam, eâdem operâ oſtendimus eſſe breviſſimam. Nam eò brevior eſt linea, quò rectior, ſi aliis inter eadem puncta ductis comparetur. Inde Geometrarum ſcitum illud, *Linea recta, quæ breviſſima*: & contrà, *linea breviſſima, quæ recta.* Ab homine ad Deum lineæ variæ ac viæ ducunt, & *viæ ejus viæ pulcræ, & omnes ſemitæ ejus pacificæ*, Prov. 3. Omnium tamen rectiſſima eſt caritas, adeoque, vel ex hoc, breviſſima: &, ſi breviſſima non foret, breviſſima tamen amanti videretur. Sed revera compendioſiſſimam eſſe manifeſſum eſt: cùm caritas ipſiſſima ſit perfectio: cùm ſine illa perfectio nulla ſit: cùm virtutes omnes complectatur, & admoveat ad opus: cùm ſanctiſſimos evaſiſſe videamus, quantumvis vitioſiſſimos, poſtquam amavêre. Caritatem ipſiſſimam eſſe perfectionem ſenſit Auguſtinus, cùm dixit cap. 42. de Nat. & Grat. *Caritas eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaque juſtitia.* Et cap. ult. *Caritas inchoata, inchoata juſtitia eſt: caritas provecta, provecta juſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Bernardus in eamdem ſententiam ſerm. 27. in Cant. dicebat: *Qualitas cujuſque animæ æſtimetur de menſura caritatis, quam habet: ut verbi gratiâ, quæ multùm habet caritatis, magna ſit; quæ parum parva; quæ verò nihil, nihil: dicente Paullo, Si caritatem non habuero, nihil ſum.* Aliter Bernardo, & Auguſtino ſentire fas non erat, poſtquam Apoſtolus 1. Cor. 13. de excellentiore via caritatis iam magnificè & excelsè dixerat, ut altiùs nihil poſſit. Verba ejus non affero, neque interpretationes, cùm obviæ ſint. Hoc ſolum generatim adverto, quod Proſper monet ep. ad Ruffinum, *multa laudabilia atque miranda poſſe in homine reperiri, quæ ſine caritatis medulla habent quidem pietatis ſimilitudinem, ſed non habent veritatem.* Adeò ut nulla omninò vera & Chriſtiana virtus ſit, quam caritas non comitetur: vix ulla, quam non imperet, & producat. Architecto domum exſtruenti laus univerſa perfecti operis tribuitur, artificibus cæteris pars laudis tantùm: & imperator victoriæ gloriam habet, quamvis miles operam contulerit. Id, opinor, ſpectabat Auguſtinus lib. de Mor. Eccl. cap. 15. *Definire ſic licet virtutes, ut Temperantiam dicamus, eſſe amorem Deo ſeſe integrum incorruptúmque ſervantem: Fortitudinem, amorem propter Deum omnia facilè perferentem: Juſtitiam, amorem Deo tantùm ſervientem, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ homini ſubjecta ſunt: Prudentiam, amorem benè diſcernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri poteſt.* Quod paucioribus verbis dixit ep. 52. ad Macedonium: *Virtus non eſt, niſi diligere, quod diligendum eſt: id eligere, prudentia eſt: nullis inde averti moleſtiis, fortitudo eſt: nullis illecebris, temperantia eſt: nullâ ſuperbiâ, juſtitia eſt. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, niſi quo nihil melius invenimus?* Compendioſiſſimè eamdem ſuam ſententiam protulit, 15. de Civ. cap. 22. *Definitio brevis & vera virtutis, eſt ordo amoris.*

X. *In exemplis id ſpectatum.*

Amor virtutes omnes complectitur, quia omnes ipſi ſubſerviunt & allaborant. Eccl. 29. deſcribitur *Faber ferrarius ſedens juxta incudem*, & *conſiderans opus ferri. Vapor ignis urit carnes ejus, & in calore fornacis concertatur.* Inſtrumenta & ignem ſuum verſat pro libitu, ut opus ſuum efformet. Similem in modum caritas ignem ſuum, & virtutum inſtrumenta adhibet, ad effingendum ac perficiendum in animis hominum opus Dei. Sic Paullus breviſſimo ſpatio *Vas electionis* factus eſt, & exactiſſimæ ſanctimoniæ exemplar. Sic mulier in civitate peccatrix, ab ipſo converſionis principio Heroïcos virtutum actus producit, meretur que audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Sic Auguſtinus ex imo vitiorum, repentè in ſummum virtutum culmen evaſit: quia cor habebat flammeum, *& non dubia ſed certâ conſcientiâ* Deum amabat, ut ipſe de ſe loquebatur, 10. Conf. cap. 6. Sic D. Catharina Genuenſis pomparum, ludorum, inaniarum avida primùm, quantum ulla fermè ætatis ſuæ: mox tamen in alteram omninò mutata exclamat, Dial. par. 1. *O divine amor, quid ultra de te dicam? Superata ſum abs te. Amore me mori ſentio, & amorem non ſentio. Me in amore ſubmerſam adverto, & amorem non cognoſco. Percipio in me amorem operari, & opus non ſentio. Sentio cor meum amore conflagrare, & eum ignem non video.*

XI. *Ejuſdem rei imagines.*

Paucos in exemplum adduco, cùm in hiſtoriis ſacris occurrant innumeri, ſpectenturque quotidie. *Machina* enim *mentis*, *vis amoris*, ut ait Greg. 6. Mor. cap. 16. *quæ hanc cùm à mundo extrahit, in alta ſuſtollit:* dum aliæ non amantes hærent in infimis. Videmus pulverem, carbones, ferrumque, & plumbum vi ignium ſurſum efferri: dum lucidiſſimus adamas manet palæ ſuæ infixus, aut luto immerſus. Ita plerumque clariſſima ingenia, mundiſſimæque conſcientiæ in poſtremo virtutum gradu ſiſtunt, nec raro ad vitiorum cœnum delabuntur, quia non amant: contrà exſurgentibus viliſſimis ingeniis, projectiſque conſcientiis, quia amant. In Ezechielis curru bos æquè in altum elevabatur, ut aquila, quia ſpiritus vitæ illum agebat. Bovinas mentes aquilinis mentibus pares facit amoris impulſus, & ſpiritus bonus, qui nos deducit in viam rectam. Itaque *ambulate in dilectione*, ut benè ambuletis, & citò perveniatis ad culmen virtutum. Paulli, Eph. 5. conſilium eſt, & omnium deinceps magiſtrorum vitæ ſpiritualis, id eſt Chriſtianæ: quid enim eſt Chriſtiana vita, niſi vita ſpiritûs? Si autem *ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. Qui enim amat ardentiùs, currit velocius, & citiùs pervenit*, inquit D. Bernardus ſermone vigeſimo tertio in Cantica, ut Joannes præcucurrit Petro.

Suadent

XII. *Amor longitudinem non ſentit.* Suadent omnes, ut ab caritate, quantum fieri poteſt, virtutum perfectio inchoetur, in eâdem deſinat: tum quia ſic comparabitur compendio: tum quia labor in comparando multò minùs ſentietur, nec longus videbitur. Iter, quantumvis breve, fatigato prolixum eſt: vegeto & forti, quantumvis longum, breve eſt. Nihil autem amore vegetius & fortius: quemadmodùm nihil in elementis igne, qui amoris ſymbolum eſt, mobilius & vivacius. Hinc priſci apud Clem. Alexand. Strom. 6. amorem laureis & ſertis onuſtum pingere ſoliti, tãquam victorem omnium, ut à Dionyſio vocatur de cæl. Hier. cap. 15. Et Aug. lib. de Mor. Eccl. cap. 22. dicit, *nihil eſſe tam durum & ferreum, quod non amoris igne vincatur.* Notum eſt, quid amor, honeſtus quidem, hominis tamen, fecerit in Jacobo Patriarcha, cui anni non pauci *dies pauci videbantur, præ amoris magnitudine,* Gen. 29. Facit hoc Rachelis dilectio, non faciat caritas Dei diffuſa in cordibus noſtris? Faciet verò, & fecit in omni hominum genere, ætate, ſexu: amphitheatra ingredere, carceres ſcrutare, feralia ſuppliciorum publicorum loca inviſe, ſolitudines anachoreticas emetire, cœnobia & cellas monaſticas adi, domus Chriſtianorum circumſpice: quid uſquam durum & longum eſt, quod ſuave illic & breve ſenibus, pueris, fœminis, viris, non fecerit caritas? Illud ego quidem, inquis, non ſentio. Vide igitur an de eorum ſis numero, quos oranti D. Catharinæ de R. conis D. Joannes Evangeliſta, ipſo Sanctorum omnium, oſtendit in itinere ad cælum laſſos, & gemebundos: dixitque, ita progredi, qui non amarent; cùm amantes, alacriter, & ſine ſenſu laboris incederent. Auguſtinus cap. 69. de Natura & Gratia: comparans illud Joan. 1. 5. *mandata ejus gravia non ſunt*, cum præcepto de diligendo Deo ex toto corde, mente, anima, viribus: *quomodò*, inquit, *grave, cùm ſit dilectionis mandatum? Aut enim quiſque non diligit, & ideò grave eſt: aut diligit, & grave eſſe non poteſt.* Et infrà, explicans illud pſ. 15. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras: Duræ*, inquit, *ſunt timori, leves amori.* Bernardus ſerm. 85. in Cant. pronuntiatâ illâ celebri ſententiâ, *ubi amor eſt, labor non eſt*, ſuum ipſius profert exemplum: *Fateor non ſuſtinui pondus diei & æſtus, ſed jugum ſuave & onus leve, pro beneplacito patrisfamilias, porto: onus meum vix unius hora, & ſi plus, præ amore non ſentio.* Scimus tamen quid & quamdiu Bernardus tulerit: vocat nihilominùs ipſe jugum ſuave, & onus vix horæ unius, quia leve erat & breve amori. Ambulemus & nos in dilectione, & itineris laborem ac longitudinem non ſentiemus.

XIII. *Quàm clara amoris via.* Auguſtinus in pſ. 31. exhortans ſuos ad diligendum Deum, *Pigri*, inquit, *mortui, deteſtandi eritis, ſi non ametis: amate, ſed quid ametis, videte.* Amorem profanum poëtico more hodieque pingimus alatum, nudum, cæcum aut obvelatis oculis. Sit alatus certè amor ſacer: quia *amans volat, currit, & lætatur, liber eſt, & non tenetur*; & *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Sit etiam nudus: quia *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* At cæcus eſſe non poteſt: quia ipſam lucem & ignem divinum fert in oculis: *Deus* enim, ut ait amoris diſcipulus 1. 2. *caritas eſt.* Ad quæ verba Auguſtinus, tract. 7. in 1. Joan. epiſt. *Quid amplius dici potuit, fratres? Si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes paginas hujus epiſtolæ, ſi nihil omninò per cæteras paginas Scripturarum: & hoc ſolum audiremus de voce Spiritus Dei, quia Deus dilectio eſt, nihil ampliùs quærere deberemus.* Deus caritas eſt, Deus lux eſt, & caritas lux eſt, & lux iſta lucet in tenebris, noctemque expellit: ut Deum amantium oculi rectà videant, & palpebræ eorum præcedant greſſus ſuos. Facit caritas inprimis, ut videamus quò tendendum, & unde diſcedendum ſit; ſeu viæ noſtræ terminum ad quem, & terminum à quo: id eſt, quàm amabilis Deus ſit, & quàm non amabiles extra Deum creatæ res univerſæ. Iſtis cognitionibus ita illuminatur amoris via, ut tota inoffenſo pede decurri poſſit: donec perveniatur ad fontem lucis, omnibus inacceſſæ præterquam diligentibus Deum.

Uti nimis certum eſt, diverſa eſſe amorum genera: ita certiſſimum eſt, illorum nullum oriri poſſe, niſi conveniens ipſi rei cognitio amandæ præiverit. Brutum amorem præcedunt ſenſus, & plerumque *oculi ſunt in amore duces*, imaginationemque implent, & affectum abripiunt. Amor rationalis, ſicut in corpus pariter & animum honeſtè ferri poteſt, ita ex ſenſu pariter naſci & intellectu: eum in modum parens amat filium, quia filius eſt, & quia benè moratus: amicum diligit amicus, etſi elegantis formæ non ſit; erit tamen *Gratior & pulcro veniens in corpore virtus.* Amor intellectualis, quo animam humanam & Angelos diligimus, quia intelligentiarum eſt, ab intellectu ſolo producitur. Amor Dei naturalis, qualem doctiſſimi Theologorum dari poſſe ſentiunt, cognitioni Dei naturali per ſcientiam experientiamque innititur. Amor Dei ſupernaturalis ſupernaturalem Dei ex fide cognitionem ſequitur, prudentiæque ex fide naſcentis ductum. Cùm ergo Dei amor, quemadmodùm & reliqui omnes, ex cognitione ſibi conveniente exiſtat, quonam pacto Dei cognitionem, id eſt ſuam ipſius cauſſam queat producere? Eadémne res poteſt ſemetipſam efficere? Difficile id eſt ſolummodò in ſpeciem. Non poſſunt quidem, ut philoſophi loquuntur, dari invicem cauſſæ totales, ſeu quæ ſe totas invicem producant: at poſſunt dari partiales, ſeu quæ producant partem ſui. Ita calor noſter naturalis auget cibi calorem, & cibi calor illi etiam aliquid addit. Eodem modo res habet in cognoſcendo & diligendo Deo: ideò diligitur, quia cognoſcitur: ideò cognoſcitur, quia diligitur: cognitio præcedit amorem, amor auget cognitionem. Quò enim magis amamus, eò propiùs & perfectiùs volumus cognoſcere. Neque in Deo verendum eſt, quod apud Epiſcopum Genevenſem neſcio quis amicorum metuebat, ne familiaritas pariat contemptum, vitiis ex propinquo & intimè introſpectis. Nam cùm in Deo nihil ſit niſi abſolutiſſimum, quò familiariùs illo utimur, eò plura amoris incentiva deprehendimus, magiſque ac magis ad cognoſcendum & amandum accendimur. Qui in effodiendis metallis laborant, quò plura deprehendunt, eò altiùs & alacriùs fodiunt. Qui ſtatuam aliquam aut picturam exquiſitam priſci operis ſortiè adſpiciunt, primo intuitu capti, per partes deinde illam diligenter conſiderant, augentque conſideratione admirationem ſimul & deſiderium videndi. Quamquam fodinæ aliquando exhauriuntur, & oculus videndis artis operibus tandem ſatigatur: in Deo autem videndo & amando finis nullus umquam eſt, ſatietas nulla; quia immenſus & infinitè perfectus eſt, ſupra omnem cognitionem & amorem. XIV. *Ad videndum Deum.*

XV. *Videndo creſcit videndi deſiderium & amandi.* D. Bernardus ep. 11. loquens de caritatis origine & incrementis: *Inprimis homo*, inquit, *diligit ſeipſum propter ſe. Caro quippe eſt, & nil ſapere valet*

præter ſe. Cùmque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum, quaſi ſibi neceſſarium, incipit per fidem inquirere, & diligere. Diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum. At verò cùm ipſum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere & frequentare, cogitando, legendo, orando, obediendo: quadam hujuſmodi familiaritate paullatim ſenſimque Deus innoteſcit, conſequenter & dulceſcit: & ſic guſtato quàm ſuavis eſt Dominus, tranſit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter ſe, ſed propter ipſum. In hoc verò gradu tertio quia variæ ſunt partes, ita & varii amantium gradûs, & cognoſcentium Dominum, ac coguoſcere deſiderantium. Ad unum è ſummis enitebatur D. Catharina Genuenſis, quæ cap. 23. Vitæ de caritate ſic loquitur: *Si quæris, quid videam, aut intelligam? Reſpondeo: aliquid primum ſupra intellectum, deinde aliquid eo majus, & rurſum grandius aliquid, & ſic ſemper creſcens.* Ad eadem Sancta aſcendebat Auguſtinus, cùm Deo plenus, opera primùm ipſius, nominatim ſummum Verbi incarnati myſterium, augendo amori ſuo contemplabatur: *Nec ſatiabar*, inquit Conf. lib. 9. cap. 6. *dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilii tui ſuper ſalute generis humani.* Ab iſto miſericordiæ & juſtitiæ divinæ mirando opere, ad ipſam miſericordiam ac juſtitiam, ad alia deinde Dei attributa progreſſus, tantò magis volebat progredi, quantò magis progrediebatur: quòque plus videbat, eò amabat ardentiùs, pluſque nôſſe cupiebat, iterans illud ſuum, initio lib. 2. Soliloquiorum: *Noverim te, Domine, noverim me.* Prorſus ut Beatis accidit, qui deſiderantes ſatiantur, ſatiati deſiderant; ſitientes potantur, & ſatiati ſitiunt: ut loquitur Greg. 18. Mor. cap. ult. comparans Chriſti & Petri verba: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris: In quem deſiderant Angeli proſpicere.*

XVI. **Mens illuminatur.** Accedit quod mentem amore ſuo accenſam Deus ſolet novis in dies illuſtrationibus munerari. Promiſit per Iſaïam cap. 58. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt tamquam meridies... Requiem dabit tibi Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam.* Scio ibi ſermonem eſſe de caritate in proximum: ſed quiſlibet benè *eum diligens propter ſeipſum, totam dilectionem ſui & illius refert in dilectionem Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci patitur, cujus derivatione minuatur*: ut ſcribit Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 22. Miramur Auguſtinos, Gregorios, Chryſoſtomos, alioſque iſtius gradus tam multa de Deo ac divinis legiſſe, dixiſſe, ſcripſiſſe, in occupationibus tot & tantis. Caritatis flamma ardebat in eorum pectoribus, & illuminabat: ab igne iſto calorem ſimul & lucem hauriebant. Dux quidam auditis D. Antonii monitis ad quodvis hominum genus, nominatim ad Judices, dixit: non poſſe hominem ruſticum, & literarum ignarum tam multa ſcire, niſi ab amore Dei doceretur. Idem de D. Franciſco Paullano, prorſus idiotâ, ſenſêre iſtius ætatis homines: ſcientiam Sanctorum dedit Deus caritati. Miramur olim Æcatherinas, nuper Catharinas Genuenſes & Senenſes, recèns Tereſiam, vix ullis fermè literis inſtructam, tam alta de divinis diſputâſſe. Mirandum non eſt, cùm haberent ſpiritum caritatis, cujus ignis inflammat & illuminat.

XVII. **Et deſpicit creaturas.** Nec mirum eſt, ex ea Dei cognitione naſci rerum omnium creatarum contemptum, ſeu quæ intellectui, ſeu quæ ſenſibus blandiuntur. Greg. lib. 31. Mor. cap. 29. explicans illud Iſ. 58. *Suſtollam te ſuper altitudines terræ: Quaſi quædam*, inquit, *inferiora terræ ſunt damna, contumeliæ, egeſtas, abjectio*, &c. *Altitudines autem terræ ſunt lucra rerum, blandimenta ſubditorum, divitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum: quò quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat. At ſi ſemel cor in cæleſtibus figitur, mox quàm abjecta ſint cernitur, quæ alta videbantur. Sicut qui montem conſcendit, eò paullſper cætera ſubjacentia deſpicit*, &c. Qui excelſo amoris calle aſcendit ad cognitionem Dei, eò magis mutabilia omnia deſpicit, quò altiùs evectus eſt: apparentque ipſi omnia in radio caritatis, quemadmodùm Benedicto, & Iſaiæ, cap. 4. *Stilla ſitulæ, momentum ſtateræ, pulvis exiguus, quaſi nihilum & inane.* Diſcit experientia ſua, quod monebat Deus Jer. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & nôſſe me.* Dicit cum Aug. 5. Conf. cap. 4. *Infelix homo, qui ſciat omnia illa, te autem neſcit. Beatus autem, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat.* Unde tot Auguſtini ſermones de contemptu mundi, tam eleganter ſcripta de eodem Minutii Fælicis, Paullini, Sulpicii, Cypriani, Hieronymi, Eucherii, in ipſo tamen bonæ fortunæ ſinu? Amabant Deum, noverant, præ illo cætera nihil eſſe cernebant. Clemens Ancyranus, apud Surium Jan. 23. à Diocletiano ſolicitatus, oſtenſis fortunæ invitamentis univerſis, indignatus eſt Deum illis comparari. Indigna iſthæc omnia affectu ſuo æſtimat, nec poſſidere aut retinere vult, niſi quia Deus vult; quiſquis Deum ſcit & diligit. *Verbum ſupernum prodiens, E Patris æterni ſinu. Illumina nunc pectora, Tuóque amore concrema, Ut cor, caduca deſerens, Cæli voluptas impleat.*

XVIII. **Mundiſſima eſt via caritatis.** Lucida eſt caritas, ergo & munda: nihil enim luce mundius. Clara eſt, & in ipſis Solis radiis protenſa amoris via, ergo & nitida: lutum enim omne & ſordes puro Solis lumine deſiccantur. Primus ac maximè neceſſarius aſcendentis caritatis effectus eſt, *mundare Sancta, & renovare*; id eſt, purgare quidquid ex præterito obſtare poteſt conjunctioni cum Deo, & cavere quidquid in poſterum eam conjunctionem ſolvere poteſt, aut minuere. Dicebat Epiſcopus Genevenſis, ad noſcendos caritatis effectus, conſiderari debere effectus amoris naturalis; hunc enim, & illam, habere ſe inſtar tabellæ iſtius celebris, quæ uno ſitu currentem equum, alio ſupinum exhibet. Amoris autem naturalis; ſeu quem ſympathiam vocamus, ineſtque etiam inanimis; ſeu quem Animalem appellamus, & brutorum etiam eſt; ſeu quem dicimus Rationalem, ineſtque ſolis intelligentibus creaturis: effectus primarius eſt conjungere, refugereque quidquid inclinat ad disjungendum. Idem agit caritas, hominiſque ac Dei cor unum facit, & animam unam. Cùm autem, quia oculatiſſima ac lucidiſſima eſt, videat nihil unitati illi obſtare præter peccatum, illud ſummopere deteſtatur, non mortale ſolùm, ſed etiam veniale; iſtud, quia eſt amicitiæ divinæ diſſolutio; hoc, quia eſt imminutio: & utrique purgando Dolorem adhibet, ac Timorem.

XIX. **Dolor & Timor caritatis miniſtri.** Si commiſſum ac præteritum adſpicit, exclamat, poſt multos etiam annos, cum Auguſtino: *Serò te amavi, pulcritudo tam antiqua & tam nova, ſerò te amavi. Væ tempori illi, in quo non amavi te.* Dolet dolore illo puriſſimo & efficaciſſimo Contritionis. Quia ſic dolet, ſatisfacere vult aut ſatiſpati; ut errores compenſet, & cum fænore debitum exſolvat. Hinc diuturna illa pœnitentiæ exempla in ſacris hiſtoriis. Hinc etiam animarum

in flamis

in flamis purgantibus ſummum deſiderium, ut juſtitiæ divinæ ſatisfiat, ſeu per ſe patiendo, ſeu per alios agendo. Neque enim vellent cum minima macula coram Deo apparere, quia vident quantum illam oderit: ut dicit D. Catharina Gen. dial. de Purg. Prætereà quantum de lapſo tempore dolet caritas, tantum timet de futuro: timet, inquam, non ſervi timore, ſed filii; timet non offenſæ pœnam, ſed cauſſam pœnæ offenſam. Identidem repetit, quod Catharina Genuenſia moribunda, quod ſacerdotes omnes poſtulant ante ſumendum Chriſti corpus, *Ne eos Deus à ſe ſeparari permittat*: eóque caſto metu ad ſedulò cavendas omnes peccandi occaſiones excitatur.

XIX. *Amor timet culpam, non pœnam.* Prorsùs ut multò magis formidet peccatum quàm inferos ipſos, & in illis eſſe malit ſine peccato, quàm extra illos cum peccato. Veriſſimum enim eſt, quod dicebat D. Catharina Gen. Vitæ cap. 42. *Colloca in inferno animam cum corpore, quæ ſuſtineat tormenta damnati ſine peccato, & pete an illa ſentiat; reſpondebit, ſe plus timere cauſſam tormentorum, quàm tormenta.* Idem pro portione dicendum eſt de Purgatorio: futurum ut anima, illic ſine Veniali collocata, minùs ſentiat præſentes dolores, quàm timorem offenſæ quamvis leviſſimæ, quia ſcit eam amori ſuo diſplicere. *Hoc eſt enim omnis homo*, id eſt perfectiſſimus; & hoc eſt omnis caritas, id eſt perfectio, nota, effectus ſummæ ac veriſſimæ in Deum caritatis: ſi eum ſic timeat, ut vel minima ejus mandata non obſervare vereatur; non jam metu ſervi, ſed metu amantiſſimi filii, cui patris voluntates omnes cariſſimæ ſunt. De hac Venialis peccati fuga ex amore brevi aliquid dicemus, Exc. 3. num. 3. Nos interim aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei noſtri: faciamus prava in directa, & aſpera in vias planas: ſuperemus quidquid obſtat noſtræ cum principio noſtro conjunctioni. *In Deum* enim, ut loquebatur Auguſtinus, *tendimus non ambulando, ſed amando: quem tantò habebimus præſentiorem, quantò eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem.* Donec eò veniamus, ubi *platea civitatis eſt aurum mundum*; & caritas æterna, atque invariata ſine ullius maculæ nævo, fertur ad puriſſimum divinitatis amplexum.

SECTIO SECUNDA.

Caritatis aſſeclæ partes Pœnitentiæ.

I. *Pudor confitendi glorioſus eſt.* QUIA viam Caritatis diximus eſſe mundiſſimam, & proprium Pœnitentiæ munus eam purgare; dabimus hîc Caritati ſocias, aut famulas, tres Pœnitentiæ partes. Plurimi de iis paſſim agunt. Sufficiet mihi indicare, quæ utillima publicè puto, & proferre, quæ mea: ut illis populus inſtrui poſſit. Incipiamus à Confeſſione, cui partes aliæ ſubſerviunt; Contritio præambula, Satisfactio pediſſequa: illa neceſſaria ad Confeſſionis valorem, hæc ad complementum. Suppoſitis quæ certa ſunt, & nemini non debent eſſe notiſſima: Confeſſionem peccatorum à Chriſto inſtitutam: non publicè tantùm eſſe utillimam, ſed etiam privatim neceſſariam ſingulis, ſi in mortale peccatum incidêre; integram eſſe debere, ut nihil grave ſubticeatur, ne ſacrilegium fiat non Sacramentum, cujus rei varia ſunt in hiſtoriis monumenta. Iſtis poſitis, hoc unum oſtendo: erubeſcendum non eſſe confitendi pudorem. *Cuſtos pudicitiæ verecundia* eſt, & virtutum omnium: ea uti debemus, ut vitia caveamus, vel ab illis exeamus, ne *impudentes facti* ſimus, ut de Antiocho dictum eſt ad verſ. 12. cap. 1. At pudore illo abuti ad permanendum in peccato, prorsùs inſanum eſt. Talis *confuſio* eſt *adducens peccatum*, Eccli. 4. At *confuſio* confitentis *adducit gloriam & gratiam*, coram Deo, & Angelis, & viris ſapientibus, & iis ipſis qui confeſſionem excipiunt, pudoriſque ſunt materia præcipua.

II. *Coram Deo.* Non dico, glorioſam eſſe Deo erubeſcentiam confitentis: id enim longè manifeſtiſſimum eſt, cùm illîc eluceat Dei Juſtitia, inverecundiam hominis in peccato patrando puniens fatendi verecundiâ: Bonitas, in providendo tam prompto præteritorum peccatorum remedio, tam efficaci cavendorum futurorum: Sapientia, in homine per hominem juvando, corrigendo, ſalvando, quomodò plerumque homo hominem perdit: Potentia, in tot tantiſque transformationibus ad unius homunciouis vocem operandis in alterius anima. Conſtat ergo honorificum eſſe Deo pudorem pœnitentis. Nec minùs conſtat, honori eſſe apud Deum ipſumet pœnitenti pudorem ſuum; ſi ex fidei oraculis rem æſtimemus. Amiſerat enim peccans letaliter, quidquid apud Deum habebat dignitatis: domeſticus illius, amicus, filius eſſe deſierat, uno licèt admiſſo crimine, quantumvis ſecreto. At ubi urgente familiari monitore conſcientiâ culpam exſpuit, mox in priſtinum gradum reſtituitur, perditóſque omnes titulos recuperat. *Exomologeſis ... cùm provolvit hominem, relevat: cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cùm accuſat, excuſat: cùm condemnat, abſolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet*: inquit Tertul. lib. de Pœnitent. Et in eodem libro: *Eam tu peccator, mei ſimilis, ... ita invade, ut naufragus alicujus tabulæ fidem... Rape occaſionem inopinatæ felicitatis, ut ille tu nihil quondam penès Deum, niſi ſtilla ſitulæ, & areæ pulvis, & vaſculum figuli; arbor exinde fias illa, quæ penès aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſecurim videbit.* Nec priſtino modò gradui redditur pœnitens confeſſus, ſed etiam altiori quàm antè. Habent enim hoc Sacramenta novæ legis, ut non gratiam ſolùm extinctam reſuſcitent, verùm & novam producant ex opere operato, augendam prætereà pro portione actuum pœnitentis. Quod ſignificatum videtur Gen. 15. ubi Abrahamus dicit Damaſcum Eliezerem fore hæredem ſuum. *Damaſcus* enim, ut notat Philo in libro de hærede divinorum, eſt *ſanguinis ſaccus*: *Eliezer* idem eſt ac *Dei auxilium*. Peccator, ſanguinis & peccatorum ſaccus, ſi Dei ad pœnitentiam vocantis gratiâ generosè utatur, & moleſtum pudorem proculcet, ſit Dei filius, & hæres, majori quàm antè patrimonii portione donandus.

III. *Coram Angelis & Sanctis.* Cùm autem reus culpam faſſus det *gloriam Deo*, ut Joſue Achani dicebat cap. 7. cùm ſimul ſibi coram Deo multiplicem gloriam comparet, augeatque priſtinam dignitatem; inde etiam conſequens eſt, apud Angelos & Beatos plurimùm honoris pœnitenti accedere; tantum abeſt, ut decedat. Nihil enim æſtimant niſi ex Dei judicio, & voluntate; quodque ipſi magnum eſt, parvum illis videri non poteſt; nec magnum illis unquam fuerit, quod ipſi parvum aut nihil eſt. Quanti ſunt apud Deum, forma, divitiæ, nobilitas, ingenium, ſcientia, ceteráque tranſigendæ hujus miſeræ vitæ adminicula, ſi virtus deſit? Fidem vivam, caſtum timorem, ſpem erectam, caritatem accenſam, obedientiam accuratam, juſtitiam perfectam, fortitudinem generoſam,

nerofam, comparandæ vitæ æternæ præſidia reſpiciunt oculi ejus, & Sancti faventes honori pœnitentis in ejus confeſſione intuentur. Inchoatur D. Stephani laus in Actis Apoſtolorum à plenitudine fidei: quâ itidem plenus eſſe debet pœnitens, ut credat remuſſionem peccatorum, de adipiſcenda utique illa non laboraturus, ſi certò non crederet. Jobi laus præcipua eſt, quòd fuerit *vir juſtus, & timens Deum, & recedens à malo.* Pœnitens, quia timet Deum, recedit à malo: Auguſt. ſerm. 16. de verb. Dom. *Corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam.* Spes, inter alia virtutum ornamenta, commendatur in Simeone exſpectante *conſolationem Iſraël:* accedátne umquam peccator errata faſſurus, ſi non ſperet conſolationem Iſraël, propitiationem apud Dominum, & copioſam apud eum redemptionem? Spem comitatur amor Dei, imperfectus ſaltem, & ad perfectum aſpirans: nam *pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei*, inquit Auguſt. ſerm. 7. de Temp. Adeſt obedientia, ad difficile adeò præceptum explendum: juſtitia, ut ipſe ſibi pœnitens ſit accuſator, teſtis, & tortor: fortitudo, ut infirmitatem ſuam detegat, & plus interdum crucietur in fatenda culpa, quàm delectatus eſt in committenda.

IV. Coram ſapientibus.

Hinc etiam dubitari non poteſt, quin ipſi honorem apud ſapientes erubeſcentia ſua conciliet. Sapientes enim id judicant honore dignum, quod revera tale eſt: tale autem revera eſt, quod tale eſſe judicat Deus. *Robuſtus coram Domino, magnus coram Domino*, in Scripturis ſignificant, verè robuſtum, verè magnum. Ita quia honorifica eſt coram Deo, confeſſio peccatorum, verè talis eſt, & eſſe debet æſtimatione ſapientum. Jobus ultimo capite errores ſuos agnoſcit, & publicat: eam ob rem de ipſo Gregorius 22. Moral. cap. 11. *Videatur cuilibet vir iſte magnus in virtutibus ſuis; mihi certè ſublimis apparet in peccatis ſuis.* Apud quem hominem ſanum aliquid de exiſtimatione Davidis deceſſit, propter cantatum pſalmum Miſerere? Cui diſplicuit mulier peccatrix publicè ad Chriſti pedes reſipiſcens, niſi Simoni Leproſo? D. Petrum lacrymæ ſuæ ad poſteros commendabiliorem fecêre. D. Marcellinum publica in Concilio pœnitentiæ profeſſio non dehoneſtavit. Cùm D. Auguſtinus in pſ. 66. dicebat palàm, *Quàm ſimus timore ſub pedibus veſtris, Deus novit*; aut cùm dicebat in pſ. 70. *Ad hoc confiteor infirmitatem meam, ut ſim timidus tanquam lepus, quia ſpinis plenus ut hericius*; aut cùm Confeſſiones ſuas ſcripſit & edidit: nonne ad doctrinæ, ingenii, facundiæ laudem, adjecit illuſtriorem longè titulum humilitatis? D. Proſper, & Ennodius, ac recèns Pater Richeomus, ejus exemplo publicavêre vitæ ſuæ mala, pudoréque ſuperato commendationem tulêre. D. Ignatius noſter, cùm pro concione apud populares ſuos veniam de malis exemplis petiit, de juvenili nominatim furto, auctoritatem amiſit, an conciliavit?

V. Et coram ipſo Confeſſario.

At, inquis, facilè iſthæc credidero: nec me pudor angit cùm de Deo, Sanctis, ſapientibus cogito, ſed cùm mihi propono in hominis unius aures everrendam prorſus omnem conſcientiam meam. Non ergo audiſti, quid philoſophus quiſpiam adoleſcenti, lupanar egredi ipſo inſpectante non audenti, dixerit: *ingredienti erubeſcendum fuiſſe, non egredienti?* Non tibi narratum eſt, quod retulimus Excurſ. 2. ad cap. 1. ſect. 2. num. 9. de dæmone oris obſeratore? Non meritò dixit Tertullianus lib. de Pœn. *Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodacta reformari. Ne tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens?* Pudorem Deus homini dedit, ut à peccato contineretur: eóne homo utetur, ut in peccato ſeſe contineat? Non iterum tibi dixit Tertullianus: *An meliùs eſt damnatum latere, quàm palàm abſolvi?* Non tibi ſæpiùs inculcatum eſt illud Auguſt. in pſ. 50. *Sunt multi, quos peccare non pudet, pœnitentiam agere pudet. O incredibilis inſania! De vulnere ipſo non erubeſcis, de ligatura vulneris erubeſcis? Nonne nudum fœdum & putidius eſt?* Quid timet pudor tuus? Ne Confeſſarius publicet peccatum? Atqui ſcis quot nominibus ad ſecretum obligetur: quod qui ſemel violavit, à dæmone palàm ſpectantibus cunctis abreptus eſt, narrante Cerizerio in hiſtoria Lætienſi. Times, ne pœnam gravem imponat? Sed Confeſſarii ſciunt jugum Chriſti leve, ejuſque & Sanctorum erga pœnitentes ſuavem affectum, ut Auguſtinus notat cap. 30. de Agone Chriſtiano, aliique. Times, ne apud Confeſſarium facias jacturam bonæ exiſtimationis? Hoc ipſum eſt, opinor, quod te maximè angit. Sed ignoto ignotus confiteri poteris: ſed etiam notus, ſi quid ſapit, ſe hominem ſciet, & te; pluriſque ex ipſa pœnitentia faciet, quod de B. Saleſio narrant, poſtquam ſacerdotis confeſſionem exceperat. Simile quid dicitur de ſacerdote Dominicano, qui exceptâ maximi peccatòris confeſſione, eum ſuaviter tractàrat. Si nondum pudori iſta ſatisfecêre, audiatur Aug. de Viſ. infirm. cap. 4. *Melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii, coram tot millibus hominum, gravi compulſa denotatum tabeſcere.* Audiatur & Proſper in fine libelli de Vita ſua: *Habeat quantaſlibet cruces ignominia pœnitentis, levior eſt tamen ignis pœnitentia, quàm gehennæ*, ſive apud inferos, ſive in Purgatorio.

VI. Differentia contritionis à falſa pœnitentia.

De contritione, alterâ pœnitentiæ parte, tria dicenda ſunt: Quæ natura ejus, quæ obligatio, quæ efficacia? Ut natura meliùs intelligatur, aliis de peccato doloribus comparari poterit. Eſt enim dolor falſus: eſt contritio imperfecta, quam volgari voce attritionem dicimus. Falſus dolor ſæpè hæret in externis cæremoniis: ſed contritio cor penetrat, & Joëlis præceptum implet, *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta.* Falſus dolor ſi tangit animum, ferè id facit ex motivo timoris, qualem mancipia habent, deſcripſimuſque Exc. 1. ad cap. 4. ſect. 2. num. 11. at contritio timorem habet, qualem filii. Præterea dolor ille ad omnia peccata æqualiter non pertinet, ideóque falſus eſt: ſi enim verus eſſet, *omnem viam iniquitatis odio* haberet, deteſtareturque peccatum ubivis & quodlibet, quia veræ virtuti & Deo contrarium. Itaque Greg. hom. 34. in Evang. dicit: *Quid prodeſt, ſi quis peccata luxuriæ defleat, ſi eum avaritia inquinet? Quid prodeſt, ſi iracundiæ peccata lugeat, & invidiæ facibus tabeſcat?* Eódem reſpexit Aug. hom. ultima ex 50. *Qua fronte impudentiæ tunc volet averti faciem Dei à peccatis ſuis, qui nunc toto corde non dicit, Quoniam facinus meum ego cognoſco?* Neque enim toto corde, ſed ſolùm parte cordis execratur peccatum, qui illud non deteſtatur ubicumque eſt. Quanta falſi doloris à contritione differentia eſt; quòd ille quamvis præterita omnia peccata generatim complecteretur, non habet tamen in futurum conſtantem ac firmam emendationis voluntatem, quæ ſeriæ pœnitentiæ omninò neceſſaria eſt. Eadem enim odii, ac fugæ ratio reperitur in futuris, atque in præteritis. Quare Auguſt. ſerm. 7. de temp. monebat: *Si pœnites te, noli facere: ſi adhuc facis, pœnitens non es.*

Quæ

VII. *Propoſitum de cætero emendandi.*

Quæ Auguſtini ſententia ſic intelligenda eſt, ut ille verè pœnitens non ſit, qui rurſus vult patrare confeſſa. Nam qui non vult quidem patrare, judicat tamen ſeſe, quâ infirmitate eſt, relapſurum: non ideò tamen non eſt pœnitens. Aliud enim longè eſt relabi velle, aliud relapſum prævidere; quemadmodùm in lubrico ambulans poteſt ſeriò nolle cadere, etſi prævideat aliquando ſe caſurum. Sed qui ſic de præteritis ſe accuſat, & dolet, ut in poſterum abſtinere non conſtituat, ille pœnitentiæ chimæram pro pœnitentia vera amplectitur, & ab Auguſtino ſudiat: *Multi ſe peccatores pronuntiant, quos adhuc peccare delectat. Profeſſio eſt, non emendatio. Accuſatur anima, non ſanatur. Pronuntiatur offenſa, non tollitur.* In eo numero ferè ſunt Chriſtianorum genera duo; craſſorum nec ſaluti neceſſaria edoctorum; & diſſolutorum, nec confiteri, niſi perfunctoriè, & dicis cauſsâ, ſolitorum. Utriſque ingeminandum, quod Chriſtus languido: *Vade, & jam amplius noli peccare.* Aut quod Chriſtus dæmoni: *Surde, & mute ſpiritus, exi ab homine, & ne ampliùs introëas in eum.*

VIII. *Attritionis & contritionis diſſimilitudo.*

Attritionis, quod veræ pœnitentiæ genus minùs perfectum eſt, & contritionis inæqualitas ad potiſſima duo capita refertur: ad cauſſam ſeu motivum; & objectum ſive extenſionem. Excitari enim poteſt attritio ſpe vel timore ſupernaturali, aliiſve inferioribus caritate virtutibus, caritati tamen poſtmodùm ancillaturis. Poteſt item dici attritionis motus, ſincerusque ac ſupernaturalis dolor, de peccato unico, ob Chriſtianæ virtutis, quæ illi opponitur, ſingularem aliquam & amabilem honeſtatem. At contritio, ſummus & perfectiſſimus pœnitendi modus, ſolius amoris divini partus eſt; oditque peccatum, quia odit Deus; nec cauſſam aliam habet deteſtandæ offenſæ, quàm quod ita mala eſt, ut ſummæ bonitati diſpliceat. Atque adeò, cùm ea deteſtationis ratio in peccatis omnibus gravibus occurrat, ad omnia æquè extenditur dolor de patratis, & ſeria de non patrandis voluntas. Imò ad eum gradum ex intenſa caritate perduci poteſt contritio, ut non mortales ſolùm noxas abominetur univerſim; ſed & veniales, quia & ipſæ pro modo ſuo, bonitati divinæ adverſantur. Sed iſthæc alii fuſiùs.

IX. *Contritionis uſus.*

Quid autem de contritionis uſu? Neceſſariam olim fuiſſe conſtat ad expiationem criminum, antequam apparuiſſet benignitas Salvatoris: qui Sacramento Pœnitentiæ eam vim dedit, ut pœnitens ex attrito contritus fiat; id eſt attritione veniam mereatur, qualem priùs ſola obtinebat contritio. Hæc itaque nunc remiſſioni peccatorum neceſſaria non eſt: ſuadenda tamen Chriſtianis omnibus, & identidem explicanda, etiam cum faſtidii periculo. Ne cui forſan idem contingat, quod nobili & diviti Bellarmini amico, qui ex crimine letali in letalem morbum inciderat; & ab illo ad contritionem invitatus, verbis etiam præeunte, iterum atque iterum reſpondit: iſta ſupra captum ſuum eſſe, & paullò pòſt miſerè mortuus eſt, relictis æternæ damnationis manifeſtis indiciis. Ita narrat Bellarminus ipſe, à nobis etiam adductus ad ver. 49. cap. 2. ſuadens ſingulis frequentem contritionis uſum per ſanitatis tempus, ut extremo tempore intelligi & exerceri faciliùs poſſit. Conſultum itaque fuerit eam adhibere ad confeſſiones ſingulas, non tamquam neceſſariam, ſed tamquam utiliorem ac meliorem. Deinde ante diſcrimina quælibet adeunda, longorum itinerum, periculoſarum navigationum, imminentis conflictûs, & aliis id genus. Denique ad quotidiana conſcientiæ ante ſomnum examina: ut ſic ſe comparet Chriſtianus ad mortis imaginem, quemadmodùm ad mortem; & ſic accedat ad quietem nocturnam, velut ad requiem ſempiternam. Et verò quàm multi in lecto ſeſe compoſuêre ſani, & inde non exſurrexêre? Soliti olim erant in Anglia nobilium filii, quamvis magno natu, parentes ante decumbendum rogare ut ſibi benè precarentur: neque eum morem deſinebant antè, quàm conjuges forent. Stapletonus in Vita Thomæ Mori narrat, id ab ipſo conſtanter ſervatum, etiam cùm maritus fuit: ejusque filium, jampridem nuptiis illigatum, & annis provectum, ex illa conſuetudine publicè benedictionem à patre petiiſſe, cùm à tribunali damnatus reducebatur, in Henrici VIII. cauſſa. Quod à parentibus benè morati liberi, hoc nos à cæleſti Patre filii, quotidianis contritionis actibus, impetrare conemur.

X. *Efficacia.*

Perſuadendo huic exercitio, expendenda eſt vis ejus, & efficacia. De ea David pſ. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et Deus Iſaiæ cap. 1. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur,* &c. Et Jer. 31. Ephraim Deo dicit: *Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam:* & mox ſubditur, *miſerans miſerebor ejus, ait Dominus.* Item Ezech. 18. clariſſimè: *Si impius egerit pœnitentiam... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Idem Ezechiel cap. 33. *Cum converſus ingemuerit, tunc ſalvus erit:* citatur certè iſtis verbis à D. Leone Magno ep. 91. Accedunt Patrum ſententiæ. Chryſ. hom. 22. ad pop. Ant. *Non ſic inſanus amator dilectam ſuam amat, ut Deus pœnitentem animam.* Aug. ſerm. 66. *Pœnitentia non annorum numero cenſetur, ſed amaritudine animi... Pœnitentia, quamvis ſit exigui temporis, ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud juſtum judicem Deum.* Auguſtino etiam tribuitur iſtud lib. de Pœn. *O humilis lacryma, tuum eſt regnum, tua eſt potentia: aſpectum judicis non vereris: inimicis accuſantibus ſilentium imponis: ſola intras ad Regem, ſed ſola non recedis: vincis invincibilem, & ligas omnipotentem.* Pro oraculo eſt ſententia Cypriani, ſeu Cornelii Papæ, ſi mavis, ſerm. de cœna Domini: *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera fuerit contritio, excludit à venia.*

XI. *Facilitas, Dei auxilio.*

Id in Davide, Jona, Manaſſe ſpectavit antiquitas. In bono latrone vidit Calvaria: niſi Sacramentorum inſtitutor fecit illum ex attrito contritum, quomodò ſæpè accidit pœnitentibus in Pœnitentiæ Sacramento. Alios hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non paucos recenſent, in extremo licèt articulo veniam flagitiorum enormium conſecutos, potentis iſtius doloris interventu. Nec pridem, ævo noſtro, idem eveniſſe dicitur viro principi, è primaria nobilitate Neapolitana: cujus nomini parco, ob infamem cædis cauſſam. Puellam pari nobilitate adoleſcens amârat volentem, honeſtâ ſpe nuptiarum: dein alteri in matrimonium elocatam proſequi inſtitit turpi cupidine, neque invitam. Senſit maritus, &, ut labem ſuam deprehenderet, longum iter ſimulavit: ſe repentè reflexo itinere, utrumque improvisò armatus occupavit. Adulter, quando effugio locus non erat, & mors præſens intentabatur, rogare inſtanter, ut animo ſaltem parceretur, ſpatiumque daretur expiandorum apud quemlibet ſacerdotem criminum: hoc facto, ſeſe & lubenter, & meritò, occubiturum, noxiam alieni thori violati victimam. Reſponſum: inducias tantas conjugali dolori nimis longas eſſe:

Digitized by Google

actum contritionis elicere conaretur, cui quamvis exigua mora ſufficeret. Poſt brevis itaque morulæ ſpatium in ipſo contritionis actu occiſus eſt: additaque mox ſupplicio comes, ſocia criminis; ſed longè diſpari ſorte, quantum judicare mortalibus fas eſt. Nam de mulieris ſtatu poſt mortem nihil auditum: de illo ſignificatum perhibent cuipiam illuſtris ſanctimoniæ viro, veniam à Deo impetrâſſe, quam homo negaverat: ſolamque obtinendæ veniæ cauſſam fuiſſe contritionem. Tanti intereſt eâ in tempore uti nôſſe, adſpirante clementiſſimi Numinis gratiâ. Ad illius actus formandos alii alia proponunt. Putârim ego, commodiſſimè iri poſſe per ſingulas peccati circumſtantias: quibus repetitâ ſæpiùs conſideratione perpenſis, facile fuerit perfectum de peccatis dolorem concipere, *Quis* offendit? Homuncio. *Quem*? Deum. *Ubi*? In ipſis ejus oculis, ac ſinu. *Quibus auxiliis?* Senſuum, potentiarumque ab ipſo acceptarum. *Cur*? Ob vanam voluptatem, gloriam, commodum. *Quomodò?* Deliberatò, ex certo judicio. *Quando?* Cùm Deus beneficia ſua ſua maximè ingerebat.

XII. Satisfactionis fundamentum.

Adjiciendum contritioni & confeſſioni complementum ſatisfactionis. Moſes Exod. 3. & 5. jubetur educere ex Ægypto, regione tenebroſa, in ſolitudinem Iſraelitas, itinere tridui. Figura eſt pœnitentiæ tripartitæ. Idem ſignificat triduum à Jona exactum in corde maris: & triduum Chriſti ſepulti. Quomodò enim Paſſio Chriſti peccatum adumbrat, ita Sepultura pœnitentiam, Reſurrectio reviviſcentiam ſpiritualem. Ut quis perfectè reviviſcat non conterat tantùm cor ſuum, & confiteatur peccata, ſed etiam de illis ſatisfaciat. Satisfactio autem duplex eſt, Neceſſaria, & Voluntaria, quarum explicationi præmittendum eſt hoc fundamentum: in peccato duo eſſe, Culpam & Pœnam, & hanc ab illa eſſe ſeparabilem. Negant hæretici: ſed convincuntur Apoſtolica traditione, uſuque Eccleſiæ perpetuo, inquit Trid. ſeſſ. 14. c. 8. Adde rationem à nobis allatam Excurſu 2. ad caput 4. lect. 1. num. 4. Hiſtorias item Scripturæ, notatas ibidem: quibus adjici poteſt ſententia Siracidæ Eccli. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Etſi enim aliqui, etiam Catholicorum, legant, *De propitiatu peccati*, ſeu *de propitiando*, in poſterum ſcilicet, *peccato noli eſſe ſine metu*; faveatque huic lectioni textus Græcus: communiſſimè tamen explicatur ea ſententia, de peccatorum præteritorum remiſſione. Quid verò ſibi velit Siracides? Perpetuóne metuendum, ne fortè culpa, quam ſeriò deteſtati & confeſſi ſimus, abolita non ſit? Equidem id non exiſtimo: nec Deus iſtum à nobis metum exigit, turbando animo, non juvando, idoneum. Quid ergo? Pœnam opinor intelligi temporalem, à *propitiato peccato* reſtantem; de qua non debemus eſſe *ſine metu*, quandoquidem vel hîc ſolvenda eſt, vel expianda erit poſt mortem.

XIII. Satisfactio neceſſaria.

Eam ob rem Chriſtus inſtituit, ut pœnitenti ſatisfactio per ſacerdotem imponatur: & iſta eſt, quam neceſſariam appello. Nam licèt non pertineat ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, pertinet tamen ad integritatem: adeóque eam ſacerdos vel ex iſto capite teneretur imponere, quamvis Chriſtus non imperâſſet. Quod ipſum puto ſignificatum Lev. 14. verſ. 14. & 15. ubi ſacerdos jubetur ſanguinem victimæ ponere ſuper extremum auriculæ, manûs, & pedis leproſi mundati. Sacerdos novæ Legis non ſolùm ponat Chriſti ſanguinem ſuper auriculam pœnitentis, ut det ejus *auditui gaudium*, dicendo *Abſolvo te*: ſed etiam ponat ſuper manus & pedes, injungendo opera ſatisfactoria. An autem pœnitens teneatur acceptare: quàm cito debeat explere: an poſſit mutare: quantum peccet non implens acceptatam: aliæque de hac materia quæſtiones paſſim tractantur, & plebi utiliter explicabuntur. Unum ego Pœnitentes monuero; ut qualemcunque, accipiant, ſtatimque opportuno tempore expleant, ante relabendum in peccata. Cùm enim ea ſatisfactio ſit pars Sacramenti, dubitandum non eſt, quin ex opere operato & ex inſtitutione Chriſti plus longè conferat ad expiationem pœnæ, quàm ſatisfactiones quævis voluntariæ. Eam, opinor, ob cauſſam Archidux Maria, Margaretæ Hiſpaniarum Reginæ mater, ſibi liberiſque ſeveros malebat Confeſſarios, quàm indulgentes: ut Guſmanus narrat in vita Margaretæ. Et Auguſt. ſerm. 39. de Sanctis: *Confeſſionem*, inquit, *quæramus puro corde, & pœnitentiam donatam à ſacerdotibus perficiamus.* Quamquam idem Aug. monet, ne ſacerdotes nimis ſeveri ſint, in pſ. 93. *Noli, quia tu tranſiſti, velle miſericordiæ Dei pontem ſubvertere ... Tu jam vis illum ſepelire: adhuc fovea illi foditur, noli feſtinare ſepelire.* Monet tamen etiam idem ne nimis molles ſint, de verb. Dom. ſer. 16. *Tu ligas illum in terra, ſed ut juſtè alliges, vide: nam injuſta vincula dirumpit juſtitia.* Videndum de iſto argumento Tridentinum, & qui ſcripsêre de munere Confeſſariorum.

Verus pœnitens expleta ſatisfactione neceſſaria addet voluntarias, exemplo D. Auguſtini, & monito, hom. ult. ex 50. *Majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus non judicetur à Domino ... Pœnitentia eſt, cujus actio per totam vitam iſtam, quâ in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt ... propter pulverem hujus mundi .... qui pedibus adhæreſcit.* Exercetur autem actio pœnitentiæ, ſeu ſatisfactio per opera, quæ vocantur pœnalia, quia ex natura ſua difficultatem habent. Talia ſunt, oratio, jejunium, eleëmoſyna, ab Angelo commendata Tobiæ. Chriſtianus iis maximè inſiſtat per Quadrageſimam, & tempore hebdomadæ, quæ Pœnoſa & Sancta vulgò dicitur. Eo tempore Petrus Antiſiodorenſis Comes, Regis Franciæ conſanguineus, poſtmodùm Imperator Conſtantinopolitanus, illuſtri pœnitentiâ ſatisfecit Eccleſiæ, cujus aditu per Innocentii Pontificis ſententiam prohibebatur. Ipſo enim Palmarum die, inſpectante Clero & populo frequentiſſimo, cùm ſupplicatio procederet, proceſſit & ipſe nudus in veſte linea: & cadaver domeſtici ſui, quod tumulandum in Epiſcopi cubiculo per ludibrium curârat, manibus ipſe ſuis effôdit, & humeris extulit, damnáque omnia abundè rependit. Vide Spondanum anno 1204. & 1216. Eodem, ni fallor, tempore Fabiola collacrymante Pontifice ſtabat in ordine pœnitentium, apud Bar. ann. 391. ex Hier. ep. 31. Per ſeptimanam ſanctam Robertus Franciæ Rex jejunio ſeveriſſimo, & humi cubatione, corpus affligebat: ſtationes obibat: die Jovis ſancto pauperibus ducentis manè miniſtrabat, trecentis & ampliùs lavabat pedes poſt meridiem. Eodem tempore duodecim conjuratis, qui in ejus necem conſpirârant, vitam condonavit. Alia pœnitentiæ exempla ſi voles, conſule Baron. an. 556. de Potamio Epiſcopo Bracarenſi. An. 822. de Ludovico Pio Imperatore. An. 1077. de Suenone Rege Daniæ. An. 1183. de Henrico Angliæ Rege, &c.

XIV. Satisfactio voluntaria.

EXCUR-

EXCURSUS II. MORALIS

Ad Cap. 5. v. 60. Facta eſt fuga magna.

Vnius peccato laborat univerſa reſpublica.

I. Exemplo nocet unius culpa.

PECCAT Joſephus, peccat Azarias; nec ſolus Joſephus à Deo punitur, ſolúſve Azarias, ſed fit fuga *magna in populo*: ut vel inde diſcamus, quod jam pluribus deducetur, paucorum, imò vel unius offenſam, populis oniverſis non rarò exitioſam eſſe. Duo ſunt in privati cujuſvis hominis peccato, culpa, & pœna culpæ debita. Culpam publicè noxiam eſſe conſtat, quia imitatione ad plures trahitur. Gangræna eſt quæ ab extremo unguiculo ſerpit ad viſcera. Cancer eſt, aut ignis ſacer, qui membra ex aliis alia depaſcitur. Quomodò *grex totus in agris*

Vnius ſcabie cadit, aut porrigine, porci:

ita ſæpè viſæ civitates, imò & regna, impetigine luxûs immodici correpta, libidine corrupta, factioosbua perdita, ab uno ſolùm capite. *Modicum*, inquit Paullus 1. Cor. 5. *fermentum totam maſſam corrumpit*, ſi acidum eſt, & mucidum.

II. Boni exempli vis.

Chriſtus Matthæi 13. regnum cælorum comparat fermento poſito in farinæ ſatis tribus. Id fermentum Hieronymus, prædicationem Evangelicam in tribus mundi partibus interpretatur: Chryſologus, doctrinam cæleſtem in tribus Scripturæ generibus: Auguſtinus, caritatem tres animæ partes fermentantem: Theophylactus, Eccleſiam, quam dicere poſſimus diffuſam in omne hominum genus, ex tribus Noëmi filiis propagatum. Ambroſius valdè aptè Chriſto ipſi ſuum fermentum applicat ferm. 5. & comparationis partes invenies, ſi quantitatem, qualitatem, materiam fermenti conſideres, & præſertim modum quo permiſcetur. Neque incommodè Chryſoſt. hom. 47. Apoſtolis accommodat, qui in orbis partes diſperſi per *Digitum Dei*, id eſt, Spiritum Sanctum, mundum univerſum fermentavêre. Unde, inquit, apparet malitia noſtra, & ignavia, quod tanto numero cùm ſimus, longè abſumus ab efficacia duodecim vilium & contemptibilium hominum. Quod Chryſoſtomus de Apoſtolis: idem de Apoſtolicis hominibus dicere poſſimus, qui malis permiſti, in ſuum eos ſaporem vertêre. Nonne fermentó ſimilis Gregorius Thaumaturgus, qui cùm ſeptemdecim omninò Fideles initio Epiſcopatûs inveniſſet, totidem moriens reliquit Infideles?

III. Cur aliqui boni inter multos malos?

Generatim vir probus quilibet, inter malos poſitus, dicatur fermentum. Solet enim Deus ita hominum cœtus ſuaviter diſponere, ut quomodò vix ullus umquam adeò perfectis conſtet, quin malus aliquis inter plures bonos inveniatur: ita vix omquam ſit ulla tam corrupta ſocietas, quin bonus aliquis lateat inter malos. Cur mali inter bonos tolerentur, diximus ad cap. 8. Difficilior quæſtio eſt, cur boni inter malos? Quandoquidem, ut ait Euſeb. Gall. hom. 4, *Faciliùs invenimus, qui ea quæ deteriora ſunt, quàm qui meliora ſectentur; pronior enim eſt ad imitationem mali humana fragilitas.* Adeóque videretur optabilius viro probo transferri, & mutare ſtationem, quàm degere in medio nationis pravæ atque perverſæ: ſicut Enochus *vivens inter peccatores tranſlatus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

IV. Proſunt illis præſentiâ ſuâ.

Utcumque iſtud ſit: certiſſimum tamen eſt, fines optimos à Deo ſpectari, in collocandis bonis aliquibus inter multos malos: ut malis proſint, præſentiâ, precibus, verbis, exemplis. Pepercêre aliquando Reges civitati univerſæ, unius illic cari capitis gratiâ. Ita Deus aliquando ſceleratas gentes, paucorum bonorum reſpectu, toleravit. Ambr. lib. 2. de Voc. Gen. cap. 4. affirmat, diluvium ob eam cauſſam diu dilatum: *Quorum*, inquit, *mala, ſcilicet improborum, tamdiu patientia Dei ſuſtinuit, quamdiu boni, per id quod eos non imitabantur, placere potuerunt.* Simile quid in gratiam Loth factum Gen. 14. urbi Segor, imò & damnatis urbibus, quarum pœna dilata eſt, donec exiiſſet. Ob eam cauſſam Gen. 26. Abimelech, Gerarorum Rex, cum Iſaaco fœdus percutit. Et Jer. 5. Deus dicit: *Circuite vias Ieruſalem, & adſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, ſi inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem, & propitius ero ei*, id eſt, ut ex reliquo textu colligitur, ejus gratiâ civitati univerſæ propitiabor. Actorum 17. naviganti cum Infidelibus Paullo Angelus apparens dicit, donata ipſi 276. capita vectorum. Sæpiſſimè unius viri boni intuitu ſervatas à Deo naves, & urbes, ex hiſtoriis eſt notiſſimum. Illuſtrior nulla hiſtoria, quàm quæ notiſſima ex Gen. 18. de decem juſtis, propter quos Deus ſententiam jam latam reſciſſurus erat, aut ſuſpenſurus, ſi tot in Sodomis inveniri potuiſſent. Etſi enim videtur Aug. quæſt. 40. in Geneſin indicare, id ab Angelis dictum, ad exaggerandam iniquitatem Sodomorum; non quòd futurum fuerit, ut Deus parceret Sodomis: *Si*, inquit Auguſt. *ibi inveniantur, parco; hoc eſt, quòd nec tot ibi poſſent inveniri.* Tamen ex mente Abrahami, & reſponſo Angeli ad ejus mentem, pace Auguſtini, conſtat; Deum adversùs Sodomitas, propter decem omninò juſtos, vindictam dilaturum fuiſſe.

V. Et orationibus.

Quid cùm præſentiæ addunt preces ad Deum? Neque enim, ut Aug. loquitur lib. de Corrept. & Gratia, *de quoquam ante finem vitæ hujus*, ſeu, *quamdiu vivit in hoc corpore, deſperandum putant.* Orationes autem juſtorum, quàm ſint efficaces, oſtendimus ad cap. 3. Exc. 2. ſect. 6. num. 16. & 17. Et Ruffinus aptè dixit, præfat. in vitas Patrum, *Quis dubitet mundum precibus ſtare Sanctorum?* Illis hæc machina, alioqui peccatorum pondere ruitura, innixa eſt. Vel Moſen unum ſpecta Exod. 32. de

quo

Digitized by Google

quo agens Pſalm. 105. dicit, eum ſtetiſſe *in confractione* in conſpectu Dei: id eſt, iræ Dei, quæ jam ſibi viam aperuerat, ad delendum populum Hæbræorum, in ipſo aditu ſeſe objeciſſe, occluſiſſeque tranſitum. Seu, quomodò in ſimili loquitur Ezechiel cap. 22. *Interpoſuiſſe ſepem pro terra, & ſtetiſſe oppoſitum*, aut *ſtetiſſe in ruptura*, ut habetur in Hebræo; ne Deus terram diſperderet: vindictâ ipſius, velut per diſruptorum mænium hiatum, in urbem hoſtilem irrumpente.

VI. Et verbis. Quid autem quando precibus addunt hortationes, monitiones, conſilia? Bonum enim diffundi amat, & communicari: nihil autem inter bona creata virtuti antecellit. *Ignis* cæleſtis eſt, qui *ſemper ardebit in conſpectu* Dei, & pro naturæ ſuæ ratione proxima quæque depaſcetur. *Vnguentum* eſt *ſuaviſſimi odoris Domino*, oleumque puriſſimum, latiùs ſemper & latiùs fundens ſeſe ac diducens. *Fons* eſt *aquæ ſalientis in vitam æternam*, qui in rivos geſtit erumpere, & hauriri: eóque ſolùm fine profluit, ut ſumatur. *Infinitus eſt* theſaurus hominibus, qui abſcondi non vult, augeturque impendio ſuo; tantum abeſt ut minuatur utendo. Hinc viri probi, ſi, quod Timotheo Paullus mandabat, aut nequeunt aut non debent publicè inſtare peccanti, arguere, increpare: at privatim ſaltem *corripiunt inter ſe & ipſum ſolum*, ex præcepto Chriſti Matth. 18. *Inſtruunt hujuſmodi in ſpiritu lenitatis*, ut jubet Paullus Gal. 6. Conſilia ſua, etiam non petentibus, aliquando offerre prudenter non dubitant; cùm non ignorent quod Tertull. de Pallio refert, *Sermone ſuaderi medicamine ſapientiſſimo.* Quod etiam ab ancillis & mancipiis factum notamus Excurſ. 1. ad cap. 12. num. 7.

VII. Maximè exempla. Sed *etſi eloquium ſileat vel infantiâ ſubductum, vel verecundiâ retentum, ipſo habitus ſonat:* inſtruunt exempla. Vir bonus, ut libro de Tranq. Seneca, ſi clamore juvare pugnantes non poterit, *Stabit tamen, & ſilentio juvabit.* Hinc à Chriſto comparatur *civitati ſupra montem poſitæ, lucernæ ſuper candelabrum.* Et Proſper l. de Provid. ait: Indiſcretum eſſe bonis & malis uſum rerum omnium, illoſque ab his pati multa, ut

Sint quorum merito populis parcatur iniquis,
Et qui converſos virtutis imagine ducant.

Nam *validiora ſunt*, inquit D. Leo ſerm. de S. Laurentio, *exempla quàm verba: plus opere docetur, quàm voce.* Ratio eſt: primùm, quia ut ait Sen. epiſt. 6. *Plus oculis, quàm auribus credimus.* Narretur nobis Abrahami vita, quæ, ut Philo lib. de ipſo loquitur, fuit νόμ☉ ἄγραφ☉, *Lex non ſcripta:* aſpiciamus imaginem obtemperantis Deo, & filii collo acinacem intentantis: feriet equidem nos pictura iſta, & narratio. At longè aliter nobis percuteretur animus, & imitandi ſtudium excitaretur: ſi coram ipſummet ſpectaremus redivivum, & actibus ſuis eximia obedientiæ exempla pingentem. Nam

Segniùs irritant animum demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Deinde, propoſitis ob oculos exemplis viventium, noſtrique ſimilium, tollitur nobis conſueta tergiverſatio, Non poſſum: quam ſi adhuc vitiis noſtris velimus obtendere, occurret ſtatim aliquis cum Seneca epiſt. 98. & inculcabit, *Quidquid fieri potuit, poteſt.* Gregorius præfatione in Job, explicans verba Eliu cap. 33. *Reſpiciet homines, & dicet, Peccavi: Dum*, inquit, *peccator juſtum conſiderat, ſeipſum arguit, & condemnat:* quia non fecit, quod feciſſe potuit, cùm alii fecerint. Eo fine Jobum Deus inter Huſſitas poſuit; ſeptem millia hominum, qui non curvaverant genua ante Baal, inter Iſraëlitas; Judæos in Perſide, ubi eos Princeps Angeliſve Perſarum, Danielis cap. 10. ad exemplum ac converſionem creditæ ſibi nationis, detinere conatus eſt. Idem inter libidinoſos Babylonios Suſannæ pudicitia præſtitit: in rapaci militum licentia D. Martini liberalitas: in reorum ſordibus, & ergaſtulis facinoroſorum, D. Joannis Baptiſtæ innocentia, & ſanctimonia Martyrum. *Vos*, inquit Tertul. lib. ad Martyras, *in carcerem perveniſtis, ut eum in domo ſua conculcetis.*

Fruſtra hîc vim exemplorum bonorum retexuero: cùm quotidiana experientia nobis offerat plurimos inde ad meliorem frugem reductos. Longè tamen frequentiùs in populum pravis exemplis contagio vulgata eſt. *Faciliùs mala inſtitutio damnat bonos, quàm bona emendat malos*, inquit Salvian. *Commiſti ſunt Iſraëlitæ inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Nec pauciores tantùm à pluribus malè facere didicerunt, ſed plurimi ab uno. Inde certè idololatria principium habuit, ex ſententia Sapientis cap. 14. Pater acerbè ferens mortem filii, vel filius mæſtus patris morte, ad ſolatium ſuum curavit ſtatuam effingendam, cari capitis monumentum. Ab illo exemplum ad cæteros perductum: Chaldæâ universâ corruptâ, Abram eductus de Ur, paullatimque peſtis orbe univerſo ſerpſit, & graſſata eſt. Eumdem in modum ſæpè vitia cætera contagium affricant; & per pravum exemplum hominis unius peccato laborat reſpublica univerſa. VIII. Vis malorum exemplorum.

Ampliùs dico: etiam culpâ non vulgatâ, pœnam tamen non rarò permanare ad omnes. Ambroſius, ſeu quis alius eſt auctor ſermonis 10. de mirabilibus, forſan Chryſologus, iſtud ingenioſè adnotat in tempeſtate, quæ, dormiente Chriſto, Apoſtolicam navim agitavit, & tantùm non obruit. Erat ibi *proditor Judas... Vnius ergo delicto cunctorum merita quatiuntur.* Ambroſius item in Lucæ cap. 5. advertit, eamdem navim quæ piſcatu impletur, poſteà naufragio proximam fuiſſe: quia Judas piſcatui non aderat, aderat tempeſtati. *Caveamus ergo*, inquit, *perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus.* Notat Auguſtinus, tract. 63. in Joannem, poſt egreſſum è cœnaculo Judam, dixiſſe JESUM: *Nunc clarificatus eſt filius hominis*; quaſi, tenebroſo homine præſente, lux ipſa non ſplenderet; addit deinde: *exeunte immundo, omnes mundi remanſerunt*; quaſi unius immundi conſortium omnes, quamvis à Chriſto ablutos, contaminaret. Quid quod, ut Mendoza t. 1. in lib. Reg. Ann. 10. ſect. 1. animadvertit, etiam in cælo videtur aliquid deeſſe ad beatitudinem ex vicinia dæmonis? Nam Apoc. 12. accuſatore fratrum noſtrorum ad inferos projecto, inſonant ſtatim Beati: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus.* Quamdiu dæmon in aere cælis vicino vagabatur, liberam Beatis lætitiam & laudem Dei non fuiſſe diceres. Adeo noxia eſt malorum vicinia, ut ipſam fermè obturbet imperturbabilem fælicitatem. IX. Pœna uni improbo debita redundat ad plures.

Omittamus iſta acutè excogitata, & certiſſimis hiſtoriis evincamus, pœnâ unius populos & provincias non infrequenter involvi. Notiſſima eſt hiſtoria Achanis Joſ. 7. cujus avaritia clade exercitûs plexa eſt. Neque incelebris Sichem, Gen. 34. qui ob ſtupratam Dinam, Jacobi filiam, populo ſuo excidium accerſivit. Jam Jonas cap. 1. Ophni & Phinees 1. Regum 4. David 2. Reg. 24. Ille navim fugâ ſuâ in extremum diſcrimen adduxit: iſti criminibus ſuis Hebræorum exercitum perdiderunt X. Patet ex hiſtoria ſacra.

hic,

hic, ob ſolam numerandorum ſubditorum voluptatem, triduanæ peſti maximam illorum multitudinem objecit.

XI. Ex Eccleſiaſtica. Sacris hiſce hiſtoriis addi non immeritò poteſt, quam narrat Joan. Moſchus, Prati ſpiritualis c. 76. Onuſta vectoribus navis, cùm in altum mare Mediterraneum proceſſiſſet, repentè deſtituta ventis, in eodem loco hæſit dies quindecim: etſi aliæ circùm naves propitiis ventis quaquaverſum ferrentur. Attonitus navarchus, fruſtra tentatis remediis omnibus, ad orandum Deum confûgit, & audire ſibi viſus eſt vocem dicentis: Ejice Mariam, mox navigabis. Anxium eæ voces habuêre hominem revelationibus inaſſûctum. Poſt multa apud ſe diſputata, incidit; mulierem forſan aliquam, Mariam nomine, in navi latêre, ob cujus crimina cæteri puniantur. Altâ igitur voce inclamat id nomen: & ecce tibi adeſt tremens muliercula, ex qua denique per ambages, & circuitus, expreſſit: viduam fuiſſe: amore cujuſdam militis inſanam, cùm nubere cuperet, & ille tergiverſaretur, quòd liberos ex priore marito duos novennem unum alterũ quinquennem, ſuſcepiſſet, utrumque ingulâſſe: militem, facinoris odio, omnẽ ipſi ſpem nuptiarum abſcidiſſe: hinc ſeſe fugere, ne vulgato crimine puniatur. Horrebat navarchus ad redivivæ Medææ narrationem, jamque nihil dubitabat de cauſſa detentæ navis. Ne tamen ſententiam præcipitem ferret: en, inquit, ſcapham exſolvo, & in eam exſcendo: ſi navis me exſcendente procedat, ſcelera mea illam adhuc detinuêre: ſi non procedat, idem de te experiemur. Cùm autem & ſic navis hæſiſſet immobilis: mulieri perſuaſum eſt, ut, experiendi cauſsâ, etiam in ſcapham exſcenderet: quæ mox velut turbine correpta, & quinies circumvoluta, fluctibus cum muliere hauſta eſt, ſpectantibus & ſtupentibus vectoribus: ſtatimque navis, immenſo criminum onere liberata, tridui ac dimidiati diei ſpatio tantum confecit itineris, quantum quindecim diebus, vento propitio uſa, vix confeciſſet. Quæ mulieri iſti cum profectionis ſociis alia erat connexio, quàm fortuita ſocietas? Potuit tamen ſceleribus ſuis eos, tanto incommodo & diſcrimine, detinere dies quindecim. Quid ergo novi ſi aſſeramus, civem unum, aut militem, civitati univerſæ, aut exercitui, quicum ipſi arctior longè neceſſitudo intercedit, periculum imò & exitium poſſe arceſſere?

XII. Quàm juſtè id fiat. At, ô clementiſſime Deus, *numquid perdes juſtum cum impio?* Ut Gen. 18. Abraham dicebat. Vel, ut Moſes Num. 16. *Fortiſſime Deus ſpirituum univerſæ carnis, numquid, uno peccante, contra omnes ira deſæviet?* Quomodò iſthæc componi poſſunt cum antè dictis? Quæ tantæ Juſtitiæ cum tanta Miſericordia connexio? Reſponderi poſſit: quemadmodùm Deus ſæpè demonſtrat, quanti virtus ipſi ſit, improbos bonorum intuitu ſervando: ita aliquando Juſtitiæ ſuæ ſeveritatem manifeſtare velle, ad ingerendum utilem terrorem mortalibus, ut intelligant, quàm ipſi odioſum ſit peccatum, cujus pœna vulgatur ad plures. Neque ignota fuit Ethnicis ipſis hæc Juſtitiæ divinæ conſuetudo. Latinorum poëtarum primus exhibet claſſem univerſam quaſſatam, & laceram,

Unius ob noxam & furias Ajacis Oïlei.

Alterius verba ſunt: *ſæpè Dieſpiter*
Neglectus inceſto addidit integrum.

Idem diſertè Heſiodus aſſeruit, ſententiámque ſuam verſibus binis complexus eſt, quos ſic Latinè reddo, totidem pænè verbis:

Sæpè mali exſolvit pœnas urbs cætera civis,
Qui patrat facinus, tacitaque in mente volutat.

Si Græca ipſa malueris, en tibi:

Πόλλακι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅς κεν ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

XIII. Membrorum conjunctio. Adde, ſicut corporis unico membro peccante; luit tamen ſævis morbis corpus univerſum: & quomodò febres quaſdam, quas proprias & uni membro affixas ἰδιοπαθεῖς vocant; ex accidenti tamen, & per ſympathiam, cæteris membris ſunt moleſtæ ac noxiæ: denique, velut medicus interdum purgandæ podagræ, quæ in extremis pedum digitis nidulatur, toto laborantis corpore provocat ſudorem. Ita Deus, ob unius civis culpam, reliqua urbis membra calamitatibus publicis caſtigat: &, ad expurgandam unici provincialis hominis intemperiem, totâ provincia, & regno, vim ardentis per juſtitiam ſuam medicamenti ſentiri vult. Auguſt. quæſt. 8. ſuper Joſue, agens de Achan: *Oſtenditur*, inquit, *quàm connexa ſit in populi ſocietate ipſa univerſitas: ut non in ſeipſis ſinguli, ſed etiam tamquam partes in toto æſtimentur.*

XIV. Menſuræ ratio. Solidiſſima ac vera reſponſio petenda eſt ex Menſuræ modo, quem altero ad caput ultimum Excurſu ſtatuemus. Cùm enim evenit, ut uno peccante, plures plectantur: non ii tamen erant prorsùs omnes innoxii. Admiſerant etiam culpas plerique cæterorum, & iræ divinæ ſeſe objecerant, vindictámque provocârant. Differebatur tamen interim ſupplicium, placandique pœnitentiâ Numinis ſpatium dabatur, donec Menſura criminum præſentes pœnas expoſceret. Eam complevit, cumulavitque noxa unius, & pendens adhuc juſtitiæ flagellum univerſo populo incuſſit. Summam ingentem, ubi vis maxima pecuniæ congeſta eſt, perficit nummi unius adjectio. Lignorum ſtruem, antè deſiccatam & excalefactam, ſubditæ paleæ ignis accendit. Concuſſam ventis, & radicibus emotam quercum, hominum paucorum impulſus evertit. Vas capaciſſimum, in quod vindemia fermè tota confluxit, unici poculi liquore completur. Peſtis veneno hauſta, ſed venis intimis nondum concepta, nec ſatis efficax expugnandæ robuſtæ ſanitati, guttæ ſolius venenatæ potione præſentiſſima mors erit. Alexandrum jam antè vino gravem, nondum tamen obruta poculis vi naturæ, ultimi ſcyphi potus confecit; diutiùs proculdubiò victurum, ſi ab iſto extremo temperâſſet, quamvis alii ſanitatem tentâſſent. Ita prorsùs in peccatis hominum, inter ſe ratione aliqua communi conjunctorum, res habet. Peccant multi, pœnámque poſtulant & merentur: ſed unicus ſæpè cumulum complementumque ultimum figit, & civitates populóſque, ampliùs multò duraturos, in ruinam ac mortem impellit: quod etiam Excurſu proximè ſequenti dicturi ſumus.

XV. Cavenda peccata. Ex his cum Auguſtino confice: ſapientem quemlibet non ſoli ſibi debere ut bonus ſit, ſed etiam reipublicæ univerſæ. Oculos non ſanitatis tantùm ſuæ cauſsâ ſervamus, ſed etiam ad reliqui corporis obſequium. Pedibus ipſis cavemus, non ſolùm ne doleant ipſi, ſed ne dolor ipſorum membris cæteris incommodet. *Apud eos*, inquit Auguſt. quæſt. 8. in Joſue, *qui talia metuunt, diſciplina ſancitur, ut non ſolum ſe quiſque curet in populo, ſed invicem ſibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis, & unius hominis, alia pro aliis membra ſint ſollicita.* Religioni meritò tibi duxeris mortem hominis, ab omnibus deſperati & animam agentis, accelerare, vel ad quadrantem: vita enim humana tanti pretii eſt, ut ne minima quidem particula inde poſſit decerpi, niſi majoris boni cauſsâ, citra gravem culpam. Quantò juſtiùs urbis, populi,

exercitûs,

exercitûs, provinciæ mortem, malè vivendo properare, pertimeſcas?

XVI. Vitandi mali. Collige item cum Ambroſio, cavendum perſidum, ne per unum plurimi fluctuemus. *Recedendum*, ut dicitur Num. 16. v. 21. *à tabernaculis impiorum, ne, cum illis pereamus.* Seriò advigilandum, ut Moſes monuit Deut. 29. v. 18. 19. 20. ne ſit inter nos *radix germinans fel & amaritudinem* ... *& abſumat ebria ſitientem*, id eſt, *perdat peccator innocentem*, ut vertunt Septuag. Expellendos domo improbos, oe iram Dei adversùs familiam univerſam provocent: quod ſub veſperam quotidie à Balduino, Latino Orientis Imperatore, factum, narrat cum laude Nicetas Choniates ejus hoſtis. Reſecanda à magiſtratibus ac Principibus putria membra, non ſolùm oe contagio vitiorum multos inficiant, ſed etiam ne ultione peccatis ſuis debitâ involvant univerſos. Militem unum reum, oe toti exercitui det eladis cauſſam, plecti oportere, ut factum à Narſete refert Baronius, tom. 7. ann. 555. ex Agathia. Nobilis miles ex Herulorum genere ſervum ſuum occiderat. Narſes, audito ſcelere, cùm jam in procinctu eſſet ad pugnam contra Francos, qui ſub Buccellino Gothis auxiliatum venerant, & totam Italiam pervaſeraut, ſiſti tamen ſuos juſſit, & homicidam plecti. Tunc demum ſecurus prælium iniit, & Francos tantâ clade affecit, ut vix quini domum redierint: quam victoriam dux pius juxtà & generoſus meritò timuerat, oe ſibi de manibus extorqueret crimen unicum, ſi inultum ſineretur.

EXCURSUS III. MORALIS

Ad Cap. 5. v. 61. Non audierunt Iudam & fratres ejus, exiſtimantes ſe fortiter facturos.

Peccata venialia cauſſæ calamitatum publicarum.

I. Venialia numeroſa. HÆRETICORUM hodiernorum non minimus error eſt, quòd inter Veniales ac Mortales culpas oihil intereſſe cenſeant, omnéque illarum diſcrimen in ſolo ſophiſtarum celebro naſci exiſtiment, & ad cavillorum ludibria commentaque ablegent. Eam in ſententiam loqui auſus eſt Calvinus, lib. 2. Inſt. cap. 8. Cavillator igitur & ſophiſta Auguſtinus, cui diſtinctio iſta placuit Enchir. cap. 71. & alibi ſæpiùs? Sophiſta Gregorius, quando in pſ. 2. pœnitent. dicit, quantò quis majori ſanctitate eminet, tantò magis dolere de his, *ſine quibus hæc vita non ducitur, peccatis venialibus*? Sophiſta Hieronymus, aliique Patrum plurimi, qui idem inter noxas diſcrimen poſuêre? Sophiſta intellectus noſter, cui nonnumquam repentinæ affectuum eruptiones, & primi motus, ſpatium deliberandi adimunt, nec ſatis cognitionis relinquunt ad peccatum grave, ſatis ad leve? Sophiſta ratio communis, cui perſpectum eſt, longè abeſſe ab homicidii flagitio mox deſituram iræ ſubitæ commotionem? Sophiſta ſpiritus ſanctus, cùm Levit. cap. 4. non obſcurè ſignificat, aliud *ignorantiam* eſſe, aliud *delictum*; aliud ἁμαρτίαν, aliud πλημμέλειαν? Sed ſinamus errones iſtos, cæcos & duces cæcorum. Quidquid enim contrà obmurmurent, Catholicis omninò compertum eſt, peccatorum quædam Venialia eſſe, eaque, ut Auguſtinus appellat, *quotidiana*, in hoc mortalis vitæ lubrico, & inconſtantia voluntatis humanæ. B. Franciſcus Saleſius, Genevenſis Epiſcopus, cum araneis confert, quæ prætextis ad alvearia telis apiculas quidem oon enecant, mellis tamen opificium impediunt, aut morantur: ita Venialibus culpis virtutum ac gratiæ divinæ vitam non tolli, profectum tamen & ſuavitatem interpellari. O quantum iſtiuſmodi telarum & araneolarum in mentibus noſtris deprehendemus, ſi nos ipſi intimè perſcrutemur! Heliogabalum perhibent, ut conveniente ſtultitiæ ſuæ argumento Romanæ urbis magnitudinem intelligeret, colligendas curâſſe de privatis domibus aranearum telas, congeſtaſque exiguo tempore ad librarum millia decem. Longéne ab eo numero diſtare credideris reticula culparum Venialium, quæ quoodianis actibus Chriſtianorum plerique contexunt, neque eviſcerant ut araneæ, ſed in viſcera coodunt?

II. Affectus ad illa vitandus. Vitari equidem omnia ab infirmis homulis nequeunt: at deſtinatus ad illa affectus vitari poteſt. Peccare enim, & peccato affectum eſſe, valdè diverſa ſunt. Aliud eſt bis térve jocoſum mendacium proferre: aliud mentiendo aſſueſcere, & artis inſtar amare falſitatem ludicram. Aliud ter aut quater ſinere ſibi inter ſermocinandum elabi narratiunculas alienorum vitiorum, vel exiguorum, vel quæ, ſi magna ſunt, pro vulgò noos habentur: aliud ejuſmodi narrationibus coostanter delectari. Aliud motu repentino impatientiæ abripi: aliud rixarum, contentionum, altercationum quotidianâ aſſuetudine, earum turpitudinem non ſentire, nec morſu conſcientiæ tangi cùm acciderunt. Ad enim affectum radicitùs evellendum rationes duas adhibere Chriſtianus poſſit, à caritate unam, alteram à timore: quibus velut geminis oculis peccatum Veniale comminùs intueatur, & perſpectum amare deſinat.

III. Amanti culpa nulla exigua. Amor, inquit Bern. ſerm. de Epiph. *lynceos habet oculos*. Obvelatam frontem habeat impurus amor: at divinus lampades fert ignis atque flammarum, ut vel minimos erratorum nævos videat. In radiis Solis etiam minuti atomi diſpiciontur: deprehenduntur vel minutiſſimæ culpæ in lumine ardentis caritatis. Et verò quis filium patris amantem

tem exiſtimet, ſi catenùs tantùm offendere illum nolit, quatenùs exhæredari mereatur? Quis ſponſam ſponſo placere velle arbitretur, ſi fide thori contenta, ipſum quotidie inaniis & nugis offendere non dubitet? Dicebat Sponſus ſanctarum animarum: *Vulneràſti cor meum ſoror mea, in uno crine colli tui, in uno oculorum*: id eſt, conjectus unus oculorum præter decorum, unica cæſariei diſpoſitio contra urbanæ modeſtiæ regulas, mihi valdè diſplicuit. Ita interpretantur, quibus amor Dei, & intenſum ſtudium ipſi placendi, judicium aperuêre de rerum omnium pretiis. Cur, quæſo, Hieronymo teſte, D. Paulla *ita leviſſima peccata plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream?* Cur Agnes Henrici 2. Cæſaris uxor, teſte B. Petro Damiano, noxas totius vitæ anteactæ retexens, flebat Pelagiæ inſtar aut Thaidis: cùm tamen ne umbra quidem peccati lethalis appareret oculato ſacerdoti? Et ne id ſexui lacrymas edocto aliquis tribuat: quid de D. Dominico dicemus, qui moribundus, dicto in commendationem ſui imprudenter ſe virginem eſſe, continuò ſolutus in gemitus, antè placari non potuit, quàm apud ſacerdotem jactantiæ iſtius culpam confitendo expiâſſet? Auguſtinus, furta etiam leviſſima, & temporis jacturam inutilem in Confeſſionibus plangit, gravium inſtar noxarum. Nempe, ut Greg. ait in 4. pſ. pœn Sancti *eò ſubtiliùs, ſi quid in ipſis vitioſum latebat, inveniunt, quò ad divinæ lucis charitatem viciniùs accedunt*: nihilque non dolendum putant, quod Deus averſatur.

IV. Pœnæ à Deo ob venialia inflictæ.

Sed quia non omnibus tam acutus ab amore Dei viſus eſt: alterum oculum timoris admoveamus, pœnaſque expendamus, quas Dei juſtitia culpis venialibus admetiri ſolet. Quis non exhorreſcat, ubi gravitatem & longitudinem pœnarum Purgatorii attendit? Cantatiſſimum de D. Severino, ſex ſeptimanis pœnas dediſſe, ob anticipata præpoſterè tempora orandi. Quid alia recenſeam? A Deo juſto, & bono, & eas ipſas animas amante, tanta infligi ſupplicia nemo pius & ſapiens auſit ſuſpicari, ob culpas tam leves, quàm quidem nobis vulgò perſuademus. Quomodò ſapiens nemo à juſto & pio Rege cariſſimam ſponſam publico ſupplicio affici exiſtimârit, niſi ex merito. Non immoror huic de Purgatoriis ignibus conſiderationi: quis ſuus erit dicendi locus, in Commentariis ad ſecundum Machabæorum. Neque ex ipſa expendo, quæ privati ob culpas veniales hic pertulêre. Gen. 19. curioſitas muliebris morte repentina, corporiſque transformatione punitur. Num. 20. ob brevem fiduciæ fluctuationem Moſi pœna intentatur. 2. Reg. 6. plectitur religioſa Ozæ temeritas, qui, ut loquitur Salvianus, *ipſo officio inofficioſus fuit*. 3. Reg. 13. Prophetæ ab altero in fraudem inducti credulitas nimia caſtigatur. 4. Reg. 2. puerorum adversùs Eliſæum ludibria vindicantur. In tam ſevera animadverſione æquitatem judicis defuiſſe ſanus nemo ſuſpicari audeat: in animadverſionis cauſſa flagitium grande, lethaléмve reorum culpam, ne rigidiſſimi quidem, opinor, cenſores deprehendent.

V. Publicæ ab illis calamitates.

Privata omitto, &, quod noſtri inſtituti eſt, publica attendo, quæ privatis longè magis feriunt. Mortem unius ob culpam venialem miraris, quid ſi mortes mille, quid ſi urbium & provinciarum exitia, ob ejuſmodi noxas accidiſſe dixero? Id ante me aſſeveravit D. Catharina Senenſis, Italiæ totius, horrendis factionibus dilaniatæ, calamitates peccatis ſuis tribuere ſolita. Non ignorabat, plura multò gravioraque ab aliis peccari, quàm à ſe: neque adeò ſe neſciebat, ut magis à ſe Deum offendi crederet, quàm ab adulteris, à vindictæ cupidis, à rapacibus, à ſeditioſis, ab homicidis, quorum ingens tunc erat in Italia proventus. Miſerias tamen communes non illis adſcribebat, ſed ſibi. Nec dixeris ex modeſtia magis & humilitate, quàm ex vero ita cenſuiſſe. Humilitas enim ſine veritate non eſt. *Veritas*, inquit Aug. ſerm 29. de ver. Apoſt. *in te non eſt, niſi te ita dixeris peccatorem, ut etiam eſſe cognoſcas. Veritas autem ipſa eſt, ut quod es dicas. Nam quomodò eſt humilitas, ubi regnat falſitas?*

VI. Ratio ex peccati natura.

Sincerè autem & ex animo id potuiſſe, & ab illa & à quibuſvis dici, quantumvis venialiter peccantibus, conficio ex ipſa primùm peccati venialis natura: deinde ex ratione Menſuræ, quæ populis à Deo deſignata eſt. Conſtat, culpam quantumvis levem, eſſe tamen offenſam Dei, ſummoque bono aliquomodo oppoſitam: indeque, licèt infinitè mala dici non poſſit, talem tamen mali rationem induere, ut pluris cenſeri debeat, quàm quidquid pœnæ privatim, aut publicè, in hac vitâ infligi queat. Imò qui bonitatis illius immenſæ offenſam rectè perpendunt, pronuntiare non dubitant; Univerſi totius in antiquum chaos confuſione malum majus eſſe, quantumlibet leve mendacium. Illam enim, in ſe ac nudè ſpectatam, aliud nil eſſe, quàm malum creaturæ & naturæ: mendacium verò eſſe malum culpæ, oppoſitum Creatori.

VII. Ex Menſurâ.

Etſi id exaggeratè dictum non ſit: quia tamen non omnes ſatis capiunt, addamus, uti in Excurſu proximè ſuperiore, Menſuræ rationem; quæ ubi ad plenum accumulata eſt, Deus populos publico aliquo ſupplicio caſtigat. Ejus ſupplicii cauſſam ultimam eſſe nemo negârit, noxam quamlibet, unde ultimum Menſuræ complementum accedit. Atqui à culpâ Veniali id poteſt evenire: quandoquidem culpæ omnes, quantumvis leves, à reipublicæ membro commiſſæ, ad eam Menſuram pertinent. Obolo uno conſummatur interdum ingens ſumma talentorum. Flatus auræ tenuis caput, humoribus grave, catarrho tentabit. Corpus ſaginâ onuſtum ex levi concuſſione, aut inflammatione, febrim concipiet. Sæpè decumanus fluctus, qui navim abſorbet, cæteris longè minor eſt: & tenuior flama, quæ diſpoſito aliis flamis faſci ignem immitit. Eumdem in modum reſpublica, quæ gravibus civium ſuorum criminibus, velut magnis paſſibus, in exitium procucurrit, vacillante aliquo viri probi veſtigio in præceps deturbabitur: & meritò reipublicæ extrema pernicies illi tribuetur, non quia lubricum veſtigium magnis paſſibus latius eſt, ſed quia ultimum. Non intereſt vindictæ divinæ, quàm gravi culpâ expleantur Menſuræ, dummodò expleantur.

VIII. Probatur hiſtoriis ſacris.

Sic uſuvênit Iſraëlitis 2. Reg. 24. quorum ſeptuaginta millia periêre, quia tantùm David ſubditorum ſuorum numerum iniri voluerat, ad vanam quampiam, ſed veniabilem potentiæ ſuæ cognitionem. Celebrata ſatis eſt iſta ſcriptoribus hiſtoriis: non item, quæ de Ezechia Rege narratur 4. Reg. 20. Legatis Aſſyriis, de ſanitate miraculo recuperata gratulatum venientibus, opes omnes ſuas obſtentandas curârat. Inanem fuiſſe venditationem, nec culpâ caruiſſe, fatendum eſt. Gravem tamen culpam illic ne ſeveriſſimi quidem Theologi agnoſcant. Ob illam nihilominus qua-

ſemcumque, miſſus ad Ezechiam durus nuntius Iſaias, denuntiat fore, ut omnis illa oſtentamenta Babylonio Regi prædæ ſint, ſuíque nepotes, vaſtatâ Judæâ, captivi Babylonem abducantur, & ad miniſteria tyranni adhibeantur. Quid ad eam ſententiam Ezechias? Queratúrne de atrocitate nimia, & ad clementiæ tribunal appellet? Notior ipſi erat, quamvis exiguæ offenſæ gravitas, quàm ut in mentem veniret de judicis ſeveritate expoſtulare. Itaque poſt auſcultatum ſilentio Iſaiam, id ſolùm dicere auditus eſt: *Bonus ſermo Domini quem locutus eſt, tantùm fiat pax & veritas in diebus meis.* Pœnam admittit: nec deprecatur quidquam, niſi ne citiùs dictu infligatur.

IX. Iſaiæ vaticinium.

Accedit ad Ezechiæ noxam culpa puellarum Judæarum, Iſaiæ 3. *Ambulantium extento collo, & cum nutibus oculorum*; vanoque veſtimentorum luxu ſibi plaudentium. Quibus ideo captivitatem, & omnia belli Chaldaici mala vates interminatur: licèt in ea immodeſtia infirmi ſexus grave peccatum non lateat. Apud Aggæum cap. 1. ſiccitas, fames, ſterilitas Judææ incumbit: neque alia cauſſa tot malorum indicatur, quàm quòd domus Dei deſerta eſſet, & *unuſquiſque feſtinaret in domum ſuam.* Negligentia in divino obſequio, & nimia familiaris rei cura accuſatur, quæ inter quotidiana peccata reponi debet, neque ad mortalis gravitatem ex ſe deventura eſt. Adjungamus iſtis hiſtoriis noſtram Joſephi & Azariæ, quos veniabiliter erráſſe diſputavimus in Commentariis.

X. Quilibet ſibi poteſt tribuere publica mala.

Et hinc inferimus, quod aliquando à juſto Deo factum eſt, juſtè etiam hodie fieri poſſe: adeoque quemlibet, quantumvis pium, ſibi meritò calamitates publicas poſſe adſcribere. Non jam virginis unius id de ſe confitentis exemplum produxero. Auctor homiliæ de urbis excidio, inter Auguſtini opera, Danielem adducet cap. 9. quàm diſertè, non peccatis populi tantùm, ſed etiam ſuis tribuentem mala gentis Hebraicæ univerſæ? Quis autem Daniel fuit? Quo apud Deum loco? Quo grado ſanctitatis? Ut alter ponatur à Deo ipſo inter juſtos, *Noë, Daniel, & Iob*: ut proponatur Ezech. 28. tamquam veræ ſapientiæ exemplar. *Quicumque*, inquit auctor ille, *Romæ ſe audeat juſtum dicere, à me non audiet, numquid tu ſapientior, quàm Daniel? Audi ergo illum confitentem peccata ſua: numquid cùm confitebatur, mentiebatur?*.

XI. Sanctiſſimi id facère.

Eumdem Danielem demonſtrat Auguſtinus epiſtolâ 122. ad Presbyterum Victorianum, Imperii Romani per Gothos & Vandalos damna lugentem. Addit orationem trium in fornace Babylonicâ juvenum, qui pariter ac Daniel calamitatum communium cauſſas etiam in ſeſe, quantumvis Deo gratos ſe eſſe ſentirent, deprehendunt. Si autem ſanctiſſimus propheta, cui famelici leones pepercêre, id profiteri de ſe non erubuit: ſi immaculati Martyres, quorum ne capillos quidem flammæ auſæ ſunt afflare, ſententiam tamen adversùm ſe ultrò pronuntiavêre. *Quid nos*, inquit Auguſtinus, *oportet dicere in humilitate noſtra, qui tam longè illis impares ſumus, quantumcumque juſtitiam ſervare videamur?*

XII. Et nos facimus.

Nulláne in nobis apparet oſtentatio? Non exſurgit immoderata cupiditas? Non potentiæ nimius amor inquietam voluntatem exſtimulat? Non imprudentia aliqua obcæcat intelligentiam? Non vana luxûs peregrini imitatio ſpectatur, & approbatur? Non plus curæ & diligentiæ privatæ rei, quàm divinæ impenditur? Non aliquando ſapientia majorum conſilia & præcepta omittimus? Sumúſne Daniele ſapientiores, Martyribus ſanctiores? Si nobis non eſt tam maleſana de ſanctitate noſtra opinio, ne ergo dubitemus ad malorum publicorum ſenſum de nobis tam modeſtè, quàm verè, dicere Deo: *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Quæ verba identidem repetebat Mauritius Imperator apud Baronium anno 602. cùm immaniter ante os ſuum liberos mactari videret. Peccârat; ſed reſipuerat, & culpæ gratiâ factâ petierat, ut hic potiùs, quàm in altera vita pœnas lueret. Inde poſt militum motus, tumultus civium, deturbatus de ſolio Cæſar, captus, orbatus liberis, vitâ privatus. Ad hæc omnia, ſi redivivus exurgat, nihil aliud etiamnum exclamet, quàm, *Iuſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.*

XIII. Temporalibus pœnis venialia reſpondent.

Par fermè debitæ peccatis venialibus pœnæ ratio eſt, atque illius quæ poſt culpam mortalis criminis remiſſam ſolvenda relinquitur. Quid verò ſi ampliùs dixerimus: majorem eſſe calamitatum temporalium cum Veniali noxa, quàm cum Mortali, convenientiam? Huic enim ſupplicium nullum pro æqua portione reſpondet, niſi ſempiternum: illi luendo, & expiando, temporis ſpatia certa commenſa ſunt. Unde id ad extremum non abs re forſan confici queat: mala quævis externa, quantumlibet publica, potiùs adſcribi debere Venialibus, quàm Mortalibus; quia illorum caſtigationi magis, quàm horum, congruunt. Externa, inquam, mala: nam interna, qualia ſunt clades religionis, vitiorum impunitas, animorum labes, damnatio æterna multorum, cum calamitatibus publicis conjuncta, Venialibus piorum hominum peccatis imputari meo judicio non debent. Sed damna rerum, inundationes, peſtes, egeſtas, neces, bella, quà naturæ ſolùm mala ſunt, ſi rectè ſapimus, nobis, licèt gravium non conſcii, imputemus. *Fili*, inquit Joſue ad Achan c. 7. *da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, & indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Ad hæc Achan tremulus: *Verè*, inquit, *ego peccavi Domino, & ſic, & ſic feci.* Demus gloriam Deo, nos ipſos interrogemus, pectus percutiamus, indicemus ipſi nobis quid fecerimus; nec cæco nobis amore adulemur, innocentiæque ſpeciem culpis obducamus: ſed ex animi ſententia cum Iſaia cap. 59. dicamus; *Multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis*, nos juſtè caſtigari: *quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognovimus.*

EXCUR-

EXCURSUS IV. MORALIS

Ad Cap. 5. v. 67. Ceciderunt ſacerdotes in bello.

Peccata Eccleſiaſticorum publicis malis punita.

I. Graviùs peccat aliis Eccleſiaſticus.

QUi fuerint illi ſacerdotes, diximus in quæſtionibus ad eum verſum. Nunc ex occaſione diſputabimus de Eccleſiaſticorum peccatis generatim: quamque ea non ipſis modò privatim, ſed publicè populis noxia ſint, ad quos imitatione pariter & pœnâ tranſeunt. Quæ ad caput 1. Excurſu ſecundo Morali de nobilium culpis demonſtrata ſunt, omnia mutatis paucis huc transferri poſſint, ſeu rationis judicium ſequi, ſeu Dei ſententiam audire placuerit. Ordinem certè eumdem tenebimus: probabimusque, eadem omnino Eccleſiaſticorum & popularium hominum peccata, non tamen paria eſſe: illos graviùs multò delinquere, quia tales peccant. Itaque cùm eò citiùs menſura impleatur, quò graviùs peccatur: conſequens erit, Eccleſiaſticorum noxis eâ parte menſuram magis impleri, quàm popularium criminibus.

II. Qua ex majori ingratitudine, & malitiâ.

Ac primùm eò exaggeratior eſt offenſa, quò majora ſunt, ingratitudo, malitia, & ſcandalum. Atqui fœdior multò eſt Eccleſiaſtici ingratitudo, quàm cujuſvis alterius erga beneficum Numen. Vel nobilem quemlibet accipe: opes à Deo habet, & genus. Quid autem hæc ad gradum ſacræ dignitatis? Lege Chryſoſtomi librum de comparatione Regis & Monachi. Specta D. Martinum, Cæſari uxorique aſſidentem, & ſacerdoti ſuo antè propinantem, quàm uxori Cæſaris. Audi D. Franciſcum aſſerentem, antè ſe ſacerdoti de viâ deceſſurum, quàm Angelo. Dubitabis, quin talis Deo, ob honoris tanti eminentiam, longè obligatior ſit, quàm quiſquam ob nobilitatem? Adjice gradui beneficium: ita enim ſignificanter vocamus, ut Dei beneficium eſſe intelligatur, &, quomodò vulgò loquimur, patrimonium Crucifixi. Pellem ovinam Canonici brachio geſtant, cui ab Græco ἀμνὸς, id eſt agnus, appellatio deducta eſt: ut ſciant non mites modò ſe eſſe debere agni exemplo, ſed etiam gratos ac memores beneficii, cùm agni vellere opibusque Chriſto datis veſtiantur, & alantur. Accedit augendæ ingratitudini pariter, & malitiæ, agendorum major cognitio. Servi ſunt, qui noverunt voluntatem Domini ſui, & non faciunt, ideoque vapulare debent multis. Lucernam habent pedibus ſuis verbum Domini: eamque non ſequuntur, imò extinguunt. Habent claves ſcientiæ, & ipſi non introeunt, neque alios ſinunt introire.

III. Accedit exemplum malum.

Malis enim eorum exemplis longè conſpectis, & latè diffuſis, plebs univerſa facilè corrumpitur. Rupertus lib. 9. de Vict. Verbi cap. 19. explicans quod habetur de ſacerdotibus lib. 2. Mach. cap. 14. *Ubi erant*, inquit, *tales ſacerdotes, qualis putas erat populus?* Notat Gregorius 2. Mor. in Job c. 9. filios Jobi, cùm perierunt, in domo majoris fratris ſeu *primogeniti* convivium agitâſſe: *quia tunc contra nos hoſtis vehementiùs vires accipit, quando & ipſos qui pro cuſtodia diſciplinæ prælati ſunt, ventri ſervire cognoſcit.* Chriſtum audin *civitati ſupra montem poſitæ* comparantem diſcipulos ſuos, eorumque ſucceſſores, Mat. 5. Quam longè ſpectabatur civitas David, & arx Græcorum? Inferior verò urbs vix niſi à ſuperſtantibus deſpiciebatur. Alpium juga eminùs ab milliaribus triginta conſpicua ſunt: Allobrogum urbes, quia in vallibus latent, nemo niſi cominùs videt. Popularium profanus ſtatus velut in valle eſt, ſi Eccleſiaſticorum gradui conferas: quod illi peccant, vix ſcitur: ſi ſcitur, paucis diebus rumor omnis ſepultus eſt. At horum culpæ, edito in loco propoſitæ, intuentibus patent, præbentque ſermonibus, etiam per annorum ſpatia, indecoram materiem.

IV. Quàm dānoſum.

Salem terræ eoſdem diſcipulos Chriſtus appellavit: & mox addidit, ſalem evanidum & infatuatum rei nulli utilem eſſe, ne ſterquilinio quidem. Sterquilinium peccata vulgi interpretari non incommodè poſſimus: putris ſal, id eſt peccata Eccleſiaſticorum, illis adeò fœdiora ſunt, ut permiſceri non debeant, ne corruptionem augeant. Conſtat apud medicos, periculoſiorem eſſe ægritudinem, quæ à nobilioribus membris defluit ad ignobiliora. Eccleſiaſtici cor ſunt, & cerebrum Eccleſiæ, unde vitales & animales ſpiritus ad reliquas corporis partes porrigi debent, vigorque ac ſenſus rerum cæleſtium. Si ab illis, non ſanitas, ſed morbi ad pedes, manúſve, aut alia ſubjecta membra, id eſt, ad artifices, mercatores, ac cæteros inferiores ordines derivantur: nonne corpori toti ac vitæ metuendum eſt?

V. Quanti Deus faciat Eccleſiaſticorum culpas.

Adverto Levitici 4. capite, ubi de ſacerdotia peccato, etiam ex ignorantia, agitur: quia delinquere fecit populum, quantum ex ſe eſt, pravâ imitatione, illud longè pluris fieri peccato Principis, & peccato multitudinis univerſæ conferri. Eadem enim omninò hoſtia poſtulatur pro uoici ſacerdotis culpa, ac pro populi totius, vitulus ſcilicet. Pro noxa Principis exigitur ſolummodò hircus de capris, ſeu hædus. Sacerdotum duorum crimina non expiata, quàm ipſis, plebique univerſæ, ac religioni fuerint damnoſa, apertè videre eſt in filiis Heli, avaritia & libidine contaminatis, 1. Reg. 4. Nec minùs ſignificanter id nobis exprimitur ab Ezechiele cap. 8. & 9. Ubi advertendus potiſſimùm ordo vindictæ divinæ, quæ incipere jubetur *à Sanctuario*, id eſt à ſummo Pontifice; tum *contaminare Domum*, id eſt ſacerdotes plectere; deinde *implere atria interfectis* Levitis, ac Nathinæis; ad extremum in populum omnem effundi.

VI. Calamitates publicæ illis adſcriptæ.

Greg. 4. Regiſt. ep. 76. ad Mauritium Imperatorem, Romani orbis clades ſacerdotum vitiis diſertè, ſacerdos ipſe, adſcribit: *Quis*, inquit, *ferociſſimæ gentis gladium in necem Fidelium tanta crudelitate graſſaretur, niſi vita noſtra, qui ſacerdotes nominamur, & non ſumus, à praviſſimis gravaretur operibus?* Gilda Sapiens lib. de excidio Britannico per Pictos & Scotos, maximopere arguit vitia Paſtorum, qui cùm exemplo præire deberent, *vino madidi, animoſitatum tumore, jurgiorum contentione, invidiæ rapacibus ungulis, indiſcreto boni maliq́; judicio carpebantur.* In Præfatione libri, cui titulus Geſta Dei per Francos, num. 11. ſub medium, notatur, Heraclio Patriarchâ Hieroſolymitano, Chriſtianis ereptam per Barbaros Mahumetanos Chriſti Crucem, quam Heraclius Cæſar de Perſis recuperârat. Eum Patriarcham palàm concubinarium fuiſſe, & concubinæ datam Patriarchidis, ſeu Patriarchiſſæ, appellationem. Ipſius exemplo ſacerdotes, Clericos, Monachos ita luxuriæ deditos fuiſſe, ut vix ulla mulier caſta in civitate univerſa reperiretur.

VII. Ambitio quorumdã.

Hæc tantùm exempli cauſsâ produco: à quibus ſi argumentum ad alia tempora, & noſtra ipſorum ducere voluerimus, non immeritò pronuntiari poſſit, magnam calamitatum noſtrarum in pleriſque provinciis Catholicis partem ab Eccleſiaſticorum peccatis proveniſſe. Ambitionem in Eccleſiaſticis ætatis ſuæ perſtrinxit Paullinus ep. 29. ad Aprum, & *jam penè forenſibus turbis annilos Eccleſiarum tumultus.* In idem vitium acriùs invehitur Salvianus lib. 5. de Prov. *Illi novorum honorum religioſi ambitores. Adeò non ſæculares tantùm, ſed plus etiam quam ſæculares eſſe voluerunt, ut non ſufficeret eis, quod anteà fuerant, niſi plus eſſent quàm fuiſſent.* Acerbiùs multo Bernardus lib. 1. de Conſid. ad Eugenium conqueritur: *Quotidie perſtrepere in Palatio leges; ſed Iuſtiniani, non Domini.* Item, *plenam eſſe ambitioſis Eccleſiam: neque eſſe cur magis exhorreſcat de ſtudiis & molitionibus ambitionis, quàm ſpelunca latronum de ſpoliis viatorum.* Idem ep. 42. ad Archiep. Senon. *Curritur in Clero paſſim ab omni ætate, a doctis pariter & indoctis, ad Eccleſiaſticas curas: tamquam ſine curis jam quiſque victurus ſit, cùm jam ad curas pervenerit.* Lege, ſi placet, totam iſtam epiſtolam, ſi multa voles congeſta in luxum, hæreditarias poſſeſſiones beneficiorum, ambitiones Eccleſiaſticorum, Curiam Romanam.

VIII. Item avaritia.

Ibidem avaritiam notat his verbis primùm: *Malum tempori vetus, ſed cupiditati novum, Simonia.* Deinde: *Dicite Pontifices, non quidem in Sancto, ſed freno, quid facit aurum? Quia tolerabilius cernitur in Sancto, quàm in freno. Hoc, me etiam tacente, etſi non curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, ſed non fames.* Labem eamdem, ex Cypriano epiſt. de lapſis, attigit Aug. lib. 3. con. Parmenianum cap. 2. ſub finem, his verbis: *Cyprianus maxima mala, quæ eo tempore patiebatur Eccleſia, tribuit Epiſcoporum, quos noverat, peſſimis moribus: qui eſurientibus fratribus habere argentum largiter vellent, fundos inſidioſis fraudibus raperent.* Huc etiam ſpectat vulgaris apologus, de tribus filiabus, quas Injuſtitia Dæmoni pepererat, Uſurâ, Furto, Simoniâ. Eæ cùm turpiſſimæ eſſent, elocariq́ue in nuptias non poſſent: pulcram illis callidus parens larvam induit. Uſuram texit honeſta appellatione lucri ceſſantis, damnive emergentis. Furtum abdidit eleganti nomine artis, vel negotiationis. Simoniæ obductum penſionis, aut gratitudinis velum. Ita, quemadmodùm paſſim ad Uſuram & Furtum à mercatoribus, quæſtoribus, aliisq́ue ſpecioſo titulo curritur; ſic ad Simoniam undique ab Eccleſiaſticis abitur, ſub molliori vocabulo. Quamquam iſta damnanda non ſint, ſi revera ſubeſt, quod prætexitur. Sed plerumque iis titulis hoc ſolùm quæritur, ut vitetur fama vitii, non vitium. Et miremur, flagello de funiculis calamitatum publicarum uti Chriſtum, quemadmodùm Joan. 2. ut expurget domum orationis, factam domum negotiationis?

IX. Et caſtitatis incuria.

At longè fædiora ſunt, quæ Cyprianus plangebat ep. 74. agens de ætatis ſuæ ſacerdotibus lapſis, *qui apud altare conſiſtere, & contrectare perſeverabant pudorem inceſti, fidem perfidi, religionem profani, divina terreni, ſancta ſacrilegi.* Similes deſcribebat Proſper, 2. de Vita Contempl. cap. 4. *Qui undante lapſabundi corporis motu, defluentibus in talos veſtimentis incedunt, & vagis laterum flexibus quodammodò fluctuantem animorum diſſolutionem, veſtigiis ſinuoſâ mobilitate nutantibus, produnt. Qui ſermone tantùm, non opere, ſæculo renuntiâſſe contenti, ſæculariter vivunt, & vitia ſua inani profeſſione vitæ melioris abſcondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute ſuſcipiunt... Imprudenter ſe aſſiuunt virginibus ſacris, ac viduis: quibus tanto inglutinantur affectu, ut faciliùs ab Eccleſia, quod dictu quoque nefas eſt, quàm ab earum communione recedant. Qui etſi cum illis fortè non peccant, tamen malæ ſuſpicionis de ſe præbendo materiam, vitam ſuam maculis ſiniſtræ ſuſpicionis infamant.* Horum imitatores Cardinales quoſdam Innocentius VI. initio Pontificatûs gravibus verbis inſectatus, eleganti titulo *Stercora curiæ* nominavit, referente Spondano ad annum 1353.

X. Ineptæ hæreticorum objectiones

Aperimus hic latum campum, ubi Hæreticorum linguæ & calami exſpatientur, numquam eloquentiorum, quàm in deſcribendis Eccleſiaſticorum vitiis, & Babylone Romanâ. Sed adversùs illos primùm excipio, cum Auguſtino ep. ad Pancarium 10. inter adjectas: *Hæreticorum accuſationes contra Catholicum Presbyterum admittere, nec poſſumus, nec debemus.* Deinde, natales ipſis ſuos ingero: fæda Lutheri dicta & facta: adulteria primi capitis Anglicani: Calvini mendacia, & ſimulatam pietatem, cum ſpurciſſimis diſcipuli ſui Bezæ verſibus de Candidula, Audebertuloq́ue: ſordes eorum, qui à nobis ad illos transfugiunt, & vel hoc ipſo teſtantur, ibi cloacam eſſe, quò purgamenta

gamenta defluunt, quemadmodùm Spanienſi ſubdiacono accidit apud Aug. ep. 169. qui officio à Catholicis motus ob malos mores, cum ſanctimonialibus duabus transfûgit ad Donatiſtas. Iſte ipſe plerumque eſt, ſpiritus craſſus, & carneus, à quo transfugæ noſtri expelluntur.

XI. *Mali inter bonos.* Sed reconventionem omittamus, fateamurque peccari apud nos ab Eccleſiaſticis aliquando: & quamvis poſt Concilium Tridentinum priſtinæ formæ multa reddita ſint, ſupereſſe tamen in privatis, quæ corrigantur. At quid novi, ſi malorum quidam reperiuntur inter bonos? Vide quid ea de re Aug. ep. 137. ad plebem Hipponenſem, valdè offenſam publicato cujuſdam crimine ex Auguſtini domo: variis Scripturæ exemplis productis, ſubdit: *Etſi contriſtamur de variis purgamentis, conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis*: deinde monet, *ne propter amurcam torcularia deteſtentur*, è quibus oleum ſalubre profluit. Objiciebant olim Chriſtianis Pagani, quomodò Catholicis hodie hæretici, improbos eſſe in Eccleſia. Reſpondet Tert. lib. 1. ad nationes: *Neceſſe eſt in corpore, & quantum velis integro aut puro, ut nævus aliquis effruticet, aut verrucula exſurgat, aut lentigo ſordeſcat. Cælum ipſum nulla ſerenitas tam colata purgat, ut non alicujus nubeculæ flocculo reſignetur. Major boni portio modico malo, ad teſtimonium ſui, utitur.* Vitia notas, ô hæretice, in Romanâ Eccleſia: ad virtutem oculos claudis. Quid tibi videntur tot Sancti, quorum innocentia operibus comprobata, miraculis manifeſtis conteſtata eſt? *An quia peccavit* neſcio quis, quod de Cæciliano ſcripſit Aug. ep. 50. ad Bonif. *ideò hæreditatem ſuam perdidit Chriſtus?* Idcircóne ad vos Eccleſia tranſiit, quia mores pravi inter noſtrorum aliquos irrepſêre? Sint apud vos temperantes aliqui, pudici, juſti, quales apud philoſophos: at ubi vel unum demonſtrabitis, cujus ſibi ſanctimoniam placuiſſe ſigno aliquo ſupranaturali Deus demonſtrârit?

XII. *Catholici ob malos Eccleſiam non minoris faciant.* Sufficiant iſthæc Hæreticis. Catholicis verò, quibus aliquando nauſeam movere ſolet aliquorum Eccleſiaſticorum improbitas, idem dixero, quod Auguſtinus Fæliciæ epiſtola ſeptima inter adjectas. Virgo erat Deo devota, pietati addicta, & meritò in Chriſto honoranda; ſed quia nondum robuſtæ virtutis habitum induerat, offenſa pravis quorumdam Paſtorum moribus, ad Donatiſtas inclinare videbatur. Monet ipſam Auguſtinus doctè juxta ac piè, ut cum Eccleſia ſervet unitatem: ne pereat ipſa per ſeparationem, quia alii de Eccleſia pereunt per mores malos: zizania non amputet ante meſſem, ne præveniat Domini officium, & ipſa non mereatur eſſe de meſſe: in grege Domini eſſe hædos cum ovibus, donec veniat Princeps paſtorum, qui ſeparabit oves ab hædis. *Nobis imperavit congregationem, ſibi autem ſervavit ſeparationem, quia ille debet ſeparare, qui neſcit errare.* Et infrà: *Quæ dicunt, faciant: quæ autem faciunt, non faciant: nec propter filios iniquitatis paſcua deſerant unitatis.* Id ipſum eſt quod breviùs monuit Cyprianus: *quia zizania in Eccleſia eſſe cernimus, ipſi de Eccleſia non recedamus.* Quia mater noſtra conſenuit: quia laborat, & ægra eſt, ob malos mores quorumdam filiorum: quia ab aliquibus immorigeris ſpernitur, an ideò licet illam deſerere? Túne vinculo obedientiæ ac reverentiæ ſolutus es, quia alii non obediunt? An idcirco te perdes ipſe, quia alii perditi ſunt?

XIII. *Eccleſiaſticus Chriſtus Domini, & pater populi.* Quorſum autem ita in erroribus Eccleſiaſticorum oculatus es? Quare tam facilis ad eos evolgandos? Neſcis Chriſtos eſſe Domini, de quibus dictum, *Nolite tangere Chriſtos meos?* Non legiſti 1. Reg. cap. 22. illuſtre factum & dictum Davidis de Saûle: *Propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini?* Lingua tua manus eſt cordis tui: propitius ſit tibi Deus, ne linguam extendas in Chriſtos Domini. Neſcis Eccleſiaſticos patres eſſe populi? Inde ipſis olim communis appellatio Papæ, id eſt Patris, quam uſus hodie ad Patrem Patrum reſtrinxit. Maledictus filius, qui parentis verenda nudata aliis præbet ridenda, Geneſ. cap. 9. Laudanda, & fauſtâ apprecatione compenſanda, filiorum reverentia qui pudori patris conſulunt: *Dilatet Dominus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem*, cum illo ſocietatem ineat, inverecundo fratre Chamo ſecluſo. Cui non celebrata Conſtantini Magni vox in Nicæno Concilio? Epiſcopi quidam inter ſe diſſidentes & invidentes: neque enim malè, qui dixit, ex invidia ferè oriri omnes Eccleſiaſticorum diſcordias; invidiam autem in aulis oriri, in cœnobiis aut collegiis educari, in xenodochiis mori. Ii ergo Epiſcopi accuſatorios inter ſe libellos dederant Conſtantino. Hic abſoluto Concilio omnes, ut erant, occluſos exuſſit, cum hoc præclaro dicto: ſi videret Epiſcopum monachúmve peccantem, fore ut ipſum purpurâ ſuâ Imperatoriâ obtegeret, ne ab aliis cerneretur.

XIV. *Eccleſiaſticus Rex.* Neſcis Eccleſiaſticum eſſe Regem populi Chriſtiani? Ita equidem, ut quomodò Regem populus morum imitatione ſequitur, ſic ſacerdotem. Apud Diodorum Siculum lib. primo, inſana erat Æthiopibus conſuetudo, ſi fortè Regem coclitem haberent, alterum ſibi oculum eruendi, ut eum imitarentur: ſi altero pede claudicaret, nervum etiam ſibi ſuccidendi, ut ejus exemplo inæqualiter incederent: eumque in modum de cæteris corporis vitiis. Animi vitia in ſacerdotibus, aliiſve Eccleſiaſticis, Fidelium quorumdam infirmitas imitari ſolet, ut antè diximus. At validioris ſanctimoniæ Chriſtiani, non modò ea non ſequuntur, ſed etiam obvelant, ne religioni probro ſint, hæreticis ludibrio, infirmis Catholicis offendiculo. Chryſologus ſerm. 150. *Devoti militis eſt, Regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam: virtutes loqui, timores ſilere: adverſa docere, prædicare victorias: aperire fortia, infirma reticere.* Novimus artem hoſtium noſtrorum: idem agunt, quod Syriæ Rex adversùs Achabum pugnaturus, 3. Regum cap. 22. Suis commendavit, ne quem alium peterent: eo ſublato, facilem de reliquis victoriam fore. Nec vanum conjectorem fuiſſe monſtravit eventus. Ita hæretici ut Catholicos profligent, vim omnem in Eccleſiaſticum ordinem exerunt; certi, hoc proſtrato, latè fugam facturos cæteros, viſumque iri Iſraelem diſperſum in montibus, velut gregem ſine paſtore. Idcirco D. Ignatius noſter, in Exercitiorum aureo libello, inter Regulas tradendas ad ſentiendum cum fide Catholicâ, hanc non poſtremo loco commendat, ne quando ſermones de Eccleſiaſticorum pravis moribus ſerantur: notam hanc hæreticorum eſſe, quibus nil jucundius, quàm ſacri Ordinis, conatibus ipſorum adverſi, vitia vel commemorare, vel augere, vel fingere.

XV. Caſtigatio morum. Hæc Catholicis omnibus commendantur. Quibus verò poteſtas ad publicam morum correctionem data eſt, audiant à Bonaventura libro 6. de ſex alis, cap. 3. *In hoc differunt laudabiles Epiſcopatus, Eccleſiaſticorum conventus ſeu collegia, uti etiam religiones, à jam delapſis: non quòd nullus peccans in laudabilibus inveniatur; ſed quòd nullus impunè peccare ſinatur, & peccandi aditus ſtudiosè præcludantur, & incorrigibiles & alios inficientes eliminentur, & boni foveantur & diligantur.* Item ex eodem, cap. 7. diſcant, ad reſtringendum inutilem monachorum & monaſtriarum numerum, Canonicorumque, & aliorum in vicis oppidulisve, ubi ratio diſciplinæ vix ulla haberi poteſt, diſperſorum: *Melius eſt ibi non eſſe Eccleſiaſticos, ubi non poſſunt, vel non volunt vivere ut Eccleſiaſtici: quia tunc nec ipſi pereunt, nec alii de ipſis ſcandalizantur.* Pauca de multis, quæ in eo argumento dici poterant, delibavi ex meo. Plura Myſtagogus Creſſolii ſubminiſtrabit, aliique, à quibus materia illa ex profeſſo tractata eſt.

CAPVT

CAPUT SEXTUM.

ARGVMENTVM.

Antiochus Epiphanes, Elymaïde Perſidis urbe cum dedecore repulſus, Babylonem regreditur : ubi intellecto rerum Iudaicarum ſtatu, conſternatus, & mœrore confectus, faſſusq́, ſe ob illata Iudæis damna meritò puniri, commendatâ Philippo impuberis filii tutelâ, infælicem animam exhalat. Auditâ Epiphanis morte, Lyſias pupillum Regem acclamat, & Eupatorem nominat. Inter hæc Machabæus arcem, Templo infeſtam, obſidione premebat: qua de monitus Eupator, cum ingenti exercitu Bethſuram uſque pervadit. Deſerta obſidione Iudas cum ſuis obviàm Eupatori procedit: concurritur: Eleazar, ſuffoſſo regio elephante, belluæ cadentis mole obtritus, generosè moritur. Tentatis Regis viribus, veritus Iudas ulteriorem prælii in tam impare numero, aleam, receptui canit. Eupator Bethſuram deditione capit, tum Iudam, intra Templi munitiones concluſum, obſidet. Iamq́, res non longè ab extremo periculo aberat, cùm trepidis nuntiis Antiochiam revocatur: adeſſe cum exercitu Philippum, & regni adminiſtrationem, ex Epiphanis teſtamento, invadere velle. Facta igitur pace, ea lege, ut munitiones Templi illæſæ eſſent, ad eas inſpiciendas admiſſus, diſturbari ſtatim mandat fœdifragus puer. Tum Antiochiam, quæ jam à Philippo tenebatur, citatis itineribus regreſſus, eam vi capit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET Rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones, &
audivit eſſe civitatem Elymaïdem in Perſide nobiliſſimam,
& copioſam in argento & auro, 2. templumq́ue in ea
locuples valdè : & illic velamina aurea, & loricæ, & ſcuta,
quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo, qui regnavit
primus in Græcia. 3. Et venit, & quærebat capere civitatem, & deprædati eam: & non potuit, quoniam innotuit
ſermo his qui erant in civitate : 4. Et inſurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum triſtitia magna, & reverſus eſt in Babyloniam. 5. Et vênit
qui nuntiaret ei in Perſide, quia fugata ſunt caſtra, quæ erant in terra Iuda :
6. Et quia abiit Lyſias cum virtute forti in primis, & fugatus eſt à facie Iudæorum, & invaluerunt armis, & viribus, & ſpoliis multis, quæ ceperunt de

 caſtris

caſtris, quæ exciderunt: 7. Et quia diruerunt abominationem, quam ædi-
ficaverat ſuper altare, quod erat in Ieruſalem, & Sanctificationem, ſicut
priùs, circumdederunt muris excelſis, ſed & Bethſuram civitatem ſuam. 8. Et
factum eſt ut audivit Rex ſermones iſtos, expavit, & commotus eſt valdè:
& decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non factum
eſt ei ſicut cogitabat. 9. Et erat illic per dies multos: quia renovata eſt in
eo triſtitia magna, & arbitratus eſt ſe mori. 10. Et vocavit omnes amicos ſuos
& dixit illis: Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ
ſolicitudine: 11. Et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deveni,
& in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum: qui jucundus eram, & dilectus
in poteſtate mea? 12. Nunc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem,
unde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & miſi au-
ferre habitantes Iudæam ſine cauſſa. 13. Cognovi ergo quia propterea inve-
nerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitiâ magnâ in terra aliena. 14. Et vo-
cavit Philippum, unum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper univerſum re-
gnum ſuum: 15. Et dedit ei diadema, & ſtolam ſuam, & annulum, ut ad-
duceret Antiochum filium ſuum, & nutriret eum, & regnaret. 16. Et mortuus
eſt illic Antiochus Rex, anno centeſimo quadrageſimo nono. 17. Et cogno-
vit Lyſias quoniam mortuus eſt Rex, & conſtituit regnare Antiochum filium
ejus, quem nutrivit adoleſcentem: & vocavit nomen ejus Eupator. 18. Et hi
qui erant in arce, concluſerant Iſraël in circuitu Sanctorum: & quærebant eis
mala ſemper, & firmamentum Gentium. 19. Et cogitavit Iudas diſperdere
eos: & convocavit univerſum populum, ut obſiderent eos. 20. Et convene-
runt ſimul, & obſederunt eos, anno centeſimo quinquageſimo, & fecerunt
baliſtas & machinas. 21. Et exierunt quidam ex eis qui obſidebantur, & ad-
junxerunt ſe illis aliqui impii ex Iſraël, 22. & abierunt ad Regem, & dixerunt:
Quouſque non facis judicium, & vindicas fratres noſtros? 23. Nos decrevi-
mus ſervire patri tuo, & ambulare in præceptis ejus, & obſequi edictis ejus:
24. Et filii populi noſtri propter hoc alienabant ſe à nobis, & quicumque
inveniebantur ex nobis, interficiebantur, & hæreditates noſtræ diripiebantur.
25. Et non ad nos tantùm extenderunt manum, ſed & in omnes fines noſtros.
26. Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Ieruſalem occupare eam, & muni-
tionem Bethſuram munierunt: 27. Et niſi præveneris eos velociùs, majora
quàm hæc facient, & non poteris obtinere eos. 28. Et iratus eſt Rex, ut hæc
audivit: & convocavit omnes amicos ſuos, & principes exercitus ſui, & eos
qui ſuper equites erant. 29. Sed & de regnis aliis, & de inſulis maritimis, ve-
nerunt ad eum exercitus conductitii. 30. Et erat numerus exercitus ejus,
centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo,
docti ad prælium. 31. Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Beth-
ſuram, & pugnaverunt dies multos, & fecerunt machinas; & exierunt, &
ſuccenderunt eas igni, & pugnaverunt viriliter. 32. Et receſſit Iudas ab arce,
& movit caſtra ad Bethzacharam contra caſtra regis. 33. Et ſurrexit Rex ante
lucem, & concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: &
comparaverunt ſe exercitus in prælium, & tubis cecinerunt: 34. Et elephantis
oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium: 35. Et
diviſerunt beſtias per legiones: & aſtiterunt ſingulis elephantis mille viri in
loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus eorum: & quingenti equites
ordinati unicuique beſtiæ electi erant. 36. Hi ante tempus ubicumque erat
beſtia, ibi erant: & quocumque ibat, ibant, & non diſcedebant ab ea.

37. Sed

37. Sed & turres ligneæ ſuper eos firmæ protegentes ſuper ſingulas beſtias:
& ſuper eas machinæ: & ſuper ſingulas viri virtutis triginta duo; qui pugna-
bant deſuper, & Indus magiſter beſtiæ. 38. Et reſiduum equitatum hinc &
inde ſtatuit in duas partes, tubis exercitum commovere, & perurgere conſti-
patos in legionibus ejus. 39. Et ut refulſit Sol in clypeos aureos, & æreos,
reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis. 40. Et
diſtincta eſt pars exercitûs Regis per montes excelſos, & alia per loca humilia:
& ibant cautè & ordinatè. 41. Et commovebantur omnes inhabitantes ter-
ram à voce multitudinis, & inceſſu turbæ, & colliſione armorum: erat enim
exercitus magnus valdè, & fortis. 42. Et appropiavit Iudas, & exercitus ejus
in prælium: & ceciderunt de exercitu Regis ſexcenti viri. 43. Et vidit Eleazar,
filius Saura, unam de beſtiis loricatam loricis Regis: & erat eminens ſuper cæte-
ras beſtias, & viſum eſt ei quod in ea eſſet Rex: 44. Et dedit ſe ut liberaret
populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum. 45. Et cucurrit ad eam
audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à ſiniſtris, & cadebant ab
eo huc atque illuc. 46. Et ivit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occi-
dit eum: & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic. 47. Et videntes
virtutem Regis, & impetum exercitus ejus, diverterunt ſe ab eis. 48. Caſtra
autem Regis aſcenderunt contra eos in Ieruſalem, & applicuerunt caſtra Regis
ad Iudæam, & montem Sion. 49. Et fecit pacem cum his, qui erant in
Bethſura: & exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta concluſis,
quia ſabbatha erant terræ. 50. Et comprehendit Rex Bethſuram: & conſtituit
illic cuſtodiam, ſervare eam. 51. Et convertit caſtra ad locum Sanctificationis
dies multos: & ſtatuit illic baliſtas, & machinas, & ignis jacula, & tormenta
ad lapides jactandos, & ſpicula, & ſcorpios ad mittendas ſagittas, & fundibula.
52. Fecerunt autem & ipſi machinas adversùs machinas eorum, & pugnave-
runt dies multos. 53. Eſcæ autem non erant in civitate, eò quòd ſeptimus an-
nus eſſet: & qui remanſerant in Iudæa de Gentibus, conſumpſerant reliquias
eorum, quæ repoſitæ fuerant. 54. Et remanſerunt in Sanctis viri pauci, quo-
niam obtinuerat eos fames: & diſperſi ſunt unuſquiſque in locum ſuum.
55. Et audivit Lyſias quòd Philippus, quem conſtituerat Rex Antiochus, cùm
adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium ſuum, & regnaret, 56. rever-
ſus eſſet à Perſide, & Media, & exercitus qui abierant cum ipſo, & quia quære-
bat ſuſcipere regni negotia: 57. feſtinavit ire, & dicere ad Regem, & duces
exercitus: Deficimus quotidie, & eſca nobis modica eſt, & locus, quem ob-
ſidemus, eſt munitus, & incumbit nobis ordinare de regno. 58 Nunc ita-
que demus dextras hominibus iſtis, & faciamus cum illis pacem, & cum
omni gente eorum: 59. & conſtituamus illis ut ambulent in legitimis ſuis
ſicut priùs, propter legitima enim ipſorum, quæ deſpeximus, irati ſunt, &
fecerunt omnia hæc. 60. Et placuit ſermo in conſpectu Regis & principum:
& miſit ad eos pacem facere, & receperunt illam. 61. Et juravit illis Rex, &
principes: & exierunt de munitione. 62. Et intravit Rex montem Sion, &
vidit munitionem loci: & rupit citius juramentum, quod juravit: & man-
davit deſtruere murum in gyro. 63. Et diſceſſit feſtinanter, & reverſus eſt
Antiochiam, & invenit Philippum dominantem civitati: & pugnavit adver-
sùs eum, & occupavit civitatem.

COMMEN-

COMMENTARIUS AD CAPUT SEXTUM.

Iter Antiochi in Perſidem.

℣. 1. ET REX ANTIOCHUS PERAMBULABAT SUPERIORES REGIONES: de quibus vide dicta ad verſ. 37. c. 3. Cauſſa itineris ibidem notatur. Tunc etiam accidiſſe oportet ejus bellum cum Artaxia Rege Armeniæ: quo capto, mortuum Appianus ſcribit.

ET AUDIVIT ESSE CIVITATEM ELYMAIDEM, &c. An ergo antè ignorabat, eam urbem, quæ ſub ejus erat ditione, opulentam eſſe ac potentem, & fanum illic locuples? Neſcire non poterat. Sed audiſſe dicitur, quia monitus à ſuis, & inſtigatus ad deprædationem, ut compendium operæ faceret, & in una urbe collectam caperet, quam ex tributis ſparſim quærebat, pecuniam. Sic Seleucus ejus frater lib. 2. c. 3. ad expilandum Hieroſolymitanum templum inſtigatur.

Quæ Elymais?

ELYMAIS eadem eſt, quæ *Perſepolis* lib. 2. Nomine Hebræo uſus auctor libri primi: Græco alius: uterque pro lingua, quâ ſcripſit. At quomodò, inquies, Perſepolin iviſſe potuit Antiochus, cùm ab Alexandro magno diruta, & incenſa fuerit, Plinio teſte lib. 6. c. 26? Imò Curtius lib. 5. ita ſolo æquatam ait, *Vt ejus veſtigium non inveniretur, niſi Araxes amnis oſtenderet; à quo viginti ſtadiis abfuiſſe credunt magis, quàm ſciunt, accolæ.* Accedit ad iſtos Salmaſius in Exercitationibus Plinian. p. 1186. accedunt & hæretici alii, qui ex ejuſmodi futilibus obſervationibus horum librorum auctoritatem convellere nituntur.

An urbs Suſorum?

Pererius l. 9. in Danielem, ad illa verba, *Et ſine manu conteretur*, ut hanc difficultatem evitet, dicit: nomen *Perſepolis* ſumendum non pro proprio alicujus urbis nomine, ſed generatim pro *Perſarum urbe* aliqua, quæcumque illa fuerit. Eo autem nomine generali putat, libro ſecundo Machabæorum ſignificari Suſa ſeu Suſam, celeberrimam Perſarum urbem: quam Suſam ſitam fuiſſe conſtat in regione Ælam, id eſt Elamitide ſeu Elymaïde, ex Dan. cap. 8. v. 25. Et Plinius lib. 6. cap. 27. ait, *Eulæus fluvius circuit arcem Suſorum.* Pererii ſententiæ favet textus Regiorum Bibliorum Græcus: nam Sixtina eodem modo habent quo Vulgata. In Regiis autem ſic legitur: ἤκουσεν ὅτι ἐστὶν ἐν Ἐλύμαις ἐν τῇ Περσίδι πόλις; *audivit, quòd eſt in Elymis in Perſide urbs*: ubi vides, nomen urbis non attingi, & Elyma ſeu Elymas nomen eſſe provinciæ. Neque obſtat eidem ſententiæ, textus noſter, qui *Elymaïdem* vocat *civitatem.* Nam nomen civitatis Latinè ſæpè ſumitur pro populo, & in hunc ſenſum hîc accipi commodè poteſt: præſertim cùm ex loco Danielis ſuprà citato conſtet, Elam fuiſſe regionem ſeu provinciam; & Ptolemæus tabulâ Aſiæ quartâ Elymaïdem faciat provinciam in Mediâ, nomine forſan Mediæ latiùs ſumpto, prout partem Perſidis complectitur, quomodò & ſæpè Perſidis nomine intelligitur Media.

Eſt Perſepolis.

Conjectura igitur Pererii ingenioſa eſt, nec improbabilis: malo tamen eorum ſententiam ſequi, qui *Elymaïdem* urbem faciunt, eamdemque *Perſepolin* eſſe, celebratum illud profanis auctoribus nomen. Nam & hoc loco nomen *Civitatis* pro urbe ſumi debet, cùm eam occupare voluerit Antiochus, & à civibus repulſus ſit. Et libro ſecundo disertè in textu noſtro & Græco habetur, *Intraverat in eam, quæ dicitur Perſepolis*, quæ verba plano & commodo ſenſu accipi non poſſunt, niſi de celebri illa Perſepoli, non autem indefinitè de *Perſarum urbe* quadam. Fuerit ergo *Elymaïs* vocata à primo conditore Elam, à quo & tota regio nomen accepit: neque eſt inuſitatum idem eſſe provinciæ & metropolis nomen, hodieque id paſſim ſolet in multis. Exempli cauſsâ, in ipſa ubi hæc ſcribimus regione, Leodium vernaculâ linguâ & metropolin ſignificat & provinciam: conterminæ provinciæ Limburgum & Luxemburgum ſunt, utrumque nomen metropoli idem eſt.

Satisfit objectionibus.

Quid verò ad auctores, negantes Perſepolin tunc ſtetiſſe? Explodendi ſunt, & eorum nihili facienda auctoritas, quod de Curtio jam antè ad capitis primi verſum ſeptimum fecimus. Ne autem nos de nihilo fidem eorum elevare exiſtimes, profanos auctores profanis opponamus. Strabo geographus, & Arrianus libro 3. non Perſepolin ab Alexandro incenſam, ſed Cyri tantùm palatia tradunt. Plutarchus in Vita Alexandri narrat, eum cùm Perſepolin veniſſet, more Regibus Perſarum conſueto, in ſingulas urbis matronas ſingulos aureos diviſiſſe: non ergo eam urbem exuſſit, cujus cives etiam muneribus dignatus eſt. Ptolemæus in tabula Aſiæ quinta Perſepolin ad Rhogomanem fluvium conſtituit, & de ea ſic loquitur, quaſi ætate ſua non ſtaret ſolùm, ſed etiam floreret; ut advertit Caſaubonus, heterodoxus licèt, in Strabonis lib. 15.

Error Curtii.

Ex hoc ipſo Ptolemæi loco habes, quo Curtium, cujus potiſſimùm auctoritate adverſarii nituntur, falſi manifeſtè arguas. Dicebat enim modò Curtius, Perſepolin ad Araxen fluvium ſitam, Ptolemæus autem locat eam ad Rhogomanem: quis autem ſanus Geographus non pluris Ptolemæi, quàm Curtii ſententiam faciat: præſertim ſi advertat, Araxem fermè totum extra Perſidis fines fluere, adeoque incredibile eſſe, conſtitutam tam propè ab ejus ripa celeberrimam Perſidis civitatem? Ad extremum adde: ut exuſtam fateamur, potuiſſe tamen 160. annis reſtitui, idque ex Diodoro l. 19. Athenæo lib. 12. Sed dicendum exuſtam tantùm partim fuiſſe, cùm in ea manſerint ornamenta ab Alexandro Macedone relicta, ut ſubjungitur.

Templum Perſepolitanum.

℣. 2. ET TEMPLUM IN EA LOCUPLES VALDE, ET ILLIC VELAMINA AUREA, ET LORICÆ, ET SCUTA, QUÆ RELIQUIT ALEXANDER PHILIPPI REX MACEDO QUI REGNAVIT PRIMUS IN GRÆCIA. Pro *ſcuta*, Græcè, ὅπλα *arma*: ſcuta tamen agnoſcit etiam Joſephus. Et ſcuta *aurea* Monarchæ iſti in templis placuiſſe non mirum, qui etiam à ſuis militibus clypeos argenteos ferri voluit, inde Argyraſpidarum nomen ſortitis. Quomodò Alexander dicatur Philippi, & regnâſſe primus in Græcis, vide initio Commentariorum ad caput primum.

Quod ſpoliare voluit Antiochus, cui nomini dicatum?

Quæres, quod illud templum fuerit? Dianæ aiunt Joſephus, & Polybius. Hieronymus item in caput 11. v. 36. Danielis, & apud eum Porphyrius. Appianus autem in Syriacis ſub finem ait, Epiphanem, ſpoliato in Elymæis Veneris templo, tabe conſumptum: & hujus ſententiæ aſtipulatur, quod Clemens Alexandrinus in Protreptico ait, *Artaxerxem Ochi filium conſtituiſſe Veneris Tanaidis ſimulacrum Babylone, Ecbatanis, Perſis*, id eſt Perſe-

poli,

Digitized by Google

poli, *Bactris*, *Damaſci*, *Sardibus*. Si idem templum eſt, quod poſtmodùm Antiochus Sidetes ſpoliare voluit, ut lib. 2. cap. 1. v. 13. dicendum veniet: cùm ibi Dea *Nanea* vocetur, putârim potiùs eſſe Venerem quàm Dianam: vel ex eo, quòd, apud Athenæum, Nanno & Nanium ſunt nomina meretricum.

Quomodò civitatem intrârit Antiochus?

℣. 3. 4. Et venit, et quærebat capere civitatem. Nonne ergo *cepit*, cùm *intraverit*, ut narratur lib. 2. cap. 9. Reſpondendum, intrâſſe agmine pacato, admiſſumque ut Regem à ſubditis, ſed non cum toto exercitu, ac deinde nec opinantes conatum *opprimere*, ut habetur libro ſecundo, *& deprædari civitatem*, ut hîc narratur. *Et non potuit quia innotuit ſermo his, qui erant in civitate*: phraſi Hebraica *ſermo* ponitur, pro conſilio, ſeu pro re agenda. Intellexêre Perſepolitani cives conſilium Regis ſui injuſtum, & ut nihil eſſe ſolet ſuperſtitione inveteratâ violentius, excuſſo metu apertè rebellavêre, ac ſumptis repentè armis *inſurrexerunt in prælium, & abiit cum triſtitia magna, & reverſus eſt in Babyloniam*: id eſt, iter convertit ad Babyloniam provinciam: Græcè habetur *Babyloniam* urbem, unde conciliabis quod habetur lib. 2. cap. 9. cum veniſſe circa *Ecbatanam*; ſcilicet in itinere in *Babyloniam* & *Babylonem*, quò tendebat Antiochus, erant poſita Ecbatana. Athenæus lib. 12. dicit Reges Perſarum, ut ver perpetuum agerent, Suſis hyemâſſe, Ecbatanis æſtatem, Perſepoli autumnum, Babylone ver egiſſe. Eæ omnes urbes Epiphani parebant. Quæ ſequuntur uſque ad v. 17. de morbo & morte Epiphanis, quia libro ſecundo fuſiùs narrantur, & illuſtriſſimum continent divinæ Juſtitiæ, ac feræ pœnitentiæ exemplum, eò maximam partem ſervabimus, contenti de cætero nudâ textûs explicatione, & enodatione difficultatum, ſi quæ occurrent.

De Judææ rebus audit.

℣. 5. 6. 7. 8. Nuntiantur Antiocho clades ſuorum in Judæa, nominatim *Lyſiæ*, de qua ſupra c. 4. additur in ſecundo libro clades Nicanoris & Timothei. Aliarum etiam nuntia cumulata fuiſſe, non eſt dubitandum, colligiturque ex eo, quòd dicuntur Judæi multa ſpolia collegiſſe *ex caſtris, quæ exciderunt*. Intellexit præterea Antiochus Templum repurgatum ac munitum, itemque *Bethſuram civitatem ſuam*, δούλου *ejus*, quam ſcilicet ipſe ceperat. His nuntiis planè inexſpectatis perculſus, *decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia*: ad triſtitiam acceſſit alia cauſſa languoris, quæ in libro ſecundo exprimitur, plaga nempe divinitùs inflicta.

Ingraveſcit ejus mæror.

℣. 9. uſque ad 16. Erat illic per dies multos, æger, impatiens geſtationis, *quia renovata in eo triſtitia magna*, dolori de repulſa ab Elymaide, additus dolor novus de cladibus in Judæa. *Et arbitratus eſt ſe mori*, ſenſit morbum eſſe lethalem, convocatiſque amicis, ac valetudine ſuâ expoſitâ, & animi ſui angore; quòd qui nuper *jucundus* erat, *& dilectus in poteſtate ſua*, Græcè χρηστὸς *utilis*, amicis ſcilicet, & ἀγαπώμενος *amatus*; nunc calamitatibus oppreſſus, triſtitiâ mergeretur. Demum etiam cauſſam tantæ mutationis ſibi ait non ignotam eſſe: ſpoliatâ enim à ſe Hieroſolymâ, vexatos Judæos *ſine cauſâ*, διακενῆς *fruſtra*, ſeu *in vanum*; ideoque meritò ſe pœnas impietatis iſtius, atque injuſtitiæ luere.

Sine cauſſa ab hominibus fiunt, quæ non ſine cauſsâ à Deo permittuntur.

Verè fruſtra & in vanum Judæâm ſpoliârat Antiochus, quia nullus ipſi inde fructus, imò mala maxima: *ſine cauſſa* item id fecit, quia Judæi nullam ipſi cauſſam tam acerbæ perſecutionis præbuerant; etſi Deus non ſine cauſſa, ad ipſorum peccata puniendi, eam perſecutionem permiſerit. His dictis *Philippum*, ex intimis amicorum, & ut libro ſecundo cap. 9. v. ult. habetur, *collactaneum* ſuum, tutorem filii, ac regni curatorem conſtituit, dato illi *diademate*, *ſtolâ ſuâ* ſeu veſte regiâ, & *annulo*. Oblitus forſan erat in iis animi angoribus, Lyſiæ creditum à ſe regnum & filium: forſan & ob clades in Judæa acceptas, parum illi fidebat, & negotiis imparem eſſe arbitrabatur: denique in hac ipſa duorum tutorum creatione, divina juſtitia ſemen diſcordiæ inter Syros jaciebat, ut ab iſtis initiis inciperet labaſcere Monarchia impii Regis, & ſemen hypocritæ periret, non *ſine cauſſa*.

Quo tempore mortuus Antiochus?

℣. 16. Et mortuus est illic Antiochus Rex anno 149. Difficultas eſt circa locum, & tempus mortis Antiochi. De tempore: quomodò hîc ponitur mortuus anno centeſimo quadrageſimo nono, quandoquidem ejus filius, jam regnans, dictet epiſtolam anno centeſimo quadrageſimo octavo? Huic difficultati ſatisfecimus ad capitis primi verſum 11. longâ diſputatione, oſtendimuſque, varietatem illam annorum oriri ex diverſo modo chronotaxeos, quem uterque auctor libri Machabæorum ſecutus eſt: incidere nihilominus annos illos in idem tempus, etſi alio numero conſignentur.

Quo loco?

De loco, nil niſi conjecturâ aſſequi poſſumus. Conſtat ex v. 13. ſuprà, mortuum *in terra aliena*, uti ipſemet loquitur. Conſtat item ex lib. 2. c. 9. v. 28. *peregrè in montibus* obiiſſe. Sed iſta augere videntur magis, quàm explicare difficultatem. Si enim Perſis, Media, ac Babylonia, Aſiaticæ monarchiæ ſuberant; & dubium eſſe non debet, ex eo quòd illarum regionum tributa collectum iverit Antiochus: quomodò eæ regiones vocantur *terra aliena, & peregrè*? Reſpondeo ſic vocari: primùm, quòd Aſiatici Reges longè ab iſtis regionibus in Syria habitare ſolerent, &, quia tam remotæ erant, fermè pro exteris haberentur. Deinde, quòd etſi ſubditæ eſſent, precarium tamen fermè eâ ætate in illas exerceretur imperium: prorsùs ut Epiphanes cum ingenti exercitu, ad exigenda tributa, illuc proficiſci debuerit. Habemus itaque nomine *terra aliena* Perſicas provincias intelligi: at nondum invenimus locum obitûs. Supra v. 4. dictum eſt, eum in itinere Babylonico languore percuſſum: lib. 2. cap. 9. v. 3. dicitur audiiſſe nova de ſuorum cladibus, *cùm veniſſet circa Ecbatanam*: unde colligitur, non longè ab Ecbatanis in montibus Mediæ ac Perſidis obiiſſe. Porphyrius apud Hieronymum in cap. 11. Dan. v. 45. dicit, mærore conſumptum in Tabes oppido Perſidis: quod verum eſſe poſſit, ſi id oppidum in montibus ſitum eſt, nec longè ab Ecbatanis, & itinere Babylonico, quo Perſepoli fugatus ſe recipiebat Epiphanes.

Nomina pulchra perſonis indignis impoſita.

℣. 17. Et cognovit Lysias, quoniam mortuus est Rex, et constituit regnare Antiochum filium eius, quem nutrivit adolescentem, et vocavit nomen eius Eupator. Auditâ morte Epiphanis, Lyſias ſtatim filium ejus, alumnum ſuum, Regem ſalutat, dato agnomine *Eupatoris*, id eſt tali patre fælicis. Quàm ſæpe nomina abludunt à rebus? Eupatorem hunc nominant Syri, quem ſatiùs fuiſſet eſſe Apatorem, quàm tam impii patris infortunatum filium. Eodem planè modo pater ejus Epiphanes vocatus, cùm potiùs Epimanes dicendus eſſet, ut cap. 1. v. 11. obſervavimus. Sic Abſalon ſive *Abeſſalom* dictus Davidis filius, id eſt *Pater pacis*, cùm tamen belli cruentiſſimi & injuſtiſſimi pater fuerit: *Naaman* dictus quaſi *pulcer*, fœdiſſimâ tamen leprâ opertus:

opertus: *Sedecias* verbis Dei refractarius, & fœdifragus, *juſtum Domini* ſonat: *Athalia* impiiſſima fœmina, idolorum cultrix, ſignificat, *Tempus Domino*. *Iudas* laudationem ſignificat, *Simon* obedientem: iſte tamen titulus proditori, hic mago tribuitur. Pulcerrimum omnium, poſt JESU & Mariæ nomina, *Ioannes* nomen Calvino impoſitum. Multi modo *Gregorii* parum vigiles, *Nicolai* judiciorum humanorum ac plebis mancipia, *Agnetes* indole leoninâ, *Catharinæ* parum pudicæ nominantur. *Nihil prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus.* Perinde hoc eſt, ac fieri ſolet in officinis pharmacopolarum, ubi boneſti tituli pyxidibus veneno fartis inſcripti ſunt.

Vitiis dati virtutum tituli.

Non longè abeunt, qui ad honeſtanda vitia ſpecioſis illa virtutum nominibus veſtiunt, quaſi naturam mutare cum appellatione poſſint. Ita apud Bern. apologiâ ad Gulielmum Abbatem: *Parcitas, putatur avaritia: ſobrietas, auſteritas creditur: ſilentium, triſtitia reputatur. E contrà remiſſio, diſcretio dicitur: effuſio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, jucunditas; mollities veſtimentorum & equorum faſtus, honeſtas; lectorum ſuperfluus cultus, munditia. Cumq́; hæc alterutrum impendimus, caritas appellatur.* Similem in modum ante Bernardum Proſper, 3. de Vita Contempl. cap. 1. *Superbus vult ſe credi conſtantem, prodigus liberalem, avarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, guloſus humanum, ignavus quietum, timidus cautum. Imprudentia fiducia ſibi nomen adſcribit, procacitas appellationem libertatis obtendit, eloquentiam fingit verboſitas, & curioſitatis malum ſub ſtudii ſpiritalis colore deliteſcit.* Ita ſibi abblandiuntur vitioſi, & ſtulti, quibus, ob affinitatem materiæ & colorum, mala à bonis diſcernendi vel voluntas, vel facultas deeſt. Vicina enim ſunt vitia virtutibus, & ab his ad illa tranſitus facilis eſt: quem plerique advertere vel nolunt, vel nequeunt; ſeque vitioſos non eſſe, & ſibi, & aliis lubenter perſuadent. Falſæ iſtæ ſunt virtutes, defectu materiæ: quid jam quæ adulterinæ ſunt, defectu recti finis? Conſule ea de re S. Th. 2. 2. q. 23. art. 6. Habet & Proſper lectu digna, lib. de Promiſſ. & prædict. p. 2. cap. 39. ubi ſimulationem virtutum, ſeptem vitiis capitalibus oppoſitarum, ait, ipſis vitiis eſſe exitioſiorem: putatque eam ſignificari à Chriſto, nomine ſeptem ſpirituum nequiorum, quos ſecum inducit dæmon ad habitaculum mundatum, unde ejectus fuerat.

Væ terræ cujus Rex puer.

Quæres, quâ ætate Eupator Rex ſalutatus fuerit? Noſtra *adoleſcentem* facit, quæ vox latè interdum accipitur etiam pro impubere ac puero. Græca habent νεώτερον, id eſt, *juniorem, adoleſcentiorem*, ſeu, *minùs quàm adoleſcentem*. Juſtinus l. 34. ait, parvulum admodum fuiſſe: Appianus, omninò novennem: Polybius legat. 107. dicit infirmæ & puerilis ætatis fuiſſe, præ patruo Demetrio, qui jam annos tres & viginti erat natus: ideoq́ue regnum ſibi jure debitum repetere permiſſus non eſt à Romanis, Regem Syriæ malentibus puerum, quàm rebus gerendis idoneum. Accidet certè eo puerulo Rege, quod Sapiens Eccl. 10. ait, *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt:* trahent inter ſe adminiſtrationem regni tutores duo: inquieti ſubditi aliud imperium ſpectabunt: per eam occaſionem Demetrius paternum diadema repetet: miſerè Syria lacerabitur. Sæpè ætate noſtrâ ejuſmodi exempla ſpectavimus, pueris Principibus aut Regibus, vexata regna inter manus educatorum, & tutorum, res non ſuas, imò ſuas potiùs, quàm pupilli curantium. Rarus in privata fortuna tutor fidelis; quantò rarior in publica, ubi ſecurè ad libidinem, & avaritiam, ſimplicis pueruli nomine abuti facillimum eſt?

Hiſtoria ſeries.

℣. 18. 19. 20. Narratur obſidio arcis Hieroſolymitanæ per Judam facta, ejus occaſio, ac tempus. Sed antè, varia à morte Epiphanis geſta, quorum pars ſuperiore capite narrata, pars capite decimo, undecimo, duodecimo libri ſecundi refertur. Ea nos in ſerie hiſtoriæ à numero 45. uſque ad 72. digeſſimus.

Cur obſeſſa arx?

Occaſio autem obſidendæ arcis fuit, quòd, *qui erant in arce, concluſerant Iſraël in circuitu Sanctorum.* At nonne ipſi potiùs à Judæis in arce concluſi erant, ex quo Judas montem Templi, & Bethſuram munierat? Sed Hebraiſmus eſt, quo indicatur, infeſtatos frequentibus eruptionibus præſidiariorum Iſraëlitas, ad Templum adeuntes. Hoc ſenſu ſæpè in Scriptura verbum *concludendi* ſumitur: uti ſuprà cap. 3. v. 28. *Facile eſt Deo concludere multos in manus paucorum:* & cap. 4. v. 31. *Conclude exercitum iſtum in manu populi tui Iſraël.* Denique ipſamet hic Scriptura ſe explicat, cùm ſubdit: *Quærebant eis mala ſemper, & firmamentum Gentium*, id eſt, quacumque poterant, damna Iſraëlitis inferebant, ut inde ſibi vires accreſcerent. Iſtæ igitur perpetuæ infeſtationes, latrocinia, cædes, à præſidiariis arcis patratæ, Machabæo cogitationem injecerunt ejus obſidendæ, ad liberandam ſemel jugo externo Hieroſolymam, & Templi præſertim ſecuritatem.

Apparatus obſidionis.

Magno apparatu factam obſidionem, collige ex eo, quòd *convocatus* fuerit *univerſus populus*, & omnes illuc contractæ vires, item *machinæ ac baliſtæ* adhibitæ. Græcè baliſtæ vocantur βελοστάσεις, quaſi dicas, telorum mittendorum inſtrumenta, de quibus aliquid infrà ad v. 51. Si plura voles, conſule eos, qui de militia ſcripſêre, Vegetium, Valturinum, Lipſium. Conſignatur obſidionis annus ab Hagiographo, tamquam rei notabilis; neque enim ſolet eam conſignationem, niſi in ejuſmodi, adhibere. Annus autem eſt *centeſimus quinquageſimus*, Judaicâ ſcilicet chronotaxi, quâ hic auctor utitur.

Cur tam diu dilata?

Mirum forſan tibi videatur, quare Machabæus tam diu oppugnationem arcis Hieroſolymitanæ diſtulerit, tam infeſtæ Judæis, & ex qua omnis belli ſumma pendebat? Sed mirari deſines, cùm attenderis, neceſſarias fuiſſe ad iſtam obſidionem vires magnas: quibus cùm initio Principatûs careret, non poterat rem tam difficilem tunc aggredi, ſine inſigni temeritate. Tertio verò Principatûs anno creverant ejus copiæ, ut obſervavimus cap. ſup. ad v. 20. ſed diſtrahendæ fuerant ob imminentes undique hoſtes; adeóque nec tunc de arcis obſidione cogitare poterat, cùm tot ſimul rebus gerendis par non eſſet. Deinde, prudens dux maluit militem ſuum, bello quaquaverſum circumferendo, victoriis aſſuefacere, & prædâ ditare, quàm ejus animos ſtatim ab initio frangere, arci expugnatu difficili lentâ oppugnatione aſſidendo. Denique, viſum eſt, priùs purgandos ac pacandos fines, traducendoſque in interiora patriæ Judæos omnes: ut eò conjunctiores, ac ſecuriores totis viribus in obſidionem arduam incumberent. Hoc conſilium Machabæo fuit. Deo tamen, qui Simoni arcis captæ, & expurgatæ penitùs Judææ, gloriam reſervârat, aliter viſum.

Exemplo Machabæi, ſpiritualis bellator à facilioribus incipiat.

Conſilium Machabæi in bellis ſpiritalibus contra Infideles ſequuntur, qui primùm vitia eorum minora debellant, iiſque fractis demum ad ipſam Infidelitatis arcem aggrediuntur. Sic ſæpè profuit

Hæreticos

Hæreticos ad temperantiam, obedientiam, humilitatem addoxiſſe, ut poſtmodùm faciliùs hæreſis ipſa expugnaretur. *Prius eſt*, inquiebat Pater Faber, unus de primis S. Ignatii ſociis, & inſignis pro fide in utraque Germaniâ bellator, *malè facere hæreticorum pleriſque, quàm malè ſentire*: iſtud *malè facere* expugna, & facilè *malè ſentire* ſuperabis. Imitantur etiam Judæ prudentiam aſcetæ, qui diſcipulos ſuos in ſpirituali contra vitia ſua bello, ante invadendam totis viribus arcem internarum cupiditatum, docent certamina ſua incipere à facilioribus, & externis ferè vitiis, quæ faciliùs debellantur, & dant animos ad vincenda majora; præterquam quòd occaſiones majorum circumcidunt, eáque debilitant. Hunc in modum tironibus ſolita primùm commendari cuſtodia ſenſuum, corporis caſtigatio, ſilentium, aliáque ejuſmodi, ut inde gradatim ad altiora ducantur, & victoriis paullatim aſſueſcant.

Apoſtatæ Regem adverſùs Judam concitant.

℣. 21. uſque ad 28. Narratur, ex obſeſſis aliquos, adjunctis ſibi apoſtatis Judæis, abiiſſe ad Eupatorem flagitatum auxilia contra Judam. In verbis, quæ Regi dicta fuêre, Notandum primò, ea ab apoſtatis Judæis, aut ſolis, aut potiſſimùm prolata: ſoli enim loquuntur de ſe v. 22. 23. 24. Nota ſecundò, perfidos illos, ad captandam benevolentiam, apertè apoſtaſiam ſuam profiteri, eamque veſtire titulo obedientiæ, edictis Epiphanis præſtitæ. Nota tertiò, ad movendum Eupatorem, proponi gradatim ab apoſtatis; primùm, mala ſibi privatim illata: præterea, alios ſui ſimiles Iſraëlitas vexatos, ubicumque demum habitarent, intra terminos Palæſtinæ, quod malum publicum eſt: denique tertio loco, fortiſſimum argumentum affertur, quia Regem ipſum propriè tangit; agi enim de excutiendo ejus jugo, ſi capiatur arx; munitam jam eſſe Bethſuram, graviora metuenda, & niſi ſine morâ occurratur Machabæi conatibus, conclamatum eſſe. Textûs verba clara ſunt, ut in illis fruſtra ſit immorari.

Quomodò Rex iratus?

℣. 28. 29. 30. ET IRATUS EST REX, UT HÆC AUDIVIT. Potuitne ratiocinationes impiorum legatorum intelligere eâ ætate puerulus, ut iraſceretur? Modus itaque loquendi eſt, quo ſignificatur eos iratos, qui Regis perſonam ſuſtinebant, & erant de ejus conſilio intimo, nominatim regni adminiſtratorem Lyſiam. Quidquid enim publicè rerum gerebatur, fiebat nomine pupilli. Fieri tamen etiam potuit, ut explicata & inculcata puerulo apoſtatarum Judæorum legatio, ejus animum accenderet, hæreditariâ iracundiâ ardentem: ſolet enim mali corvi malum ovum eſſe, & ex Epimane nihil poterat naſci, niſi furioſum. Irâ igitur ſtimulatus Rex, ſeu Lyſias ejus nomine, *convocavit omnes amicos ſuos, & principes exercitus ſui*, nominatímque *eos, qui ſuper equites erant*, ſeu, equitatûs præfectos. Acceſſêre ad militem domeſticum peregrini, *de regnis aliis, & de inſulis maritimis exercitus conductitii*: Græcè pro *regnis* habent biblia Regia βασιλεῦσι *Regibus*; Sixtina βασιλειῶν, *regnis*.

Curtantus equitatus ducitur?

Ex iſtis copiis collectis ingens confectus exercitus, peſſumdandæ impetu uno Judææ toti: *erant* enim *centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo docti ad prælium*: quem numerum exſcripſit Joſephus, ut alia fermè omnia hujus libri. Magna iſta equitum multitudo mihi perſuadet, conſilium fuiſſe Lyſiæ, omnes ad evadendum vias Machabæo præcludere, & copias ejus delere ad internecionem. Eodem conſilio juſſi adeſſe nominatim equitum præfecti. Alioqui enim quorſum equitatus tam copioſus adverſùs Judæos, qui equitatu carebant?

Difficultas in numero copiarum ex lib. 2.

Magna hîc inter utrumque librum in copiarum numero diſcrepantia per partes ſingulas. Lib. 1. ſunt *centum millia peditum*: lib. 2. cap. 13. v. 2. ſunt *peditum centum & decem millia*. Lib. 1. ſunt *equitum viginti millia*: lib. 2. *quinque* omninò. Lib. 1. ſunt *elephanti triginta duo*: lib. 2. decem ſubtrahuntur, & ſunt ſolùm *viginti duo*. Lib. 1. nulla de falcatis curribus mentio: lib. 2. dicuntur fuiſſe *currus cum falcibus trecenti*.

Rejicitur quorumdam effugium.

Dura eſt Saliani, poſt Emmanuëlem Sa, ad hanc difficultatem annotatio. *Ego*, inquit, *non habeo, quid dicam, niſi auctorem utrumque in diverſa incidiſſe monumenta, & catalogos copiarum, quos verè & fideliter expreſſerunt, fide apud auctores relictâ.* Sed, ſi ea ſolutio ſemel admittitur, vacillare neceſſè eſt fidem omnium in Scriptura numerorum. Idem enim poterit dici ubicumque diverſitas eſt aliqua ejuſmodi, qualis occurrit ſæpiſſimè in libris Regum, & Paralipomenon. Imò idem de omnibus generatim numeris dici poterit, etſi nihil uſquam occurrat, cum eis pugnans: poterit & de hiſtoriis ipſis. Abſit itaque, ut admittam umquam, ullâ difficultate coactus, Spiritum Sanctum Scriptori ſacro aſſiſtentem non curâſſe, verúmne an falſum numerum certiſſimæ atque indubitatæ in omnibus Scripturæ insereret. Hoc enim admiſſo, ruet paullatim in partibus variis, ac deinde in toto, divina Scripturæ auctoritas: & de *ſummo illo culmine*, ut loquitur Auguſtinus, ad auctoritatem eorum hominum, è quorum ſcriptis aut ore ſua deſumpſerint Hagiographi, devolvetur. Verum quidem eſt: à Scriptore libri ſecundi confectum ex Jaſonis Cyrenæi Commentariis compendium; ejuſque fidei videri rerum narrationem relinqui. Sed idémne de prioris libri Scriptore dicendum erit? Ideóne negligenda fuerit conciliatio numerorum?

Ratio conciliandorum textuum.

Rejectâ itaque Emmanuëlis ac Saliani ſententiâ, offert ſe alia Serarii; quam cùm Salianus viderit, & retulerit, mihi valdè mirum eſt non probâſſe præ ſua. Verba Serarii ſunt: *Numeri videntur diſcrepare, niſi obſerves, in una ſumma eos interdum numerari, qui tunc aderant, equites cum equitibus, elephantes cum elephantis: in aliâ etiam alios, qui ſubinde acceſſerunt.* Obſcura hæc ſunt, ſed ſi intelligas, nitidam prorſus difficultatis noſtræ ſolutionem elicies. Dicere igitur voluit Serarius: in uno libro copias Eupatoris recenſeri, quales initio profectionis fuerunt: in altero quales poſtmodùm, aucto per iter, ut fit, numero, acceſſione copiarum aliarum. Secundi libri auctor, ex Commentariis Jaſonis excerptus, recenſet numerum, quem Jaſon Antiochiæ ſcripſit: ſcripſerit autem Jaſon eum, quo exercitus Eupatoris conſtabat, cùm Antiochiâ movit. Auctor libri primi, Hebraicè & Hebræis editus, recenſuit copias, prout erant cùm in Judæam advênit. Atqui dubitandum non eſt, auxilia in itinere confluxiſſe ex vicinis præſidiis, & finitimis Judææ gentibus: hinc auctior elephantorum, & equitum numerus in hoc, quàm in altero libro. At, inquies pedites hîc pauciores, quàm illic recenſentur: qui id factum, ſi acceſsêre auxiliares? Reſpondeo, probabile omninò eſſe, multos in via raptis equorum de peditibus equites factos. Addo, quos liber ſecundus falcatos currus nominat, commodè inter equites libro primo recenſeri poſſe. Ad extremum experientiâ conſtat, peditatum inter faciendum iter maximè minui ſolere, ſeu morbis, ſeu fugâ: equitatum non item.

Alius conciliationis modus.

Huic ſolutioni à Serario indicatæ, à nobis ſtabilitæ, ſi quid adjungi voles, nota: in libro ſecondo non dici abſolutè eum fuiſſe copiarum Eupatoris oumerum, ſed, *cognovit Iudas*, ab exploratoribus aut fidis didicit, eſſe pedites, equites, elephantos, falcatos currus. Cùm autem exploratores noo uſquequaque certa ſoleant referre, ſed præterpropter: dici poſſet, in libro ſecuodo cenſeri, non eum numerum qui fuit in exercitu Eupatoris, ſed eum qui Judæ nuntiatus eſt. Quo ferè modo dicemus infrà ad cap. octavum hujus libri, *Iudam audiſſe famam Romanorum*, ex ea famâ quædam didiciſſe non omninò certa, qualia ſcilicet rumoribus vulgari ſolent: neque Hagiographus ibi aſſerit, omnia, quæ audivit Judas, eſſe certa, ſed tantùm aſſerit certum eſſe ipſi nuntiata. Sic in hoc loco libri ſecundi dicatur, *cognoviſſe Iudas* exploratorum relatu, tales eſſe copias Eupatoris, & indubitatum eſſe id ipſi relatum, oeque aliud ab Hagiographo aſſeri: oeque enim dicit, quod in hoc capite libri primi; *Erant centum millia*, &c. ſed; *cognovit Iudas* &c.

Iter Eupatoris per Idumæam.

℣. 31. Et venerunt per Idumæam copiæ Eupatoris. Idumæa accipi poteſt, tum pro ea, quam Ammonitidi conterminam eſſe ſuprà cap. 5. verſ. 3. diximus; tum pro ea, quæ tribui Juda & deſerto Sin interjecta eſt. Imò mihi vero-ſimile eſt, Eupatorem per utramque iter feciſſe. Ex Cœleſyria enim recto itinere per Ammonitidem venerit in regionẽ Galaaditicam, ut ſui coram damna à Machabæo idololatris illata recognoſcerent, & ad vindictam acuerentur: deinde per Moabitidem ad tribum Juda, tranſito Jordane, deſcenderit: habitabant autem Idumæi in ipſis tribus Juda viſceribus, noo ad extremos ſolùm fines, ut patet ex iis, quæ ſuprà diximus de Chebron. Ergo traducti per Idumæam Syro-Macedones, *applicaverunt ad Bethſuram*, quæ nimirum erat contra faciem Idumææ; ad eam *pugnaverunt dies multos* arduâ obſidione, quòd locus eſſet admodùm ſitu & arte munitus, ut dictum eſt ad cap. 4. verſum ultimum: *& fecerunt machinas* obſidionales, quas obſeſſi eruptione factâ ſuccenderunt, *exierunt, & ſuccenderunt eas igni, & pugnaverunt viriliter.*

Stabilitur ſeries hiſtoriæ.

Huic obſidioni Bethſuræ præponendum eſt Menelai-Pſeudo Pontificis ſupplicium: orationes à Judæis factæ: conſultatio Judæ ſuper bello: profectio Modin verſùs cum expedita mano: irrupoo in caſtra Regis ſub crepuſculum matutinum ex lib. 2. cap. 13. Nam ibi disertè poſt hæc omnia ſubjungitur obſidio Bethſuræ, v. 18. & 19. Quod parum advertiſſe videtur Salianus, adeoque oec benè iſtam irruptionem Judæ nocturoam interſeruiſſe obſidioni Bethſuranæ, & conjunxiſſe cum prælio de quo mox. Vide ſeriem noſtram hiſtoriæ num. 73. 74. 75. 76. ubi etiam habes ex libro ſecundo, quæ ſupplenda ſunt circa res in obſidione Bethſuræ geſtas.

Judas deſerit obſidionem arcis.

℣. 32. Et recessit Judas ab arce. Non ergo deſeruerat obſidionem arcis, quando irrupit in caſtra Regis: ſed relictâ ad continuandam oppugnationem copiarum parte, ipſe cum delectis improviſus noctu in hoſtes irruit, & ſub lucem ſe magna celeritate Hieroſolymam recepit. Deinde cùm Syri copias promoviſſent ad Bethſuram, eamque arctè premerent, judicavit Judas totis copiis opus eſſe ad Regem aggrediendum, & tunc demum ſolutâ arcis obſidione, *movit caſtra ad Betzacharam contra caſtra Regis.*

Quæ Bethzachara?

Græca pro *Bethzacharam* habent *Bethzacharias* unde Salianus, ex notatione nominis, conjicit eſſo oppidum ſeu domum Zachariæ: an Zachariæ illius, qui pater fuit Joannis Baptiſtæ? Quomodò ergo nomen à ſacerdote noodum nato locus iſte acceperit? An, quod incredibile non eſt, avitum id nomen fuit majorum plurium D. Joannis, non patris tantùm: quem etiam conſtat habitâſſe in montanis Judææ? Adrichomius Bethzacharam oppidum facit, Hieroſolymâ diſſitum horis itineris circiter quinque, & à Saliano reprehenditur, quod faciat nimis longè abeſſe à Bethſura, ubi erant caſtra Regis, quibus ſua Judas oppoſuit. Sed uti mihi non probatur ſententia Adrichomii, ita nec ratio, quam ad eam infirmandam affert Salianus. Poſſit enim Saliano Adrichomius reſpondere, tam numeroſum exercitum Eupatoris uni Bethſuræ non aſſediſſe, ſed latè tetendiſſe: item *caſtra Iuda contra caſtra Regis mota*, id eſt, poſita exadverſum, quod fieri potuit, licèt proximè admota non eſſent, ſed medio ſpatio inter utraque relicto, ut fieri ſolet. factumque hîc ex verſu ſequenti colligitur.

Non tamen Adrichomium ſequi velim: quia probabile non eſt Machabæum tam longè ab Hieroſolyma proceſſiſſe, imò inter ſe & Hieroſolyma interjeciſſe exercitum Regis: prudens certè id non erat conſilium, nec tam facilè Judæi, tentatis Regis viribus, ſe recipere potuiſſent, ſi is fuiſſet locorum ſitus, qui ab Adrichomio ſtatuitur. Joſephus *Bethzacharam*, ſeu, ut ipſe ex Græco textu legit, *Bethzacharia*, non urbem ait eſſe, ſed fauces quaſdam inter montium anguſta, à caſtris Eupatoris diſſitas ſtadiis ſeptuaginta: quæ ſtadia ſi vulgaria ſunt, quod Joſephus oon ſemper obſervat, fermè tribus itineris horis reſpondent. Ubi autem eæ fauces fuerint, non definit: & Bonfrerius in Onomaſtico, poſt adductum Joſephum, dicit, paullò obſcurius eſſe ubi fuerint hæ fauces. Veroſimile mihi fit, cùm copiæ Regis latè circùm Bethſuram, & ad partem unam Hieroſolymæ tenderent: Machabæum ad aliud Hieroſolymorum latus caſtra poſuiſſe. Explicârat forſan Eupator aciem ſurſum verſùs, quà itur ad mare mortuum, & quà venerat: Machabæus autem ſuos non longè ab Emmaünte conſtituit, locis montoſis, ibi enim ſunt quæ Montana Judææ dicuntur.

Locus fuit non longè Hieroſolymâ.

℣. 33. Et surrexit Rex ante lucem. Tribuuntur iſta Regi, quomodò monuimus ad v. 28. quia ejus oomine fiebant: *Et concitavit exercitus in prælium contra viam Bethzacharam*: Græcè: *movit caſtra in impetu eorum*, id eſt magna celeritate & ardore, *ſecundùm viam Bethzacharia*, id eſt, rectà movit in Machabæum, ratus uno prælio bellum confici poſſe. Unde collige, intermiſſam ab Eupatore tantiſper obſidionem Bethſuræ; idque exprimit Joſephus. *Et comparaverunt ſe exercitus in prælium, & tubis cecinerunt.* Videtur hîc agi de ſolo exercitu Eupatoris, non autem de copiis Machabæi, cujus apparatus ad prælium verbo ſolùm indicatur infrà, v. 41. Græcè in Sixtinis habetur *διεσκευάσθησαν* ſicut in Vulgata, *comparaverunt*: alia exemplaria habent, *διεσκεδάσθησαν αἱ δυνάμεις*, id eſt, diviſæ ſunt copiæ, & in ordines diſtinctæ ad prælium.

Apparatus Eupatoris ad prælium.

℣. 34. Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium. Hebraiſmo *ſanguis uvæ*, vinum; *ſanguis mori*, ſuccum è moris expreſſum ſignificat. Abſit enim, ut hîc alludatur ad aniles poëtarum Græcorum fabellas, morum è ſanguine amantium duorum enatam fingentes.

Quomodò oſtenſum vinum, & ſuccus mori elephantis?

Quæres, quomodò irritati vino & ſucco mororum elephanti, an aſpectu ſolo coloris, an potatione

tatione liquoris? Valeſius ſacræ philoſophiæ c. 82. putat, aſpectu ſolo coloris rubri commotum elephantis ſanguinem: idque etiam animalibus aliis commune eſſe, ubi iſtum colorem eis objeceris, docet experientia quotidiana in tauris ac meleagridibus. Favet ſententiæ Valeſii textus noſter, ubi habetur *oſtenderunt*, non autem propinârunt: quaſi oſtenſione ſolâ ſanguinei iſtius liquoris efferatæ beſtiæ fuerint. Mavult nihilominus Serarius noſter, potatos vino & mororum liquore elephantes. Primùm, quia libet tertius Machabæorum tali potu eos ait concitari, & ſimul odore thuris. Deinde, quòd Ælianus dicat, *Elephantis pugnaturis vinum, non modò ex uvis, ſed etiam ex oryza factum propinari:* quale ſcilicet paſſim apud Chinenſes hodie factitari audio, inſtar cerevîſiæ noſtræ, ſcribitque in Atlante Sinico P. Martinius noſter. Si autem vinum ex oryza præbetur, quantò convenientiùs ex *moris*, quibus teſte Plinio lib. 15. cap. 24. *eſt ſuccus in carne vinoſus?* Ad vocem iſtam textûs noſtri *oſtenderunt*, reſpondet Serarius Græcè haberi ἐδείξαν, quod verbum non tantùm *oſtendere*, ſed etiam *exhibere* ſignificat, & in hac ſecunda ſignificatione ſumitur lib. 2. cap. 13. v. 9. & 2. Tim. 4. v. 14. Addere potuit, vinum ac ſuccum mororum verè oſtenſa eſſe elephantis, iſtorum avidis, ad eos excitandos, quomodò equi oſtensâ avenâ animantur. Utramvis ſententiam ſequaris, Valeſii, an Serarii, meo judicio non errabis: exiſtimo enim tum colore, tum potu, elephantos efferari potuiſſe; magis autem ſi utrumque ſimul adhibitum eſt, & aſpectus & potatio, quod hîc factum arbitror.

Cur id factum?

Ælianus lib. 6. de Animalibus ait: apros, leones, tauros, elephantes, nullo extrinſecùs impulſu ad pugnam indigere, ſed impetu ſuo, ſecùs quàm homines, ad illam ferri. Hoc, inquit Serarius, verum ſit, ubi res aliqua belluis iſtis occurrit, quæ naturâ ſuâ ſanguinem eis commoveat: tunc enim concitatæ dentes exacuunt, caudis ſeſe verberant, cornua confricant, proboſcide ſeſe flagellant, iramque colligunt, & ſe ad pugnam expediunt. At ſi quietæ ſint, & in homines, quibus alioqui infeſtæ non ſunt, immittantur, eas proritari neceſſe eſt; ſanguinemque, objecto rei alicujus quam averſentur aſpectu, aut præbito cibo vel potu calidiore, & ad concitandam bilem apto, commoveri.

℣. 35. 36. ET DIVISERUNT BESTIAS PER LEGIONES, ſeu *phalanges*, ut Græcè eſt, Macedonicâ voce: *Et aſtiterunt ſingulis elephantis mille viri in loricis concatenatis* ἁλυσιδωτοῖς, id eſt, *quæ ſolvi non poſſent*, intellige loricas hamatas: *& galeæ æreæ in capitibus eorum*, ſplendidiores & pretioſiores utique ferreis caſſidibus, ideóque id nominatim videtur exprimi.

Quomodò equites præceſſerint, & ſecuti ſint elephantos?

ET QUINGENTI EQUITES ORDINATI UNICUIQUE BESTIÆ ELECTI ERANT. HI ANTE TEMPUS προ καιροῦ UBICUMQUE ERAT BESTIA, IBI ERANT: ET QUOCUMQUE IBAT, IBANT, ET NON DISCEDEBANT AB EA. Si equites *ibant*, *quò ibat beſtia*, quomodò ergo *ante tempus erant ubi erat*: id eſt, ſi eam dicuntur ſecuti fuiſſe, quomodò poſſunt dici anteceſſiſſe? Salianus iſtud *ante tempus*, ſumit pro *opportunè* ſive *in tempore*, nec diſplicet explicatio: nam equites videntur juſſi ſequi beſtiæ motum. Poſſumus etiam dicere, nunc equites præceſſiſſe, nunc ſubſecutos: illud in primâ parte verſus indicari, hoc in alterâ: ita videtur intellexiſſe Liranus. Commodiſſimè dicemus, equites peditibus ad latera elephanti diſpoſitis affuſos, dato ad procedendum ſigno, partim præceſſiſſe, partim ſubſecutos ad tuendam undique belluam.

Quomodò turres ligneæ ſint protegentes?

℣. 37. SED ET TURRES LIGNEÆ SUPER EOS FIRMÆ, PROTEGENTES SUPER SINGULAS BESTIAS. Dubium eſt iſtud *ſuper eos*, ad quid referatur, an ad elephantos, an ad pedites & equites, de quibus præceſſit. Hoc magis placet: ut turres iſtæ elephantis impoſitæ, dicantur fuiſſe *ſuper eos* equites ac pedites, id eſt altè eminuiſſe, ut eis eſſent præſidio, & hoſtem arcerent: ideóque dicuntur *protegentes*, quòd phalangem & turmam adjunctam protegerent, ac defenderent. Mutuo ergo ſibi erant auxilio, bellua cum propugnatoribus ſuis, & circumfuſæ copiæ; hæ ne ad illos accederet hoſtis, illi ne ad has. *Et ſuper eas* turres *machinæ*, baliſtæ ſcilicet telis ejaculandis, & varia miſſilium genera ad propugnatorum uſum. Græcè aliter effertur, *accinctæ* turres *ſuper illam* belluam *machinis*: quibus verbis indicatur adſtrictam validis retinaculis ad dorſum elephanti turrim, ne quà vacillaret, & ut ſupernè firmi ac ſecuri, velut ex ſolo ipſo, propugnatores jaculari poſſent. Utrumque verum: & miſſilia ac machinæ ad pugnam in turribus eſſe debuêre, & turres machinis fortiter revinctæ.

Difficultas de onere elephantorum.

ET SUPER SINGULAS VIRI VIRTUTIS, Græcè ſimpliciter ἄνδρες, non addito virtutis, ſed intelligitur ſatis electos fuiſſe: iique erant *triginta duo*, *qui pugnabant deſuper*, & præterea *Indus magiſter beſtiæ* Græcè ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ, ſupple θηρίου, *Indus ejus*, ſcilicet belluæ rector. En igitur turrim ingentem triginta duorum militum capacem, ideóque tabulatis ſubſtructam, ac firmis trabibus compactam, dorſo unius belluæ impoſitam. Accedunt ad hoc pondus arma, miſſilia, machinæ, pugnaturis neceſſaria: denique auctarii loco trigeſimus tertius vir beſtiæ magiſter. Quis autem credat elephantum, quamvis ingentem ac validum, tanto oneri ſufficere?

Effugium unum.

Ad vitandam hanc difficultatem conjiciat aliquis, inverti ſententiam debere ac legi, *ſuper ſingulas triginta duas viri, qui pugnabant*: ut ſignificetur aliquos indefinito numero bellatores ex ſingulis earum triginta duarum belluarum pugnâſſe. Et ſanè hoc modò videtur legiſſe Joſephus, perpetuus hujus libri compilator, cùm dicit, *Belluis impoſita fuiſſe celſa propugnacula inſtructa ſagittariis*, nullo iſtorum numero definito.

Juvatur locutione figurata.

Quid ſi addamus; aliquod hoc loco ſubeſſe figuratæ locutionis genus, hypallagæ non abſimile? Cujuſmodi frequenter apud profanos auctores, non infrequenter in Scriptura occurrit. Quale eſt iſtud 4. Reg. 9. in Hebraïco textu: *Poſuit in ſtibium oculos ſuos*, pro, *ſtibium poſuit in oculis ſuis*. Et iſtud pſalm. 21. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*: id eſt, commodiſſimo ſenſu, *reliquias tuas præparabis vultui eorum*. Simili locutione dicantur hîc, *Triginta duo pugnatores elephantis impoſiti*: pro, *triginta duobus elephantis pugnatores impoſiti*. Neque obſtabit huic locutioni, quòd occiſo elephantorum maximo in nocturna Judæ irruptione, lib. 2. cap. 13. v. 15. unus ſolùm & triginta ſupereſſent. Dicuntur enim nihilominùs triginta duo ex numero anteriore: quomodò *Apoſtoli*, Joan. 20. dicuntur *duodecim*, Iſcariote licèt mortuo.

Altera ſolutio difficultatis ab elephantorum Indicorum robore.

Si nimis longè arceſſita tibi videtur iſta explicatio, neceſſe non eſt, ut utaris: ſed dic, in iſto quantovis belluæ unius onere nihil eſſe non credibile, imò non uſitatum. Ait quidem Philoſtratus, de elephantis communiter agens, turri-

geros eos eſſe, & quindenos ex eis milites pugnare poſſe. Si id etiam de Africanis verum eſt, quid de Indicis, quos, vel Plinio teſte, l. 8. c. 11. & Livio lib. 37. conſtat longè Africanis majores & robuſtiores eſſe? Et ex hodiernis hiſtoriis compertum eſt: tantâ præ aliis elephantis mole Cambojenſes & Cochincinēſes præſtare: ut horum dentes plerumque ad pedes tredecim emineant, illorum ad tres tantùm. Atqui elephantos Eupatoris Indicos fuiſſe, manifeſtè colligitur ex eo, quod *Indus* eſſet *magiſter beſtiæ*. Cùm igitur vulgares elephanti quindecim armatis, & turri ferendæ pares ſint: nihil mirum, ſi prævalidi, & ſelecti, triginta duos cum turri geſtâſſe affirmentur. Afferat aliquis ad iſtud firmandum, quod Plinius lib. 8. c. 7. narrat, Romæ in ſpectaculo à Cæſare, *datos elephantos viginti turritos cum ſexagenis propugnatoribus*, qui numerus altero tanto fermè noſtrum ſuperat. Sed quia pugnabit forſan quiſpiam, *ſexagenos* à Plinio poſitum pro *ſexaginta*, non ignotâ phraſi Latinâ, ut intelligantur ſexaginta omnino de viginti elephantis pugnâſſe, id eſt terni è ſingulis: ideò auctoritate hac Plinii abſtineo. Et verò ſupervacanea nobis eſt, cùm etiam experientiâ hodiernâ certum ſit, tanti roboris eſſe pleroſque elephantes, ut aure unicâ inſidentem validum hominem ſuſtineant, dentibus graviſſima onera portent, quaſi nihil appendant, proboſcide ſarcinas jactent inſtar pilarum. Cui ergo creditu ſit difficile, Indicos, eorum maximos & robuſtiſſimos, dorſo turres ligneas tuliſſe armatis triginta duobus gravidas, ſed ſic firmatas & erectas, ut ipſo ſitu pondus levaretur? Longè enim minùs urgent onera, quæ rectâ lineâ fulcimento incumbunt, quàm quæ dependent ad latera. Gaſſendus l. 4. de Vitâ Pereſquii Aquenſis Senatoris ait, ab eo appenſum elephantum duodecennem, id eſt parvæ inter ſuos ætatis, fuiſſéque pondo librarum Romanarum quatuor millium & quingentarum. Quanti putas roboris bellua fuit pro corporis mole? Equos dorſuarios quotidie videmus ingentibus oneribus graves, majoribus etiam mulos, quos ad librarum octo millia & eo plus ſufficere aiunt. Clitellarios ipſos aſellos plus longè geſtare quàm pendunt, non miramur. Et miremur pro corporis portione geſtantes pondera belluas illas, quas ſacra lingua ſignificanter *Behemoth* vocat; quòd, non magnitudine ſolùm, ſed & viribus, plures in ſe belluas collegerint? Sed nos nimis multa forſan de re, quam ab aliis tranſcurſam video, quaſi nihil in ea ſit difficultatis.

Ordinatur acies Eupatoris.

℣. 28. Et residuum equitatum hinc et inde statuit in duas partes. De viginti equitum millibus tribue ſingulis elephantis quingentos, reliqui erunt equites quatuor millia & quingenti. Sed faciamus, in nocturna iſta cæde maximi elephantorum lib. 2. c. 13. quæ hoc prælium præceſſit, cæſos etiam equites ad ejus cuſtodiam deſtinatos: ſupererunt omninò quatuor millia, quorum bina hinc & inde in alis exercitûs poſita, *tubis exercitum commovere, & perurgere conſtipatos in legionibus*; ad excitandos clangore tubarum pedites, & urgendos ad iter & pugnam. Planus eſt iſte ſenſus textûs noſtri; nec dubium quin acies Eupatoris hoc modo diſpoſita fuerit, & diſponi debuerit, affuſo ad latera peditum equitatu. Obſerva tamen quædam hîc abeſſe in Græco. Primùm deeſt vox *equitatum*, habetur enim tantum ἐπίλοιπον *reſiduam*; ſupplendum itaque ἵππον, *equeſtrem manum*, quæ vox etiam eſt in Græcis Sixtinis. Deinde, de tubis mentio nulla, & pro iſto, *tubis exercitum commovere*, habetur tantùm participium *commoventes* καλαυλοῦντες; ſubintelligenda itaque vox, ἱππεῖς *equites*, vel πεζοὶ *pedites*. Denique vox *legionibus* non habetur, ſed φάραγξι id eſt *vallibus*, ut indicetur pedites conſtipatos fuiſſe inter anguſtias montium: Noſter interpres legit non φάραγξι ſed φάλαγξι, literâ unâ mutatâ, pro *pharangibus* ſeu vallibus, *phalanges* ſeu legiones.

℣. 39. Et ut refulsit Sol in clypeos aureos et æreos. Sixtina Græca eodem modo legunt quo Vulgata: in Regiis ſunt tantummodò *aurea ſcuta*, non autem *ærea*. Sed non dubium, *ſcuta ærea* plurima fuiſſe, quomodò & *galeas æreas*, ſuprà verſu 35. In aureis ſcutis, ſive ex ſolido auro fuerint, ſeu potiùs partim laminis aureis tecta, partim inaurata, adverte inſanam Græculorum Syrorum magnificentiam, prædam magis, quàm arma, ad pugnam ferentium. *Reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis*: Ante lucem ſignum ſuis dedit Eupator, ſuprà verſ. 33. Dum componitur acies, Sole orto, & radiis in aurea & ærea arma incidentibus, ac reverberatis, vibrat undique lætiſſimus fulgor in montibus, præſertim quos prima lux afflavit.

Fulgor clypeorum aureorum à Sole.

S. Bonaventura tom. 3. ſerm. de Sanct. in communi, hinc thema ſumpſit ad dicendum de S. Doctore: *Refulſit Sol in clypeos aureos, & reſplenduerunt montes ab eis*. Doctorem *Soli*; audientem *monti*; audientem ſimul ac docentem *clypeo* comparat. In Sole ſpectat eſſentiam, formam, figuram, motum, influxum. Eum in modum in Doctore eſſe ſanctitatem eximiam, inſtar nobilis eſſentiæ: ſcientiam, à qua inſignis pulcritudo: paupertatem, cui figura rotunda puncto planum tangens apprimè conveniat: obedientiam humilem, cujus celerrimus motus eſt, miraculorum vim, & influxum. Commodè incidit, ut iſta ex Seraphico Doctore exſcriberem, ipſo Angelici Doctoris die: qui *Mons* fuit, cùm diſceret philoſophiæ rudimenta ſub Magno Alberto, *illuminatus* tunc tantùm non *illuminans*. *Clypeus* fuit, cùm ſub Alenſi Theologiam audiret, & jam tunc docere inciperet: illuminabatur enim & illuminabat, quomodò clypei aurei acceptum à Sole lumen evibrabant. *Sol* denique fuit: ſanctitate eximiâ; ſcientiâ ad miraculum; paupertate, quâ vix terram tangebat, niſi in puncto neceſſitatis, quomodò globus niſi puncto planum non tangit; obedientiâ & humilitate, honorum fugiente, ad infima volante; miraculis tam frequentibus, & tam fæcundo gratiarum divinarum per ipſum influxu, quàm frequentes ſunt, qui ex indoctis ipſo lecto doctiſſimi fiunt.

Accommodatur Sanctis Doctorib., nominatim Thomæ Aquin.

Mâlis forſan Angelicum Doctorem conferri cum Angelis. Non jam dicam Angelum fuiſſe caſtitate, oratione, ſcientia; humilitate, quâ oblatum Archiepiſcopatum recuſavit; intentione, quâ non aliam à Chriſto mercedem, quàm ipſum, petiit, quomodò Angeli ſemper vident faciem Patris; caritate, in cujus ſinu exſpiravit, in explicatione Cantici Canticorum defunctus. Iſta inquam non offeram, quæ faſtidioſus aliquis, tamquam protrita, & de facili occurrentia, rejiciat. Sed comparationem latiùs diducam ad Hierarchiam totam Angelorum, in tres apud Dionyſium l. de cæl. hierarch. gradus diviſorum: in quorum ſummo Angeli ſummi, qui illuminant: in ſecundo, qui illuminantur à ſuperioribus, & illuminant inferiores: in tertio, qui illuminantur ſolùm. In

Alia S. Thomæ Aquin. laus ab hierarchia Angelica.

Digitized by Google

tertio gradu erat Angelicus puer, cùm virtutis & ſcientiæ rudimenta hauriebat. In ſecundo ſtetit, cùm Pariſiis inter diſcipulum ac magiſtum medius, accipiebat lucem, & reddebat: imò quâ fuit humilitate, in eo ordine, dum viveret, ſe continuit, ab aliis virtutem ac ſcientiam ſemper profeſſus ſe diſcere, etiam cùm maximè doceret. Inde perpetua lectio collationum Caſſiani, ad exempla & documenta virtutum: inde accuratiſſima volutatio Patrum, quos paſſim ſequitur ac citat. Ad tertium gradum vocatus, cùm explanatione Cantici Canticorum Seraphicos amores Angelicus homo tractaret. Jam itaque ab eo proximè lumen mutuum capiens, qui lucem habitat inaceeſſibilem, Eccleſiam quaquaverſum omnem illuſtrat virtutum ſuarum memoriâ, & clariſſimis lucidi ingeni monumentis: ut jam ſanctus Thomas doctrinæ & ſanctitatis nomen ſit.

A ſingulis Angelorum ordinibus.

Quàm latus hic campus, quàm copioſa meſſis: cùm in unum Angelici Doctoris manipulum omnes Angelicorum ordinum differentias collegeris, & de tuo ornamenta adjeceris? Oſtendere enim poſſis officio Angelum fuiſſe, cùm alios docendo & concionando inſtrueret: Archangelum, cùm provinciæ præeſſet: Poteſtatum ac Principatuum inſtar, cùm à Regibus honoraretur: Dominationibus ac Virtutibus adſcribi meritum, cùm Dominationes & Archiepiſcopatus reſpuit: Thronum pace animi, Cherubinum ſcientia, caritate Seraphinum fuiſſe.

Confertur cum Templo.

Olim memini audiſſe me Duaci exquiſitiſſimam D. Thomæ laudationem in Patrum Dominicanorum templo, cujus fragmenta perire non patiar: præſertim cùm ab eximio Societatis noſtræ Theologo prodierit, profeſſore tunc meo, R. P. Franciſco le Roy, cui valdè obſtrictus ſum. Conferebat D. Thomam cum Salomone. Neque id novum eſſe: quando Innocentius Pontifex, de illo dicturus, pro themate ſumpſiſſet, *Ecce pluſquam Salomon hic.* A Salomone Templum poſitum ſapientiæ divinæ, quomodò Sophiæ à Juſtiniano: probaſique, ex eo quòd Sapientia dicatur domum ædificâſſe; & ex Cherubinis Templi qui cùm Angeli ſint Sapientiæ, colligitur Sapientiæ id templum fuiſſe: quomodò ſi arma Jovis paſſim in delubro aliquo ſpectâſſes, inde conjeciſſes Jovis eſſe delubrum. Sanctum Thomam templum Sapientiæ ſtruxiſſe: ejus fundamenta in candido caſtitatis marmore jacta, quemadmodùm monti Moria, marmoris albi fœcundo, Salomon inædificavit: in edito monte ædificâſſe, id eſt in oratione, cùm plùs ſcientiæ ſeſe orationi quàm ſtudiis debere, ipſemet fateatur. In ejus ſumma Theologica, Primam Secundæ, inſtar eſſe atrii Gentium, cùm ibi materia tractetur etiam philoſophiæ ipſi communis, profaniſque aliis ſcientiis: Secundam Secundæ eſſe atrium Iſraelitarum, ubi de Virtutibus Chriſtianis præſertim agatur: Tertiam partem eſſe Atrium Sacerdotum, ubi de Chriſto ac Sacramentis: Primam partem inſtar habere Sancti Sanctorum, & quaſi divinæ caliginis.

Commendatur lectio D. Thomæ.

Iſta tibi, Lector, ad ſanctiſſimi ac doctiſſimi Aquinatis honorem, ipſo ejus anniverſario die propono: tum, ut ad eorum exemplum aliquid comminiſci poſſis in ſimili argumento: tum, ut ego partem aliquam debitorum Angelico Doctori exſolvam. Plurimùm enim ipſi debere me fateor, non ſolùm communiter, quia totius Societatis noſtræ magiſter eſt, ſed etiam privatim, quia meus. Didici enim multa ex ordinata & lucida ipſius ſummâ, & quotidie diſco; eâ & olim uſus ſum in Theologicis ſtudiis, & poſtmodùm in munere concionatorio, magno meo emolumento, nec ſine Auditorum, ni fallor, voluptate & fructu: quod & tu, ſi utaris, experiêre.

Iter exercitûs Regii.

℣. 40. 41. ET DISTINCTA EST PARS EXERCITÛS REGIS PER MONTES EXCELSOS, ET ALIA PER LOCA HUMILIA. Joſephus putat elephantes, cum adjunctis ſibi ſtipatoribus, ſingulos per valles inceſſiſſe, reliquum verò exercitum per montes. *Et ibant cautè, & ordinatè*: etſi explicari acies per anguſtias locorum non poſſet, ordo tamen ſervabatur, quà poterat. Græcè pro *cautè* habetur ἀσφαλῶς, quod verti etiam poſſit *ſecurè* vel *tutò*: tuti erant quia ordinati, nam nihil ordine ſecurius. *Et commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis*: Græcè, *concutiebantur* ſtupore, metu, horrore, *omnes audientes vocem multitudinis eorum*, confuſos ſcilicet barritus elephantorum, hinnitus equorum, clamores hominum, juncto ſtrepitu ex *inceſſu turbæ, & colliſione armorum: erat enim exercitus magnus valdè, & fortis.*

Stabilitur ſeries hiſtoriæ.

℣. 42. ET APPROPIAVIT JUDAS, ET EXERCITUS EIUS IN PRÆLIUM. Prudens dux ſuos inter anguſtias montium continebat, ne multitudine, hoſtilis præſertim equitatûs, obruerentur. Ubi primam aciem hoſtium adeſſe vidit, promotis copiis, pugnam inchoat, quæ potiùs velitationis inſtar fuit, quàm juſti prælii. *Cecidere* iſtâ Judæ impreſſione è Regiis *ſexcenti*, in quibus non numerandi, quos generoſus Eleazarus demeſſuit, infrà v. 45. Serarius huic ſexcentorum cædi, ſubjicit illam quatuor millium, de qua lib. 2. cap. 13. v. 15. forſan eo argumento adductus, quòd ibi maximi elephantorum occiſi fiat mentio. Sed planè diſtinguenda hæc clades ab iſta, & tempore, & loco. Cædes enim quatuor millium facta eſt, antequam Judææ fines attingeret Eupator: id enim Judæ & ſeniorum fuit conſilium, ut disertè lib. 2. cap. 13. v. 13. At cædes ſexcentorum facta eſt poſt cæptam obſidionem Bethſuræ, intra ipſos fines Judææ ſtrictè dictæ, ſeu ſumptæ pro tribu Joda & Benjamin: vide ſuprà v. 31. Adde libro 2. cap. 13. v. 23. ſatis indicari, bis cum Eupatore Machabæum conflixiſſe, cùm deditioni Bethſuræ ſubjungit hæc verba: *Commiſit cum Iuda* Eupator, *ſuperatus eſt*, ſeu, ut Græca habent, *commiſit cum iis qui circa Iudam, minor fuit*, id eſt, cum copiis Judæ congreſſus cladem aliquam accepit. Quibus verbis apertè clades aliqua, diſtincta à cæde quatuor millium, innuitur; non alia autem eſſe potuit in prælio accepta, quàm hæc, in qua ſexcentos è ſuis deſideravit. Nec movere nos debet, quòd iſte congreſſus ab auctore libri ſecundi ſubjiciatur narrationi de Bethſura dedita; cùm tamen ſexcenti cæſi fuerint, eâ nondum captâ, ſed obſidione intermiſſâ. Nam auctor ille cæptam ſemel de Bethſura narrationem abſolvere voluit, nec paucis iſtis verbis interrumpendam putavit. Vide-ſis iterum ſeriem hiſtoriæ, ad clariorem iſtorum intelligentiam.

Eleazari facinus in occidẽdo elephante.

℣. 43. 44. 45. 46. Narratur egregium Eleazari facinus, in occidendo maximo elephantorum de triginta & uno reliquis, poſt occiſum alium in irruptione nocturna. Iterum enim moneo, benè obſervandam eſſe diſtinctionem nocturnæ irruptionis, à velitatione matutina. In verbis textus, hiſce quatuor verſibus, plana ſunt omnia: tantùm noto ultimam partem verſus 45. *& cadebant ab eo huc atque illuc*, etſi veriſſima ſit, ut patet ex inem-

ex membro præcedenti, tamen in Græco legi paullò aliter, *& ſcindebantur ab eo inde & inde.* Significatur Eleazarum dextrà & ſiniſtrà occiſis multis, aliis audaciâ tantâ territis, & agmine ſciſſo viam aperientibus, ad elephantem penetrâſſe. Unde ſuſpicabar in textu noſtro æquè commodè legi poſſe, *cedebant*, ſeu, recedebant *ab eo huc atque illuc*, locum illi ac tranſitum dabant.

Eleazar iſte fuit frater Judæ.

Quæres primò, quis iſte Eleazar? Reſpondeo, dubium non eſſe, quin frater ſit Machabæi, idem qui cap. 2. v. 5. quartus numeratur inter Mathathiæ filios, & cognominatur in textu noſtro *Abaron*, in Græco αὐαρὰν. Ratio eſt, quòd textus omnes Græci hoc loco idem omninò cognomen ipſi tribuunt, aut ſaltem ita affine, ut idem videri poſſit. Græca Regia habent ἐλεάζαρ͵ος αὐαρὰν, Baſil. ἀβαρὰν, Vatic. & Sixt. σαυαρὰν. Cùm igitur cognomen, & nomen, in Eleazarum Mathathiæ filium conveniant, ambigi non debet, quin de eo hic mentio fiat. Adde huic rationi, quòd nuſquam ampliùs deinceps Eleazarum Machabæi fratrem Scriptura commemoret: nec putanda ſit mortem ejus ſiluiſſe, cùm nec Joannis fratris cædẽ tacuerit. Denique, accedit Joſephi auctoritas, qui iſtud elephanti cæſi facinus fratri Machabæi indubitanter tribuit. Adjunge auctarii loco Gorionidem, ampliùs dicentem, id ab eo ſuſceptum Judæ fratris hortatu. Quod autem aliqui afferunt, ab Ambroſio 1. Off. c. 40. dici *militem* Judæ, nihil obſtat; erat enim verè miles & frater Judæ, quando ſub eo duce militabat.

Quid eſt cognomen Saura?

Quid autem ad textum noſtrum, ubi *Eleazar filius Saura* dicitur? Si enim *filius Saura*, an erat *filius Mathathiæ?* Reſpondet Rabanus, *Mathathiam* fuiſſe forſan etiam vocatum *Sauram.* Liranus ait, vel *Sauram* fuiſſe nomen matris, vel Mathathiam fuiſſe binomium. Sed gratis iſta dicuntur, maximè de matris nomine, in quo tamen Liranus ait, ſe Joſephum ſequi; ſed ubi viderit, neſcio. Reſponderi meliùs poteſt, *Saura* nomen eſſe novum, Eleazaro ab hoc ipſo facinore inditum, forſan à radice שבר *Seber* ſeu *Sever*, *Contritio*, eò quòd contriverit vires Syrorum: dicique *filium Saura* phraſi Hebraicâ, id eſt, *hominem contritionis*, aut *conterentem*, quomodò *filii iniquitatis* & *filii impii*, & *filii Belial* paſſim vocantur *homines impii*, voce *filii* poſita pro voce *homines.* Serario, & poſt eum Saliano, magis placet, in textu noſtro vocem Saura irrepſiſſe, pro voce *Avaran* vel *Abaron*, quod Eleazari cognomen eſt: faventque eorum conjecturæ textus Græci ſuprà, & Joſephus, qui *Eleazarum* hîc, & alibi conſtanter, *Auran* vocat. Cognomen autem iſtud ducit Serarius à radice *Avar*, unde אביר Avir, id eſt, *fortis, robuſtus:* dictumque putat *Avaran*, vel potiùs *Avaram*, id eſt, *fortis eorum.* Accedit ea etymologia magis ad verum, quàm allata à nobis ad cap. 2. v. 5. fulciendæ Rabani interpretationi. Placet etiam magis, quàm alia ejuſdem Serarii ad eumdem locum, putantis ab Abronitide, ſeu Auranitide regione Abaron, & Avaran cognomina trahi potuiſſe: nam quid ea regio ad Eleazarum pertinet?

An laudabile facinus Eleazari?

Quæres ſecundò, an hoc Eleazari facinus laudandum ſit? Ratio dubitandi eſt, quòd vitæ prodigus fuiſſe videatur, ex famæ cupiditate. Dicitur enim in textu, *dediſſe ſe, ut liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum.* Atqui parum ordinatus eſt, adeóque nec laudabilis gloriæ appetitus, cui vita poſtponitur, id eſt, majus bonum minori. Hinc forſan Greg. 19. Moral. c. 13. homines de vitiis ſuperatis inſoleſcentes illi comparat: *Eleazar*, inquit, *in prælio elephantem feriens ſtravit: ſed ſub ipſo, quem extinxit, occubuit. Quos ergo iſte ſignificat, quem ſua victoria oppreſſit, niſi eos, qui vitia ſuperant, ſed ſub ipſis, quæ ſubjiciunt, ſuperbiendo ſuccumbunt? Quaſi enim ſub hoſte, quem proſternit, moritur, qui de culpa, quam ſuperat, elevatur.* Gregorium imitatus Rabanus hoc loco: *Quid*, inquit, *per Eleazarum, qui elephantem interficiens occubuit, niſi perſona arrogantium deſignatur, qui dum volunt fortiter aliquid gerere, & tamen non ſimplici animo, ſed elato, in ſuis conatibus devicti proſternuntur. Poteſt & non inconvenienter hæc res ad hypocritarum ſignificationem transferri* &c. Sed ad haſce ſententias Gregorii & Rabani facilis eſt reſponſio, ſi advertas: non damnari ab eis Eleazari factum, verùm aſſumi ut ſimilitudinem, ad Chriſtianum militem informandum. Nec novum eſt è Scriptura virum bonum rei malæ figuram facere; quomodò nec contrà virum malum rei bonæ, ut ſuprà monuimus ad cap. 1. v. 10. Quid Chriſto paſſo innocentius? Figura tamen eſt aptiſſima peccatoris, ut ſect. 3. Exc. ad cap. 9. oſtendemus. Ita ſit Eleazarus noſter ſuperborum figura, per me licet: quamquam & mox aptiorem paullò cum illo comparationem inſtituemus.

Verba ex textu allata, nihil Eleazari virtuti detrahunt. Eſto enim gloriam quæſierit, at pro fine primario habuit ſalutem populi ſui, gloriam pro auctario: ut ex ipſo textus ordine colligitur, ubi dicitur, primùm *dediſſe ſe, ut liberaret populum ſuum*, tum ſubjungitur, *& acquireret ſibi nomen æternum.* Deinde *nomen æternum* ſumi poteſt pro gloriâ, quæ apud Deum ex virtutibus quæritur: ea enim verè æterna eſt. Denique nomen & gloriam moderatè quærere, non magis vetitum eſt, quàm cibum & veſtes, aut commoda alia: eſtque res indifferens ex natura ſua, nec primario fini quidquam detrahit. Vide notata ad cap. 2. v. 51. & infrà ad cap. 9. verſ. 10. & Exc. 1. ad cap. ult. ſect. 2.

Gloria quatenus quæri poſſit.

Laudandus igitur omninò, & æterna memoriâ digniſſimus Eleazarus: qui ex Regiis inſignibus, elephanto ratus invehi Regem puerum, ejuſque morte ſperans ſe populo Dei ſtabilem pacem, ac libertatem, pariturum, ſimulque veram ſe apud Deum laudem inventurum, & gratam ſui apud poſteros fore memoriam; contempto vitæ periculo, per medios hoſtium cuneos, tantâ hominis unius audaciâ attonitos, apertâ cædibus viâ, ardens ac victor perrupit ad belluam: &, ſi verum Joſephus narrat, quem putabat Eupatorem percutere conatus, ubi ob nimiam belluæ altitudinem non ſucceſſit, inter ejus crura ſub ventrem ſubiens, defoſſo in inteſtina gladio, mole cadentis obrutus tumulum ſibi de victoria ſua fecit, aut de trophæo titulum ſepulcri: proſequentibus illuſtriſſimam mortem, inſtar funebris laudationis, & ſuorum & hoſtium acclamationibus. Acceſſit ad laudatores dignus tali Heroë encomiaſtes Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 40. *Quanta igitur*, inquit, *iſta virtus animi? Primò, ut mortem non timeret: deinde, ut circumfuſus legionibus inimicorum in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contemptâ morte ferocior, abjecto clypeo, utraque manu vulnerata molem beſtiæ ſubiret, ac ſuſtineret: pòſt, infra ipſam ſuccederet, quo pleniori ferret ictu; cujus ruinâ incluſus magis, quàm oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis Regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis ſpectaculo defixi hoſtes, inermem, occupatum, incurſare non auſi,*

Eleazari laus.

poſt

poſt caſum ruentis beſtiæ, ſic trepidaverunt, ut impares ſe omnes unius virtuti arbitrarentur. Alludere videtur hiſce poſtremis verbis Ambroſius ad iſta lib. 2. cap. 13. v. 18. ex ſimili occaſione: *Accepto Rex guſtu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tentabat.* Obſerva item ab Ambroſio deſcribi bis ictam belluam: primùm forſan, cùm irrito conatu petiit Eleazarus, quem arbitrabatur Eupatorem, ut refert Joſephus; quod ſi fecit, ſubſilire debuit: deinde, cùm ſub alvum beſtiæ ſe ſubmiſit, ut ferrum lethale in ejus viſcera adigeret, quod ſolum vulnus Scriptura narrat.

Stratagemata aſſinia.

De petitis Regibus aut ducibus exercituum, ut unius morte bellum conficeretur, paſſim hiſtoriæ. Conſilium id fuit Syrorum contra Achab pugnantium 3. Reg. 22. idque Achabo ſubolverat v. 30. 31. Peti etiam ſolere equos, aut jumenta alia, ut ſeſſores excutiant, omnis notum eſt: ſic apud Xenophontem lib. 7. equi, cui Cyrus inſidebat, alvum ferit hoſtium aliquis, ut vulneris impatiens ſeſſorem effundat. De elephanto monomachiâ ſuperato per Romanum militem captivum Hannibalis, Plinius lib. 8. cap. 8. memorat dignam lectu hiſtoriam.

Chriſtiano imitandus Eleazarus.

Elegans eſt in hoc Eleazaro imago Chriſtianæ fortitudinis, mala ultrò provocantis, & incurrentis in omnia, quæ vulgo formidini ſunt: præparatione animi, qui adverſa quæque longè adhuc poſita cogitando prænoſcit, proculque odoratur bellum, ut de equo apud Jobum dicitur, & viro forti applicat Greg. 31. Mor. cap. 16. Eam animi præparationem ſuprà pinximus in exemplo Judæ, cùm *transfretavit prior* ad Timotheum: nunc in Judæ fratre repræſentemus, adjiciamusque ad illic dicta. Quid formidandum magis mole monſtroſâ elephanti, & viribus iſtis immenſis, quæ dorſo totam fermè aciem geſtant? Quid ſi bellua, ipsâ ſpecie terribilis, ad ſanguinis humani ſitim ſanguinis moris & vino excitetur? Quid ſi ad acuendam iram proboſcide immani ſe flagellet? Adde horribilem barritum: adde loricas, & Regias quidem, quas, ſi eminùs intueare, putes ictibus impenetrabiles: adde ſtipantem latera equitatum, & peditatum. Homulóne uni adversùs iſtam terribilium congeriem animos ſufficiet? Aude Eleazare: aude fortis Avaran, irrumpe, penetra, ſuccede, percute; invenies aliquà ſuperari poſſe, ſi conſtas tibi, ſi pertentas. Aude ſolùm, viciſti. At in ipſo conatu immoriar. Fac moriare. Quid enim glorioſius, quàm in ipſo occumbere victoriæ ſinu, quàm inter lauros & palmas ingentem animam efflare? Sic res habet. Multa nos eminùs conſpecta terrent, invicta putantur: ſi audemus, ſi accedimus, molliores aliquà aditus deprehendimus, ubi manum pati, & percuti poſſunt. Times calumniam: horres paupertatem: expaveſcis ad nomen orbitatis: elephanti ſunt. Omnem iſtum ambitum circumſtantium rerum, velut phaleras & loricas, nil morare: paupertatem ipſam in ſe, orbitatem, calumniam tenta, interroga quid eſt, ventrem palpa; vulnerari poteſt, mori poteſt. Et hoc tu times, immortalis animæ? Id formidas, Chriſtiane miles? Eleazare, *Dei auxilio* fulte, id exhorres?

Timores noſtri inanes cominùs ſpectandi, & tentandi.

Promittit Pſalmiſta eum, *qui habitat in adjutorio Altiſſimi*, non trepidaturum ad *timores nocturnos*. Eleazarus *auxilium Dei* ſonat: Chriſtianus eſt Eleazarus, habitat in adjutorio Altiſſimi. Quidquid inter mortalia, & caduca formidamus, *timores nocturni* ſunt: ſi in clara luce rationis ac fidei aſpicis, ludibria deprehendis, & formidines ſtultorum, aut beſtiarum. *Tonitrua pueros*, inquit Demophilus Pythagoræus in ſimilit. *nimia ſtultos potiſſimum terrent.* Humana mala omnia minantur, non feriunt: ſtrepunt, non fulminant: citra animum nocent, ſi quid nocent: in auribus, in ſenſibus hærent: ad voluntatem, ad arcem rationis non pervadunt, ſi fortis es. Anthologiæ Græcæ lib. 5. Gallus, Idææ matris tympanotriba, cùm per ſilvas erraret, & in ſpeluncam ſucceſſiſſet, in ea deprehenſus à leone, percuſſu tympani ſolius eum fugavit. Sic metus plerumque noſtri ſunt, lymphatici, ſanatici, ad ſonitum, ad aſpectum tremimus; non ad res, ſed ad umbras rerum. Ludovico undecimo Galliæ Rege, cùm Principes fœderati non longè à Pariſiis caſtra poſuiſſent, ad arma toto Regio exercitu conclamatum; quòd excubitor, per matutinæ nebulæ caliginem viſo arundineto, haſtatorum aciem putâſſet. Narrat Duplexius. Patrum noſtrorum memoriâ, Arauſicano Mauritio ad portas Lovanienſes ferro omnia ac flammis vaſtante, exciti ad arma cives, quòd excubitorum unus, primo crepuſculo, ſpectatâ ſalicum recèns detonſarum longâ ſerie, copias hoſtiles eſſe ſibi finxiſſet. Ita Chriſtiani ſæpè tumultuamur, vociferamur, trepidè diſcurrimus, ſaliculâ, arundine exciti: quia res per obſcura crepuſculi, per nebulæ caliginem intuemur. Si diem in conſilium advocemus, ſi propè radiis admotas ſpectemus, iis præſertim quæ à fide Chriſtiana accepimus; quæ tremenda videbantur, ridenda erunt, pudebitque nos cæcæ & inania formidinis.

Chriſtiane, audi hac de re ſapienter monentem Baſilium, Conſt. Mon. c. 3. *Cui nihil improviſum accidere poteſt, ei perpetuam eſſe pacem ac tranquillitatem.* Idem monuit Ambroſius 1. Off. cap. 38. *Fortis eſt viri non diſſimulare, cùm aliquid immineat: ſed prætendere, & explorare de ſpecula quadam mentis, & obviare providè rebus futuris.* Subdit, quemadmodùm periculoſiores ſunt in bello hoſtium improviſi incurſus, ita inexſpectata mala eſſe graviſſima. Conſilium Patrum.

Nec pigeat iſtud ipſum ab optimo Romanorum philoſophorum diſcere, ep. 76. *Magna pars eſt apud imperitos mali, novitas. Hoc ut ſcias, ea quæ putaverunt aſpera, cùm aſſuevére, patiuntur. Ideò ſapiens aſſueſcit futuris malis: & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando.* Lege & ep. 18. *Si vis*, inquit ep. 24. *omnem ſolicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone: & quodcumque illud malum eſt, tecum ipſe metire, & timorem tuum taxa: intelliges profectò non magnum, aut non longum eſſe, quod metuis.* Deinde particulatim ad varia humanorum malorum genera deſcendens, producit viros magnos, qui ea generosè ſuperârint: contemni igitur & à nobis poſſe. Denique ad rem noſtram aptiſſimè, quæ transſcribere, licet pluſcula, non pigebit: *Securus inimici minas audi: & quamvis conſcientia tua tibi fiduciam faciat, tamen quia multa extra cauſſam valent, & quod æquiſſimum eſt ſpera, & ad id quod eſt iniquiſſimum te compara. Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre, quid in quaque re ſit: ſcies nihil eſſe in iſtis terribile, niſi ipſum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque majuſculis pueris evenit: illi quos amant, cum quibus ludunt, ſi perſonatos vident, expaveſcunt. Non hominibus tantùm, ſed & rebus perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. Quid mihi gladios & ignes oſtendis, & turbam carnificum circa te frementium? Tolle iſtam pompam ſub qua lates, & ſtultos territas: mors es, quam* Philoſophi monita.

nuper ſervus meus, quam ancilla contempſit. Quid tu rurſus mihi flagella & equuleos magno apparatu explicas? Quid ſingulis articulis ſingula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata, & mille alia inſtrumenta excarnificandi particulatim hominis? Pone iſta quæ nos obſtupefaciunt: jube conticeſcere gemitus, & exclamationes, & vocum inter lacerationem eliſarum acerbitatem. Nempe dolor eſt, quem podagricus ille contemnit, quem ſtomachicus ille in ipſis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur. Levis eſt, ſi ferre poſſum; brevis eſt, ſi ferre non poſſum. Hæc in animo voluta, quæ ſæpè audiſti, ſæpè dixiſti: ſed an verè audieris, an verè dixeris, effectu proba. Hoc enim turpiſſimum eſt, quod nobis objici ſolet; verba nos philoſophiæ, non opera, tractare. Breviſſimè & fortiſſimè monuit lib. de Ira 2. *Turpiſſimam ajebat Fabius Imperatori excuſationem, Non putavi: ego turpiſſimam homini puto. Omnia puta, exſpecta.*

Turpis Chriſtiano metus.

Si autem tibi, philoſophe, turpiſſimum eſt, humanorum malorum ſtrepitu ex terreri: quàm dedecoroſum erit Chriſtiano, cui vita hæc, & omnes ejus appendiculæ, nihil eſſe debuerant ad æterna aſpiranti? Cui fixum iſtud ſtabiléque eſſe oportuit, *Nullum malum niſi æternum, nullum bonum niſi æternum.* Si tu eò uſque animum extollis, non alio auxilio fretus quàm rationis, neque aliunde robur mutuatus, quàm à te ipſo: quid Chriſtianus non audeat, Deo aſpirante, impellente, animos, vires, victoriam dante? Hoc ipſum eſt, quod adversùs terribilia omnia intrepidos nos præſtare debet, fiducia divini auxilii. *Avarانes* ſimus, *Robuſti* ſimus, fortes ſimus, elephantos iſtos calamitatum, terriculamenta temporaneorum malorum audacter aggrediamur: *Eleazari* enim ſumus, *Deus adeſt*, manum regit, ictum imprimit, dat victoriam, parat coronam. Addamus clauſulam ex Auguſtino ſerm. 6. de verbis Domini, è qua diſcemus, quanti faciendi qui nos terrent: *Quid tulit potens nocens? quid magnum tulit? Quod fur, quod effractor, ut multum ſæviat, quod latro. Si & ad ipſum corpus occidendum permiſſus fuerit, quid tollit niſi quod latro? Honoravi, cùm dixi latro. Nam qualiſcumque latro, homo eſt. Quod febris, quod ſcorpius, quod fungus malus. Iſta tota potentia ſævientium eſt, facere quod fungus.* Ecce manu te ducit Auguſtinus, ut intuęare in os hominem quemlibet, qui nocere poſſit, & ejus omnem potentiam generoſè ſpernas, & proculces, ut vilem fungum. Vide & illum in pſal. 51. eodem ferè modo philoſophantem, & oſtendentem, quantillæ, & quàm ſpernendæ potentiæ ſit, poſſe nocere.

Cur, & quò ſe receperit Judas cum ſuis?

℣. 47. Et videntes virtutem Regis: Græcè, καὶ ἴδον τὴν ἰσχὺν τῆς βασιλείας, *Et viderũt vires regni*, omnes enim fermè vires regni Aſiatici eò convenerant. *Et impetum exercituum ejus, & diverterunt ſe ab eis.* Joſephus l. 7. de bello c. 1. ait, *Eleazaro ab elephante obtrito, cæſis deinde multis Iudæorum, Iudam in Gophniticam toparchiam coactum ſe recipere.* Sed inane hiſtorici parum memoris figmentum ipſemet corrigit, ut recantat lib. 12. Antiq. c. 14. ubi ait, *Iudam, animadverſo hoſtem tantò eſſe numero ſuperiorem, Hieroſolymam ſe ad obſidionem arcis recepiſſe.* Si Hieroſolymam reverſus eſt, qui fieri potuit, ut in Gophniticam toparchiam, longè inde in Ephraitica tribu ſitam, refugerit? Sed neque veroſimile eſt, hac velitatione Judæorum ullos, præter Eleazarum, cecidiſſe: non prætermiſſurâ id Scripturâ, quæ alias clades Judæorum non ſiluit. Receptui itaque canit Judas, copiis omnibus integris, eâ tantùm cauſsâ, quòd in tam numeroſum exercitum, tantis animis, puerulo Rege ſpectatore, in prælium irruentem, nec geminatâ clade quidquam territum, prudenter pugnare ſe poſſe non arbitraretur: eo præſertim loco & tempore, ubi de ſummâ rerum agebatur, in ipſis Judææ viſceribus.

Mala forti prudenter declinare licet.

Diſcamus ex iſto prudenti Iudæ receptu: licèt fortis viri ſit calamitates intueri cominùs, & animo occupare, ad terrores inanes eludendos & elevandos; tamen prudentis etiam eſſe, declinare, ſi poteſt, præſertim cùm vires ſuas expenderit, & comparârit. Calumniam fuge, paupertatem, orbitatem: ſed ordinatè, & compoſito agmine, quomodò Iudas, aut ſapiens ac fortis aliquis dux, cùm è prælio ſe recipit. Si infortunia iſta ultrò incurrant, tum advoca vires, agmen ſiſte, & prælium renova. Seneca ep. 30. de Baſſulo Aufidio agens, ſene ſumma mentis tranquillitate mortem exſpectante, multò illum pluris facit, quàm qui ultrò in mortem incurrunt: *Plus*, inquit, *momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt ſine odio vitæ, & admittunt illam, non attrahunt.* Quod ille de morte, hoc tu dic de calamitatibus omnibus. Pluris mihi eris, ſi calumniam, ſi odium potentis, ſi inimicitias populi fortiter & animo infracto exceperis, ut labentem belluam Eleazarus: quàm ſi ultrò odia irritâris, & verba in te provocâris. Illud longâ animi præparatione, ut monuimus, obtinebis: hoc aliqui interdum audent, non ex fortitudine, ſed ex ſtolida ferocia. Fortem autem te, non ferocem volo.

Series hiſtoriæ exponitur.

℣. 48. Castra autem Regis ascenderunt contra eos in Jerusalem, et applicuerunt castra Regis ad Judæam, et montem Sion. An ergo rectà duxit Hieroſolymam Eupator, & veſtigiis recedentium Judæorum inhæſit? Nonne priùs iteratâ obſidione Bethſuram cepit, ut mox ſubditur verſ. 49. & 50. & disertè dicitur lib. 2. c. 13. v. 33. *iterum Rex habuiſſe ſermonem ad eos, qui erant in Bethſura?* Reſpondendum, eſſe hîc ὕστερον πρότερον, ac deditæ Bethſuræ præponi quod ſubdendum; & infrà verſu 51. apertè ſubjungitur, cùm Eupator collocato Bethſuris præſidio, dicitur caſtra convertiſſe ad locum Sanctificationis. Poſſimus etiam dicere, & mihi veroſimile eſt, partem exercitus Regii Hieroſolymam iviſſe, ſtatim poſt Machabæi velitationem, partem rediiſſe ad obſidionem Bethſuranam. Favet conjecturæ meæ textus Græcus, qui non dicit, *caſtra Regis aſcenderunt in Ieruſalem*; ſed οἱ ἐκ τῆς παρεμβολῆς βασιλέως, id eſt, *qui erant de caſtris Regis*, iverunt Hieroſolymam: quaſi pars tantùm exercitûs Regii inſtiterit veſtigiis Judæ, non autem Rex ipſe cum toto exercitu. Idem forſan ſignificatur iſtis verbis, *applicuerunt caſtra Regis ad Iudæam, & montem Sion*: id eſt pars in Judæa manſit, ad reſumendam obſidionem Bethſuræ, in tribu Juda ſitæ, Hieroſolymis adſitæ; pars tranſiit ad inchoandam obſidionem montis Sion, quò ſe Machabæus recipiebat.

Bethſuræ deditio.

℣. 49. 50. Refertur deditio Bethſuræ, ejuſque cauſſa, alimentorum inopia. Duplex autem inopiæ cauſſa aſſignatur: primùm, quòd concluſi eſſent, adeoque nec poſſet commeatus inferri; neque apertè, ob vires obſidentium; neque occultè per meatus ſubterraneos, à proditore hoſtibus detectos lib. 2. cap. 13. Deinde, *quòd ſabbatha eſſent terræ*, de quibus infrà v. 53. Non diu Bethſura Eupatorem tenuit, poſt Judæ velitationem & receſſum deſperato auxilio. Unde novam habes rationem, cur verſu 48. dicantur caſtra Regis ſecuta recedentem Judam: quia tantillum intervallum obſeſſæ, deditæ, præſidio firmatæ Bethſuræ, penè cenſendum erat pro nullo.

Obſidio Templi.

℣. 51. 52. Et convertit castra Eupator ad locum Sanctificationis, id eſt ad oppugnandum Templum, quò ſe Judas receperat, deſperatâ Hieroſolymæ, cujus nimis vaſtus erat ambitus, defenſione. Oppugnationem verò Templi conſtat tenuiſſe *dies multos*, quidquid contrà Joſephus malè libro primo de bello: ſed ſe ipſe corrigit lib. 12. Antiq. cap. 14. Conſtat item non diuturnam ſolùm, ſed & acerrimam fuiſſe: nam Eupator *ſtatuit illic baliſtas, & machinas* obſidionales omnis generis, nominatim *ignis jacula, & tormenta ad lapides jactandos*, & ad mittenda etiam ingentia *ſpicula*; item *ſcorpios ad mittendas ſagittas* multas uno impetu; *& fundibula* excutiendis & depluendis in obſeſſos lapidibus minoribus. *Fecerunt autem & ipſi* obſeſſi *machinas contra machinas eorum, & pugnaverunt dies multos*: quo pugnæ nomine intelligendas etiam puto frequentes eruptiones, quas à generoſo duce factas oportuit.

Machinarũ bellicarum genera varia.

Trium ergo generum *machinæ*, ſeu *baliſtæ* majores, hîc recenſentur, igniariæ, petrariæ, ſpicularıæ: minores geminæ, ad ſagittas, & ad lapides. Illæ adductis primùm & intortis funibus ac nervis, unde & *tormenta* dictæ ſunt, deinde repentè laxatis, ignitas maſſas, aut petras ingentes, aut tela prælonga & prævalida, vel ſingula, vel plura, ejaculabantur. Hæ ſagittas multas & lapides, uno vel pluribus ordinibus emittebant, *ſcorpiique* quòd inſtar volaticorum ſcorpionum pungerent, & *fundibula* à mittendis velut fundâ lapidibus, vocabantur. Plura apud eos, qui de militia ſcripſêre, reperies. Scripſit particulatim de militiâ obſidionali Lipſius Poliorceticon libros, in quorum lib. 3. Dial. 3. ait, quod Græcè habetur σφενδόνας, *rectiſſimè Hieronymum vertiſſe fundibula: ita enim ævo illo dixerunt, ut ex Iſidoro & Hegeſippo apparet.*

Unde annonæ difficultas Judæis anno Sabbathico?

℣. 53. Escæ autem non erant in civitate, Davidis civitatem intellige, in qua Templum. Græcè ἐν ἀγγείοις *in vaſis*, id eſt exhauſta erant penuaria, *eò quòd ſeptimus annus eſſet*, ſive ſabbathicus, *per quem fructus non colliguntur*, inquit Joſephus lib. 12. Ant. cap. 14. *quòd eum ab agricultura ceſſare lex noſtra jubeat, nec permittat tum vel arare terram, vel ſerere.* Eam legem vide Exodi 23. 12. & Lev. 25. v. 3. &c. *Et qui remanſerant in Iudæa de Gentibus, conſumpſerant reliquias eorum, quæ repoſita fuerant*: id eſt, qui de Galilæa & Galaaditide à Simone ac Juda in Judæam ex Gentium terris fuerant traducti, hoſpites novi, quod reliquum erat alimentorum abſumpſerant. Sic enim intelligendum eſſe textum noſtrum, alioqui obſcurum, patet ex Græco, ubi ſic habetur, οἱ ἀνασωζόμενοι εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, κατέφαγον τὸ ὑπόλειμμα τῆς παραθέσεως: id eſt, ad verbum, *Salvati in Iudæam ex Gentibus, exederunt reſiduum repoſitorum.* Vel ut Nobilius expreſſit in Sixtinis: *Qui evaſerant in Iudæam de gentibus, comederant reliquias eorum quæ repoſita fuerant.* Eam ſententiam in Regiis Bibliis interpres Græcorum, ut & multas alias, non benè expreſſit.

An Judas & Simon benè providiſſet?

Hinc habes quo occurras admirationi, qui factum, ut providus dux Machabæus, & vir conſilii Simon, non meliùs annonæ conſuluerint, tam ad bella neceſſariæ. Repoſuerant enim in apothecis frumenta, aliáque militaria alimenta pro ſuorum numero: ſed hoſpites novi, qui aliunde adducendi fuêre, ne ampliùs Gentilium incurſionibus obnoxii eſſent, ea citiùs opinione conſumpſêre. Adde numeroſiſſimum Eupatoris exercitum devorâſſe fruges omnes, eo anno in Judæa ſponte natas, quibus Judæi veſci potuiſſent: id enim lege vetitum illis non erat; ſed ſolùm prohibebat, ne reponerent.

Dei promiſſio de anno Sabbathico explicatur.

Major exiſtit difficultas ex Lev. 25. v. 20. 21. 23. ubi Deus, lata de anno Sabbathico lege, ne quis inopiæ metus ab ea ſervanda populum ſuum abſterreret, pollicetur fore, ut annus ſextus trium annorum proventu abundet, neque unquam ob ſeptimi quietem alimenta deficiant. Atqui hîc disertè dicuntur *eſca non fuiſſe in civitate, eò quòd ſeptimus annus eſſet.* Quomodò ergo Deus promiſſis ſuis ſtetiſſe dicendus eſt? Reſpondeo, tam promiſſa Dei, quàm minas intelligendas ſemper cum conditione: promiſſa quidem cum hac, ſi te dignum effeceris erga quem ſerventur: minas verò cum iſta, niſi pœnitendo faxis ut veniam mereare. Quæ conditiones ſi ſemper pro adjectis habendæ ſunt, etſi taceantur; quantò magis ſi disertè exprimuntur, ut fit in eo Levitici capite? Nam ante iſtud promiſſum dicit Deus v. 18. & 19. *Facite præcepta mea .... ut gignat vobis humus fructus ſuos* &c. Dicendum igitur, in populo Iſraelitico etiam hoc tempore, ſub tam ſanctis ducibus, fuiſſe peccata, ob quæ promiſſis Deus non ſtaret, illorum conditione à populo ſuo non ſervatâ. Idem dicas de fame quæ fuit, quo anno ab Herode Hieroſolyma capta, apud Joſephum lib. 14. cap. 28. Certè nondum menſuram Iſraëlitarum tot cladibus, Epiphane regnante acceptis, exhauſtam fuiſſe, patet ex iſta nupera Joſephi & Azariæ, ex hac nova, & ex illa maxima, quæ mortem Judæ ſecuta eſt, calamitate. Poſuimus autem ſuprà Excur. Mor. 5. ad caput 1. numquam calamitates publicas ulli reipublicæ, niſi ad criminum pœnam, infligi.

Perſecutio bonos à malis ſecernit.

℣. 54. Et remanserunt in Sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: id eſt intra Templi munitiones manſit cum Juda exigua militum manus. Dubitari poſſit, an emiſſi à Juda ad levandam inopiam imminuto numero, an elapſi tacitâ fugâ? Utrumque fieri potuit, illud à duce prudenter, hoc timidè à milite. Mavult Joſephus clam ſe ſubduxiſſe, Juda deſerto: idemque ſignificatur in textu verbis iſtis, *& diſperſi ſunt unuſquiſque in locum ſuum*: id eſt, alii aliò refugerunt, quò commodum videbatur, *& diſperſi ſunt* abſque duce & imperio illo; ergo Juda non conſcio, qui eos proculdubio abſque capite & mandatis non dimiſiſſet. Obſerva in fugitivis iſtis *amicos ollæ*. Si victoriæ reportantur, ſi prædæ aguntur, ſi alimenta ſuppetunt, Machabæo conſtantes adhærent: ſi ferenda obſidio, ſuperanda inopia, turpiter ſigna deſerunt. Significatur, inquit Raba. *quòd perſecutione Infidelium fervente, plurimi eorum, qui facie tenus in Eccleſia, & non fidei conſtantia perſeverabant, diſperguntur propter timorem pœnarum: juxta illud, quod Dominus prædixit in Evangelio* Luc. 12. *Erit preſſura magna ſuper terram,* &c. Nota item Providentiam divinam hîc ex malo bonum elicuiſſe: ut aufugientibus illis, minor quidem numerus maneret cum Machabæo, ſed ſelectior; ut conſtantes ab inconſtantibus, fortes à timidis, vitæ amatores à contemptoribus mortis ſecernerentur; ut avolante palcâ triticum eſſet purgatius. Inſtar ergo ventilationis & expurgationis fuit obſidio iſta, & penuria commeatus. Eumdem in modum calamitates omnes publicæ, bella præſertim, orbis ac populorum emundationes eſſe demonſtrabimus in Excurſu.

Plures homines damnati quam ſalvi.

Quid ſi & iſtum exiguum, cum Juda in Sanctis manentium, numerum addamus figuris parvi Prædeſtinatorum numeri? Celebris quæſtio eſt,

& à

& à Concionatoribus proponi ſolita, ad ſanctum timorem Auditoribus incutiendum. Et ego aliquando propoſui, adductis in utramque partem rationibus, quas hîc indico. Quæſtio non eſt, de comparatione damnatorum omnium, quorumcumque, cum Prædeſtinatis. Cùm enim in lege naturæ pauciſſimi præ Infidelibus Fideles fuerint, item in lege Moſi, imò & modò, nec Fideles omnes ex fide vixerint ac vivant: indubitatum videtur, plures fore in inferis longè quàm in cœlo. Et eò forſan reſpicit Joannes in Apocalypſi, cùm *libros* apertos dicit pro mortuis ſeu pro improbis, *librum* pro piis. *Vidi mortuos, & libri aperti ſunt... Et alius liber apertus eſt, qui eſt Vita.* Cajetanus ſolus, quem ſciam, ex parabola Virginum, ubi par eſt ſapientum & fatuarum numerus, colligit non rectè, parem omninò fore damnatorum & ſalvatorum numerum.

An è Chriſtianis plures? Figuræ de re.

Quæſtio igitur eſt, an ex Fidelium numero plures multò damnandi ſint, quàm ſalvandi? Severa ſententia argumentis tribus innititur, figuris, ſententiis, hiſtoriis. Figuræ ſunt: Octo ſalvi ſolùm in arca: Loth ſolus cum familia de Sodomis: Caleb & Joſue ſoli in terram promiſſam ingreſſi: in decem tribubus ſolùm ſex millia non curvant genua ànte Baal: Tobias fermè ſolus de tribu Nepthali adorat Dominum: in regni Judaïci per Aſſyrios depopulatione pauci ſervantur, ſicut racemi in vindemia, & dilatat pro reliquis infernus & mors animam ſuam. Ad figuras iſtas, ab aliis indicatas, addo: ſub Antiocho Epiphane pauciſſimos cum Mathathia & Machabæo ſtetiſſe: obſidionis tempore remanſiſſe *in Sanctis* cum Juda *viros paucos.*

Sententiæ.

Ex antiquo Teſtamento ſententiæ conſonæ figuris habentur Pſ. 13. Eccl. 1. Jer. 5. Oſee 4. *Non eſt qui faciat bonum. Stultorum infinitus eſt numerus. Forſan ſunt pauperes & ſtulti ignorantes viam Domini, ibo ad optimates: ecce ipſi magis* &c. *Maledictum* &c. *inundaverunt.* Adduci poſſit Eſdræ 4. cap. 8. v. 1. 2. 3. Sed omiſſo apocrypho, vide Luc. 13. anguſtam portam. Matth. 20. & 22. paucos electos. Hoc Judex ipſe pronuntiat. Ut mirum non ſit Patres concinere. Latinos duos indico: Greg. hom. 19. In Evang. *Ad fidem multi veniunt, ſed ad cæleſtia regna pauci perducuntur.* Aug. 3. con. Creſc. cap. 66. *Boni veriq; Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorum falſorúmque utidem pauci ſunt* &c. *pauca grana in comparatione palearum.* E Græcis totidem: Chryſ. hom. 40. ad pop. Ant. dicit, multùm fore ſi centum de tot millibus urbis populoſiſſimæ ſalventur, addens rationem ex morum depravatione. S. Nilus, ex S. Simeone de millibus decem jam vix unum ſalvari. Hiſtoriam, cujus occaſione hæc dixit, habes apud Baron. an. 976. & digna eſt quæ narretur.

Revelationes.

Sententiis accedunt revelationes. Seligo tres omninò: primam recitat D. Vincentius Fer. ſer. 6. de Sept. Quo tempore mortuus eſt D. Bernardus triginta hominum millia obiiſſe, in iis Lingonenſem Decanum: qui Epiſcopo ſuo apparens dixerit, de tot millibus tres omninò animas in Purgatorium, ſe cum Bernardo in cælum iviſſe. Erant tamen proculdubiò multæ Chriſtianorum. Alteram recitat Cantipr. lib. 2. Apum cap. 19. &c. Cancellarius quidam Pariſienſis mortuus an. 1238. apparuit Epiſcopo ſuo Gulielmo, dixitque ſe damnatum, & expoſitis rationibus petiit, ſupereſſétne adhuc genus humanum: tot enim poſt ſe ad inferos deveniſſe, ut putaret hominem ampliùs nullum in terris reliquum. Tertiam refert Platus lib. 2. de bono ſtatus rel. c. 5. ex D. Antonino. Fœminam Bertulfo concionante mortuam, & ſuſcitatam, dixiſſe, ſecum ſtetiſſe coram tribunali Dei animarum millia ſexaginta: ex illis tres omninò addictas Purgatorio, cæteras inferis.

Rationes contrà.

Terribiliſſima ſunt iſta, & quæ horripilationem capiti ſtatuant. Sed reſpiremus tantiſper, adducamuſque rationes aliorum mitiùs ſentientium, & opinantium; de Catholicis, iiſque adultis, plures ſalvatum iri. Prima eſt, ex parabola Matth. 22. ubi unicus de convivio ejicitur, plures manent. Quod autem ſubjicitur concluſio, de paucis electis; ad literam id non intelligitur de electis ad gloriam, ſed de electis ad fidem, ad quam multi, id eſt omnes, vocati ſunt. Ita & Matth. 20. Secunda, ex Apoc. 12. ubi draco caudâ tantùm trahit tertiam ſtellarum partem. Tertia, eſt *miſericordia Dei quæ ſuperexaltat judicium.* Si autem plures Catholici damnantur, ubi ſuperexaltat, quomodò Beda argumentatur? Quarta, ex efficacia & pretio ſanguinis Chriſti. Si enim pauci Catholicorum ſalvantur, nonne meritò dicat Chriſtus: *Quæ utilitas in ſanguine meo?* Quinta, ex Sacramẽtis mirabilibus, quorum tria muniendo Catholicorum calcaneo, id eſt morti, ſunt inſtituta. Has ob rationes, aliis contrariis perpenſis, Suares cenſet plures Catholicorum in Eccleſia morientium ſalvatum iri. Vide lib. 6. cap. 3. de Deo trino & uno.

Quàm timenda damnatio.

Quid autem vos cenſetis? Quid ego? Propendeo ego quidem in Suaris ſententiam: ſed & hoc dico, etſi certa omninò foret Suaris ſententia; imò etſi certum foret, quod eidem aliqui tribuunt, de decem millibus, in Eccleſia poſt percepta Sacramenta morientibus, vix duos damnatum iri: hoc ipſum tamen horrendum eſt, ſi perpendatur. Sunt Leodii circiter centum millia hominum: faciamus omnes morituros cum Sacramentis, viginti ſaltem damnabuntur. Quî? Fac, inquit Granatenſis, ad convivium multos vocatos, omnibus dici, unus ex vobis morietur: quis non tremit? Timemus corpori: timeamus animæ, veſtem nuptialem induamus, *in Sanctis* cum Juda maneamus.

Deus adeſt rebus deſperatis.

℣. 55. 56. Et audivit Lysias, &c. Deus, ut aiunt, è machina apparet, & mirabili providentiâ, Judam, penuriâ ad extrema redactum, ac deſertum à ſuis, jamque forſan de deditione cogitantem, liberat. Ita res habet, ubi humana omnia deficiunt, adeſt Deus, ne fortè quis dicat, *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Similis hæc hiſtoria illi, de qua 4. Reg. 19. ubi Iſaias Ezechiæ, auditis Rabſacis ſermonibus afflicto, dicit: *Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti, quibus blaſphemaverunt pueri Regis Aſſyriorum. Ecce ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & revertetur in terram ſuam, & dejiciam eum gladio in terra ſua.* Accidêre eadem Eupatori & Lyſiæ. Audit hic Philippum ex Perſide reducem, cum copiis ſibi ab Epiphane commendatis, & ad pueri Eupatoris educationem, ac regni adminiſtrationem aſpirare. Perculſus nuntio ambitioſus homo, ne poteſtate deturbetur, ſuadet, deſertâ obſidione Templi, revoletur in Syriam: ſuperato Philippo, captâ Antiochiâ, paullò pòſt cum alumno ſuo occiditur.

Philippus cur jam invaſerit procurationem regni?

At ubi, inquies, tanto intervallo delituit Philippus? Conjicit Salianos, in ordinandis ſuperioribus regni provinciis, pro vicariâ ſua poteſtate, moram aliquam feciſſe. Nos verò ex lib. 2. c. 9. verſ. ult. in ſerie hiſtoriæ numero 46. diximus,

cum

eum ad Philometorem in Ægyptum deflexiſſe, ſibi à Lyſia metuentem, qui, auditâ Epiphanis morte, pupilli tutelam invaſerat. Manſit igitur interim in Ægypto, dum Eupatore ac Lyſia in Judaico bello occupatis, per eorum abſentiam, in vacui regni procurationem, ex defuncti Regis teſtamento, invaſit. Juvêre conatus ipſius copiæ ab Epiphane relictæ, quas ipſe in Ægyptum refugiens, vel in provinciis ſuperioribus hyemare juſſerat, vel potiùs in finitimis Ægypto Aſiatici regni urbibus tantiſper continuerat, dum occaſio ſe daret rem gerendi. Crediderim etiam viris & pecuniâ adjutum à Philometore: qui cùm ab Epiphane fermè regno exutum ſe fuiſſe meminiſſet, nihil malebat, quàm inteſtinis diſcordiis Aſiaticum regnum diſtrahi, & debilitari; & vicinorum ambitioſorum & cupidorum inter ſe contentionibus, ac turbis, tutiorem ſe fore arbitrabatur.

Græcus textus Regius emendatus.

℣. 57. FESTINAVIT IRE, ET DICERE AD REGEM, &c. In his verbis aliquid latet difficultatis, ſi cum Græco textu conferantur. Sic enim habent Biblia Regia ad verbum: *& feſtinabant, & ſtimulabantur ex arce, abire, & dicere ad Regem.* Quaſi præſidiarii arcis Syrorum ab arctatis Judæis arctati fuerint, & compulſi ad inſtandum, vel per ſe, vel per Lyſiam & alios, apud Regem ac primores, ut pax cum Judæis fieret. Non equidem abnuerim, etiam præſidiarios illos inopiâ conflictatos fuiſſe, & pacem deſideràſſe, imò & illam urſiſſe. Retinenda nihilominus eſt lectio noſtra, neque præſidiariis tribui debent, quæ hoc verſu referuntur, ſed Lyſiæ ipſi, cui ſoli verba iſta convenire poſſunt, *incumbit nobis ordinare de regno.* Neque enim regni ordinatio ad arcis præſidiarios ſpectabat, ſed ad eum, qui pro curatore pupilli ſe gerebat, verebaturque ne alius, ſe abſente, in adminiſtrationem rerum invaderet. Lectio autem Græci textus non eſt quod nos moveat: tum quia verum etiam ſenſum patitur; tum quia Vaticanus codex, Sixtináve editio eodem modo Græcè affert, quo Vulgata noſtra, & eodem modo Latinè reddidit Nobilius.

Cauſſa belli juſta, religio.

℣. 58. 59. Nihil difficile eſt, nec diverſum in textu noſtro ac Græco, niſi in verbo *deſpeximus*, pro quo eſt *διεσκεδάσαμεν diſſipavimus*, ſive, ut Nobilius vertit, *diſperſimus.* Deſpexerant verò Syri *legitima* Judæorum, id eſt, legibus eorum ſancita: nec deſpexerant ſolùm, ſed & diſſipaverant, contaminato Templo, prohibitis feſtis, ſciſſis & exuſtis ſacris libris, oppreſſâ denique, quà potuerant, religione omni. Magna hic in brevi verbo Judæorum laus, quòd *propter legitima irati ſunt, & fecerunt omnia h.c:* teſtes ipſi ſunt hoſtes, bellum, non cupiditate, non ambitione, non vindictâ, non odio, à Judæis ſuſceptum, imò neque ipſo dulciſſimæ libertatis deſiderio, ut fine primario; ſed ob *legitima*, ac religionem defendendam. O quando id de Chriſtianorum bellis verè dici potuerit! Vide nos Excurſu ad caput nonum.

Plurium conſilio re-

℣. 60. ET PLACUIT SERMO IN CONSPECTU REGIS, ET PRINCIPUM. Suprà verſ. 57. narratur Lyſias dixiſſe *ad Regem, & duces exercitus:* nunc quod ipſe propoſuit, & Regi & principibus, qui iidem ſunt exercitûs duces, placitum eſt. Collige hinc, licèt adminiſtratio regni penès Lyſiam eſſet, tamen pupillo Rege non omnia ipſi pro arbitrio licuiſſe, ſed majora negotia ex primorum conſilio decidi debuiſſe: quomodò hodiéque fieri ſolet, ubi Reges pueri ſunt; donec puberes ſint, & rebus per ſe gerendis idonei.

gnum Syriæ adminiſtratum.

Pax Judæis oblata.

ET MISIT AD EOS FACERE PACEM, ET RECEPERUNT EAM. Ultrò ergo Judæi à Rege de pace compellantur, & hoc eſt, quod lib. 2. c. 13. verſ. 23. dicitur *deprecatus, & eis ſubditus.* Amplectuntur hi oblatam inſperato pacem, de conditionibus convenitur.

Eupator quo animo munitiones Templi deſtruxerit.

ET IURAVIT ILLIS REX, ET PRINCIPES: quid juratum ſit, non exprimitur: libro ſecundo dicitur juratum, quidquid Judæi voluerunt. Conſtat nominatim pollicitum Regem intactas fore munitiones Templi. Nam poſtquam Judæi *exierunt de munitione; & intravit Rex montem Sion, & vidit munitionem loci, & rupit citiùs juramentum, & mandavit deſtruere murum in gyro.* Juràrat igitur, à ſe non disjectum iri muros à Machabæo extructos, ad tuendum adversùs arcem Templum; quandoquidem, eis disjectis, dicatur juramentum violàſſe. Factum id ab Eupatore conſilio ſuorum, ut Judæi tantò magis obnoxii eſſent, quantò plus ab arce metuerent: forſan & ut ſecurior pax eſſet, ſi in eadem urbe vicinæ munitiones duæ ab adverſis non tenerentur. Certè non omninò malo animo, nec à Judæis prorſus alieno, id Eupatorem feciſſe, patet ex eo, quòd nihilominùs Templum muneribus, Judam honoribus ac præfecturis donàrit, ad invidiam uſque ac tumultuationem Ptolemæenſium ut lib. 2. c. 13. v. 24. &c. refertur, & nos in ſerie hiſtoriæ numero 80. notavimus.

Antiochiæ Philippus opprimitur.

℣. 63. ET DISCESSIT FESTINANTER, non tantâ tamen feſtinatione, ut Ptolemaidem non iverit, ad tumultum ſedandum. *Et reverſus eſt Antiochiam, & invenit Philippum dominantem civitati,* vicariâ ſcilicet poteſtate aſſumptâ, non verò Regiâ, ut Interpres Joſephi vertit, ejus verbis malè intellectis. *Et pugnavit adversùs eum, & occupavit civitatem.* Aiunt quidam, auxiliares copias Judæorum in expugnatione Antiochiæ Eupatori adfuiſſe: mutuati hoc forſan ex eo, quod cap. 11. infrà narratur: ubi ſubmiſſæ, non abſimili occaſione, à Jonatha ad Demetrium copiæ, ſtragem Antiochenſium magnam edidêre.

Excuſatur Joſephus.

Addit Joſephus, Philippum ab Eupatore captum, & ſupplicio affectum: neque id improbabile eſt, quamvis valdè explodat Salianus, ex debili, imò falſo fundamento. Qui enim, inquit, potuit occidi, ſi in Ægyptum refugerat? Sed nos eam ſeceſſionem Philippi in Ægyptum antè factam putamus: quandoquidem antè narretur ab auctore libri ſecundi, à quo per anticipationem referri gratis Salianus exiſtimat.

EXCUR-

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 6. v. 54. Remanſerunt in Sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames.

Bella velut publicas purgationes eſſe.

SECTIO PRIMA.

Bella univerſum exonerant & exornant.

I. Quomodò bellum pingat Iſaias.

IN Scriptura invenio variis imaginibus depicta bella, ut ſignificetur effectorum inde manantium varietas. Ignem vocat Iſaias cap. 10. *Subtus gloriam ejus ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio. Et erit lumen Iſrael in igne, & Sanctus ejus in flamâ: & ſuccendetur, & devorabitur ſpina ejus, & vepres in die una. Et gloria ſaltûs ejus, & carmeli ejus, ab anima uſque ad carnem conſumetur.* Neque immeritò igni bellum comparatur; cauſsâ, quæ ferè eſt ab animis cupiditate aliquâ pravâ incenſis, vehementiâ, celeritate, damnis. Aliam comparationis rationem indicamus, Excurſ. 2. ad c. 15. ſect. 2. initio. Iſaias item capite eodem Flagellum vocat: *Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petrâ Horeb.* Si flagellum triturantium intelligis: bellum eſt tale, cùm paleas ſeparet à frumento. Si flagellum de funiculis intelligere mavelis, quali Chriſtus uſus in Templo: ejuſmodi etiam bellum eſt, ex variis malorum generibus, quaſi de funiculis connexum.

II. Quomodò prophetæ alii.

Non longè abſimili locutione Frænum appellat Ezechiel, c. 29. Ita enim de imminente Ægyptiis per Chaldæos clade vaticinans ad Pharaonem: *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum. Et ponam frænum in maxillis tuis.* Quomodò ſcilicet crocodili tui à piſcatoribus capiuntur; ita te copiis Babylonicis circumſepiam, & injecto maxillis tuis longo malorum fune, extraham te de loco delitiarum tuarum. Jeremiæ verò, bellum jugi inſtar eſt: *Jugum ferreum poſui ſuper collum cunctarum gentium iſtarum.* Occaſionem ejus dicti, ex falſis Hananiæ pſeudoprophetæ, qui catenas de Jeremiæ collo abſtulerat, vaticiniis, habes toto cap. 28. Sæpiùs Tempeſtatum & Ventorum appellatione bella nobis ſignificantur, quomodò apud Danielem c. 7. ubi de mutationibus monarchiarum agitur: *Venti cæli pugnabant in mari magno*, id eſt bellicæ procellæ orbem totum concutiebant. Ventorum mala ac bona effecta ſunt. In malis naufragia, meſſis frugumque jactura, tectorum ruinæ, aliaque damna numerantur. In bonis veniunt, pluviæ per agros diſtributio, abſque ventis foret in Oceanum relapſuræ: negotiatorum curſus, navigiorumque, ad gentis humanæ commercia, auris adjutus: denique aëris expurgatio, perpetuo motu ac difflatione halituum putridorum, quos calor Solis ſurſum eduxit; ibique computreſcerent, morbiſque innumeris cauſſam præberent, niſi oportunè diſſiparentur. Ita è bellicis calamitatibus ſua etiam humano generi utilitas venit: inde in multos animos beneficiorum divinorum imbres depluunt: fælix cælum inter ac terram negotiatio infælicitate juvatur, ac promovetur: corruptio, quæ abſque eo motu Univerſum obrueret, reſpublicáſque inficeret, expurgatur, uti oſtenſum imus.

III. Calamitates publicæ multitudine orbem exonerant.

Arnobius lib. 1. con. Gentes: *Plato*, inquit, *ille ſublimis apex philoſophorum & columen, ſæva illa diluvia, & conflagrationes mundi, purgationes terrarum ſuis eſſe in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit, humani generis ſubverſionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum mutationes vocare, & juventutem his quamdam redintegratis viribus comparari.* Ipſe deinde in ſententiam Platonis concedit, queruloque de Providentia Numinis mala publica immittentis homini, ſic reſpondet: *Peſtilentias, morbos, atque alias ſuggerit exitiabiles formas malorum. Unde tibi eſt ſcire, an quod exuberat ſic tollat, ut per ſua diſpendia modum rebus luxuriantibus figat?* Prudentis hortulani eſt arborem circumcidere, ut fructum ferat: & è præcipuis vinitorum artibus eſt putatio: nec paſtor doctus oneroſam gregi fœturam ſervabit, ſed eam ſolùm quæ neceſſaria eſt ſoboli ſufficiendæ. Qui ſecùs faxit, ramos omnes palmites & oves ſervando, arborem univerſam vitemque ac gregem perdet.

IV. Tonſuræ ſunt.

Eleganter hac de re Tertullianus lib. de anima: *Ipſe Orbis in promptu eſt, cultior de die, & inſtructior priſtino. Omnia jam pervia, omnia nota, omnia negotioſa. Solitudines, famoſas retrò, fundi amœniſſimi obliterarunt: ſilvas arva domuerunt: feras pecora fugaverunt: arenæ ſeruntur, ſaxa panguntur, paludes eliquantur: tantæ urbes jam, quantæ non caſæ quondam. Iam nec inſulæ horrent, nec ſcopuli terrent: ubique domus, ubique populus, ubique reſpublica, ubique vita. Summum teſtimonium frequentia humana, oneroſi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores, & querela apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet. Revera lues, & fames, & bella, & voragines civitatum, pro remedio deputanda, tamquam tonſura moleſcentis generis humani.* Quod aliqui legêre, *Inſoleſcentis generis humani*, error eſt: legendum, *moleſcentis* quâ voce Tertullianus humanum genus numero creſcens, terriſque nimia multitudine grave ſignificat: adeóque reſecandum, quomodò capillitium capiti oneroſum, aut vellus pecudi grave tonderi ſolet.

Eidem

V. *Bella animantum omnium.*

Eidem fini natura, auctórve naturæ, ſic animantium ingenia diſpoſuit, ut mutuis ſeſe bellis atterant, creſcentémque multitudinem accîdant. Venari homines didicêre, id eſt bellum feris inferre, non animi tantùm cauſaâ; ſed ne abundante ferarum numero paſſim arva ſilveſcerent. Sed neque venatorum induſtria ſufficeret, niſi ipſæ inter ſe belluæ inimicitiis ac certaminibus perpetuis conficerent: elephantis ac rhinocerotibus, capreis ac cervis, lupis & apris, muſtelis ac cuniculis, leotibus & urſis, ſimiis ac vulpibus, aliiſque in eum modum animalibus, prælia ferè aſſidua ſunt. Pugnas in aëre fermè perpetuas ſpectamus, minorum avium in muſcas, carnivorarum volucrum in minores: intra Oceani viſcera, paludumque ac fluviorum ſinus aſſiduè à piſcibus, in cædem mutuam armatis, concurritur. Niſi id foret, adeò denſa piſcium multitudo fluctibus innataret, ut commercia moraretur: & ſpiſſa avium nubes hominum oculis lucem eriperet; muſcarumque examina, faucibus involantia, ſpirandi facultatem adimerent. Mures ipſi ac ſorices, ſi hoſte carerent, non ſatis modò & agris incumberent, ſed in domos paſſim urbéſque totas graſſarentur, emigraréque populos cogerent. Anno certè Chriſti 1237. coactos murium multitudine Bavaros oppido quodam excedere, ſedéſque alibi quærere, perhibet Spondanus. Et leporum cuniculorúmve numero urbem Græciæ neſcio quam periiſſe, priſci memorant.

VI. *Condicta certamina animalium.*

Néve exiſtimes, hæc animantium latrocinia potiùs eſſe, quàm bella: juſtorum ſpeciem certaminum, eorúmque velut legitimè ac per fæciales condictorum, hiſtoriæ nobis exhibent. Seneca natur. quæſt. cap. 2. ex Babillo Ægypti præfecto narrat: eum ſpectâſſe in Nilo concurrentia inter ſe, velut inſtructâ acie, agmina delphinorum & crocodilorum: horum multos, delphinis ſub ventrem ſubeuntibus, eóſque ſpinâ dorſi lacerantibus, occiſos, cæteros fugiſſe. Apud Spondanum anno 1205. Calojoannis Bulgarorum Regis victoria de Latinis præſignificata eſt, atroci corvorum & cornicum in campis Thraciæ certamine, paullò antè facto, vincentibus corvis. Apud eumdem anno 1324. victoria Vicecomitum de Pontificiis copiis prænuntiata dicitur aëreo vulturum prælio, qui in agmina duo inæqualia diviſi, horæ unius ſpatio concurrerunt, ſævieruntque inter ſe roſtris & unguibus, donec minor numerus ſuperavit majorem. Narrante eodem ſcriptore, ad annum decimum ſupra milleſimum & quadringenteſimum, ciconiæ, ardeis, ac picis junctæ, contra gracculos corniculis fæderatos in Hannonia pugnavêre: viſa etiam paſſerum certamina, aviumque aliarum domeſticarum, quaſi claſſicum inter volucres omnes concinuiſſet. Sub idem tempus, aut potiùs ante biennium, ut ex ſchiſmate Perviciacenſi benè conjicit Spondanus, falcones cum corvis in agro Leodienſi pugnavêre, ob violatum à corvo falconis nidum, præmiſſis ante pugnam, qui velut de loco ac tempore convenirent. In Allobrogum finibus, corvi inter ſe in area quadam terreſtre certamen iniêre, tanto ardore, ut magnus utrimque numerus perierit, anno 1434. En tibi animantium in eodem genere bellum; ut malè Horatius ſcripſerit, non pugnare, niſi in diſpar, feras; adeóque inſaniora eſſe hominum certamina, mutuis cædibus ſeſe conficientium. Spectâſſe potuerat frequentes cicurum animalium inter ſe rixas, & pugnas, qualia quotidiana gallorum eſt, ab Augustino deſcripta libro primo de Ordine: quantò autem ferarum inter ſe prælia frequentiora ſunt?

VII. *Ex varietate bellorũ, univerſi decor exſiſt.*

Iſthæc in tranſcurſu dixero, ut bella generibus animantium omnibus communia eſſe intelligantur, adeóque velut inſita ab auctore naturæ; ne ſupercreſcente numero, partes quædam univerſi nimis emineant, aliáſque onerent. Quare non incommodè huic loco Lipſius, de Conſt. libro 2. aptavit vetus verbum: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Saluti univerſi, ex oneroſa multitudine laboraturi, conſulitur bellis, aliiſque purgationibus: nec ſaluti modò, ſed etiam decôri & ornamento. Quomodò enim, ut in panegyrico Plinius, *maris calíque temperiem turbines tempeſtatéſque commendant:* & jucunda juxtà atque utilis eſt humano generi mutatio temporum, ut *cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis; æſtas, & hyems; frigus, & æſtus; nox, & dies non requieſcant,* Gen. 8. plúſque colles & montes planis interjecti, ac valles depreſſæ, atque incultis culta permiſta delectant, quàm perpetua planities & cultus arvorum: nec cæli facies tam amæna videretur ſi tota colluceret, quàm modo placet ſiderum, obſcuris partibus inæquali luce ac magnitudine intermicantium, varietas. Ita paci, quæ velut ſerenitas eſt & lux rerumpublicarum, bellum aliquando intercurrat oportet, ut eò ſit decentior univerſi ſpecies, ex contrariorum comparatione: & pax ipſa deſideretur magis, ac delectet, poſtquam aliquamdiu abſfuerit, ſeſéque oculis ſubduxerit.

VIII. *De rebus ex toto judicandum.*

Auguſtinus lib. de vera religione cap. 22. *Multi,* inquit, *temporalia diligunt: conditricem verò, ac moderatricem temporum, divinam Providentiam non requirunt: atque in ipſa dilectione temporalium nolunt tranſire, quod amant. Et tam ſunt abſurdi, quàm ſi quiſquam in recitatione præclari carminis, unam aliquam ſyllabam ſolam perpetuò vellet audire. Sed tales auditores carminum non inveniuntur: talibus autem rerum æſtimatoribus plena ſunt omnia.* Quia ſonus aliquis in inſtrumenti muſici, aut vocis humanæ cantu, tibi placuit, non ideò ſemper placebit, ſi ſemper iteretur: ut diu placeat, alternari debet. Grata auribus tuis accidit vox pacis: gratior erit, quando rauca tympana & acuti litui interſonuerint. Aliam imaginem jucundæ viciſſitudinis ibidem exhibet Auguſtinus: *Nulli,* inquit, *victo ludi agoniſtici placent: ſed etiam cum ejus dedecore decori ſunt.* In certaminibus gymnicis vinci aliquos neceſſe eſt: quibus etſi infortunium ſuum acerbum accidat, inde tamen eminet honor vincentium, ludorumque exiſtit celebritas & voluptas. Abſonè faciat, inquit idem Auguſtinus lib. primo de Ordine ſub initium, qui de pavimento univerſo ex teſſella unica judicet: omnes videndæ ſunt, ut de earum convenientia pronuntietur. Nam, uti loquitur lib. 2. de Ordine ſub finem, *quod offendit in parte, perſpicuum ſit homini docto, non ob aliud offendere, niſi quia non videtur totum, cui pars illa mirabiliter congruit.*

IX. *Quod nobis diſplicet, placet, quia decet Univerſum.*

Itaque *nihil ſeu commodi, ſeu incommodi, contingit in parte, quod non conveniat & congruat Univerſo:* ita rurſum Auguſt. lib. 1. contra Academicos ſub initium. Atque adeò cùm partes univerſi ad bonum commune referantur: placeréque magis cuique debeat publica utilitas ac dignitas, quàm privata: conſequens erit & bella ſingulis placere debere, quia communi rerum ordini exornando, perficiendoque, congruunt. *Eventa,* inquit Arn. libro primo contra gent. *hæc omnia, quæ fiunt, & accidunt ſub hac mole mundi, non commodulis noſtris,*

ſed ipſis pendenda ſunt utilitatibus naturæ. Quid ergo, quia frigus membris tuis adverſum eſt, & congelare ſanguinis fervorem ſolet, ideò hyems in mundo eſſe non debet? Et quia perferre flagrantiſſimos Soles non potes, ex anno æſtas tollenda eſt? Senecæ idem monitum eſt ep. 74. ut qui tranquillam ſapientemque vitam agere vult, *nihil indignetur ſibi accidere, ſciátque illa ipſa, quibus lædi videtur, ad conſervationem univerſi pertinere, & ex his eſſe, quæ curſum mundi officiumq; conſummant.*

SECTIO SECUNDA.

Bellis reſpublicæ mundantur.

I. *Bellum nativitas rerumpublicarum.* QUOD Græci olim dixêre, πόλεμον πατέρα ἁπάντων εἶναι, *Bellum eſſe omnium patrem*, etſi de elementorum & qualitatum perpetuo conflictu intelligatur, quia ex illo rerum ſingularum ortus, quemadmodùm & interitus exiſtunt: dici tamen etiam aptè de gentium inter ſe diſcordia, & certaminibus, poteſt; cùm illis non raró aliquæ intereant, aliæ ſubnaſcantur, novámque legum, ac morum, & linguæ formam, velut alteram vitam, accipiant. Si univerſam terræ faciem, prout hodie habitatur, intueare, paucas deprehendes nationes, quæ vel in patria ſua externæ non ſint, vel exterois non commiſtæ. Hiſpaniam Gothi & Arabes implevêre: Italiam Troes, Græci, Galli, Gothi, Germani, Longobardi: Galliam, Franci, Gothi, Nortmanni: Britanniam, Picti, Dani, Galli. Perſæ è Tartaris, Tartari ex Indis, Turcæ ex Scythis orti ſunt: Germani inter ſe frequenter ſedes mutuis certaminibus mutavêre, partemque ſoli ſui Slavis ceſsêre. Indias Luſitani, Africam Arabes, Americam Hiſpani, aliique ex Europâ advenæ, partiuntur.

II. *Mutuæ gentium commigrationes à Deo præſignificatæ.* Iſtæ gentium permutationes, & habitationum migrationumque velut commercia, bellis ferè contigerunt. Videturque eò ſpectare Noëmi vaticinium Gen. 9. cùm fauſta filiis duobus appreeatur: *Dilatet Dominus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem.* Vix ènim aliter audax Japeti genus in contributas Semigenis terras tranſiit, quàm per arma: uti in priſcis Græcorum, Gallorum, Germanorum, Romanorum migrationibus, & coloniis ex Europa in Aſiam tradoctis, videre eſt. Deus 4. Reg. 21. v. 13. Judæis excidium intermioans, *Delebo*, inquit, *Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebriùs ſtylum ſuper faciem ejus.* Pro tabulis ſcriptoriis Græca habent *pyxidem*, Chaldaica *lecythum*. Quaſi dicat: quemadmodùm tabulis ſcriptoriis inductis, alia inſcribuntur, & vacuatæ pyxidi alia includuntur, & effusâ de lecytho aquâ liquor novus infunditur; ita ego Hieroſolymæ, ac Judææ, alia ex aliis gentium nomina inſcribam, nunc Chaldæos, nunc Syros, nunc Romanos, nunc Græcos, nunc Perſas, nunc Francos, nunc Turcas; ſimulque leges novas, & mores alios includam, & infundam. Quod de Judæâ dictum, pleriſque gentibus aptari poteſt.

III. *An illis genus humanum perficiatur?* Inde nos in compendio cauſſarum belli conficiebamus, bella non ad ornatum modò Univerſi conferre, ſed etiam ad perfectionem generis humani. Permiſtione enim, aut tranſitu gentium, miteſrere non raró ingenia, ſeu ſoli ac cæli mutatione, ſeu ipſa conditione fortunæ. Ita Gothos, Vandalos, Saxones, Francos barbariem poſuiſſe, poſtquam cultiores patriis ſedes acceperunt: idemque illis factum, quod plantis, quæ inſitione aut tranſplantatione miteſcunt. Populos alios aliis inſeri, quando novi veteribus conjunguntur, & in gentem unam coaleſcunt, & mores, arteſque inter ſe contemperant: tranſplantari, quando pulſis veteribus, novi ſuccedont, aliáſque omninò leges inferunt. Hunc in modum non abs re probari poſſet, bellis gentes ac reſpublicas perfici. Sed quia interdum contrà, commiſtione vel commigratione populorum, pejores priſtinis mores inferuntur: ideò certiorem à bellis rerumpublicarum purgationem indicemus.

IV. *Bella ſcopæ civitatum.* Scopas civitatum priſci bella nominavêre, quòd illis publicæ ſordes everrerentur. Paucos enim exceperis, boni communis ſtudio, aut dignitatis, & laudis cupiditate militantes: cæteri vel inopis vulgi fæces ſunt, victum quavis arte ſectantes, & ſanguine alimenta licitantes: vel purgamenta improborum, quos aut flagitiorum conſcientia & metus pœnæ, aut ſpes ſolutioris licentiæ ad arma compulit. Quare urbes egenorum multitudine exoneratæ, helluonum, decoctorumque, ac rixatorum catervis emundatæ, multò quàm antè quietiores ac fæliciores ſunt. Eamque ob rem non magis dolendum bella interdum, externa præſertim, exſurgere: quàm nimbos aliquando magno impetu effundi, imbremque in cloacas devolvere, quæ niſi ſic expurgentur, tætro odore urbem univerſam inficiant.

V. *Notatum id belli ſacri tempore.* Senſêre id commodi majores noſtri per belli ſacri tempora. Paucos Proceres, in his Godefridum noſtrum Bullionium, pauciores gregarios ardens virtus eò vocaverat: cætera multitudo pars ſpe veniæ, pàrs ut liberiùs peccaret, arma ſumpsêre. Inde mox fœdiſſimi in Syria mores Chriſtianorum, adeóque corrupta diſciplina, ut horrori paſſim eſſet & execramento: cujus rei luculentum teſtem habemus Guilielmum Tyrium, paſſim in hiſtoria ſua de bello ſacro. Neque immeritò de regione, quam vitiis contaminârant, per Mahumetanos vitioſos impioſque depulſi, non toto ſæculo partam ab Godefrido gloriam conſervavêre. Ad argumentum noſtrum eſt; quod dum in Aſia numeroſis Europæorum copiis militabatur, conſtat in Europa longè tranquilliores fuiſſe, quàm antè, provincias, ſanctioreſque civitates.

VI. *Et in aliis.* Nuper quando, poſt feralis cometæ ignes ſpectatos, bella Germanica incæpêre, & ex inferiore noſtrâ Germania militatum multi trans Rhenum abiêre, notatum; vix tot in civitatibus pleriſque latrocinia & homicidia annis iſtis bellicis numerata, quot ante trimeſtri audiebantur. Contrà, ubi bella deſierint, ſapientiores futurum augurantur, ut latronum ſicariorumque examina agros infeſtent, urbes impleant otioſi, maláque ex otio oriri ſolita invehant. Sic pace Gallos inter & Anglos facta, exauctoratorum militum manus ſparſim primùm vagatæ incertis ducibus, tum in unum agmen collectæ, Malandrinorum nomen ſumpsêre, Galliamque univerſam latrociniis ac cædibus complevêre. Prorsùs ut è belli cineribus bellum aliud enatum videretur: fueritque in rapaces ac cruentos convenas juſtus ducendus exercitus; qui non ſine clade ſemel repulſus, amiſſis etiam aliquot Regii ſanguinis proceribus, vix tandem victoriam obtinuit. Narrat Spondanus ad annum milleſimum trecenteſimum ſexageſimum.

VII. *Otium rebus-publicis noxium.* Ut verum non eſſet, bellis everti purgamenta urbium: at certum eſt, opes & otium minui, luxûs fomenta & irritamenta. Genuenſis reipublicæ nomen, abhinc quinta ſæcula celeberrimum, longè à priſtina celebritate cæpit deſciſcere, poſtquam prolato longè imperio, hoſtibusque externis quieſcentibus, divitiæ luxuriáque, & hinc invidia, factionesque, ac ſeditiones irrupêre. Ita ſenſit Petrarcha literis ad eos ſcriptis, apud Spondanum anno 1318. & Folieta hiſt. lib. 8. apud eumdem. De Luſitanis idem pronuntiat Maffæus. Spondanus item, tomo 1. Continuationis variis locis, advertit, de Saracenorum gente: poſtquam victoriis pax parta, ex pace opulentia, ex hac luxus privatos infecit, vires defeciſſe imperiáque corruiſſe. Quare Bondogarem quemdam Principem gentis, Soldanúmve, ut collabaſcens regnum reſtitueret, ab reſtringendo luxu duxiſſe initium, uſu vini pellicumque ſuis interdicto. Cúmque à conſiliatoribus quibuſdam objiceretur, ex earum rerum vectigalibus facilè expeditorum militum millia quinque ali ſolere: reſpondiſſe fertur, ſobriorum & caſtorum exiguam manum ſibi pluris eſſe, ingenti numero enervium ex luxuria & ebrietate.

VIII. *Id in Romanis ſpectabile.* Græcorum, Perſarum, Babyloniorum, interitum prætereo, ut Romanos contempler, quorum famam audit Judas Machabæus lib. 1. cap. 9. Inter quos zelus non erat, nec contentio: quorum ſanctæ leges, compoſiti mores, fortitudo inconcuſſa, militaris ſcientia ſumma, imperium ſtabile, latiſſimi fines. Qui factum ut moles tam benè fundata corruerit? Diſce ab Tertulliano lib. de Pallio: *Plus toga læſere rempublicam, quàm lorica.* Diſce ex Auguſtino epiſt. 5. ad Marcellinum, Satyrici poëtæ ſententiam recitante, ac comprobante:

Servabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebat
Tecta labor, ſomniq; breves, & vellere Thuſco,
Vexatæ duræque manus, & proximus urbi
Hannibal, & ſtantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, ſævior armis
Luxuria incubuit, victúmque ulciſcitur orbem.

Ipſi qui aliquantò prudentiùs attenderunt, plus dolendum viderunt, paupertatem quàm opulentiam periſſe Romanam. In illa enim morum integritas ſervabatur: per hanc autem non muros urbis, ſed mentes ipſius civitatis, dira nequitia omni hoſte pejor irrupit. Hinc apud eumdem Auguſtinum lib. 1. de Civit. Cato ſenior graviter contra Naſicam Scipionem in Senatu diſputâſſe dicitur: Carthaginem non delendam, ne æmulo populo & hoſte ſublato, mores Romanorum, viresque diffluerent. Et apud Valerium lib. 7. c. 2. Metellus ſenior, poſt captam Carthaginem, in Senatu pronuntiavit, dubitare ſe, eane victoria, Romanæ reipublicæ tantum profutura eſſet, quantum irruptio Hannibalis in Italiam profuerat: *In æquo malorum ponendum eſſe, uri tecta, vaſtari agros, exhauriri ærarium; & priſci roboris hebetari nervos.*

IX. *Item in Judæis.* Dei erga Judaicum populum amor & cura notiſſima ſunt: nunc filium, nunc filiam, nunc alumnum, eum appellat: non patris modò, ac matris, & nutritii, ſed etiam gerulæ fungitur officio. Modò in genibus, modò ad mamillas, jam manibus, tum humeris geſtat, etiam in oculis fert, & in corde. Qui ergo factum, ut electa gens obſorduerit, grex tantâ curâ cuſtoditus erraverit, progenies tot Sanctorum parentum perierit? Tantò antè prædixit Moyſes Deut. 32. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum.* Ideò, inquit Ambr. ep. 24. ad Vigilium, *quia rerum ſecundarum inſolentiâ ſæpè extollebantur: dabat eos plerumque in poteſtatem hoſtium, ut more ingenii humani remedium ſibi de cælo quærerent. Tunc enim Deo ſubditi ſumus, cùm adverſariis aliquibus urgemur.*

X. *Bellis exerciti fuêre ad virtutem.* Exodi 23. v. 29. Deus, agens cum populo Judaico de Chananæorum gentibus, ait: *Non ejiciam eos à facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ.* Quod de feris intelligi vulgò ſolet, mihi videbatur de belluinis affectibus ac cupiditatibus etiam dici poſſe: eamque explicationem poſtmodùm reperi in Aug. quæſt. 17. in Judicum librum: *Beſtiales cupiditates, & libidines intelligi voluit, quæ ſolent de repentino ſucceſſu terrenæ fælicitatis exiſtere.* Idem quæſt 21. in Joſue expendens illud capitis 21. *Dedit Dominus Iſraëli totam terram, quam traditurum ſe patribus eorum juraverat,* &c. quærit, quînam id conſtare poſſit, cùm etiam multis pòſt ſæculis alienigenæ ſuperfuerint? Conſtat nihilominùs, inquit: *quia illa pars quæ nondum fuerat in poſſeſſionem data, jam data erat in quamdam exercitationis utilitatem:* quæ verba etiam repetit quæſt. 5. in lib. Jud. Simili forma difficultatem parem enodat Jud. 1. ubi dicitur, *Fuit Dominus cum Juda, & montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Si Deus ad montium incolas depellendos adjutor fuit: quidni etiam ad vallium habitatores eliminandos, cùm id factu videatur facilius? Reſpondet q. 5. in Judicum lib. *Deum, etiam propitium, reſtringere in cordibus ſuorum nimia proſperitatis exceſſus, ut in uſum eorum convertat inimicos, non ſolum quando vincuntur, ſed etiam quando metuuntur: illud ad commendandam largitatem, hoc ad comprimendam elationem.*

XI. *Bella olim utilia Eccleſiæ.* Quod Synagogæ olim, idem Eccleſiæ poſtmodùm contigiſſe, notârunt Scriptores noſtri. Euſebius, & ex eo Baronius tom. 2. anno 302. ſcribunt, ante Diocletiani imperium, cùm quietem aliquam Chriſtianis Cæſares mitiores indulſiſſent, cæptam laxari Eccleſiaſticam diſciplinam, eique reſtringendæ utilem admodùm fuiſſe Diocletianicam perſecutionem. Et Hieronymus in Vita Malchi: *Etiam,* inquit, *ipſa Eccleſia, quæ perſecutionibus crevit, martyriis coronata eſt: poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt.* Ab ea querimonia Salvianus libros ſuos ad Eccleſiam inchoat: *Neſcio quomodò pugnante contra temetipſam fælicitate tua, quantum tibi auctum eſt populorum, tantum penè vitiorum: quantum tibi copia acceſſit, tantum diſciplina receſſit; & proſperitas venit quæſtuum, cum magno fænore detrimementorum.* Verba alia ejuſdem auctoris vehementia, & elegantia, alibi tranſcripſimus: unde intelligas, Chriſtianis æquè, ac Judæis, accidiſſe, quod Sapiens viderat Prov. 1. *Averſio parvulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos.* Ubi vides averſionem & proſperitatem idem eſſe. Quamquam pro voce *averſio*, Hebraicè habetur Meſubath, quod etiam Requiem ſignificat: ut intelligas ex otio, & fælicitate, inſtare perniciem.

XII. *Neceſſariæ privatis impugnationes.* Ex hac de rebuſ-publicis diſputatione confirmamus, quod alibi digeritur, etiam privatis utiles eſſe adverſarios & adverſitatem. Gen. 16. v. 12. ubi vulgata lectio & 70. habent de Iſmaële, *Manus ejus contra omnes, & omnium contra illum:* Chaldæus legit: *Ipſe omnibus indigebit, & omnes filii hominum indigebunt illo:* quaſi, ut benè vivatur,

contradictore & impugnatore hominibus omnibus opus ſit. Danielis cap. 7. belluarum prima de mari aſcendens, leæna eſt alis aquilinis, ſignificatque Chaldæorum regnum. Evelluntur alæ, id eſt potentia, ſtatimque in hominem vertitur: nec ſolùm dicitur, *quaſi homo ſtetit*, ſed etiam ſignificanter, *cor hominis datum eſt ei.* Chaldæi igitur, dum fortunâ proſperâ utebantur, belluinis moribus vixêre: poſtquam calamitates ingruerunt, humanitatem induêre. Eumdem in modum nobiſcum agi exiſtimemus, quoties adverſi aliquid incurrit: malum ſentiamus, bonum ſperemus, quo quantuſvis mali ſenſus abundè compenſetur. Idem tibi, quicumque es, calamitoſe per miſerias expurgande, Chriſtus dicit, quod Petro Joan. 13. cùm ad renitentis pedes abluendos accedebat ſuccinctus: *Quod facio ego, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà.* Alienâ experientiâ didiciſſe potuiſti, nondum forſan tuâ, quantum emundandis mentibus calamitas valeat. Poſtmodùm uſu ipſemet tuo comperies, & docere alios edoctus poteris.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

ARGUMENTUM.

Demetrius Seleuci filius, Româ in Syriam reverſus, paternum regnum repetit, & interfecto per milites Eupatore ac Lyſia, rerum potitur. Apud eum Alcimus Iudam criminatus, ſummum Sacerdotium, cui inhiabat, obtinet, & in Iudæam, adjuncto cum copiis Bacchide, remittitur. Hic Iudam, ac fratres, ſimulatione pacis fruſtra circumvenire conatus eſt. Decepti tamen ejus artibus Aſſidæorum quidam, morte pœnas nimiæ credulitatis luerunt: cæteris eorum exemplo edoctis, perfido homini, ne jurato quidem, credendum. Bacchides, variis Iudæorum patratis cædibus, ad Regem regreditur, relicto cum copiis ad ſtabiliendum Pontificatum Alcimo: qui à Iuda arctatus, & ei parem ſe non eſſe ſentiens, rurſum ad Demetrium cum novis criminationibus abſcedit, ſimul ut validiora auxilia impetret. Datur illi Nicanor, de primoribus Regiorum amicorum, Iudæis in primis infenſus. Hic cum ingentibus copiis Iudæam ingreſſus, arte Machabæum tentat: ſed eluſâ fraude, ad apertam vim convertitur, commiſſóque prælio, amiſſis quinque ſuorum millibus, Hieroſolymam refugere cogitur. Ignominiâ cladis acceptæ furens impius homo, extrema Templo minatur: Iudam, novo certamini precibus ad Deum paratum, aggreditur: occiditur primus è ſuis: fuſi reliqui, ac palantes, omnes ad unum cæduntur. Spolia victores colligunt; caput Nicanoris & dexteram amputata Hieroſolymis ſuſpendunt. Anniverſarius ad tam celebris victoriæ memoriam dies indicitur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ANNO centeſimo quinquageſimo primo, exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, & aſcendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic. 2. Et factum eſt, ut ingreſſus eſt domum regni patrum ſuorum, comprehendit exercitus Antiochum & Lyſiam, ut adducerent eos ad eum. 3. Et res ei innotuit: & ait: Nolite mihi oſtendere faciem eorum. 4. Et occidit eos exercitus. Et ſedit Demetrius ſuper ſedem regni ſui: 5. Et venerunt ad eum viri iniqui & impii ex Iſraël: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos. 6. Et accuſaverunt populum apud Regem, dicentes: Perdidit Iudas, & fratres ejus,

omnes amicos tuos, & nos diſperſit de terra noſtra. 7. Nunc ergo mitte vi-
rum, cui credis, ut eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, &
regionibus Regis: & puniat omnes amicos ejus, & adjutores eorum. 8. Et
elegit Rex ex amicis ſuis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen, magnum
in regno & fidelem Regi: & miſit eum, 9. ut videret exterminium, quod fecit
Iudas: ſed & Alcimum impium conſtituit in Sacerdotium, & mandavit ei fa-
cere ultionem in filios Iſraël. 10. Et ſurrexerunt, & venerunt cum exercitu
magno in terram Iuda: & miſerunt nuntios & locuti ſunt ad Iudam, & ad fra-
tres ejus verbis pacificis in dolo. 11. Et non intenderunt ſermonibus eorum:
viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. 12. Et convenerunt ad
Alcimum & Bacchidem congregatio ſcribarum requirere quæ juſta ſunt:
13. & primi, Aſſidæi qui erant in filiis Iſraël, & exquirebant ab eis pacem.
14. Dixerunt enim: Homo Sacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos.
15. Et locutus eſt cum eis verba pacifica: & juravit illis, dicens: Non inferemus
vobis malum, neque amicis veſtris. 16. Et crediderunt ei: & comprehendit
ex eis ſexaginta viros, & occidit eos in una die, ſecundùm verbum quod ſcri-
ptum eſt: 17. Carnes Sanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum effuderunt
in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret. 18. Et incubuit timor & tremor
in omnem populum: quia dixerunt: Non eſt veritas & judicium in eis:
trangreſſi ſunt enim conſtitutum, & jusjurandum quod juraverunt. 19. Et
movit Bacchides caſtra ab Ieruſalem, & applicuit in Bethzecha: & miſit, &
comprehendit multos ex eis qui à ſe effugerant, & quoſdam de populo macta-
vit, & in puteum magnum projecit. 20. Et commiſit regionem Alcimo, &
reliquit cum eo auxilium in adjutorium ipſi. Et abiit Bacchides ad Regem:
21. & ſatis agebat Alcimus pro principatu Sacerdotii ſui. 22. Et convenerunt
ad eum omnes, qui perturbabant populum ſuum, & obtinuerunt terram Iuda,
& fecerunt plagam magnam in Iſraël. 23. Et vidit Iudas omnia mala quæ fecit
Alcimus, & qui cum eo erant, filiis Iſraël, multò plùs quàm Gentes. 24. Et
exiit in omnes fines Iudææ in circuitu, & fecit vindictam in viros deſertores,
& ceſſaverunt ultrà exire in regionem. 25. Vidit autem Alcimus, quòd præ-
valuit Iudas, & qui cum eo erant: & cognovit quia non poteſt ſuſtinere eos,
& regreſſus eſt ad Regem, & accuſavit eos multis criminibus. 26. Et miſit Rex
Nicanorem, unum ex principibus ſuis nobilioribus: qui erat inimicitias exer-
cens contra Iſraël: & mandavit ei evertere populum. 27. Et venit Nicanor in
Ieruſalem cum exercitu magno, & miſit ad Iudam & ad fratres ejus verbis pa-
cificis cum dolo, 28. dicens: Non ſit pugna inter me & vos: veniam cum vi-
ris paucis, ut videam facies veſtras cum pace. 29. Et venit ad Iudam, & ſaluta-
verunt ſe invicem pacificè: & hoſtes parati erant rapere Iudam. 30. Et innotuit
ſermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum: & conterritus eſt ab eo, &
ampliùs noluit videre faciem ejus. 31. Et cognovit Nicanor quoniam denu-
datum eſt conſilium ejus: & exivit obviàm Iudæ in pugnam juxta Capharſala-
ma. 32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu ferè quinque millia viri, & fuge-
runt in civitatem David. 33. Et poſt hæc verba aſcendit Nicanor in montem
Sion: & exierunt de ſacerdotibus populi ſalutare eum in pace, & demonſtrare
ei holocautomata, quæ offerebantur pro Rege. 34. Et irridens ſprevit eos, &
polluit: & locutus eſt ſuperbè, 35. & juravit cum ira dicens: Niſi traditus
fuerit Iudas, & exercitus ejus in manus meas, continuò cùm regreſſus fuero
in pace, ſuccendam domum iſtam. Et exiit cum ira magna. 36. Et intraverunt
ſacerdotes, & ſteterunt ante faciem altaris & Templi, & flentes dixerunt:

37. Tu

37. Tu Domine elegiſti domum iſtam ad invocandum nomen tuum in ea, ut
eſſet domus orationis & obſecrationis populo tuo. 38. Fac vindictam in homine
iſto, & exercitu ejus, & cadant in gladio: memento blaſphemias eorum, & ne
dederis eis ut permaneant. 39. Et exiit Nicanor ab Ieruſalem, & caſtra applicuit
ad Bethoron: & occurrit illis exercitus Syriæ. 40. Et Iudas applicuit in Adarſa
cum tribus millibus viris: & oravit Iudas, & dixit: 41. Qui miſſi erant à Rege
Sennacherib, Domine, quia blaſphemaverunt te, exiit Angelus, & percuſſit ex
eis centum octoginta quinque millia: 42. Sic contere exercitum iſtum in con-
ſpectu noſtro hodie: & ſciant ceteri quia malè locutus eſt ſuper Sancta tua: &
judica illum ſecundùm malitiam illius. 43. Et commiſerunt exercitus prælium
tertiadecima die menſis Adar: & contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe pri-
mus in prælio. 44. Ut autem vidit exercitus ejus quia cecidiſſet Nicanor, proje-
cerunt arma ſua, & fugerunt: 45. Et perſecuti ſunt eos viam unius diei, ab Adazer
uſquequò veniatur in Gazara, & tubis cecinerunt poſt eos cum ſignificationibus:
46. Et exierunt de omnibus caſtellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornı-
bus, & convertebantur iterum ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & non eſt
relictus ex eis nec unus. 47. Et acceperunt ſpolia eorum in prædam: & caput
Nicanoris amputaverunt, & dexteram ejus, quam extenderat ſuperbè, & attule-
runt & ſuſpenderunt contra Ieruſalem. 48. Et lætatus eſt populus valdè, & ege-
runt diem illam in lætitia magna. 49. Et conſtituit agi omnibus annis diem
iſtam, tertiadecima die menſis Adar. 50. Et ſiluit terra Iuda dies paucos.

COMMENTARIUS AD CAPUT SEPTIMUM.

℣. 1. 2. 3. 4. NARRATUR adventus Demetrii in Syriam & regnum, occiſo Eupatore. Quæ in textu obſcura ſunt, & cum libro ſecundo concilianda, aut explicanda, meliùs per quæſtiones digeremus.

Quis Demetrius.

Quæritur primò, quis *Demetrius?* Juſtinus lib. 34. ait, *patruum* fuiſſe *Eupatoris:* &, quod mirêre, à Rabano adducitur, nec corrigitur. Nec mirum minùs, à Cauſſino noſtro viro doctiſſimo, mihi olim familiariter cognito, in ea quam Aulæ ſanctæ int exuit Judæ Machabæi hiſtoria, eumdem nævum admiſſum. Sed Demetrius non magis fuit Eupatoris filius: quàm Erardus Marcanus, Leodienſis civitatis alter conditor, fuerit Cameracenſis Præſul, quod idem celebris Scriptor dicit in Reginaldo Polo. De Demetrio igitur, ex Scriptura conſtat, Eupatoris patruelem fuiſſe, ſeu patrui filium: ideoque etiam à Lirano cognatus appellatur. Fuit enim Demetrius Seleuci Philopatoris filius: qui Seleucus cùm Antiochi Epiphanis frater primogenitus fuerit, patet Demetrium & Eupatorem, illum Seleuci hunc Epiphanis filium, patrueles fuiſſe, fratribus genitos. Demetrium hunc poſteà *Soterem* cognominatum fuiſſe, ait Appianus, rationemque nominis reddit; quòd Heraclidam ejeciſſet, Timarchumque rebellem, & ex malè adminiſtrata præfecturâ Babyloniis odioſum, occidiſſet: unde à Babyloniis cœpta *Soteris*, ſeu *Salvatoris* appellatio, toto deinde regno manavit. Habes & Soterem alium inter Reges Syriæ: *Soteres* item duos, aut tres, è Ptolemæis. Glorioſum ſcilicet nomen *Salvatoris* putidè homunciones ambiebant, uni Deo homini debitum.

Qui Româ exierit?

Quæres ſecundò: quomodò *exiit ab urbe Roma*, ſeu *ex Roma*, ut Græca habent, non appoſitâ voce *urbe?* Intelligitur ſatis ex textu noſtro, clam ſe ſubduxiſſe, & paucis conſciis, quandoquidem cum *paucis viris* appulerit in Syriam. Si enim Senatu Romano non inſcio profectionem ſuſcepiſſet, proſecuti ſine dubio fuiſſent ejus iter familiares omnes, quos magno numero Romæ alebat, pro natalium ſuorum ſplendore: eo miſſus ab ipſo patre Seleuco Philopatore, obſes in locum Antiochi Epiphanis, ut ad verſum 11. capitis primi diximus. Fugæ ejus modum narrat valdè particulatim Polybius, Demetrii amicus & conſultor, legatione 114. & ex eo Salianus, anno ante Chriſtum 160. Ego id unum annoto, quod ad explicationem textûs noſtri facit: eum cum ſolis octo comitibus, & famulis quinque, ac pueris tribus, navem Carthaginenſem, à legato Ptolemæi Philometoris per ſpeciem Ægypti repetendæ paratam, conſcendiſſe ad Tiberis oſtia, exeunte tertiâ vigiliâ noctis: neque ejus diſceſſum Romanos ſenſiſſe ante diem quartum: die quinto Senatum ea de re habitum, Senatores perſequendum non cenſuiſſe, quòd longè jam vento ſecundo provectum arbitrarentur. De comitatu Demetrii longè aliter videtur loqui liber ſecundus cap. 14. cùm dicit ipſum *aſcendiſſe cum multitudine magnâ, & navibus.* Sed adverte, libro ſecondo non agi de ejus appulſu in Syriam, de quo hîc; verùm de ejus itinere per Syriam, occiſo jam Eupatore.

Quò appulerit?

Quæres tertiò, quò appulerit? Hoc loco Hagiographus dicit, *aſcendiſſe in civitatem maritimam, & regnâſſe illic*, id eſt, ſe Regem dixiſſe, & acclamatum fuiſſe. At quæ illa *civitas maritima?* Multæ enim erant totâ Palæſtinæ & Phœniciæ

Google

orâ, ſubditæ Regibus Syriæ. Ambiguitatem tollit liber 2. cap. 14. v. 1. qui dicit Judæ relatum, hunc Demetrium *per portum Tripolis* penetrâſſe in Syriam. Conſentiunt profani auctores, ex quibus diſrimus; eum primò in Lyciam veniſſe, indéque ad Senatum ſcripſiſſe: iter illud non ſuſceptum à ſe, ut quidquam contra patruelem ſuum Eupatorem moveret; ſed ut Lyſiam, per tutelæ ſpeciem omnia pro libidine adminiſtrantem, opprimeret, & necem legati Romani ulciſceretur, de qua mox. Aiunt deinde ex Lycia Tripolin veniſſe, quaſi à Senatu ad regnum repetendum miſſus eſſet. Eſt Tripolis urbs Phœniciæ maritima, trans Tyrum ac Sidonem, ſic dicta quod tribus populis habitaretur, & in totidem partes diſtinctis, Tyriis, Sidoniis, Aradiis; non autem Arabibus, ut Salianus habet ex Diodoro.

Quo tempore profectus?

Quæres quartò: quo tempore hæc profectio à Demetrio inſtituta? Hic habemus *annum centeſimum quinquageſimum primum* regni Græcorum. Unde cùm Epiphanes mortuus ſit anno centeſimo quadrageſimo nono ex cap. 6. v. 16. ſuprà, dicendus eſt Demetrius in Syriam appuliſſe biennio poſt mortem patrui. At, inquies, libro ſecundo c. 14. v. 1. dicitur *poſt triennii tempus* cognoviſſe Judas adventum Demetrii: quomodò ergo biennio pòſt vênit? Reſpondet Salianus, *poſt triennis tempus*, idem eſſe ac, *tertio anno inchoato*. Poteſtque ejus reſponſio confirmari celebri iſta Scripturæ phraſi Luc. 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer*, id eſt, *cùm conſummarentur*. Sed nihil nobis iſto effugio, quantumvis probabili, opus eſt. Nam iſtud in libro ſecundo annotatum *triennium*, non ſpectat ad adventum Demetrii Tripolin; ſed ad tempus, quo jam occiſis Eupatore & Lyſia, regnum cum exercitu pedeſtri ac navali perluſtrabat, ut disertè habetur in textu Græco libri ſecundi loco citato. Atqui certum eſt ab adventu ejus Tripolin, ad cædem Eupatoris, ac deinde regni perluſtrationem, fluxiſſe debuiſſe non parùm temporis, & perfici potuiſſe triennium ab Epiphane mortuo. Hoc diligenter notandum eſt ad utriuſque libri concordiam, tum quoad tempus, tum etiam quoad comitatum Demetrii, ut jam ſuprà indicavimus. Collige ex dictis, Eupatorem regnâſſe circiter annos duos. Sulpicius lib. 2. hiſtoriæ ei tribuit annum unum & ſex menſes ſolùm: Joſephus, Euſebius, aliique paſſim, biennium: quidam biennium & aliquot menſes, ad quos accedo.

Quæ domus regni, quam ingreſſus dicitur?

Quæres quintò, quæ eſt illa *domus regni*, quam *ingreſſo* Demetrio, *comprehendit exercitus Antiochum & Lyſiam*? Si Zonaram audiamus, horum cædes non accidit, niſi poſtquam Demetrius Tripoli Apameam progreſſus, eaque potitus, Antiochiam proceſſiſſet: ſic enim ſcribit: *Cùm Tripolim Syriæ celeriter ſibi adjunxiſſet, tamquam à Senatu ad regnum occupandum miſſus, & Apameâ potitus, comparatis copiis Antiochiam contendit, ibique puerum & Lyſiam amicè obviàm egreſſos, Romanorum enim metu armis abſtinuerant, interfecit.* Sed quia cædem hanc paullò aliter Scriptura narrat, ideò Salianus à Zonara recedens putat, per *domum regni*, quam *ingreſſus* dicitur *Demetrius*, idem ſignificari, quod per *civitatem maritimam* in quâ *regnavit*. Ego verò, ſepoſitâ tantiſper quæſtione de cæde, de qua mox, magis acceſſerim ad Zonaram, quàm ad Salianum. Quis enim credat Demetrium, ſecundo omnium favore exceptum Tripoli, diu ibi hæſiſſe, in extremis Syriæ finibus, nec ſtatim penetrâſſe in interiora regni? Quis ſibi perſuadeat, antè comprehenſos à ſuis Eupatorem & Lyſiam, quàm Demetrius propè ab Antiochia abeſſet? Denique, quia nomine *domûs regni* aptè intelligere poſſit, urbem tam longè ſemotam à Regiâ? Itaque illo nomine intelligo, vel generatim interiora Syriæ, vel Apameam ipſam, aut etiam Antiochiam, quò, firmatis viribus, & favore populorum invitatus Demetrius, cùm acceſſiſſet, aperta denique ſecuta eſt totius exercitus ad eum defectio, cædeſque pupilli ac tutoris.

Qui occiſi Eupator & Lyſias.

Quæres ſextò, quomodò interfecti Eupator & Lyſias? Andiſti jam narrantem Zonaram, egreſſos obviàm ad Antiochiam accedenti Demetrio, & ab eo interfectos. Qua in narratione, duo videntur cum Scriptura parùm convenire; quæ ait à ſuis comprehenſos Eupatorem & Lyſiam, ut ſiſterentur Demetrio, & ab iiſdem interfectos. Non ergo exibant excepturi Demetrium, neque ab eo ſunt occiſi. Sed ſi benè attendas, nihil in utraque narratione conciliatu difficile invenies. Potuerunt enim Eupator & Lyſias obviàm progredi advenienti Demetrio, & in itinere comprehendi à ſuiſmet copiis, ad conciliandam novi Regis gratiam. Poteſt item veriſſimè dici Demetrius eos interfeciſſe, cùm ſignificârit eorum cædem ſibi gratam fore his verbis: *Nolite mihi oſtendere faciem eorum*, id eſt, eos antè quàm ad me accedatis, occidite, ut fidem mihi veſtri animi faciatis: hoc mihi erit certum veſtræ in me voluntatis pignus.

Cur occiſi? Cauſſa hominibus, cupiditas.

Quæres ſeptimò, cur occiſi Eupator & Lyſias? Si quæras, quid militem moverit: occurret ſtatim mutabilitas Aſiaticorum ingeniorum, rebus novandis aſſuetorum: tum occupandæ Demetrii gratiæ cupiditas: denique ſpes forſan meliorum temporum ſub adulto Rege, & per ſe res gerente. Si ſcire cupis, quid Demetrium ad eam cædem mandandam impulerit, aliud audies prætendi, aliud latere. Latet firmandi regni cupiditas, quod, niſi ſublato æmulo, & ejus tutore, ſtabile ſibi fore non rebatur: habiturum enim ſemper Eupatorem fautores aliquos, qui vel odio præſentium, vel præteritorum memoriâ, in ejus gratiam turbarent: prætereà, ſperare ſe non poſſe à Senatu Romano appellationem Regis, quamdiu Eupator, Rex Aſiæ ab eo appellatus, viveret. Prætendebatur verò in ſpeciem, ad conciliandos Romanorum animos, ultio Cnæi Octavii legati, Laodiceæ à Leptine occiſi, quòd elephantos interfici juſſiſſet. Eam legati cædem diſſimulante, forſan & mandante, Lyſia accidiſſe, vel credebat Demetrius, vel credi, quia id rebus ſuis erat utile, cupiebat: adeoque ex Lycia, quò primum profugus appulit, ſcripſerat ad Senatum, ſe in Aſiam profectum, non ut quidquam adversùs patruelem moliretur, ſed ut de Lyſia cæſi Romanorum legati vindictam expeteret. Jam verò addito Lyſiæ Eupatore, poterat nihilominùs Demetrius excuſare, id non à ſe, ſed ab exercitu factum: juſſiſſe ſe tutorem tolli, additum injuſſu ſuo pupillum.

Deo cauſſa permiſſæ cædis, perjuria pueri, & peccata patris.

Si autem altiùs quæras, cur Deus cædem eam puerili permiſerit: reſpondet Sulpitius, factum id in ultionem perfidiæ, quâ pacem cum Judæis initam ſemel atque iterum violavit: & recèns quidem vidimus, perjurum puerum, violatis pactis conventis, Templi munimenta diſturbâſſe. Etſi enim vel juvenem Eupatorem faciamus, quam ei à quibuſdam ætatem, cùm regnum iniit, tribui diximus; indubitatum tamen eſt, etiam ab impubere graviter peccari poſſe. *Pueris grandiuſculis*, inquit Aug. 10. de Gen. ad literam cap. 13. *pec-*

catum

catum proprium nolunt attribuere quidam, niſi ab anni quartidecimi articulo, cùm pubeſcere cæperint. Quod meritò crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus committuntur. Potuit ergo acerrima perjuriorum vindex divina juſtitia, in eorum pœnam, Eupatoris, adde & Lyſiæ, quo conſentiente perjuria patrata, cædem permiſiſſe. Malim tamen cum Saliano putare, Deum ſcelera patris ultum in filio, radicemque ejus de terra ſuſtuliſſe, quomodò Jeroboami, Achabi, aliorumque impiorum Principum domos. Exareſcit in primo germine *radix peccatrix* Antiochus Epiphanes, nec *germen radicum ejus*, quod Nabuchodonoſori datum Dan. 4. *finitur in terrâ.* Sic vaticinatus fuerat generoſus ille è ſeptem fratribus martyr, lib. 2. cap. 7. v. 17. *Tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te & ſemen tuum torquebit.* Quamdiu regnârit Eupator, vide ſuprà ad quæſt. 4.

Cur demũ dicitur ſediſſe Demetrius in ſede regni?

Quæres octavò, cur *ſediſſe* dicatur Demetrius *ſuper ſedem regni ſui?* Ut intelligatur, occiſo demum Eupatore, firmum ipſi regnum fuiſſe. Indicari etiam puto, cum à cæde Eupatoris ſtatim Antiochiam ingreſſum, quæ tunc ſedes Regia fuit, & à populo Regem appellatum. Mox etiam Rex ſalutatus fuit à Tiberio Graccho, legato Romanorum, vetere amico, Romamque dona miſit, & gratiores donis omnibus captivos duos, quorum alter cædem Octavii patrârat, alter publica oratione approbârat. Dicitur verò *ſedes regni ſui*, quia avitum erat & patrium, eique jure deberi videbatur: cùm nepos eſſet Antiochi Magni, & Seleuci Philopatoris primogeniti filius: Eupator verò filius eſſet Epiphanis, qui ſecundò genitus regnum, excluſo fratris filio, invaſerat.

Impii eum adeunt.

℣. 5. Et venerunt ad eum Demetrium, *viri iniqui & impii ex Iſraël*, Græcè additur *omnes*, non quòd, quicumque impii erant, ad Regem abierint, ſed quòd, qui ad Regem abierunt, omnes eſſent impii.

Apoſtaſia mutatione nominis indicata.

Et Alcimus dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos, ſummus ſcilicet. Ex ipſo ſtatim nomine impium hominem diſcimus. Cùm enim Hebræus Hebræum nomen in circumciſione accepiſſet: & verò à Joſepho 12. Antiq. cap. 15. & lib. ult. cap. pen. *Ἰάκειμος* & *Ἰώακιμος* appellatur, quaſi dicas Jakim vel Joakim: deflexerat tamen nomen ſuum ad formam & ſignificationem Græcam, & ex Jacimo fecerat Alcimum. Ut vel hinc intelligas, unum de iis fuiſſe, qui *temporibus commiſtionis*, ut loquitur liber 2. cap. 14. Græcanicos ritus impiè ſecutus eſt, quomodò Menelaüs, Lyſimachus, Jaſon, ipſis nominibus Græcos ſe profeſſi. De eo Alcimo plura dicemus, ad eum libri ſecundi locum. Ubi etiam id quæremus, quomodò hîc dicatur *velle fieri Sacerdos*, illic verò dicatur *priùs fuiſſe Sacerdos ſummus*: vel enim mortuo Menelao, Pſeudo-Pontifex ab Eupatore factus, jam firmari ſibi Pontificatum petit à Demetrio: vel potiùs hîc narratur, quid primo ſuo adventu ad Demetrium fecerit, in ſecundo autem libro refertur, quid altera profectione egerit, cùm in priore jam Pontifex dictus eſſet.

Alcimus figura Eccleſiaſticorum ad ſæcularia tribunalia currentium.

Notat hîc non malè Liranus in Alcimo, Prælatorum intruſorum ideam, quibus ſolenne eſt ad brachium ſæculare recurrere, & ſus déque miſcere omnia. O ſi nimis multa ejuſmodi exempla ætate noſtrâ ſpectare coacti non eſſemus, Eccleſiaſticorum generis omnis, imò & religioſorum ex omni fermè ordine, ad domeſticas difficultates componendas, tribunalia ſæcularia, Conſilia Principum ſecreta, plebis ipſius auxilium implorantium, quaſi alia ad juſtitiam ac caritatem via non foret. Non equidem tantopere queror de laïcis judicibus, quòd ejuſmodi querimonias admittant. Id enim ſeſe precibus ſolicitatos, & ad commune bonum facere dixerint: quamquam meliùs forſan Conſtantinum Magnum imitentur, qui libellos, ſibi in Nicæno Concilio de Eccleſiaſticis oblatos, ne aſpectu quidem dignatus, exurendos curavit. De judicibus tamen non conqueror, ſed cum litigatoribus illis expoſtulo; quorum inquietudinis pudet, pudet dedecoris Eccleſiaſtico gradui inuſti: meritoque ipſis illud inculco 1. Cor. 6. *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Ablegandi ad Alcimorum, Lyſimachorum, Menelaorum ſocietatem iſti ſæcularium tribunalium improbi pulſatores, utinam & non ad parem illis exitum.

Criminatus Judam.

℣. 6. 7. Exponitur ſumma dictorum ab Alcimo, & ſociis, apud Demetrium, ad invidiam Machabæo ac fratribus conciliandam. Gemina ſunt dictis Eupatori per ejuſdem farinæ homines, capite ſuperiori à verſu 22. In textu nihil eſt difficile.

Bacchides in Judæam miſſus Alcimi gratiâ.

℣. 8. 9. 10. 11. Et elegit Rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen, Euphraten, phraſi Scripturæ nomine fluminis per antonomaſiam venientem, id eſt, qui præfectus erat Meſopotamiæ: *magnum in regno* ſcilicet Bacchidem, magnum enim referri ad eum, non verò ad flumen, patet ex Græco, & exprimitur per interpunctionem in Bibliis Sixtinis: *& fidelem Regi*, quod nominatim petierant impii accuſatores: *& miſit eum, ut videret exterminium, quod fecit Iudas: ſed & Alcimum impium conſtituit in Sacerdotum* ſeu ut Græcè habetur *conſtituit ei Sacerdotium, & mandavit ei ultionem facere in filios Iſraël.* Cùm Judas Machabæus legitimus eſſet Pontifex, & ſacra omnia à repurgatione Templi adminiſtrâſſet, conſequens eſt, Alcimum Pſeudo-Pontificem fuiſſe, & velut Antipapam legitimo Papæ oppoſitum. Bacchides igitur & Alcimus *venerunt cum exercitu magno in terram Iuda*, & Machabæum ac fratres amicitiæ ſpecie tentârunt: ſed hi armatam amicitiam veriti, & quod res erat, ex tanto bellico apparatu ſuſpicati, *non intenderunt ſermonibus eorum*, propoſitaſque ſimulatæ pacis conditiones rejecerunt.

Aſſidæi quomodò dicuntur primi?

℣. 12. 13. 14. Convenerunt ad Alcimum et Bacchidem congregatio Scribarum, requirere quæ iusta sunt, id eſt *ad quærendam*, ut mox ſubditur, *pacem* æquis conditionibus, à Machabæo licèt ac fratribus rejectam. *Et*, quod mirêre, *primi* ad eos acceſſêre, *Aſidæi, qui erant in filiis Iſraël*: Græcè ſic habetur: *καὶ πρῶτοι, οἱ Ἀσιδαῖοι ἦσαν ἐν υἱοῖς Ἰσραὴλ*, quæ verba ſic vertunt plerique, *& primi Aſidæi erant in filiis Iſraël:* poteſt tamen, ſumptâ voce *οἱ* pro relativo *qui*, æquè commodè verti ut habet noſtra Vulgata, *Primi, qui Aſidæi erant* &c. Uterque ſenſus verus eſt, & *primos* veniſſe Aſſidæos cum ſcribis, ad petendam ab Alcimo & Bacchide pacem; & *primos* fuiſſe, id eſt, maximè ſpectabiles *in filiis Iſraël.* Vide quæ de iis diximus ad cap. 2. v. 42. plura forſan dicturi ad lib. 2. cap. 5.

Decepti nimiâ credulitate.

Meritò petas, qui factum, ut Aſſidæi, qui ſe tam generosè aggregârant, primùm Mathathiæ,

tum

Digitized by Google

tum Machabæo, ad reſtituendam rem Judaïcam, jam ſe ab eo disjungant, pacemque ab eo repudiatam ultrò rogatum eant. Conſcio certè Machabæo id ab eis factum exiſtimare non poſſum: neque enim ſuaſiſſet, aut probâſſet, ut æquum ſperarent ab homine perfido, & ejus animum tentarent. Agnoſco itaque in piis illis ac fortibus viris humani aliquid. Guſtârant ſuavitatem pacis cum Eupatore initæ; eamque cum extremis illis miſeriis, obſeſſo Templo toleratis, comparârant. Veriti itaque iteratas novi belli calamitates, audito pacem ab Alcimo prætendi, ad eum, inconſulto Juda, abeunt: &, ut quæ magnopere optamus nobis facilè perſuademus, fingunt ſibi bona fide ſecum actum iri, eo potiſſimùm argumento, quòd veniret *homo ſacerdos de ſemine Aaron*, & ut Græcè additur, *ἐν ταῖς δυνάμεσι, cum copiis*, Syriacis ſcilicet. Quaſi fraus & perfidia ſibi locum etiam apud altaria non fecſſent: & origini atque officio ſanctitas, ac virtus, neceſſariò conjuncta forent. Utinam & non multi hodie ſimpliciores, ſimili ſanctitatis opinione, ab hominibus de ſemine Aaron circumveniantur, cum vitæ ſpiritualia jacturâ: induti in vitia per ſpeciem virtutum, ex confeſſione in confuſionem, ex caritate in caſtitatis labem, ex oratione in laſciviæ exonerationem.

Joſephi error. Cùm hîc tam apertè dicatur Alcimus de Aaronica familiâ fuiſſe, meritò Joſephus à Saliano reprehenditur; quòd eum parum conſideratè ſcripſerit, ex Pontificio genere non fuiſſe, translatumque à Syriæ Regibus ſacerdotium in exteram domum. Verum id de Menelao Pſeudo-Pontifice fuerit, at de Alcimo eſſe non poteſt; in tam aperto Aſſidæorum, qui utique falli in re ſibi notiſſima nequibant, teſtimonio.

Alcimi perfidia. ℣. 15. 16. 17. Decepti primùm à ſemetipſis Aſſidæi nimio pacis deſiderio, jam ab Alcimo decipiuntur. Nam amicè eos excepit: *Et locutus eſt cum eis verba pacifica: & juravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis veſtris.* In Græcis Regiis habetur ἡμῶν, *noſtris*; quod eòdem quidem recidit, cùm Alcimus amicos Aſſidæorum ſuos etiam fore juraverit: vox tamen veſtris in textu noſtro planiorem ſententiam facit, & Sixtina Græca habent ὑμῶν. Juramenti formula non exprimitur: Deum tamen teſtem invocatum fuiſſe dubitãdum non eſt, cùm inter Judæos utrinque tranſigeretur. Tam ſolenni promiſſo invitati creduli homines, & alterius animũ de ſuo æſtimantes, *crediderunt ei*: id eſt, ut ex cõſecutis colligo, ſe ei totos permiſerunt, ne poſtulatis quidẽ ad ſecuritatem obſidibus, alioqui tam fidenter auſus non fuiſſet patrare facinus, quod ſubjungitur: *Et comprehendit ex eis ſexaginta viros.* Dubitari non debet, quin hi fuerint è primoribus Synagogæ, quorum ſanguine Sacerdotium ſuum ſancire vult impius homo, ad terrorem reliquorum: ut demeſſis ſummis papaverum cacuminibus, ſecurior trementi popello imperet. Sic ſolent, qui ut vulpes intrant, regnare ut leones: fraude impetratum Pontificatum, per crudelitatem auſpicatur Alcimus, & comprehenſos illos *occidit in una die, ſecundùm verbum, quod ſcriptum eſt*, Græcè *quod ſcripſit*, Deus ſcilicet vel Propheta, quam vocem Nobilius ait in quibuſdam Græcis exemplaribus reperiri: Pſ. 78. qui Aſaph muſico inſcriptus eſt, *Carnes Sanctorum tuorum* &c. In eo textu pſalmi Hebraïcè, pro *Sanctorum*, habetur ipſa vox *Chaſidim*, unde *Aſſidæi* dicti: prorſùs ut, non accommodatio ſolùm ſenſu iſtum pſalmum huic cædi aptari exiſtimem, ſed etiam vero ac literali; præſertim cùm pſalmi cætera apprimè hiſce temporibus conveniant, & vaticinatio de illis eſſe videantur.

Joſephus malè reprehenſus. ℣. 18. Et incubuit timor, Græcè additur, *illorum, & tremor*, qui timorem ſequitur, *in omnem populum: qui dixerunt: Non eſt veritas & judicium*, ſeu juſtitia *in eis, tranſgreſſi ſunt enim conſtitutum*, pactum initum cum Aſſidæis, *& juſjurandum quod juraverunt.* Salianus, qui ante meritò Joſephum de Alcimi genere errantem reprehendit, hic immeritò eum notat, quòd à Bacchide pariter & Alcimo juratum ſcripſerit. Etſi enim v. 15. de ſolo Alcimo dicatur *juravit eis*, tamen hoc loco diſertè dicitur *juraverunt*, non igitur Alcimus ſolus juravit: ſi non ſolus, quis cum illo, niſi, ſine quo pax ſanciri non poterat, Bacchides? Erravit itaque vir inſignis, & de hiſtoria ſacra valdè benè meritus, nobiſque olim percarus ob ſcientiam ac morum candorem: in quo tamen multi id notâ dignum cenſuêre, noſque jam ſæpiùs notare debuimus, quòd in Joſephum, ſæpè quidem errantem, nimis tamen ſæpè incurrat, velut aperto & condicto bello. Neceſſe eſt autem, ut qui occaſiones reprehendendi quærit, aliquando malè reprehendat, & benè reprehendatur. Adverte hic, perfidos hoſce fœdifragos injuſtâ ac crudeli innocẽtium cæde impetrâſſe, quod volebant, *timorem ac tremorem populi*: ſed etiam incurriſſe, quod nolebant, odium publicum, ut ab ipſis Judæis, qui antè in eorum partibus erant, deſererentur, quomodò mox innuitur verſu ſequenti. Nihil enim vulgò odioſius eſſe ſolet, quàm perfidiæ juncta crudelitas, cui nihil tutum, nihil ſanctum eſt. Quamquam quid etiam anteà Judæi ſperare juris & æqui ab Alcimo poterant, qui ſacerdos ex Aaronica familia, Deum ipſum temporibus Epiphanis deſeruerat? Conſequens enim eſt, eum hominibus fidem non præſtare, qui Deo datam ſefellerit.

Ubi tunc Machabæus. Dum iſta geruntur, ubi interim erant Machabæus & fratres? Quid rerum agebant? Veroſimile eſt, ſeſe intra Templi munitiones continuiſſe: eas enim reſtitutas fuiſſe, ex quo Eupator disjiciendas curârat, colligitur ex cap. 9. v. 54. ubi Alcimus jubet deſtrui muros ſanctæ domus. Conjicio autem Judam & fratres Hieroſolymis manſiſſe, & ad Templum ſe recepiſſe, ex eo quòd mox poſt narratam Aſſidæorum cædem, ſubjungat hic Scriptura,

Quæ Bethzecha? ℣. 19. Et movit Bacchides castra ab Jerusalem, quaſi deſperatâ expugnatione Templi, & applicuit in *Bethzecha*, quam Joſephus *Bethzetho* nominat, Græcus textus *Bezeth* vel *Bezeth.* Joſephus vicum facit, Adrichomius etiam civitatem, collocatque in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem, & ponit eamdem eſſe, quæ Jud. 7. v. 23. vocatur Bethſetta: favetque appellatio, quam Joſephus tribuit. Bonfrerius in Onomaſtico non probat Adrichomii ſententiam, mavultque eſſe oppidum Bezec, quod intra fines tribûs Juda ſitum fuiſſe arbitratur. Ego potiùs ad Adrichomium acceſſero: cui etiam adſtipulatur ratio itineris, quod Bacchides tenuit.

Apoſtatæ occiſi. Et misit, et compr. mul. ex eis, qui a se effug. et quos. de pop. mactavit. Lucem aliquam dabit textui noſtro Græcus Regius, ubi dicitur Bacchides *miſiſſe & comprehendiſſe multos*, ἀπὸ τῶν μετ᾽ αὐτοῦ αὐτομολησάντων ἀνδρῶν, καί τινας τοῦ λαοῦ, *ex iis qui cum ipſo ultrò venerant viris, & quoſdam de populo.* Ex quibus verbis, non benè ab Interprete Regio intellectis, diſcimus: Bacchidem fortunæ iratum, quòd à pleriſque perfuga-
rum

Digitized by Google

rum Judæorum partes ſuæ, ob violatum jusjurandum, deſertæ eſſent, & quòd ab Hieroſolyma, non tentato Templo, diſcedere coactus eſſet, iram ſuam in Judæos exoneráſſe: ac primùm comprehendi juſſiſſe eos, qui cùm illi ultrò ſeſe adjunxiſſent, jam disjunxerant, deinde Judæos alios: & tum hos tum illos mactandos curáſſe. Nam in Græco ſubditur, *& mactavit eos in puteum magnum*, id eſt, quos comprehenderat, propè puteum ſive ad os illius mactari juſſit, & cadavera in puteum præcipitari: utrumque enim indicatur iſta phraſi, *mactavit eos in puteum.* Adverte tamen, Sixtina Græca & Vaticanum codicem habere *ἀπ' αὐτοῦ αὐτομολησάντων, qui ab ipſo ultrò diſceſſerant*, eodem planè ſenſu, quo Vulgata noſtra.

Alcimi perſecutio.

℣. 20. 21. 22. Patratis iſtis cædibus, & irâ ſatiatâ, Bacchides, qui jam antè Alcimum ſacerdotum Principem dixerat, nunc *commiſit ei regionem, & reliquit cum eo auxilium, δύναμιν* exercitum, *in adjutorium ipſi*, quo ad firmandum ſibi ſummum Sacerdotium uteretur: ac denique, quaſi rebus Judaïcis ſatis eſſet conſultum, ſi mutuis inter ſe præliis Judæi attererentur, *abiit ad Regem. Et ſatis agebat Alcimus pro principatu Sacerdotii ſui*, ſeu ut Græcè habetur, *certabat de ſummo Sacerdotio*, extorquere illud de manibus Machabæi conabatur, & vim omnem adhibebat, ut ejus ſibi poſſeſſionem vindicaret. Nec perfido apoſtatæ defuêre fautores, *& convenerunt ad eum omnes, qui conturbabant populum ſuum, & obtinuerunt terram Juda*: continente ſe adhuc Machabæo, &, quò rabies iſta vergeret, exſpectante, impunè ipſi totâ Judæâ volitavêre, *& fecerunt plagam magnam in Iſraël* rapinis, cædibus, vaſtitate. Græca Regia pro *Iſraël* habent *Ieruſalem*: unde conjicio prædones illos, vaſtatâ circùm regione, ſumptaque ex ſucceſſu audaciâ, auſos in ipſam urbem Hieroſolymitanam, nondum undique permunitam, irrumpere, & ſævire in eos, qui à Machabæo ſtabant.

Bellorum civilium crudelitas.

℣. 23. ET VIDIT JUDAS OMNIA MALA, QUÆ FECIT ALCIMUS, ET QUI CUM EO ERANT EX FILIIS ISRAEL, Græcè, *qui cum eo in filiis Iſraël.* Machabæus *vidit*, id eſt cognovit, imò & ſpectavit è propinquo, & in ipſis Hieroſolymis, damna quæ intulerant perfidi deſertores, *multò plùs quàm Gentes*: Græcè ſimpliciter dicitur, *ſuper Gentes*, ſeu *plura quàm Gentiles*, inflixerant. Comparatio fit inter vaſtitatem ac cædes nuper à Bacchide factas, non autem cum iis quas aliis retrò annis Judæi à Gentilibus, Epiphane & Eupatore regnante, acceperant. Sævit Alcimus cum ſuis in cives magis, quàm exteri. Sic ferè ſolent civilia odia longè hoſtilibus crudeliora eſſe: præſertim ubi in altera partium dominatur ambitio, quæ quieſcere non poteſt, niſi cùm quidquid obſtat impulerit. Attende bella civilia Romanorum, & alia quævis paſſim, videbis numquam acerbioribus animis certatum, numquam plùs ſanguinis fuſum.

Prudentia Judæ in ſe tantiſper continendo.

℣. 24. ET EXIIT JUDAS ex eo ubi ſe continebat loco, quem Templi munitiones antè ſtatuimus: *exiit* inde cum copiis *in omnes fines* Judææ preſsè ſumptæ *in circuitu, & fecit vindictam* juſtam, quia profectam à vindice religionis, ac Duce populi, *in viros deſertores*, & injuſtos invaſores, qui cladibus domiti ac coërciti, *ceſſaverunt ultra exire in regionem*: non auſi ampliùs excurſionibus Judæam infeſtare, in Samaritidem, aliasque remotiores provincias ſeſe receperunt. At, inquies, cur tam ſerò Machabæus illorum temeritatem ulciſcitur? Cur non occupat antè quàm audeant, & ſucceſſibus creſcant? Ubi vigor ille pollentis animi, & periculis obviàm ire ſoliti? Non defuit Machabæo conſueta generoſitas; ſed prudentia eam coërcuit. In iſto civili bello, & inteſtinâ diſcordiâ, ſtatim ſcire non poterat, quinam ſibi, qui Alcimo faverent: viderat Aſſidæos ipſos ad hunc non obſcurè inclináſſe: novæ quotidie perfugarum manus ad eum tranſibant. Fuit igitur morâ aliquâ opus, ut ſuorum fidem ac conſtantiam experiretur, & eſſent, quibus tutò crederet. Deinde, videtur de induſtria tantiſper exſpectáſſe, donec elatæ ſucceſſibus Alcimi copiæ, & ex fiducia in ſecuritatem verſæ, paſſimque vagantes, ex improviſo opprimerentur. Sicque factum eſſe, colligitur ex hoc verſu.

Ambitionis arma.

℣. 25. 26. VIDIT AUTEM ALCIMUS, QUÒD PRÆVALUIT JUDAS, ET QUI CUM EO ERANT, ſocii Judæ: *& cognovit* experientiâ, *quia non poteſt ſuſtinere eos, & regreſſus eſt ad Regem, & accuſavit eos multis criminibus.* Hæc eſt altera profectio Alcimi ad Demetrium, de qua fuſiùs lib. 2. cap. 14. v. 3. &c. ubi munera oblata Regi referuntur. Conſule interim numerum 86. ſeriei noſtræ hiſtoricæ. Adverte item in Alcimo, ambitionem perfidam, crudelem, ignavam, calumniatricem. Ambitioſè quærit Sacerdotium: Perfidè violat jusjurandum: Crudeliter mactat Aſſidæos: Ignavè fugit Judam: Calumnioſè occupat animum Demetrii. Hæc ſunt timidæ ambitionis arma: per hos meatus obſcuros erepere conatur ad ſummum faſtigium, ad quod juſto, ac recto itinere aſpirare non audet. Ineſcatus Alcimi donis Demetrius, & criminationibus circumventus, in Judæam cum Alcimo *miſit Nicanorem, unum de principibus ſuis nobilioribus* ſeu, ut Græcè eſt, *de ducibus inclytis*: libro ſecundo dicitur præfectus elephantorum Regiorum. Eum autem Rex potiſſimùm elegiſſe videtur, quòd, præter publicum Syrorum in Judaïcam gentem odium, privatæ etiam ipſi inimicitiæ intercedebant: unde eò procliviùs id bellum ſuſcepturus, & animoſiùs geſturus eſſet. Nam *erat inimicitias exercens contra Iſraël*; Græcus textus duplici verbo eas ſimultates explicat: dicit enim fuiſſe *μισοῦντα καὶ ἐχθραίνοντα τὸν Ἰσραήλ, Iſraëlitas odio & inimicitiis proſecutum.* Huic duci, ad Judæos vexandos ſuapte ſponte propenſo, mandat Demetrius *evertere*, *ἐξᾶραι* delere, exterminare *populum* Judæum, qui à Judæ partibus ſtabat.

Quis Nicanor?

Quæres an idem hic Nicanor, & de quo ſuprà cap. 3. ac lib. 2. cap. 8.? Exiſtimat Salianus, dicitque ob clades ſæpiùs à Judæis, ut ibi narratur, acceptas, ſingulariter inimicum fuiſſe. Propendeo ad eam Saliani conjecturam, etſi video objici mihi poſſe, lib. 2. cap. 8. v. 36. dici, ab eo prædicatos *Iudæos invulnerabiles*, ob religionem ſervatam, quæ voces non ſunt inimici: & vix habeo, quid iſti objectioni reſpondeam, niſi vel laudatos ab ipſo Judæos, ut ſpecie benevolentiæ in fraudem pellicerentur; vel prædicatum divinum auxilium ad minuendam cladis ignominiam; vel, ſi tunc ex animo Judæos laudavit, homines facilè mutari, & plùs plerumque ad exacerbandos animos homines poſſe acceptum ab aliquo dedecus, quàm opinionem de ejus virtute conceptam ad mitigandos. Certior eſt Joſephi conjectura, dicentis, hunc Nicanorem unum fuiſſe de comitibus Demetrii Româ fugientis: à Polybio enim in iis nominatur inprimis Nicanor, neque apparet

quia

quis alius ejus nominis meliùs dicatur eſſe de intimis amicorum Demetrii; quàm fidus fugæ ſocius? Non pugnat verò iſta Joſephi opinio, cum priore Saliani: imò utraque facilè conciliabitur, ſi cum hoc dixeris, Nicanorem poſt Epiphanis mortem ad Demetrium navigâſſe, odio temporum, forſan & poſt cædem Octavii, Diodoro Romam euoti, ut Demetrium ad capeſſendum regnum impelleret, ſe comitem adjunxiſſe.

Series hiſtoriæ.

ỳ. 27. 28. Et venit Nicanor in Hierusalem cum exercitu magno. Hîc interjicienda ſunt, quæ narrantur lib. 2. cap. 41. à v. 13. uſque ad v. 37. de adventu Nicanoris in Judæam, orationibus Judæorum ad Deum, congreſſu Simonis, pace initâ, tertiâ Alcimi profectione ad Regem, pro ipſo Nicanore quaſi prævaricatore criminando, pacis per Nicanorem juſſu Regis violatione, primâ per eumdem Templo factâ comminatione, & ſacerdotum inde conſternatione. Vide ſeriem hiſtoriæ à numero 87. uſque ad 91.

Ubi hoc tẽpore erat Judas?

Venit igitur jam ſecundò Nicanor Hieroſolymam, cum iogentibus copiis, eamque iogreſſua, repugnante, ut apparet, nemine, cùm defendi non poſſet, *miſit ad Iudam & ad fratres ejus.* At hi ubi erant? Etiámne in munitionibus Templi, quomodò putavimua, cùm Bacchides eſſet in Judæa? Videntur potiùs hoc tempore regionem obiiſſe, & præſidiis luſtrandis iotenti fuiſſe. Nam mox v. 31. Judas dicitur caſtra metatos in Capharſalama: paullò pòſt *in locu Samaria* verſabatur, lib. 2. cap. ult. v. 1.

Simulatio artificioſa Nicanoris.

Miſſi à Nicanore *verbis pacificis cum dolo*, duo petunt: *Non ſit pugna inter me & vos*, ab armia ceſſetur: alterum: *Veniam cum viris paucis, ut videam facies veſtras cum pace*, liceat mihi cum paucis comitibus videre vos, & alloqui. Paucoa ſecum fore comites ſignificat, ut eò majorem ſtabilis amicitiæ fiduciam oſtendat, & omnem inſidiarum ſuſpicionem amoliatur, ſe enim, uti non metuat, ita neque eſſe metuendum; fideodum fidenti. Addit Joſephus, oblatum à Nicanore juſjurandum, ſi quid metuat: non eſſe cur belli fortuna tentetur: Regem jam in gentem Judaicam eſſe propenſiſſimum: id ſe cum paucis amicis teſtatum venire. Vero-ſimile etiam eſt ſignificâſſe, diſſipatas eſſe Alcimi criminationes, pacem antè initam ratam haberi à Rege, ſe vicariam Machabæo poteſtatem confirmaturum, aliaque ejuſmodi, ad fucum meliùs faciendum.

Prudenter eluſa à Juda.

ỳ. 29. 30. Et venit ad Judam, et salutaverunt se pacifice. Nicanor Judæ Iſcariotæ perſonam gerit, Judas Machabæus Chriſti. Dum enim amica illa in ſpeciem fit ſalutatio, *& hoſtes erant parati rapere Iudam*, quaſi in unius capite ſumma totius Judaicæ rei verteretur. Oportuit diſpoſitum fuiſſe à fædifrago Nicanore militem in inſidiis, qui incautum Judam comprehenderet. At verò hic, cui notæ erant artes Græcorum, & Infidelium perfidia, ita omnia tentavit, ac circumſpexit, ut per ſe aut per ſuos fraudem detexerit. *Et innotuit ſermo*, id eſt, res per Hebraiſmum, *Iudæ, quia cum dolo venerant ad eum: & conterritus eſt ab eo*, Nicanorem timuit ut perfidum, *& ampliùs noluit videre faciem ejus*, Tentatus etiam forſan poſtmodùm de amicitia: ſed mendaci, ac perfido, quis tutò credat?

Stabilitur ſeries hiſtoriæ.

In his & præcedentibua verſibus duo ſunt, quibus evidenter colligitur aliam eſſe ſalutationem Nicanoris, ac Judæ, ab eâ, quæ lib. 2. cap. pen. narratur: primum, quòd hic *cum dolo* fiat ſalutatio, ibi verò ſincera ſit amicitia: alterum, quòd hîc ſtatim deprehenſa ſit fraus, & abrupta omnis ſpes pacis, ibi verò pax aliquamdiu perduret. Cùm autem hîc dicatur, detectis inſidiis ooluiſſe Judas ampliùs cum Nicanore agere: manifeſtum eſt, hanc ſalutationem poſteriorem eſſe eâ, quæ refertur libro ſecundo; & nos utramque ordine ſuo in ſerie hiſtorica collocâſſe.

Quæ Capharſalama?

ỳ. 31. Et cognovit Nicanor, quoniam denudatum est consilium eius, et exivit obviam Judæ in pugnam iuxta Capharsalama. In Græcis Regiis habetur *Capharſarama*: Sixtina, & Joſephus habent ut Vulgata. Hunc locum eumdem Antipatridi & Doræ facit Adrichomius. Sed de Dora, quam cap. 15. deſcribemus, verum eſſe non poteſt: cùm Ptolemæus aliique Geographi Doram ab Antipatride manifeſtè diſtinguant, & Phœniciæ illam, hanc Judææ adſcribant.

Non eſt Antipatris.

De Antipatride autem & Capharſalama Adrichomii ſententiam aliqui ſecuti ſunt, eamque in ſua chorographica tabula Tirinus expreſſit. Bonfrerio tamen oon probatur. Primùm, quia Antipatris urbs fuit, ſic de parentis nomine appellata per conditorem Herodem Aſcalonitam: Capharſalama verò vicus nominatur à Joſepho lib. 13. cap. 18. Deinde quia Antipatris propè abfuit à mari, Joppeo inter & Cæſaream ſita, ex Gulielmi Tyrii deſcriptione. Capharſalama autem Hieroſolymæ vicina eſſe debuerit; cùm illuc Syri à clade refugerint. Eum in modum diſputat ad vocem Antipatris in Onomaſtico Bonfrerius: cujus jam in cœlo, ut planè confido, viventis benevolentia ſincera, ſolida Scripturæ ſcientia, candidiſſima virtus, ſemper apud me victura eſt. Amplector hîc lubens, & alibi ſæpè, ipſiua opiniones: quando ab illis diſceſſi, & diſceſſurus ſum; non dubito, quin quod ipſi ſemper placuit ſtudium veritatis, in me non diſpliceat, amico quondam ſuo.

Clades Nicanoris.

ỳ. 32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri. Cui fraus non ſucceſſerat, neque aperta vis ſuccedit. Amittit de ſuis millia quinque: ut habent Sixtina Græca, etſi Regia & Baſileenſia malè ponant quingentos. *Reliqui fugerunt in civitatem David*: fuit itaque ibi arx Syrorum.

Error ingẽs Joſephi.

Abſoous planè hoc loco, & meritò à Saliano exagitatus, eſt error Joſephi, qui cùm perpetuus ſit exſcriptor hujus libri, ab ejus tamen ſententia tam longè diſcedit, ut cladem ac fugam, non Nicanori, ſed Judæ aſcribat. Decepit forſan parum attentum hiſtoricum civitas David, ad quam refugiſſe victi dicuntur: ſed attendere debuit ſequentia, & vel ex ipſa Nicanoris rabie ac minis diſcere, penès quem ſtetiſſet victoria.

Nicanor adit ad Templum.

ỳ. 33. Et post hæc verba, iterum, phraſi Hebraica ubi *verbum* pro *re* ſumitur, id eſt, *poſt hac res geſtas*, poſt acceptum dedecus cladis ac fugæ, *aſcendit Nicanor in montem Sion: & exierunt ei obviam*, &c. Templo ſcilicet, ſeu *ex Sancto* ut Græcè habetur, *de ſacerdotibus* aliqui, Græcè additur, & quidam *ex ſenioribus populi*, ut ipſum venientem exciperent, *& ſalutarent eum in pace*, id eſt, conarentur animum ipſius, quem dolore cladis etiam quàm antè acerbiorem arbitrabantur, delinire. Meminerant enim impiarum minarum, quas in Templum ante pugnam jactârat lib. 2. cap. 14. v. 32. 33. metuebantque, ne jam cumulatâ irâ, eas exequeretur. Cœperunt itaque *demonſtrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro Rege*. ut inde colligeret ipſos ſeſe pro ſubditis Regis gerere, adeoque nec Regiis ducibus inſenſos eſſe.

Quæro

Orandum etiam pro impio Rege

Quæro primùm: peccaríntne ſacerdotes iſti hoſtias offerendo pro Rege impio, quem ſcirent apoſtatarum fautorem, hoſtem piorum omnium Judæorum? Reſp. oon peccâſſe. Erant enim adhuc ſubditi Demetrii: faciebant igitur, quod pro Principibus, quamvis impiis, ſubdiô facere debeot, quomodò Iſraelitæ Babylone habitantes, Hieroſolymitas monent, Baruc cap. 1. Vide & Eſdræ lib. 1. cap. 6. Idque conſuetudine perpetuâ apud Judæos ſervatum, docent eorum erudítiſſimi, contra ſeditioſum Eleazarum Ananiæ Pontificis filium, apud Joſ. lib. 2. Capt. cap. 6. Eleganter, apud Serarium, Rabbi quidam Ananias, lib. Pirkeavoth cap. 3. *Ora*, inquit, *pro pace regni, niſi enim magiſtratus timeatur, alii alios vivos devorent.* Eo fine à Chriſtianis 1. Tim. 2. Paullus cupit fieri obſecrationes pro omnibus homioibus; iis præſertim, *qui in ſublimitate poſiti ſunt*, ut tranquilla & quieta vita agi poſſit. Quod monitum exactiſſimè poſtmodùm obſervatum, teſtis locuples eſt Tertullianus, in Apologetico ad Scapulam Proconſulem, ubi ait: in conventibus Chriſtianorum *ſacrificari pro ſalute Imperatoris*, idololatræ licèt, & acerbiſſimi perſecutoris Eccleſiæ. Teſtis item Afer alter Arnobius, lib. 4. con. Gen. in fine, ubi ait, in conventiculis ooſtris *Summum orari Deum, pacem cunctis, & veniam poſtulari, magiſtratibus, exercitibus, Regibus.* Hunc in modum ſacerdotes Judæi holocauſta pro Demetrii ſalute, & proſperitate offerebant. Neque obſtabat, quòd hoſtis eſſet religionis: id enim ipſum præcipuè ſpectabant in ſacrificiis ſuis, ut hoſtis religionis eſſe deſineret; cùm à vero Dei cultu pendeat, non animorum ſolùm, ſed & reipublicæ ſalus. De oratione pro Regibus vid. Suar. to. 3. Diſp. 78. ſect. 2.

Licet alteri occaſionem præbere deceptionis nobis commodæ.

Quæro deinde, peccarintne iidem Sacerdotes Nicanori victimas oſtendendo? Ratio dubitandi eſt, quòd eas oſtendiſſe videotur, ut perſuaderent Nicanori, ſe clade Regii exercitus, victoriâ Machabæi, non gaudere: cùm tamen conſtet aliam eorum fuiſſe mentem, ex oratione, quæ v. 37. & 38. ſubditur. Mentiebantur igitur, quando aliud ſimulabant, aliud volebant. Reſp. nihilominùs non peccâſſe: nihil enim dixerunt, aut oſtenderunt, quod verum oon eſſet; revera enim pro ſalute Regis orabant. Nec refert, quòd inde putarent Nicanorem ſibi perſuaſurum aliquid falſi: poſſumus enim, quod verum eſt dicere, etſi inde videamus alium occaſionem ſumpturum falſæ illationis. Eo enim facto, non illum nos, ſed ipſe ſe decipiet: nec nos præſtare tenemur, ut nemo ſe fallat, præſertim ubi ea deceptio nobis utilis eſt, verbi cauſâ, in aggreſſore injuſto. Certè ſi id oon liceat, omne inſidiarum in bellis genus damnandum erit, ubi aliud prætenditur, aliud latet; nec prævidetur ſolùm, ſed etiam deſideratur hoſtium deceptio.

Atroces Nicanoris minæ.

℣. 34. 35. Exulceratus, & deſiderio abolendi dedecoris ſui ferox Nicanor, non modò non placatus eſt ſubmiſſione ſacerdotum, ſed *irridens ſprevit eos, & polluit*, id eſt, ignominiosè accepit, & pro contaminatis ac rejectitiis habuit: *& locutus eſt ſuperbè, & juravit cum ira dicens: Niſi traditus fuerit Iudas, & exercitus ejus in manus meas*, Græcè additur τὸ νῦν, *jam nunc, continuò, cùm regreſſus fuero in pace, ſuccendam domum iſtam.* Jam iterum petit ſibi Judam & ſocios dedi, quomodò ante lib. 2. c. 14. intentatâ tunc profanatione Templi, jam incendio. Putabat forſan Judam & ſuos, ad Templi conſervationem, ſibi perſuaderi paſſuros, ut poſitis armis ultrò in poteſtatem ejus venirent. Cùm verò ſacerdotes ad inſaoum poſtulatum ac minas, vel ſilerent, vel id reſponderent, quod primâ vice lib. 2. cap. 14. neſcire ſe, ubi Judas eſſet; &, ſi ſciant, capere non poſſe: *exiit* è Templo *cum irâ magnâ.* Intraverat igitur Templum, & forſan, oon tantùm *quatenus licuit Gentili*, ut Salianus opinatur. An enim credibile ſit, tam religioſum fuiſſe hominem ferocem & impium, ut in atrio Gentium conſiſteret, neque ad ipſum Levitarum locum penetraret? Præſertim cùm disertè lib. 2. cap. 14. de altari effodiendo interminetur, ut ipſi viſum de proximo exiſtimare liceat.

Quomodò ſteterint ſacerdotes orantes?

℣. 36. Et intraverunt Sacerdotes, regreſſi à proſequendo Nicanore, *& ſteterunt ante faciem altaris*, quod erat in medio atrio Levitarum, *& Templi*, quod atrio Levitarum interius erat. Benè hîc advertit Salianus, ſacerdotes dici ſtetiſſe, non quòd erecto in pedes corpore orârint, quomodò Phariſæus Evangelicus, neque enim is ſitus ſemper voce *ſtandi* in Scriptura ſignificatur: quod variis exemplis probat. Duo tamen haud ſcio an omnibus probabuntur: de peccatrice quod ponitur, *ſtans retrò ſecus pedes Domini*, non de ſitu ſed de manendo iotelligendum eſſe: item de Diva Virgine quæ *ſtabat juxta Crucem* Domini, id eſt, inquit, manebat. Ego ſanè & peccatricem illam, ſapienter inverecundam, io pedes ſtetiſſe exiſtimo: & multò magis D. Virginem erecto corpore ad Crucem filii fuiſſe, qui ſtatus conſtantiam ejus, ac fortitudinem, decet in ſummis doloribus. Duobus itaque iſtis exemplis opus non erat, ut probaretur vocem *ſtandi* ſumi aliquando in Scriptura, pro *manendo*: id enim adeò frequens eſt, ut ſupervacuum ſit annotare, cùm paſſim occorrat ſtare ſtellas, ſtare operarios, ſtare currus, ſtare in regione, &c. *Steterunt* ſacerdotes, id eſt, manſerunt ſupplici ſitu, cis altare, forſan humi ſtrati ut lib. 2. cap. 3. v. 15. *& flentes dixerunt* &c. Senſus orationis planus eſt. An liceat vindictam de hoſtibus deſiderare, vide ad cap. 2. v. 67. Acceptam fuiſſe Deo ſacerdotum orationem, patebit ex conſecutis.

Copiæ Nicanoris.

℣. 39. 40. Et exiit Nicanor ab Jerusalem, audito Judam in Samaritide eſſe; *& caſtra applicuit ad Bethoron:* Inferiorem ad tribum Benjamin? Ao ſuperiorem ad tribum Manaſſe? Illam putat Salianus: ego etiam malim, ex aliarum urbium ſitu, de quibus mox: *Et occurrit illi*, Nicanori, *exercitus Syriæ*, copiæ auxiliares ex præſidiis undique excitæ, & adeſſe juſſæ ad decretorium prælium. Hinc coovincas oſcitantiam Joſephi, qui Nicanori novem omninò hominum millia tribuit, contra apertam Scripturæ lib. 2. Mach. veritatem, & contra omnem veriſimilitudinem. Quis enim ſibi fingat prudens, Nicanorem de primis Demetrii amicis, præfectum elephantorum, cum exercitu in Judæam miſſum, acceptis auxiliis, novem omnino millia numerâſſe in prælio condicto contra veteraoum victorem?

Copiæ Machabæi.

Nicanore ad Bethoron progreſſo, *Iudas cum tribus millibus viris*, de quibus iterum Joſephus, inſigni imprudentia aut vanitate, duo millia detrahit, *applicuit in Adarſa*, Græcè *Adaſa*, quam urbem triginta ſtadiis abfuiſſe à Bethoron ſcribit Joſephus, & infrà v. 45. dicitur diſſita itinere diei à Gazaris. Unde primùm colligo, Adarſam non exactè ab Adrichomio in tabula ſua collocatam, nimis propè Gazara, nimis longè à Bethoron. Conjicio ſecundò Bethoroo inferiorem intelligendam, ad quam Nicanor applicuit: ſi enim erat ad Bethoron ſuperiorem, quorſum copiæ Nicanoris Gazaram, & non aliorſum potiùs, refugiſſent? Adde

Bethoron ſuperiotem longè aptiorem fuiſſe excipiendis ex Syriâ auxiliaribus. De Bethoroo utrâque vide dicta ad cap. 3. v. 16.

℣. 41. & 42. Sequitur oratio Judæ, de qua meliùs lib. 2. cap. ult. ubi eadem refertur. Hoc loco in textu nihil eſt difficile. Græca Regia oomen *Sennacherib* non exprimunt, ſed res ipſa loquitur.

Cædes Nicanoris: & trium Joſephorum Hebræorum mendacia.

℣. 43. Dies prælii exprimitur, quomodò & libro ſecundo *decima tertia menſis Adar*, qui ultimus eſt anni, & ex parte reſpondet Februario noſtro. *Cecidit Nicanor primus in prælio*, & quidem incerta manu, cùm ejus cædes ad finem uſque prælii victoribus ignora fuerit, ut patet ex lib. 2. cap. ult. Unde argue vanitatem ac mendacia trium Joſephorum. Primi, & qui ſolus de tribus hiſtorici nomen meretur: quòd dicat Nicanorem mortuum, ſtrenui ducis ac militis functum officio: quomodò enim id potuit, qui primus cecidit? Secundi, quem Gorionidem ſeu Ben-Gorion vocant: quòd fingat Nicanorem à Juda ſingulari certamine provocatum, & cùm fugeret retractum, & gladio in partes duas diſſectum: ſi enim à Juda occiſus eſt tam ſpectabili duello, quomodò Judæi ejus mortem ignoravêre? Tertii de tribus vaniſſimi, quem Joſephum Hebræum vocat Serarius, ſeque Gorionidis ſequacem profitetur: quòd Nicanorem hoc prælio captum aſſerat, dimiſſumque paullò pòſt cum fœdere, ac dedecoris plenum revertiſſe ad Regem. En nugatorum, & veritatem penſi non habentium, ineptias, fermè exſcriptu & lectu indignas.

Syri diffugiunt.

℣. 44. 45. 46. UT VIDIT EXERCITUS Syrorum, *quod cecidiſſet Nicanor*: fortuito ictu, & in incertum jaculato, percuſſum fuiſſe, eſt credibile, quomodò Achabum 3. Reg. 22. Inde factum, ut Judæi mortem ejus ignorarent; ſui, qui labentem viderant, ſcirent. Conſternati igitur morte ducis Syri, abjectis armis, dant ſe in fugam. Veſtigia preſſerunt Judæi, *& perſecuti ſunt eos viam unius diei* militaris *ab Adazer* ſive Adaſa, eadem enim eſt, & utrobique Græcè habetur *Adaſa*: *uſque quò veniatur in Gazara*, ſeu Gazera, ut Græcè eſt, aut Gazer, urbem Ephraiticæ tribus, de qua c. 4. v. 12. Alia eſt, quàm Gazer de qua cap. 5. v. 8. *Et tubis cecinerunt poſt eos ſignificationibus*, ſeu ut Græcè habetur, *tubis ſignorum*, de quibus cap. 4. v. 40. Clangore tubarum ſignificabatur victoria, & exciebantur Judæi undique ad cædendos fugientes. Intellecto ſono, *exierunt de omnibus caſtellis*, ſeu *vicis* κωμῶν, *Judea in circuitu*, cives & ruſtici armati adversùs inermes ac paventes.

Ad internecionem delentur.

ET VENTILABANT EOS CORNIBUS, ET CONVERTEBANTUR ITERUM AD EOS: Græcè ad verbum: *Et ſupercornupetebant ipſos, & revertebantur hi ad illos.* Aliqui dicunt vertendum fuiſſe: cornu hoſtilis exercitus ſuo involvebant: vel, cornua copiarum ſuarum extendebant, ad concludendos fugientes. Sed utraque interpretatio aliena eſt à ſenſu Scripturæ, & à re ipſa: cùm exiguis Machabæi copiis concludi non potuerint tot hominum millia, in tam præcipiti fuga, abſque ordine ullo paſſim diſſipatorum. Eſt ergo illa locutio, *Ventilabant eos cornibus*, Hebraica phraſis, qualis Pſ. 43. *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*, ducta forſan à tauris pilas excutientibus, aut à *cornu*, id eſt potentia: eaque locutione ſignificatur, ſocios Judæ, qui fugientibus inſiſtebant, aut occurrebant, eis multò fortiores fuiſſe, armatos inermibus, victores fugientibus, conſtantes conſternatis: & *hos revertiſſe*, ſeu *ſe convertiſſe ad illos*, aut, *iterum ad eos*, id eſt Syros, cùm in hoſtem recentem ex oppidis egreſſum incidiſſent, occluſâ illinc ſpe effugii, converſis veſtigiis incurriſſe in perſequentem cum ſuis Machabæum, & ſic utrimque in medio cæſos *omnes gladio*, ita ut *non relictus ſit ex eis nec unus*. Libro ſecundo triginta quinque minimùm millia cecidiſſe dicuntur.

Victoriæ fructus.

Verſibus ſequentibus narratur fructus victoriæ, ſpolia capta, caput Nicanoris & dextera amputata & ſuſpenſa, *contra* ſeu παρὰ *apud* Jeruſalem: feſtus dies actus, & indictus in poſterum: quies aliqua Judææ ſubſecuta, nam *ſiluit*, ἡσύχασεν, *quievit terra Juda dies paucos*, id eſt, per Hebraiſmum, pax aliqua fuit, ſeu quies à bellis. De variis hujus prælii circumſtantiis, & conſequentibus, quia fuſiùs libro ſecundo traduntur, etiam nos eò aptiùs reſervabimus: Conſule interim ſeriem hiſtoricam à num. 92. uſque ad 98.

EXCUR-

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 7. *v.* 43. Contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe primus in prælio.

Communium miſeriarum cauſſæ præcipuæ.

SECTIO PRIMA.

Peccata publica maximè implent Menſuram divinæ Iuſtitiæ.

I. Fælicitas eſt nôſſe peccata.

DE Menſura dicendi locus erit Excurſu ad caput 16. Nunc quærendum quæ potiſſimùm peccata Menſuram iſtam ſoleant implere. D. Cyprianus epiſtolâ 55. ad Cornelium Papam: *Primus*, inquit, *felicitatis gradus eſt non delinquere, ſecundus delicta cognoſcere.* Nec longè abludit Epicuri verbum apud Sen. ep. 28. *Initium ſalutis, notitia peccati.* Chriſtianè dictum: longè tamen meliùs Proſper, libri con. Coll. cap. 8. agens de initio ſalutis, quod à Deo eſt: *cujus*, animæ, *ſalus prima eſt, ut ſibi incipiat diſplicere, & vetuſtatem ſua debilitatis odiſſe. Sequens verò eſt, ut ſanari deſideret, & à quo ſananda ſit, noverit.* Quod illi de privatorum ſalute dixerunt, hoc de rebuſ-publicis dicimus: Gradum proximum ad earum incolumitatem eſſe cognitionem criminum, quæ præcipuè divinam vindictam ad publicas calamitates immittendas provocant. Ea crimina primùm publica eſſe demonſtrabimus: & in his præſertim Impietatem, & Injuſtitiam. Ducit nos illuc exitium fædifragi & ſacrilegi Nicanoris, cum exercitu ſuo ob ea nominatim flagitia pereuntis.

II. Quænam ſint publica peccata?

Ante omnia ſtatuendum, quæ ſint reipublicæ, publicaque peccata. A privatis enim peccari neceſſe eſt, quidquid reipublicæ imputatur; quæ propriam utique, & à membris ſuis diſtinctam voluntatem, non habet. Quid ergo inter privatorum ac reipublicæ peccata intereſt? Longè plurimùm. Privata enim peccata ſunt; quæ patrantur à ſingulis nomine ſuo, non publico: verbi cauſsâ, inimicitiæ, doli, latrocinia, quæ ab republica punirentur, ſi reſciri poſſent. Publica cenſentur, quæ à privatis committuntur reipublicæ nomine, id eſt, quà corpus illud civicum conſlant, vel ejus capita ſunt, aut partes præcipuæ. Quod enim reipublicæ corpus facit, aut rectores, aut pars populi major, id univerſæ reipublicæ tribuitur.

III. Declaratur magis.

Ut iſthæc ad vulgi captum propiora ſint, familiarem reipublicæ cum domo privata comparationem inſtituamus. Vir caput domûs eſt, uxor ſub illo dominatur, reliquam partem liberi ac famulitium conſtituunt. Si peccat vir, contrahendo injuſtè, malè vendendo, emendo iniquè, prodigendo: inſtar eſt peccatorum à civitatis magiſtratu profectorum Si uxor præeuntem ſequitur, & ad mariti mores accedit: jam præcipuæ partes peccant. Si famuli herum imitantur, ſi liberi in parentum exempla ſuccedunt: univerſa peccat familia. Et verò ſic fieri ſolet, ut proles parentum moribus reſpondeat. Salv. lib. 1. ad Eccl. *Hinc eſt quod penè omnes parentibus ſuis filii, non magis in patrimonia, quàm in vitia ſuccedunt... Antè eorum incipiunt nequitiam, quàm ſubſtantiam poſſidere. Priuſquam in domo ſua incipiant habere res paternas, habent in animis ipſos patres. Et antequam habeant illa, quæ falsò dicuntur bona, habent illa quæ verè probantur mala.* Scriptura Num. 26. *Factum eſt*, inquit, *grande miraculum, ut Core pereunte filii non perirent.* obmurmurante & rebellante parente non rebellâſſe liberos, communeque ſupplicium non incurriſſe, Deus ipſe pro miraculo habet. Adeò difficile eſt, ut patrum vitia in filios non tranſeant. Poſſit etiam non incommodè cum homine conferri reſpublica. Sit magiſtratûs inſtar voluntas ac ratio: affectiones animi, ac membra corporis, plebs erunt. Peccare poteſt homo cogitatione, verbo, opere. Si cogitatione ſolâ: magiſtratus ſolus peccat, ſed publico nomine. Si linguâ: jam voluntas, & intellectus, & imaginatio, & os peccant, id eſt partes præcipuæ. Si opere patratur malè cogitatum, & malè volitum: tunc populi omnis commune peccatum eſt.

IV. Peccata reipublicæ triplicia.

Similem in formam de republica ratiocinemur. Quando rector, aut ejus nomine ſui peccant, quà publicum officium gerunt; tunc peccatum à capite patratum reipublicæ imputatur: cujuſmodi ſit judiciorum ac tribunalium corruptio, munerum in indignos diſtributio, ſcelerum impunitas. Quando major pars populi communi conſuetudine Deum offendit, alterum eſt genus culparum publicarum: tamquam, concubinatus frequentes, uſuræ toleratæ, ſimoniæ pervulgatæ, conſuetudo pergræcandi, rerum divinarum contemptus communis, mali mercatus. Tertium genus eſt, cùm reſpublica tota in crimen conſentit: quomodò ſi conſenſu tollitur veræ religionis libertas; ſi licentia ſuperſtitioni, hæreſibúsve, ſine cauſſa valdè exactè probatâ, conceditur; ſi bella injuſtè inferuntur; ſi fædera pernicioſa coëuntur.

V. In exemplis oſtenduntur.

In Machabæorum hiſtoriâ videre eſt triplicis iſtius generis exempla. Primi: cùm primores Judæorum ambitiosè & injuſtè Pontificatum invaduot, Lyſimachus, Menelaüs, Jaſon, Alcimus. Secundi: cùm pars Judæorum magna ad exteros ritus,& inſtituta Gentilium propenderet. Tertii: cùm Syriæ regnum omne, ſive mavis ille, de quo egimus, Nicanoris exercitus, idololatriæ & rapinis aſſuevit. Ex Salviano & Auguſtino paria in iſtius ætatis hominibus notari poſſunt. Pro primo genere Salvianus lib. de Prov. 8. agens de Carthagine occupata à Vandalis, & dicens, etiam temporibus Chriſtianis, Cæleſtem quam vocabant

deam fuiſſe adoratam, ait: *At, inquit, non omnes iſta faciebant, ſed potentiſſimi quique, ac ſublimiſſimi. Acquieſcamus hoc ita eſſe. Sed cùm ditiſſimæ quæq; ac potentiſſimæ domus turbam faciant civitatis, vides perpaucorum potentium ſacrilegâ ſuperſtitione urbem cunctam fuiſſe pollutam.* Pro altero genere idem lib. 7. agens de eadem Carthagine, poſt multa de libidine declamata: *Quæ ſpes in illo populo eſſe poterat, ubi, cùm unus interdum adulter plebem Eccleſiaſticam polluat, ibi inter tot millia, ſi diligentiſſimè quæreres, caſtum, vel in Eccleſiâ, reperire vix poſſes?* Videtur Auguſtinus Enchir. cap. 80. de eodem genere peccatorum agere. Nam poſt adductum Sodomorum, & Gomorrhæ exemplum, quorum clamor multiplicatus erat, id eſt, publica erat peccandi licentia, *& flagitia publicè velut lege frequentabantur*: ſubdit: *ſic noſtris temporibus ita multa mala, etſi non talia, in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non ſolùm aliquem Laïcum excommunicare non audeamus, ſed nec Clericum degradare.* Deinde narrat, quomodò ſemel eam ob rem pro concione exclamârit. De tertio genere loquitur Auguſtinus ſerm. de temporibus Barbaricis, agens de imaginibus idolorum, quæ per urbes noctu circumferebantur, & dicebantur Nocturnum, eamque aſſerens eſſe malorum publicorum cauſſam: *Tota*, inquit, *hoc civitas fecit, quæ tota conſenſit.* Eâdem ſententiâ Salv. 7. de Prov. agens de exoletis, quod genus monſtroſi peccati in Judæis notatum eſt cap. 1. *Per publicam ſceleris profeſſionem fiebat ſcelus integræ civitatis. Videbat quippe hæc univerſa civitas, & patiebatur. Videbant judices, & acquieſcebant. Populus videbat, & plaudebat. Ac ſic diffuſo per totam urbem ſceleris dedecorisque conſortio, etſi commune hoc omnibus non faciebat actus, commune omnibus faciebat aſſenſus.*

VI. Impietas & injuſtitia præcipua ſunt peccata publica.

Satis intelleximus, quænam ſint Reipublicæ peccata, & quotuplicis generis. Sed quia in iis gentibus varia poteſt eſſe noxarum materia, neque omnis æquè ad Menſuræ complementum facit: non immeritò quærat aliquis, ecquæ ex iis omnibus potiſſimùm vindictam divinam adversùs populos provocent? Iſti quæſtioni obvium ac promptum ab impietate atque injuſtitia reſponſum eſt. Si enim reſpublica per capitis auctoritatem, aut plurium conſuetudinem, vel omnium conſenſum, ſacrilegiis, ſuperſtitionibus, licentiæ opinionum, rapinis, exactionibus iniquis, homicidiis, aliiſque ejuſmodi ad impietatem injuſtitiamque ſpectantibus, habenas laxat, impunitatémve promittit: diu eſſe non poteſt, quin vel ruat omninò, vel magnâ aliquâ calamitate de officio ſuo, & ingruente exitio, niſi reſipuerit, moneatur.

VII. Ratio de impietate.

Ratio eſt, quòd Pietas & Juſtitia fundamentum ſint rerumpublicarum: ſubruto autem fundamento ædificium collabi neceſſe eſt. Fundamenta autem eſſe evinco ex eo, quòd Religio pietáſve finis ſit Rerumpublicarum. Neque enim vivunt homines, ſolùm ut vivant; neque coaleſcunt in cœtus ſolùm ut commodiùs vivant, quemadmodùm pecora, armenta, & ferarum quædam gregatim paſcuntur: ſed vivunt colendi Dei cauſsâ; & in ſocietatem ac populos coëunt, ut meliùs ex natura vivant. Conſule, ſi lubet, Auguſtinum 19. de Civ. cap. 21. & 23. ſub finem. Item lib. 3. Conf. cap. 9. ubi ait, *Ea eſt juſta ſocietas hominum, quæ ſervit tibi.* Deinde: ad Voloſianum ep. 3. *Neque enim conditur & cuſtoditur optima civitas, niſi fundamento, & vinculo fidei, firmæq; concordiæ cum bonum commune diligitur, quod ſummum ac veriſſimum Deus eſt.* Hoc fine Sethi filius Enos congregatis hominum cœtibus *cœpit* communiter *invocare nomen Domini*, Gen. 3. Expende item iſtud Deut. 26. ubi Deus dicitur non ſingulos tantùm homines feciſſe, ſed & *gentes in laudem, & nomen, & gloriam ſuam.* Cùm ergo religio ac pietas populorum finis ſit, impietaſque eum finem deſtruat: quid ſupereſt, niſi ut impietatem profeſſæ, aut pietatem oblitæ reſpublicæ, tamquam ſtirpes inutiles eradicentur, & velut onera ſupervacua projiciantur.

VIII. Ratio de injuſtitia.

Juſtitia verò vinculum eſt civilis corporis, membra inter ſe & cum capite conjungens, & colligans: ſine quo, nec ſubditi debitam magiſtratui Principive obedientiam deferent, nec cives inter ſe commercia, commutationeſque, & poſſeſſionum ſecuritatem ſervabunt. Itaque abrupto juſtitiæ nexu corpus eſſe deſinet, eritque arena ſine calce, lapidum congeries abſque cæmento, acervus ſectorum artuum abſque nervorum vinculo. Unde conſequens eſt, eam civitatem, populúmve, ubi juſtitia publicè profligatur, indignam eſſe, quæ à divina Providentia, rerumpublicarum ſupremâ gubernatrice, conſervetur: quandoquidem ipſa ſibi, diſſuendo partium vinculo, mortem conſciſcat.

IX. Auctoritas virorum magnorū.

Hinc ſapientum Principum & Epiſcoporum celebres voces: quorum illi pro ſymbolo ſumpsêre verba duo, *Pietate & Iuſtitiâ*: hi literis & Conciliis utramque virtutem tamquam publicæ fœlicitatis fontem inculcavêre. Bonifacius Pont. Max. apud Spond. an. 1302. de Eccleſiaſticæ Laicæque poteſtatis ad eumdem finem conſpiratione agens, verba Geneſis ad eam conjunctionem applicavit, audientibus Galli Regis Legatis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quæ verba eódem retulit Bern. ep. 243. ad Conradum Regem Romanorum, ubi etiam hæc præclara: *Non veniat anima mea in conſilium eorum, qui dicunt, vel Imperio pacem & libertatem Eccleſiarum, vel Eccleſiis pacem & exaltationem Imperii nocituram.* Epiſcopi Orientales in ep. ad Taraſium Conſtantinopolitanum Patriarcham, quæ habetur act. 3. Conc. Nic. 2. *Sacerdotium Imperii ſanctificatio eſt & conſtitutio, & Imperium Sacerdotii fortitudo & firmamentum. De quibus ſapiens quidam Princeps, & in Regibus beatiſſimus, ait: Maximum donum Deus præbuit hominibus Sacerdotium, & Imperium: illud quidem adornans & regens cæleſtia, hoc verò gubernans terreſtria.* Ita & Patres Conc. Aquiſgr. ſub Ludovico Pio, famem, peſtem, bella, aliaque mala regni Francorum ex eo veniſſe aiunt: *Quia Principalis poteſtas, diverſis intervenientibus occaſionibus, ſecus quàm auctoritas divina ſe habeat, in cauſſas Eccleſiaſticorum proſilierit: & Sacerdotes, partim negligentiâ, partim ignorantiâ, partim cupiditate, in ſæcularibus negotiis & ſolicitudinibus, ultra quàm debuerant, ſe occupaverint.* Baſilius Imperator in Conſtitutione de Officio Patriarchæ apud Bar. tom. 10. an. 885. dicit, *conſenſum Patriarchæ & Imperii eſſe ſanitatem Imperii, quoad corpus, & animam.*

X. D. Remigiĩ reſponſum, & oraculũ.

Sed iſthæc magis ad unam religionis partem, de qua mox dicemus, pertinent. Univerſim de Pietate & Juſtitiâ dictum ab D. Remigio, cùm Clodovæus ante baptiſmum, inter varias quæſtiones, & hanc propoſuiſſet, *Quamdiu ſtatura eſſet Francorum Monarchia: Quamdiu*, inquit, *ſtabunt Pietas & Iuſtitia.* Interroga de cæteris monarchiis ac populis D. Remigium, idem tibi, quod de Francico, dicet: ſtante Pietate ac Juſtitiâ, ſtabunt; cadente, corruent. Nec reipublicæ, quæ ſæclis duodecim Adriatico fræna injecit, mille Senatorum conſilia proderunt: neque Iberos porrecta in orbem omnem poteſtas juvabit, terrarumque tam

latè

latè patens dominatus, ut Sol illi numquam occidere dicatur. Occidet tamen & ipſa, ſi quando Pietas ac Juſtitia occiderint. Apud Bar. tom. 11. an. 1074. Gregorius 7. ſcribens Philippo Francorum Regi, ubi dixit, vigente religione apud Francos, etiam juſtitiam floruiſſe: *Poſtquam verò*, inquit, *divina & humana jura ſubvertendo, tanta virtus in poſterioribus caput hebeſcere, totius regni gloria, decus, honor, & potentia, cum perverſis moribus, immutata ſunt, & nobiliſſima fama, & ſtatus regni, à culmine ſuæ claritatis inclinata ſunt.*

XI. Gemina ſalutis publicæ origo.

Iſaiæ 62. Hieroſolymæ nomen *Derelictæ* mutatur in iſtud ſuaviſſimum, *Voluntas mea in ea.* Non abſimilem ei appellationem dat Ezech. ult. cap. v. ult. *Dominus ibidem.* Accedit Zacharias cap. 8. apud quem dicitur *Civitas veritatis*, πόλις ἀληθινὴ. Pulcrè etiam Baruc & aptè ad rem noſtram cap. 5. verſ. 4. vocabulum illi hoc dat: *Pax juſtitiæ, & honor pietatis*, εἰρήνη δικαιοσύνης καὶ δόξα θεοσεβείας. Ubi vides pietatem & juſtitiam conjungi. Hoc civitati omni ac populo, qui fælicitatem deſiderat, vocabulum convenire oportet. Apud illum pacata ſit juſtitia, & ſummo in pretio pietas. Equidem Hieroſolyma ipſa poſtquam id nomen amiſit, ſimul urbs eſſe deſiit. Sacrilegi Judæi ſpretâ religione Joan. 8. conculcatâ Nazaræi divini reverentiâ, ſacri loci reſpectu nullo, in Templo ipſo Chriſtum lapidibus parant obruere. En impietatem. Poſt menſes quinque in commune conſulunt de innocente perdendo, ne tota gens pereat, Joan. 8. Et hoc facto juſtitiam omnem proterunt; & legem violant; & commutant mala pro bonis; & cui honorem debebant, dedecoroſam mortem moliuntur; & innocentem addicunt, ut nocentes liberent. Deſinit Hieroſolyma eſſe *Pax juſtitiæ, & honor pietatis?* Simul eſſe deſinet *Dominus ibidem*, & *Civitas Veritatis*, & *Voluntas mea in ea.*

SECTIO SECUNDA.

Impietas populis exitioſa.

I. Tres partes impietatis.

IMPIETATIS tres partes ſtatuo. Prima directè ipſam petit: ex obliquo aliæ. Illa religionem vel pellit, vel immutat, vel opprimit: hæ ſacra aut ſacros violant, id eſt, vel loca, vel homines. Diximus, quia pietas finis eſt civitatum, ubi finis ille impietate ſolvitur, has fruſtra eſſe in Univerſo. Creata eſt ſtella, ut mutuatum à Sole lumen reddat mortalibus: ſi lucere deſinit, quorſum ergo maneat? Arbor frugifera plantata eſt, ſpe fructuum: exſpectantur annis pluribus, nec venturi etiam ſunt poſtmodùm: *Succide ergo eam, ut quid adhuc terram occupat?* Domus habitando exſtructa eſt: ruit tectum, parietes rimoſi labuntur, hiat pavimentum: ſubruatur funditùs, & ex ea materie domus nova ac melior exſurgat. Quorùm civitas populúſve maneat, qui fine ſuo, id eſt, vero Dei cultu prorſus vacuus eſt?

II. Pietas quã neceſſaria publicè.

Hinc tam ſeriò Regius vates Pſ. 2. commendat Regibus, ut intelligant, & iis qui judicant terram, ut erudiantur, apprehendantque diſciplinam; ne quando pereant de viâ juſtâ. Et Sapiens cap. 6. *Si delectamini*, inquit, *ſedibus & ſceptris, ô Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis: diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis.* Sapientia, qua de hîc agitur, uti paſſim eo libro, & in Siracide, nil eſt quàm religio ac pietas. Et vulgare illud, *Initium ſapientiæ timor Domini*, id eſt, religio ſive Dei cultus: & paſſim, timere Deum, id eſt, colere Deum. Eamdem ob cauſſam Deut. 17. Rex ex gente Judaica jubetur eligi, nec multiplicare ſibi equos, uxores, divitias: ac præſertim, *poſtquam ſederit in ſolio regni ſui, deſcribere ſibi Deuteronomium, ut diſcat timere Dominum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.* Vide etiam Deut. 13. ubi Iſraëlitæ jubentur Prophetam, fratres, liberos, uxores, populos totos urbium ſuarum interficere, ſi à religione deficiant vel avocent. Nimirum, ut ait D. Thomas opuſc. 20. Sapientiæ ac Potentiæ cum Religione arctiſſima eſt neceſſitudo & cognatio. Hâc peſſumdatâ, ſapientem populum nullum, vix ullum potentem videris.

III. Experientiâ fit manifeſtum.

Experientia planum id faciet. Commemorare hîc nolim Nabuchodonoſores, Baltaſſares, Antiochos, Heliodoros, Seleucos, quorum exitus, partim hiſtoria Machabæorum, partim alii ſacri libri exhibent. Multò minùs in iis immorer, quæ Joſephus lib. 14. Ant. cap. 12. narrat, de violato per M. Craſſum templo Hieroſolymitano, ſervato per Pompejum, diverſaque inde utriuſque fortunâ ad annos multos. Nec Brennum, Phocæenſes, alioſque Infidelium, cælitùs puniri viſos, recitârim; quia quantumvis falſæ religionis imaginem, in Delphicâ æde Apollinis, delubriſque aliis inanium deorum, violârant. Abundè hiſtoriarum in unicâ Hebraicâ gente Scriptura ſubminiſtrat, ut ad vetera iſta exterarum nationum monumenta abire neceſſe non ſit.

IV. In gente Hebræa.

Balaam Num. 23. dixerat: *Non eſt idolum in Iacob, nec eſt ſimulacrum in Iſraël:* ubi 70. legunt, *Non erit labor in Iacob, nec apparebit dolor in Iſraël.* Quaſi idem ſit dolor, & idololatria. Certè paullò pòſt Jud. 5. v. 8. in Græco legimus hanc ſententiam: *Elegerunt deos novos*, Iſraëlitæ ſcilicet. *Tunc Principes civitatum* vicinarum *pugnaverunt* contra novos idololatras. *Clypeus puellularum viriduos cum lanceis apparuit, & pugnavit quadraginta millibus in Iſraël.* Vides ex ea ſententia, ob idololatriam Iſraëlitas ab effæminatis, qui puellularum inſtar erant, ſuperatos & oppreſſos. Contrà mox cap. 6. Gedeon, Madianitas debellaturus, Principatum ſuum jubetur auſpicari à religionis fundamento, deſtruendaque arâ Baalis, & occidendis tauris, qui ei devoti erant: unde ipſi Jerobaalis appellatio. Quid deinde ab eo initio contra Madianitas patrârit, ſat notum eſt.

V. In Regibus Juda, & Iſrael.

Longum ſit ire per ſingula. Uno textu plurimos coegeramus. Accidit Regibus Juda, quod Deus apertè Salomoni prædixerat 3. Reg. 9. v. 6. & ſequentibus: Iſraëlitas, ſi abirent poſt deos alienos, fore *in proverbium & in fabulam cunctis populis*, &c. Inde Roboam à Seſaco Ægyptio ſpoliatus: Aſa Syrorum tributarius: Manaſſes caveæ incluſus: Joachim captivus: Sedecias cæcatus: capta, exuſtaque Hieroſolyma. *Reliquerunt*, inquit Siracides Eccl. 49. *legem Altiſſimi Reges Juda, & contempſerunt timorem Dei. Dederunt enim*, id eſt idcircò, *regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienigenæ genti.* Iſraëlitici regni, quod ſtulto conſilio Jeroboam impietate ſtabiliendum putavit, ne Hieroſolymam ſui irent, viciſſitudines miræ funeſtaque excidia nota ſunt. Omnes fermè Reges forent nominandi, aut familiæ ſaltem aliæ ex aliis regnantes. Unicâ Jeroboami, politici magis quàm religioſi hominis, domo contenti ſimus. De qua 3. Reg. 14. iſtud eſt Prophetæ ad ejus uxorem, mentito habitu de ſalute filii conſulentem, oraculum: fore ut mundentur reliquiæ domûs Jeroboam,

poſteriq́ue deleantur, *ſicut mundari ſolet fimus uſque ad purum.* Et cap. 13. legimus illud memorabile Hagiographi pronuntiatum: *Propter hanc cauſſam peccavit domus Ieroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.*

VI. Idem patet in Cæſaribus Chriſtianis.

Pari modo in Eccleſia cum Chriſtianis actum eſt Deo vindice, poſtquam religionis puritatem vel ipſi contaminavêre, vel ab aliis maculari paſſi ſunt. Omnia referre non poſſum. Videri pleraque poterunt apud Ribadineiram in Principe Chriſtiano lib. 1. cap. 28. Sat mihi fuerit, Cæſares tres, Reges totidem, totidem deinde regna produxiſſe. Primus eſto Honorius: qui Attalo per Gothos Cæſare acclamato, veritus ne Pagani, quorum non exiguus Romæ numerus ſupererat, & Donatiſtæ Africani partes illius ſequerentur, edictum propoſuit, quo liberam cuique religionem ſuam ſanciebat. Mox capta ab Alarico Roma: cautusq́ue damno Honorius edictum revocavit, & tyrannis atque hoſtibus poſtratis Imperium reſtituit. Sic Baron. an. 411. ex Oroſio. Vix Cæſarum Chriſtianorum ullus Heraclio ſuperior erat, ſi pietatem cæptam tenuiſſet. At poſtquam Monothelitas hæreticos fovit, ſpectatus ſimul ad Meridiem cometes falcatus enſis formâ, & Arabes Mahumetani florem Orientalis Imperii demeſſuêre. Vide Baron. tom. 8. annis 629. 632. 634. Ex quo Leo Iſauricus, Judæorum inſtinctu, Saracenorum exemplo, quæ Iconomachiæ cunabula illuſtria ſunt, imaginum ſacrarum oſor ac proturbator factus eſt; Roma, Ravenna, Neapolis, aliæq́ue in Italia urbes, Imperio Orientali ereptæ ſunt, nihilq́ue exinde illi in Italico ſolo, præter ſemota aliquot oppida, manſit. Conſule Baron. tom. 9. ſparſim ſub Leone, & filio ejus Copronymo.

VII. Exempla Regum:

Venceſlao Boëmiæ Regi conceſſa, ex civilibus rationibus, hæreſi libertas peſſimè ceſſit, ejusq́ue hæredi Sigiſmundo. Ipſe victus, regnoq́ue, ac vita exutus per bella civilia. Sigiſmundus, amiſſis exercitibus quinque, Zizkam, cæcum Huſſitarum ducem de nobilitatis gradu infimo, victorem pati coactus eſt. Ita Spond. an. 1419. & 1420. Boleſlaũm Poloniæ Regem Pruſſi muneribus impulerant, ut ſibi ad priſtinum idolorum cultum revolvi liceret. Sacrilegâ licentiâ impetratâ, fidem brevi Regi ſuo abrupêre, copiasque ejus, & in illis univerſam fermè Polonicam nobilitatem, cecidêre. Ita Crommerus lib. 6. Hiſt. Polon. Giſulphus Longobardorum Rex, Dúx ve ſi mavis, tollendæ publicæ ut aiebat diſcordiæ cauſsâ, libertatem pridem ſublatam Arianis reſtituit. Paullò pòſt abrupta ſubditorum, quam ſtabilire voluerat, concordia eſt. domumq́ue ipſam ejus, atque adcò uxorem, furiæ invasêre. Romildis vocabatur. Hæc maritum exoſa, Avaribus Forum Julium prodidit, Regiq́ue barbaro ſeſe proſtituit. Ita Giſulpho ſimul & pars Principatûs potior, & honor, & conjux periêre. Hanc enim adulter ſatur conficiendam curavit, tranſ-adacto fœdè palo præacuto, quâ parte adulterium commiſerat. Ita Genebrardus ad annum 607.

VIII. Ac regnorum.

Funeſtiſſima hodie Græciæ facies eſt, ſub Turcico Imperio gementis. Cauſſas ex impietate notavimus Excurſu 5. ad cap. 1. ſect. 1. num. 13. Ibi dictis hîc addo, ex Baronio tomo 12. an. 1191. Duobus annis antequam Conſtantinopolis à Latinis caperetur, eiq́ue urbi daretur Latinus Patriarcha: Theodorus Balſamon, juſſu Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, ediderat Nomocanonem, ubi impiè aſſeverabat, jure Pontificem Romanum eſſe Græcis execrabilem, hæreticos eſſe Latinos. Scitur ſatis, quid eâ diſſectione miſerum Imperium tunc pertulerit, & quàm deinceps fuerit invalidum. Quando Britannia tranſiit in Angliæ nomen, accitis ex Norvegiâ auxiliaribus contra Pictos & Scotos, Pelagii errores inſulam omnem obruerant: vixq́ue Auguſtinus, ab D. Gregorio ſubmiſſus, poſtmodùm Epiſcopos novem, eosq́ue Pelagianos, in univerſa inſula invênit. Amiſsâ religione Britanni libertatem, appellationemq́ue, perdidêre. Auſus eſt de Francia ſua, civis tamen bonus, dicere: *Ex quo factum eſt fœdus mutuorum auxiliorum cum inimicis fidei, diluvia malorum Galliam inundârunt.* Sic loquitur Spondanus an. 1637. Vide eumdem annis 1552. 1572. 1589. & Duplexium in Carolo 9. Ita D. Remigius forè prædixerat, in eo teſtamento, quod à Baronio recitatur anno 514. Ubi Apoſtolici ſpiritus & Propheticæ mentis Præſul ſeriò cavet, ut Regibus religionis hoſtibus idem pſalmus 108. occinatur, qui Epiſcopis loco & Eccleſiâ motis, mutatâ ſolùm voce unâ, *Fiant dies ejus pauci, & Principatum ejus accipiat alter.* Scio aliud D. Remigii teſtamentum proferri: ſed hoc non temerè à graviſſimis ſcriptoribus prolatum eſt; Regibusq́ue omnibus, non Francis ſolùm, convenientiſſimè prælegi poteſt.

IX. Perniciosa ſacrorum locorum profanatio.

Neque obiter illic annotandum; non eos modò Reges minis imprecationibusq́ue percelli, qui religionem in ſe violent, ſed qui loca ſacra expilent, aut profanent. Advertit Baronius to. 10. an. 990. Carolum, ultimum Carolidarum, tunc omninò regno exutum ab Hugone Capeto, quando illius aſſeclæ obſtinatè & impiè ſpargere cœperunt, Carolo licere omnia, in templis etiam ipſis ac domibus ſacris. Alexius Comnenus apud Baron. tom. 11. an. 1082. ſub finem, vaſorum ſacrorum, ad neceſſaria licèt bella, temerariæ contrectationi mala publica Imperii tribuit: prohibetq́ue in Bulla aurea, *Ne quis poſthac ſacra temerè contrectet.* Apud eumdem Baron. tom. 7. an. 588. ex Greg. Turon. Rex Franciæ Aquitanicæ Gunteramnus, cùm in Gallia Narbonenſi à Rege Gottorum Recaredo cæſus eſſet, hanc in templo S. Symphoriani, quatuor Epiſcopis præſentibus, orationem habuit ad duces: *Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere poſſumus, qui ea, quæ patres noſtri conſecuti ſunt, non cuſtodimus? Illi verò Eccleſias ædificantes, in Deum ſpem omnem ponentes, Martyres honorantes, ſacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt: gentéſque adverſas, illo opitulante, in enſe & parma ſæpiùs ſubdiderunt. Nos verò, non ſolùm Deum non metuimus, verùm etiam ejus ſacra vaſtamus. Non poteſt obtineri victoria, ubi talia perpetrantur.* Albarotana ſeu Aliubarotenſis victoria Luſitanis celebratiſſima, de Joanne Caſtellæ Rege reportata pridie feſtum Aſſumptæ Virginis, eidem Virgini tribuenda eſt, cujus Guadalupanum ſacellum Rex ille infælix, anno ſuperiore, vaſis ſacris ſpoliârat, ut monetam cuderet ad ſtipendia militum. Iis Spond. an. 1385.

X. Hominum Deo dicatorum oppreſſio exitioſa eſt.

Si locorum ſibi dicatorum injurias publicis calamitatibus Deus ulciſcitur, non inultas abire ſinet, quæ ſacris hominibus fiunt & propiùs ad religionem ſpectant. *Sacrilegii* enim *genus eſt* Dei *odiſſe cultores*, ut Salvianus ait lib. 8. de Provid. ubi enumeratis, quæ Africani in illos deſignare ſoliti erant: *Et mirantur*, inquit, *ſi nunc barbaros illi perferunt, cum videamus quòd ſancti viri in illis barbaros pertulerint.* Cùm Normanni Gallias fœdè vaſtarent; Patres Concilii Meldenſis, poſt

deſcriptas

Digitized by Google

deſcriptas Francorum invaſiones in bona Eccleſiaſtica, addictioneſque ad uſum profanum: *Magnopere*, inquiunt, *cavendum, ne tam manifeſta religionis deſtructio, regni hujus fiat deſolatio.* Vide Bar. tom. 10. an, 845. & 850. Apud eumdem tom. 10. an. 964. & 969. invenies, à Nicephoro Phoca Conſtantinopolitano Imperatore edicta contra poſſeſſiones ſacras propoſita, quaſi Eccleſiaſtici inutiliter pauperum alimenta, & ſtipendia militum conſumerent. Eas leges publicarum calamitatum fontes fuiſſe, Baſilius Porphyrogenitus exiſtimavit, atque adeò ſuſtulit. Nicephorus alter & anterior ſimilia peccârat, circumventus non longè pòſt cum exercitu univerſo, cæſuſque à Barbaris, uti refert Baron. tom. 9. an. 810. & 811. Neque immeritò puniti Cæſares, qui non humanum modò jus, ſed & divinum, imò & naturale, eo contemptu atque oppreſſione dicatorum religioni hominum violabant. Cùm enim naturæ jus cenſeatur, quod apud gentes omnes unanimi jam olim conſenſu inolevit; & ubique, vel apud Barbaros, ſtatuta ſit ſacerdotibus immunitas: conſequens eſt, immunitatem illam ex naturæ lumine derivari. Quam in rem illuſtre exemplum habes Gen. cap. 47. ver. 22. & 26. de terra Ægyptiorum ſacerdotali, oneribus populo univerſo communibus liberâ. Notat Baronius to. 12. an. 1100. Balduinum Regem Hieroſolymitanum Patriarchæ bona & immunitates invaſiſſe: *Et ita*, inquit, *mala jaciens regni ſui fundamenta, non niſi cum labore & dolore regnavit.* Idem anno 1156. poſtquam narravit, quomodò Siciliæ Rex Wilhelmus, cognomento Malus, Papam ad paciſcendum iniquis Eccleſiæ conditionibus adegerit: notat, eodem ſæculo florentiſſimam eam Monarchiam fuiſſe afflictiſſimam, & ſtirpem Nortmanoorum defeciſſe. Cùm Reges Galliæ & Angliæ decimas indixiſſent Eccleſiis, & pauperum bonis, pro ſacro bello Hieroſolymitano: etſi pium hoc videbatur, & approbatores etiam hodie Theologos haberet: Petrus tamen Bleſenſis epiſt. 112. ad Epiſc. Aurelianenſem ea de re iſthæc habet è multis: *Numquam pauperum, numquam Eccleſiæ ſpolia, proſperum habuerunt eventus auſpicium.* Eo ipſo anno, quo Valentinianus 3. lege latâ, omnem fori exceptionem Clericis ademit, Aquileiam Attila cepit, & in ſummum diſcrimen univerſam Italiam adduxit, niſi D. Leo obviàm iſſet. Ita Baron. tomo 6. an. 452.

XI.
Curanda igitur ad ſalutem publicam religio.

Alia, & plura, ſi quis ad iſtud argumentum congerere voluerit, apud Lipſium reperiet in Exemplis politicis, & apud Ribadineiram, alioſque. Mihi iſthæc, ex Eccleſiaſticorum Annalium fontibus hauſta, annotâſſe ſuffecerit, ut evincam, Religionis ac Pietatis potiſſimam eſſe curam oportere iis, qui ſalvas eſſe velint reſpublicas. Chriſtus, Regis triumphantis pompâ Hieroſolymæ à plebe exceptus, rectà contendit ad templum: ut indicaret, qui regnum firmare, victoriamque ac proſperitatem mereri voluerit, ab religione initium fælicitatis ſumere debere. Judam Machabæum cap. 4. v. 36. vidimus, ſtatim ac potuit ad reſtituenda ſacra, tamquam præcipuum Judaïci ſtatus fundamentum ſeſe ac ſuos convertiſſe: *Aſcendamus*, inquit, *nunc mundare Sancta, & renovare.* Jonathan, cap. 9. v. ult. videbimus judicia ſua ab impiis delendis, & impietate profliganda inchoantem. Curanda præſertim ipſa in ſe religio, ut integra ſit & intaminata: neque uſquam, niſi aliter fieri non poteſt, libertas pravarum ſectarum toleretur, ſerviaturque Deo ab omnibus labio uno & humero uno. Ad hoc ſalubriter & ſanctè cogi poſſe ſubditos à Principibus, ac magiſtratibus, docet Auguſtinus ep. 50. ad Bonif. ubi inter alia ait, *è domo ruitura vel invitos eruendos, qui manere perſiſterent.* Et ep. 104. ad Donatum Presbyterum Donatiſtam, qui ſibi manus, ne Concilio ſiſteretur, inferre voluerat, advertit in Evangelio Luc. 14. dictum primùm *Introduc*, dein, *Compelle*: Eccleſiæ vires ad compellendum initio defuiſſe, jam Chriſtianis temporibus ſufficere, impendique debere. Idem ſerm. 34. de ver. Dom. *Voluntate, inquiunt, noſtrâ intremus. Non hoc Dominus imperavit. Coge, inquit, intrare. Foris inveniatur neceſſitas: naſcitur intus voluntas.*

XII.
Reverentia item ſacris locis & hominibus habenda eſt.

Religionis curæ proxima eſt ſacrorum locorum diligentia, ac reverentia: hæc ſi abſit, de illius neglectu ſuſpicari pronum eſt. Turpe privatas domos ſplendere, ædes ſacras ſordeſcere: in abacis argentea vaſa ſpectari, in aris cuprea: filios & filias in purpura ac ſerico inambulare; ſacerdotes ſacris operantes vix textili lana, linóve tincto, operiri. Notum iſtud Aggæi, ſterilitatem ac damna publica poſt Babylonicum exilium tribuentis, negligentiæ in reſtituendo templo Hieroſolymitano: *Vnuſquiſque feſtinavit in domum ſuam, & domus mea deſerta.* Quod de templorum nitore, idem de ſacrorum hominum cultu dicendum. Si adeſt, dubitari non debet, quin religio in honore ſit, fælicitatis publicæ pignus. Pervulgatum eſt, ſolitos ab Conſtantino Magno circumduci Eccleſiaſticos, etiam cùm militaret, ut ſacris operarentur: idem ab Roberto Francorum Rege factitatum, qui cantores ſacros ſemper ſecum in expeditionibus habuiſſe dicitur, velut divinæ benevolentiæ obſides, aut deprecatores aſſiduos.

XIII.
Cauſſæ hodiernorum malorum.

Nierembergius noſter librum edidit de cauſſis hodiernarum Hiſpaniæ calamitatum: quem librum non vidi, niſi poſt annos aliquot, quàm compendium meum Latinum de Cauſſis bellorum edideram. Quærit unde ſeditiones, rebelliones, clades, jacturæ regnorum, vaſtæ illi Monarchiæ acciderint? Sanè, ſi humanitùs res æſtimetur, Hiſpania obtinere contra hoſtes debuit; cùm & conſilio abundet, & viris ab antiquo fortiſſimis, & nervo bellorum pecuniâ. Vix alibi uſquam prudentiores & firmiore judicio naſci, fatetur ipſe, qui virum Politicum effinxit, Sillonius ſcriptor in Gallia celebris. Fortitudinem Romani agnovêre, cum uno ejus regionis angulo Cantabriâ plus ſæculo luctati. Opes ingentes ac fermè inexhauſtas illa provinciarum multitudo, negotiationumque multiplicitas attuliſſe debuerat. Infælix tamen fuit natio, cui ad fælicitatem nil deeſſe videbatur: quia *peccata diviſerunt inter Deum & ipſos.* Impietatis in tam Catholico regno genera tria notat Nieremberg. paragr. 7. Primum, execranda perjuria ac blaſphemias: de quibus puniendis cùm olim lata lex fuiſſet, regno proſpera frequenter evenêre: at poſtquam abrogata eſt, damna turmatim irruêre. Acceſſit ingens Chriſtianorum myſteriorum ignorantia, præſertim apud ruſticanos: ubi plerique Chriſtum, Trinitatem, Venerabile Sacramentum non nôrunt, niſi de nomine, ſæpéque ex inſcitia ſacrilegè peccata confitentur: ignorantiam autem legis divinæ ſupplicia publica mereri, colligitur ex 2. Paral. 24. ubi Joſias id extimeſcit. Secundum impietatis genus eſt, ſacrorum locorum profanatio, ac contemptus, fabulis, inaniis, aliiſque multò turpioribus, cùm præſertim nocte Natalis Chriſti, & nocte, quæ diem ſanctum Paſſionis Chriſti ante-

cedis, abominanda & infanda in templis patrentur. Quæ cùm in ipſis ſacerdotum oculis fiant; en tertium ſimul impietatis genus, ex contumelioſa erga ſacros homines irreverentia.

XIV. Pietas fundamentum familiarum.

Quod de Hiſpania Hiſpanus ſcriptor ſincerè eloqui auſus eſt: idem de multis aliis provinciis ac regnis affirmari poſſet: idem de domibus ſingulis, ac familiis, quarum multæ cum impietate extremam perniciem ſibi accerſivêre. In Jeroboami familia id jam ſpectatum. Contrà plerumque ex pietate nata familiarum fælicitas: *Pietas enim*, ut Paullus ait 1. Tim. 4. *ad omnia utilis eſt*, etiam ad proſperitatis temporalis ſtabilimentum. Inde potiſſimùm decus Abrahamicæ ac Davidicæ familiæ. Neque ignarus hujus rei Tobias ſenior, ad perpetuandam tutorum ſeriem, filium ſuum *ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato*. Videturque Moſes idem innuere voluiſſe Exo. 1. *Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* Ex religionis cultu, qui propriè timor Dei eſt, conceperant peccati odium. Itaque ne Deum offenderent, infantibus contra tyranni edictum pepercêre, longamque poſteritatem meruêre, ad pietatis commendationem perpetuam.

SECTIO TERTIA.

Maxima rerumpublicarum pernicies injuſtitia.

I. Prudentiæ humanæ vanitas.

NUSQUAM meliùs ſpectata conſiliorum humanorum vanitas, cæcitasque prudentiæ, politicis rationibus, non divinis & ex virtute petitis, innixæ, quàm in natione Judaica. Joan. cap. 11. Concilium cogitur de Chriſto, & quæritur: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Caiphæ Pontificis ſententia, ex politicis legibus petita, pronuntiavit contra Chriſtum: ne *venirent Romani, & tollerent locum* Judæorum, *& gentem*. Injuſti eſſe vultis, ut ſecuri ſitis: ideò ſecuri non eritis, quia injuſti: ipſoſque Romanos, quibus avertendis de inſonte opprimendo argutamini, ultores ſentietis. Cæca gens, & ſtudio fælicitatis temporalis æternam ſimul ac temporalem perditura: numquámne audiſtis, toties ab ſapientibus veſtris inculcatas, veriſſimas voces? Prov. 14. *Juſtitia elevat gentem: miſeros autem facit populos peccatum*: id nempe peccatum, quod juſtitiæ opponitur. Prov. 16. *Juſtitiâ firmatur ſolium.* Prov. 25. *Firmabitur juſtitiâ thronus.* Sap. 5. *Malignitas evertit ſedes potentium.* Eccl. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur, propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.*

II. Injuſtitia publicè exitioſior impietate.

Neque eſt cur ſibi miſeri de *loco*, id eſt Templo, & de religionis cultu blandiantur. Etſi enim demus pietatem ipſis cordi fuiſſe, & non potiùs umbram larvámve pietatis: nihil tamen pietas ſine juſtitia rebuſpublicis prodeſt. Imò ad publicam fælicitatem ſatius foret, populos verâ religione, quàm juſtitiâ carere. Major quidem longè virtus eſt religio, quàm juſtitia: cùm hæc hominibus debita exſolvat, illa Deo ac ſuperis. Atque adeò gravius longè injuſtitiâ peccatum eſt impietas: cùm vitiorum fæditas creſcat pro menſura virtutum, quibus opponuntur. Manet nihilominùs, injuſtitiam impietate populis pernicioſiorem eſſe. Nam magnitudo vitiorum in alterius vitæ ſuppliciis attenditur, ubi plectuntur privati. At hìc cùm reſpublicæ puniuntur, magis ſpectantur culpæ, quæ publicè magis noxiæ ſunt. Atqui injuſtitia, meo quidem ſenſu, publicè magis nocet, quàm impietas. Tollit enim hæc finem tantùm rerumpublicarum: illa vinculum partium abrumpit. Fine autem facilius eſt carere, quàm vinculo & conjunctione. Carens fine ſuo civitas, monſtroſa quidem eſt, civitas tamen: ſed diſrupto vinculo, quæ corporis civilis ac ſocietatis humanæ ſpecies manebit? Ne cadaver quidem: verùm acervus membrorum diſſolutorum, & palpitantium artuum confuſa congeries, indignaque conſervatricis Providentiæ curâ, cùm ipſa ſibi vitam abruperit.

III. Notatum à Prophetis.

Et verò hodieque licet advertere, provincias monarchiaſque multas conſiſtere, ubi regnat impietas, quarumque finis eſt pro religione ſuperſtitio. Circumfer oculos ad Chinenſe, Tartaricum, Perſicum, Turcicum imperium: reflecte ad Danos, Suecos, Genevenſes. Non ſine nutu Numinis ſupremi curſum diu in rebus civilibus tenuêre; etſi Pagani, Mahumetani, Hæretici, veræ religionis hoſtes univerſi. At modò tu vel unam civitatem provinciámve demonſtra, quæ diu fælix fuerit, peſſumdatâ publicè juſtitiâ. In hanc rem notavi Amos 2. ubi de peccatis Iſraëlitarum agitur, ſupplicioque publico ex iis imminente, ante inceſtum infamem, & ante idololatriam, primo loco ſtatui injuſtitiam, & fuſiùs deſcribi atque inculcari, tamquam potiſſimam communium malorum cauſſam. Vide & expende verſum 6. 7. 8. Idem adverti Iſaiæ 1. ubi poſtquam vates inclamavit, *Væ genti peccatrici*, & alia multa generatim de peccatis dixit, eorumque publicis pœnis, tandem verſ. 21. commemorat peccatum injuſtitiæ, velut primariam malorum cauſſam, extenditque verſibus ſequentibus uſque ad viceſimum nonum, ubi tandem de idolis aliqua mentio. Nec prætermittendus Habacuc, qui toto fermè capite 2. cladem Chaldæorum prænuntiat, & eorum injuſtitiæ adſcribit: *quia*, inquit, *lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.*

IV. Quatuor injuſtitiæ genera.

Quomodò autem juſtitiæ quatuor partes numeramus: ita & injuſtitiâ quadrupliciter peccari poteſt. Legalis juſtitia, de qua poſtmodùm, & de cæteris, fuſiùs Exc. 1. ad cap. ult. ea eſt, quæ legibus ac moribus civitatis debetur: contra eam peccent, qui externos invehant. Exempli cauſsâ, ſi quis in eam civitatem, ubi hæc ſcribo, affectus peregrinos propenſionemque ad partes inducat: cùm nationi Leodienſi fixum eſſe debeat ab antiquo, legiſque inſtar primariæ obtineat, Neutrum mediúmve eſſe, & diſſidentes utrimque vicinos amplecti. Quiſquis eam legem, inæquali erga partium alterutram affectu, velit convellere aut malus civis ſit, aut exitioſus advena. Commutativam juſtitiam dicimus, quæ æqualitatem in permutationibus, commerciis, contractibus, aliiſque ejuſmodi ſervat: ea fænoribus, litibus, teſtimoniis falſis, dolis, rapinis, cædibus, iniquis ſententiis violatur. Diſtributiva æqualiter, pro meritorum viriumque portione, in reipublicæ membra ſubditóſve partitur tum emolumenta ac dignitates, tum onera reipublicæ: eam lædunt, qui tributis imparibus partem populi, pauperiorem præſertim, onerant, aut indignis munia largiuntur. Vindicativæ eſt, criminibus debitas pœnas infligere: eam offendit reorum impunitas, maximéque innocentium oppreſſio.

Omnia

V. *Omnis injuſtitia pernicioſa eſt.*

Omnia hæc injuſtitiæ genera publicè exitioſa eſſe, tum ratio, quam adduximus, evincit, tum ex hiſtoriis manifeſtum eſt. Judicum 5. Debbora imprecatur mala Meroxitis, quòd ſibi contra Infideles non affuiſſent: exinde ita deletus fuit infælix populus, ut ne nomeo quidem inter Hebræos ampliùs memoretur: legem apud Iſraëlitas firmatam de ſequendis ad bella ducibus, non ſervârant. Judicum 12. Ephraitarum tribus horrendâ clade affligitur per cæteros Hæbræos: flagitium præcipuum erat, quod Jephthe pro duce nollent agnoſcere, conſuetudinemque tunc receptam ſpernerent, de eo Judice ſtatuendo, qui hoſtes Hebræi nominis profligâſſet. Adversùs Commutativam juſtitiam deliquerant Principes Judæi, quorum rapinas Ezechiel cap. 19. figura leænæ, leunculorum, leonumque venantium ac ſævientium adumbravit. Et 4. Reg. 24. verſ. 3. & 4. extrema regni Judaici deſolatio tribuitur generatim peccatis Manaſſæ, nominatim cædibus injuſtis. Alia facinora, in eamdem juſtitiam pugnantia, Iſaias nobis in Judæis, & Amos in Iſraëlitis commemoravêre.

VI. *Præſertim autem quæ Diſtributivę & Vindicativæ juſtitiæ adverſatur.*

Diſtributivæ & Vindicativæ juſtitiæ defectus præcipuè cavendos, colligo ex generali noſtrâ de Juſtitiâ ſervandâ poſitione. Cùm enim illis vel capita inepta corpori imponuntur, vel artus putres non reſecentur, aut partes ſinceræ non amputatis putribus abſcindantur, fieri non poteſt, ut diuturna ſit tam maleſani corporis vita. De capitibus infirmis indicat Pſal. 81. qui totus eſt de evectis ad judiciariam poteſtatem indignis, & utillimè per ſingulos verſus poteſt ponderari. Maximè tamen hic expendendus quintus: *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*: in nocte inſcitiæ, vel malæ voluntatis, errant miſeri magiſtratus: *ideò movebuntur omnia fundamenta terræ*, quam regunt, paullatimque ſubruentur univerſa, & regionem exitio communi ſepelient. Achitophel, cujus conſilium audiebatur, quaſi ſi quis conſuleret Deum, primus fermè poſt Abſalonem Davidi impulſus fuit ad ruinam. Meâ ſententiâ id factum, ut diſceret David bono magis conſiliatore uti, quàm civiliter docto, & aſtutias callente. Quia hominem illum, ſagacis ſed pravi ingenii, in altum evexiſti: idcircò idem te de alto deturbabit. Judicum 9. Sichimitæ Abimelecho Gedeonis filio ad Principatum invadendum auxiliantur: iidem ab ipſo poſtmodùm cæſi, exſilientibus de rhamno flamis, & devorantibus ligna ſilvarum, ex Joathæ apologo.

VII. *Vindicativæ juſtitiæ defectus vindicatus.*

Achabi erga Nabothum facinus ex Jezabelis artibus fusè narratur 3. Reg. 21. Comminatio item tunc illi facta per Prophetam: *Occidiſti, inſuper & poſſedisti: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lingent quoque ſanguinem tuum*, &c. Quæ minæ 4. Reg. 9. & 10. completæ referuntur. Vides id factum ob innocentis injuſtum ſupplicium. Adde ſonti non redditam debitam pœnam 3. Reg. 20. cùm Benadadum Regem Syriæ occidere potuit, meruitque audire: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Omiſſum ſontis ſupplicium, innoxii indebitâ pœnâ cumulatum, Achabi pernicies fuit. Deus Num. cap. 33. jubet, ut Judæi Chananæorum gentes exterminent, alioqui, inquit, *Quidquid illis cogitaveram facere, faciam vobis.* Neſcit nemo, quid Sauli factum ob maleſanam clementiam erga Agag, ac ſuos, morti cælitùs adjudicatos, 1. Reg. 15. Si ſacris illis narrationibus profanas addere voles, conſule Plutarchum in amatoriis narrat. Ubi de Scedaſo narrat, filiarum duarum ſtuprum ac necem inultam apud Lacedæmonios, ut cælitùs in omnem Laconum exercitum vindicaretur, impetrâſſe. Eventibus tragicis miſtis hiſtoris eſt, & quia inter amatorias narrationes accenſetur, fabuloſum mihi aliquid videtur ſapere: adeoque licèt aliquando produxerim, ſatis tamen hîc habeo indicare.

VIII. *Ejus præcipuè ſit cura.*

Sapientum itaque Principum, ad firmamentum reipublicæ, præcipua cura eſt de improborum ſuppliciis, ac compenſatione proborum. Perhibent Philippum 3. Hiſpaniæ Regem, paullò ante mortem, accito P. Hieronymo Florentiæ è Societate noſtra, qui à concionibus ipſi fuerat, poſt procuratum ſacris myſteriis animum, dixiſſe, ut beneficii aliquid à ſe poſtularet: Hieronymum reſpondiſſe, nil ſe tunc aliud malle, quàm ut Rex magis ac magis animum à præteritis mundaret, & ſi vita ſupereſſet, firmiter ſtatueret, de criminum pœnis ac virtutum mercede. Jam tunc forſan inoleſcebat in Hiſpanis conſuetudo à Nierembergio deplorata paragr. 8. homicidis gratiam criminum faciendi tantâ facilitate, quantam mores ad ſolvenda matrimonia ex fucatis cauſſis induxerunt. Cùm tamen, inquit, patrum memoriâ Philippus 2. numquam homicidium quantâvis pecuniæ ſummâ redimi paſſus ſit; juſtæque ſeveritatis exemplum in illo narratur: Cùm ad Segovienſe nemus inambulâſſet, & ex feneſtra domus vidiſſet, ortâ rixâ à rhedario ſuo aurigam reginæ læſum; juſſiſſe ut ille mox in carcerem abriperetur, maluiſſeque in equo ad urbem reverti, quàm tantiſper differre vulneris malè inflicti pœnam, donec in rheda revectus eſſet.

IX. *Severitas juſta & fælix.*

Didiciſſe ſanctum hunc rigorem à D. Wambâ, itidem Hiſpaniæ Rege, potuerat, qui expeditionem apparans adversùs tyrannos Galliæ Narbonenſis, in ipſo procinctu, quos ſcivit adulteros truncavit virilibus, dicens: *Ecce jam imminet belli judicium, & licet fornicari?* Juſto Regi Angeli affuêre, viſique ſupervolare caſtris, victoriam prænuntiavêre, & attulêre. Vide Baron. tom. 8. an. 674. Quid ab ſancto ac Catholico Rege factum miremur, quod barbarus & Arianus Totila fecit? Calabro quodam apud illum conquerente, filiam ab uno militum ſtupratam: militem captum, ac faſſum, cùm negare non poſſet, duci juſſit. Minabantur copiæ ſeditionem, ob cari commilitonis ſupplicium. At ipſe gravi oratione animos lenivit, commemoratis Theodahati deceſſoris ſui, qui crimina impunita reliquerat, miſeriis. Ita ad annum 543. in Occ. Imp. hiſtoria narrat Sigonius. Apud Baronium ex Procopio an. 547. idem Totila ad Gothos in eamdem fermè ſententiam diſſeruiſſe fertur, & hæc in aliis verba notanda: *Neque enim Deus ſine ullo delectu hominibus favet: ſed his maximè, apud quos æquitatis ratio habeatur.* Putares à barbaro Rege Scripturam perlectam: ubi, qui impunita ſinunt crimina, pro conſentientibus puniuntur: & Levit. 20. v. 5. Deus ait ſeſe ab illis pœnas exacturum, qui ſacrilegis filiorum ſuorum homicidis, idolo Moloch ſacrificantibus, pepercerint. Perinde enim eſt aſſentiri delicto, & delictum non plectere, cùm poſſis.

X. *Erga quoſlibet.*

Præter inſignia juſtitiæ Vindicativæ exempla, quæ apud Lipſium in Politicis invenies, alioſque ſcriptores, illuſtre unum excerpo ex Spondano an. 1346. num. 16. Simon Vignoſius Genoenſis Chio inſula potitus, cùm ingreſſum in prælia civium ſuis edicto prohibuiſſet, ejuſque filius, contra edictum in vineam ingreſſus, paucos racemos abſtuliſſet,

Digitized by Google

abſtuliſſet, ad ſe adductum, nequidquam deprecantibus pœnam Chienſibus ipſis, urbe tota circumduci & fuſtuario multari juſſit, racemis de collo pendentibus. Idem, quia fieri non poterat, quin, bello totâ inſulâ circumferendo, inſontes aliqui læderentur, moriens legavit aureos quingentos in nuptias pauperum puellarum Chienſium, ad compenſationem. Eâdem ferè ætate vixit Carolus Calabriæ Dux, non impari juſtitiæ famâ: ad cujus monumentum, inſculpta eſt marmoreo ſepulcro ipſius effigies, gladium dextrâ præferens, pedibus lupum & agnum premens, in eodem labro placidè bibentes. Refert de illo Spondanus ad an. 1328. narratiunculam amænam: unde tamen ipſius æquitas intelligatur. Cùm vicarium patris Neapoli ageret, appenderat campanam ante fores palatii, quam cuique jus petenti fas foret pulſare. Equus nobilis cujuſpiam, cui Capetio nomen, ob ſenium dimiſſus, eam caſu pulſavit. Mox adfuit Carolus velut ad jus dicendum, viſoque equo, & audito heri nomine, eum vocavit, operaſque olim utiles ſibi fuiſſe faſſum ad alimenta damnavit.

XI. *Juſtitia fundamentum familiarum.* Rectè, inquis iſthæc, Principibus, judicibus, ducibus commendentur: at quid ad privatos? Eadem rebuſpublicis ac familiis pro portione conveniunt. Quemadmodùm enim juſtitiâ meliùs firmatur thronus Salomonis, quàm leonibus aureis: ita & ſedilia vulgaria, ſcabellaque, ac tripodes juſtitiâ fulciuntur, injuſtitiâ ſubruuntur. Leges familiis à Deo ac naturâ dictas locis variis Paullus repetit: breviſſimè, ut leges debēt, Eph. 5. & 6. *Viri diligite uxores veſtras. Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis. Filii obedite parentibus. Parentes nolite ad iracundiam provocare filios. Servi obedite Dominis. Vos Domini remittite minas, ſcientes, quia & illorum & veſter Dominus eſt in cælis.* His legibus in familiam ingreſſi, his vivamus: non ignari Deo nos debere legalem juſtitiam; & quomodò juſtas civitatum, ubi ſumus, leges ac conſuetudines niſi obſervaverimus, peccemus; ita & familiarum tam æquis legibus non ſtari, citra culpam nequire.

XII. *Commutativæ juſtitiæ neceſſitas.* Commutativam juſtitiam ad familiæ ſtabilimentum commendat Siracides, Eccl. 21. *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit acervos lapidum in hyeme.* Et Jeremias cap. 22. *Væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio.* Ruinæ domum præparat, qui eam ponit ſine fundamento juſtitiæ, & cæmentum ſanguine miſerorum ac lacrymis pauperum macerat. Inter Rabbinorum ſententias cap. 5. legitur iſthæc, non inelegans. *Modi quatuor ſunt loquendi de poſſeſſionibus. Primus: Meum eſt meum, tuum eſt tuum: hunc neque arguerim, nec laudarim: etſi aliqui dicunt fuiſſe ſermonem Sodomæ. Secundus: Meum eſt tuum, & tuum eſt meum: juſtus, quando fit viciſſim permutatio. Tertius: Meum eſt tuum, & tuum eſt tuum: juſtiſſimus, quia donationem continet. Quartus: Meum eſt tuum, tuum eſt meum: injuſtiſſimus ex rapina vel furto.* Brevior & clarior eſt divina Christi ſententia: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Veliſne tibi omnia pretio ſummo vendi? Velis debita exigi ad noviſſimum quadrantem? Velis extorqueri etiam, quod non poſſis?

XIII. *Illuſtria in privatis Chriſtianæ juſtitiæ exempla.* Utinam ex ea Christi lege Chriſtiani omnes agerent, quomodò duo, quos Auguſtinus commemorat, æternùm memorabiles. Lib. 13. de Trin. cap. 13. *Scio hominem, cùm venalis ei codex fuiſſet oblatus: pretiique ejus ignarum, & ideò quiddam exiguum poſcentem cerneret venditorem: juſtum pretium, quod multò amplius erat, nec opinanti dediſſe.* Sermone 19. ſeu 21. ut habent quædam editiones, de ver. Apoſt. narrat: cùm eſſet Mediolani accidiſſe, ut pauper quidam Pagani Grammatici *proſcholus* Chriſtianus ſacculum invenerit, cum centum circiter ſolidis. *Publicè proponit pittacium. Qui perdiderat legit, dat ſigna, accipit: offert ſolidos viginti inventori, non vult: offert decem, non vult: offert quinque, non vult. Stomachabundus homo projecit ſacculum: Nihil perdidi ait, ſi nil vis accipere. Quale certamen fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus, ſpectator Deus. Victus tamdem ille, quod offerebatur accepit, continuò totum pauperibus erogavit: unum obolum in ſuam domum non dimiſit.* Hoc etiam alibi ab Auguſtino ad plebem narratur, etſi locum non memini: meritóque ſæpiùs memorabitur.

XIV. *Alia conferuntur.* Laudet Baronius tom. 3. an. 315. Liberium Pontificem Max. quia Conſtantio Imperatori, aureos quingentos ſubmittenti in ſumptum voluntarii exilii, quod præ damnatione Athanaſii elegerat, remiſerit, cum dicto, neceſſarios eſſe ad militum ſtipendia: idemque mox Imperatrici fecerit, tantumdem offerenti. Eunucho verò Euſebio, alios dare volenti, dixerit: *Tu Eccleſias expilâſti, & jam mihi, ut damnato & egenti, donas eleemoſynam? Abi, & antè fias Chriſtianus.* Commemoretur apud Baronium anno 1047. Godefridi Lotharingiæ Ducis reſtitutio ob exuſtam Eccleſiam Virdunenſem. Recitentur ab eodem, in cauſſa non abſimili, compenſatio & literæ Ragineri Lotharingorum Ducis, ſeſe ipſum ſubſcribentis *Prædonem*, an. 913. Extollatur à Spondano D. Ludovicus, qui ante bellum ſacrum publicari toto regno juſſit, ut ſi quis à Regiis miniſtris damnum accepiſſet, à ſe repetitum veniret. Laudet item Spondanus an. 1252. Franciſcanos, qui miſſas ab Henrico Angliæ Rege bigas, pannis laneis ad veſtimenta onuſtas, audito pannos per Regem ut ſolebat, à mercatoribus extortos, remiſerunt, dixeruntque: ſibi de rapinis non licere eleemoſynam accipere. Iſta omninò memoratu digna ſunt ad juſtitiæ commendationem. Plus tamen, opinor, ponderis habebit, Auguſtino auctore, pauperis iſtius hypodidaſcali Mediolanenſis abſtinentia; & alterius Chriſtiani ab Auguſtino non nominati, quia forſan Auguſtinus ipſe eſt, juſtitia.

XV. *Injuſtæ raptorũ eleemoſynæ.* Longè ab utriſque aberant, quos carpit Hieronymus in Ezech. cap. 18. Atque utinam, nec modò multos ejuſmodi reperire ſit. Poſtquam dixit, de rapinis & uſuris quæſitum panem non vertendum in miſericordiam: *Quod*, inquit, *multos videmus facere clientes, & pauperes, & agricolas. Ut taceam de militantium, & judicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt: ut de multis pauca pauperibus tribuant, & in ſuis ſceleribus glorientur; publicéque Diaconus recitet nomina: tantum offert illa: tantum promiſit ille: placeántque ſibi ad plauſum populi, torquente illos conſcientâ.* Ita Hieronymus de ævi ſui raptoribus. Similem in modum hodie alienorum numorum corraſores, aut decerptores, fruſtra ſacris tabellis feneſtriſve vitreis inſignia ſua appingant, religioſas domos dotent, Eccleſiaſticos reditus augeant. Spolia pauperum non recipit Dei domus, nec recipit Auguſtinus, ut quodam loco dicebat ad populum. Apud quem etiam eſt vulgare iſtud ep. 50. ad Maced. *Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Hæc ex occaſione

de rapi-

Digitized by Google

de rapinis, quæ familiarum ruina eſſe ſolent: verumque eſt vulgare diverbium, furtivam pecuniam eſſe theſauri totius rubiginem.

XVI. Juſtitia Diſtributiva in familiis.

Diſtributivæ juſtitiæ vigilantia in domibus neceſſaria eſt exſtimulandæ virtuti, meritisque excitandis. Prudenter tamen adhibenda, ne invidia excitetur. Joſephum meritò præ cæteris à patre amatum ſcimus. quia tamen affectus nimis emicuit, periculum inde natum perdendæ familiæ univerſæ. Vide Gen. cap. 37. Quid autem, ſi erga immeritos parens heriſve privato affectu feratur? Si blanditiis inеſcari, vel donis redimi ſe ſinat, ut alios præferat aliis? Idem familiæ experientur, quod civitates aliquando pati neceſſe eſt, ubi venalia ſunt officia, favorive donantur, non virtuti.

XVII. Et Vindicativa.

Vindictam parens exerceat in liberos temperata ſeveritate: corrigat errantes, ſed, ut Seneca ajebat, *vultu legis*. Si diſſimulas, inquit Auguſtinus in Pſ. 50. *peccatum quod tibi non diſplicet in filio tuo, delectat te. ſed ætas deſeruit, non cupiditas.* Hodie vix infimi civium id erga adoleſcentulos liberos ſibi ſumant, quod Carolus erga Philippum filium, mox Hiſpaniæ Regem: quem jam adultum, ob voculam unam non ſatis reverenter prolatam, impacto in genam colapho officii ſui admonuit. Ita Petr. Mat. Nec pigeat commemorare factum Joannæ Navarræ Reginæ, quamvis hæreticæ: quæ repertis intra ſaccellos Henrici filii, poſtmodùm IV. Galliæ Regis, aliquot aureis ex lucro aleatorio, cum à præceptore virgis cædi juſſerat, excuſantemque audire recuſârat: niſi denique cauſſatus fuiſſet, dedecoroſum fore puerile ſupplicium exercitûs duci, in Condæi locum nuper occiſi ſuffecto.

XVIII. Parens honorandus.

Liberis commendandus amor erga quantumvis ſeveros parentes. Digna lectu quæ de eo amore ſcripſit Seneca lib. 3. de Benef. in fine. Scitum etiam hoc Philonis lib. de Decalogo: qui vult præceptum de honorandis parentibus pertinere ad primam tabulam, velut appendicem honori, qui Deo debitus eſt. Item poni præceptum hoc medio loco inter præcepta ad Deum & ad proximum ſpectantia: quia parentum amor partim divinum habet aliquid, partim humanum, parentique debetur quaſi Deo & homini. Hominem perfectum eſſe φιλόθεον ſimul & φιλάνθρωπον, quorum utrumque reperitur in amore parentum. De Juſtitia, ejusque partibus ſingulis, ac vitiis illi oppoſitis, quia ſæpe dici expedit, fusè tractaturi ſumus Excurſu 1. ad cap. ultimum: quantum neceſſe eſt ad publicam privatamque morum informationem.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

ARGUMENTUM.

Iudas, acceptâ rerum à Romanis contra hoſtes & pro amicis geſtarum famâ, ſperansq́, magno ſibi præſidio adverſùs hoſtes eorum amicitiam fore, legatos ea de re Romam mittit, Eupolemum, & Iaſonem. Auditi in Senatu, poſtulata impetravêre. Inſculptæ æreis tabulis ſocietatis leges, & Hieroſolymam remiſſæ, perpetuum amicitiæ monumentum.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET audivit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis: & quicumque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias, & quia ſunt potentes viribus. 2. Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum: 3. Et quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quòd in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic ſunt, & poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientia: 4. locáque, quæ longè erant valdè ab eis, & Reges qui ſupervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt, & percuſſerunt eos plagâ magnâ, cæteri autem dant eis tributum omnibus annis. 5. Et Philippum & Perſen Cetеorum Regem, & ceteros qui adverſùm eos arma tulerant, contriverunt in bello, & obtinuerunt eos: 6. & Antiochum magnum Regem Aſiæ, qui eis pugnam intulerat habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valdè, contritum ab eis. 7. Et quia ceperunt eum vivum, & ſtatuerunt ei ut daret ipſe, & qui regnarent poſt ipſum, tributum magnum, & daret obſides, & conſtiturum, 8. & regionem Indorum, & Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni Regi. 9. Et qui erant apud Helladam, voluerunt ire, & tollere eos: & innotuit ſermo his, 10. & miſerunt ad eos ducem unum, & pugnaverunt contra illos, & ceciderunt ex eis multi, & captivas duxerunt uxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum poſſederunt, & deſtruxerunt muros eorum, & in ſervitutem illos redegerunt uſque in hunc diem. 11. Et reſidua regna, & inſulas, quæ aliquando reſtiterant illis, exterminaverunt, & in poteſtatem redegerunt. 12. Cum amicis autem ſuis, & qui in ipſis requiem habebant, conſervaverunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longè: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos. 13. Quibus verò vellent auxilio eſſe ut regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant: & exaltati ſunt valdè. 14. Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpurâ, ut magnificaretur in ea. 15. Et quia curiam fecerunt ſibi, & quotidie conſulebant trecentos viginti, conſilium agentes ſemper de multitudine,

ut quæ

ut quæ digna ſunt, gerant: 16. Et committunt uni homini magiſtratum ſuum per
ſingulos annos, dominari univerſæ terræ ſuæ: & omnes obediunt uni, & non eſt
invidia, neque zelus in eos. 17. Et elegit Judas Eupolemum, filium Ioannis filii
Iacob, & Iaſonem, filium Eleazari; & miſit eos Romam conſtituere cum illis
amicitiam, & ſocietatem: 18. & ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia vi-
derunt quod in ſervitutem premerent regnum Iſraël. 19. Et abierunt Romam
viam multam valdè, & introierunt curiam, & dixerunt: 20. Judas Machabæus
& frater ejus, & populus Iudæorum miſerunt nos ad vos, ſtatuere vobiſcum ſo-
cietatem & pacem, & conſcribere nos ſocios & amicos veſtros. 21. Et placuit
ſermo in conſpectu eorum. 22. Et hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in ta-
bulis æreis, & miſerunt in Ieruſalem, ut eſſet apud eos ibi memoriale pacis & ſo-
cietatis. 23. BENE SIT ROMANIS, & genti Iudæorum, in mari &
in terra in æternum: gladiúſque & hoſtis procul ſit ab eis. 24. Quòd ſi inſtiterit
bellum Romanis priùs, aut omnibus ſociis eorum in omni dominatione eorum:
25. auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno:
26. & prælantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum, arma, pecu-
niam, naves, ſicut placuit Romanis: & cuſtodient mandata eorum, nihil ab eis
accipientes. 27. Similiter autem & ſi genti Iudæorum priùs acciderit bellum,
adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiſerit: 28. Et adjuvanti-
bus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, ſicut placuit Romanis: & cu-
ſtodient mandata eorum abſque dolo. 29. Secundùm hæc verba conſtituerunt
Romani populo Iudæorum. 30. Quòd ſi poſt hæc verba hi aut illi addere, aut
demere, ad hæc aliquid voluerint, facient ex propoſito ſuo: & quæcumque addi-
derint, vel dempſerint, rata erunt. 31. Sed & de malis quæ Demetrius Rex
fecit in eos, ſcripſimus ei, dicentes: Quare gravaſti jugum tuum ſuper amicos no-
ſtros, & ſocios Iudæos? 32. Si ergo iterum adierint nos, adversùm te faciemus illis
judicium, & pugnabimus tecum mari terráque.

COMMENTARIUS AD CAPUT OCTAVUM.

Cur Judas de ſocietate cum Romanis cogitârit?

℣. 1. ET AUDIVIT JUDAS NOMEN ROMANORUM, QUIA SUNT POTENTES VIRIBUS; ET ACQUIESCUNT AD OMNIA, QUÆ POSTULANTUR AB EIS, *εὐδοκοῦσι ἐν πᾶσι τοῖς προστιθεμένοις αὐτοῖς*, quod ad verbum dupliciter verti poteſt: *complacent in omnibus propoſitis ſibi*: vel, *complacent in omnibus appoſitis ad ſe*. Senſus itaque Græci textus duplex eſſe poteſt, uterque eòdem recidens: prior, qui interpreti Vulgatæ noſtræ placuit, *Accepta habent omnia, quæ ſibi proponuntur*: poſterior æquè commodus ac prior, *Benevolos ſe præbent omnibus, qui ſe illis adjungunt*, aut ut Nobilius paullò obſcuriùs expreſſit, *Benè ſentiunt in iis, qui ſe ad illos applicant*. Hujus poſterioris ſenſus explicatio ſunt quæ ſequuntur: *& quicumque acceſſerunt*, ſeu *acceſſerint*, ut Græcè eſt, *ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias*. Subjungitur denique iterum, *& quia ſunt potentes viribus*.

Cauſſæ duæ.

Adverte, in ipſo initio capitis proponi ab Hagiographo cauſſas duas, quæ Machabæum impulêre ad cogitandum de incunda cum Romanis ſocietate; primùm utilitatem, deinde facilitatem. Utilitas indicatur illis verbis ſecundò repetitis, *quia ſunt potentes viribus*: adeóque ſociis auxilium ferre, & præſidio adversùs hoſtes quoſcumque eſſe poſſunt. Facilitas verò proponitur iſtis verbis, *acquieſcunt ad omnia quæ poſtulantur*; & expreſsiùs his, *quicumque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias*, humaniter omnes ad ſe confugientes exceperunt, ab amicitia neminem Principem aut populum excluſerunt. Ex utilitate, Machabæo deſiderium incidit amicitiæ cum Romanis; ex facilitate, ſpes ejus obtinendæ.

De Romanis audiunt Judæi, rebusque eorum cum externis.

℣. 2. ET AUDIERUNT PRÆLIA EORUM. Jam dicebatur, *audivit Iudas*, nunc *audierunt*: quinam? An Judas, & fratres, ac primores Judæorum? Planè: neque enim putandus eſt Judas de eo fœdere incundo cogitâſſe, niſi de conſilii ſententia. Græcè habetur, *καὶ διηγήσαντο αὐτῷ*, *& narraverunt ei*: exploratores, ſeu nuntii rerum à Romanis geſtarum, narrârunt Judæ *prælia eorum* Romanorum, *& virtutes bonas ἀνδραγαθίας* virilia facinora, *quas fecerunt ποιοῦσιν*, faciunt, *in Galatiâ ἐν γαλάταις in Galatis*: & ſic olim etiam in textu noſtro Latino lectum fuiſſe, non malè colligit Serarius, ex pronomine *eos*, quod ſequitur, & ad Galatiam referri non poteſt, ſed ad Galatas: *quia obtinuerunt eos & duxerunt ſub tributum*. Incipit Hagiographus diſtinctiùs oſtendere ab effectis, quod priore verſu generatim propoſuit, Romanos viribus præſtare. Antequam ad ea explicanda tranſeamus: quia multa obſcura ſunt, ac difficilia, imò & in ſpeciem falſa, & inde præſertim hujus libri auctoritatem Novatores nituntur convellere:

Difficultates omnes de Romanorum rebus uno ictu præciduntur.

Prænotandum, & diligenter animadvertendum eſt, ab Hagiographo dici diſertè, *audivit Iudas*, & *audierunt*, ſeu *narraverunt ei*, quæ ſequuntur. Aſſerit ergo Hagiographus iſta Judæ narrata fuiſſe, non autem aſſerit eſſe vera, quantumvis narrata fuerint. Poſſuot enim ab exploratoribus, & nuntiis, falſa referri, quomodò Num. 13. ad Moſen de gigantea Chananæorum mole, & ſævitia, quæ Scriptor ſacer verè refert, uti dicta ſunt, etſi revera ita non eſſent. Sic in Evangeliis multa de Chriſto dicta referuntur, potorem vini fuiſſe, ſeductorem, Samaritanum, blaſphemum: quæ verum eſt dicta fuiſſe, etſi vera non ſint, ut Aug. advertit lib. 9. con. Priſcill. & Orig. *In Evangelio*, inquit, *quamvis verum ſit omninò quòd dicta ſint, non tamen omnia quæ dicta ſunt vera eſſe creduntur: quoniam multa à Iudæis falſa & impia dicta eſſe, verax Evangelii Scriptura teſtatur.* Fides ergo ſua conſtat Hagiographo noſtro, quamvis falſa fuiſſent, quæ nuntii Machabæo narrârunt: neque enim ait, vera fuiſſe quæ narrârunt, ſed tantùm, narrata fuiſſe. Sufficiebat hoc annotatum ad omnes hæreticorum objectiones, & cavillationes eludendas. Oſtendemus nihilominùs etiam ad ſingula, Deo propitio, ea non modò dicta Judæ fuiſſe, ſed etiam certo ſenſu verè dici potuiſſe.

Particulatim ſingulæ ſolvuntur. Primùm de Galatis.

Ac primùm, quod hoc verſu narratur de Galatis, qui & Galli & Gallo-Græci aliàs dicti, paucis ante hoc tempus annis contigerat: ut non incommodè Græcus textus habeat in tempore præſenti, *virilia facinora quæ faciunt in Galatis*, quia ſcilicet, quod modò præteriit pro præſenti eſt. Adfuerant Galatæ Antiocho Magno in eo bello, quod cum Romanis geſſit, & de quo mox. Hinc Romanis occaſio eos aggrediendi, ut hoſtes: victi à Cn. Manlio Volſone, & biennio pòſt de illis triumphatum: præda dives relata, quantam aviſſima rapiendi gens, cùm cis montem Taurum armis omnia per multos annos tenuiſſet, coacervare potuit, ita referente Livio lib. 38. apud quem, & alios profanos videre poteris, quæ ad hoc bellum ſpectant. Salianus videtur nomine *tributi*, *ſub* quod *duxerunt* Galatas Romani, eam prædam intelligere; quia, inquit, tributum illis imperatum apud Livium non invenio. Sed nihil opus erat iſtâ interpretatione nominis *tributum*, Græcè φόρον: nam, etiam Livio tacente, ſatis quilibet intelliget, devictis Galatis factum, quod domitis hoſtibus ſemper à Romanis fieri ſolitum, hodieque à victoribus fieri ſolet, ut tributa imponantur. Videbis & hîc illud contigiſſe in Antiocho Magno v. 7. infrà, & in Carthaginenſibus v. 4.

Cur primò fit mentio de Galatis.

Cur autem primo loco Galatarum fit mentio, quandoquidem bellum cum iis confectum, pleriſque, quæ hîc tanguntur, tempore ſit poſterius? Reſpondeo primùm, in congerie narrationis ordinem rerum non ſervari, in Scriptura præſertim, ubi hyſteron proteron ſæpè eſt, quando temporis obſervatio ad rem non facit, uti hîc. Deinde dici poteſt, Galatas primo loco poni: quòd gena eſſet victoriis per Europæ maximam partem, & per totum Orientem, celebrata. Denique putem de iis expreſſam fieri mentiooem, quòd, quomodò à Romanis debellati, ita & à Judæis maximâ clade affecti fuerant in Babylonico prælio; ubi ſex Judæorum millibus inter Macedonum auxilia militantibus, proſtrata fuêre Galatarum centum viginti millia: cujus victoriæ meminit Machabæus ipſe, in hortatoria ad milites ante prælium cum Nicanore Patrocli, lib. 2. cap. 8. v. 20. De eo nos ad iſtum locum.

De Hiſpanicis bellis.

℣. 3. Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ: cæpta ſuêre Hiſpanica bella ſub tempus Punicorum, multoſque annos tenuêre: celeberrimi in eis Scipiones: ante hoc tempus frater patruuſque Africani Scipionis, & Africanus ipſe: poſt hoc tempus Scipio Numantinus. *Et quòd in poteſtatem redegerunt metalla auri, & argenti, quæ illic ſunt.* Strabo lib. 3. ait nuſquam, quod adhuc ſciretur, auri, argenti, æris, ferri optimorum vim tantam, quantam in Hiſpania, reperiri: ubi non effodiatur modò aurum, ſed & à fluminibus ac torrentibus inter arenas volvatur. Hinc celebratus poëticis ſcriptionibus aurifer Tagus. Plinius in operis ſui extremo primas pro metallis dat Italiæ, ſecundas Hiſpaniæ. Plura ſi cupis de Hiſpanienſibus divitiis, adi Pinedam in Salomone lib. 4. cap. 14. Nunc, inquit, Serarius eæ fodinæ vel deſiêre, vel ad orbem novum traductæ, unde magnis claſſibus opes advehuntur.

Prudentia victrix.

Et possederunt omnem locum consilio suo et patientia. Id eſt, quemcumque locum poſſederunt, eum conſilio & patientiâ magis expugnavêre, quàm viribus, etſi his pollerent. Noli itaque hanc ſententiam ſic intelligere, quaſi jam omnem locum expugnâſſent: id enim ne de Hiſpania quidem verum erat, cum qua diu ipſis negotium fuit. Quod autem de *conſilio* & *patientia* Romanorum dicitur, veriſſimum eſt, plus multò illis virtutibus ad ipſorum imperium fuiſſe adjectum, quàm armis ac viribus. Mira planè in ſuſcipiendis & ordinandis bellis eorum prudentia, mira in gerendis patientia, nec laboribus, nec diuturnitate, nec cladibus ipſis fracta: prorsùs ut perſæpè ad extrema ab hoſtibus ſuis adducti, nunquam deſperârint; & in hoc illuſtri exemplo manifeſtè eluceat *Prudentia*, & *Patientia victrix*.

Longanimitas pars prudentiæ:

De conſilii utilitate ac neceſſitate in rebus præſertim publicis, vide annotata ad cap. 2. v. 65. quæ hac oportunâ obſervatione firmabis. De patientia eòdem referendum eſt: nam hîc *patientiam*, ſeu μακροθυμίαν *longanimitatem*, ut in Græco habetur, interpretor conſtantem in urgendis deliberatis ac benè cœptis perſeverantiam. Ea eſt pars extrema & maximè neceſſaria prudentiæ, vulgò dicta executio, quam à fortitudine cognatâ virtute mutuatur, & ſine qua conſilium omne mancum ſit, ac velut conceptus abſque partu, tonitrua ſine fulmine, nimbi ſine imbre. Quid enim proderit finem fixiſſe, media librâſſe, conſultores adhibuiſſe, optima conſilia ſelegiſſe: ſi deeſt animus qui urgeat, & obſtantia cuncta generosè perrumpat? Si non adeſt patientia, quæ nec temporum diuturnitate laſſeſcat, nec rerum difficultate vincatur: cujus firmum vigorem in adnitendo ad ſemel rectè deſtinata, nec tædium ſolvat, nec labor frangat.

Neceſſaria militi Chriſtiano.

Huc reſpexit monitum Chriſti Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Ea virtus Chriſtiano militi in bellis ſpiritualibus maximè neceſſaria eſt. Cùm enim quotidianum nobis in hoſtes internos & externos certamen ſit, neque antè deſiturum quàm vita finiatur; cumque non raro magnis difficultatibus, inveteratis vitiis, motibus violentis, incurſantibus gravibus malis colluctandum ſit: proclive eſt, ut obrepat pugnantibus, vel tædium tamdiu continuandi certaminis, vel deſperatio tam arduæ victoriæ, niſi adſit fortis patientia. In qua virtute animas noſtras poſſidebimus, ut Chriſtus ait: &, ut hîc de Romanis dicitur, omnem locum poſſidebimus conſilio & patientia, omne vitium evincemus, omnem vir-

nem virtutem adipiſcemur. De perſeverantiæ & conſtantiæ virtute, quam hic propriè in Romanis laudari diximus, v. S. Thomam 2. 2. q. 137. articulis quatuor. Obſerva præſertim in corpore art. 3. *Perſeverantiam propriè facere, firmiter perſiſtere hominem in bono, contra difficultatem, quæ provenit ex ipſa diuturnitate actus. Conſtantiam autem facere firmiter perſiſtere in bono, contra difficultatem, quæ provenit ex quibuſcumque aliis exterioribus impedimentis.* Vide & quæſtionem præcedentem de Patientia, articulo præſertim 5. ubi patientiæ & longanimitatis diſtinctionem expendit: item quæſtionem ſequentem art. 2. præſertim, ubi de animi remiſſione ſeu mollitie, Perſeverantiæ oppoſitâ per defectum.

Punica bella Romanorum. ℣. 4. LOCAQUE, QUÆ LONGE ERANT VALDE AB EIS, ET REGES, QUI SUPERVENERANT EIS AB EXTREMIS TERRÆ, CONTRIVERUNT, ET PERCUSSERUNT EOS PLAGA MAGNA: CÆTERI AUTEM DANT EIS TRIBUTUM SINGULIS ANNIS. Mirari poſſis, in toto hoc capite nullam de Punico bello fieri mentionem: quod tamen toto orbe celeberrimum fuiſſe neceſſe eſt, Palæſtinis præſertim minimè ignotum, ob Tyriorum ac Phœnicum cum Pœnis affinitatem. Sed mirari deſines, cùm ſcies hunc verſum de Carthaginenſibus, & fœderatis Regibus intelligi, ut notant Serarius, & Salianus, & ante illos indicavit Joſephus l. 12. cap. 17. Carthago, & cætera Africæ *loca* Carthaginenſibus ſubdita, *longè erant* à Romanis, toto videlicet diſſita mediterraneo mari. *Reges* autem, *qui ſupervenerant*, ſeu venerant contra eos, *ab extremis terræ*, fuêre, Maſſaniſſa, primùm hoſtis Romanorum, deinde amicus; tum Syphax & Vermina ejus filius Reges Numidiæ, quæ optimè nomine extremorum terræ intelligitur, cùm ultra eam in continente Africæ nihil notum eſſet. Eos Reges Syphacem ac Verminam *plagâ magnâ percuſſêre* Romani. Nam Syphax cùm junctâ ſibi Sophonisbâ, Aſdrubalis filia, amicitiæ Romanorum renuntiâſſet, bis prælio victus, captuſque, & in Italiam devectus, ut triumphum Scipionis ornaret: cui tamen ſubtractum intempeſtiva morte plures perhibent, negat Polybius. Vermina item, capto patre, Carthaginenſibus opem ferens, à Scipione fuſus ac fugatus eſt: maximaque pars Numidiæ regno Maſſaniſſæ attributa. *Cæteri autem*, ſeu, ut Græcè eſt, *reliqui*, ſeu ſuperſtites *dant eis tributum ſingulis annis:* quod de Carthaginenſibus præſertim intelligendum eſt, qui ab Africano majore victi, Romanis coacti ſunt dare decem millia talenta, æquis in quinquaginta annos penſionibus deſcripta. Illi verò anni nondum elapſi erant.

Confirmatur explicatio hujus verſus de Carthaginenſibus. Ad intelligentiam hujus verſus, & explicationem noſtram firmandam, non parùm facit textus Græcus, qui extremam ſuperioris verſus partem cum hoc connectit, illâ ad verbum ſententiâ. *Et obtinuerunt locum omnem conſilio ſuo & longanimitate: & locus erat abſens ab illis valdè. Et Reges, qui ſupervenerant in ipſos ab extremo terræ* (ſupple *obtinuerunt*, ſeu devicerunt Romani: aut omitte ſequentem particulam, *quoad*, cum Nobilio) *quoad contriverunt eos. Et percuſſerunt in eis plagam magnam; & reliqui dant illis tributum quotannis.* Is eſt planus ſenſus Græci textus, à quo, ut ſæpè aliàs, aberravit Interpres Regius, cùm βασιλέων non refert ad κατεκράτησαν ſed ad ἄκρου. Quaſi dicatur locum illum longè diſſitum fuiſſe à Romanis, & Regibus. Sed manifeſtum eſt agi de devicto loco, & devictis Regibus, κατεκράτησαν τόπου, ϗ βασιλέων: *obtinuerunt locum, & Reges.* Quis autem iſte *locus omnis?* Primùm poſſim per Hebraicam phraſim, quâ hic liber abundat, intelligere, *locum potentem*, ſeu urbem ac rempublicam valdè celebrem, qualis erat Carthago: ut eodem locutionis genere dicatur civitas potens *locus omnis*, quo homo perfectus Eccleſiaſtæ ult. dicitur *omnis homo*, & Eccl. 25. plaga magna dicitur *omnis plaga.* Deinde poſſim intelligere *locum omnem*, quem Pœni in Sicilia, Hiſpaniâ, Africâ, imperio longè protenſo, obtinebant, imò & in Italia de Romanis ceperant. Capta ea loca à Romanis conſilio magis & longanimitate, quàm viribus. Nuſquam enim magis eorum prudentia ac patientia victrix, quàm Punico bello, ſpectata eſt: cùm ad extrema redacti numquam animos deſponderunt, cunctando reſtituerunt rem, tranſlato in Africam bello hoſtes ex Italiæ viſceribus evocârunt. *Reges* autem, *qui ab extremo terræ* in Africam *ſupervenerunt*, quoſque *obtinuerunt, quoad contriverunt eos*, Syphacem & Verminam interpretor. De plaga magna, & de tributo nulla eſt difficultas.

℣. 5. ET PHILIPPUM, ET PERSEN CETHÆORUM REGEM, id eſt, Macedonum: v. ad verſum primum capitis primi: *& cæteros qui adversùm eos arma tulerant:* Nabun intellige, Lacedæmoniorum tyrannum, alioſque regulos Macedonibus fœderatos, aut cauſâ junctos: *contriverunt eos, & obtinuerunt eos.* Celeberrimum fuit Romanorum cum Philippo primùm, tum cum Perſeo ejus filio bellum, ob veterem Macedonum famam ex Alexandri magni victoriis. Cum Philippo pugnatum annis quatuor, tum pax facta: Perſeus quadriennio debellatus, captuſque, & Macedonicum nomen extinctum. S. Thomas hunc Perſea vocat Perſen, facitque Perſarum Regem, & pro ſententia ſua Joſephum adducit. Atqui Joſephus ne per umbram quidem hoc dixit, aut dicere potuit: cùm iſti Macedonum Reges, non modò in Perſide, ſed ne in Aſia quidem vel veſtigium poſſiderent, ex quo imperium Alexandri inter proceres diviſum, ut ad capitis primi verſum 7. annotavimus. Excuſabilis iſte error eſt in ſummo Doctore Theologo, qui chronologiam & hiſtoriam numquam profeſſus, facilè nominum Perſei & Perſidis affinitate decipi potuit: ut hunc exiſtimaret Perſarum Regem eſſe, monarchiâ acceptâ ab Alexandro magno Cethæorum Rege. Sed quid Lirano faciemus, qui cùm perpetuam Scripturæ interpretationem literalem profiteatur, hoc tamen capite, ubi tam multa difficilia ſunt, inculcat non ſemel; nihil in textu eſſe difficile? — Qui Reges Cethæorũ?

℣. 6. 7. 8. De bello Romanorum cum Antiocho magno hîc agitur, in quo multi nodi per partes ſolvendi, eò difficiliores, quòd mirum ſit de iſto Rege ad Judam relata, quæ falſi ſpeciem habent: cùm tamen prima fronte prorsùs credibile videri poſſit, Machabæo veritatem rei, ætate ſuâ in Aſia tanto ſtrepitu geſtæ, non ignotam fuiſſe. — Res Antiochi magni an notæ Machabæo?

Quæres primò, quomodò dicitur Antiochus *intuliſſe pugnam* Romanis, cùm hi in Aſiam tranſgreſſi eum adorti ſint? Reſp. transfretâſſe Romanos in Aſiam, ſed poſtquam Antiochus occultè primùm Punico bello ſecundo, deinde apertè, Ætolis atque Hannibale incitantibus, hoſtis fuerat Romanorum, & ad Thermopylas uſque in Græciam proceſſerat. Optimè ergo dicitur *intuliſſe pugnam*, aut, ut Græcè habetur, *profectus fuiſſe in bellum* adversùs Romanos, cùm ultrò eos — Quomodò Antiochus bellum Romanis intulit?

petierit, nullâ laceſſitus injuriâ.

Quis numerus elephantorũ?

Quæres ſecundò, quo pacto dici poteſt habuiſſe Antiochus *centum viginti elephantes?* Livius enim omninò quatuor & quinquaginta numerat. Florus numerum non notat, ſolùm ait generatim: *Elephantis immenſæ magnitudinis, auro, purpurâ, argento, & ſuo ebore fulgentibus, aciem utrimque vallaverat.* Sed quidquid profani hiſtorici narrent; non tamen creditu difficilis iſte elephantorum Antiochi numerus, hìc relatus. Nam, ut benè obſervat Serarius, ſi apud Polybium lib. 5. Antiochus centum & duos elephantos in Ptolemæum duxit; quid mirum, ſi paullò plures duxit in Romanos? Adde, ut obſervat ex Polybio lib. 11. Salianus, eumdem, factâ cum Euthydemo pace, circùm Bactrianam regionem habuiſſe centum quinquaginta elephantos. Notat etiam Salianus, neceſſe non eſſe, ut omnes elephanti, de quibus hìc mentio fit, fuerint in exercitu Antiochi, & alii in variis regionibus potuiſſe. Sed effugium iſtud non placet; dicitur enim Antiochus, non ſolùm habuiſſe centum viginti elephantes, verùm & exiſſe in pugnam cùm eos haberet, ſeu eos ſecum eduxiſſe; quemadmodùm *& equitatum, & currus, & exercitum magnum valdè.*

Quomodò dicitur Antiochus captus?

Tertiò: quomodò poteſt dici, *quia ceperunt eum vivum*, cùm profani hiſtorici aſſerant, fugâ de prælio elapſum, & de pace per legatos egiſſe? Nodum hunc tripliciter ſolvo. Primus modus eſt, quem ad v. 2. prænotavimus: etſi id falſum ſit, verum tamen eſſe ad Judam relatum. At, inquis, quomodò potuêre exploratores iſti, in hiſtoriâ tam celebri, nec longè ab ſuis temporibus remotâ, errare tam turpiter? Reſpondeo, Judæos exterarum rerum incurioſos fuiſſe, & ſuis ferè ſolis intentos: ut mirum non ſit, iſthæc & malè ab exploratoribus narrata, & patienter à Machabæo audita: præſertim cùm ipſi hiſtoriarum ſcriptores ſæpè in narratione rerum maximè notabilium ceſpitent. Quid notius quàm Carolum Quintum Bononiæ à Pontifice Imperatorem coronatum fuiſſe? Duplexius tamen, ſcriptor diligens, Romæ coronatum narrat. In re tanta errat hiſtoricus, quidni erret in ſimili explorator Judæus, alienorum indiligens? Altera ad difficultatem reſponſio eſt Serarii, quæ nec Saliano diſplicuit, nec tibi, opinor, mi Lector, improbabitur: fieri potuiſſe, ut verè captus fuerit Antiochus, ſtatimque dimiſſus operâ Africani Scipionis, ob receptum ab Antiocho filium quibuſdam ſuſpecti, uti Appianus & Livius referunt. Ne gratis hoc fingi à Serario putes: adverte tantam fuiſſe cædem militum Antiochi, ut de ſeptuaginta peditum millibus, quadruplo plura Florus numerat, quinquaginta cæſa dicantur, de duodecim equitum millibus interfecta millia quatuor, capti mille quadringenti, & quindecim cum rectoribus elephanti. Quid ergo incredibile, ſi in tantâ clade ſuorum, diſſipatis ordinibus, & permiſtis undique, ut fit, in pugna Aſianis ac Romanis, Antiochus aliquandiu inter horum manus fuerit, moxque amici Scipionis conniventiâ elabi permiſſus ſit; ut honeſtiùs de pace tractare liber, quàm captivus, poſſet? Tertia ſolutio non mala ejuſdem Serarii eſt, dici poſſe captum Antiochum, quòd fermè captus ſit: evaſit enim, inquiunt profani hiſtorici, è prælio cum paucis, & media nocte Sardes venit, tum Apameam, poſtremò in Syriam, unde miſit qui de pace agerent. Addit & quartam ſolutionem Serarius, hoc forſan ad Perſea Macedonum Regem referri poſſe, & conjecturæ ſuæ ſtabilimentum adducit ex Græco textu, ubi mox additur *ſtatuerunt eis*, non verò *ei*. Sed iſta de Perſeo ſolutio admitti nullo modo poteſt: conſtat enim in hoc loco de Antiocho magno agi, & in iſtis verbis Græci textus, *ſtatuerunt eis*, agi tum de eo, tum de ejus ſucceſſoribus, ut dictum imus.

Quæres quartò: quod ſit illud *conſtitutum*, quod Romani *ſtatuerunt ei*, ſeu, ut Græcè habetur, *eis*, ipſi ſcilicet & ſucceſſoribus; *ut daret ipſe, & qui regnarent poſt ipſum?* Reſpondeo, idem intelligendum eo nomine hìc, quod cap. 7. v. 18. ubi dicuntur Bacchides & Alcimus tranſgreſſi *conſtitutum*, id eſt *pactum*. Nec refert, quod illìc in Græco habeatur στάσιν, hìc διαστολὴν: utrâque enim voce ſignificatur res eadem. Unde aberravit Interpres Regius, qui hoc loco διαστολὴν vertit *diſtinctionem*: nam quid obſecro ad rem iſtud nomen, *diſtinctio*? Scire debuerat, διαστολὴν Græcè idoneis auctoribus ſignificare *pacificationem*, ſeu *animorum reconciliationem*, & ex re natâ intelligere, illo ſenſu hìc ſumi. Conſtituti autem, ſeu fœderis cum Antiocho à Romanis initi, conditiones recenſet Salianus anno Antiochi Magni 37. Notantur binæ hoc verſu, *tributum magnum*, & *obſides*. Indicta fuêre quindecim millia talentûm Euboicorum, quingenta mox pendenda; duo millia & quingenta, cùm à Senatu ac populo Romano pax probata fuiſſet; reliqua duodecim in annos totidem deſcripta. Diutiùs tamen tenuiſſe ejus tributi exſolutionem patet, ex 2. Mac. 8. v. 10. ubi talentorum duo millia, Romanis debita, ex manubiis Judæorum confectum iri ſperatur. Imperati prætereà obſides viginti, è quibus primùm fuit Antiochus Epiphanes, tum in ejus locum ſubmiſſus à Seleuco patre Demetrius, ut ſuis locis diximus.

Quid conſtitutum Antiocho?

Quæres quintò: quo pacto India Antiocho adempta? Conſtat, ſolitos à Romanis victos Reges ac populos parte agri multari. Conſtat item, id Antiocho factum, qui, ut ait Livius l. 37. *Omni Aſia cis Taurum optimo regno exceſſit*: aut, ut ait Appianus, *juſſus eſt abſtinere omni Aſia, quæ trans Taurum eſſet.* At quomodò ei adempta India, quam neque ipſe poſſedit umquam, nec primus ipſe Aſiatici regni fundator Seleucus? Hic enim, ut Juſtinus narrat, pacem iniit cum Sandrocotto Indorum Rege, ille cum Sophagaſeno, ut Polybius. Variæ ad hanc difficultatem reſponſiones aggeruntur à Serario. Primùm pro *India* forſan reponendum *Ioniam*. Deinde nomen Indiæ latè poſſe ſumi, ut non ſolùm Indiam propriè dictam ſignificet, ſed etiam vicinas regiones: quo ſenſu Arabes, Æthiopes, alioſque remotos à nobis populos, interdum Indos dici. Denique S. Thomam obſervâſſe, in libris quibuſdam nomen Indiæ non haberi. Alia eſt Saliani ſolutio, qui putat nomine *India* intelligendam regionem *Indicam* ad Pontum ſitam, cujus urbs Gorgippia, Ixibatæ finitimi: eam enim regionem ab Antiocho Magno poſſeſſam facilè credet, qui legerit quàm latè regni ejus fines paterent. Amplector conjecturam Saliani, & confirmo ex textu Græco, ubi disertè habetur χώραν τὴν ἰνδικὴν *regionem Indicam*, id eſt, regionem, quæ *India* vocabatur. Si tamen mavis Serarium ſequi, qui pro India putat reponi poſſe Joniam tunc Græcè etiam legendum erit χώραν ἰωνικὴν *regionem Ionicam.*

Qui adempta India Antiocho Magno?

Quæres ſextò: quomodò eidem Antiocho *Media* ablata, cùm tam longè in interiorem Aſiam, nec tunc, neque umquam poſteà Romani penetrârint?

Item Media.

Digitized by Google

râſint? Dicat quis primùm cum Serario, *Mediam* potuiſſe Antiocho à Romanis adimi, quando decem legati miſſi à Senatu fuêre, ad res Aſiæ luſtrandas & componendas. Cùm enim nihil mallent, quàm Regis illius vires undique circumcidere: non erit improbabile eos maluiſſe Armenis, aut Bactrianis, Mediam attribuere, quàm Antiocho, quem magis formidabant, quia potentiorem & viciniorem. Dicat alius cum eodem Serario, pro *Media* reponendam *Myſiam*: cui, inquit Salianus, favebit, quòd ubi Livius *Medos* ponit in auxiliis Antiochi, Appianus habet *Myſos*: item quòd *Myſia* finitima erat Eumenis regno, de quo mox, *Media* autem trans Armeniam ſita longè diſtabat. Sed omiſſis iſtis conjectoris, amplector opinionem Saliani, cenſentis agi hîc de *Media* ſeu *Medicâ* Thraciæ privinciâ, de qua Ptolemæus tab. 9. & Ortelius in Geogr. Nec nomen ſolùm congruit, ſed & res ipſa; cùm juxta eam provinciam Antiochus Magnus Lyſimachiam urbem reſtaurârit, teſte Livio lib. 33. quæ & ipſi poſtmodùm adempta, & Eumeni tradita eſt, ut mox dicemus.

Quî ablatæ iſtæ provinciæ ſucceſſoribus Antiochi?

Quæres ſeptimò: quomodò *optimæ* iſtæ *regiones* dicantur *eorum*, & *acceptæ* ſeu ablatæ *ab eis*, cùm ſoli Antiocho Magno ademptæ ſint? Reſpondeo, quià Antiocho ablatæ ſunt, & alienis regnis attributæ, etiam ſucceſſoribus ademptas dici poſſe: etſi enim hi nunquam illas poſſederint, poſſediſſent tamen, ſi Antiochus non amiſiſſet.

Quomodò Eumeni datæ?

Quæres octavò: quomodò iſtæ regiones dicantur Eumeni Regi attributæ, cùm aliæ aliis populis ac Regibus datæ ſint? Diſcimus quidem ex profanis, nominatim Livio lib. 37. Senatum Romanum Eumeni Regi conceſſiſſe, ut cis Taurum montem, quæcumque Antiochi fuiſſent, poſſideret, præter Lyciam & Cariam quibus Rhodii donabantur. Habemus ex eodem Livio lib. 38. legatos à Senatu, pro diſtribuendis Antiocho ademptis regionibus, dediſſe Eumeni Cherſoneſum in Europa, Lyſimachiam, vicosque & agros ejus, quibus finibus tenuerat Antiochus: at Pruſiæ Regi reſtituiſſe Myſiam; Lycaoniam, Lydiam, aliaque attribuiſſe. Nihil tamen iſta Livii pugnant, cum iis quæ Machabæo narrantur: neque enim hîc dicuntur omnes regiones Eumeni attributæ, ſed aliquæ tantùm numero non definito, ut patet conſideranti textum noſtrum, magisque ſi conferatur Græcus textus, qui ſic habet ad verbum: *Et regionem Indicam, & Mediam μήδειαν, & Lydiam, & de pulcerrimis regionibus eorum, & acceptas eas ab eo dederunt eas Eumeni Regi.* Dederunt inquam *eas*, id eſt de pulcerrimis regionibus regni Aſiatici aliquas: non enim neceſſe eſt omnes datas fuiſſe, ut ea ſententia in proprio ſenſu vera ſit.

Bella Romanorum per Græciam.

℣. 9. & 10. Deſcribuntur bella per Helladam ſeu Helladem, id eſt Græciam, geſta. Varia fuêre ſuſcepta per Nabidem & alios, inquit Serarius. Exiſtimo tamen cum Saliano, hîc potiſſimùm innui bellum Ætolicum. Ætoli enim primùm amici Romanorum, in bello contra Philippum Macedonem, deinde, quòd minoribus exſpectatione præmiis affecti eſſent, hoſtes; ſecum Nabidem Antiochum, aliosque ad bellum Romanis inferendum excivêre tantâ ferocia, ut Damocritus eorum Princeps, petenti reſponſum legato Romanorum, auſus ſit dicere: ſe daturum, cùm caſtra ſuper Tiberis ripam poſuiſſet. Id videtur indicari hiſce verbis, *voluerunt*, ſeu, ut Græcè habetur, *decreverunt ire & tollere eos.* Deinde quod additur, miſſum *ad eos ducem unum*, optimè convenit Marco Acilio Glabrioni: qui Ætolos debellavit, captaque Heraclea, magnam Ætolorum captivorum turbam avexit, in iisque Damocritum, & alios primores quadraginta tres, qui deinde in latomias conjecti. Mulctati poſteà agro Ætoli, tributoque gravati: quæ omnia hîc notantur, cùm dicuntur captæ uxores eorum & liberi, poſſeſſa eorum terra, deſtructi muri, & ipſi in ſervitutem redacti.

Bella alia varia.

℣. 11. 12. 13. Perſtringuntur bella in Illyrios, Epirotas, Siculos, Sardos, Corſos, Achæos, ſignificatos per *regna*, & *inſulas.* Item quæ Romani *amicis ſuis*, & *qui in ipſis requiem habebant*, ſeu ipſis *acquieſcebant*, ut Græcè habetur, id eſt ſociis ac fœderatis, præſtiterint: ut Geloni Syracuſano, Maſſaniſſæ Numidæ, Eumeni, Attalo, Pruſiæ, Ariarathi, Rhodiis, Athenienſibus. De regnis, *quæ erant proxima, & quæ erant longè*, obtentis per Romanos, patet ex domita Italia tota, Sicilia, Epiro, Hiſpaniâ ad Oceanum uſque. *Terrorem* Romani nominis undique pervagatum, planum eſt. *Data* ab ipſis & *adempta regna* patet, vel ex ipſo Eupatore, & Demetrio Aſiæ Regibus, quorum ille ſalutatus ab eis Rex fuerat, hic ambiebat ut ſalutaretur: item ex Epiphane, qui coactus fuit abſtinere regno Ægypti, ut ſuprà annotavimus, ad cap. 1. v. 21. Et ex Ptolemæis Phiſcone & Philometore, quorum fines pro arbitrio determinabant. Adde regulos Hiſpanos, Philippum, Perſea, aliosque, de quibus conſule profanam hiſtoriam, aut ſi mavis Aug. de Civitate multis libris, & Hieron. in Danielem.

Res Romanorum domeſticæ.

℣. 14. 15. 16. Hactenus Machabæo narratum eſt, quemadmodùm Romani cum exteris ſe geſſerint, nunc quomodò inter ſe. Cùm autem & hic aliquæ difficultates incurrant, illas ad planiorem intelligentiam in quæſtiones aliquot diducemus.

Quomodò purpurâ & diademate uſus nemo Romæ?

Quæres primò: quomodò *in omnibus his*, licèt tanta eorum eſſet potentia, *nemo* tamen *portabat diadema, nec induebatur purpurâ?* De purpurâ ambigat aliquis; ex eo quòd apud Livium lib. 34. ubi de purpuræ uſu fœminis non interdicendo agitur, diſertè dicatur, purpurâ viros Romæ uſos. Reſpondeo, in eo ipſo loco Livii ſolutionem eſſe hujus objectionis cùm additur, purpurâ viri utemur prætextati in magiſtratibus: geſtabant ergo magiſtratus Romani veſtem non purpuream, ſed ſolùm prætextam purpurâ. At, inquis, etiam apud Dion. Halicarn. habemus, triumphantes coronâ & purpureâ trabeâ auro intertextâ, inſignibus Regiis, uſos. Reſpondeo, neque id quidquam contra nos facere: quod enim narratur Judæ, de non portato diademate & purpura, intelligitur de geſtatione continua, & ordinaria ab aliquo facta, *ut magnificaretur in ea*, ſive ut pro Rege ſe gereret: non verò intelligendum eſt, de extraordinaria illa unius atque alterius diei geſtatione.

Quis Romæ Senatorum numerus?

Quæres ſecundò: quomodò *quotidie conſulebant trecentos viginti*, cùm trecenti tantùm eſſent Senatores? Fatendum, à Romulo primùm centum Patres lectos, tum ducentos, deinde trecentos: eumque numerum, cædibus per Tarquinium valdè imminutum, à Bruto Conſule, lectis primoribus equeſtris ordinis, ſuppletum fuiſſe; unde, teſte Livio, manârit conſuetudo vocandi in Senatum, qui Patres, quique conſcripti vocarentur. Nihil tamen vetat, ut benè advertit Serarius, quin aliquando paullò plures trecentis eſſent:

variavit enim ſæpè numerus Senatorum: per Gracchanas ſeditiones ſexcenti fuêre: certè ex quadam Ciceronis ad Atticum epiſtola ſupra quadringentos. Poſtea fuêre nongenti, tandemque mille & ampliùs: unde etiam Orcini Senatores dicti nonnulli. Iſta Serarius. Contra quæ ne fortè objicias, trecentos per Judæ tempora dictos Senatores, adeoque non fuiſſe trecentos viginti: Salianus advertit, à Cenſoribus potuiſſe pro arbitrio & rebus occurrentibus minui aut augeri Senatorum numerum, manente ſemper, ut dictum eſt trecentorum nomine rotundo, quomodò 70. Interpretes, & diſcipulos Chriſti dicimus, licèt duo eſſent ſuprà iſtum numerum. Addit prætereà, potuiſſe ex legatis Romanorum in Syriam miſſis diſci, quo tempore hæc legatio à Juda adornata fuit, viginti Romæ fuiſſe Senatores ſupra trecentos.

An Senatores ſemper de multitudine conſulu?

Quæres tertiò: quid illud ſit Senatores *conſilium egiſſe ſemper de multitudine, ut quæ digna ſunt gerant?* An ergo ſemper de populo actum in Senatu? Et de quibus illud intelligendum, ut gerant quæ digna ſunt, de Senatoribus ipſis, an de populo? Reſpondeo, ex Græco ambiguitatem omnem tolli: ubi dicitur, quòd Senatores quotidie convenirent, βυλεύομενοι διαπαντὸς περὶ τοῦ πλήθους, τοῦ εὐκοσμεῖν αὐτοὺς, *Conſulturi ſeu conſulentes ſemper de multitudine, ut benè regant*, ſeu *exornent eos*. Significatur ergo quotidianam Senatorum curam fuiſſe, de regendo Romano populo; legibus, inſtitutis, moribus, ornando; hoſtibus comprimendis, imperio dilatando. Valebat ſcilicet apud illos hoc politicorum fundamentum, & axioma capitale: *Salus populi, ſuprema lex eſto.*

Quomodò unus quotannis rexerit remp. Romanâ?

Quæres quartò: *quomodò Romani committunt uni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos*: quandoquidem conſtet, ab exactis Regibus per binos Conſules ſemper gubernatam rempublicam, ſi breve Decemviratus tempus excipias? Reſpondeo cum Serario primùm: intelligi id poſſe non de Conſulatu, ſed de imperio exercitûs: id enim, licèt interdum ad conficiendum bellum prorogaretur, ſolebat tamen ſæpiſſimè annuum eſſe. Neque obſtat, quòd dicatur unus ille *dominari univerſæ terræ*, &, *omnes obedire uni*: hæc enim intelligenda erunt commodè, Imperatorem dominari univerſæ terræ ad ſuam provinciam pertinenti, omneſque ipſi ſubditos obedire. Si hoc de Imperatore minùs placet: poſſis ſecundò intelligere de Dictatore, qui licèt non quotannis, neque ad definitum tempus, nec niſi in ſummis periculis crearetur, & præterito ob quod creatus erat periculo, ſtatim Dictaturâ defungeretur: tamen variis jam annis creatus erat, & noviſſimè Punico bello ſecundo, cum ſumma poteſtate, ob quam propriè diceretur dominari univerſæ terræ. Denique capi poſſit hîc locus de Conſulibus ipſis, magiſtratu annuo, quos Aug. 5. de Civ. cap. 12. *binos Imperatores* vocat. Etſi enim duo eſſent: *unus homo* tamen dici poſſunt, non tantùm quòd unius inſtar eſſent, aut eſſe deberent, & unam haberent ſummam poteſtatem: ſed quia imperium quidem penès duos, at inſignia imperii faſces penès unum erant, ex Liv. lib. 2. Item quia, ubi uterque Conſul ſimul ad bellum exibant, alternis penès unum erat ſumma imperii, eum ferè in modum quo plerumque ſtrategi Græcorum alternis imperabant, & epiſtatæ Athenienſium unum tantum diem cum imperio erant, inquit Serarius. Sic apud Livium lib. 10. Claudius Conſul, Valerio collega defuncto, petit quidem alium ſibi collegam dari, ne quod ab uno fiet ratum non ſit: ſed mox quinque annis pòſt, Romilio Conſule, apertè docemur, Conſulibus ſimul ad bellum profectis alternatim unum imperâſſe. Ita & eodem Livio teſte lib. 22. in bello contra Hannibalem, uno die penès Paullum ſumma imperii fuit; poſtero die Varro, cui ſors imperii tunc erat, non conſulto collegâ ſignum pugnæ propoſuit: & lib. 28. eo die, quo pugnatum eſt, fuit M. Livii auſpicium. Imò apud eumdem Livium lib. 3. de Romanis decemviris: *Decimo die jus populo ſinguli reddebant. Eo die penès præfectum juris faſces duodecim erant, collegis novem ſinguli accenſi apparebant.*

An Romæ invidia non eſſet?

Quæres quintò: quomodò poſſit dici, non *eſſe invidiam & zelum inter Romanos?* Reſpondeo, cum Serario, id humano more intelligendum: fuiſſe ſcilicet tunc Romanos inter ſe multò magis concordes, quàm anteà, vel poſtmodùm. Etſi tunc etiam aliqua invidia & diſſenſiones interdum eſſent; eò uſque ut Africanus ipſe accuſatus fuerit, & auxilio, ſeu abſentiâ potiùs ſuâ, hoſtibus ſatisfecerit, & patriam ingratam punierit: non tamen tunc auditæ ſeceſſiones plebis & Senatûs, quales antè, nec ſeditiones Gracchanæ & bella civilia, qualia poſtmodùm. Numquam igitur aliàs modeſtiores & conjunctiores inter ſe Romani, quàm tunc, id eſt ante Punicum bellum tertium: & de his maximè temporibus intelligendus Ennii verſus, apud Ciceronem, *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſq.*: & iſtud Senecæ epiſt. 87. dicentis, *ex divitiis ambitum, & largitiones, & tumultus in urbem ſanctiſſimam, & temperantiſſimam irrupiſſe.* Sed hac de re cum Serario ad Auguſtinum amitto lib. 2. de Civit. cap. 17. &c. & l. 5. c. 12. &c. Itemque ad Agrippæ Regis orationem lib. 2. Capt. cap. 28 & ad Joſephum ipſum eodem libro cap. 42. dicentem, ſe advertiſſe Romanos duabus rebus præſertim invictos fuiſſe, *Obedientia, & exercitatione armorum.* Ad quæſtionem item reſpondere poſſis, cum Saliano, dici *invidiam & zelum* non eſſe inter Romanos, comparatione facta cum Græcis, & cum Judæis ipſis. Græci enim inter ſe mutuis præliis confecerunt, Syro-Macedones præſertim, quod Eupatoris & Demetrii recenti exemplo probatur. Judæi nuper Jaſonis, Menelai, Lyſimachi ambitione turbati, jam Alcimi & ſociorum perfidiâ conflictabantur.

Concordiæ publicæ neceſſitas.

Hinc habes quo locum illum communem celeberrimum, de Concordia rebus-publicis neceſſaria, illuſtres. Affer Agathiæ verba ex lib. 1. poſtquam de Francorum inter ſe concordia dixit: *Juſtitia & caritas, ubicumque inter mortales foventur, fælicem proculdubiò rempublicam reddunt.* Profer verba vulgaria Saluſtii: *Concordiâ res parvas creſcere, diſcordiâ maximas dilabi.* Adduc apologum Agrippæ, de membris humani corporis inter ſe colligatis, neque abjungendis: qui & Paullo 1. Cor. 12. placuit. Affer alterius Agrippæ exemplum ex Sen. epiſt. 94. *Marcus Agrippa, vir ingentis animi, qui ſolus ex his, quos bella civilia claros potenteſq. fecerunt, fælix in publicum fuit, dicere ſolebat, multum ſe huic ſententiæ debere: Nam concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur. Hac ſe ajebat & fratrem, & amicum optimum factum.* Narra iſtorum apologos, qui ad vim concordiæ demonſtrandam ſetas equinas ſingulas velli juſsêre, ſagittas ſingulas frangi: cùm neque illæ, neque hæ conjunctim, ullis viribus cederent. Produc, ex antiqua hiſtoriâ, frequentia corruentium diſcordiâ populorum exempla: nullum notius aut efficacius Romanis, quibus nihil

majus,

maſus, quamdiu non fuit *invidia & zelus inter eos*; at ubi factionibus dividi cœpêre, amiſſa primum libertas, mox ſtupendæ magnitudinis imperium concidit.

Concordiæ rebuſp. ſacens neceſſitas.

In rebus-publicis ac bellis ſpiritalibus, ſi victores eſſe cupimus, eadem nobis concordia curanda eſt. Tert. id Martyras monebat, ne dum in carcere eſſent, tantum de ſe diabolo gaudium darent, ut invicem diſſiderent. *Nec illi*, inquit, *tam benè ſit in regno ſuo, ut vos committat, ſed inveniat munitos, & concordiâ armatos. Pax enim veſtra bellum eſt illi.* Vide ea de re inſignem ſermonem Bernardi 29. qui totus eſt de iis, qui impugnant fraternam unitatem, in iſtud Cant. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, ubi hæc ex multis: *Pax vobis à vobis ſit, & omne quod extrinſecus minari videtur, non terret, quia non nocet.* Idem, credo, indicare voluit ſponſus, cum de Sulamite ſua pacifica loquens, id eſt, de Eccleſia & communitate qualibet Eccleſiaſtica: *Quid videbis*, inquit, in Sulamite, *niſi choros caſtrorum?* Quid Sulamitidi pacificæ cum caſtris? Quid caſtris cum choris? Multùm ſanè. Quomodò enim in caſtris ordinata & conjuncta, ac concordia omnia eſſe debent, harmoniæ inſtar ex variis ſonis, vocibus, atque inſtrumentis concentum unum efficientis: ita in republica ſpiritali, ad ſervandam intùs pacem, victorias foris reportandas, convenire inter ſe omnes debent caſtrorum inſtar, & conſonare ut muſicorum chori. Vide & quædam hac de re ad cap. 3. verſum 2. De invidia vide cap. 5. verſ. 1. & 2.

Legati Judæi ad Romanos.

℣. 17. 18. 19. 20. Nominantur Oratores pacis ac ſocietatis petendæ, à Juda Romam miſſi. *Eupolemi* pater *Ioannes* & ex ſe, & ex filio laudatur, libro 2. cap. 4. Dicitur autem iſte Joannes, fuiſſe filius *Iacob*, Græcè *Accôs*. Fuerit igitur iſte Eupolemi avus, pater Joannis, binomius, quod apud Hebræos frequens. Alter legatus *Iaſon*, dicitur filius *Eleazari*: hunc Eleazarum Salianus ſuſpicatur fuiſſe, vel fratrem Judæ, vel nonagenarium illum Martyrem: nihil certi conjici poteſt. In textu nihil notandum eſt, præter verba, *ſocietatem* & *ſocios* verſ. 17. & 20. quæ Græcè ſunt *συμμαχίαν* & *συμμάχȣς*, id eſt, propriè *ſocietatem armorum*, & *ſocios armorum*, unde intelliges aliud eſſe amicitiam, aliud ſocietatem: quamquam ſæpè utrumque jungebatur. Item verſ. 19. ubi nos habemus *introierunt in curiam, atque dixerunt*, Græcè habetur, *introierunt in curiam, & reſponderunt, atque dixerunt*: quod noto, ut pergas advertere in hoc libro perpetuos eſſe Hebraiſmos: Hebraica enim phraſi reſpondere dicitur, etiam qui prior loquitur & non interrogatus.

An ultrò appellati de amicitia Judæi à Romanis?

Cùm autem ex hoc loco manifeſtum ſit, Romanos à Judæis de amicitia ac ſocietate ſolicitatos: mirum eſt contrà Proſperum dicere, hos ab illis ultrò appellatos. Sic enim loquitur de Promiſſ. & prædict. Dei, p. 2. c. 40. *Poſt redditam libertatem ex captivitate Babylonia, Machabæi ducatum Hebræo populo præbuerunt. Quorum virtus ita enituit, ut non tantùm Macedones & Ptolemæus Rex Ægypti, quantum eos ipſi Romani ad amicitiarum fœdera convocarent.* Eſto verum ſit, Judæis amicitiam oblatam à Syro-Macedonibus, Demetrio Rege, Aleſandro Vele, aliiſque: eſto item, id aliquo modo dici poſſit de Ptolemæis, quorum unus Jonathan ad ſe venientem amicè excepit infrà cap. 10. alii pacem aliquamdiu cum Judæis coluerunt. At quo pacto verum id eſſe poſſit de Romanis, qui numquam de ſocietate cum Judæis ineunda cogitavêre, niſi ab his appellati, modò per Judam, poſteà per Jonathan, denique per Simonem? Sit ergo in Proſpero error memoriæ.

Concordia iterû commendatur.

Obſervat Rabanus binos Romam mitti, ad ſocietatem cum Infidelibus ineundam: *Sic*, inquit, *Redemptor noſter ad convocandas ad fidem & ſocietatem pacis Gentes, duo Teſtamenta in mundum direxit.* Magis ad mores aptum eſt, quod ſubjicit, ipſis fermè D. Gregorii, de binorum diſcipulorum per Chriſtum miſſione, verbis, ad cap. Lucæ 10. *Binos nuntios mittit propter ſacramentum caritatis, quia duo ſunt præcepta caritatis, & omnis caritas minùs quàm inter duos haberi non poteſt.* Transferamus & hoc ad ea, quæ modò diximus de concordia: quò etiam accommodari poſſit, quod de binis Conſulibus Romanis obiter inſinuavimus ad verſ. 16. *unum hominem* dici, licèt duo eſſent, quòd concordiâ & poteſtate inſtar eſſent unius, aut eſſe deberent: uti Criſpinus Epiſcopus Ticinenſis de S. Epiphanio ſucceſſore ſuo, tum Diacono, loquitur apud Enn. in hujus vita: *Cujus ambulavi pedibus, tenui manibus, vidi oculis, ordinavi ſermone. Duo videbamur intuentibus, cùm unus per concordiam fieret ex duobus.* Eadem phraſi Minutius de Octavio ſuo loquens, ſub dialogi initium: *Crederes*, inquit, *unam mentem in duobus fuiſſe diviſam.*

Cur grata Romanis Judæorum legatio?

℣. 21. Et placuit sermo in conspectu eorum. Agnoſce & hic duplicem Hebraiſmum. *Sermo* ponitur, non tantùm pro verbis, ſed etiam pro re, verbis legatorum propoſitâ. Dicitur *placuiſſe in conſpectu eorum*, id eſt, placuiſſe ipſis. Grata autem fuit Romanis legatio, & ſtatim in conditiones pacis conventum: non tam quòd honorificum eſſet, de amicitia ultrò appellari à populo non ignobili; quàm quòd utilis erat ipſis futura Judæorum ſocietas, ad continendum in officio Demetrium Regem, ſi fortè aliquid contra ipſos movere auderet. Cùm enim politicis omnibus, ſive bello, ſive pace, ſeu amicitiâ, ſeu inimicitiis contrahendis, id primò ſit propoſitum, ut publicæ utilitati conſulant: tum Romani maximè id ſpectare ſoliti erant, in adſciſcendis & fovendis ſociis. Ita, ut Polybius obſervat, & ex eo Salianus ad Judæ annum 6. ſub hæc ipſa tempora, ad Ptolemæi Philometoris potentiam minuendam, ejus fratrem Phiſconem protegebant. Sic favebant Pruſiæ & Ariarathi Regibus adversùs Eumenem & Attalum, quantumvis amici eſſent, hic inprimis. In eumdem finem, pace cum Carthaginenſibus factâ, poſt Punicum bellum ſecundum, tamen Maſſaniſſam perpetuum eorum hoſtem fovere non deſinebant. Cave ergo tibi perſuadeas, honoris potiſſimùm causâ exceptam à Romanis legationem Judæorum, multò minus in ipſorummet Judæorum gratiam: proprium in ea commodum ſpectavêre, eamque arripuêre, tamquam novum coërcendo Demetrio frænum. Hinc literæ ad illum miſſæ verſ. 31. & 32. cum minis, ſi quid adversùm Judæos tentaret, ſeu *de malis quæ fecit*, Græcè *facit in eos*.

Convenitur de ſocietate.

℣. 22. &c. Refertur *reſcriptum*, Græcè *exemplar epiſtolæ*, ſeu literarum fœderis inter Romanos & Judæos editi. Inciſum fuit in æreis tabulis, miſſumque Hieroſolymam: ſed Juda mortuo demum illuc perlatum fuiſſe conſtat, ſi rationem temporis attendas. Occiſo enim Nicanore adornata legatio eſt, quo tempore *ſiluit terra Iuda dies paucos*, ut habetur ſuperioris capitis verſu ultimo. Atqui Nicanor occiſus fuit anno 151. Græc. tertia-decimâ menſis Adar, qui anni ultimus eſt. Anno verò 152. primo menſe, occiſus eſt Judas, id eſt, vix menſe toto elapſo à miſſa legatione. Unde manifeſtum eſt, legatos tantillo tempore Romam ire

viam multam valdè, ac confecto negotio redire Hieroſolymam non potuiſſe.

Ejus conditiones.

In conditionibus fœderis benè notandum, utrimque Judæos & Romanos ſeſe obſtringere, ad ferendum mutuum auxilium propriis ſumptibus, adverſùs ingruentes hoſtes: id eſt, ſi Romanis inferatur bellum, Judæos auxiliaturos, ſic ut ſibi de commeatu & armis provideant, nihilque à Romanis exigant ob præſtitam operam: eumdem in modum facturos Romanos, ſi Judæi priùs ab hoſtibus laceſſantur. Id à Ioſepho malè intellectum, rectè obſervat Salianus: qui & illum meritò reprehendit, quòd dicat, id exemplum fœderis ſcriptum à legatis Judæis, cùm Judas Pontifex eſſet, & Dux Simon. Judas enim ſimul fuit & Dux & Pontifex: certumque eſt, vel ipſo teſte Joſepho, utramque dignitatem, hoc tempore fuiſſe conjunctam. De cætero nihil eſt in toto fœderis reſcripto, aut literis Romanorum ad Demetrium, quod nos moretur.

Peccarítne Judas poſtulanda Romanorum ſocietate?

Supereſt ſolùm celebris & à multis agitata quæſtio, quam in hunc locum Excurſûs vice ſervavimus, neque enim nobis prætermittenda eſt: An Judas peccârit, fœdere cum Romanis ineundo? Affirmat Joſippus Hebræus apud Serarium. Item Rupertus lib. 10. de Vict. verbi, cap. ultimo: Petrus Bleſenſis epiſt. 146. ad Cæleſtinum Papam, ſcriptâ nomine Reginæ Angliæ, Emmanuel Sa, & noviſſimè benè longa oratione Andreas Hojus variæ literaturæ vir, nuperque in Academia Duacena hiſtoriæ, ac literarum, profeſſor Regius. Negant Eſthius, Serarius, Torniellus, Salianus, aliique hodie paſſim omnes: quorum ſententiam amplector, vel ob hanc rationem quæ & Serario placuit; quòd nemo damnandus ſit, niſi ob graves cauſſas, &, ut vulgò loquimur, nemo credatur malus niſi probetur. Si autem id de quolibet homine, quantumvis abjectæ ac ſordidæ conditionis, ſervandum: quid de tanto Pontifice ac Duce, & quod caput eſt, tam ſancto Heroë faciamus? Itaque argumenta eorum, qui factum ejus damnant, expendamus, &, ſi invalida ſunt, damnationem reſcindamus, atque æquiorum judicum partem clementiorem ſequamur.

Fecerítne contra jus naturæ, aut divinum?

Primum caput accuſationis eſt ex lege divina, vetante ſocietatem cum Infidelibus: *Quamvis*, inquit Rupertus, *ſuper hac re eos*, Judam ac fratres, *non culpet Scriptura, res geſtas continens ipſorum: nihilominùs tamen animadvertere promptum eſt, non fuiſſe tutum coram Deo, neque lege conceſſum Iudæis, ut expeterent amicitias Gentium.* Qua in ſententia Rupertus videtur innuere, primùm ex natura rei non fuiſſe tutam coram Deo, id eſt non licuiſſe Judæis ſocietatem Infidelium: deinde idem ipſis lege divina prohibitum. Lex autem ea habetur Exod. cap. 23. v. 32. & cap. 34. v. 15. ſed præſertim Deut. cap. 7. v. 2. Reſpondendum eſt: iſtis legibus non vetari ſocietatem cum gentibus quibuſvis, ſed cum certis tantùm quæ terram Iſraëlitis promiſſam incolebant, quæque eos paullatim ad idololatriam inducturæ erant, ſi in fœdus & amicitiam receptæ illis miſcerentur. Nominatim autem recenſentur cap. 7. Deut. verſ. 1. gentes ſeptem: Hethæi, Gergezæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Hevæi, Jebuſæi. Ubinam inter iſtos populos, quorum cum Iſraëlitis fœdera vetita ſunt, non dico Romani longè à Judæa abſentes, ſed vicini etiam populi alii, verbi cauſſâ Philiſtini, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes? Itaque David, qui fecit rectum in conſpectu Domini, & non declinavit neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, excepto ſermone Uriæ Hethæi, fœdus icit cum Achis ſatrapa Philiſtinorum 1. Reg. 27. Naas Ammonitæ amicus eſt 2. Reg. 10. Filiam Tolmai Regis Geſſur ducit uxorem 2. Reg. 3. neque uſquam reprehenditur. Reprehendendus alioquin etiam ex lege naturæ, ante promulgatum jus divinum, fuerat Abraham, qui Gen. 14. cum Eſchol & Aner init ſocietatem, & Gen. 21. cum Abimelech & Phicol. Peccâſſe dicendus Iſaac, qui Gen. 26. fœdus percutit cum Abimelech, Ochozath, & Phicol: & Jacob damnandus, qui acceptis à Labano idololatra filiabus in uxores, fœdere novo affinitatem firmat Gen. 31.

Cur reprehenſi pii Reges de ſocietate cum impiis?

At, inquies, 2. Paral. 19. reprehenditur à Propheta Jehu piiſſimus Rex Joſaphath, de coalita cum Achabo amicitia: *Impio*, inquit, *præbes auxilium, & cum his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris, & idcircò iram Domini merebaris*, &c. Et cap. ſequenti, Eliezer propheta eidem Regi denuntiat jacturam claſſis ſuæ in Aſiongaber accidiſſe, *quia habuit fœdus cum Ochozia*. Item Hanani Propheta, Regem Aſa incuſans de vocato in auxilium Benadado Rege Syriæ, contra Baaſam Regem Iſraëlis: *Stultè*, inquit, *egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore adverſum te bella conſurgent*, 2. Paralip. c. 16. Reſpondeo Joſaphatum reprehendi, quòd cum Achabo & Ochozia, amicitiam coleret, quos Deus cum omni domo ſua exterminatos volebat, idque jam antè pronuntiârat, ut benè advertit Salianus. Non igitur ideò culpatus ſanctus ille Rex, quòd idololatris junctus eſſet, ſed quòd talibus ac tam abominandis, quoſque ſciret Deo ſingulariter præ aliis eſſe odioſos: neque enim ignorare poterat, id à Prophetis diſertè & palàm prædictum. Certè ſi ideò omninò peccâſſet Joſaphat, quòd idololatris amicus eſſet, etiam reprehendendus erat, quod cum Rege Edom profectus eſſet ad bellum Moabiticum, eò à Joramo invitatus 4. Reg. cap. 30. Nihil tamen ipſi ob eam ſocietatem ab Eliſæo objicitur, imò Propheta dicit illo ipſo tempore ſe vultum ejus revereri. De Aſa verò, ex ipſis Prophetæ primis verbis patet, eum non tam in fœdere, quàm in cauſſâ ac modo fœderis peccâſſe. Ideò enim ad Syriæ Regem miſit petitum auxilium, quia ſatis Deo non fidebat, eò minùs veniabili diffidentiâ, quòd recens Dei præſidium, in profligando potentiſſimo Æthiopum exercitu, expertus erat. *Quia*, inquit Propheta, *habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo; idcircò evaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua*, &c. 2. Paral. 16. Ubi vides non aliter Regem illum accuſari, de aſcito in præſidium idololatra, quàm paullò pòſt de medicis advocatis, cùm pedum graviſſimo dolore conflictaretur: non quòd medicorum arte uti vetitum ſit, ſed quòd ſit malum id facere ex diffidentia opis divinæ, uti Aſa, qui *nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.*

Judas eam ſocietatem contrahendo, nec materiâ, nec modo peccavit.

Itaque fixum ſit, ex rei natura malum non eſſe, fœdus inire cum Infidelibus: nec lege ulla poſitiva prohibitum, niſi ex accidenti, ob adjunctum aliunde malum aliquod. Vetari ſolùm, ubi eſt periculum ſubverſionis aut ſcandali, uti Deuter. c. 7. Item reprehendi, ſi debito fine, aut modo careat, quod in Joſaphato & Aſa vidimus. Judas verò, ac poſtmodùm Jonathas & Simon, rem de ſe non prohibitam fecère: eámque optimo fine, *ut auferrent jugum Græcorum*, injuſtorum & ſacrilegorum hominum. Neque ea in re periculum ullum incurrerunt violandæ religionis, protegendæ ſuperſtitionis, aut exempli mali, vel ſcandali præbendi.

Nec

Digitized by Google

Nec denique ſocietatem iſtam ambierunt ex diffidentiâ divini auxilii: ſed quòd ſcirent, etſi Deo fidatur, humanam tamen opem non eſſe negligendam, manumque cum Deo movendam: & eum eſſe ordinem divinæ Providentiæ, ut motum ac cooperationem deſideret cauſſarum ſecundarum. Unde ad extremum, quandoquidem Judas ac fratres, percutiendo cum Romanis fœdere, nec materiâ licitâ, nec fine debito, nec convenienti modo caruerint, inde conſequens eſt, non modò non peccâſſe, ſed etiam prudenter jure ſuo uſos.

An Judas occiſus in pœnam ejus ſocietatis initæ?

At, inquis, videtur Deus ipſe factum illorum condemnâſſe, cùm poſt initam iſtam amicitiam, tres fratres ex alio alium infælici rerum ſucceſſu punierit. Hoc alterum Ruperti argumentum eſt: *Si quid*, inquit, *pulveris, aut pulvereæ vanitatis taliter admiſerunt, omninò deletum eſt, citâ ſubſequente morte ſingulorum. Denique Iudas primus miſerat Romam conſtituere cum illis amicitiam & ſocietatem: & intereà Demetrius Rex, poſt caſum Nicanoris & exercitûs ejus, appoſuit Bacchidem & Alcimum rurſus mittere in Iudæam, & in illo prælio cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſrael. Deinde Ionathas Romam miſerat, ſtatuere & renovare cum eis amicitiam, & poſtmodùm à Tryphone dolis circumventus, atque occiſus eſt. Similiter Simon miſerat cum illis renovare amicitiam, nec multò pòſt à genero ſuo Ptolemæo interfectus eſt. Tales eventus, ſingulorum fines obſcurare videntur, quòd in eo videlicet ſibi cæleſte diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus ſæculi quaſi pacis & ſecuritatis firmamentum.* Eumdem in modum Petrus Bleſenſis loco citato: *Pugnas Iudæ, Ionathæ, Simonis, Machabæorum fratrum, cæleſtis diſpenſatio felicibus proſperabat auxiliis. Miſſâ verò legatione, ſibi firmantes amicitiam Romanorum, Dei perdiderunt auxilium: nec eis ſemel, ſed ſæpiùs, venalis eorum familiaritas verſa eſt in ſingultum.* Reſpondeo primùm: ut fateri cogamur mortem violentam tribus iſtis Ducibus à Deo infligi permiſſam, in pœnam peccati alicujus: unde ſcitur peccatum illud latere in ſocietate cum Romanis inita? Cur non aliæ culpæ talis mortis cauſſæ eſſe potuerint? Erant enim homines, utique non impeccabiles.

Mors violenta non eſt ſemper in peccati pœnam.

Reſpondeo ſecundò, quomodò ad caput primum Excurſ. Morali 5. ſect. 2. diximus, non omnes privatorum calamitates ob peccata ipſis immitti: ita nec mortem violentam omnibus, qui eâ auſferuntur, in pœnam accidere. Planior ea res eſt, quàm ut exemplis nota fiat. Joſias è vulneribus, in prælio contra Pharaonem Nechao acceptis, moritur: Jonathas à Philiſtinis occiditur. Quid memoremus cæſos ab Iſraëlitis Prophetas? Quid tot Iſraëlitas Ninivæ interfectos, ut habet liber Tobiæ? Mors certè iſtorum fuit violenta: ſed an in pœnam peccatorum? An quòd Joſias cum Babylonico Rege amicitiam coleret? Quòd Jonathas ab impio patre Saüle non diſcederet? Quòd Prophetæ inter populares vitioſos habitarent? Quòd Iſraëlitæ captivi Niniven Infidelium urbem incolerent? Apage argumentationem iſtam: Occiſus eſt poſt fœdus initum Judas, ergo fœdere peccavit. Eodem ergo modo de omnibus iſtis, quos enumeravi, innumeriſque aliis, mihi argumentari vel divinare licebit. Quid inſolitum habuit mors Judæ? Non ſimilem mortem obire ſolent, qui bella frequentant, aut ob dignitatem eminentem invidiæ ambitioſorum objecti ſunt? Non victoriarum ſatur, non virtute quàm ætate maturior, non plenus conſcientiâ benè factorum Heros noſter mortuus eſt?

Mors Judæ potius accidit in pœnâ peccatorũ populi.

Faciamus tamen inſuêtam, lamentabilem, ingloriam, infælicem mortem Machabæi fuiſſe: ſed quorſum ex eventu uno factum, quod anteceſſit, vellicare, & culpæ arguere, quod de ſe probroſum non eſt? Meritò poëta:

Careat ſucceſſibus opto;
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Certè ſi quod peccatum cauſſam morti Machabæi dederit, non in ipſo Machabæo illud quæſierim, ſed in populo. Nondum Judæi ad plenum juſtitiæ divinæ ſatisfecerant, nondum præteritas culpas prorsùs expiârant, forſan & novis veteres cumulârant. Volebat Deus novis calamitatibus plebem ſuam perpurgare, *ut conflentur, & eligantur, & dealbentur, uſque ad tempus præfinitum*, quomodò loquitur Dan. 11. Eum in finem ſubducit columen reipublicæ; quo ſubtracto, ita concutiatur, ut tantùm non funditùs ruat. Manifeſtum irati populo Numinis ſignum, cùm ipſi Princeps talis, illis temporibus, tollitur. Sed nos plura de morte Judæ capite ſequenti.

An Judas imprudentiæ damnandus ſit, in ambienda periculoſa amicitia?

Tertiam contra fœdus cum Romanis rationem apud Hojum invenio. Dicit, debuiſſe Judam ſcire, quemadmodùm Romani paullatim ſociis ſuis jugum ſolerent induere, & ex amicis facere ſubditos: adeóque imprudentiâ peccâſſe, quòd ſpecie vindicandæ libertatis, in periculum illius amittendæ ſe immiſerit. Sed ad rationem iſtam multæ ſunt & faciles reſponſiones. Primùm: quòd nondum Romani tam avidè dominationem expeterent, ut violare vellent jura ſocietatis, & vix unum adhuc & alterum ejus injuſtitiæ, ab ipſis patratæ, exemplum exſtaret; plurima autem eſſent fideliter cultæ ab ipſis amicitiæ exempla, ut in Gelone, Maſaniſſa, Ptolemæis. Deinde: eſto, non admodùm fideles ſociis fuerint, & verò quiddam ei vitio affine indicavimus ad verſum 21. non tantum tamen nec tam præſens ab ipſis reipublicæ Judaïcæ periculum erat, quantum à Græcis, ex vicino, & ex veteri alienatione, perpetuò imminentibus cervici Judæorum: de duobus autem malis eligere minus, prudentis eſt. Denique: potuit ignorare Judas eam Romanorum adversùs amicos infidelitatem, deceptus exploratorum narratione ſuprà verſ. 12. idque ignorare invincibiliter, adeóque inculpabiliter.

Cur magis liceat pactum cum Infideli, quàm cum dæmone?

Supereſt objectio quarta, quam à Saliano obiter tactam & ſolutam, & ego hîc pauculis perſtringam: neque enim diutiùs immorari operæ pretium ſit. Cum dæmone pactum ullum, communicationem ullam, etiam optimo fine, ut perdendorum hoſtium injuſtorum, aſſerendæ libertatis, ſtabiliendæ reipublicæ, inire non licet. Hinc damnati, qui amuletis in bello ſeu aliis nominibus utuntur, qui ſtipendiarios habent ad arma dæmones, qui claſſiarios. Etſi non damnandus foret, qui, citra pactum ullum aut operam, uteretur arte de ſe bonâ, inventâ à dæmone. Igitur neque Infidelium amicitiâ uti ad eoſdem fines licet, cùm ſint & ipſi Dei hoſtes, & dæmonum mancipia. Reſpondetur, diſparem eſſe dæmonum & Infidelium rationem. Illos ob perpetuum in Deum odium, & ſemper inflexam ad malum voluntatem, nihil facere, juſti aut boni, & in pactis omnibus, quæ cum hominibus ineunt, eorum ruinam ſpectare. At Infideles, præterquam quòd de malis fieri poteſt ut evadant boni; licèt ſemper maneant Infideles, non tamen omnia malè faciunt, neque ad malum ac perniciem eorum, quibuſcum ſocietatem ineunt. Ideò licet cum Infideli ſocietas, cum dæmone non licet. Maneat itaque Judam

Macha-

Machabæum, ſolicitatis ad amicitiam Romanis, nec contra religionem, nec contra obedientiam legi debitam, nec contra fiduciam de Deo, nec contra prudentiam peccâſſe: imò cum Saliano arbitrari poſſimus, id non prudenter ſolùm feciſſe, ſed etiam Dei ductu & inſpiratione peculiari impulſum, ut fultam divino præſidio rempublicam, etiam humanis auxiliis ſtabiliret, uti ad primam objectionem poſuimus.

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 8. *v.* 1. Audiit Iudas famam Romanorum, &c.

Fortuna improborum in hac vita.

SECTIO PRIMA.

Cur Deus malis dat proſperitatem?

I. Mali Romani florent.

MAGNITUDINEM Romani Imperii creſcentem Judæi mirantur: quid autem cùm intra centum annos longè aliter excreverit? Meritò & nos miremur, atque inquiramus, cur illis tantum proſperitatis Deus largitus ſit? Infideles erant, &, quæ infidelitatem ſequuntur, vitiis abundabant. Etſi enim Judæ multa de virtutibus eorum relata fuerint; non tamen ideò non annumerandos eſſe vitioſis, conſtat ex ipſa Romana hiſtoria, quæ natam in ſceleribus rempublicam, injuſtis plerumque bellis amplificatam, factionibus domeſticis conflictatam, cædibus cruentam, rapinis divitem deſcribit. Non inficior, rara aliqua virtutum exempla interdum emicuiſſe; ſed rara, & præ contrariorum multitudine vix ulla. Imò tunc minimè boni fuêre, cùm maximè floruêre.

II. Impia dicta improborum de ſua proſperitate.

Complectatur igitur & ipſos quæſtio communis, cur floreant mali? Malorum pariter & bonorum vetus ea de re quærimonia fuit. Apud Ciceronem poëta neſcio quis priſcus, poſitâ impiâ ſententiâ, res humanas à ſuperis non curari, abſurdiſſimam ejus ſententiæ rationem affert: *Nam ſi curent, bonis bene ſit, malis male, quod nunc abeſt.* Apud Minutium, in Octavio, impii inducuntur dicentes: *Si mundus divinâ Providentiâ & alicujus Numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris & Dionyſius regnum, numquam Rutilius & Camillus exilium, numquam Socrates venenum.* Præcipuam illam fuiſſe excordis vulgi quærimoniam ævo ſuo aſſerit Chryſoſtomus, libro Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo: peſſimumque id ait eſſe, quòd ex proſperitate malorum, & proborum infortuniis, adversùs divinam Providentiam inſanæ voces jactentur. Apud Proſperum, prologo in Carmen de Providentia, querulus ejuſmodi enumeratis violentis, adulteris, aliiſque ſceleratis felicibus, ſubdit,

Quæ ſi cura Dei celsâ ſpectaret ab arce,
Resq; ageret noſtras ſub ditione ſuâ:
Aut non effugerent ultrices crimina pœnas,
Aut virtus terris ſola relicta foret. (*in aures,*
Talia, inquit Proſper, *cum facilis vulgi ſpargantur*
Quam multis rudibus lingua maligna nocet?
Non tantus dolor eſt, Scythicis conſumier armis,
Quantus ab inſidis cordibus iſta ſeri.

Idem Carmine de Providentia:

Supereſt nunc reſpondere querelis;
Quæ mundi rebus divinam abſiſtere curam
Objiciunt, dum ſæpè bonos labor anxius urget,
Et tranquilla fluit lætorum vita malorum.

III. Ubique jactata.

Magiſter Proſperi Auguſtinus hom. 28. *Nonne,* inquit, *Christiani mali quotidie dicunt: Verè, ſi Deo diſplicerent iſta, permitteret illa fieri, aut illi qui ea faciunt felices eſſent in terra? Videmus raptores, videmus infirmorum oppreſſores, videmus vicinorum expulſores, videmus violentos liminum invaſores, videmus calumniatores: & tamen potentes, divites, felices in hac vita.* Vide ſimilia omninò dicta Conc. 1. in pſalm. 36. Ab eodem perditus quidam ſic loquens inducitur ſerm. 18. de verb. Apoſt. *Ecce ego jam ſenui, qui ab ineunte ætate uſque in hodiernum diem tanta committo: multos caſtos ante me ſepelivi, multorum caſtorum funera juvenum ad ſepulcrum ipſe deduxi, & pudicis impudicus ſupervixi. Quid eſt quod dicitur: Quia vultus Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum?* Neque alia cauſſa Salviano fuit ſcribendorum de Providentia librorum, quàm iſtiuſmodi ſacrilegæ voces. Sic enim eos libros incipit: *Incurioſus à quibuſdam, & quaſi negligens humanorum actuum Deus dicitur, utpote nec bonos cuſtodiens, nec coercens malos, & ideò in hoc ſæculo bonos plerumque miſeros, malos beatos eſſe.* Et paullò pòſt narrat de improbo quodam, qui eò impudentiæ prorupit, ut ex viro quopiam ſancto quærere non erubuerit: *Si Deus, ut putas, in præſenti vita omnia regit, ſi Deus cuncta diſpenſat: quâ ratione fortis ac ſanus homo, quem peccatorem ſcio, & tu infirmus, quem ſanctum eſſe non ambigo?* Ita impius argumentator, qui longè vehementiùs inſtare potuerat, ſi Abelum Caino, Joſephum fratribus, Davidem Saüli, Iſaiam Manaſſi, Eleazarum Antiocho, Joannem Herodi, Petrum Neroni, Martyres perſecutoribus oppoſuiſſet, aliáque innumera contrariæ inter diſpares mores fortunæ exempla protuliſſet.

IV. Querimonia proborum.

Neque improborum modò, ſed & optimorum quorumvis ea quærimonia eſt. Job cap. 21. *Quare impii vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitiis: ſemen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum, in conſpectu eorum,* &c? Pſalmo 72. vates Regius fatetur parùm abfuiſſe, quin moverentur pedes ſui, & greſſus effunderentur, cùm pacem peccatorum videret. Jeremias cap. 12. præfatus, juſtum quidem eſſe Dominum, ſe tamen etiam juſta diſputaturum: *Quare,* inquit, *via impiorum proſperatur: benè eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantaſti eos, & radicem agunt,*

agunt, &c. Habacuc cap. 1. *Mundi ſunt*, inquit, ô Deus, *oculi tui & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile, non habens principem.* Ad quæ verba Auguſtinus ſerm. 2. de diverſis: *An non eſt mare præſens ſæculum, ubi ſe invicem homines ſicut piſces devorant?* Boëthius in eumdem modum cum Philoſophiâ expoſtulat l. 4. pr. 1. quòd bono rectore univerſi non modò mala ſint impunita, ſed etiam virtus in locum facinorum ſupplicia luat. *Quæ fieri in regno ſcientis omnia, potentis omnia, ſed bona tantummodò volentis Dei, nemo poteſt ſatis nec admirari, nec conqueri.* Hoc ipſe de Theodorico Gotho, ejuſque aſſeclis, conqueritur. Quid ſi ævo noſtro vidiſſet Regem Gothorum hærencum piiſſimo Cæſari Ferdinando II. inſultantem? Quid ſi Genevam florentem, Turcas limitem proferentes, Moſcovitas alienis ſpoliis ſuperbos, Tartaros Orientis imperio incubantes, Japonas piorum ſanguine cruentos opibus ſplendidos videret: dum urbes ac provinciæ Catholicæ ingemiſcunt?

V. Reſponſio generalis.

En objectionem quantâ vi poteſt contortam. Quid autem tam validæ obſidionali machinæ opponamus? Unde reſponſa petere poſſimus? Ad manum ſunt: ex ſacrarum Literarum oraculis, & Patrum pronuntiatis mutuabimur: *ad Legem confugiemus, & ad teſtimonium.* Ac primùm, Pſalmiſta noſtræ ac ſuæ cogitationi occurrit, hiſce verbis: *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in noviſſimis eorum.* Quaſi dicat, quod ipſe alibi, *Judicia Dei abyſſus multa*: & quod filius, *Altiora te ne quæſieris; ſcrutator Majeſtatis opprimetur à gloria.* Hujus vitæ non eſt iſta noviſſe: intra velum Sanctuarii abdita ſunt. Velis tu, homuncio, per hujus vitæ tenebras lucem iſtam contueri? Caligat acies tua: radios tanti luminis ferre non poteſt, quæ ne ad multa quidem, ante pedes poſita, pervidet. Expecta tantiſper donec ipſa ſe tibi divinitas retegat, & in adyta divinorum judiciorum per januam mortis admittâre. Interim reverêre, quod non capis: nec dubita ſanctum eſſe, quod Sanctus facit. Solidiſſima illa, nec fidei modò, ſed & rationi convenientiſſima reſponſio Salviano placuit, lib. 1. de Provid. *Summa juſtitia eſt voluntas Dei*: & lib. 3. *Satis ſit pro univerſis rationibus auctor Deus.* Contentus eâ fuit Sidonius Apollinaris lib. 7. ep. 6. *Evarix Rex Gothorum*, acerrimus Arianus, *quòd limitem regni ſui, rupto diſſolutóque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure, vel promovet, nec nobis peccatoribus hic accuſare, nec vobis ſanctis hic diſcutere permiſſum eſt.* Eâdem contentum eſſe Boethium Philoſophia voluit, lib. 4. pr. 5. *Tu quantumvis cauſſam tantæ diſpoſitionis ignores; tamen quoniam bonus mundum rector temperat, rectè fieri cuncta ne dubites.*

VI. Satisfacit ſapienti.

Et verò, inquit Aug. in pſ. 148. *Si intrares in officinam fortè fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos: & da imperitum hominem neſcientem quid, quare ſit, & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis, quid ſibi dicit? Non ſine cauſſa hoc loco folles poſiti ſunt. Artifex novit quare, etſi ego non novi. In officinâ non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum?* Non capis cur ille dives, hic pauper? At longè aliud eſt; cur hic ſalvus, ille damnatus? Ille, inquis, gratiâ Dei uſus non eſt. Sed nonne, ſalvo ejus arbitrio, Deus gratiam præſentiorem & efficaciorem contemperare potuit? Quid dicturus es, quando tibi hinc Abel, inde Caïn, fratres oſtendentur? Si ſapis, dices, *Judicia Dei abyſſus multa.* Quid cùm hinc Japhet & Sem, inde Cham; hinc Matthias, inde Judas? *Altiora te ne quæſieris, noli Majeſtatem ſcrutari.* Quid cùm infantium duorum narrabitur baptizatus unus, alter ſine baptiſmo mortuus? Quid cùm duæ ſorores à Dorotheo deſignabuntur, utraque pro mancipio vendita; una virgini, altera lenoni; illa virginem imitata, hæc ſortem heri ſecuta? Quid cùm concubinarii duo nominabuntur, unus annorum triginta, alter ſexaginta: ille confoſſus repentè, aut extinctus in ipſo flagitii ſinu; iſte miſerando comparis caſu perculſus, & converſus? Quid cùm molentes duæ oſtendentur in mola una, & hæc aſſumetur, illa relinquetur? Dices ipſe tibi, dices aliis, ſi quid ſapis: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Labor eſt ante me, donec intrem in Sanctuarium.* Languidum ad piſcinam ſanatum imitabere, qui Judæis ſciſcitantibus, cur ſabbatho geſtaret grabatum, nil reſpondit, quàm, *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit*: tota ratio facti mei eſt voluntas medici mei. Quæſtionibus id genus inſtent curioſi: hoc ſolùm reſponde: *Satis ſit pro univerſis rationibus auctor Deus.* Urgeant dubiæ religionis homines: ſciſcitentur Judæi, & hæretici: percunctentur Ethnici: pro univerſis reſponſis ſit auctor Deus.

VII. Alia ratio, ut bona temporalia ſpernantur.

Ita prorsùs, in penitioribus hiſce divinorum judiciorum arcanis, curioſitas humana ſiſtenda eſt. At in quæſtione noſtra, iſtis faciliore, reſponderi commodè aliquid ulteriùs poteſt, in quo etiam ratiocinatio noſtra acquieſcat. Dan. 8. aries cum hirco caprarum concurrit. Omiſsâ literali de monarchiis interpretatione; ad mores arietem interpretari poſſimus diſcordiam & rixandi ſtudium, quo paſſim hodie inter ſe Chriſtiani committuntur. Hircus incontinentiam ſignificabit, latè orbi dominantem. Sed ad rem noſtram aptiùs, arietis figurâ probos exprimemus: eſt enim, cùm ſit dux gregis ovium, quæ Chriſto ſtabunt *à dextris.* Hirco improbi indicabuntur, cùm hædi ponantur *à ſiniſtris.* Conculcat arietem hircus; & fit magnus nimis. Calcant impii bonos in hac vitâ, & fælicitate creſcunt. Malum id bonis eſſe exiſtimes? Utilliмum eſt: ad terrenorum deſpicientiam commendandam, quibus etiam improbi perfruuntur; & ad æternorum cupiditatem accendendam, quibus probi ſoli potiuntur. Vis hoc documentum ex noſtris accipere? Auguſtinus ep. 70. ad Bonifacium Comitem: *Ne putentur mala*, victoriæ ſcilicet & opes, *dantur & bonis: ne putentur magna, vel ſumma bona, dantur & malis. Itémque auferuntur iſta & bonis, ut probentur; & malis, ut crucientur.* Idem fusè docet in pſalm. 66. Epiſtola autem 120. ad Honoratum, cap. 7. *Beneficentiſſimâ*, inquit, *Providentiâ omnipotens Deus terrenam felicitatem conceſſit & impiis, ne pro magno quæreretur à bonis.* Similiter loquitur in pſalm. 62. ubi ſuos hortatur, ne cùm orant, à Deo temporalia bona nimis inſtanter flagitent: quia non ſatis congrua ſunt excelſitati talis Domini, nec talium ſervorum conditioni. Repetit fermè eadem in pſalm. 73. occaſionem iterandi argumenti præbente Regio vate. Poterat id ipſum ex pſalmo 11. collegiſſe, ubi dicitur ultimo verſu, *In circuitu impii ambulant, ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*: alia verſio habet, *In circuitu impii ambulant: cum exaltari, vilitas filiis hominis*, id eſt, vileſcunt hominibus caduca bona, cùm vident illis impios affluere; ſeu, ut ibi Mariana, *Nihil eſt quod magis ſugillet humanam felicitatem, quàm quòd immeritis eveniat.*

Vel

Vel quomodò cum Boëthio Philoſophia loquitur, lib. 4. pr. 6. *Læta magnum bonis argumentum loquuntur, quid de hujuſmodi felicitate debeant judicare, quam famulari ſæpè improbis cernant.*

VIII. Ipſorum Infidelium eâ de re judicium.

Vis ab ipſis Paganis diſcere? Seneca lib. de Provid. poſtquam dixit, ſi aurum ſolummodò in templis cerneretur, futurum ut nimis magni fieret; ideò in lenonum etiam arculis reponi, ut vileſcat: *Nullo modo*, inquit, *poteſt magis Deus concupita traducere, quàm ſi illa ad turpiſſimos defert, ab optimis abigit.* Eâdem ſententiâ Plinius 7. epiſt. 29. ad Montanum: *Vile eſt, & ineptum, quod in ſordes & cœnum abjicitur.* Videt mater filiolo ſuo poma nimis eſſe in deliciis, inde valetudini noxam creari: ut ſciat fructus viles eſſe, abjicit in cœnum, aut porco vorandos curat. Poma opum, famæ, honoris nimium appetis, Chriſtiane, téque illis ingurgitas, animæ detrimento. Itaque optima mater Providentia divina, eos fructus in cœnoſum libidine hominem, in porcos de grege Lutheri, Mahumetis, aut Epicuri ſpargit: ut intelligas ſpernenda eſſe, & noxiè concupiſcere deſinas, ſi nòn quia noxia ſunt, ſaltem quia te indigna ſunt. Si in Principis magni, qui venatu delectatur, ædes ingreſſus, videas canile aptum, canibúſque abundè panem præberi: nonne illicò ſuccurrat, aliter longè filios, imò & famulos, cubare ac nutriri, ſi domus benè ordinata eſt? Paulinus ep. ad Auguſtinum, quæ eſt 58. inter epiſtolas Aug. *Canes* ait *dici poſſe Gentiles, quos Chriſtus in Evangelio canes nominat: aut etiam ſi qui in nomine Chriſtiano Gentiliter vivunt.* Horum canilia, familias, urbes, provincias, nitere videas: ipſos, qui *famem patiuntur ut canes*, pane paſci, qui invidiam moveat craſſo cuipiam inter Fideles animali, & altiùs oculos attollere neſcienti. At ex hoc ipſo, quòd ea bona impiis dentur, confice, longè alium eſſe filiorum panem ac domum; neque ipſos debere cum Prodigo ad haram, aut ad canile hærere, & hiare ad ſiliquas.

IX. Bona dantur malis ad ipſorum bonum.

Bono ergo proborum Deus conſulit, bona improbis largiendo, imò & bono improborum. Eos enim temporalium rerum ſuavi proſperitate velut ineſcat, & pellicit ad cognitionem & obſequium ſuum; trahitque in funiculis Adam ad retia caritatis. Prorsùs ut indulgens mater puerulum aliquando dulciariis avocat à nebulonum conſortio, aut indecoris ſpectaculis luſibuſque congerronum. Quid autem ſi iſti munuſculis divinis abutantur? Quid ſi hic malè maternis donis utitur? Et illi præter Dei mentem faciunt, & hic præter mentem matris. Chriſtus ſpecimen gloriæ ſuæ Petro oſtendit: Petrus illud ut gloriam ipſam appetit, clamatque, *neſciens quid diceret, Bonum eſt nos hic eſſe.* Dat Deus impio tenuem veræ beatitudinis in falſa prægustum, ut illum à pravis cupiditatibus ſenſim abſtrahat, & ad meliores alliciat. Sed ipſe futurorum immemor præſentibus immoratur, clamatque cum Petro: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Jobus c. 24. poſtquam deſcripſit hominem prædâ locupletem, libidinibus ſaturum: *Dedit*, inquit, *ei Deus locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbia.* Notat Auguſtinus Conc. 3. in pſalm. 30. aliquando à juſto Numine malos in hac vita plecti, non tamen omnes: *Si enim neminem faceret, quaſi non videretur vigilare divina Providentia. Si omnibus faceret, non ſervaretur divina patientia.*

> *Tu*, inquit Proſper Carm. de Provid. *qui nec pœnam injuſtis, nec præmia juſtis*
> *Reſtitui ad præſens quereris: velléſne per omnes*
> *Ultricem pœnas deſcendere Numinis iram?*
> *. . . Et pia dum populis Domini patientia parcit,*
> *In lucem multos tetra de nocte reverſos,*
> *Ac poſita claros peccati labe videmus . . . .*
> *Sic dum multorum differtur pœna malorum,*
> *Nonnulli plerumque probos revocantur in actus,*
> *Ac fit quiſque ſibi judex ultórque ſeverus.*

X. Ut ad pœnitentiam alliciantur.

Jactare ſolebat Conſtantius Arianorum fautor, apud Luciferum Calar. l. ad Conſt. de Reg. Apoſt. *Niſi Catholica eſſet fides Arii, hoc eſt mea, niſi placitum eſſet Deo, quòd illam perſequar fidem, quam contra nos ſcripſerunt apud Nicæam, numquam profectò adhuc in imperio florerem.* Agnoſco voces ſæpè ſæculo ſuperiore, & hoc ipſo noſtro, ab hæreticis jactatas. Reſpondeamus illis idem, quod Conſtantio Calaritanus ex carcere & vinculis Conſtantinopoli ſcribere auſus eſt: *Regum facta deſideravi referare, ut poſſit vox illa tua ſepeliri.* Productis deinde Regum impiorum, & ſimul fortunatorum, exemplis, poſtquam ad Achabum idololatram, raptorem, homicidam devênit: *Hunc*, inquit, *tam ſceleratum intelligas poſt tanta ſcelera fuiſſe in regno diu reſervatum, ut tantùm ſe, ſi velit, corrigeret. Similiter & tibi parcitur, Conſtanti, ut agas pœnitentiam aut rerum intereas exemplo*, &c. Luc. 13. Circumfoditur arida ficulnea, & ſtercoratur, ſi fortè ferat fructum. Bona terrena Paulus arbitratus eſt ut *ſtercora*: illis impius fovetur, ſi fortè fructus ferat. Conſtantini Copronymi, ſic dicti, vel à contaminatis quando baptizabatur ſacris fontibus; vel à ſtercore caballino, quo magis quàm imaginibus ſacris delectabatur, & ſe totum confricabat. Ejus ergo ſtercorarii Cæſaris vita & fortuna nota ſunt. Iconomachus fuit, & Monomachus, & per illa etiam Theomachus: in imagines ſacras, viros Deo devotos, & Deum ipſum pugnans, annos tamen imperii quatuor ſupra triginta, & duos menſes exegit ſolus, fælicitate ſummâ, poſtquam alios antè non paucos cum patre imperâſſet, fortunâ non abſimili. Id expendens Baronius tom. 7. an. 775. ait: *Ut impii tamdiu regnare permiſſi ſint, non benedictio fuit, ſed maledictio, ſecundùm illud Iobi 5. Vidi ſtultum firmâ radice, & maledixi pulcritudini ejus ſtatim. Nam quò longiùs eorum vita producitur, eò copioſior eorum maledictio propagatur: cum totum quod vivunt tempus, nonniſi ad theſaurizandum iram in die iræ profecerit.* Copronymo, aliiſque iſtiuſmodi, proſperitas benedictio erat, ſi uti voluiſſent: ſed maledictio fuit, quia rectè uti noluerunt.

XI. Compenſat Deus virtutes morales.

In hoc denique Providentiæ divinæ ordine elucet potiſſimùm exactiſſima ejus juſtitia, & benigniſſima liberalitas: cùm naturales ac morales virtutes indonatas, & abſque mercede, abire non ſinit. Multa peccârunt impii: at nonne aliquid etiam boni præſtitêre? Prævidet Deus futurum, ut impœnitentes moriantur, adeóque pœnas criminum æternùm luant. Scit in altera vita mercedem benefactis ipſorum redditum non iri: tum quia plecti ſimul & compenſari non poſſunt: tum quia actiones ſine ſupernaturali non factæ ſupernaturalem mercedem non merentur. Quid ergo; nihilne juſtiſſimus & optimus Deus homini reddat pro qualicumque ſuo benefacto? Reddet ſanè, in hac vitâ mercedem temporaneam, virtuti naturali aptè ac proportione reſpondentem & admenſam. Scimus equidem, impio merito nihil eſſe apud Deum, quia illo dignus non eſt, ſi nomen iſtud reſtrictè ſumitur, ac prout loquuntur Theologorum ſcholæ. At ſi ſignificationem laxiùs tendimus, intelligimuſque prout convenientiam quamdam cum æquitate indicat: eo modo quilibet impius, rectè interdum ex ratione agendo, naturale præmiũ virtuti naturali cõgruum promereri poteſt.

Ita

Digitized by Google

XII. *Sententia ea de re.* Ita Theodorico Regi factum Baronius ad an. 502. nec de nihilo cenſuit. Regis virtutibus adeò pollebat, ut Catholicorum Principum exemplar eſſe poſſit, ſi hæreſis abeſſet. Ob iſtam in Ariana ſecta pertinaciam, cùm apud inferos plecti deberet: percommodè hic accepit paratam ex tempore boneſtorum operum mercedem; &, quomodò de ipſo Ennodius in panegyrico loquitur, *tot triumphos, quot prælia* numeravit. Baronii ſententiæ prævit generali de improbis omnibus pronuntiato Laurentius Juſtin. de caſ. cono. c. 4. Deus *nullum omninò abſque remuneratione eſſe permittit operantem bonum. Peccatoribus quidem, & hujus ſæculi incolis, temporalem reddit pro labore mercedem, quam appetunt, quam quærunt, & quâ contentantur, tanquam alieni à Deo, & à Sanctorum hæreditate extranei. Iuſtis autem, atque verè peregrinantibus, aliter merita compenſantur.* Salviani idem de Vandalorum victoriis judicium fuit, lib. 7. de Provid. ubi eorum præ Romanis caſtitatem commendat. Ab Auguſtino lubentiùs hoc diſcamus: lib. cont. Mend. c. 2. ex 4. Reg. 10. ubi de Rege Jehu agitur: *Cùm*, inquit, *ſcriptum ſit, eum rectum cor non habuiſſe cum Deo, quid ei profuit, quòd pro nonnullâ obedientiâ, quam, de domo Achab omninò delenda, pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepit?* In Romanis exemplum illuſtrius proponit lib. 5. de Civit. eorumque victorias & amplitudinem fundatiſſimi & opulentiſſimi imperii, ait præmium fuiſſe quarumdam virtutum, conſtantis præſertim juſtitiæ, cujus ſpecimina in legibus hodiernis videmus: alias ipſorum virtutes textus ſacer nobis propoſuit.

XIII. *Ex Scriptura idem confirmatur.* Fulciamus Auguſtini ſententiam divino apud Ezechielem oraculo, cap. 29. Obſederat Nabuchodonoſor Tyrum, eáque captâ prædam oullam invenerat: quia, ut ibi ſcribit Hieronymus, Tyriorum locupletes ac nobiles, cùm viderent propè eſſe ut civitas caperetur, navibus opes evexerant, & in tuto ſeſe collocârant. Itaque in captæ Tyri mercedem, Nabuchodonoſori ac ſuis Deus Ægyptum ſpoliandam addicit: *Pro eo quòd laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Tibi verò, ô Deus, laboravit, qui ne te quidem coluit? Qui mandatum à te non accepit? Qui ad unam fermè imperii propagationem intendit? Et hoc ipſi imputetur ad meritum? Aliud dici vix poteſt, quàm ea obſidione Nabuchodonoſorem benè præfuiſſe, Babylonios rectè obtemperâſſe: quod etiam manifeſtè ab Ezechiele innuitur, Deum ſic loquentem inducente: *Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adversùs Tyrum.... & merces non eſt reddita ei*, &c. Reddatur itaque admenſum prudentiæ regiæ, & obedientiæ militari præmium, ex Ægypti manubiis. Idem videtur Chriſtus innuiſſe Luc. 16. ubi in parabolâ Abrahamum facit dicentem Diviti Epuloni: *Recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ.* Non dicit *accepiſti*, ſed *recepiſti*, velut in mercedem benefactorum. Si epulo ille Herodem Aſcalonitam, ut aliqui opinantur, ſignificat, in aperto res tota eſt. Templum Hieroſolymitanum exædificandum curârat, eâ magnificentiâ, ut Salomonico controverſiam movere poſſet. Laudanda etiam alia opera fecerat. Eorum mercedem in altera vita accepturus non erat, ubi ejus crudelitas ſupplicium æternum meritò luitura prævidebatur. Voluit ergo æquiſſima Dei liberalitas cum regno diuturno, fælici, opulento, inter alienigenas & contumaces ſubditos, compenſatum, dum hîc vitam degeret.

XIV. *Miranda Dei liberalitas.* Quod de illis dictum, pari ratione cæteris aptari poteſt: Saladioo quem valdè abſtinentem ac comem fuiſſe conſtat: Mahumeto Turcarum Imperatori, tam rigido æqui exactori, ut filium adulterum ſtrangulari juſſerit: Solimano, virtutum omnium regiarum exemplari, ſi religionem exceperis: urbibus & provinciis Infidelium, ubi caritas, modeſtia, æquitas, aliáque naturalium virtutum opera exercentur. *Mali* enim, inquit Hieron. in illud ad Gal. 1. *Vt revelaret Filium ſuum in me: abſque fide & Evangelio Chriſti, vel ſapienter aliquid faciunt, vel ſanctè.* Addere potuit, tam ſanctè, ut Catholicis ruborem incutiant, ſi mores comparentur. Et hinc primùm inferamus: quàm dignus ſit obſequio Deus, cujus tanta eſt ad compenſandas quaſvis rectas actiones, & tam propenſa liberalitas. Dicebat Tertul. l. de Pœn. *Bonum factum Deum habet debitorem, ſicut & malum.* Et Chriſtus Matth. 10. promiſit futurum, ut qui ſitienti hauſtum frigidæ præberet, tantùm *in nomine diſcipuli*, non perderet mercedem ſuam. Plus etiam hodie de larga Dei remuneratione diſcimus: non ea modò, quæ ſupernaturali fine facta ſunt, quamvis exigua, compenſare; ſed etiam bona, quæ ſolo boni reſpectu ac fine naturali, attentione ad Deum nulla fiunt, indonata tamen ab illo non dimitti, tanquam ſi ipſius cauſsâ fierent. Dicere potuit, honeſtè ex ratione agentibus: facto ipſe tuo contentus eſto; virtus ſibi merces eſt: non mihi, ſed rationi ac conſcientiæ laborâſti, in illa conquieſce, & præmium aliud ne exſpecta. Sic homines loquantur. At Deus opera, ad ſe licèt non ſpectantia, ſibi tamen fert accepta, & munerari ſolet: ut vel ſic intelligamus, quanti apud illum ſit qualecumque honeſtum, & quantulalibet virtus. Laudetur itaque benignitas, ametur liberalitas, prædicetur æquitas, ſuſpiciatur admiranda clementiſſimi Numinis Providentia.

Et hoc diſcamus: impiis non invidendam tranſeuntem fælicitatem. *Sæpè*, inquit Arnob. in pſ. 78. *peccatoribus in hoc mundo* Deus *lætitiam, & abundantiam, & potentiam uſurpatam relinquit: quia ſcit quæ paſſuri ſunt in gehennâ incendia, & condolens eis, avertit in hoc ſæculo iram ſuam ab eis. Itaque non eſt eis invidendum hoc miſeræ fælicitatis interſtitium.* Miſera fælicitas eſt captivo apud Braſilos anthropophagos ſaginari, ut deinde mactetur. Lugendæ, non invidendæ delitiæ rei, quem capitis damnatum pia Chriſtianorum conſuetudo, & caritas fovet. Nemo, opinor, tam ineptus ſit, ut ægrè ferat ipſi potiùs, quàm ſibi, vina præberi, cùm de carcere producitur ad feralem ſuggeſtum. Ridendus erat Iſaacus, ſi, quando Abraham Gen. 25. *Filiis concubinarum largitus eſt munera*, ea ſibi non donari doluiſſet. Aug. Tract. 11. in Joan. *Qui naſcitur*, inquit, *de hæreſi, de ancilla naſcitur, ſed ex ſemine Abraham.* Et lib. 4. de Symb. ad Catech. in fine: *O hæreſis Ariana, quid inſultas, quid exſufflas, quid etiam multa uſurpas? Injuriam à te patitur domina ab ancilla. ... Cum autem reſpexerit ille ſponſus, ejicieris tu ut ancilla cum filiis tuis, quoniam non erunt hæredes filii ancillæ cum filiis liberæ.* Sic & Proſper lib. de Prom. & Prædict. Dei, part. 2. c. 19. dicit *in Abimelech concubinæ filio ſignificari hæreticos.* Munera iis Excelſus pater Deus largiatur: Iſaac, filius promiſſionis æternæ, non tam excors ſit ut invideat, ſed ea ut ſe indigna deſpiciat, attollatque altiùs ſpem & deſiderium ad univerſam hæreditatem patris: dicatque cum Auguſt. lib. 22. de Civitat. cap. 26. *Quid dabit iis, quos prædeſtinavit ad vitam, quoniam hæc dedit eis quos prædeſtinavit ad mortem*, & quos ob peccata damnaturus eſt?

XV. *Non invidenda fælicitas impiorum.*

XVI. Imò contemnenda, quia improborum.

Non magni faciendum eſt, quod Deus vilibus mancipiis largitur: io pretio habendum, quod pollicetur filiis. Eâ ſe cogitatione animabat Sidonius l. 7. ep. 6. *Ordinis res eſt, ut & dives hic purpurâ byſſoque veletur: & Lazarus hic ulceribus & paupertate feriatur. Ordinis res eſt, ut Ægyptius Pharao incedat cum diademate, Iſraëlita cum cophino. Ordinis res eſt, ut dum in hac figurata Babylonis fornace decoquimur, nos cum Ieremia ſpiritualem Ieruſalem ſuſpiriosis plangamus ululatibus: & Aſſur faſtu tonans Sanctorum Sancta proculcet. Quibus præſentium ego futurarúmque beatitudinum viciſſitudinibus inſpectis, communia patientiùs incommoda fero.* Eódem reſpexit Euſeb. Gall. hom. de SS. Alex. & Epip. *Inter hæc fortaſſe, quando boni & ſancti tanta hic mala patiuntur, aliquis intra ſe cogitet, & dicat: Certum eſt rerum Dominum non reſpicere, quæ noſtra ſunt, negligere humana, non curare terrena. O quicumque ille es, quomodò reſpicis Sanctorum labores, cur non reſpicis remunerationes?* Ad argumentum noſteum propriè Auguſt. in pſal. 25. *Surgunt procellæ ſtagni hujus, vides malos florere, bonos laborare. Dicit anima tua: O Deus, haccine eſt juſtitia tua, ut mali floreant, & boni laborent? Reſpondet tibi Deus: Haccine eſt fides tua? Hæc tibi promiſi? Ad hoc Chriſtianus factus es, ut in ſæculo floreres?*

SECTIO SECUNDA.

Cur Deus malis utatur ad puniendos bonos?

I. Impii probos odêre.

SI difficile quibuſdam intellectu videtur, cur mali floreant: quantò difficilius videbitur, cur non floreant modò, ſed etiam probos laceſſant, & opprimam? In aperto quidem ratio eſt, cur velint: non item, cur ſinantur efficere, quod volunt. Cainus Abelum, Chaldæi Abrahamum, Pagani Apoſtolos inſectantur: quid mirum? Contrarii ſunt operibus eorum, & tenebris cum luce convenire non poteſt. *Si de mundo fuiſſetis*, inquit Chriſtus Apoſtolis, *mundus quod ſuum erat diligeret: ſed quia ego vos tuli de mundo, ideò odit vos mundus.* Hæc faciunt diſcipulis Chriſti, amatoribus Dei, amatores ſæculi ac diſcipuli vitiorum: *quia*, inquit Chriſtus, *non noverunt Patrem, neque me.* At verò cur Deus id fieri permittit, amator piorum, oſor impiorum? Cur tam mala inſtrumenta optimus artifex adhibet ad opus ſuum? Homini perito elegantis picturæ contemplatio & admiratio non ſufficit: convenientiam partium, ac commenſurationem, & lucis umbrarumque contemperationem, unde operis univerſi pulcritudo exiſtit, quàm accuratiſſimè ſolet expendere. Ita & in hoc Dei opere nobis faciendum. Scimus equidem vel hoc ipſo abſolutiſſimum eſſe, quòd à tali artifice proficiſcitur: introſpiciamus tamen artem, quò delectet magis & inſtruat; cauſaſque illius ac rationes rimemur, quà poſſumus.

II. Deus id permittit ad humiliationem proborum.

Ac primùm occurrit, Deum perſæpè vilibus inſtrumentis ad ingerendum peccatoribus terrorem, aut ſupplicia, uti conſuêſſe. Moſes exul ac balbus de ſolitudine, & ex paſcuis, in palatium ingreditur, & Pharaonem ranis, muſcis, locuſtis exagitat. Non potuerat Deus alium elegiſſe legatum? Non leonum agmina, elephantorum aciem, crocodilorum exercitus, edomando impio Regi immittere? Sed ipſa vilitate inſtrumenti augere voluit dolorem ſupplicii; & pœnâ, per abjectiſſimas rerum inflictâ, contumacis ingenii ferociam contundere. Similem in modum vexati crabonibus Chananæi, vulpibus Philiſtini: cùm Deo difficilius non eſſet, urſos apróſve ad horum terrorem armare, & aquilas aut gryphes ad illorum perniciem. Somnio vix aliquid inanius, umbríſque ſopito cerebro inerrantibus. Iſtis tamen adeò perculſus eſt Nabuchodonoſor, ut tantùm non ſenſibus emotus, Dei pænè ſententiam, amentiæ occupatione, prævenerit. Ita frequenter cum improbis divinam Juſtitiam, ad majus eorum ludibrium & opprobrium, egiſſe legimus. Quid ſi & in probis improborum miniſterio caſtigandis idem ſpectat, ut eò ſit acerbior pœna, quò viliori inſtrumento infligitur? Somniorum inſtar vaneſcit omnis impiorum ſpes, & fælicitas: ipſi ſeſe infra mancipiorum ſortem malè vivendo abjecêre, & comparati ſunt jumentis inſipientibus. Iis ergo tam abjectis hominibus utatur Deus ad puniendos errores tuos, ut magis ſentias, & tantò acriùs urat caſtigatio. Si Angelus, aut ſuppar Angelis homo te percuteret, ipſa percutientis dignitas de plagæ ſenſu minueret: honorificum forſan ſupplicium à manu tam honorata videretur. Admovendus ad filios lucis emendandos tenebrio aliquis, ac filius noctis; ut ſimul cruciet plaga, & corrigentis indignitas.

III. Ad opprobrium improborum.

Neque eſt quod exinde ſibi quidquam arrogent improbi; cùm eos contemptim ad carnificum ſortem, & flagellorum uſum Dei Providentia dejicit. Aliquando pater-familias filium à mancipio mox notis inurendo plecti juſſit. Sæpè judices facinoroſum tortorem, ſuſpendio propediem deſtinandum, reorum paullò pòſt liberandorum ſuppliciis admovêre. Quotidie ludimagiſtri diſcipulos ſocordes virgis erudiunt, igni poſtmodùm alimenta præbituris. *Quid ergo*, inquit Auguſt. in pſalm. 36. *ſibi plaudit iniquus, quia de illo flagellum ſibi fecit pater meus? Illum aſſumit ad miniſterium, me erudit ad patrimonium.* Paria illis habet Tract. 19. de verbis Domini. Epiſtolâ 70. ad Bonifacium Comitem, agens de Afrorum Barbarorum in Africam Romanam irruptione, quam aliqui Bonifacii conniventiæ aut proditioni; Bonifacius injuriis, quas ſe ab imperio Romano putabat accepiſſe, tribuebat: *Nolim te*, inquit, *ad eorum numerum pertinere, per quos malos & iniquos, Deus flagellat pœnis temporalibus quos voluerit. Ipſis namque iniquis, ſi correcti non fuerint, ſervat æterna ſupplicia, qui eorum malitiâ juſtè utitur, ut aliis mala ingerat temporalia.* Similem in modum loquitur cap. 7. de Agone Chriſtiano. *Cruciatus corporis malas animas miſerabiliter affligit: bonos autem fortiter purgat. Sic fit, ut & malus homo, & malus Angelus divinæ Providentiæ militent, ſed neſciunt quid boni de illis operetur Deus. Non itaque pro meritis officii, ſed pro meritis malitiæ ſtipendiantur. Neque enim ideò*, inquit Proſper reſp. ad dub. 7. Genuen. *inculpabiles ſunt tenebræ, quia eis benè utitur Deus, qui etiam de opere ipſorum, quod filiis lucis in bonum procederet, ordinavit.*

IV. Ad odium improbitatis.

Certè ut ex iſto proborum improborumque conflictu, neque illorum exiſtat cruciatus acerbior, neque horum major abjectio: proveniet tamen utilitas alia, odium noxiæ improbitatis, ex odio nocentium improborum. Hanc me rationem Boëthius docuit, de noſtro ipſo argumento diſputans, lib. 4. de Conſ. pr. 6. *Ex quo*, inquit, *ſumma illa Providentia protulit inſigne miraculum, ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua ſibi à peſſimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes, ad virtutis frugem rediêre, dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe quos oderunt. Sola eſt enim divina vis, cui mala*

quoque

quoque bona ſunt, cùm eis competenter utendo alicujus boni elicit effectum. Huc forſan reſpiciebat D. Th. 1. part. quæſt. 23. art. 7. in corp. ubi agens de Reprobis: *Videntur*, inquit, *eſſe præordinati à Deo in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.* Et Proſper Epigr. 23.

Quod plerumque mali in Sanctos ſævire ſinuntur,
Quodq́; bonis pravi ſæpè nocere queunt:
Abſque Dei nutu non fit, qui corda ſuorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Creſcunt virtutum palmæ, creſcúntque coronæ:
Mutantur mundi prælia pace Dei.

Pharao Hebræos in Ægypto opprimit, infantes exterminandos curat, gentis univerſæ exitium meditatur. Si quis ſciſcitetur, cur ſceleratus Princeps ad tam immane conſilium proſilierit: reſpondero inprimis id feciſſe, quia *ignorabat Ioſeph*, &, ut Chaldæus Pharaphraſtes habet, *non confirmabat decreta Ioſeph*; de illis erat, qui nihil deceſſorum ſuorum approbare ſolent: quod eò minùs mirum, ſi de alia familia erat, ut Joſephus perhibet, quàm Pharao qui Joſephum extulerat. Adde ratione politicâ caviſſe, ne exteri in regno ſuo nimis invaleſcerent: quâ ratione neglectâ Romani ab externis ſtipendiariis periêre; & non ita pridem Calyphæ Ægyptii à Mammalucis. Sed cur tamen Deus iſthanc Pharaonis injuſtam in filios ſuos crudelitatem permiſit? In peccatorum, inquis, pœnam, quia idola ſectari cœperant: aut ut calamitatibus preſſi exitum ex Ægypto peterent. Abulenſis, & Salianus ad annum 2451. aiunt id Deum voluiſſe, ut idololatriæ odium, ex idololatræ Regis in ſe malefactis, conciperent: eóque vehementiùs ſuperſtitiones Ægyptiacas averſarentur, quòd atrociter à ſuperſtitioſo Rege vexati fuiſſent.

V. Sapientiæ divinæ opus.

Juſtitia itaque divina, in plectendis per vilia & arſura flagella filiis, elucet. Spectabilis præterea eſt Bonitas, quòd à vitiis eos avocet, vitioſorum inimicorum odio. Sed maximè emicat divinæ Sapientiæ diſpoſitio ſuaviſſima, quæ vim nulli voluntati inferens, ſuámque impiis peccandi licentiam permittens, ad optimos tamen uſus etiam peſſima dirigit. Hoc ipſum eſt, quod Theologi indicant celebri & veriſſimâ ſententiâ: *In malis Dei voluntas fit, etſi non à malis.* In eamdem ſententiam, totidem fermè verbis, tum alibi loquitur Auguſtinus, tum lib. 1. de Prædeſt. Sanctorum, cap. 16. Et Enchir. cap. 100. *Mirabili modo*, inquit, *non fit præter ejus voluntatem, etiam quod contra ejus fit voluntatem.* Proſper, reſponſione ad dub. 7. Genuenſium, profert ex Act. 4. exemplum Pilati & Herodis, qui *fecerunt, quæ manus Dei & conſilium decreverunt fieri.* Tum iſta ſubjicit manifeſtiſſimæ veritatis: *Sapientiam & Iuſtitiam Dei uti etiam malorum operibus, quæ ex ipſorum prodeunt appetitu, ad implenda conſilia & judicia ſua, nullus vel tenuiter ſecundùm pietatem doctus ignorat.*

VI. Comparatur cum harmonia.

Ex variis vocibus ſciens muſicæ artifex harmoniam conficit: at ex diſſonis prorsùs & inconditis ululatibus conſonantiam componere, Dei ſolius opus eſt. Inde ambitio perſtrepit, hinc ſtridet invidia, aliâ parte vociferatur ira, circumſonat odium, fremit avaritia, murmurat obſequii impatiens rebellio. Ex tot tamque confuſis vocibus naſcitur feralis tumultus civilis diſcordiæ, aut belli cum externis, ad quem tinniunt aures, horreſcunt animi audientium. Tumultum tamen illum ita Deus moderatur, ut ſuaviſſimos exiſtat concentus ſapientiæ, modos ſuos per quantumvis oppoſitas ſibi voluntates aſſequentis. Peritiſſimus choragus regit etiam regi nolentem; & ad numerum

refert quidquid extra numerum canitur.

VII. Inſpicitur.

Aſſyrium Regem Deus vult eſſe virgam furoris ſui, & baculum in manu ſua, ad Judaici populi caſtigationem. *Ipſe autem*, inquit Iſaias cap. 10. *non ſic arbitrabitur, & cor ejus non ita exiſtimabit: ſed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.* Apud eumdem Prophetam cap. 44. dicit Deus Cyro: *Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*: etiam illius inſcius, etiam mei ignarus. *Accinxi* enim *te*, & non *cognoviſti me*: non ideò tamen decretis de te meis obſequi deſines, etſi obſequi te neſcias. Vix ullam uſquam, in ſacra profanáve hiſtoria, funeſtiorem tragœdiam reperire eſt, quàm Innocentium cædem, Herodis Aſcalonitæ juſſu patratam. Quid injuſtius, quàm ambitioni ſuæ tot funera inſontium immolare? Quid crudelius, quàm ſævire in eam ætatem, cujus feras ipſas miſereſcit? Ex ea tamen injuſtiſſima crudelitate plurimùm boni juſtiſſima & benigniſſima Dei ſapientia elicuit; caſtigandis Innocentium parentibus, ſalvandis infantibus, & ad Martyrum numerum aggregandis, nobis ad ambitionis odium ex tam abominando facinore erudiendis. Fines illos nunc videmus: & iſtos aliquando intuebimur, qui noſtrâ ætate, ex hæreticorum aliorumque Infidelium in Catholicas provincias malefactis, exiterint. *Tanta* enim *eſt* Dei *ſapientia, tantaque virtutis, ut in fines, quos bonos & juſtos ipſe præſcivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videbantur adverſa.*

VIII. Ne glorientur impii.

Et hinc primùm inferamus, non eſſe, cur impii de piorum per ipſos caſtigatione glorientur. Tantumdem enim faciant, quàm *ſi glorietur ſecuris contra levantem ſe*; aut ulmus, flamis deſtinata, magni ſe æſtimet, quia illâ pater-familias utitur, ad fugandam ſtultitiam alligatam collo pueri. Valtramus Epiſcopus Magdeburgenſis, aſſecla Henrici III. Imperatoris ſchiſmatici, ſcribens ad Ludovicum Comitem, ut eum in ſuas partes pertraheret, inter alia ait: *Rudolfus* (Rex) *Hildebrandus* (ſic nominat Gregorium VI.) *Eggebertus, & innumeri Principes, Dei ordinationi in Henrico Imperatore reſtiterunt, & ecce quaſi non fuerint perierunt: quia profectò neceſſe eſt malum fuiſſe principium, quorum peſſimus finis ſubſecutus eſt.* Reſpondet Comes aptiſſimè: *Liquet profectò ab omni ſpirituali conſideratione te manere vacuum. Nonne beatius eſt benè mori, quàm malè vivere? Beati enim, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Iam & Neronem, quia Apoſtolis Petro & Paullo: jam & Herodem, quia B. Iacobo Apoſtolo: jam & Pilatum, quia Domino JESU Chriſto ſupervixerint, beatos æſtimas.* Refert Baronius tomo 11. anno 1090. Non attendat Fidelis quid hîc fiat; ſed quid poſtmodùm futurum ſit, proſpiciat. Plauſus à ſpectatoribus edi non ſolet, niſi ſcenâ peractâ, & reductis ſipariis.

IX. Probi non ægrè ferant.

Contrà probi animis non cadant ob proſperitatem & poteſtatem improborum: imò Dei exemplo, ex mala ipſorum voluntate bonum elicere conſueſcant. *Vtilitati* enim *juſtorum*, ut ait Greg. 20. Mor. cap. 19. *militat etiam poteſtas iniquorum: Et ſtultus ſerviet ſapienti*, etiam ſapienti dominans; quod non rarò accidit, ut idem Doctor ibidem monet. Auguſtinus tract. 27. in Joan. *Hoc*, inquit, *eſt proprium Dei, contrarium iniquis: ſicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei*, oculis, linguâ, auro, luce, pulcritudine: *ſic contrà Deus benè utitur malis operibus iniquorum.* Nec Deus modò, ſed & imitatores Dei, ut filii cariſſimi: *Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. 8. Vir bonus vel ipſa ſua peccata, atque aliena, in humilitatis exercitamentum

vertit, incrementum patientiæ, augmentum zeli & caritatis. In alienis præſertim peccatis, quæ ipſi noxia ſunt, occaſionem arripit exerendæ manſuetudinis. Improbos aſpicit tamquam carnifices, & flagella: & inſanum putat adversùs inſtrumenta excandeſcere, judicem non intueri. Cypriani meminit, qui cùm duceretur, pecuniam lictori oumerari juſſit. Polycarpum recordatur, qui ſatellitibus prandium appoſuit ex tempore. Cum Proſpero didici. Quæ ſit vera innocentia:

Perfectè bonus eſt, & verè dicitur inſons,
Nec ſibi, nec cuiquam, quod noceat faciens.

Quod in ſententiâ ſic exprimit: *Innocentia vera eſt, qua nec ſibi nec alteri nocet.* Alteri ſcilicet non oocet, niſi coacta, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & ſic nec ſibi nocet.

SECTIO TERTIA.

Cur mali bonus permiſti?

I. Qualis futurus innocentiæ ſtatus.

QUI de innocentiæ ſtatu, & Paradiſo terreſtri, diſputationes texuêre, inter alia & hoc quærunt, futusine tunc fuiſſent ſerpentes cum veneno, apes cum aculeis, roſæ cum ſpinis? Roſas enim in tam amæno horto futucas fuiſſe, dubitârit nemo: ſed neque apes, ne cerâ & mellificio carerent homines; imò nec ſerpentes, quorum aliqui pulcerrimi ſunt, & unius corpore dæmon ſe induit. An igitur cum illis ſpioæ pungeotes, & aculei nocentes, & venena letifera? Dicunt aliqui futura non fuiſſe, neque innocentiæ ſtatum moleſti ant noxii quidquam decuiſſe: homioes, actâ ſuaviter in Dei obſequio, & earitatis mutuæ officiis, ætate longiſſimâ, placidam mortem fuiſſe ſubituros, & beatam temporis uſuram æternitatis fælicisſimæ ſorte mutaturos. Aiunt alii, etiamtum futura fuiſſe quædam corponbus incommoda & noxia: quemadmodùm & peccata, ſpinæ ac venena mentium, illuc irrepere potuiſſent. Etſi enim, abſque Adami peccato foret, originali maculâ non inficeretuc genus humanum: non ideò tamen homines ſinguli extra peccandi periculum naſcerentur. Immunes culpæ communis, incurrere ultrò poſſent in noxam ſingularem: & peccaso originali prorsùs liberi, admntere delictum quod actuale dicimus. Iſtò qui ſe commaculâſſent, incommodis illis aculeorum & vencnorum obnoxii eſſe merebantur. Qui ſe à peceando continuiſſent, eos Deus, vel peculiaris Providentiæ curâ ab omni damno, ac dolore, defendiſſet; vel tam vigili ſapientiâ donâſſet, ut ipſi per ſe noxæ omnis incurſum evitarent. Hunc in modum aliqui de innocentiæ ſtatu opinantur, neque abſonè meâ ſententiâ: quamquam non eſt, cuc me judicem interponam.

II. Mali cum bonis in Eccleſia.

Neque enim alio fine eam quæſtionem attigi, quàm ut ad aliam devenisem, noo abſimilem quidem, ſed difficiliorem paullò, & multò utiliorem: Cur, poſtquam nobis Chriſtus juſtitiæ reparator affuit, naſcantur adhuc tamen ſpinis nocentiores, ac ſerpentibos peſtilentiores improbi; paſſimque toto mundo ſparſi boniſque immiſti degant, in ipſo Eccleſiæ ſinu, iotra Paradiſi tercœſtis ſepta, ad ipſos divini Sanguinis fontes? *Veniant*, inquit Auguſtinus in pſ. 8. *in mentem torcularia habentia vinacia, & vinum: & area continens paleas, & frumentum: & retia, quibus incluſi ſunt piſces boni, & mali: & arca Noë, in qua erant animalia munda, & immunda.* Addere poterat, virgines quinque fatuas conjunctas prudentibus: nuptias, ubi congregatis ſimul bonis & malis, unus, non veſtitus veſte nuptiali, ejicitur: greges, ubi hædi cum ovibus paſcunt: agrum Dominicum, ubi inimicus bomo ſuperſeminat zizania in medio tritici. O ſi, *quando dividebat Altiſſimus gentes, & ſeparabat filios Adam*, ſecreviſſet fæcem omnem impiorum ad Americæ vel Septemtrionum ultima: ut alia pars orbis ab bominibus ſanctimoniæ amantibus coleretur! Quàm ſuavis illic vita foret? Quàm facilè Dei obſequium? *Iam verò*, inquit Auguſt. *ſunt in Eccleſia non ſolùm oves & boves, id eſt animæ Fidelium ſanctæ, vel in plebe, vel in miniſtris: ſed inſuper, & pecora voluptatis, & volucres ſuperbiæ, & piſces curioſitatis.*

Divini iſtius decreti rationes repeti poterant ab Excurſus ultimi ad cap. 1. ſect. ult. ubi diſquirimus, cur Deus peccata permittat: eâdem enim operâ diximus, cur peccatoces patiatur. Supereſt tamen aliquid, quod & hic diſſeramus, de trigemino fructu, ex peccatoribus patientiâ divinâ toleratis; Dei gloriâ primùm, dein utilitate proborum, denique ipſorum improborum bono. Rationem primam indicat Sapiens, Prov. 16. utinam de ſemetipſo non vaticinatus: *Univerſa*, inquit, *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Quæris ex me, eccurnam Deus malos bonis intesmiſcuerit? Generatim reſpondeo, eodem fine id feciſſe, quo cætera operum. Illâ cauſâ eum probis improbos conjunxerit, ob quam cauſſam & condidit. Quid verò, inquis, gloriæ divinæ accedit ex hominum infortunatiſſimis; dum vivunt, voluntati Dei cebellibus; dum moriuntur, æternæ ipſius vindictæ obnoxiis? Hor ante omnia provenit, quòd in illis Deus demonſtraturus ſit ſeſe dominum operis ſui, & de eo citra ullam injuriam poſſe ſtatuere. Figulo licet de teſta ſua, quod lubet. Cane fætâ catellos geminos enixâ, hunc alit venator, illum pro arbitrio projicit. Chartæ ſolium emiſti: alteri parti epiſtolam inſeribis ad Principem: de alterius fruſto ignem accendis. Petat quis à te, cur ita? Promptè reſpondeas: rerum mearum dominus ſum; non liceat illis, quod volo, facere? Similem in modum Deus *impium* facit, & patitur *ad diem malum*: præſertim, poſtquam impius ipſe ſibi diem malum conſcivit malè agendo, & dies noluit videre bonos, ut mox dicemus.

III. Deus dominatū ſuum oſtendit in impiis.

Nam in illum Deus, jam inde à ſæculis æternis, decrevit ſuam cum dominatu ſimul exercere Juſtitiam. Si peccatorum nullus in criminibus ſuis obduratus excederet, ſpectaretur quidem ſuaviſſima divinæ Miſericordiæ facies, at lateret ſevera Juſtitiæ. Amanda tameo utraque, & laudanda: atque ideò conſpicuam utramque Deus exhibere voluit, in bonorum & malorum, tum Angelorum, tum hominum meritis, & judiciis. *Vt reſultet*, inquit Gerſon lib. 1. de Conſ. Theol. pr. 1. *carmen illud pulcerrimum, ex gravi tenore Iuſtitiæ, & molli cantu Miſericordiæ, de quo Propheta: Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Durum id tibi forſan videatur, condi quoſdam & tolerari à Deo, ut ſint vaſa iræ apta ad interitum: ſed duritiem aliquantum molliet Trithemius quæſt. 2. ad Maximilianum Cæſarem: *Vt naſcantur homines boni & mali, pii & impii, fideles & perfidi, peccatores & ſancti, damnandi & ſalvandi, juſtiſſima ratione Deus permittit, qui hunc ordinem rebus omnibus tribuit. Nihil Deo perit, qui omnium eſt Dominus. … Nemo certè damnandorum patitur injuriam: quoniam ſicut in primo homine cecidimus omnes, ita nemo ſalvatur, niſi in*

IV. Et Juſtitiam.

ſanguine

Digitized by Google

ſanguine JESV Chriſti, per miſericordiam; & nemo damnatur, niſi in perfidia & demerito ſuo, per juſtitiam.

V. Æquiſſimè punientem.

Ab Auguſtino didicit Trithemius, l. 3. contra Jul. ubi ait: *A Deo ſalvari poſſe homines ſine meritis boni, quia bonus eſt: at verè neminem damnari ſine meritis mali, quia juſtus eſt.* Eodem præceptore uſus Anſelmus lib. 1. cur Deus homo, cap. 15. dicit, homines Deum jubentem fugientes, & per voluntatem ipſius permittentem ultrò in punientem incurrentes; tantumdem facere, ac qui cælum fugere velint, & ab Oriente per Meridiem tranſgrediantur ad Occidentem. Iſti judiciorum divinorum ordini explicando, Theologi diſtinctionem voluntatis divinæ antecedentis ac conſequentis tradidêre. Antecedentem vocant, quæ operibus præit, eorumque præcognitioni. Conſequens eſt, quam Deus habiturus non erat, niſi opera quædam ponerentur: quibus poſitis aut præcognitis, in Deo eſt juſta voluntas puniendi, quia in homine eſt voluntas injuſta peccandi. Quia libertas humana ſeſe flectit ad culpam, ideò Vindicta divina ſeſe flectit ad pœnam. Itaque non illam antecedit iſta, ſed conſequitur. Prorsùs ut in clementi judice, aut benigno Principe, conſuetum eſt. Leges hic feret, & ſervari volet; pœnaſque adjiciet, ſi detrectetur obſequium. Nolet tamen pœnis affici quemquam, qui antè peccare noluerit: præcedere debebit noxa caſtigationem, non noxam caſtigatio. Sic, inquiunt Theologi, in divina erga improbos Providentia res habet: ipſorum malè agendi voluntatem ſequitur malefactorum ſupplicium. Non idcircò Deus illos peccare patitur, ut habeat, quos puniat: ſed idcircò habet quos puniat, quia peccare voluerunt, & à peccando prohiberi divinitùs non debuerunt.

VI. Zelum & caritatem accendit vicinia improborum.

Popularem magis rationem velis, cur mali bonis permiſti ſint? Dabo ex teipſo. Bonus non eris, ſi mali non erunt. Ita perhibent D. Franciſcum Aſſiſinatem dixiſſe cuidam id ipſum ſciſcitanti: *Quia*, inquit, *ſi mali non eſſent, boni non eſſent boni.* Audiſne ingeminantem Pſalmiſtam, *Tabeſcere me fecit zelus meus*, ſi ardorem caritatis in Deum non inflammet odioſa impietas? Cinctus frigore calor colligit vires & congeminat, ut ſe tueatur, ſuperetque contrariam qualitatem. Ignis amoris divini tantò vehementiùs in medullis proborum exæſtuat, quantò magis illum urget hoſtile gelu circumſtantium vitioſorum. Quod qualitatibus contrariis antiperiſtaſis eſt, hoc ſunt vitia vicina virtutibus: ipſo certamine ſuo illas excitant, ut zelo zelentur pro Domino Deo exercituum. Jam ne zelus ultra modum ſæviat, quæ pulcrior ſeges caritatis in proximum, quàm in peccatoribus ad frugem revocandis? *Fieri enim poteſt*, inquit Auguſt. ſerm. 46. de Sanctis, *ut qui hodie ſunt zizania, cras ſint frumentum:* quod Catalaunorum Epiſcopo, nimis ad ſupplicia impiorum ardenti, parum ad converſionem ſatagenti, per literas expendendum propoſuit Vazo Leodienſis Epiſcopus, ex ævi ſui doctiſſimis & integerrimis. Corporibus eleemoſynam impendimus, ne virtus otioſa langueſcat: longè nobilius habebit, in miſerrimorum animorum curatione, impendium prudens & laborioſa caritas.

VII. Conſervat humilitatem.

Vis caritatis ſociam humilitatem, tuique ipſius contemptum? Ex improborum conſpectu diſces, quod fuiſſe potueras, quod eſſe poteris, quod forſan eris, niſi divino præſidio muniâre. Quemadmodùm enim de zizaniis frumentum, ita de frumento poſſunt fieri zizania: & quidquid hominum uni accidit, alteri metuendum eſt. Babylonis & Hieroſolymæ fines hîc non novimus; neque adhuc diſpicimus, quis ad quam urbem pertineat. Qui tibi Babylonis indigena videtur, cras Hieroſolymam veniet: tu Hieroſolymitanum civem te ferebas, perendie Babylonem migrabis. *Perplexæ quippe ſunt*, inquit Auguſt. lib. 1. de Civit. c. 35. *iſtæ duæ civitates in hoc ſæculo, invicémque permiſtæ, donec ultimo judicio dirimantur. Deus enim*, inquit idem de dono perſev. cap. 8. *melius eſſe judicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero Sanctorum ſuorum: ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus: Quapropter qui videtur ſtare, videat, ne cadat.*

VIII. Exercet patientiam.

Amplam præterea patientiæ materiam ſuggerit bonis malorum ſocietas; eámque virtutem potiſſimùm exercet, quâ ſeſe ſanctimonia maximè ſolet experiri. *Nullus quippe perfectus eſt, qui inter proximorum mala patiens non eſt*, ut ait Gregorius lib. Mor. 20. c. 29. ad iſtud Jobi: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum:* eódemque refert illud Cantic. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Petit Auguſtinus conc. in Pſal. 36. cui bono vivat impius, & cum melioribus interim ſinatur? *Habet aliquem uſum peccator? Habet. Hîc utitur illo Deus ad probandum juſtum, quomodò uſus eſt diabolo ad probandum Iob.... Hîc eſt ergo locus ejus, quomodò eſt in fornace aurificis locus paleæ.* Idem ſerm. 110. de diverſis, explicans illud Pſalmiſtæ, *Tranſivi, & ecce non erat*, &c. *Non eſt*, inquit, *hoc fruſtra, habet impius hic locum ſuum, ſicut Antiochus ad probandos Machabæos. Malus erat, ſed benè uſus eſt illo, qui malus eſſe non poteſt. Sicut enim mali homines malè utuntur creaturis bonis: ſic creator bonus benè utitur creaturis malis... Pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut ſit decora pictura: & neſcit Deus ubi ponat peccatorem, ut ſit ordinata creatura?* Planè novit ibi collocandum eſſe, ubi patientiæ ſplendor eminet, injuriarum oppoſitu, damnorumque comparatione. Iterum hac de re Auguſt. ſerm. 254. de temp. *Magna materies eſt purgationis bonorum, abundantia malorum. Nec volo mihi dicas: ſaltem eſſet propter exercitationem noſtram, ut eſſent mali: pauci eſſent mali, & multi eſſent boni. Non attendis, quia ſi pauci eſſent mali, multis non nocerent? Utique conſidera vir prudens, quia ſi multi boni eſſent, & pauci mali eſſent; pauci mali multis bonis nocere non auderent, non exercerent. Nunc verò, quia multi ſunt mali, laboratur à paucis bonis inter multos malos: & cùm laboratur, ſudatur: & cùm ſudatur, aurum purgatur.*

IX. Et longanimitatem.

At ſi ſaltem mali bonorum patientiam non fatigent, & affixi vitam omnem illis non maneant; longè utique acerbiore conſortio ac conjunctione, quàm iſta per Mezentium excogitatâ, de quo Latinus vates: *Corpora quin etiam jungebat mortua vivis.* Scurras Regibus, peſtilenti lue diffluentes ſanis, cadavera olentia ſpirantibus nitidiſque corporibus, improbos probis applicatos aliquando eſſe expediat, ut pati diſcant. At quorſum non avellantur, quando pati didicêre? Nimis delicatam patientiam amas, mî homo: duranda eſt, ut colligat robur: non paucis malorum incurſibus, ſed ſæpè repetitis, ſed diuturnis quatienda, ut longanimis fiat. Jacobum cum Eſaü homine malo, vel hominum malorum figurâ, naſci Deus voluit, cum eodem adoleſcere, in eumdem à Meſopotamica peregrinatione incidere, in iiſdem

deinde aut finitimis regiunibus verſari : ut longanimem paticutiam, & perpetuam patientiæ coronam, lungâ converſatione & conflictatione fratris, à moribus ſuis alieni, compararet. Sic cenſuit Aug. conc. 3. in pſ. 36. *Ideo fuerunt ſimul juſtus & injuſtus, ut ille ſupplantaret, ille probaretur : poſteà autem ille damnaretur, ille coronaretur.*

X. Semper à bonis tenendam. Numquam igitur cadent animis *boni : quamvis* enim *in multitudine malorum permiſti lateant, novit Dominus qui ſunt ejus : ſub manu tanti artificis auri mica in tanta palea perire non poteſt :* ut ait idem eximius Doctor ſerm. 254. Et ſerm. 46. de diverſis : *O vos Chriſtiani, qui benè vivitis, pauci inter multos ſuſpiratis, pauci inter plurimos gemitis : tranſiet hyems, veniet æſtas, ecce aderit meſſis : venient Angeli, qui poſſunt ſeparare, non poſſunt errare. Nos in hoc tempore ſimiles ſumus ſervis illis, qui dicebant, Vis imus, & colligimus ea? Volebamus enim, ſi fieri poſſet, nullum malum remanere inter bonos : ſed dictum eſt nobis, ſinite.* Si nulli eſſent raptores, ſuperbi, contumelioſi, calumniatores : ubi eſſent beati mites, miſericordes, pacifici, qui perſecutionem patiuntur? Loquatur rurſum decus Chriſtianarum literarum, & virtutum magiſter, Auguſtinus in pſal. 54. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur : aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

XI. Tolerat Deus peccatores, ut convertantur. Audis vivere malum, etiam *ut corrigatur?* Vivit gloriæ Dei, quamvis inſcius : vivit piorum bono, quamvis invitus : vivit denique ſuo ipſius commodo & ſaluti, quamvis averſus. Ita Principes Apoſtolorum docuêre : Petrus epiſt. 2. c. 3. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti :* Paullus ad Rom. cap. 2. *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Neſcis adhuc mores clementiæ divinæ, quæ *diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam?*

XII. Deo conſueta longanimitas. Mori Adamus debuerat, cùm peccavit : ſuperſtes ad pœnitendum fuit ſæculis novem totis, & quod excurrit. Noëmi ævo, *omnis caro corruperat viam ſuam :* dantur tamen mortalibus, ex Hieronymi ſententia, ad reſipiſcentiæ ſpatium, anni centum ac viginti; iiſque elapſis ſtillat dies quadraginta diluvium, neque impetu uno cataractæ cæli naufragium commune depluunt, ut Chryſoſtomus advertit. Itaque naufragorum non pauci ſalutis portum occupavêre; & in limbo quieti exſpectavêre Chriſti diem, quos Dei patientia exſpectârat in diebus Noë. Peccat Aaron vituli aurei adoratione, ſub peregrinationis initium : quadrageſimo anno moritur. Heli pœnam indulgentiæ nimiæ, partim extremo ſenio exſolvit; partim octogeſimo demum pòſt anno in poſteris, tranſlatâ in conſanguineam familiam ſummi Pontificatûs dignitate. Antiochum Epiphanem, Jaſonem, Menelaûm, Alcimum, aliáque impietatis portenta apud Hagiographum noſtrum, non ſtatim dignus flagitiis exitus occupavit. Quid Auguſtinis factum eſſet, quid Paullis, quid Apoſtolorum & Sanctorum fermè cæteris, ſi Deus zizania continuò, ut apparere cœperant, extirpâſſet? Conſcius itaque infirmitatis noſtræ, & clementiæ ſuæ memor dat zizaniis ſpatium, ut frumenta, ſi velint, fieri queant.

Quid autem ſi mutare noluerint? *Secundum duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram,* inquit Paullus. Reponuntur ſcelera & conduntur apud Deum, & ſignantur in theſauris ejus, promenda in tempore. Scripta ſunt *ſuper buxum* præduri ligni arborem, ut cap. 30. loquitur Iſaias : imò, ut Jeremias cap. 17. ſculpta ſunt *ſtylo ferreo, in ungue adamantino :* numquam delebit pœna, quibus delendis adhibita non eſt pœnitentia. Nolo huc tranſcribas totum Plutarchi librum de ſera Numinis vindicta : ex literis potiùs noſtris ac certiùs diſce. Monet Eccleſiaſtes cap. 5. *Ne dicas, peccavi, & quid accidit mihi triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor.* Omnino *patiens eſt :* ſed etiam *redditor. Et tu,* inquit Eccleſiaſtæ pater, *Domine Deus, miſerator & miſericors, patiens, & multa miſericordia, & verax.* Planè *miſerator* eſt : ſed æquè *verax* eſt. Patietur Deus pſal. 128. ut ſupra dorſum ſuum fabricaverint peccatores, magno & longo molimine : ad extremum tamen, omnia pravorum conſiliorum atque operum machinamenta diſſipabit, & & Dominus juſtus concidet cervices peccatorum. XIII. Utendum tempore ad pœnitentiam.

Sagittatoris inſtar eſt, qui ad ſcopum collimaturus inclamat adſtantibus, ut caveant. *Percutere non vult,* inquit Auguſt. *qui tibi clamat, obſerva.* Non evitas? Non obſervas? Tibi ergo imputa, ſi jaculo tranſadigâre. Nam Thren. 3. *tetendit arcum ſuum, & poſuit te quaſi ſignum ad ſagittam;* quia te ipſe in ſignum ingeſſiſti, & ſcopum te peccandi pertinaciâ feciſti. Quò nervus arcûs magis adducitur, eò ſagitta validiùs fertur : quò vindictam Deus magis continet, & procraſtinat, eò acriùs ferit. Ezechielis quadrigis vindicta divina adumbratur : clementiam offert facies hominis, bos lentitudinem iræ ſignificat : quiſquis iſta contempſerit, aquilam ſentiet, ac leonem. Tolerantur zizania, ſed uſque ad meſſem : tunc in faſciculos ad comburendum colligenda. Alterutrum eligas neceſſe eſt, diverticulum ab hoc bivio fruſtra quæſieris : aut pœnitendum, aut ardendum. XIV. Eò gravius Deus ſerit, quò tardiùs

CAPVT

CAPUT NONUM.

ARGVMENTVM.

Intellectâ clade Nicanoris, Demetrius Bacchidem & Alcimum rurſus in Iudaam mittit, cum dextro exercitus ſui cornu. Hi captâ Maſaloth cum multa clade, Hieroſolymam tendunt: tum in Iudam ducunt, deſertumq; à maximâ ſuorum parte, & nihilominùs poſt diu anceps prælium jam fermè victorem, multitudine obruunt, & occidunt. Interfecti corpus à Simone & Ionatha fratribus tollitur, tumulatur, lugetur. Iacturam Ducis ſecuta Iudaorum conſternatio, & calamitates innumera: unde cùm viderent, certam perniciem vitare ſe non poſſe, ſi diutiùs ſine capite errarent, Ionathan in locum Iuda ſufficiunt. Quo audito, Bacchides eum conabatur opprimere: ſed Ionathas fugâ eluſit inſidias, & bello parando intentus, fratrem Ioannem ad Nabuthaos miſit, arma & alia apparatûs bellici inſtrumenta commodatò petitum. Hunc in itinere primores aliqui Madabenſes invadunt, & ſpoliatum interficiunt: ſed brevî, clade cumulatè repensâ, pœnas injuſta necis dedêre. Movet in Ionatham Bacchides, eumq; ad vada Iordanis aggreditur, è ſuis mille amittit; trans Iordanem aſſequi veritus, Hieroſolymam redit, præſidia variis locis ad continendos Iudaos excitat: denique ſacrilego Alcimo, inter cæpta disjiciendarum Templi munitionum, paralyſi percuſſo, ac paullò pòſt mortuo, ad Regem concedit. Poſt biennium à perfidis Iudais revocatus, ad opprimendum Ionatham: poſtquam neque arte, nec vi quidquam profecit, irâ in auctores conſilii & belli incentores Iudaos exoneratâ, oblatam à Ionatha pacem accipit, retróque abit in Syriam. Ionathas in Machmas Principatûs, ac judiciorum ſedem conſtituit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

INTEREA ut audivit Demetrius, quia cecidit Nicanor &
exercitus ejus in prælio, appoſuit Bacchidem & Alcimum
rurſum mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum illis.
2. Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & caſtra po-
ſuerunt in Maſaloth, quæ eſt in Arbellis: & occupaverunt
eam, & peremerunt animas hominum multas. 3. In
menſe primo anni centeſimi & quinquageſimi ſecundi,
applicuerunt exercitum ad Ieruſalem: 4. & ſurrexerunt, & abierunt in Beream

viginti millia virorum, & duo millia equitum. 5. Et Iudas poſuerat caſtra in Laiſa, & tria millia viri electi cum eo: 6. & viderunt multitudinem exercitus quia multi ſunt, & timuerunt valdè: & multi ſubtraxerunt ſe de caſtris, & non remanſerunt ex eis niſi octingenti viri. 7. Et vidit Iudas, quòd defluxit exercitus ſuus, & bellum perurgebat eum, & confractus eſt corde, quia non habebat tempus congregandi eos, & diſſolutus eſt. 8. Et dixit his qui reſidui erant: Surgamus, & eamus ad adverſarios noſtros, ſi poterimus pugnare adversùs eos. 9. Et avertebant eum, dicentes: Non poterimus, ſed liberemus animas noſtras modò, & revertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus adversùs eos: nos autem pauci ſumus. 10. Et ait Iudas: Abſit iſtam rem facere ut fugiamus ab eis: & ſi appropiavit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ. 11. Et movit exercitus de caſtris, & ſteterunt illis obviàm: & diviſi ſunt equites in duas partes, & fundibularii & ſagittarii præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes. 12. Bacchides autem erat in dextero cornu, & proximavit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis: 13. exclamaverunt autem & hi, qui erant ex parte Iudæ, etiam ipſi, & commota eſt terra à voce exercituum: & commiſſum eſt prælium à manè uſque ad veſperam. 14. Et vidit Iudas, quòd firmior eſt pars exercitûs Bacchidis in dextris, & convenerunt cum ipſo omnes conſtantes corde: 15. & contrita eſt dextera pars ab eis, & perſecutus eſt eos uſque ad montem Azoti. 16. Et qui in ſiniſtro cornu erant, viderunt quòd contritum eſt dextrum cornu, & ſecuti ſunt poſt Iudam, & eos qui cum ipſo erant, à tergo: 17. Et ingravatum eſt prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his & ex illis. 18. Et Iudas cecidit, & cæteri fugerunt. 19. Et Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulcro patrum ſuorum in civitate Modin. 20. Et fleverunt eum omnis populus Iſraël planctu magno, & lugebant dies multos, 21. & dixerunt: Quomodò cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël? 22. Et cætera verba bellorum Iudæ, & virtutum quas fecit, & magnitudinis ejus, non ſunt deſcripta: multa enim erant valdè. 23. Et factum eſt: poſt obitum Iudæ emerſerunt iniqui in omnibus finibus Iſraël, & exorti ſunt omnes qui operabantur iniquitatem. 24. In diebus illis facta eſt fames magna valdè, & tradidit ſe Bacchidi omnis regio eorum cum ipſis. 25. Et elegit Bacchides viros impios, & conſtituit eos dominos regionis: 26. & exquirebant, & perſcrutabantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat. 27. Et facta eſt tribulatio magna in Iſraël, qualis non fuit ex die, qua non eſt viſus propheta in Iſraël. 28. Et congregati ſunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: 29. Ex quo frater tuus Iudas defunctus eſt, vir ſimilis ei non eſt, qui exeat contra inimicos noſtros, Bacchidem, & eos qui inimici ſunt gentis noſtræ. 30. Nunc itaque te hodie elegimus eſſe pro eo nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum noſtrum. 31. Et ſuſcepit Ionathas tempore illo Principatum, & ſurrexit loco Iudæ fratris ſui. 32. Et cognovit Bacchides, & quærebat eum occidere. 33. Et cognovit Ionathas, & Simon frater ejus, & omnes qui cum eo erant: & fugerunt in deſertum Thecuæ, & conſederunt ad aquam lacus Aſphar. 34. Et cognovit Bacchides, & die ſabbatorum venit ipſe: & omnis exercitus ejus, trans Iordanem. 35. Et Ionathas miſit fratrem ſuum populi, & rogavit Nabuthæos amicos ſuos, ut commodarent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus. 36. Et exierunt filii Iambri ex Madaba, & comprehenderunt Ioannem, & omnia quæ habebat, & abierunt habentes ea. 37. Poſt hæc verba, renunciatum eſt Ionathæ & Simoni fratri ejus, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna.

magna. 38. Et recordati ſunt ſanguinis Ioannis fratris ſui: & aſcenderunt, &
abſconderunt ſe ſub tegumento montis. 39. Et elevaverunt oculos ſuos, & vide-
runt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & ſponſus proceſſit; & amici ejus,
& frater ejus, obviàm illis cum tympanis & muſicis, & armis multis. 40. Et
ſurrexerunt ad eos ex inſidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi,
& reſidui fugerunt in montes: & acceperunt omnia ſpolia eorum: 41. & con-
verſæ ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum ipſorum in lamentum. 42. Et
vindicaverunt vindictam ſanguinis fratris ſui: & reverſi ſunt ad ripam Iordanis.
43. Et audivit Bacchides, & venit die ſabbatorum uſque ad oram Iordanis in vir-
tute magna. 44. Et dixit ad ſuos Ionathas: Surgamus, & pugnemus contra ini-
micos noſtros: non eſt enim hodie ſicut heri & nudiuſtertius. 45. Ecce enim
bellum ex adverſo, aqua verò Iordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & ſaltus:
& non eſt locus divertendi. 46. Nunc ergo clamate in cælum, ut liberemini de
manu inimicorum veſtrorum. Et commiſſum eſt bellum. 47. Et extendit
Ionathas manum ſuam percutere Bacchidem, & divertit ab eo retro: 48. & diſſi-
liit Ionathas, & qui cum eo erant, in Iordanem, & tranſnataverunt ad eos Iorda-
nem, 49 & ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reverſi ſunt in
Ieruſalem, 50. & ædificaverunt civitates munitas in Iudæa, munitionem, quæ
erat in Iericho, & in Ammaüm, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata,
& Phara, & Thopo muris excelſis, & portis, & ſeris. 51. Et poſuit cuſtodiam
in eis, ut inimicitias exercerent in Iſraël: 52. & munivit civitatem Bethſuram, &
Gazaram, & arcem, & poſuit in eis auxilia, & apparatum eſcarum: 53. & acce-
pit filios principum regionis obſides, & poſuit eos in arce in Ieruſalem in cuſto-
diam. 54. Et anno centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecundo, præcepit
Alcimus deſtrui muros domus ſanctæ interioris, & deſtrui opera Prophetarum:
& cœpit deſtruere. 55. In tempore illo percuſſus eſt Alcimus: & impedita ſunt
opera illius, & occluſum eſt os ejus, & diſſolutus eſt paralyſi, nec ultra potuit
loqui verbum, & mandare de domo ſua. 56. Et mortuus eſt Alcimus in tempo-
re illo cum tormento magno. 57. Et vidit Bacchides, quoniam mortuus eſt
Alcimus: & reverſus eſt ad Regem, & ſiluit terra annis duobus. 58. Et cogita-
verunt omnes iniqui dicentes: Ecce Ionathas, & qui cum eo ſunt, in ſilentio ha-
bitant confidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos om-
nes una nocte. 59. Et abierunt, & conſilium ei dederunt. 60. Et ſurrexit, ut
veniret cum exercitu multo: & miſit occultè epiſtolas ſociis ſuis, qui erant in
Iudæa, ut comprehenderent Ionathan, & eos qui cum eo erant: ſed non potue-
runt, quia innotuit eis conſilium eorum. 61. Et apprehendit de viris regionis,
qui principes erant malitiæ, quinquaginta viros, & occidit eos: 62. & ſeceſſit
Ionathas, & Simon, & qui cum eo erant, in Bethbeſſen, quæ eſt in deſerto: &
extruxit diruta ejus, & firmaverunt eam. 63. Et cognovit Bacchides, & con-
gregavit univerſam multitudinem ſuam: & his, qui de Iudæa erant, denuntiavit.
64. Et venit, & caſtra poſuit deſuper Bethbeſſen: & oppugnavit eam dies multos,
& fecit machinas. 65. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem ſuum in civitate,
& exiit in regionem, & venit cum numero, 66. & percuſſit Odaren, & fratres
ejus, & filios Phaſeron in tabernaculis ipſorum; & cœpit cædere, & creſcere in
virtutibus. 67. Simon verò, & qui cum ipſo erant, exierunt de civitate, & ſuc-
cenderunt machinas, 68. & pugnaverunt contra Bacchidem, & contritus eſt ab
eis: & afflixerunt eum valdè, quoniam conſilium ejus, & congreſſus ejus erat
inanis. 69. Et iratus contra viros iniquos, qui ei conſilium dederant ut veniret
in regionem ipſorum, multos ex eis occidit: ipſe autem cogitavit cum reliquis
abire in regionem ſuam. 70. Et cognovit Ionathas, & miſit ad eum legatos
componere

componere pacem cum ipſo, & reddere ei captivitatem. 71. Et libenter accepit, & fecit ſecundùm verba ejus, & juravit ſe nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ ejus. 72. Et reddidit ei captivitatem, quàm priùs erat prædatus de terra Iuda: & converſus abiit in terram ſuam, & non appoſuit ampliùs venire in fines ejus. 73. Et ceſſavit gladius ex Iſraël: & habitavit Ionathas in Machmas, & cæpit Ionathas ibi judicare populum, & exterminavit impios ex Iſraël.

COMMENTARIUS AD CAPUT NONUM.

Stabilitur ſeries hiſtoriæ.

℣. 1. INTEREA UT AUDIVIT DEMETRIUS, QUIA CECIDIT NICANOR, ET EXERCITUS EIUS IN PRÆLIO. Græcè in Sixtina habetur prorſus, ut in Vulgata: in Regiis eſt ad verbum, *Et audivit quòd fecit Nicanor, & copiæ ejus prælium.* Sed certum eſt, Demetrio nuntiatam non pugnam ſolùm, verùm & ſucceſſum illius. Hinc *appoſuit Bacchidem & Alcimum rurſum mittere in Iudæam*, Græcè pro rurſum habetur ἐκ δευτέρου, id eſt, *iterum*, ſeu *ſecundâ vice.* Intellige hoc, de Baccide ſimul & Alcimo. Ter enim Alcimus venit in Judæam cum exercitu: primùm cum Bacchide, ut dictum cap. 7. ſecundò cum Nicanore, ut eodem capite dictum: tertiò jam cum Bacchide. Itaque bis omninò venit cum Bacchide. Miſit Demetrius *dextrum cornu cum eis*, id eſt, totum ſuarum copiarum cornu dextrum ipſis dedit ducendum in Judæam: quod fuiſſe juſti exercitûs inſtar, patebit ex verſ. 4. infrà.

Joſephi errores varii

Non eſt omittendus hic fœdus Joſephi error, exagitatus à Serario, & à Saliano. Bacchidi in iſta ſecunda expeditione Alcimum comitem non adjungit: nec mirum, cùm antè faciat mortuum. Menda iſthæc ex Scriptura apertè revincuntur, hoc verſu & infra verſ. 57. ſed & Joſephus ipſe ſe confutat: cùm enim dicat Alcimum quatuor annis fuiſſe Pontificem, neceſſe eſt ut ad annum 154. Græcorum pervenerit, ſi tempus, quo Sacerdotium à Syriæ Rege impetravit, attendas. Atqui Judas mortuus eſt anno 152. Græcorum, ut ex hoc capite conſtat: ſuperſtes igitur fuit Judæ Alcimus. Adde, eumdem Joſephum in iſto Alcimi & Judæ Pontificatu ſecum mirè pugnare. Lib. 12. c. 17. dicit Judam fuiſſe Pontificem, cùm legationem miſit Romam, eodémque libro cap. ult. dicit Pontificem fuiſſe tres annos, poſt Alcimi mortem à populo electum. Libro tamen 20. c. penult. ſui oblitus Judam in catalogo Pontificum non recenſet. Miranda planè hiſtorici compugnantia, in quam non incidiſſet, ſi veritati magis, quàm vanitati ſtuduiſſet.

Perſecutiones Eccleſiæ in Bacchidis expeditione exprimuntur.

In iterata Bacchidis & Alcimi expeditione, Rabanus notat pertinacem Eccleſiæ per Paganos, & Hæreticos oppugnationem. Eamdem exprimit in prælio commiſſo *à manè uſque ad veſperam*, infrà verſ. 15. *ab ortu*, inquit, *luceſcentis fidei uſque ad finem mundi, caſtra diaboli contra Eccleſiam confligere non ceſſant.* Viſa multitudine hoſtilis exercitus, à multis Judam deſeri: ut ſignificetur inconſtantia eorum, qui firmi non ſunt in fide; & perſecutione ingruente, quaſi exoriente Sole exareſcunt, inſtar ſegetis Evangelicæ Matth. 13. Idem notari in eo quod dicitur, *commota terra à voce exercituum*, hoc eſt, *corda carnalium concuſſa ſunt pavore perſecutionum.* Dextro cornu Bacchidis, quod validius videbatur, indicari Paganos; quibus victis ac cedentibus, ſiniſtra intentione Hæreticos à tergo incumbere, quia dolis ac fraudibus potiſſimùm pugnant. Notat idem, *equites diviſos in partes duas*: iis *arrogantes ac ſuperbos* ſignificari, *inter quos numquam unitas & firma concordia ſervari poteſt, teſtante Scripturâ quæ dicit, inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt. In fundibulariis*, qui præcedunt exercitum, non malè exprimit eos, à quibus pii ad defectionem à fide ſolicitentur, promiſſis fælicitatis temporaneæ, quaſi rotatu fundæ: *in ſagittariis*, eos à quibus tentantur minis ac terrore, quaſi ſagittarum aculeis.

℣. 2. ET ABIERUNT VIAM, QUÆ DUCIT IN GALGALA, &c. Galgala iſta neceſſe eſt alia fuerint, quàm ubi Joſue circumcidendos curavit filios Iſraël. Iſta enim fuerunt propè Jordanem, non procul ab Hierichunte: quo ab Arbellis in Galilæa ſitis, via non ducebat. Arbela enim locantur à Joſepho in Galilæa ſuperiore: neque incongruè ab Adrichomio aſſignantur Nephtaliticæ tribui. Itaque Galgala noſtra eo loco fuiſſe arbitror, ubi *Gelgel* ſive *Galgal*, qua de Joſue cap. 12. mentio eſt, collocator ab Euſebio, ejuſque interprete Hieronymo, & eos ſecuto Adrichomio: non longè ab Antipatride. Ibi enim erant itinera ducendis exercitibus faciliora, aptáque ad accipiendos à mari commeatus. Galgala quæ? Quis eorum ſitus?

Arbella, ſeu ut Græcè eſt *Arbela*, Joſephus urbem facit, Scriptura provinciam, inquit Salianus: qui & notat omiſſam à Joſepho *Maſaloth*, & pro illa poſitas *ſpeluncas*, in quibus Judæorum multi trucidati ſint. Sed utinam magis numquam à Scriptura diſſonet: hæc enim facillimè conciliavero. Faciamus *Arbella* urbem eſſe, in cujus territorio ſit locus *Maſaloth* dictus: nonne ille locus dici poterit eſſe *in Arbellis*, id eſt intra fines Arbellorum? Jam ſi locus idem ſpeluncis plenus ſit, quò Judæi per bella refugere ſolerent: an malè Joſephus *ſpeluncas* pro *Maſaloth* poſuerit? Quid ſi ſpeluncas ipſas *Maſaloth*, ſeu ut Græcè habetur *Meſaloth* dictas ſuſpicemur? Certè *Meſeloth*, quæ vox non longè abludit, ſignificat *Dominia*: ſpeluncas verò illas munitas, & ad dominandum vicinis regionibus oportunas fuiſſe ipſe Joſephus teſtis eſt, à quo adverſùs Romanos bello Judaico communitæ fuerunt. Quid etiam, ſi pro *Meſaloth* legamus *Metſadoth*, id eſt *loca tutiſſima*, ad quæ Judæi, à Bacchide poſtmodùm perempti, confugiſſe potuerint, cujuſmodi erant ſpeloncæ à Joſepho memoratæ? Quid Arbella, & Maſaloth?

℣. 3. 4. 5. IN MENSE PRIMO ANNI CENTESIMI, &c. Bacchides, poſt cædem in Galilæa patratam, Hieroſolymas ducit, ratus ibi Judam fore: eo non invento abit, comite ſemper Alcimo, cum viginti peditum duobus equitum millibus, *in Beream.* Joſephus vocat *Berzetho*: oportetque ab Hieroſolymis procul non abfuiſſe. Bonfrerius in Onomaſtico eamdem eſſe conjicit, quæ Joſ. 18. *Beeroth* ſeu *Beroth* dicitur, eſtque de tribu Benjamin. Longè ergo alia fuit, quàm *Beroea* urbs Syriæ: Beroea quæ?

ubi

ubi impius Menalaüs de edita turri in cineres ſubjectos præcipitatus; & ſuffocatus eſt, 2. Mach. 13.

Quæ Laiſa? *Laiſam*, ſeu ut Græca habent *Eleaſam*, ubi Judas caſtra cum delecta trium millium manu poſuerat, neceſſe eſt proximè Beream fuiſſe: cùm inde conſpectis hoſtilibus copiis, conſternati ſocii Judæ, maximam partem eum deſeruerint. Bonfrerius putat fuiſſe in tribu Benjamin, præſertim cùm Iſa. cap. 10. jungatur cum urbibus aliquot Benjamiticæ tribûs.

Cæſarea, Cenereth, Tiberias. Non ergo eſſe potuit urbs *Laïs*, ſeu *Leſemdam*, aliter *Paneas* dicta, & poſtmodum à Philippo Ituræ & Trachonitidis tetrarcha, ibi tetrarchiæ ſedem habente, appellata in honorem Tiberii Cæſaris *Cæſarea Philippi*: quomodò *Cenereth* ad mare Galilææ ſub idem tempus *Tiberiadis* nomen ab Herode accepit. Sita erat Cæſarea inter utrumque Jordanis fontem, propè Antilibani radices, in Galilææ & Baſanitidis finibus: ut inde neutiquam Judas perſequi potuerit fugientes de exercitu Bacchidis ad montes Azoti, tota Palæſtinæ fermè longitudine diſtantes.

Fugiunt ſocii Judæ. ℣ 6. ad 10. ET VIDERUNT MULTITUDINEM, *&c.* Mirus planè timor in Judæ ſociis; cùm paullò antè, pari numero, Nicanorem, majores Bacchide copias trahentem, tam glorioſâ victoriâ ſuperâſſent. Putat non malè Salianus, ex ea victoria ipſis vanam aliquam de ſe fiduciam obrepſiſſe, quam timiditate Deus caſtigârit.

Perſtat Judas. A ſuis ergo deſertus Judas, primùm humani aliquid patitur; neque enim in poteſtate noſtra eſt numquam timere: deinde, reſumpto ſpiritu, ſuos ad pugnam excitat. Hi diſſuadent, claris in textu verbis, & quæ interpretatione non indigent. Paullò obſcurior eſt Græcus Regiorum textus: Sixtina cum Vulgata fermè ad verbum conſentiunt, tum in dictis commilitonum ad Judam, tum in Judæ reſponſo. *Inferre crimen gloriæ*, ſeu ut Græcè eſt ἀιτίαν, Latinè dicimus notam gloriæ inurere.

An multipliciter peccarit? Quæres, an hîc Judas peccârit? Prima enim fronte videatur multiplex ejus eſſe peccatum. Primum, timiditas: quòd *corde confractus* ſit, viſâ ſuorum fugâ, & adverſariorum, multitudine. Alterum, temeritas: quòd nihilominùs tentare voluerit aleam belli, & timiditatis vitium veritus in omninò oppoſitum ſeſe induerit: ſic apud Horatium,

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Tertium, vanitas: quòd gloriæ reſpectu in tantum periculum ſe ſuoſque ac rempublicam conjecerit. Quartum, pertinacia obſirmata: quòd rectè ſuadentibus ſuis, ut ſeſe ad meliora tempora reſervaret, non ceſſerit. Quintum, ſuperſtitio: quòd fatalem aliquam neceſſitatem agnoviſſe videatur, cùm dixit tempus ſuum adveniſſe: cui ſuſpicioni aſtipulari poteſt, quod Joſephus ait de Eſſenis lib. 13. c. 9. eos fatum pronuntiâſſe omnium dominum: atqui Eſſenum ſectâ fuiſſe Judam, multi non improbabiliter arbitrantur.

Timiditate Judas non peccavit. Exiſtimo nihilominùs, Judam toto hoc prælio ne venialiter quidem videri peccâſſe. Timiditas, ſi qua fuit; nam iſtud de *corde confracto*, S. Thomas non timorem, ſed tædium interpretatur, ex eo ortum, quòd zelo arderet, & ejus impetum, defectu virium, ſequi non poſſet. Si quis ergo fuit timor, vitio caruit, tum quia ratione nixus, tum quia ratione compreſſus eſt: vitioſus autem non eſt, ſi vel rationem ſequatur; vel, cùm eam ſubitò prævenit, compeſcatur. Quis neget aliquando juſtè & rectè, ut Excurſu 1. ad cap. 4. monuimus, mala etiam temporalia, timeri poſſe, imò debere? Talem fuiſſe hunc Judæ timorem, diſſolutionem, confractionem cordis, meritò dixerimus: deſtitutum ſe videt à ſuis, cum exiguâ manu in præpollentem exercitum ſibi pugnandum eſſe, agi de dignitate Judaici nominis, in capite ſuo verti reipublicæ fortunam: tot ſimul formidandis rebus animo objectis, tu parum rationi conſentaneum timoris ſenſum exiſtimes?

Sed eſto, prævenerit motus iſte rationis imperium; non ideò tamen vitio tribuendus eſt. Neque enim hujus mortalitatis eſt, perturbationibus omninò carere; quæ cùm in poteſtate noſtrâ non ſint, neque ad culpam imputantur. *Eumdem ſemper vultum*, inquit Hieronym. lib. 3. contra Pelag. *habere non poſſumus, quod de Socrate falsò philoſophi gloriantur: quantò magis animum?* Et ad rem noſtram expreſſiùs epiſt. ad Salvinam: *Difficile eſt, quin potius impoſſibile, perturbationis initus carere quempiam, quas ſignificantius Græci προπαθείας vocant: nos ut verbum vertamus è verbo, ante-paſſiones poſſumus dicere.* Timor cadit in ſapientem.

Ridentur jam paſſim Stoici, qui ἀπάθειαν docuêre: quaſi humanum ſit, dum in hac mutabilitatis regione degimus, nullo paſſionis motu tentari. Ego verò eos rideo, qui à Stoicis talem ἀπάθειαν inductam credunt: quod non credant, ſi Stoicos ipſos legerint. Romanus ille Stoicus, qui tam alto ſpiritu pronuntiat ep. 59. *Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſupra Lunam, ſemper illic ſerenum eſt*. idem tamen, ipſo de Tranquillitate libro, fatetur, ſapientem non cariturum naturalibus concuſſionibus, & motiunculis præcurrentibus rationem; idque pingit imagine maris etiam in tranquillitate interdum trementis. Quam nos ſimilitudinem ex ipſo attulimus Excurſ. 1. ad c. 4. ſect. 1. num. 6. Ubi etiam Epicteti ſententiam protulimus, docentis perturbationem animi dicendam non eſſe, ſi ratio motibus ſubitis non cederet. Eſto igitur, prævenerit diſſolutio, & confractio cordis, rationem in Machabæo: ei tamen perturbationi ratio non ceſſit, cùm mox ſuos hortetur ad fortiter dimicandum. Apathia Stoicorum paſſionum motus admittit.

Temeritatis notam eidem non affigemus, ſi priùs benè intellexerimus quid ea ſit. *Illa dicuntur fieri temerè*, inquit S. Thom. 2. 2. quæſt. 53. art. 3. ad 2. *quæ ratione non reguntur: quod quidem poteſt contingere dupliciter. Uno modo ex impetu voluntatis, vel paſſionis: alio modo ex contemptu regulæ dirigentis. Et hoc propriè importat temeritas.* Temerè igitur non fit, quidquid ex ratione fit, & ex prudentia, quæ regula eſt actionum. Atqui ejuſmodi fuit hoc Judæ Machabæi opus, heroica fortitudine ſuſceptum, ex fiducia divini auxilii; quo maximas hoſtium copias à pauciſſimis fuſas, & ſciebat, & ſenſerat, prudentérque ſibi perſuadere poterat, neque in hoc articulo defuturam. Solet enim, ut hîc benè Serarius, heroica fortitudo non tritam ac communem viam ingredi, ſed arduam magis ac difficilem; magiſque Deo quàm viribus ſuis inniti. Meminerat præliorum Abrahami, Gedeonis, Jonathæ, Davidis. Occurrebant magnifica Dei promiſſa Deut. 28. Stimulabat altè impreſſa menti poſtrema Mathathiæ patris adhortatio. Erant ſub oculis tot victoriæ, quas ipſe, cum exiguis copiis, divinitùs de potentiſſimis hoſtibus retulerat. Eâdem ope divinâ ſubnixus, fiduciæque plenus, prælium eo articulo detrectare noluit. Hanc ergo etiamnum ſecutus eſt regulam actionum ſuarum, de qua 2. Machab. ult. verſ. 7. ante pugnam cum Nicanore: *Machabæus autem ſemper confidebat, cum omni ſpe, auxilium ſibi à Domino affuturum:* eamdémque volebat militibus ſuis regulam eſſe propoſi- Temeritatis notam non incurrit.

Digitized by Google

propoſitam, cùm verſ. 19. ibidem eos adhortans, in memoriam revocat certamina ab ipſis jam antè perfecta.

Nec Vanitatis.

Pro vanitatis vitio à Juda amoliendo, ſi ſatis ea non ſunt, quæ in ſimili annotavimus ad c. 2. verſ. 51. & cap. 6. ad verſ. 43. &c. ubi dictum eſt: gloriam humanam de ſe malam non eſſe, adeóque rectè intra modum deſiderari poſſe, ſi ad ulteriorem finem referatur.

Appetentia gloriæ moderata, laudabilis.

Ampliùs dixero: appetitum gloriæ iſtiuſmodi, laudisve, & famæ apud homines, etſi ad ulteriorem finem non referatur, de ſe bonum eſſe, habereque rationem virtutis moralis & naturalis. Malum enim eſt dedecus, vituperium, infamia: bona ergo ſunt contraria, adeóque benè appeti poſſunt, & materiam præbent magnanimitati, ſicut voluptates ſenſuum materiam præbent temperantiæ. Quomodò ergo appetere voluptates moderatè, ad temperantiam pertinet: ita moderatè gloriam cupere, magnanimitatis opus eſt. Nec verò interdum ſanctiſſimi quique, honorem, & laudem, pro incitamento & fine adoleſcentibus militibúsve aut aliis proponerent, ſi in eo fine ſiſti, ſine virtutis honeſtique labe, noo poſſet.

Quid ſpectârit Judas?

Dicamus tamen, gloriam humanam à Juda neque hîc, neque aliàs ſpectatam, ſed ſolum Dei honorem, veræque religionis propugnationem, ac publicum bonum: qui finis clarè proponitur lib. 2. cap. ult. verſ. 18. lib. 1. c. 3. verſ. 59. & ab ipſis hoſtibus agnoſcitur lib. 1. cap. 6. verſ. 59. Imò hoc loco, ſi benè obſerves, indicatur non obſcurè iſtis verbis: *Moriamur in virtute*, ſeu viriliter, *propter fratres noſtros.* Vides finem, quem ſibi præfigebat generoſiſſimus Heros io eo ipſo articulo, fuiſſe commune populi Judaïci, gentis à Deo electæ, bonum? Non enim ait, *Moriamur*, & celebre ſit ooſtrum nomen: ſed *propter fratres noſtros*, ad defendendam nationem noſtram, apud quem Dei verus cultus & unica religio eſt.

Quid ſit, non inferre crimen gloriæ?

Quod autem ſubditur, *ne inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Sic intelligi poteſt, ot ad Deum referatur hoc ſenſu: non demus occaſionem Infidelibus criminandi Deum noſtrum, & ejus gloriam, quæ etiam noſtra eſt. Noſtra enim gloria ex Deo, in Deo, & ad Deum eſt. Adde, ipſo *gloriæ* nomioe Deum intelligi poſſe, non inuſitatâ Scripturæ phraſi; ſic enim Pſalmo 105. dicitur, *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*, id eſt, pro Deo ſuo vitulum adoraverunt: ita hoc loco, *non inferamus crimen gloriæ noſtræ*, idem erit ac, Deo noſtro non inferamus blaſphemiam, ſeu non demus occaſionem eum blaſphemandi. Denique, ut verba iſta in obvio ſenſu capiamus, quemadmodùm etiam à nobis antè explicata ſunt: licebit dicere probabiliter cum Saliano, Judam altiori conſideratione ac fine pro ſe contentum, ad ſocios animandos inferius præterea motivum, captui ipſorum accommodatum, in tempore adhibuiſſe, ex Sapientis præcepto, Eccleſiaſt. 33. *Ne dederis maculam in gloria tua.* A quo etiam Sapiente, cap. 47. objicitur Salomoni, *dediſti maculam in gloria tua.*

Pertinaciâ item non peccavit Judas.

Amoto à Juda vanitatis nævo, admittere non debemus pertinaciam, cognatum vitium. *Oritur* enim, inquit Greg. l. 31. Mor. cap. 3. *pertinacia ex inani gloria*: nam, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 138. a. 2. *ideò aliquis nimis perſiſtit in propria ſententia, quia per hoc vult ſuam excellentiam manifeſtare.* Cùm igitur fontem in Heroe ooſtro non agnoverimus, neque agnoſcamus rivum ex illo profluentem. Præterquam quòd, ut ibidem ex Iſidoro ait S. Thom. *Pertinax dicitur quis, quaſi imprudenter tenax.* Et à Philoſopho, inquit 7. Ethicorum, *pertinaces vocantur iſchyrognomones, id eſt fortis ſententiæ, vel idiognomones, id eſt propriæ ſententiæ: quia ſcilicet perſeverant in propria ſententia pluſquam oportet.* Atqui Machabæus imprudentiâ non peccavit, ut ſuprà dictum eſt, ubi de temeritate egimus: igitur nec pertinaciâ, quæ ſine imprudentia eſſe non poteſt. Nec dicendus nimis propriæ ſententiæ inhæſiſſe, cùm omnes ſocii pugnam ipſi diſſuaderent: nam fuit quidem horum conſilium prudens, ſed principiis humanis nixum: Judas verò non humanis, ſed divinis nitebatur, & ex illis ſua ducebat conſilia, actioneſque dirigebat, ut ſuprà oſtenſum eſt. Unde potuit abſque pertinacia conſilium reſpuere, quod ad illam perpetuam rerum à ſe gerendarum regulam non eſſet exactum. Dicebant iſti, humanitùs fieri non poſſe, ut tantillo numero tantam mulotudinem hoſtium ſuſtinerent; *Sed*, inquiunt, *liberemus animas noſtras, & revertamur ad fratres noſtros, & tunc pugnabimus adversùs eos.* At Machabæus magis attendens, quid deceret, quàm quid poſſet, & potiùs quid divinitùs fieri ſoleret, quàm quid humanitùs; ac pro more ſuo confiſus, cum omni ſpe, auxilium ſibi à Domino affuturum, perſtat immotus, mavultque *mori in virtute propter fratres*, qoàm *gloriæ inferre crimen.*

Nec ſuperſtitioſâ fati obſervatione.

Reſtat ſuperſtitioſa fatalis neceſſitatis obſervatio, quam ſi Machabæo impingere quis audebit, ex illis verbis: *Si appropiavit tempus noſtrum, moriamur in virtute*, &c. quid quæſo dicet ad ſimiles ſancti Martini apud Sulpitium, S. Ambroſii apud Paullinum, aliorumque ſanctiſſimorum virorum ante mortem, ſententias? Nonne eumdem in modum quotidie pii Chriſtiani loquuntur, cùm ipſis à medico denũtiatur præparatio ad mortem? Invenio igitur in illis Judæ verbis conſuêtam ipſi conformationem voluntatis ſuæ cum divinâ: tantùm abeſt, ut vitium ullum, aut ſuperſtitioſam fati credulitatem agnoſcam. Niſi fatum interpretêre ad Boëthii mentem lib. 4. de Conſ. *Fatum*, inquit, *eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam divina Providentia ſuis quæq; nectit ordinibus.* Hoc ſenſu fatum Chriſtiani philoſophi agnoſcunt, Tol. lib. 2. Phyſ. c. 6. q. 11. Suarez Metaph. diſp. 19. num. 9. Conimb. lib. 2. Phyſ. c. 6. qu. 1. aliique: imò & Stoïci ipſi Pagani, eorum ſaltem nobiliſſimi quique, ut in Tractatu de bona voluntate diſſerimus. Eâ, credo, ſententiâ religioſiſſimi Judæorum Eſſeni fatum rerum dominum credidêre, id eſt, Providentiam magiſtram univerſi, ac rectricem ſingulorum. Ad eum modum ultrò fateor Machabæum hîc loqui, cùm dicit, *Si appropiavit tempus noſtrum, moriamur*: quaſi dicat ſuum illud: ſi Deo placitum eſt, ut moriar, lubens decreto Domini ſervus aſſentior: *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.*

Judas Chriſti figura.

Inſpice in hoc extremo actu Machabæi perfectam Chriſti JESU imaginem. Bacchides dux, & profanus Pontifex Alcimus, adversùs Judam armantur: Pilatus & Caïphas adversùs Chriſtum. Deſertus à ſuis Judas: deſertus Chriſtus. *Confractus & diſſolutus corde* Judas; Chriſtus *cæpit pavere & tædere.* Judas intuitu voluntatis divinæ dicit, *Si appropiavit*, &c. Chriſtus dicit Patri, *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Judas dicit, *Si appropiavit tempus, moriamur*: Chriſtus dicit, *Appropinquavit hora*, &c. Judas in lamentatione vocatur *potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël*: Chriſti id proprium nomen eſt atque officium, *ſalvare.* De Juda

dicitur,

dicitur, *non eſſe deſcripta* omnia ejus facinora, *multa enim erant valdè;* de Chriſto ſcribit Joannes, *multa alia ſigna* feciſſe Chriſtum, quæ *ſi ſcribantur per ſingula*, mundus libris impleatur. Iſta tibi in anteceſſum repræſento, fuſiùs poſtmodùm Excurſu toto daturus Chriſti patientis ac morientis imaginem, in Juda poſtremo prælio occumbente.

Occiditur, ſepelitur, lugetur.

℣. 11. uſque ad 23. ET MOVIT EXERCITUS DE CASTRIS, &c. Deſcribitur prælium, mors, ſepultura Judæ. Vix quidquam toto textu obſcurum occurrit. Verſ. 11. *Movit exercitus de caſtris*, intellige de Syrorum exercitu, cui obviàm progreditur Judas. Verſ. 12. *Legio* Græcè eſt *phalanx*, Macedonico ſcilicet more: ſignificatur autem hîc, & ipſa fuiſſe ſinuata ac protenſa ad utrumque cornu. Verſ. 16. *Qui in ſiniſtro cornu* erant, dicuntur *ſecuti poſt Iudam:* Græcè eſt ſignificanter, ſecuti ſunt κατὰ πόδας, ſecundùm pedes Judæ: hæſerunt itaque ejus veſtigiis, & ſubſecuti ſunt, Auguſtini phraſi, *pedem poſt pedem.* Verſ. 19. quod dicuntur *cæteri* diffugiſſe, videtur etiam de Simone ac Jonatha intelligendum: quos Joſephus non improbabiliter narrat, impetrâſſe aliquas à Bacchide inducias, ad Judæ corpus ſepeliendum. Verſ. 22. ubi nos habemus *virtutum*, Græcè eſt ἀνδραγαθιῶν, *virilium facinorum:* & pro *magnitudinis ejus*, Græcè eſt, *magnitudinis eorum*, ſcilicet virilium facinorum. De ſepultura Judæ, planctu ac luctu de ejus morte, vide quæ ad capitis ſecundi calcem ſcripſimus, ubi de Mathatiæ obitu. Elogia, & Epitaphium Judæ, ſi legere lubebit, vide Salianum anno ante Chriſtum 159.

Fama Judæ Machabæi.

Tanta autem ejus herois virtus ac fama modò eſt apud Chriſtianos, ut Judas Machabæus noo tam hominis ſit nomeo, quàm fortitudinis. Inſculptum tumulo Balduini Hieroſolymorum Regis, poſt Godefridum Bullonium fratrem primi, hoc Epitaphium,

Rex Baldewinus Judas alter Machabeus,
Spes patriæ, vigor Eccleſiæ, decus utriuſque:
Quem formidabant, cui dona, tributa ferebant,
Cedar, & Ægyptus, Dan, & homicida Damaſcus:
Proh dolor, in modico clauditur hoc tumulo.

Non parùm etiam facit ad laudem illuſtriſſimi Herois, quòd aliqui nomen Judæorum toti Iſraelitarum genti communicatum aiunt, à Judæ Machabæi oomine: in iis qui hoc ſentiunt eſt Ambroſiaſter in epiſt. ad Romanos, cap. 1. *Iudæi*, inquit, *ex tempore Iudæ Machabæi dici cœperunt, qui in cauſſa cladis reſtitit ſacrilegiis Gentium.* Scio tamen ortum Judæorum nomen à tribu Juda, idque ante Judæ Machabæi tempora jam fuiſſe uſitatum: cùm multas de Judæis literas illo antiquiores recenſeat Joſephus lib. 11. & 12. & in ſacris libris Machabæo anterioribus id nomen celebretur, verbi cauſſa Eſdræ primo ac ſecundo, ac ſæpiſſimè in hiſtoria Heſtheris. Certius & illuſtrius longè ad laudem Machabæi elogium, quod Ambroſius lib. 5. Off. cap. 41. intexuit: *Quia*, ioquit, *fortitudo non ſolùm ſecundis rebus, ſed etiam adverſis probatur, ſpectemus Iudæ Machabæi exitum. Is enim poſt victum Nicanorem Demetrii ducem, ſecurior adversùs viginti millia exercitûs Regis, cum nongentis:* irrepſit vel errore memoriæ, vel mendo librarii, numerus iſte pro octingentis: *viris bellum adorſus, volentibus ſuis cedere, ne multitudine opprimerentur, glorioſam magis mortem, quàm turpem fugam ſuaſit. Ne crimen*, inquit, *noſtra relinquamus gloriæ. Itaque commiſſo prælio, cùm à primo ortu diei uſque in veſperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validiſſimam manum advertit hoſtium, aggreſſus facilè avertit: ſed dum fugientes ſequitur, à tergo vulneri locum præbuit. Ita glorioſiorem triumphis mortem invenit.* & diutiſſimè vixit, quia optimè mortuus eſt, victurus æternùm, vir maximus. Cui jam in cælis cum Chriſto triumphanti me, meóſque, ac mea commendo: ejus jam inde à teneris adeò conſtans admirator, & cultor; ut quatuor decennis puer benè longum de ipſo drama poëticum ſcripſerim, ab æqualibus Rhetoricæ ſtudioſis in ſcena dandum.

℣. 23. uſque ad 28. ET FACTUM EST, POST OBITUM JUDÆ, &c. Narratur, quid à morte Judæ contigerit: impios Judæos, qui vel occultaverant ſe ejus metu, vel pietatem ſimulârant, larvâ depoſitâ ſe protuliſſe: penuriam annonæ exortam Judæâ totâ, locáque omnia munita Bacchidi dedita, & in iis collocatos impios: inveſtigatos undique ac vexatos pios: ſummam denique Iſraelitis incubuiſſe calamitatem. In textu plana ſunt omnia, præterquam verſ. 24. ubi dicitur fames oborta, *Et tradidit ſe Bacchidi omnis regio eorum cum ipſis;* Græcè obſcuriùs, αὐτομόλησεν ἡ χώρα μετ' αὐτῶν, *ultrò venit*, ſeu, *dedidit ſe regio cum ipſis.* Quinam iſti ſunt, quibuſcum dicitur ſe regio dediſſe? Indubium, quin intelligantur impii, de quibus verſu ſuperiore, quibus ad Bacchidem deficientibus, ſecuta paſſim Judæa tota eorum exemplum, ut tuti nihil fratribus Judæ & amicis remaneret.

Calamitates mortem Judæ ſecutæ.

Quæres, quomodò facta tunc dicatur *tribulatio, qualis non fuit ex die, qua non eſt viſus propheta in Iſraël:* id eſt à temporibus Aggæi & Zachariæ, qui ſub reædificationem Templi per Zorobabelem prophetârunt? An ergo ea Bacchidis perſecutio major fuit, quàm quæ inſtituta ab Antiocho Epiphane? Reſpooderi poſſit primùm, majorem fuiſſe; nam amici Judæ, ubivis comprehendi poſſent, poſt ludibria necabantur ad unum omnes; ita Joſephus, ultionem & vindictam de amicis Judæ ſumptam; interpretans eorum cædem. Reſpondeo ſecundò: majorem dici perſecutionem & tribulationem, non quia crudelior fuerit; ſed quia periculoſior. Epiphanes enim apertè ſæviebat; Bacchides occultiùs. Epiphanes paſſim in Judæos graſſabatur: Bacchides petebat capita religionis: ut ducibus deſtituti Judæi, facilè, & abſque ſanguine, ſub priſtinum exterorum jugum redirent, & paullatim à patriis legibus ad impiam idololatrarum ſuperſtitionem delaberentur.

Quo ſenſu maxima fuit Judæorũ per Bacchidem perſecutio?

Hunc locum Rabanus myſticè accommodat damnis, quæ plebi fideli ingruunt, amiſſis doctoribus, vel ſubtractâ ſacrâ doctrinâ. *Illa*, inquit, *pravorum infeſtatio, quæ poſt obitum Iudæ inquietavit filios Iſrael, myſticè ſignificat, quòd, ablatis bonis Doctoribus, diſpendium non minimum fideles ſentiant auditores: cùm occaſione perceptâ, non ſolùm Pagani, ſed etiam Hæretici gravibus perſecutionibus fatigent Eccleſiam Dei. Hinc Paullus, Hieroſolymam profecturus, convocatis majoribus Epheſiorum inter alia dixit: Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos*, &c. Ita ad ℣. 23. & ad ℣. 24. *Fame obortâ*, inquit, *tradidit ſe Bacchidi omnis regio; quia deficientibus prædicatoribus; propter famem verbi Dei, unde animæ ſaginari debuerant, quidam tormentis coacti, quidam verò vanis ſuaſionibus illecti, de Eccleſiaſticorum numero tradunt ſe Gentibus. Sed & ſpiritales nequitiæ, quæ antiqui hoſtis deſerviunt voluntati; cùm viderint animas hominum pane verbi Dei carere, ſtudent eos in errorem mittere, & ad vitia pertrahere, quatenus de amicis Iudæ efficiantur præda Satanæ, & vaſa Deipabulum ignis æterni.* Ad ℣. verò 27. *Poſtquam*, inquit, *non eſt viſus Propheta in Iſraël, facta eſt*

Damna Chriſtianorum ex ſacræ doctrinæ defectu.

tribulatio magna, quia, ceſſante doctrinâ in populo Dei, peccatorum excrevit plaga, & inde in eos verberum proceſſit vindicta. Unde neceſſe eſt, ut Doctores Eccleſiæ ſint ſtudioſi ad docendum ſubjectos, & auditores ſint intenti ad audiendum verbum Dei. Hinc quoque per Salomonem dicitur Prov. 13. Doctrina bona dabit gratiam: labia autem ſapientium cuſtodiunt eos.

Neceſſitas benè dicendi verbi divini.

Iſta aptè Rabanus, qui addere potuit Iſaïæ c. 3. Deum Tribui Judæ extrema comminantem, inter alia & iſtud minari, fore ut auferat ab eis *prudentem eloquii myſtici*, id eſt, hominem qui populo ſalutarem de vitiis ac virtutibus doctrinam explicet, eumque ad meliora hortetur. Officium enim illud Prophetarum fuiſſe præcipuum, conſtat ex Prophetis ipſis, qui priùs diſêre, & maximam partem audiente populo, quàm ſcripsêre. Secutus Prophetas in eo officiô antecurſor Chriſti Joannes Baptiſta, imò ipſe Dei Filius, qui Apoſtolos deinde ſuos ad idem deſtinavit; tum ante mortem, cùm eos miſit concionatum; tum poſt mortem, cùm juſſit docere omnes gentes: & verò Apoſtoli, memores præcepti Dominici, judicarunt ſe non debere relinquere verbum Dei & miniſtrare menſis, Act. 6. Ideoque forſan dicere ſolitus B. Alexander Luzzagius Brixienſis, Concionatorum monos eſſe omnium ſummum. Apoſtolorum ſucceſſores *Epiſcopi*, *præcipuum* id ſuum eſſe *munus* agnoſcunt, ex Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. Bernardus ſerm. 18. in Cant. ſapientis cujuſlibet munus eſſe vult, aitque talem, qui ſilet cùm loqui poteſt, *rem populi retinere ſibi, & verbum bonum, quod poſſet prodeſſe multis, inutili, imò damnabili, ligare ſilentio*: eique iſtud accommodat: *Maledictus, qui frumenta abſcondit in populis.* Quomodò enim ſuppreſſis frumẽtis fames publica oritur, & tradit ſe Bacchidi omnis regio: ita ſuppreſſo pabulo verbi Dei, emaciatæ fidelium animæ diabolo reſiſtere non poſſunt, eique ſe addicunt. Ob eam doctrinæ publicæ pro corrigendis moribus neceſſitatem, Apoſtolorum æmulatione, philoſophos ſub eadem tempora concionabundos orbem obiiſſe, obſervat Baronius anno 75. num. 6. in exemplo Apollonii, Dionis Pruſæi, Damidis, aliorumque: & ibidem narrat, Diogenem juniorem, quòd populum Romanum in theatro objurgâſſet, & contumeliis vexâſſet, Romæ virgis cæſum: alium, qui eamdem in populum dicendi libertatem ſibi ſumpſerat, capite plexum.

Et benè audiendi.

De Philoſophorum hortatoriis orationibus, Romæ haberi ſolitis, vide Senecam epiſt. 38. 40. & aliis, ſed præſertim 108. ubi de ſe narrat ipſe, quantum ejuſmodi exhortationibus audiendis profecerit, docetque, quo fine ad eas veniendum. Certè non ſufficit benè & bona dici, niſi benè audiantur: nec ſatis eſt adeſſe *prudentem eloquii myſtici*, niſi habeat *prudentem auditorem*, quomodò iſtum Iſaïæ locum legerunt Septuag. Interpretes. De Concionatoris officio non inutilia quædam Prolegomenon ſect. 6. De Auditore hoc ſummatim dixero, tria ab ipſo poſtulari, Intentionem, Attentionem, Retentionem: quæ Chriſtus iſtâ ſententiâ indicavit Luc. 8. *In corde bono & optimo, audientes verbum, retinent.* Sit cor non bonum tantùm, ſed etiam optimum; intentione optima accedatur, ad animæ ſalutem. O quàm multorum ſalus ex unica concione pependit! Audit Firmus Manichæus Auguſtinum, & quidem in ſermonis curſu aberrantem; ipsâ tamen aberratione convertitur, Vitæ D. Aug. cap. 15. Simile quid accidiſſe Epiſcopo Genevenſi concionanti narrant Vitæ ſcriptores. Duos recito: ſed innumeros in cælo videbimus, quibus fides ex auditu communicata, & virtutes fidei convenientes. Quære itaque bone auditor, & ſalutis tuæ ſtudioſe, conciones ubi maximè juvêris: cibum elige, non qui palatum titillet, ſed alat: ignem ama, non qui clariùs luceat, ſed qui meliùs calefaciat: verbum Dei, quod in Theſſalonicenſibus commendabat Paullus, accipe, non ut hominum verbum, ſed ut verè eſt verbum Dei. Ideò junge attentionem intentioni: audi verbum attentè, & patienter: audi non aure tantùm, ſed *corde*, ut Chriſtus vult: tam precioſum ſemen noli perdere. Auguſt. hom. 26. querebatur de puellis confabulantibus, dum concionabatur; dicebatque excipiendum ſimili reverentiâ verbum Dei & Corpus Chriſti: inaures ſe præbere illis & dextrariola, cùm ad benè agendum hortaretur, &c. Idem conc. 2. in pſ. 32. *Et in annuntiando*, inquit, *& in audiendo verbo veritatis, labor eſt. . . . In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Si panis noſter eſt verbum Dei, ſudemus in audiendo, ne moriamur in jejunando.*

Quomodò retinẽdum?

Auditum ſequatur retentio duplex; in memoria, ſi poteſt; in manu præſertim, quando poteſt, & ad conditionem noſtram ſpectant, quæ dicta ſunt. Chriſtianus enim D. Juſtino non eſt φιλόλογος, amator verborum; ſed φίλεργος, amator operum. In ſententiis Rabbinorum cap. 5. dicit quidam quatuor eſſe auditorum genera: dolii pertuſi inſtar, perefluentis: ſpongiæ inſtar, liquores omnes trahentis: cuppæ inſtar, ſolas ſibi fæces ſervantis: cribri inſtar, furfur à farina ſeparantis. Quatuor itidem genera auditorum Chriſtus in Evangelio recenſet; ſimus de quarto, eorum qui *retinent*, & retinendo *fructum afferunt*. De Utilitate verbi divini vide Proleg. ſect. 4. & 5.

Jonathas Judæ ſufficitur.

℣. 28. uſque ad 35. ET CONGR. SUNT OMNES AMICI JUDÆ, ET DIXERUNT JONATHÆ, &c. Non immoror in explicando textu, ubi explicatione opus non eſt. Narratur electio Jonathæ, in locum Judæ, per reliquos ejus amicorum facta, repugnante nemine. Intellige itaque, quomodò Judas non Dux populi ſolùm fuit, ſed & Pontifex, ita Jonathan ei in utroque munere ſucceſſiſſe, licèt hoc loco *Principatus* ſolùm, ſeu, ut Græcè eſt, *Ducatus* ἡγήσις memoretur.

Quanti bonus Prælatus.

Non abs re eſt, quod Liranus notat: in ſubſtitutione Jonathæ loco defuncti fratris, ſignificari, poſt mortem boni Prælati ſolicitos eſſe debere electores, ut ſufficiatur qui Jonathas ſit, id eſt columbæ donum, ſeu gratia Spiritus Sancti plenus. In eo item, quod Bacchidea quærebat occidere Jonathan, notat diaboli conſuetudinem, Prælatum quærentis ſubvertere. Sublato enim capite, facilè corpus totum diſſipatur, &, ut Chriſtus loquitur, percuſſo paſtore diſperguntur oves gregis. Refert hic ſtratagema Syrorum, quibus à Rege ſuo imperatum, prælio in Ramoth Galaad, ut Regem Iſraëlis ſolum peterent. 3. Reg. 22.

Oratio & lacrymæ in malis publicis.

Piè monet Rabanus, Prælatis Eccleſiæ ingruente perſecutione ad ſolitudinem orationis, & ad compunctionis lacrymas, eſſe fugiendum: id ſignificari fugâ Jonathæ in ſolitudinem *Thecue*, & commoratione ad lacum *Aſphar*, ſtatim atque in Judæ locum ſuffectus eſt. Quam tropologiam ſi extendere volueris interpretatione nominum: nota *Thecue* ſignificare *Spem* aut *Funiculum*; non verò tubam vel clangorem, quomodò Rabanus: *Aſphar* verò deduci meliùs poſſe à *congregando*, quàm à *fodiendo*, quod volebat Rabanus. Jonathas noſter ſpiritualis, Bacchide inſtante, confugiat ad orationem, quæ *Thecue*, id eſt *Spei* firmamentum

eſt,

eſt; clamat ad dominum, & ipſe exaudiet eum: oratione utatur, quæ inſtar eſt *funiculi*, quo ſuaviter attrahitur miſericordia divina ad nos, & ligatur ejus juſtitia ne nos percutiat, ut diximus Excurſ. 2. ad cap. 3. ſect. 1. num. 5. Conſideat item ad lacum *Aſphar*, exitum aquarum deducant oculi ejus, fleat ubertim, donec *congregetur* in miſerationibus Domini plebs perſecutionibus diſſipata. Quid ſi ad eas compunctionis lacrymas ſpectat iſtud Cant. c. 7. *Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon*?

An ſolitudo Thecuæ, & lac' Aſphar, ad urbem Thecuam?

At quæ Thecuæ ſolitudo? Quis lacus Aſphar? Difficile eſt loca deſignare, paucis præeuntibus, & iis quidem haud ſcio an rectà. Joſephus l. 13. Antiq. cap. 1. dicit, Jonathan refugiſſe in ſolitudinem, urbi vicinam, & ad lacum Aſphar: ſolitudinis nomen ſilet. Adrichomius deſertum Thecuæ collocat trans urbem Thecuam, quæ ab Hieroſolyma aberat ſexto lapide: lacum autem Aſphar ponit trans illud deſertum: eamdémque opinionem amplectitur Bonfrerius in Onomaſtico. At ſi loca iſta tam propè ab Hieroſolyma abfuêre, quomodò putârunt Jonathas & Simon ſe ibi tutos fore, totâ paſſim regione Bacchidi jam deditâ? Cur Bacchides, eos quærens, abit ad ripam Jordanis, longè ab iis locis? Quo pacto inde ad Nabuthæos uſque mittitur Joanoes, pro quærendo apparatu? Quî fieri potuit, ut tam remoti à Madabenſi civitate, occuparent tamen ſilentio nuptialem Madabenſium comitatum? Haſce rationes, eamque præſertim locorum diſtantiam conſideranti, difficilis, opinor, videbitur Adrichomii & Bonfrerii topographia. Abeſt enim Thecua horis ab Jordane fermè tredecim: Madaba Jordani & torrenti Arnon interjacet, huic propior. Nabuthæi trans Arnon colunt. Quæ Thecuæ convenientia ad Nabuthæanum iter, expeditionem Madabenſem, prælium trans Jordanem?

Lacus Aſphaltites.

Liranus de ſolitudine Thecuæ nihil divinat: ſed de laco *Aſphar*, eum eſſe dicit qui *Aſphaltites* à profanis appellatur; in Scriptura *Mare ſalis & ſalſiſſimum*, ab exquiſita ſalſedine; vulgò *Mare mortuum*, protenſum à campis Hierichuntinis ad Idumææ Auſtralis montes: in quo Jordanis, ad radices Antilibani gemino fonte exortus, & per aquas Merom ſeu Samachonitem lacum, ac Geneſarenum mare, Regiamque & illuſtrem vallem lapſus, aquas ac nomen amittit.

Non eſt lacus Aſphar.

Liranum decepit affinitas nominum Aſphar, & Aſphalti. Sed non attendit Aſphar Hebræum eſſe: Aſphaltiten autem lacom dici ab aſphalto, quod Græcè bitumen eſt. Adde, Jonathan cum copiis ad Aſphaloten lacum commodè conſiſtere non potuiſſe: obi ſterilia paſſim omnia, & cælum grave ac noxium. Nullo itaque modo admittenda eſt conjectura Lirani, tam malè fulta.

An Thecue hic ſit Taphue?

Suſpicabar ego, hoc loco pro deſertô Thecue, vel Θεκωέ, Thecôe, ut Græcè habetur, reponi poſſe Taphue. Meminit certè Joſephus terræ Taphuæ, quam ait protendi uſque ad Jordanis campeſtria, aitque montes habere altiſſimos. Meminit & fontis ac torrentis Taphuæ: eadémque ſine dubio Taphua eſt, quæ Tribui Manaſſe aſſignatur, Joſue cap. 16. & 17. ubi etiam oominatur fons Taphuæ; unde potuit lacus aliquis effici, cui nomen Aſphar. Si conjectura iſta placuerit, oon erit laborandum in intelligendo, cur ad Jordanem Bacchides venerit, Jonathan quæſiturus; cur inde ad Nabuthæos miſerit Jonathas; quomodò Madabenſes interceperint. Taphua enim, Nabatha ſeu Nabutha, & Madaba, non ita diſſita ſunt, ut iſthæc omnia tantillo tempore cõmodè geri non potuerint.

Retinetur lectio vulgata.

Ita ſuſpicabar, ſuſpicionemque aliqui viri docti probaverant. Quia tamen non temerè admittenda eſt Scripturæ interpolatio: retenta lectione tum Latini tum Græci textûs; Joſephi ſententiam ſequamur licet, & dicamus cum Saliano, Ionathan ubi de Bacchide inſequente audivit, ex deſerto Thecuæ, & ab ripa lacus Aſphar; longiùs ab Hieroſolyma receſſiſſe ad Iordanem uſque, inde fratrem Joannem ex vicioo ad Nabuthæos miſiſſe, trans Iordanem in Madabenſes moviſſe, eò Bacchidem veniſſe, ibique commiſſum prælium.

Series hiſtoriæ.

Topographiam Adrichomö hac conjectura fulcit Salianus, nec caret probabilitate. Vero enim ſimile eſt, Jonathan ut primum Dux electus eſt, non longè ab Hieroſolymâ abfuiſſe: imò poſtquam electus eſt, & Bacchides eum quærebat occidere, procul recedere noo debuit, quò veteres amicos omnes, & piorum reliquias ad ſe poſſet colligere. Ut copias aliquas collegit, & Bacchidem cum victore exercitu ad ſe opprimendum venire intellexit, tum denique moviſſe credendus eſt, ut mutatione loci eluderet inſequentes, & ipſe morâ vires firmaret. Iſti explicationi, quam in ſerie hiſtorica ſecuti ſumus, hîc etiam inſiſtemus.

Bacchides Jonathan inſequitur.

℣. 34. Et cognovit Bacch. et die Sabb. venit ipse: et omnis exercitus eius, trans Jordanem: id eſt, cognito Jonathan cum ſuis certo loco conſtitiſſe, ita profectionem inſtituit, ut ſabbatho eſſet *trans Iordanem*. At, inquis, quorſum Bacchides jam trans Jordanem ire dicitur, cùm ex prælio infrà oarrato videatur non Bacchides modò, ſed & Jonathas cum ſuis fuiſſe cis Jordanem? Suſpicati ſunt quidam hoc loco *trans* poni pro *cis*: quomodò ſæpè *πέραν* ſumitur, imò & *Heber* Hebraïcum, noſtræ particulæ *trans* reſpondentia. Sed neceſſe non eſt, ut ad vitandam levem difficultatem, explicatione violentâ in graviorem incurramus.

Cur Jordanem tranſierit?

Retento igitur noſtro *Trans* in propria ſignificatione; dicamus Bacchidem cum exercitu trans Jordanem iviſſe: ſeu ut omnem fugæ, vel auxiliorum viam intercluderet Judæis, quomodò dicit Salianus: ſeu ut confluentem illuc militem reciperet, quomodò ait Joſephus. Ego exiſtimârim, & ad colligendum ex præſidiis militem, & ad impedienda hoſtibus auxilia, & ad ſocios firmandos, Bacchidem Jordane tranſmiſſo in Jonathan duxiſſe. Erant enim procul dubio in extremis illis Judææ finibus, hac rerum ſubitâ converſione, multa collocata præſidia Syrorum, unde copiæ non modicæ ad augendum exercitum deduci poſſent. Nec credendus eſt Bacchides ignorâſſe Nabuthæos Arabas Jonathæ amicos eſſe, unde ad impedienda eorum auxilia trans Jordanem ire debuerit. Sciebat præterea, Madabenſes partibus ſuis favere: quos, ne cauſâ ſuâ aliquid à Jonatha paterentur, imò ut pro ſe aliquid auderent, acceſſu ſuo animare & tegere voluit.

Locus prælii cum Bacchide.

Quod verò objicitur, de prælio cis Jordanem commiſſo, non video cur neceſſe ſit admittere: imò mihi probabilius eſt, trans Jordanem pugnatum. Jonathas enim infrà narratur, cæſis Madabenſibus, ſe ad Jordanis ripam recepiſſe: ripam utique ulteriorem, quæ Madabam reſpiciebat, non quæ Judæam ſpectabat, id eſt citeriorem. Ad eamdem oram dicitur Bacchides veniſſe cum exercitu magno. Tranat Jonathas, & in Judæam interiorem, quæ ſanè tota Syrorum præſidiis non tenebatur, recipit ſe cum ſuis: interim dum diverſo itinere Bacchides exercitum cis Jordanem reducit, forſan viâ Jerichuntinâ, cùm munitionem Jericho reſtituiſſe dicatur verſu 50.

Jonathas fratrem Joannem ad Nabuthæos mittit.

℣. 35. Et Jonathas misit fratrem suum, Joannem, ut exprimitur infrà ℣. 38. ducem populi, Græcè, ἡγούμενον τοῦ ὄχλου, *qui ducebat populum*; ut indicari videatur, Joannem in eo ipſo itinere ad Nabuthæos populi ducem fuiſſe, ſeu duxiſſe ſecum turbam aliquam, neceſſariam in eum finem ad quem mittebatur. Finis autem itineris erat, ad rogandum *Nabuthæos amicos ſuos*, de quibus cap. 5. verſ. 25. *ut commodarent illis apparatum ſuum, qui erat copioſus*. Plana ſunt verba textûs noſtri, & aperta ſententia, ac tempori convenientiſſima. Exagitati enim à Syris pii Judæi, ſpoliati, domo expulſi, apparatu bellico carebant, cumque ſibi imminere *Bacchidem* viderent, ex vicino petunt ab amicis.

Firmatur lectio Vulgatæ verſionis.

Difficultatem tamen aliquam facit textus Græcus, qui pro, *ut commendarent*, habet παραθέσθαι, quod Interpres Regius vertit, *ut commendarent*. Ut ſenſus ſit: à Jonatha miſſum Joannem ad rogandum Nabuthæos, ut apud ſe vellent deponi impedimenta Judaïcarum copiarum. Eumdem ſenſum expreſſit Ioſephus, ac Tigurina verſio, &, quod mirère, Salianus Ioſephi perpetuus caſtigator. Retinendam tamen lectionem noſtram, ipſa res loquitur. Quis enim credat, victos ac ſpoliatos pios Iudæorum, & undique finibus pulſos, in tam præcipiti ac tumultuaria fuga ita impedimentis abundâſſe, ut *apparatus copioſus* vocari poſſint, & longè avehenda ſint ad ſecuritatem? Nec movere nos debet vox Græca παραθέσθαι, quæ & *deponere* ſignificat, & *apponere*, id eſt *committere*. Debuit ergo Interpres Regius hunc locum vel exprimere ut Vulgata noſtra, quemadmodùm fecit Nobilius, vel ſaltem ſic efferre legitimâ ſententiâ: *rogavit Nabuthæos amicos ſuos apponere* ſeu *committere illis*, Ioanni, & turbæ Iudæorum cum ipſo profectæ, *apparatum*, &c.

Tropologiam apparatûs ab Arabibus commodatò Ionathæ dati, vide Prolegomenon ſect. 6. num. 5. ubi diximus, poſſe ſacrum Eccleſiaſten de profanis quædam commodè mutuari, & quatenùs.

Quæ Madaba?

℣. 36. Filii Jambri. Sic etiam habetur in Sixtinis Græcis: alii legunt *Zambri*: Græca Regia habent *Ambri*, Ioſephus *Amarei*. Iudæine transfugæ fuerint, an alienigenæ, ſeu Arabes, ut indicat Ioſephus, non conſtat. *Exierunt* illi *ex Madaba*, ſeu, ut Græcè, *Madaba*, aliàs *Medeba* urbe olim Ammonitarum, poſteà Amorrhæorum in ſorte tribûs Ruben: *& comprehenderunt Ioannem*, eumque occiderunt, ut apertè colligitur ex verſu 42. & deprædati *omnia quæ habebat*, *abierunt habentes ea*.

In reditu ex Nabuthæis occiſus Joannes.

Cùm iverit Ioannes ad Nabuthæos pro apparatu ſumendo, ut ſuperiori verſu probavimus; dicendum etiam videtur, Iambritas in eum à Nabuthæis reducem invaſiſſe. Ivit enim ad Nabuthæos vacuus, redivit onuſtus. Longè igitur credibilius eſt, Iambritas cupiditate prædæ, forſan & ut Bacchidi gratificarentur, in Ioannem impetum feciſſe, cùm impeditus eſſet, bellico apparatu ad fratres revehendo. Id ipſum indicat textus noſter, cùm dicit, ablata *omnia quæ habebat*: putamus autem eundo nihil aut perparum habuiſſe, multum redeundo.

Providentiæ divinæ ars.

Adverte hîc Providentiæ divinæ ductum mirabilem, quæ omnia penè humana auxilia Ionathæ ſubtrahit Principatûs ſui exordio: ut diſcat, exemplo fratris ſui Iudæ, jactare cogitatum in Domino; ut poſtquam confirmatus ejus Principatus fuerit, nihil ſibi nimiùm tribuat, memor à quàm tenuibus initiis illum inceperit.

Vindicta de filiis Jambri.

℣. 37. uſque ad 42. Post hæc verba, nuntiatum est, &c. Intuêre hîc inſigne divinæ Iuſtitiæ exemplum: & ſimul voluptatum vanitatem, ſocietatémque gaudii & luctûs. *Poſt hæc verba*, id eſt poſt hoc factum, locutione Hebraicâ, cujuſmodi ſcatet hic liber, ut ſæpè monuimus: audiêre Ionathas & Simon, *quòd filii Iambri faciunt nuptias magnas*, id eſt valdè celebres, & cum magno ſtrepitu; ac pompa, quæ in Vulgata dicitur *ambitio*, in Græcis παραπομπή.

Madaba hoc loco an Nabatha?

Et ducunt sponsam ex Madaba. Græca Sixtina habent *Nadabath*: Regia *Nabadath*, Ioſephus *Gabadath*. Cùm filii Iambri Madabenſes videantur fuiſſe, & aliunde petiſſe ſponſam, quandoquidem non cum pompâ ſolùm, ſed & cum armis eam deduxerint, conſequens erit eam ex *Madaba* non fuiſſe, & pro ea, vocem *Nabadath* reſtituendam, aut, ut ſuſpicor, *Nabatha* vel *Nabath*. Cùm enim Nabatha, ſedes Nabuthæorum Ionathæ amicorum, circiter itinere bidui à Madaba abfuerit, facilè inde ſponſa potuit peti, & à Nabuthæis ipſis Ionathas ac Simon moneri de apparatu nuptiali.

Defenditur lectio Vulgatæ.

Si tamen lectionem Vulgatam tueri mavis, dicere poteâ: vel moris forſan illic fuiſſe, ut ſponſæ virorum principum cum pompa, imò & apparatu bellico, circumducerentur: vel Iambritas Madabenſes quidem fuiſſe, ſed ſponſum habuiſſe ſedem in caſtro vicino, quò ſponſam ex urbe Madaba educere cum magno comitatu ac celebritate voluerit. Dicitur ea ſponſa *filia unius è magnis principibus*, ſeu magnatibus, Græcè μεγιστάνων, *Chanaan*, nomine Chanaan ſumpto generatim pro alienigena gente, ut non rarò fit in Scriptura. Alioquì Madaba, & vicinæ regiones, non à Chananæis, ſed ab Amorrhæis, & Arabibus tenebantur: unde etiam Ioſephus hanc ſponſam facit filiam Principis cujuſpiam Arabum.

Quò ſe Jonathas receperit?

Cætera hujus hiſtoriæ aperta ſunt. Memor eſto ſolùm ad verſ. 42. eorum quæ diximus de vindicta publica cap. 2. ℣. 67. In eodem verſu 42. nota, quod in textu noſtro eſt, *oram Iordanis*, in Græcis Regiis eſſe εἰς τὸ ὄρος, cùm legendum potiùs fuiſſet, εἰς τὸν ὅρον, *ad limitem Iordanis*. Græca Sixtina habent τὸ ἕλος, quod Nobilius vertit *ripam*: Ioſephus intelligit loca paludoſa ad Iordanis ripam; quò ſcilicet Ionathas ſeſe ad majorem ſecuritatem receperat, ſicut antè ad lacum Aſphar.

Series hiſtoriæ.

Salianus hîc meritò ſugillat Ioſephi errorem, qui, contra diſertam Scripturæ ſententiam, dicit cæſum omnem à Iudæis Iambritarum comitatum. Quomodò ergo refugerunt *reliqui in montes*, ſi omnes cecidêre? Notari etiam potuit error ejuſdem, iſtam in Madabenſes expeditionem poſtponentis certamini cum Bacchide. Cùm tamen manifeſta ratio ſuadeat, ordinem Scripturæ non mutandum: & illa ipſa expeditio videatur occaſionem Bacchidi dediſſe accelerandi certaminis, ut mox indicatur.

Bacchides movet in Jonatham.

℣. 43. uſque ad 50. Et audivit Bacchides, et venit die Sabbathorum usque ad oram Iordanis, &c. Audita expeditione Ionathæ in Madabenſes, veritus ne morâ convaleſceret, advolat ad eum comprimendum, *in virtute multa*, cum magnis copiis. Erat Bacchides trans Iordanem, ut ad verſum 34. diximus: *oram* ergo *Iordanis*, ad quam dicitur Bacchides veniſſe, interpretor non citeriorem, ſed ulteriorem in tribu Ruben & Moabitide, & ad eamdem reor conſtitiſſe Ionathan, ibidemque pugnatum. Venit autem Bacchides ſabbatho adversùs Ionatham, ut eum incautum opprimat, forſan etiam, ut inquit Ioſephus, ratus

cum

eum non repugnaturum propter diei religionem; quamquam Iudæi jam à pluribus annis eo ſcrupulo, ſuperſtitioſáve obſervatione, per Mathathiam erant liberati.

Jonathas ſuos hortatur.

Jonathas ubi hoſtis adventum ſenſit, ſuos ad pugnam animat ex deſperatione fugæ: ℣. 44. & 45. *non eſt enim*, inquit, *hodie, ſicut heri & nudiuſtertius*, id eſt Hebraiſmo, ſicut nuper, cùm eſſemus in deſerto Thecuæ, vel Taphuæ, & poſſemus declinare certamen loci mutatione: nunc verò *ecce bellum*, id eſt, copiæ hoſtiles, *ex adverſo*, Græcè *ex adverſo, & à tergo*, intellige à fronte hoſtem incubuiſſe, & à lateribus: *aqua verò Iordanis hinc & inde*, etſi enim ad unam tantùm ripam Iordanis eſſent, quia tamen ſinuoſus eſt fluvius, ejus *aqua* erat *hinc & inde* ad utrumque latus flexa, *& ripæ*, *& paludes* ex amnis reſtagnatione, *& ſaltus*: *& non eſt locus divertendi.* Plus ergo hic indicatur quàm Ioſephus ſcribat, Iudæos clauſos fuiſſe à tergo amne, à fronte hoſtibus: fuêre enim etiam ab utroque latere cincti.

Concurritur.

Oratione itaque præmiſsâ, *commiſſum eſt prælium*: in quo Ionathas conatus *percutere Bacchidem*, quomodò Eleazarus Regem, Doſitheus Gorgiam, Soſipater Timotheum, Iudas eumdem Bacchidem: ſed cùm *divertiſſet ab eo retrò*, & in aciem ſuam ſe recepiſſet, ad eludendum impetum adverſarii; ubi id non ſucceſſit, *Ionathas* ſentiens imparem eſſe congreſſum, *diſſilit, & qui cum eo erant, in Iordanem*: additur Græcè καὶ διεκολύμβησαν εἰς τὸ πέραν, *& enataverunt ad ripam ulteriorem*, quæ ſcilicet reſpectu loci pugnæ erat ulterior, citerior tamen Iudææ, ut quidem poſuimus.

Dirimuntur acies.

Et transnataverunt ad eos Iordanem: quinam, & ad quos? An Bacchidæi ad Iudæos inſequendos, qui jam cum Ionatha enatârant? Ambiguitas tollitur textu Græco, in quo eſt particula negans, quæ videtur excidiſſe ex Vulgata: καὶ οὐ διέβησαν ἐπ' αὐτοὺς ἰορδάνην, *& non tranſierunt ad ipſos Iordanem*. Bacchidæi ſcilicet eâ parte non ſunt auſi inſequi Ionathan, ſed clade ſua contenti, *mille* enim *viri* ex eis *ceciderunt*, non bis mille ut malè Ioſephus, aliâ viâ *reverſi ſunt in Ieruſalem*; forſan tranſito ſupra Ierichuntem Iordane, ut indicavimus ad verſum 54. Dum interim Ionathas in terra Taphuæ, aut vicinis locis cum ſuis agit ſecurus, quandoquidem ſtatuerimus eum in citeriorem ripam evaſiſſe.

Natandi peritia publicè utilis.

Salianus exiſtimat, quoſdam è Ionathæ ſociis hauſtos fluctibus. Ego non putârim; cùm ejus jacturæ veſtigium in Scriptura non ſit: imò contrarium colligatur ex eo, quòd dicatur in textu Græco Jonathas, & qui cum eo erant, diſſiliiſſe in Iordanem, & enatâſſe. Ut intelligendum ſit, eodem omnes modo enatâſſe, quo diſſilierunt omnes in Iordanem: niſi confugiatur ad ſynecdochen valdè incommodam, & quam non facilè admiſero, pro aſtruenda jactura, cujus ne per umbram quidem ſacer Hiſtoricus meminit. An ergo ſocii ejus omnes natandi periti, ut in tam ſubito receptu enatarent? Primùm dicere poſſimus, quod in ſerie hiſtoriæ verbo indicavi num. 101. quoſdam è Iudæis natatu, alios vado tranſiiſſe: neque enim tam altus erat Iordanis, ut vadis careret, extra tempus meſſis, quo ripas implebat. At, inquis, nonne in Græco habetur disertè διεκολύμβησαν, *enataverunt*, quod dici non poteſt de iis qui tranſvadavêre? Reſpondeo, tribui hîc commodè poſſe per ſynecdochen omnibus, quod aliquibus tantùm convenit. Enatârunt aliqui Iudæi; omnes eâ figurâ dicuntur enatâſſe, licèt aliqui vadis non incognitis tranſierint. Adde etiam, per catachreſin, natandi verbum pro tranſvadando ſumi poſſe. Secundò dicamus, Iudæos Ion… ſocios in tam exiguo numero omnes ad unum habuiſſe natandi peritiam: quam in ſuis maximi Imperatores optârunt, ut rem ingentis momenti, non ad ſalutem modò, ſed ad victoriam.

Militiæ præſertim.

Quis neſcit, quantum terroris Proteſtantium exercitui intulerint trecenti de Caroli V. acie milites, qui Albim apprehenſis mordicùs gladiis tranſnatârunt? Hinc ſalubre monitum Scribani noſtri in Politico Chriſtiano, de docendis natatum tyronibus, præſertim ſi in eis locis pugnandum, ubi fluvii frequentes. Cui etiam Scribano eamdem ob cauſſam non placebat, adoleſcentes à balneis & fluviis prohiberi: niſi quando eſſet vitæ, vel caſtitatis, in natando periculum. At, inquis, nonne iſta natandi peritia gratis omnibus Ionathæ ſociis affingitur? Certè non gratis. Dicuntur enim *Ionathas, & qui cum eo erant*, enatâſſe: id verbum, ſi in proprio ſenſu accipere velis, neceſſe eſt natandi omnes peritos fuiſſe, cum enatârint omnes.

Præſidia à Bacchide munita.

℣. 50. uſque ad 54. Et ædificaverunt civitates munitas in Iudæa, &c. Dicuntur excitata, aut renovata paſſim, Bacchidis juſſu, in Iudæa præſidia, *ut inimicitias exercerent in Iſraël*, id eſt, ut hoſtiliter ſe haberent erga Iſraëlitas, eoſque opprimerent ſæviſſimo jugo, ſi præſertim aliqui Ionathæ amici ſupererant.

Iericho & Bethel quando munita?

Recenſentur varia loca, de quorum aliquibus diximus alibi, de *Ammao* ſeu *Emmaünte*, *Bethoro*, *Bethſura*, *Gazara*. Alia nondum occurrerunt. *Jericho*, nobiliſſima & notiſſima civitas palmarum, erat non longè ab Iordane in Benjamitica tribu: opinabar eam à Bacchide in reditu munitam, ibique poſitum præſidium. *Bethel* etiam urbs celebris, Luza antè dicta, Ierichunte Hieroſolymam tendentibus dextera erat, monti imminens & maximè opportuna præſidio: exiſtimo & hanc à Bacchide in reditu ſuo munitam.

Thamnata, Phara. Thopo quid?

Thamnata duplex eſt. Una Thamnatſaræ vocabulo nota, in Ephraitica tribu, decimo circiter ab Hieroſolyma lapide, in monte ſita, nobilis primùm ſepulcro Ioſue, tum toparchiæ nomine. Altera in tribu Danitica, propè à mari mediterraneo, ad quam leo à Samſone interfectus. Hanc Adrichomius exiſtimat à Bacchide munitam: ego illam malim, ſuadente ſitu & commoditate loci. *Phara* Adrichomio, imò & Ioſepho hæc eadem narranti, eadem eſt quæ Pharaton, in monte Amalec Ephraiticæ tribûs poſita: favet textus Græcus, qui *φαραθωνὶ* habet, quamquam unam videtur urbem facere ex duabus, & *Thamnatha pharathoni*. *Thopo*, ſeu, ut Græcè eſt in Sixtinis, *Tephon*, in Regiis *Tepho*, nuſquam alibi in Scripturâ memorata, ab Adrichomio etiam præteritur. Quid ſi legamus *Socho*, infra Hieroſolymam, quarto ab ea lapide, altero ab Emmaünte? Quid potius ſi *Thecuam* ponamus de qua ſuprà ℣. 33.? Certè Ioſephus pro *Thopo* hoc loco reponit *Thecoa* facili unius literulæ à *Thecuâ* deflexione. His igitur urbibus miliite & commeatu inſtructis, ad continendos & vexandos Iudæos, Bacchides, *accepit* prætereà *filios principum regionis*, primorum è Iudæis, *obſides*, *& poſuit in arce in Ieruſalem in cuſtodiam*, ne quando eorum parentes Ionathæ ſe auderent conjungere, metu amittendorum liberorum.

Alcimus muros quoſdam Templi diſturbandos curat.

℣. 54. uſque ad 57. Et anno centesimo quinquagesimo tertio, &c. Pſeudo-Pontifex Alcimus, anno toto à morte Iudæ circumacto, compoſitis per Bacchidem Iudææ rebus, præcepit deſtrui *muros domus ſanctæ*, ſeu *aulæ Sanctorum*

interioris, ut Græcè habetur, *& deſtrui opera prophetarum.* Murum hunc exiſtimat rectè Salianus fuiſſe eum, qui atrium Levitarum ab atrio populi ſecrevit, eratque altus cubitos tres. Eum videntur, inquit, Aggæus & Zacharias ædificandum curâſſe, adeóque *muri domus ſanctæ, & opera prophetarum* idem ſunt. Cur Alcimus iſtam demolitionem aggreſſus ſit, non video: niſi forſan profanus homo populo placere voluit, eumque in Templo cum Levitis miſcere.

Paralyſi percuſſus moritur.

Cœperant disjici muri, cùm repentè cælitùs *impedita ſunt opera ejus.* Nam ſubitâ paralyſi ita percuſſus eſt, ut *nec ultra potuerit loqui verbum, nec mandare de domo ſuâ*, id eſt providere familiaribus ſuis, & rei domeſticæ. Nec ſimplex fuit paralyſis, ſed gravis alius morbus acceſſit, cùm dicatur *mortuus in tempore illo cum tormento magno.* Tormentum autem illud à paralyſi eſſe non potuit, quæ nihil aliud eſt quàm diſſolutio nervorum, & indolentiam potiùs ſolet afferre: unde neceſſe eſt alterum morbum implexum fuiſſe, forſan & plures. Colligo item ex verbis illis, *in tempore illo*, quæ ponuntur cùm paralyſi percuſſus dicitur ℣. 55. & iterantur cùm mortuus narratur ℣. 56. colligo, inquam, quomodò ſubita fuit paralyſis, ita ſubitam, aut ſaltem properatam, mortem fuiſſe.

Pœnæ cum culpa proportio.

Obſerva in impii hominis morbo, & morte, miram culpæ & pœnæ proportionem. Sacrilegâ linguâ imperat violari muros Templi: linguæ uſu privatur. *Opera Prophetarum* & Sanctorum labores disjici jubet: paralyſi percutitur; ut, etſi ſuperſtes ſit, operari deinceps non poſſit. Peccat in domum Dei: de domo ſua mandare non poteſt. Torquet pios illo temerandi Templi conatu, quos antè exiliis, ac cædibus torſerat: moritur in tempore illo *cum tormento magno.* Eamdem comparationem ſcelerum & divinæ vindictæ animadvertere potuiſti ſuprà in morte Nicanoris, cujus blaſphema lingua, & ſceleſta manus, adminiſtra comminationum impiarum, ſpectaculum Judæis lætum, Infidelibus funeſtum, poſteris fructuoſum præbuêre. Similia habebis libro ſecundo in Menelai morte, qui in ſacros cineres impius cinerum ſupplicio extinctus eſt; & in aliis pluribus: ubi & de privatæ impietatis ſuppliciis divinitùs inflictis dicendum erit, nam de publica impietate dictum eſt Excurſu ad caput ſeptimum.

Diſcedit Bacchides: Judæa quieſcit.

℣. 57. Et vidit Bacchides, quoniam mortuus est Alcimus: et reversus est ad Regem: ſeu tam ſubitâ ſocii morte, & manifeſto divinæ vindictæ exemplo, perculſus, è Iudæâ ſe proripere voluerit: ſeu potiùs, eo mortuo, cui Pontificatum firmare venerat, ad Regem abierit, ut de rebus Judaicis deliberaret, & nova mandata acciperet. Per ejus interim abſentiam *ſiluit*, ſeu *quievit*, ut Græcè habetur, *terra* Judæa, ſeu ut Græcè eſt, *Iuda annis duobus*, Syris deſinentibus Jonathan, ſocioſque, ac pios Judæorum, perſequi.

Jonathas propè Hieroſolymam conſidet.

Ubi interim Jonathas egit? Putat Joſephus cum ſuis vagatum incertis ſedibus, quia tota paſſim regio præſidiis hoſtilibus tenebatur: ego, paullatim creſcente numero & fiduciâ, non tantùm certis locis habitâſſe, ſed etiam non longè ab Hieroſolyma conſediſſe, exiſtimârim. Certè verſu 58. diſertè dicitur *in ſilentio*, id eſt quietè *habitâſſe*, & *confidenter*: non ergo vagus fuit. Et verſu 62. dicitur Jonathas ſeceſſiſſe in Bethbeſſen, redeunte Bacchide, id eſt, longiùs receſſiſſe: ergo propè aberat ab Hieroſolymâ: quod etiam manifeſtiùs intelligitur ex textu Græco ejus verſus, qui, pro *ſeceſſit*, habet ἐξεχώρησεν, *ivit extra regionem*, ſupple Hieroſolymis viciniam: alioqui Bethbeſſen erat intra Jordanem, neque ab ipſa Hieroſolyma aberat toto itinere diei.

Bacchidem apoſtatæ in Judæam revocant.

℣. 58. uſque ad 62. Et cogitaverunt omnes iniqui, id eſt, apoſtatæ Judæi ἄνομοι, exleges, legis violatores; & eorum oſores atque hoſtes, qui legem ſervabant: ii ergo conſilium ineunt, de revocando poſt biennium Bacchide, ut ex diuturna quiete ſecurum cum ſuis Jonathan opprimat. Miſſi ex eis aliqui ad Bacchidem, *conſilium ei dederunt*: addit Joſephus, & prorſus credibile eſt, actum ab eis cum ipſo Demetrio Rege, de remittendo Bacchide: qui *ſurrexit ut veniret cum exercitu multo.* Sed quia exercitus tantus ſine ſtrepitu iter facere non poterat, ne illo excitatus ad ſibi cavendum Ionathas elaberetur, eum antè, quàm adventum ſuum ſentire poſſet, occupare conſtituit. *Miſit* itaque *occultè epiſtolas ſociis ſuis, qui erant in Iudæâ*, ut Ionathan & ſocios ejus comprehendant: ſed hi conſilia hoſtium ſagaciter odorati, maturè ſaluti ſuæ conſuluêre.

Militia malitiæ affinis.

Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitiæ, lectum aliquando *militiæ*, ſed prorſus legendum eſt *malitiæ*, Græcè κακίας, intelliguntúrque principes dandi illius mali conſilii, de Ionatha opprimendo, *viri regionis*, id eſt Iudæi. Quamquam neque abſurdus erit ſenſus ſi legas *principes militiæ*; credibile eſt enim conſultores ipſos juſſos fuiſſe conſilium ſuum exequi, & attributum eis ad hoc militem. Prætereà non multum ut voce, ita & re, diſtat *militia* à *malitia*: neque abſonè quidam de adoleſcente nobili, inter rudimenta militiæ mortuo, dicturus ſuper funus; ex iſto Sap. 4. themate, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, iſtud fecit, *Raptus eſt ne militia mutaret intellectum ejus.*

Quæ militia ſancta, quæ cõtrà?

Olim militia longè à malitia abfuerit, cùm latrocinia prohibebantur, aut prohiberi poterant; cùm lupæ arcebantur; cùm execramenta non tolerabantur; cùm Fidelibus paſſim permiſti Infideles non militabant; cùm Chriſtiano ferro ſanguis fraternus non exigebatur. Et ne ab antiquis ſæculis obſoleta exempla repetamus: ſancta fuerint Emmanuële Rege bella, quando, ut Oſorius perhibet, aulica virgo nulla nobilem juvenem ad honeſti amoris colloquia admittebat, quin præclarum aliquod in bello facinus ediddiſſet: quando pueri, in aula Regia enutriti, virile pallium antè non ſumebant, quàm in Africa decus ſibi aliquod armis adversùs Mauros peperiſſent. Iſtis ſanctè juſtâ & fortiter bellantibus, malitia militiam ſecuta non ſit. At quid modò: rebus, temporibus, moribus toto apud pleroſque cælo diverſis? Ut quod tunc fælicitatis erat in bello mori, nunc ferè habeatur infælicitatis: quia rari admodùm ſunt, quibus in ea corruptione ſanitas animi conſtet, & qui ſecuri ac rectè comparati, inter armorum ac vitiorum tumultus, è vita exeant.

Occiſi à Bacchide mali conſultores.

Reflectamus ad orbitam, & reviſamus *principes* non militiæ, ſed *malitiæ*, peſſimi conſilii auctores: de quibus *quinquaginta viros* apprehenſos *occidit.* At quis? Liranus exiſtimat à Jonatha occiſos, occupatóſque ab eo, quem opprimere volebant: ſequitur Liranum Salianus, additque idem ſentire Dionyſium & Vatablum. Afferre prætereà pro ſententia ſua poterat, quod in Vulgata noſtra Sixtina in hoc verſu periodus non finitur, nec disjungitur à ſequenti, niſi notâ gemini puncti. Unde verba *apprehendit*, & *occidit*, ad idem nomen videantur referri ac verbum *ſeceſſit*, nempè *Ionathas.*

Sequor

Sequor nihilominùs, quam in hiſtoriæ ſerie numero 102. attigi, ſententiam Ioſephi, dicentis à Bacchide occiſos, quòd elapſo Jonatha, putaret ſe ac Regem ab impiis illis ludibrio haberi. Idem ſentit Serarius: & confirmatur ex ſimili ejuſmodi conſultorum cæde, à Bacchide rurſus patrata, infrà verſ. 69. Nec verò inſolitum aut novum, ut Principes ac duces, irriti conatûs dedecore exacerbati, iram in auctores conſilii vertant.

Civilia odia pernicioſiora hoſtilibus.

Adverte, quieſcentibus Syris ipſis, & Jonathan pacatè agere ſinentibus, non quieviſſe tamen impios Iudæos. Adeò verum eſt majora eſſe civium quàm hoſtium odia: inimicos hominis domeſticos ejus eſſe magis, quàm exteros: minùs ab alienigenis timendum religioni ac quieti publicæ, quàm à falſis fratribus, quod ſæpè Paullus conqueritur. Plus à rigore & calore febrium vexamur ægri; quàm à quantovis hiberno frigore, aut æſtivo fervore. Et ab exhalationibus inteſtinis terra longè magis concutitur, quàm ab externa vi qualibet. Ita civium ac domeſticorum pugnæ, ac rixæ, pertinaciores & periculoſiores ſunt hoſtilibus. Hîc verò accidit, quod idem Paullus ad Galatas 5. quaſi vaticinans optabat, de uno publicæ quietis perturbatore: utinam *abſcindantur, qui vos conturbant*, &, *portabit judicium quicumque eſt ille*. Abſcinduntur ecce inopinatâ cæde perturbatores piorum Judæorum, & juſtiſſimum judicium portant, ab illo ipſo plexi ſontes, quem ad plectendum inſontem incitârant. Fovêre ſerpentem, quo læſi; excoluêre virgam, quâ percuſſi; propinavêre venenum, quo enecti; acuêre gladium, quo cæſi ſunt. Æquiſſimâ talionis pœnâ, Deo ſummè juſto ſic utente irâ hominis impii, adversùs impios.

Bethbeſſen a Jonatha munita, obſeſſa à Bacchide.

℣. 62. uſque ad 65. ET SECESSIT JONATHAS, ET SIMON, ET QUI CUM EO ERANT, IN BETHBESSEN, QUÆ EST IN DESERTO. Græca *Bathbaſi* vocant, Ioſephus *Bethalaga*, & vicum facit, qui tamen verſu 55. vocatur *civitas*, Græcè *πόλις*. Sed nihil novi eſt eadem loca dici vicos & urbes: vicos, cùm munita non ſunt; urbes, cùm munita. Reædificatur autem hîc, & firmatur à Ionatha Bethbeſſen, quia oportuno loco poſita propè Jerichuntem, in ejus deſerto, non longè à Iordane, & lacu Aſphaltite, nec toto diei unius ab Hieroſolyma itinere. Hoc intellecto *congregavit Bacchides univerſam multitudinem*, quam ſcilicet ſecum recèns è Syria adduxerat: *& his qui de Iudæa erant*, variis in præſidiis ab ipſo abhinc biennium collocati, imò & transfugis atque apoſtatis Iudæis *denuntiavit*, ut adeſſent: coactiſque copiis cæpit obſidere Bethbeſſen.

Oratio in calamitatibus adhibenda.

Rabanus, in hoc Ionathæ ad oppidum Bethbeſſen receſſu, eamdem fermè tropologiam notat, quam ſuprà in fuga ad deſertum Thecuæ, & lacum Aſphar. *Prædicatores*, inquit, *ſancti, cùm viderint perſecutorum prævalere manum, ita ut non poſſint cum prædicationis verbo procedere in publicum, ad tempus ſecedunt in loca ſecreta, ut ibi jejuniis & orationibus operam dent: & quidquid per injuriam, inter populares converſando, de rectitudine vitæ ſuæ delabebatur, hoc ſeparatim per inſtantiam boni ſtudii iterum ad integrum renovetur. Bethbeſſe enim domus oris florentis interpretatur. Flores enim os cum precibus, atque pſalmodiis, hymniſq., in laudibus Dei conſertis, dignè reſonat.* Eamdem tropologiam ex eâdem etymologia conatus eſt Liranus exprimere. Sed ſanè non divino, ubi ſignificationem *Oris florentis*, in voce *beſſen*, invenire potuerint.

Fragrantia orationis.

. Propiùs ad veritatem acceſſerant, ſi dixiſſent, Bethbeſſen ſignificare *domum aromatis*. *Beth* domum eſſe, nemo neſcit: בשם *Beſem*, quod ad *beſſen* proximè accedit, aroma ſignificat. En igitur aromatis domum orationi convenientiſſimam, cùm in Scriptura paſſim aromatibus orationum fragrantia ſignificetur: uti thymiamate quotidiano, quod in Templo adolebatur; incenſo, quod in thuribulis ponebatur; monte myrrhæ, & colle thuris, ad quem Cant. 4. ſponſus ait ſe iturum; montibus aromatum, ad quos dilectum fugere cupit ſponſa Cant. c. 6. & 8. Diſertiſſimè verò Apoc. 5. *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.*

Oratio vlctrix.

Abi ſacer Ionatha, fili columbæ gementis & meditabundæ, donate à Domino, dux populi Chriſtiani, ſeu dux ſis officio, ſeu verbo, ſeu exemplo, ſeu caritate & incenſis deſideriis tantùm; abi, inquam, ingruentibus calamitatibus, ad Bethbeſſen domum aromatum & orationum. Invenies eam *in deſerto*, extra turbam, abdicatis tantiſper occupationibus; ſi ſeceſſu corporis non potes, at ſaltem mentis. Quò illuc lubentiùs & alacriùs te conferas, memento propè Bethbeſſen eſſe Iericuntem; id eſt domui orationis conjunctam eſſe civitatem palmarum; ut ſcias precibus ad Deum palmas impetrari, finitimamque orationibus victoriam, & nullas non calamitates ſuperari ab iis, qui ſeriò ad Deum confugiunt.

Jonathæ irruptio in caſtra Bacchidis.

℣. 65. uſque ad 69. ET RELIQUIT JONATHAS SIMONEM FRATREM SUUM IN CIVITATE, Bethbeſſen: ipſe autem EXIIT IN REGIONEM vicinam, ut ſocios colligeret, inquit Ioſephus, lib. 13. c. 1. quorum auxilio tentaret aliquid ad obſidionem ſolvendam. Iis collectis *vénit cum numero*, ſeu *vénit numerans*, ut habetur in quibuſdam Græcis, id eſt luſtrans copias collectas: ſociorumque numero inito, acceſſit ad caſtra Bacchidis, eáque repentè invaſit, & *Odaren, fratréſque ejus, ac filios Phaſeron in tabernaculis ſuis obtruncavit*: cædéque ea patrata, ſumptis ex ſucceſſu animis, ulteriùs in caſtra Syrorum progreſſus *cœpit cædere, & creſcere in virtutibus*, ſive ut Græcè eſt, *aſcendere in copiis*, *ἀναβαίνειν ἐν δυνάμει*: id eſt, per caſtra & copias Bacchidis cædibus graſſatus eſt.

Simonis eruptio.

Dum ad ſubitam irruptionem, & cladem tumultuantur turbati Syro-macedones: Simon tam præclara occaſione uſus, & id forſan antè convenerat, erumpit ex urbe cum ſuis, machinas obſidentium incendit, deinde in caſtra Bacchidis & ipſe impreſſionem facit. Bacchides *ab eis contritus*, deſperat de expugnanda Bethbeſſen, quod *mane* eſſet, id eſt evanuiſſet, *conſilium ſuum, & congreſſus ἔφοδος*, iter hoc poſtremum in Iudæam, in irritum recidiſſet. Ita probabiliter Ioſephus hunc Scripturæ locum interpretatur: ſequiturque eum Gorionides, qui & addit de ſuo, captum in fuga à Ionatha & Simone Bacchidem, ſupplicemque iis factum. Sed rem tantam profectò non ſiluiſſet Scriptura: imò & omninò contrarium innuit verſ. 70. cùm dicit, miſſos ad eum à Ionatha legatos orandæ pacis: non fuit igitur captivus, & ultrò ſupplex. Omiſſo itaque Gorionidæ figmento, ſi irruptionem illam utrimque in caſtra Bacchidis factam, ut à Ioſepho deſcribitur, amplecti voles, nihil vetabit. Eamque video Saliano placuiſſe, nec diſplicuiſſe Serario; quamquam uterque non Ioſephum, ſed Gorionidem citat.

Alis ſolutæ obſidionis narratione ſtabilitur hiſtoriæ ſeries.

Si Ioſephi explicatio tibi minùs probabitur; ſequere quam in ſerie hiſtoriæ numero 102. propoſuimus, Scripturæ paullò convenientiorem, neque incommodiorem facinori bellico. *Exiit Ionathas*

Ionathas cum parte copiarum, *& venit cum numero* ſeu *numerans*; id eſt recenſitis, tum iis quos eduxerat, tum qui ſe adjunxerant, peretravit Judæam, in præcipuos amicorum Bacchidis, præſidio deſtitutos, invaſit, ut eum, vel partem copiarum ejus, ab obſidione avocaret: ac fælici ſucceſſu collectâ famâ, cæpit *creſcere in virtutibus*, id eſt propriè, copiis augeri, redeuntibus quos antè metus diſſipârat. Omninò autem credibile eſt, Bacchidem auditis Jonathæ excurſionibus, miſiſſe de ſuis qui eos coercerent: adeóque imminuto obſidentium numero, datos Simoni animos ad erumpendum, machinas ſuccendendas, cum Bacchide pugnandum, eique deſperationem injiciendam potiundi urbe Bethbeſſen.

Quis Odares?

Quæres quis *Odares?* Græca Regia *Odomera* habent, non *Odarem*; Sixtina, *Odoaarrhen*: unde Gorionides facit nomen *Hadarahan*. Joſephus nominibus abſtinet. Salianus ait, quoſdam non *Odarem* legere ſed *Odurem*, eſſeque non proprium nomen, ſed appellativum, & ſignificare latronem ſeu obſeſſorem viarum, quem Jonathas cum ſuis occiderit. Sed valdè miror, ſi, in tanto obſeſſæ Bethbeſſen periculo, Jonathæ ſpatium fuit, ut de purgandis itineribus cogitaret. Retineamus itaque lectionem noſtram, & cùm certi nihil de iſto *Odare & fratribus* ejus ſtatuere poſſimus, id ſaltem dicamus, quod probabiliſſimum eſt, fuiſſe vel Bacchidis in obſidione ſocios, vel amicos ejus ac fœderatos. Nihil enim Jonathas in ea expeditione egiſſe credendus eſt, quàm ut vires Bacchidis accideret, & eum, frequentibus tum ſuis tum ſuorum damnis, ad obſidionem deſerendam cogeret.

Quæ Phaſeron?

Phaſeron, ſeu *Phaſiron*, ut Græcè eſt, non viri nomen, ſed loci eſſe exiſtimo, ex ea locutione Hebraïcæ linguæ familiariſſima, quâ *filii* dicuntur incolæ: & in hoc ipſo libro c. 4. verſ. 2. audivimus præſidiarios arcis vocatos, *filios qui erant in arce*, Græcè *filios arcis*. Vide annotata ad eum verſum. At ubi ſitum eſſe dicemus eum locum, cùm nuſquam alibi de eo ſit mentio? Affinia quidem ſunt nomina *Pharaton* & *Pharaſim*, & illa quidem urbs ſuprà à Bacchide munita memoratur: ſed utraque nimis longè à Bethbeſſe remota erat, ut eò excurriſſe Ionathas voluerit. *Pharaton* enim propè abeſt à Samaria: *Pharaſim*, ſeu Baalpharaſim locus celebris victoria Davidis adversùs Philiſtæos 1. Paralip. 14. ſitus eſt infra Hieroſolymam, diè fermè altero ab Hierichunte. Conjicio itaque, *Phaſeron* vicum aut oppidum fuiſſe, in montanis Ierichuntinis ſitum, opportuno loco, non longè à Bethbeſſe urbe tunc obſeſſâ. Conjecturam meam fulcit ipſa nominis etymologia: *Phaſe* enim *tranſitum* ſignificat: *Roum*, ſeu *Rom* ſignificat *exaltare*, unde *Phaſeron* non longè abibit à *Tranſitu excelſo*. Eum locum cæſis incolis aut præſidiariis occupat Jonathas, quia commodus erat futurus, vel impediendo hoſtibus commeatui, vel inferendo in urbem Bethbeſſen, vel recipiendis ſuis poſt excurſiones factas, vel irruptioni in caſtra Bacchidis faciendæ. Qui ſuprà relatam Joſephi de ſtratagemate Ionathæ opinionem ſequi, quàm noſtram malueris, dicere poterit, *Phaſeron* locum fuiſſe intra ipſa Bacchidis caſtra concluſum, quem Jonathas invaſerit ac ceperit, obtruncatis præſidiariis. Ita utrique opinioni accommodata eſt hæc noſtra de Phaſeron conjectura.

Apoſtatæ ſuſurrones à Bacchide interfecti.

℣. 69. ET IRATUS CONTRA VIROS INIQUOS, QUI, &c. Hic verſus in textu noſtro clarus, longè in Græcis Regiis obſcurior eſt, mutatione numerorum. Pro noſtro *iratus*, habetur *irati ſunt*: pro *occidit*, eſt *occiderunt*: pro *terram ſuam*, eſt *terram eorum*: habetur nihilominùs in ſingulari ἐβουλεύσατο, *conſilium iniit*, quemadmodùm & in noſtro textu, *cogitavit*. In Sixtinis Græcis convenientiùs cum Vulgata habetur, *iratus eſt*, *cogitavit*, *terram ſuam* ſive *ejus*: habetur tamen etiam *occiderunt*. Senſus igitur in textu noſtro longè meliùs, quàm in Græcis expreſſus eſt: quamquam & hi commodam explicationem patiuntur. Neque enim ſolus Bacchides *iratus* eſt contra auctores hujus belli, ſed ſocii ejus *irati ſunt*: & quos Bacchides *occidit* imperio, ipſi manu *occiderunt*: neque ipſe ſolùm *cogitavit* de redeundo *in terram ſuam*, ſed etiam de ſuis, quos recèns è Syriâ adduxerat, *reliquiis* à clade ad Bethbeſſen acceptâ, reducendis *in terram eorum*.

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Vidiſti verſu 61. juxta probabiliorem ejus expoſitionem, quàm iſtud verum ſit, *Malum conſilium conſultori peſſimum*. Ecce & nunc ejus dicti veritatem manu tangis. Evocant impii Bacchidem, ut Ionathan & ſocios opprimat: ipſi eorum vicem à Bacchide occiduntur. Idem cernes in Menelao belli Iudaici incentore Pſeudo-Pontifice; qui ab eodem, quem adversùs Iudæos impulerat, Rege interfici juſſus eſt. Hoc eſt quod Pſalmiſta pſalm. 56. vocat *incidere in foveam, quam feceris*: quod Sapiens ejus filius Prov. 26. *mittere in altum lapides, qui recidant* in caput mittentis: quod Anthologiæ Græc. epigr. lib. 5. dicitur de ſagittario Cretenſi, cuſpide ſagittæ, quâ aquilam transfixerat cum aquilâ recidentis, vulnerato, & ex vulnere mortuo: quod ibidem habetur, de mure qui chordam citharæ inciderat, eâdemque chordâ ad verticillos citharæ recurrente, ſtrangulatus eſt. Apud Spondanum anno 1469. Epiſcopus Virdunenſis auctor Ludovico XI. fuerat curandarum ferrearum cavearum, altitudinis humanæ ſtaturæ, longitudinis octonûm pedum, includendis iis, quos inviſos haberet. Profanus ille Epiſcopus, detectâ ejus in Regem conſpiratione, in ejuſmodi cavearum primam incluſus, totos quatuordecim annos ibi detentus eſt. Apud eumdem anno 1535. Amicus Perrinus, magnâ Genevæ auctoritate vir, auctor fuerat Farello hæretico, lapidis ab altari templi Cathedralis ad locum ſupplicii deſtinatum efferendi, ut ſuper eum rei plecterentur: primus ipſe omnium ibi capite truncatus eſt, agente Calvino, quòd ejus conatibus adverſaretur. Centena alia exempla in hiſtoriis occurrunt malorum conſultorum, conſiliis ſuis pereuntium. Nec abs re erunt, noti de eo argumento Æſopici apologi.

Proſcribendi à conſiliis ſatores diſcordiæ.

O ſi Principes omnes idem diſſidiorum conſultoribus, & altoribus ſimultatum faciant, quod Fredericus & Guilielmus Saxoniæ Duces! Certabant inter ſe fratres de hæreditate. Belli incentor primarius Romam interim Iubilæi occaſione abiit. Fredericus fratrem rogat, ut ſe convenire dignetur, coram & ſine arbitris acturos de pace. Diſſuadentibus conſiliatoribus aliis, quòd per pacis ſpeciem exitium illi à Federico pararetur: Enimverò, inquit, moriar lubens, ſi vos præmortuos videro, qui diſcordiam inter fratres ſeritis. Egêre igitur inter ſe, & coalitâ ſincerâ pace, ſuſurrones utrimque, uti conventum erat, exterminavêre. Narrat Spond. anno 1450. Utinam exemplum Principes Chriſtiani imitentur: & à conſiliis aulisque proſcribant, quicumque paci publicæ aut privatæ labem afferunt, aut moras injiciunt. Quibus ex bello, & tumultibus, maliſque

alienis

alienis compendiom quæritur. Qui aures Principum criminationibus onerant, ſuſpicionibus implent, delationibus obtundunt, ad fidei ſuæ commendationem: & ne quid ipſis gratiæ vel gloriæ malè partæ decedat, *eos qui creditâ ſibi officia diligenter obſervant, & ita cuncta agunt ut omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conantur ſubvertere; dum aures Principum ſimplices, & ex natura ſua alios æſtimantes callida fraude decipiunt*: ut de Amane, peritiſſimo technarum iſtarum artifice, ſcribebat Aſſuerus, Eſtheris cap. 16. *Quæ res & ex veteribus probatur hiſtoriis, & ex his quæ geruntur quotidie: quomodò malis quorumdam* ambitioſorum, avarorum, invidorum, ſuſurronum *ſuggeſtionibus*, *Regum*, ac Procerum optimæ indolis ex utroque Ordine, *ſtudia depraventur*.

Pax Jonathan inter & Bacchidem.

℣. 70. 71. 72. Et cognovit Jonathas, &c. Jonathas, intellecto Bacchidem de revertendo in Syriam cogitare, id eſt, ut commodè exponit Joſephus, nihil aliud cogitare, quàm ſolutâ obſidione Bethbeſſen, quomodò ex ſua & Regis dignitate reliquum exercitum, ſine ignominia, poſſet in Syriam reducere. Sive id Jonathas per fidos, quos apud Bacchidem habere poterat, reſcierit, ſive id ex ipſa rei natura conjecerit; ſeu Bacchides ſubmiſerit occultè, qui id inter Judæos ſererent, dicerentque, non difficilem fore impetratu pacem, ſi petatur. Intellecto igitur quomodocumque Bacchidis conſilio, Ionathas, & ipſe pacis avidus, nec neſcius pontem hoſti abiturienti ſternendum; ultrò ad eum mittit legatos, *componere pacem cum ipſo, & reddere ei captivitatem*, id eſt, Hebraiſmo, *captivos*. Bacchides *libenter accepit* legationem: *& fecit ſecundum verba ejus*, omnes à Jonatha propoſitas pacis conditiones amplexus: *& juravit ſe nihil facturum*, nec quæſiturum, ut Græcè habetur, *mali omnibus diebus vitæ ejus*, ſeu dum viveret ipſe, ſeu dum viveret Jonathas, nam utrumque æquè poteſt intelligi. Ad hæc, quomodò Jonathas fecerat, ita & ipſe *reddit captivitatem*, Jonathæ captivos Judæos reſtituit: *& converſus abiit in terram ſuam*, ad Regem in Syriam: *& non appoſuit ampliùs venire*, id eſt, Hebraiſmo, non venit ampliùs, *in fines ejus*, id eſt, ad terminos quibus Principatus Ionathæ finiebatur, Græcè eſt *in fines eorum*, id eſt, Judæorum. Didicerat damno ſuo Bacchides, majorem in Iudæos æquitatem, & fidelitatem in pactis ſervandis, quàm antè habuerat, ut cap. 7. verſ. 18. obſervavimus; ubi fœdifragus fuiſſe narratur pariter cum Alcimo.

Machmas ſeu Machmas ubi?

℣. 73. Et cessavit gladius ex Israel, pace factâ, et habitavit Jonathas in Machmas, urbe in extremis finibus tribûs Ephraim, ad fines Benjamiticæ ſitâ, in ipſo Hieroſolymorum itinere Samariam, quatuor aut quinque horis itineris ab ipſa Hieroſolyma. Commodus ergo erat ille locus habitationi Ionathæ, Principis ac Pontificis, ut poſſet ibi *judicare populum*.

Cur Hieroſolymis Jonathas non judicat?

At, inquies, cur Hieroſolymam potiùs non conceſſit, ubi caput religionis, & major multitudo ſubditorum? Quia valido etiamnum præſidio Syrorum tenebatur: unde putavit liberiora ſibi fore judicia, & majorem ſubditis commeandi facultatem, ſi in libero oppido, præſidiariiſque externis non inſeſſo, habitaret. Non eſt tamen putandus, numquam iviſſe Hieroſolymam, ſtatis præſertim temporibus, quando ſummi Sacerdotis officio, etſi non publicè, fungendum erat, & feſta ſolenniora in Templo peragenda. Hìc ſolùm agitur de loco ad exercenda judicia electo.

Judicia inchoat ab impietate profliganda.

In quibus id non de nihilo præſertim notatur, quod Jonathas *exterminavit impios*, ἀσεβεῖς, *ex Iſraël*. Reſtitutio enim ſtatus Judaici inchoanda fuit à pietate: reſtitui autem pietas non potuit; niſi impietas profligaretur: impietas extingui nequiit, niſi exterminatis impiis, qui impunè, ſacrilego Alcimo dominante, imò & poſt ejus mortem Syris faventibus, totâ Iudæâ pullulârant. Vides Ionathan fundamenta ſtabiliendi Principatûs ſui ponere in ea virtute, quam rerumpublicarum fundamentum eſſe probavimus, Excurſu Morali ad cap. 7. ſectione 1. & 3.

Severitas publicè quando potiſſimùm & quatenùs adhibenda?

Obſerva item, Jonathæ judicia à ſeveritate magis, quàm à clementia commendari. Non quòd hanc illi non miſcuerit, imò & magis adamârit: ut ſolet magnanimus clementiâ magis, quàm ſeveritate, gaudere. Sed quia prudens populi rector, ubi reſpublica poſt longas turbas componenda eſt; & novarum ex ſuppliciis turbarum, domi foriſve excitandarum, præſens periculum non eſt; à ſeveritate ut plurimùm, ac terrore, debet incipere, plexis ſpectabilibus aliquot reis: ac deinde, poſtquam exemplo communi ſatis per iſta ſupplicia cautum eſt, in clementiam flectere; ut ſecuritas publica, timore ſtabiliri cœpta, amore ſolidetur. Hoc forſan fine Deus Jeremiæ commendabat: primùm, ut evelleret, & deſtrueret, & diſſiparet; tum ædificaret, & plantaret, capite 1. verſ. 10. Princeps, ac judex, medicus eſt: mittit hic ſanguinem noxium, & putres humores expurgat, ante danda reficiendo ægro ſalubria alimenta. Ægerrima fuit reſpublica Judaïca à Machabæi morte. Medicus ſapiens Ionathas *exterminat impios ex Iſraël*: putria primùm membra reſecat; deinde ad fovenda & ſervanda, quæ ſana ſunt, ac minùs ægra curanda, convertitur.

EXCVR-

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 9. v. 21. Quomodò cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël?

Salvator noſter patiens, & moriens.

SECTIO PRIMA.

Extremum Chriſti certamen in Iuda expreſſum.

I. Chriſtus bellator.

VERBA hæc, *Quomodò cecidit, &c.* de Juda Machabæo dicuntur, quod hodie non tam viri nomen eſt, quàm fortitudinis. Originem appellationis Machabæi in Prolegomenis expoſuimus: neque illam rejecimus, quam multi commendant, natum id vocabulum, ex literis Hebræis noti ex Cantico Mariæ versûs, Ex. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine.* Incomparabilis Machabæe, Dux ſupreme, Imperator exercituum Dei viventis, Bellator invicte, Triumphator adorande, Chriſte JESU, *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine?* Eſtne in priſcorum Heroüm numero, qui tecum conferri poſſit? Reperiríne poteſt apta certaminum tuorum ac palmarum figura?

II. Ejus variæ figuræ.

Adducunt aliqui Abrahamum, à quo Reges quatuor cæſis armatis vernaculis trecentis decem & octo, cui numero deſignando Tau ſubſervit, figura crucis, per quam Chriſtus *orbem domuit, non ferro, ſed ligno*: Ioſue, quo præeunte in terram promiſſam ingreſſi Iſraelitæ, quomodò Paſſione Chriſtus nobis ad Beatorum terram præivit: Iephthe, qui ex latronum duce factus eſt judex Iſraelis, quemadmodùm Chriſtus medius inter latrones crucifixus, inde Iudex vivorum ac mortuorum; Samſonem, qui captus in Geth Palæſtinæ, portas ejùs urbis extulit, quomodò Chriſtus à morte captus eam cepit, omniáque illius munimenta diffregit: Gedeonem, qui tubis, ac lucernis, & teſtarum colliſione, confudit Madianitarum exercitum, uti Chriſtus vilibus armis peccata ſuperavit: Davidem, à quo lapidibus quinque, de torrente erutis, proſtratus Goliath, ſicut à Chriſto plagis quinque, in Paſſionis torrente acceptis, dejectus eſt dæmon. Harum figurarum pleraſque commodè extendit Proſper, de Promiſſ. & Prædict. Dei, parte 2.

III. Judas Machabæus Chriſti figura.

Ultima & perfectiſſima Chriſti bellatoris figura eſt Machabæus noſter. Chriſtus de tribu Iuda, confitens, ac confitendus; quod Iudæ nomen ſonat, & Machabæo proprium eſt. Chriſtus Sacerdos, & Rex: Iudas de Sacerdotali genere ac Regio, ipſeque Pontifex Max. ac Dux populi. Chriſtus vocatur *leo de tribu Iuda*: Iudas à Spiritu ſancto appellatur *catulus leonis*, cap. 3. ſuprà, ubi alia ejus varia cum Chriſto parallela deduximus. Chriſtus virgo: Iudas Machabæus nuptias vel non expertus omninò, vel non diu. Chriſtus vix annos quatuor concionando cum vitiis pugnavit: Iudas non multò pluribus annis præfuit, ſummùm ſex. Chriſto Angeli affuêre, ac miniſtravêre: Iudam Angeli non ſemel ad bella comitati ſunt. Chriſti vita omnis per miracula ſimul, & calamitates, exacta eſt: Iudæ vita miſeriis, & prodigiis, ſcatet. Chriſti denique certamen ultimum optimè nobis ultimo Iudæ certamine exhibetur.

IV. Certamen Iudæ Chriſti Paſſionē adumbrat.

Generoſiſſimus dux, qui antè numquam timuerat, ante extremam tamen pugnam *confractus eſt corde.* Vix menſis erat, cùm, tribus omnino hominum millibus comitatus, triginta quinque armatorum millia intrepidus exceperat. Centum etiam hominum millia, exiguâ manu ſtipatum, non terruerunt. Leo ille nunc contremiſcit: ille pallere neſcius, nunc animis cadit: Deo id permittente, ut vel inde intelligamus, vires omnes animi ac corporis ab ipſo proficiſci, hominemque ſibi relictum nihil poſſe. Reſumpto tamen mox ſpiritu, ac depulsâ formidine; audet Machabæus hoſti occurrere, manusque miſcere. Proſtrato uno hoſtium cornu, jam fermè inter cædium acervos victor, ab altero cornu circumvenitur. *Ingravatum eſt prælium*, & tandem fortiſſimus Heros, multitudine ac vulneribus obrutus, concidit. En illuſtrem Chriſti pugnantis, cadentisque imaginem. In horto *confractus eſt corde*; ſed mox reſumptis animis it obviàm Iudæ, & cohorti militari: tum, *ingravato* in urbe *prælio*, accuſationibus, contumeliisque conficitur: denique ex urbe eductus, in Calvaria *cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël.*

V. Tria pugnæ Chriſti loca & genera.

Tribus itaque locis à Chriſto pugnatum eſt: in horto, in urbe, in monte. In horto, inſtar eſt belli civilis, & inteſtini, contra paſſiones, horrore futurorum & dolore præſentium armatas: aut duelli inſtar, hominem exteriorem inter atque interiorem, voluntatem inter ac naturam. In urbe, obſidionis inſtar eſt: cùm undique ab omni contumeliarum genere, linguarum præſertim improbarum orgeatur. In monte juſti inſtar prælii eſt, quo quidquid uſquam in rerum naturâ horribile concipi poteſt, in unum hominem manu factâ incurrit. Hæc tria loca ac pugnarum genera inſpiciamus, & ab optimo imperatore pugnandi modum, vincendique, diſcamus.

VI. Civile à paſſionibus bellum.

Inteſtini hoſtes longè magis timendi nobis ſunt; quàm externi: nihil adversùm nos ferociùs pugnat, quàm domeſticæ noſtræ paſſiones, velut civili atque atrociſſimo bello: ſolent enim odia civilia exitioſiora eſſe hoſtilibus, quemadmodùm advertimus ad verſum 61. Nec paſſionum ullæ metuendæ magis, quàm quæ frigidæ ſunt. Amor quidem, lætitia, ira ingentium damnorum cauſa fuêre: ſed triſtitia, ac metus, longè pluribus pepererunt exitium. Animadvertit Vegetius maximè formidandos

milites

Digitized by Google

milites à Septemtrionibus mitti: quia, inquit, cùm ſanguine abundent, ejus prodigi ſunt, ac periculorum contemptores: atqui à Meridie veniunt, quia ſicciores ac fermè exſucci, ſanguini ſuo parcunt. Sive ob eam, ſeu aliam ob cauſſam, conſtat, copias nullas plùs terroris ac vaſtitatis orbi intuliſſe, quàm quæ ab Aquilone prodierunt. Inde exitioſa Romano imperio nomina, Gothi, Vandali, Rugii, Avares, Hunni, Heruli, Longobardi: Slavi deinde, Nortmanni, Turci, Tartari; & noſtrâ memoriâ Sueci. Paſſionum nullæ moleſtiores, quàm quæ ab Aquilone ac nivibus prodeunt, triſtitia, & metus. Prima Chriſti agonia, ut diſertè à D. Luca nominatur, id eſt certamen, in illas paſſiones fuit. Conſideranda nobis eſt agonis magnitudo, & arma quibus dux noſter uſus eſt.

VII. *Chriſtus ſe ad certamen comparat.* Curatis corporibus animiſque, uti milites ante præliandum ſolent, Chriſtus ad diſcipulos, *ut cognoſcat*, inquit, *mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſurgite, eamus hinc.* Et cum his verbis cœnaculo, tum urbe Hieroſolymitanâ egreſſus, inter eundum diſcipulos ſuos, uti dux milites, concione ad certamen comparat; hortaturque ad mutuam præſertim concordiam ac caritatem, qua nihil in bello magis neceſſarium. Ubi propè hortum ventum eſt, ad portam *ſedere* jubet, velut cuneum pugnæ ſuæ inutilem: tres omnino ſocios ſumit, aut ſpectatores potiùs ac teſtes, vel ſi mavis excubitores, ſed de illo genere excubitorum, quos Perditos vocamus: mox enim obdormiſcent, iterumque, ac tertiò, laſſitudine ac triſtitiâ graves, ſolumque ſinent Chriſtum cum hoſte luctari. En, ô ſapientiſſime ducum, *quos teſtes*, quos excubitores *adhibes, dormientes.*

VIII. *Certaminis initium.* Hortum ingreſſus JESUS *cœpit contriſtari, & tædere, & pavere, & mœſtus eſſe.* Aggrediuntur ipſum paſſiones, imò illas ipſe aggreditur. Neque enim citra ejus voluntatem, à qua perpetuò pendebant, uſquam ſeſe commoviſſent. Atque adeò percommodè Theologi non paſſionum illis nomen, ſed propaſſionum dedêre: quaſi non tam paſſiones ſint, motúſque animales, quàm vicem illorum impleant. Nota ſunt D. Auguſtini verba, in pſalm. 31. *Potuit utique ſine triſtitia eſſe Dominus iturus ad Paſſionem. Si potuit miles, non potuit imperator?* &c. Duas ergo præſertim paſſiones, eaſque moleſtiſſimas, quibus ſignificandis Evangeliſtæ varia nomina congeſſerunt, experiri voluit: triſtitiam, & timorem. Mala ſua, matris, Apoſtolorum, Judæorum, noſtra, nunc ut futura aſpicit, & quæ vitari poſſint; inde timor qui de futuris eſt: nunc aſpicit, ut certò futura, ex conditionibus quas prævidet poſitum iri; inde triſtitia, quæ eſt de malis præſentibus, aut certò futuris, quæ inſtar ſunt præſentium. Aiunt vulgò: tria celari non poſſe, tuſſim, ignem, amorem: addo illis, triſtitiam magnam ac metum. Diu contineri non poſſunt, quin ſe prodant manifeſtis judiciis.

IX. *Quàm acris pugna?* Oniæ Pontificis, 2. Mach. 3. verſ. 17. & 18. *facies & color immutatus declarabat internum animi dolorem*, Græcè ἀγωνίαν; cùm periculum eſſet, ne ſacrilegis manibus Templi ſanctitas violaretur. In Chriſto, cùm ſacrilegi de auguſtiſſimo Corporis ejus templo lacerando cogitant, quinque reperio ſummæ triſtitiæ ſigna. Primum eſt in illis verbis: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quis ſe triſtem dicit? Quibus mœrorem ſuum aperit? Quo vocis ſono pronuntiat? Alterum indicium eſt ex orantis ſitu, quia non flectit ſolùm, ſed *procidit*: tertium, quòd *Pater, Pater*, ingeminat, lacrymoſa repetitione: quartum, quòd ab Angelo ſolatium accipit lætitia Angelorum: quintum, quòd ſanguine ubertim ſudat, quaſi cor pondere aliquo oppreſſum, uvæ inſtar ſub prælo, totum exſtillet. Patere, mi Lector, iſthæc à me pietati & ingenio tuo indicari tantùm, non extendi. Id enim ipſe facillimè feceris, cùm de te, tum ex aliorum Commentariis: quos huc non transſcribo, ne meritò ægrè feras recantari recuſa ſexcenties.

X. *Quæ arma?* Victum dicas agone tam pertinaci ducem generoſiſſimum: niſi adhuc repugnantem cernas, & arma quibus ad pugnam utetur, intueare. Prima ſunt ab oratione, eáque attentâ, ideò enim jubet diſcipulorum aliquos *ſedere hic donec oret*, &c. ab aliis *avulſus eſt*: Humili, ideò etiam *procidit in faciem*: Perſeverante, *factus enim in agonia prolixiùs orabat*: Fiduciæ plenâ, quam ſonant voces toties repetitæ, *Pater, Abba.* Altera arma ſunt, ab conformatione voluntatis ſuæ cum divina: *Pater mi, non mea, ſed tua voluntas fiat.* Quaſi dicat: Tu Dominus es, ego ſervi fugitivi figuram gero, qui manicas, compedes, ſtigmata meritus eſt: voluntas fiat boni domini, non mali ſervi. Tu medicus es, ego ægritudines hominum ſanandas in me ſuſcepi, ſtultitiam ſuperbiæ, hydropem avaritiæ, lepram luxuriæ, bulimiam intemperantiæ, febrim iræ, phreneſin invidiæ, lethargum acediæ; ſapientis medici voluntas fiat, non ægri intemperantis. Tu judex es, ego me velut reum læſæ Majeſtatis divinæ, innumerorumque criminum, in humani generis vicem conſtitui: judicis æquiſſimi, non capitis pœnæ obnoxii, voluntas fiat. Tu pater, ego filius; fiat voluntas cariſſimi patris, non filii obſtrictiſſimi. Tertia arma ſunt à prudenti audacia: animos ſumit, ultróque it obviàm malis, quibus antè terrebatur. Adeſt Judas, cum armatorum manu, quaſi ad bellum. Proditio agmen ducit: ſequuntur injuſtitia, fœda adulatio, avaritia, odium, invidia, crudelitas, rabies, omneſque inferorum furiæ. Illis tamen Chriſtus occurrit intrepidus. Quarta arma ſunt ex dolorum temporalium brevitate, iſtis verbis propoſitâ, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum:* de tranſituris malis diuturnam triſtitiam eſſe non oportet.

XI. *Quomodò iis armis utendum?* Dum captus per Judæos Chriſtus ligatur, & raptatur, interroga temetipſum, Chriſtiane: Timéſne, triſtaris, paſſionibus vexaris frigidis, rebellibus, contumacibus? Sed eáſne pateris, quales Chriſtus? Celari non poſſunt: indicia ſpectemus. Auſuſne dicere, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem?* Suſpiras, procidis in faciem? Denique ad ſanguinem ſudas? Sed faciamus, te maximè angi. Ecce tibi arma quadruplicia, quibus vim hoſtilem arceas, & victoriam auferas. Ora Deum; ad ſinum matris infantes territi confugiunt, tu ad Dei ſinum recurre, ab ira ejus fuge ad miſericordiam ejus. Sub lauro olim ſoliti ſe locare, cùm tonaret: tu ſub umbra victoris noſtri, qui ſummam triſtitiam ſuperavit, eſto ſecurus. Conforma te voluntati divinæ, etſi natura adverſetur: nil futurum timebit, qui evenire omnia volet, prout volet Deus: de præſentium malorum nullo triſtabitur, qui præterita ac præſentia aliter eſſe noluerit, quàm voluit Deus. Quiſquis in animo ſuo id ſtabiliter defixerit, in amaro Oceano fontem habebit lætitiæ, nihilque doloris in voluntate ſentiet, etſi natura multum patiatur: quemadmodùm aiunt, Arethuſam trans mare mediterraneum impermiſtas aquas trahere. Voluntate tuâ divinæ conformatâ, exſurge, & prodi obviàm malis, quæ timebas: videbis puerilia eſſe ac vana terriculamenta; quod etiam in Eleazaro Machabæi fratre

antehàc

antchàc ſpectavimus, poſtmodùm in Ionatha. Conſidera denique æternitatem præmiorum patienti promiſſorum; præ quibus omnis tenebrarum poteſtas, nox omnis calamitatum quarumque, boraria eſt.

XII. Linguæ cuſtodia.

Aiunt in arte gladiatoria duobus præſertim opus eſſe, oculo vivido, & manu promptâ. Duobus in duello ſpiritali egemus, corde impavido, & linguâ ſapiente. De corde Sapiens pronuntiavit: *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum*, Prov. 4. De lingua: *Sicut urbs patens & abſque murorum ambitu, ita qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Prov. 25. Didicimus in horto cuſtodiam cordis: *Breve præceptum eſt*, inquit Aug. in pſal. 32. *ille placet Deo, cui placet Deus.* Jam diſcemus in urbe benè tacere, & benè loqui. O quàm difficile illud, benè tacere! Annos multos in ludis literariis abſumimus, ut loqui diſcamus: rectè nobiſcum agatur, ſi, vitâ totâ peractâ, potuerimus didiciſſe ſilentium, ubi vel neceſſitas, vel caritas, vel urbanitas ſermonem non exigit. Quod priſcus neſcio cui diſcipulo ſuo, ad loquendum prurienti, commendabat his verbis: *Si quid habes melius ſilentio, loquere.*

XIII. Undique contumeliis Chriſtus obſidetur.

Nuſquam id meliùs ſpectaverimus, quàm in divinis Ducis noſtri exemplis. In urbem Hieroſolymitanam perductus, undique contumeliis premitur: neque aliter ſeſe adversùs illas defendit, quàm vel alto ſilentio, vel, quod illi proximum eſt, modeſto ac brevi reſponſo. Contumeliarum genera duo ſunt, ex rebus probroſis, aut verbis, ut dicemus Excurſ. 1. ad cap. ult. ſect. 4. Ad alterutrum genus referuntur, quæ geſtibus aut nutibus fiunt. Omnes perpeſſu difficiles: *Nullus enim labor major eſt, quàm ferre illuſorem*, ut priſcus quidam Sapiens aiebat. Et S. Valerianus hom. 5. de oris inſolentia: *Nihil eſt*, inquit, *ſævius, nihil violentius, amaris aſperisq́ ſermonibus: quorum vulnera eò difficilius curantur, quò facilius inferuntur.* Quid cùm verbis adduntur ſigna, actionesque probroſæ?

XIV. Silentio probra ſuperat Chriſtus.

Percurre loca, per quæ circumductus fuit Chriſtus: nuſquam non in illos hoſtes incurrit: interrogatur contemptum de doctrina & diſcipulis: alapâ dedecoroſè percutitur: ignominioſè accuſatur, & adjuratur: obvelatis oculis pro Pſeudopropheta habetur: à cariſſimo diſcipulo, domeſticorum ſuorum principe, pernegatur: præſidi ut rebellis & ſeditioſus ſiſtitur: à tetrarcha totóque ſatellitio illuditur: ſeditioſo homicidæ comparatus, poſtponitur. Expende ſilentium, & ſilentii cauſſas: primam, quod nihil loquendo profecturus erat: alteram, ut doceret prudenter aliquando bonum honoris virtuti poſtponi: tertiam, ut moneret, quod poſtmodùm Paullinus ad Aprum, epiſt. 29. *Talium vel odia, vel convitia, vivendo meliùs, quam loquendo, arguimus.* Conſidera etiam, in flagellatione & coronatione, quantumvis atrocibus, nihil Chriſto fuiſſe acerbius, quàm inſolita opprobria. Pſalmiſta Deum orans dicebat: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi.* pſal. 119. Quæ autem calamitas tanta eſt, ut viro forti non ſingultus dumtaxat exprimat, ſed vociferationes? An obitus cariſſimi liberorum? An regni univerſi jactura? *Domine*, inquit, *libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* O incomparabilis bellator, Chriſte JESU, qui tela omnia venenatorum cordium, & linguarum, indomitâ patientiâ retundis, nondum mihi fortior viſus es, quam modò. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Specie tua, & pulcritudine tua intende proſperè, procede, & regna: Propter manſuetudinem.* In ſultationibus, falſis teſtimoniis, perjuriis, blaſphemiis, irriſionibus, ſputis, colaphis, flagellis, ſpinis, fortius eſt tuum illud ſilentium. Sit etiam lingua mea fortius: captivam illam tene, conſtringe, innecte, ne umquam adverſum te inſoleſcat: & ſi aliquis me impetat, ſeſe poſſit continere. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.*

XV. Apparatus Chriſti ad extremam pugnam.

Coronatum Chriſtum præſes producit ad populum: *Ecce*, inquit, *homo, Ecce Rex veſter.* Succlamatur iterum ac tertiò: *Crucifigatur*; educi in Calvariam debet: adhuc reſiſtere potuit doloribus & opprobriis; experiemur quid denique poſſit in ferali illo damnatorum theatro, & extremorum ſuppliciorum incurſu. Victus importunâ vociferatione, & Cæſaris metu impotens judex, ſententiam capitalem pronuntiat. O Chriſte, ſcis quàm horrendus tibi conflictus immineat? Uno te loco expectant maximè formidabilium hoſtium denſi cunei quatuor: omnigena opprobria, ſumma paupertas, cruciatus corporis, animi dolores. Unde tibi arma, profligandis tot infeſtis ferociſſimorum adverſariorum agminibus? *Exuerunt eum purpurâ, & induerunt eum veſtimentis ſuis*: en ſagum militis noſtri, en paludamentum Imperatoris; ornamentum *de cocco bis tincto*, ſudoris ſanguinei tincturâ primùm perfuſo, tum ſanguine ipſo, cùm veſtes reſumpſit poſt flagellationem. Coronam ſpineam, quòd cuti capitis & ſuturæ cranii implexa eſſet, non ſublatam fuiſſe, credibilius eſt: en caſſidem. Affertur crux informis, eam amplectitur: en arma bellatoris noſtri: *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus*, Habac. 3. *Domuit orbem non ferro, ſed ligno*, Auguſt. in pſal. 54. Nulla uſquam baliſta aut machina bellica validior fuit: nihil ipſi non cedit obſtantium: unicus ipſi reſiſtere poteſt obex obſtinatæ in malum voluntatis. Aggredere illam, ô Chriſte, & perrumpe valido crucis tuæ impulſu, & quamvis rebellem propitius ad te compelle. Auſos olim jactitare Archimedes eam à ſe inventam machinam, cujus ſi pes alter extra terræ globum figi poſſet, terra tota ab centro ſuo avelleretur. Admirandi iſtius inventi gloria Chriſto ſervanda eſt: qui cruce ſua terrenas noſtras voluntates, & centro affixos affectus emovebit, ſolumque totum ad inferos uſque ſuccutiet.

XVI. Progreſſus ad pugnam.

Sic armatus dux noſter egreditur: præeunt, pro ævi more, tubicines ad ſupplicii ſignum, circumſtant inimici magno numero. Nullúmne adversùs tot hoſtes habebis pugnæ ſocium? Nullum, ut dicere poſſim: *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Niſi forſan ſocii dicantur fuiſſe latrones duo. Sed & ipſi mox de ſociis hoſtes fient, eumque convitiis impetent; ipſorum ſaltem unus, de cruce temporali infæliciter ad æternam præcipitatus: dum alter ſe nocentem faſſus, & ab innocente abſolutus, breve ſupplicium æternâ beatitudine commutat. Dicat etiam quis forſan, Simonem Cyrenæum fuiſſe ſocium pugnæ, quando ad bajulationem crucis adactus eſt: ſed armiger potiùs brevi tempore fuerit, non certaminis particeps. Aſcendunt prætereà Calvariæ clivum, non tam commilitones, quàm ſpectatores, Diva mater, Diſcipulus quem diligebat JESUS, Hieroſolymitanæ matronæ luctum auſæ profiteri; quas Chriſtus ſaluberrimè monuit, ut ſuis potiùs ſuorumque peccatis lacrymas ac lamenta impenderent, quàm alieno ſupplicio. Age, perge, Heroüm generoſiſſime, pugna divinæ gloriæ & ſalutis noſtræ pugnam. Sequemur te oculis animi, ac paſſibus mentis, dicemusque, ut olim arcâ prodeunte: *Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.*

Inter

XVII. *Cum opprobriis certat.*

Inter lapſus, verbera, ludibria, io Calvariam tamdem evadit exhauſtus, defectúſque viribus, planéque ineptus prælio, niſi patiendo magis, quàm agendo, certandum foret. Veſtibus exutus, potatus vino myrrhato, ac felle, fixus ad crucem horrendo cruciatu, tum io ea, ut quidem longè credibilius eſt, erectus, contumeliis undique impetitur; ut de illo aptiſſimè dici poſſit, *ſaturabitur opprobriis.* Omoia contumeliarum genera iterum percurramus, nullumque illi videbimus defuiſſe. In contumelioſis factis primum eſt crux ipſa, probroſiſſimum ſupplicium, de ſe, ex loco, ex tempore. Alterum, quòd latrones inter medius pendeat. Tertium, quòd Regis titulus ludibrio præfigatur. Quartum, quòd veſtes ſanctiſſimæ inter cruentas carnificum manus lacerentur, & jaciendæ aleæ ſubſerviant. Accedunt geſtus, & nutus, medium res inter ac verba contumeliarum genus: *crudeliter ſpectabatur, cor crudele legebatur:* prætereuntes *movebant capita ſua:* nec dubium, quin ludibrio multis aliis ſignia uterentur. Accedunt velut triarii, ac fortiſſima acies, malæ linguæ. Jobum dæmon percuſſerat plagis omnigenis: cùm nîl eviciſſet, ad extremum tamdem malis linguis uxoris & amicorum oſus eſt. Chriſtum plagatum à vertice ad pedes, poviſſimè linguarum tela aggrediuntur. Quid ſacerdotes dixêre? Quid petulantes prætereuntium linguæ expuerunt? Quid denique ipſe, qui proximus Chriſto pendebat, latro evomere auſus eſt?

XVIII. *Manſuetudo victrix.*

O Chriſte, *non audis, in quantis te accuſant?* Non poſſis verbo ſannionibus impiia reſpondere, & protervæ maledicentiæ os ſacrilegum occludere? Cæcos ſanâſti, jacentes erexiſti, mortuos excitâſti, quatriduanum ſepultum evocâſti: temetipſum ſalvum facere, & de cruce deſcendere, nequeas? Sed quando deſcenderis, idcóne fidem tibi habituri ſunt, quibus illam tot manifeſta miracula non expreſsêre? *Accedite filii auguratricis: ſuper quem luſiſtis? Super quem dilatâſtis os, & ejeciſtis linguam?* Super eum, de cujus morte mox elementa omnia ingemiſcent, tellus ſub pedibus veſtris contremiſcet & hiabit, ut vos abſorbeat demergatque ad infernum viventes. Pueris Eliſæum ridentibus ludibria ſua morte ſteterunt: vobis tam atrocia in Deum opprobria aliiſne ſuppliciis, quàm æternis, poſſint expiari? Sic ego quidem ex veteris hominis ſententia, & indignantium affectuum motu, loquerer. At longè aliter novus homo Chriſtus, ex divinæ ſuæ diſciplinæ præceptis: *Pater*, inquit, *ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* En vindictam omnem, quam de hoſtibus ſuis expetit *Deus ultionum, Dominus.* Manſuetiſſime Agne, pro quibus rogas: an pro Petro, qui deflet perjuria? An pro Apoſtolis, quos fugiſſe pudet? An pro Magdalena, ſuppliciis tuis ſimul & peccatis ſuis illacrymante? An pro Chriſtianis, qui te ex infirmitate offendimus? Scis enim, qui omnia noſti, nolle nos ex malitia, & ex deſtinato, peccare. Pro quibus ergo rogas? *Ignoſce*, inquit, *illis* Pontificibus: *illis* carnificibus: *illis*, militibus: *illis*, de plebe ſpectatoribus, & irriſoribus: *illis*, quicumque ſuppliciorum meorum fuêre participes.

XIX. *Et nos manſuetudine vincamur, & vincamus.*

Benedictus ſis ſoaviſſime JESU, benedicta oratio tuo: *exaudiat te Deus in die tribulationis.* Audiris: mox enim latronum unus convertetur: ſtatim poſt mortem tuam centurio, aliique multi revertentur percutientes pectora ſua: nihil tuâ iſtâ manſuetudine potentius erit, ad reconciliandos cum Patre tuo æterno quantumvis induratos peccatores. Audit ergo te Pater orantem, ſed an te filii patrem audiemus? Chriſtiane, id eſt fili Crucifixi: ecce ille tot opprobriis pro te laceratus, & pro te patiens, non ampliùs Patri ſuo, ſed tibi dicit: *Fili, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Illis* qui te offenderunt, qui famam tuam volneraverunt, qui honorem laceraverunt, qui bona invaſerunt. *Ignoſce, quia neſciunt, quid faciunt:* nondum ipſis ſatis notum eſt, offenſa proximi quanta Dei offenſa ſit. *Ignoſce:* per manſuetudinem meam hoc à te poſtulo. Quid agis? Adhúcne dubitas? Ego ultionum Dominus carnificibus meis condonavi: ignovi tibi ipſi: tu homini, qui hominem læſit, reconciliari non vis? Satisfactionem non admittis? Summum jus exigis? Imò ultra juſtum, etiam vindictam expetis, perniciem machinaris? Et voles, ut talem te agnoſcam pro filio? Manſuetudo & patientia lineamenta mea ſunt: ſi ea non habes, filius meus non es. Quid ad hæc reſpondebis, cor Chriſtianum? Quid Servatori tuo, ac patri dices? Abnuéſne tam æquum poſtulatum rogantis in Calvaria, in cruce, in ſanguine, inter tot contumeliarum genera?

XX. *Atrox paupertatis pugna.*

Summam contumeliarum Chriſto inflictarum fuiſſe arbitror paupertatem.

Nil habet infelix paupertas vilius in ſe,
Quàm quod ridiculos homines facit.

Natus Chriſtus ſub vili tecto; non alio jam tegitur moribundus, quàm cælo. Stramen illi naſcenti pro lecto fuit: moriens non habet, ubi caput reclinet. Nato alimentum præbuerunt mammæ pauperculæ mulieris: morituro myrrhatum vinum, felle miſtum, propinatum eſt; brevî acetum offeretur. Natum mater vilibus pannis contexit: jam ne contegitur quidem, & eo loco, eo tempore, in tanta ſpectatorum multitudine, ipſa honeſtas ac caſtitas. O pudorem! O dedecus! Plura nec dicere, nec cogitare quidem ſinit confuſio intellectus mei, in tanta puriſſimi Agni verecundia. Accede mater, & miſerere pudoris tanti, pudiciſſima mulierum: velumque capiti tuo detractum, cruci applica. Prohibent carnifices? At vos ſaltem, *Benedicite Sol, & Luna Domino:* ſubtrahite lumen, &, dum velum Templi ſcinditur, vos Calvariæ, atque orbi univerſo, velum obducite. Conſiderato prodigioſæ eclipſeos miraculo, adſint undique pauperis Chriſti ſpectatores & diſcipuli Chriſtiani: primùm vanitatem ſuam damnaturi, qui veſtium luxui immoderatè indulgent; deinde pauperes, ut inopiæ longè ſuâ majoris comparatione ſeſe ſolentur; denique divites, ut Chriſtum operiant adhuc in membris ſuis nudum, neque audiant aliquando, *Nudus eram, & non operuiſtis me.*

XXI. *Agonia interiorum dolorum.*

Ad verecundiam Chriſti ex pudendâ paupertate tot acceſsêre dolores interni; ut obruto pectore natura quaſi fatiſcens, oneríque malorum ſuccumbens, in triſtem de Patre æterno querimoniam eruperit, & exclâmarit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Cardinalis Cuſani in pſ. 30. ſententia olim fuit: Chriſtum ipſis inferorum doloribus, cùm ea verba pronuntiabat, cruciatum fuiſſe. Quod Auguſtinus Nebriſſenſis, ob debitam tanto viro reverentiam, non rejicit apud Sixtum Sen. Bibliot. lib. 5. Annot. 165. Ipſi noſtri adverſarii, etſi Chriſti cruciatus exaggerare non ſoliti, Dominicâ Catechiſmi decimâ, Calvinum ſecuti lib. 2. Inſt. c. 16. dicunt paſſum omnia damnatorum tormenta: neque interfuiſſe quidquam, niſi quòd illa æterna ſint, & damnati deſperent; Chriſtum autem brevi tantùm tempore damnatum fuiſſe, neque umquam deſperâſſe. Ita diſertè

Calvinus ipſe, & Catechiſmus Calviniſtarum. Quamquam probi auctores non pauci ſcribunt, deſperationem etiam Chriſto à Calvino tribui, recitantque ea de re blaſphemas ejus ſententias ex Evangelica Harmonia. Nec mirer, ſi ſpiritus erroris & vertiginis hîc ſibi contradicat, ut & ſæpiùs alibi. Sed eſto, id non dixerit: ipſe tamen, & ſui, in hoc ipſo de quo agimus Chriſti dolore errant turpiter, cùm dicunt, deſperatione unâ exceptâ, dolores omnes damnatorum ſuſtinuiſſe. Ergo etiam pœnam damni paſſus eſt, lumine gloriæ orbatus eſt, ceſſavit ab amore beatifico? Quod niſi ab homine, qui beatitudinis, & unionis hypoſtaticæ prærogativam ignoret, nec dici, nec tolerari poteſt. Nihil tamen vel abſonum vel improbabile protulerimus; ſi Chriſtum dicamus, illibatâ licèt & inconcuſſâ intellectûs ac voluntatis fælicitate, acerrimum habuiſſe doloris intimi ſenſum, qualis in damnatorum mentibus damni pœnam conſequitur. Lego enim Sanctorum nonnullis, patiendi cupidis, eam à Deo triſtitiam immiſſam; ut experirentur, quantum mortali fas eſt, quàm acerba ſit beati luminis privatio. Cùm autem Chriſtum Deus vehementiſſimos corporis dolores ſuſtinere voluerit: non abs re ipſi ſummos etiam animi tribuemus.

XXII. Dolores exteriores, & ulum.

Sed iſthæc à ſenſibus remota, & pauciſſimis mortalium experta, difficile eſt aſſequi cogitando. Facilius longè fuerit externorum Chriſti in cruce pendentis dolorum, quorum ſpecimen aliquod interdum noſtrâ ipſorum experientiâ tangimus, menſuram capere. Ex illis non incommodè dicere iterum poſſis, Chriſtum inferorum tormenta ſenſiſſe. Denſæ tenebræ viſum damnatorum cruciant; horrendi ululatus, & blaſphemæ voces, auditum; guſtatum acerba ſitis; odoratum tæter cadaverum fœtor; tactum ignis, & frigus. Quis Chriſti ſenſus in cruce acerbiſſimis tormentis immunis fuit? Palpebris ſanguine, ſudore, fletu concretis, utcumque expreſſis, & diductis, oculos aperit: videt quantum horribiles tenebræ ipſo meridie aciem obtundentes ſinunt, ingratiſſimam civitatem, ac plebem: intuetur protervos nutus, geſtus, ſubſannationes exultantium adverſariorum: adſpicit mæſtam matrem, & illacrymantem filio, inter carnificum & militum catervas. En graviſſima oculorum ſupplicia. Auditum torquet confuſus populi clamor, diſſilientium rupium fragor, impiæ aleam jacientium ad crucis pedem carnificum voces. O quanti Chriſto ſtetêre oculorum noſtrorum, & aurium commiſſa! Guſtatum urit ſitis ardens, non alio potu, quàm aceti, recreanda: in figuram acerbarum cogitationum & actionum, quibus ſuavitatem lædimus debitæ Deo ac proximo caritatis. Calvariæ fœtor, halituum undique ſpiſſata denſitas, ſputorum graveolentium & adhuc faciei hærentium nidor, Chriſti odoramenta atque unguenta ſunt, & mollitiem ſuam delicatis nimiùm Chriſtianis exprobrant. Senſuum Chriſti nullus tactu acerbiùs luit; quia tactu graviùs ac ſæpiùs homines, quàm ſenſibus cæteris, peccavêre. Ideò *à planta pedis, uſque ad verticem capitis, non eſt in illo ſanitas: ſed vulnus, & livor, & plaga tumens.* Artus omnes laceri, nervi omnes diſtenti, exhauſtæ venæ, palpitantes arteriæ mortem jam admisêre, & dolorem nondum amisêre. *Conſummatum eſt;* nondum tamen conſummati ſunt cruciatus. Ad extremum uſque ſpiritum patitur: finis ipſe dolendi ſummus dolorum eſt; quia arctiſſimum tam innocentis animi, cum tam obſequenti corpore, vinculum abrumpit. Emittit vocem magnam Verbum Patris: unigenitus Dei & Virginis dicit, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: inclinat cervicem caput Angelorum & hominum: lux mundi diem claudit, vita moritur.

XXIII. Inde Chriſtianorum benedictio, & ſalus.

Quorſum adhuc in Calvaria manes, dilecte diſcipule magiſtri mortui? Actum eſt: niſi fortè vis ſpectare poſt mortem pertuſum lanceâ pectus, & quidquid reliquum erat cruoris in amabili corde, effuſum nobis, & impenſum. Quid autem tu, mæſta mater, exſpectas? An dum corpus filii de cruce in gremium tuum deponatur, ut ejus vulnera magis ex propinquo numeres, & pertentes? Numquam, mulierum fortiſſima, magis Victoriæ nomen promerita es, quàm in Calvariæ monte, ſtans apud viventem Crucifixum, ſedens in complexu mortui. Sed nos, Chriſtiani, quid adhuc manemus? Non dimittemus te, ô Angele Teſtamenti, ô luctator generoſiſſime, donec benedixeris nobis; & eam gratiam largitus ſis, quam mors tua hominibus omnibus impertita eſt, ſi tantùm ſeriò velint. Volumus, & ſeriò velle volumus, ô arbiter voluntatum noſtrarum. *O pater*, qui nos inter crucis tormenta parturiſti, qui nobis lineamenta tua divinorum Sacramentorum beneficio impreſſiſti, *In manus tuas commendo ſpiritum meum:* jungatur tuo, ſubdatur Deo, patientiæ ſerviat, manſuetudini mancipetur, ſilentio coërceatur. Facultates, honores, corpus, vitam lubens ad pedes tuos, pro me perfoſſos, abjicio. Laceretur hoc ſimulacrum hominis, comminuatur, pereat: ut animus non pereat, & *ſpiritus ſalvus fiat* gratiâ tuâ, exemplis tuis. *In manus tuas*, pro me pertuſas, illum depono: fortiſſimæ ſunt, eòque robuſtiores, quò magis laceræ: *nemo rapiet de manu tua.* Si tamen neque iſte locus ſatis adhuc ab hoſtibus tutus eſt; in aſylo ſecuriſſimo collocabo, intra pectus tuum & cor diffiſſum. Ibi, ô Chriſtiani, pariter vivamus, ibi moriamur unà, juncti nunc in amore JESU, & ſemper jungendi. *Reſpice quæſumus, Domine, ſuper hanc familiam*, &c.

SECTIO SECUNDA.

Teſſera militaris ab Imperatore Chriſto commilitonibus data: Vigilate, Suſtinete, Orate.

I. Chriſti monita tria.

VERBA hæc à Chriſto caris Apoſtolis in horti ingreſſu dicta ſunt. Prudentiſſimus ſimul ac fortiſſimus Imperator in ipſo triplicis certaminis, quale jam deſcripſimus, apparatu, commilitonibus ſuis, ante incipiendum congreſſum, militarem teſſeram dedit. Octo ad horti januam juſſi erant ſubſiſtere: in urbe unus ad proditionis infandæ molitionem manſerat: reliqui tres cum ipſo in hortum introiêre. Mox Chriſtus illis triſtitiam ſuam aperuit, ac ſubjunxit Matth. 26. & Marc. 14. *Suſtinete hic, & Vigilate.* Græcus textus habet *μείνατε*, id eſt *manete*: ubi noſter poſuit *ſuſtinete*, aptiſſimo ſenſu; quia manſuri illîc ſine ſuſtinentia & patientia non erant Apoſtoli. Ad binas illas voces tertiam addit Chriſtus Luc. 22. *Orate, ne intretis in tentationem.* En tres maximi momenti voculas: *Vigilate, Suſtinete, Orate.* Ut illas audiamus, ingrediamur & nos in hortum Paſſionis. Hortum? An dumetum? An cruentam arenam, & horroris ac furiarum theatrum? Imò, non

hortum

Digitized by Google

hortum ſolummodò, ſed Paradiſum terreſtrem; obi nobis arbor vitæ æternæ; ubi fons rivis quatuor irrigaturus animos noſtros, & fœcundaturus: ubi ſerpens nullus, nulla deceptio, ſi Vigilare, & Suſtinere, & Orare diſcamus. O Virgo Mater, quid tota hac nocte, & die Paſſionis feciſti? Quamquam dies tunc oon fuit, cùm Sol tuus ac noſter eclipſin tam obſcuram paſſus eſt. Vigilâſti ea nocte, ſuſtinuiſti, orâſti. Plorans plorâſti in nocte, & lacrymæ tuæ in maxillis tuis. Adjuva ut te imitemur, & ex Paſſione filii tui non tantùm affectus tranſeuntes & evanidos, ſed ſeriam ac manſuram doctrinam hauriamus.

II. *Chriſtus lux in nocte Paſſionis.* Priſcus ille Heros Huſſites, quem ſuſtinendi magiſtrum habuit antiquitas, vigilandi etiam orandique doctorem accipere potuit: qui è perfectiſſimis fuit Chriſti figuris; cùm bonis omnibus amiſſis, & ulcere peſſimo ad plantas à vertice percuſſus, contumeliasque, ac probra, vel à conjunctiſſimis, in ſterquilinii aut fimeti throno, excipiens, exhiberet illum, bonis univerſis, id eſt honore, pulcritudine, ſanitate, viribus, innocentiâ, quantùm fieri poterat, ſpoliatum, & in cruce probroſis vocibus ac maledictis undique impetitum. Is ergo Jobus cap. 11. cum Sophare, ex amicis uno, colloquens, hanc ſententiam audiit, veritatis inconcuſſæ, ſimulque magni ad omnes miſeros ſolatii. *Quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam: &, cùm te conſumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* Macte animo vir magne: impugnâris, ſed vinces. Nox tibi atra calamitatum incumbit, ne ſtellulæ quidem tenebris internicare videntur: ſed in tam denſa caligine meridies tibi illuceſcet. Ita nigra ſunt omnia, ut quaſi ad nihilum deveneris: ſed occaſus iſte tuus ortum tibi aperiet, ſplendoremque ac lumen non deſiturum accendet. Quod in vulgata habemus verbum, *Orieris*, Hebraico-Arabicè eſt *Havaph.* Quod verbum ſimul *obſcurari*, & *ſplendere*, ſignificat. Ita ſcilicet obſcuritas omnis, quæ à miſeriis provenit, ſi benè inſpiciatur, caligo ſimul & lux eſt; ex caligine ſaltem lucem producit.

III. *Illuſtris Chriſti doctrina.* Semper nobis magnus eſt, ſemper lucidus ac ſpectabilis Chriſtus; ſive in præſepio, ſive in ſinu matris, ſive in educatoris officina, ſive in itineribus, ſive in domibus: ſive in plateis, ſive in Templo: ſive in jejunio, ſive in conviviis: ſive in colloquio cum unâ Samaritanâ aut muliere peccatrice, ſive in circulis & concionibus: ſive in ſermonibus, ſive in miraculis. Numquam tamen major, & ſpectabilior, quàm in Paſſione: obi omnes ipſius geſtus nobis ſunt exempla virtutum, omnes ejus paſſus duces æternitatis, omnia ejus verba leges ſunt & axiomata vitæ ad Dei voluntatem ordinandæ ac perficiendæ. Priſcorum, ratione ſolâ inſtructorum, verbum eſt, perfecti conſummatique ſapientis regulam vocibus duabus comprehendi, *Abſtine & Suſtine*, ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Nihil enim tranſverſam hominis voluntatem agit; niſi vel caducorum bonorum immoderatus appetitus, vel fuga inquieta & immodica temporalium malorum. Ab illis, ubi virtuti nocent, *Abſtine*: hæc, cùm incidunt, *Suſtine*: & perfectus es. Magni documentum iſtud facio, aliáſque iterum commemorabo: oec contemnet, qui ſciet, Hieronymis, Auguſtinis, Chryſoſtomis, imò & Paullo ipſi Apoſtolo, bonas veraſque voces ex ore Paganorum non diſplicuiſſe. Aquam limpidam non ſperno, licèt per plumbeum ſcyphonem effluat: nec liquorem averſor, qui per ligneum tubum traducitur. Melius tamen eſt ac longè ſuaviùs, eamdem doctrinam haurire de fontibus Salvatoris, & ore ipſius Sapientiæ divinæ incarnatæ erudiri.

IV. *Exempla ejus ſancta.* *Vigilate*, inquit, & *Suſtinete*. Ne peccatum vos invadat, ne offenſam committatis, *Vigilate*: agite diligentes excubias, & ſcitote perpetuum eſſe ab inſultibus hoſtium periculum, vobiſque eſſe colluctationem adversùs *principes tenebrarum*, de quibus illud dici poteſt Job. 30. *Qui me comedunt, non dormiunt.* Deinde quia in loco Paſſionis eſtis, ubi terra ſpinas & tribulos germinat, ot in ſtatione veſtra conſtantes maneatis, *Suſtinete*, patientiâ vos armate: in *patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Væ enim his, qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Sed quia *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*: & vigilare pariter, ac ſuſtinere, homini delicato ac debili admodùm difficile, imò prorsùs impoſſibile eſt, niſi cælitùs juvetur: ideò os veſtrum ad gratiarum ſcaturiginem admovete: *Orate, ne intretis in tentationem.* En ternas Chriſti leges, ſingulis vocibus comprehenſas, intellectu faciles: quáſque ut propenſiùs ac lubentiùs ſervemus, exemplo ipſe præire voluit. Non enim de magiſtrorum iſtorum numero eſt, *qui alligant onera gravia & importabilia ſuper humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Sed de illis, qoi præcepta ſua coram diſcipulis explicata, effingunt ipſi re quapiam præſenti, & ad exemplum proponunt. *Cœpit JESUS facere* ſimul, & *docere*. Nam Paſſio Chriſti univerſa, quid aliud eſt, quàm perpetua vigilantia, ſuſtinentia, & oratio? Non clauſit oculos corporis: ut nos animæ lumina non claudamus. Suſtinuit omnis generis mala: ut nos aliqua pati non recuſemus. Oratio ipſius in ſinu ejus converſa eſt, & ex ore interdum erupit pro ſe & pro nobis: ut nos pro nobis, eo interventore, fidentiùs oremus. Ubique ergo in Paſſione tres eas leges docemur: maximè tamen in Horto vigilantiam: in urbe ſuſtinentiam: in Calvaria orationem.

V. *Chriſti in horto vigilantia.* Plotinus ex Platonis diſciplina philoſophus, ita ejus doctrinam imbiberat, ut diceretur, *Anima Platonis.* Utinam & oos ita Chriſti præceptis imbueremur, ut ipſe in nobis dici poſſet vivere. Nonne tibi videtur optimus magiſter, cor ſuum & animam transfuodere in diſcipulos iſtos voluiſſe, quibus aſſumptis, cùm cœpiſſet pavere, tædere, & mæſtus eſſe, dixit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem:* deinde, cum labore ac dolore magno, *Avulſus eſt ab eis, quantum jactus eſt lapidis*, quaſi à ſeipſo divelleretur? Tum *poſitis genibus, procidit in faciem ſuam.* Priſcus ſcriptor acris judicii, Salluſtius in Jugurtha, de Principe quodam loquens mortem expectante, *Ægrum*, inquit, *animum, ut fieri ſolet, ſomnus cepit.* O quàm æger eſt Chriſti animus in horrendæ mortis exſpectatione! An fortè cum ſitum corporis quærit, ut fatigati ſolent, ad interquieſcendum paulliſper? Qui ventos inter, ac procellas, & imminens naufragii diſcrimen ſecurus obdormiit: an etiam indormiſcet inter fluctus timoris, & tempeſtates tædii ac triſtitiæ? *Procidit in faciem ſuam:* ut jacentem in veterno ſuo peccatorem, terræ appreſſum, indignum qui levet oculos ad altitudinem cæli, mole pravæ conſuetudinis obrutum, repræſentaret. *Procidit in faciem ſuam*: ut ab humilitate orationem ſuam inchoaret; quia *oratio humiliantis ſe penetrat cælos*, & cum vilitatis noſtræ conſcientia *loqui* debemus *ad Dominum, pulvis & cinis.* Poſtquam aliquamdiu cogitabundus eo ſitu jacuit: in genua erectus erumpit in haſce lacrymoſas voces: *Pater, Pater, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte.* Non tantùm tranſeat fructus calicis mei ad fideles diſcipulos; ſed etiam prorsùs à me tollatur.

VI. Quomodò oret.

Hanc petitionem dat Chriſtus naturæ. Sed mox ut oſtendat rationem ſupremam, & obedientiam caritatemque erga patrem ſuum ac nos, ſemper in ſe vigilare: *Verumtamen*, inquit, ô Pater, *non mea ſed sua voluntas fiat*. Repetita eſt ter oratio, cum ea lucta; ut frigefactus primùm timore ac triſtitiâ, & ad cor denſatus ſanguis, mox ardore animi excalefactus, diductuſque, & ad extrema fuſus, per poros eruperit. Adeſt Angelus, *vigil de cælo*, quomodò Angelum vocat Daniel cap. 4. & Regem Angelorum ſolatur. Nobis homulis injuriæ inſtar eſt à minore conſilium, ſolatiúmve: & ecce *magni conſilii Angelus*, ille cujus nomen eſt *Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis*, ab Angelo conſortatur. Elias mæſtus ac profugus 3. Regum 19. obdormiſcit in umbra juniperi, excitaturque ab Angelo, cum his vocibus: *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via*. *Surge*, ô Chriſte, *bibe* calicem, quem dedit tibi pater: grandis enim tibi reſtat via, emetienda ſanguineis paſſibus ad Calvariam, & ad mortem uſque.

VII. Vigilantia inimicorũ Chriſti.

Surgit Chriſtus ab oratione, iterum ac tertiò eamdem repetiturus, & vadit ad diſcipulos, & *invenit eos dormientes*. Ubi lex mea eſt? Vigilare vos juſſi, & pro vobis: *Sicccine non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum*; exemplo meo, pro vobis excubantis? Si voces & exempla magiſtri vos non movent: diligentia ſaltem inimicorum meorum vos extimulet. Dum dormitis, ipſi conſultant, concurſant, armantur, accurrunt, appropinquant. *Dormite jam*, ſcilicet *& requieſcite*, dum *appropinquat, qui me tradet*. Gregorius X. ex Theobaldo Archidiacono Leodienſi Pontifex Max. epiſtolâ ad Henricum Gueldrum Epiſcopum ac Principem Leodienſem, rebus ſuis indormiſcentem, commendans ſpirituales vigilias: *Plus*, inquit, *vigilare*, *plus vivere eſt*. Deinde adducto nautæ, paſtoris, viatoris, militis, Regis, vigilantium exemplo: *Si*, inquit, *tanta exiguntur vigiliæ, ubi de caducis agitur; ſolicitudinis oculus claudi non debet, ubi fructus quæritur animarum*. Siracides Eccli. cap. 31. *Vigilia*, inquit, *honeſtatis*, ſive ad opes comparandas, *tabefaciet animam, & cogitatus illius auferret ſomnum*. Ampliùs, vel poëta teſte:

Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones.
Ut teipſum ſerves, non expergiſceris?

Pro divitiis perituris, pro dignitate vana, curritur, ſudatur, vigilatur: imò ad damnationem, ad theſaurizandum vindictam in die iræ, quies & ſomnus excutitur. Tu, quid pro æterna animæ ſalute?

VIII. Unde veternus ſacerdotum Judæorum?

Mirum ſanè eſt quomodò Annas & Caiphas, atque alii principes ſacerdotum, ad tantum flagitium devenerint, ut Deum, ac Meſſiam, at ſaltem inſontem, damnatum ac perditum vellent: *dicente Domino*, ut juſtus Daniel loquitur, cap. 13. *innocentem & juſtum non interficies*. Legerant verba tam aperta, Exod. 23. *Non ſequêris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies. Inſontem & juſtum non occides: quia averſor impium*. Sed nimirum, quod Daniel de duobus ſenibus, *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos; ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*. Clauſerunt oculos, ne vigilarent. Invidia, & cognata vitia, fumos craſſos & nigros ad cerebrum miſêre. Inde ſomnus, imò lethargus, à quo nec beneficiis, nec minis, nec verbis, nec miraculis excitati ſunt. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Quid faciatis? Ut Deum honorate: quot enim miracula patravit, ut Deum fateremini? Deus autem teſtis eſſe falſi non poteſt, Accipite ſaltem ut Prophetam magnum, ut Meſſiam, argumentis innumeris conteſtatum. Ita vigil ratio ſuadebat; ſed invidia, ambitio, avaritia, & prudentiæ larvam induta fallacia politica, obmurmurabant: Illúmne nos pro Meſſia excipiamus, & Romanos exacerbemus, ad omnem ſeditionis ac rebellionis ſuſpicionem intentos? Illi reverentiam exhibeamus, & dignitatem noſtram tam caro redemptam ſubmittamus? Agebatur ea tempeſtate cum Judæis per Romanos præſides, quomodò hodie per Turcas cum infælicibus Græcis. Is Conſtantinopoli Patriarcha fit, qui plus auri infert Otomanicæ portæ: ſi pendere vel deſinit, vel nequit; ſufficitur alius, qui poſſit. Inſtar eſt arboris poeticæ, cujus ramo

—— uno avulſo, non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo:

iiſque ramis opus erat, ex Sibyllæ Cumææ pronuntiato, ut ad inferos aditus pateret. Ita iſto ævo Hieroſolymæ Pontificatus venalis proſtabat, & emebatur quanti plurimi, fiebantque alteruis aurei Principes ſacerdotum. Aureo Anna deficiente, & annuum magiſtratum abdicante, gener in ſoceri locum irrepit, nec deficit Caiphas *Aureus*; & Caipha deficiente, tertius *Aureus* itidem ſubnaſcetur: & omnes cum ramis ſuis facilè deſcendent in Avernum, ſed non revocabunt gradum. *Quid facimus? Expedit unum hominem mori. Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, & ſic utrumque amiſerunt*, ſomnumque ſuum morti utrique conjunxerunt.

Non adeò miror ſatellites, ac ſervos, ad innocentem capiendum properantes. Dominis obediunt, auctoritate & exemplis ducuntur. Timent diſplicere. Deinde in lege verſati non ſunt, major illorum eſt ignorantia: adeóque excuſabiliùs peccant. Indubitatum quidem eſt, audita illis Chriſti miracula & ſanctitatem: imò & nunc manſuetudinem ipſius ſimul & poteſtatem ſpectant, in illo petulante ſanando, cui abſciſſa erat auricula dextra. Sed & ipſi auriculam dexteram amiſerant, non audiebant de Chriſto niſi ſiniſtra; pro impoſtore ipſis pingebatur. Occurrit illis Chriſtus, & ſciſcitatur: *Quem quæritis? Ego ſum*. Cadunt ipſi *retrorſum*; ſupini, quà non vident, terræ affliguntur: adeò ſurdi ſimul erant, & cæci. Sanatus à Chriſto cæcus, pronus procidens adorat medicum: ipſi contra ſupini labuntur. *Excæcavit illos* non tam *malitia* ſua, quàm herorum, & nequitia ductoris; qui inculcat, voce obſcurâ & tremulâ, ex conſcientia ſceleris: *Quemcumque oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè*; ne ſolitis artibus, quomodò aliàs, evadat. IX. Unde ſopor ſatellitum ac ſervorũ

At quis ille eſt ſcelerati agminis princeps? Propiùs hominem inſpiciamus ad laternarum & facium lumen. Video cogitabundum, ſolicitum, fluctuantem, oculis attonitis, pallidis genis, lividis labris, nutante paſſu, pedibus incertis, nunc properantem, nunc hærentem. Diceres modò cæpti pœnitere, modò pœnitentiæ. Reſiſtit, recedit, accedit, amplectitur JESUM, oſculatur. *Amice, ad quid veniſti?* Ergóne dux latronum amicus eſt tuus, ô Chriſte? Imò & diſcipulus, & triennio comes, & auditor concionum, & teſtis innocentiæ ac potentiæ. Quod monſtro illi nomen eſt? Elegans ac pulcrum: quomodò homines vitiis ſuis ſpecioſa nomina imponere ſolent. A laude Dei ducta eſt ejus appellatio: eadem quæ Machabæo, eadem quæ generoſiſſimo Jacobi filio, eadem quæ alteri ex Apoſtolis. Audi nomen proprium ex ore Chriſti: *Juda, oſculo filium hominis tradis?* Amicus, diſcipulus, Judas es, & prodis? X. Lethargus Judæ Iſcariotæ.

Atquem

At quem? Magiſtrum, quem ſi iſti accuſent, debeas defendere. Regem tuum, qui ſi captivus eſſet, vel morte tua liberare oporteat. Patrem tuum, Meſſiam tuum, Deum tuum. Non audis naturam, rationem, fidem, conſcientiam, ſuperos, inferos, omnia tibi occlamantia: *Iuda, & oſculo* quidem, & tam amabilem *filium hominis* hoſtibus *tradis*, inhumane, deteſtabilis, impie, parricida? Fruſtra clamores noſtri. Non expergiſcetur, niſi furioſâ pœnitentiâ & ſerâ. Cantu delicati aliquando excitati: alii profundiùs dormientes ad vociferationem, vel ſtrepitum, de ſomno exſiliunt. Quàm ſuaves Chriſti voces ad Judam: quàm terribiles conſcientiæ reæ clamores, *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum!* Manet tamen ſopitus alto peccati veterno, quia præceptum Domini ſui de vigilantiâ non obſervavit. Concupiſcentia evertit cor ejus, & cerebrum invaſit. Habendi avidus erat, viis primùm juſtis, tum minutulis furtis, pòſt majoribus; denique furto proditionem jungit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Apoſtolus, depoſitarius eleëmoſynarum, inde avidus, mox avarus, paullatim *fur erat & loculos habebat*, hinc factus *proditor*, exinde parricida, tum deſperans, ad extremum damnatus. Vigilaſſes miſer, ut te concupiſcentia non occuparet.

XI. Dormivêre etiam Apoſtoli.

Et vos, ô Apoſtoli, utinam vigilaſſetis: non tam dedecoroſâ fugâ deſeruiſſetis Dominum. *Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Non diſceſſerunt ſolùm; id enim Chriſtus petierat, *Sinite hos abire*; ſed turpiter *omnes fugerunt*. Parcendum ruſticano illi juveni, qui ad tumultum è lecto in ſindone exſiliens, omiſſâ ſindone profûgit. At quis vobis parcat, ô diſcipuli mei; quos, poſt tam ſerias fidelitatis promiſſiones, lymphaticus terror inopes conſilii diſpergit, velut oves ſine paſtore? Non meminiſtis dictorum meorum ac veſtrorum, abhinc horas quatuor? Sed nec ratio, nec fides vigilant: *Non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* Atque utinam ibi ſtetiſſet diſcipulorum infidelitas: ingredientur aliqui in urbem, & unus illorum, horreo dicere, dicendum tamen, apoſtata fiet. Ah *Simon dormis?* Sed benè habet: videbimus mox peccantem, videbimus pœnitentem: videbimus ſopitum, videbimus evigilantem; poſtquam Sol miſericordiæ ipſius oculos aperuerit; *& converſus Dominus reſpexerit Petrum.*

XII. Chriſtianos evigilare oportet.

Tunc experrectus ipſe nobis inclamabit quotidie: *Fratres, ſobrii* attentique *eſtote, & vigilate*, velut inter medios hoſtes; *quia adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret*; 1. Pet. 5. Et comes ejus Paullus, ingenti clamore à Chriſto expergefactus, dicet Rom. 13. *Fratres, hora eſt, jam nos de ſomno ſurgere.* Pudeat ſtertere in claram diem. Non videtis Evangelii radios? Non ſpectatis auream lucem veritatis, prænuntiam æternitatis? O quàm damnoſus eſt ſopor alieno tempore! Dormit Samſon: cæſaries, Nazaræatûs inſigne & virium pignus, abſcinditur. Dormit Saul: à Davide exarmatur. Dormit Siſara: clavo configitur. Dormit Isboſeth: à proditoribus conficitur. Dormit Holofernes: capite truncatur. Dormit Jonas: tempeſtas illi naufragium parat. Dormit Tobias: excæcatur. *Cùm dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici.* O quàm pernicioſus animi ſomnus, quando non excubatur adversùs peccatum! Quomodò Pontifices ad tantum flagitium jubendum, miniſtri ad exequendum, venerunt? Quomodò ad proditionem Judas, diſcipuli ad fugam? Edocti illorum damno, *Evigilate juſti, & nolite peccare.* Ita iterum Paullus inclamat, 1. Cor. c. 15. Chriſtus ipſe quàm ſeriò vigilantiam commendat paucis ante Paſſionem diebus. Mar. 13. identidem repetens, vigilandum, & *omnibus* quidem: ne quis tergiverſetur, & frivolas excuſationes prætendat, cauſſeturque, difficilem nimis eſſe hominum pleriſque continuam iſtam ad non peccandum attentionem. Memini aliquando me adoleſcenti nobili, percaro & pernecеſſario, ad Academiam proficiſcenti, hæc monita ſcripſiſſe: *Ne Deum offendas, hominis ullius aut rei gratiâ. Nec te aut ſanitatem offendas, voluptatis gratiâ. Neque hominem ullum offendas, animi gratiâ. Ipſe offenſus ab aliquo, facilè redeas in gratiam.* Præceptorum iſtorum ſummum ac capitale, primum eſt. Eam à nobis vigilantiam poſtulat Chriſtus, ne ullâ umquam cauſsâ Deum ſcientes, volentes, offendamus. Quid cauſſamini? *Non poteſtis unâ horâ vigilare mecum?* Vita omnis præ æternitate vix horulæ ſpatium eſt. Horulâ illâ totâ excubate vigili mente adversùs peccata. Non audiſtis, quid hoſtibus meis dixerim: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum?*

XIII. Duplex Chriſto materia ſuſtinendi.

Verè *poteſtas tenebrarum* tunc dominabatur, ad congerendam in Chriſtum materiam *ſuſtinendi*; & obruendam malis, ſi fieri poſſet, ejus indomitam patientiam. Faciliùs eſt mala corporis, aut fortunarum ferre; ſi damno honoris, & malis animi, conjuncta non ſunt. At ubi ſimul utraque ingruunt, quàm acerba eſt perpeſſio? Si corpus non affligeretur, animo ſolatium aliquod daret: ſi animus non cruciaretur, corporis ſenſum leniret. At ubi uterque premitur ac gemit, ſine conſolatione domeſticâ dolor eſt. Sic fuêre quæ Chriſtus ſuſtinuit, ex quo ipſum inhumani ſatellites comprehendêre, ad mortem uſque: conſpiravit ſemper corporis & animi cruciatus, & major ſemper ac major, nullo reſpirandi & interquieſcendi dato ſpatio. Dedecoroſum fuit Chriſto, quando *cohors & tribunus & miniſtri comprehenderunt eum*, velut facinoroſum hominem: durum fuit, cùm *ligaverunt eum*, & ſtrinxerunt, ut ducerent cautè ex præcepto Judæ. Quid ſi etiam raptârunt, percuſſerunt, præcipitârunt? Probroſum fuit *Annæ* ſiſti rei inſtar, *interrogariq̃*, ſi tamen ibi factum, *de doctrina, de diſcipulis*: probroſum item ſimul ac durum, *alapâ* percuti à miniſtro, ob reſponſum ſapiens. Turpe deinde, cùm Caiphæ juſſu in concilium inductus, pro ſcelerato ac blaſphemo habitus eſt: durum ſimul ac probroſum, quando velatis oculis pro falſo propheta illuſus, cæſúſque alapis, ac percuſſus in faciem. Quas omnes contumelias ac dolores tantâ patientiâ tulit; ut vel nîl dixerit omninò, vel ea dixerit, quæ hoſtibus ſuis, ſi vellent audire, ſalubria forent.

XIV. Patiens Chriſti clementia erga Petrum.

Ex univerſis, quæ triſti illâ nocte Chriſtus in Annæ Caiphæque domo paſſus eſt, acerbius ipſi nihil accidit, quam Petri negatio. Ad ancillæ vocem dejicitur coloſſus: columna cæli cadit ad unicam reſpirationem puellæ: ad voces ſervulorum, rupes, Eccleſiæ fundamentum firmatura, conteritur. Negat ſe diſcipulum eſſe Chriſti, & pernegat. Putas te à Chriſto, miſer, non audiri? Videri te, quia velum oculis ipſius obductum eſt, non exiſtimas? Neſciat negare, qui negaturum ſcivit? En quid præfidentia nimia faciat, quid negligentia fugiendarum peccandi occaſionum. Præfidenter ſe jactavit: dormivit: impetum animi in vulnerando Malcho ſecutus eſt: fugit trepidè: imprudenter rediit: domum impiam intravit: inter improbos verſatus eſt, imò & aſſedit: peccavit, ex Apoſtolo apoſtata: mox tamen ex apoſtata

pœnitens; quando *egreſſus foras*, occaſionibus peccandi vitatis, *flevit amarè*. *Abundavit fletus, ubi non deſunt affectus*, inquit D. Leo ſerm. 9. de Paſſione, *& fons caritatis lavit verba formidinis*. Ex Chriſti vaticinio *cantavit gallus*, animal, quod ſecreto naturæ impulſu ad certos Solis flexus vocem edere, & tempora indicare aſſolet. Idcircò ſymbolum eſt veritatis, & in ſummis Chriſtianorum templorum turribus collocari conſoevit: ut intelligatur, quàm aperta debeat eſſe veritas, quàm excelſo loco & extra teli jactum, quantique ab omnibus fieri. Sapientia Prov. 9. in mœnibus & in turribus civitatis dat vocem ſuam: in Chriſtianis urbibus, quæ ſunt *civitates veritatis*, quomodò Zacharias cap. 8. Hieroſolymam nominat, veritas etiam altiùs debet inſonare. Itaque gallo canente excitatur Petrus. Erant, ut quidem arbitror, in Caiphæ prædivitis & ambitioſi hominis domo, equi, canes, ſimii, pſittaci, pavi, falcones, forſan & luſciniæ, carducles, alaudæ, aliæque aviculæ ad oblectamenta aurium: ſymbola adulatorum, jocatorum, paraſitorum, artificum loquendi & garriendi, qui in domibus Principum aluntur. Eorum hinnitu, latratu, ſtridore, voce, cantu, excitari Petrum Chriſtus noluit; ſed ad cantum veritatis. Nec veritas profeciſſet, niſi miſericordia patientiſſima optimi Salvatoris acceſſiſſet. *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi*, in loco horroris & impietatis. *Oculi Domini ſuper juſtos* olim, nunc etiam ſuper injuſtos. *Converſus Dominus reſpexit Petrum.*

XV. Imitanda erga peccatores patiẽtia Chriſti.

Et tu, ô Petre, *aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Diſce ex miſericordia Chriſti patientiam erga peccatores, manſuetudinem erga pœnitentes. Magnorum virorum eſt, imò Eccleſiæ eſt, imò Chriſti eſt, *Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.* Quid reconciliari petentem, dolentem, pro venia ſupplicem, torvè & acerbè excipis? Non vides quemadmodùm Chriſtus erga Petrum, & erga peccatores alios ſeſe geſſerit? Trium olim generum fuiſſe dicuntur flagitia publica: ob quæ Chriſtiani ad mortem uſque arcebantur publico Fidelium cæterorum conſortio, & manere ſemper cogebantur in ordine pœnitentium. Eáque aiunt aliqui eſſe peccata ad mortem, de quibus D. Joannes epiſtolâ 1. cap. 5. Paullatim rigor ille diſciplinæ clementiâ Eccleſiæ remiſſus: manſere tamen diu anni ſeptem pœnitentiæ publicæ, pro publico peccato. Sed Leo IX. peccatoribus maximis nonniſi jejunia tria diebus Veneris indicere ſolitus fuit: & objicientibus ſuis, id verò eſſe criminum incitamentum: Vos, inquit, potiùs me reprehendite, quòd peccator duriùs peccatores pœnitentes tractem, quàm ille, *qui peccatum non fecit*. Numquam enim in Evangelio reperietis jejunium, aut flagellationem, ab ipſo pro peccatis impoſita. Pœnitentibus dixit: *Vade, & amplius noli peccare.* Ita narrat Raderus Bavariæ ſanctæ, tom. 2. pag. 200. Quis tu es, acerbe increpator & punitor pœnitentium? Tam ſanctus & innocens forſan, quàm ille quo de Bellarm. lib. 2. de arte moriendi. Interrogatus ſub mortem, nihilne ſibi conſciret? Nihil, inquit, Deo gratiæ: expiata ejus beneficio omnia. At nulláne ſunt tibi peccata omiſſionis? Nihil, quod feciſſe debueras, neglexiſti? Ad hanc quæſtionem æger flere ubertim, & ſingultire. Peccator es, quicunque vivis; patientem miſericordiam Dei expertus es, etiamque debes experiri: *& tu, aliquando converſus, confirma fratres tuos.*

XVI. Infirmitas humana

Diluculo iterum coactum concilium, iterum accuſatus ac condemnatus Chriſtus: *Et cùm ſolus innocens*, ut ait Chryſol. ſerm. 49. *omnes inveniret reos, ad judicium pietatis immenſa, maluit ſubire, quam irrogare ſententiam*: & quidem blaſphemi, & bis, ac ſecundâ quidem vice in concilio magno, quod Sanedrim dicebatur. Inde ad Pilatum ductus, ab eo ad Herodem, ab hoc iterum ad Pilatum. In his Chriſti probroſis & dolendis ambulationibus, ac protractionibus, infirmitates duas inſignes hoſtium ejus adverto: judicii primam, alteram voluntatis. Judicio laborant doctores a voluntate laborat judex, qui eſſe debuit regula morum. Delegati à concilio, ſunt de præcipuis doctoribus legis: obſequium Deo præſtari judicant, ſervandâ exteriore cæremoniâ, de non ingrediendo Pilati prætorio. Stulti, qui cæremoniis putent Deum indigere: quas ipſe non ſibi, cùm cordis inſpector ſit, ſed nobis conſtituit; ut ſignis illis corporeis oſtenderet, quid animo vellet fieri. Manus emunda; ut diſcas mundare cor. Fuge domos Infidelium; ut eorum opera vites. At illi manus lavant aquâ maris ænei, cor ſanguine Chriſti commaculant. Domum Infidelis non intrant, opera Infidelibus pejora committunt. O infirma & inſana judicia! Sed quàm debilis in Pilato voluntas? Qui interrogatum Chriſtum, etſi inſontem judicet, liberare tamen non audet, ne diſpliceat: inde occaſionem arripit mittendi ad Herodem, deinde probroſè componendi cum Barabba. *Eſt turba ſemper argumentum peſſimi*: erit & Pilati.

Chriſti nova eſt patiendi materia.

XVII. Flagellatio, & coronatio.

A probro ad dolores corporis ſimul, & contumelias, venitur. Utrumque habuit flagellatio, ſervile ſupplicium: in quo *velum Templi ſciſſum*, ſacratiſſima pellis ac caro, quæ *templum* corporis illius *non manufactum* tegebat, lacerata eſt: nihil integrum niſi caput, cui corona nova paratur, ad dolorem maximum pariter ac ludibrium. *O quàm acres habet dolorum aculeos contumelia, quam inferior imponit*, ut ait Nazarius Conſtantini panegyriſtes! O quàm acres habebit dolorum aculeos corona contumelioſa, capiti Chriſti imponenda! Lego papyraceam capiti Carabæ impoſitam Alexandriæ: ferream candentem Comiti Atholiæ: ſtramineam Duci Eboracenſi. At ſpineam, & quidem è præacutis ſpinis, cui umquam paratam legimus? O diadema tam auguſto capiti malè conveniens! Date ſertum è roſis, *ſpecioſo formâ præ filiis hominum*. Tegatur candidis liliis, *in cujus ore non inventus eſt dolus*. Lauro cingatur, cui Propheta præcinuit; *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime.* Adamantibus, imò ſtellis, coronetur, cujus *regnum* eſt *regnum omnium ſæculorum*. Quid in floridi Nazaræi vertice cruentorum aculeorum ſeges horrida exſurgit? *In figuram* forſan, ut Tertul. putat libro de Cor. militis, *delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* An ut intelligamus, nos de dumetis peccatorum extractos debere eſſe Chriſti coronam & honorem; ut de nobis aliquando dicat, *Gaudium & corona mea?* Allaborate, Chriſtiani, in vinea Domini, in excolenda anima veſtra: ut feræ eam non vaſtent, Chriſtus coronæ ſuæ *ſepem circumdedit ei*. Et quamvis Jeremiæ c. 4. monitum ſit: *Nolite ſerere ſuper ſpinas*: ſpargite tamen ſuper has ſementem plenis manibus, irrigandam puriſſimo Chriſti ſanguine, cum uberis proventus fiducia.

XVIII. Chriſtus in nobis regnet.

Jud. cap. 9. *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos.* Et nos Chriſto coronato dicamus: *Veni, & impera ſuper nos.* Cohors univerſa illum irridet, purpurâ indutum, arundine inſtructum. Pilatus cum foras producit, & clamat: *Ecce homo*: tum, *Ecce Rex veſter.* Reſpondetur

inconditis

incondiſtis clamoribus : *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Pagani nolunt ipſum pro Rege : nolunt Judæi : voluntne Chriſtiani ? *Quoſdam Clericos*, inquit Beda lib. 5. Hiſt. Angl. *coronâ caput attonſum geſtare pudet, quæ ipſius Paſſionis Chriſti ſignum eſt.* Pudeat alios Regis noſtri : at nos omnes una voce dicemus ; *Veni* Chriſte, *& impera ſuper nos.* Tui ſumus à nativitate, à te empti, tibi Sacramento obſtricti ; nec res ulla nos à fidelitate tibi debita divellet. Benè eſt : gratam mihi fidelitatis profeſſionem audio : ſed vos illam obediendo ſancite. Leges meas ſcitis : *Vigilate*, ne peccetis : *Suſtinete*, ne impatientia coronam minuat. Quid vobis mali accidere poteſt, quod non antè innoxius, & pro vobis, & à vobis, paſſus ſim ? Vincula recenſete, alapas numerate, flagellorum vibices & plagas inſpicite, ſpinas pertentate. Jam dedecora, & probra, & ſputa, & negationes. Hæc pro ſubdito Rex patior : quid tu ſubditus pro Rege ? Si iſta non ſufficiunt, ſequere me ad Calvariæ montem, ubi ſuſtinere ſimul, & orare, doceberis.

XIX. Chriſtus Sacerdos. Araneæ genus eſt, quam tarantolam Itali vocant. Eâ admorſi, ridendo plerumque expirant. Occini illis ſolet, *Ad mare, ad mare, ſi vultis me ſanare.* Nos ſi ſanitatem animi perfectam experimus, ad mare Chriſti curramus. Rivuli hactenus fluxerunt, nunc flumen ingens : *Terra, Pontus, aſtra, mundus, quo lavantur flumine.* Non flumen tantùm eſt, ſed & altiſſimæ profunditatis, & immenſæ latitudinis, Oceanus. O bone JESU, doce nos exemplo tuo ſuſtinere : & ut benè ſuſtineamus *doce nos orare*, qui dixiſti ; *Orate, ne intretis in tentationem.* Oratio nobiliſſima eſt ſacrificium Miſſæ incruentum : quod die Paraſceves ſancto non offertur, ob cruenti ſacrificii reverentiam, cujus expreſſiſſima figura eſt, & continuatio perpetua. Itaque Chriſtum deinceps ut Sacerdotem, reliquam Paſſionis ut Miſſam conſideremus ; præeunte Salmerone noſtro, aut potiùs D. Paullo Hebr. 9. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta.*

XX. Apparatus ad Sacrum. Fractus vocibus populi Pilatus, contempto uxoris conſilio, ſpretis conſcientiæ aculeis, damnat innoxium. Reducitur Chriſtus in prætorium, & depoſitâ purpurâ, atque arundine, veſtibus ſuis induitur. Stetiſſe ſpineum ſertum in capite credibilius eſt, cùm eximi difficulter poſſet, & Regis titulum cruci affigere Pilatus ſtatuiſſet, cui congrua erat corona. En amictum quo velatur caput Sacerdotis noſtri : *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis.* Induitur tunicâ inconſutili : en albam. Funibus conſtringitur corpus & brachia, addunt aliqui & collum : en cingulum, manipulum, & ſtolam. Superinjicitur toga : en caſulam. Crux humeris imponitur. Hoc ornatu Pontifex noſter productus, quia ſolenne eſt Sacrum, ut apparatus major ſit, comites accipit duos latrones, velut adjutores. Si pudet talium adjutorum ; mox aderunt Mater & Joannes, & comitabuntur euntem, adſtabuntque fidorum miniſtrorum inſtar, donec ſacrificium peractum ſit. Nec deerit acolythus Simon Cyrenæus, cui etiam merces ſua ex attactu crucis non deerit.

XXI. Prima Sacri pars. Oblatio. Concurritur undique ad ſpectaculum. Inter irriſiones amaras hoſtium, & lamentationes paucorum, ſexus præſertim mollioris, exhauſtus & defectus viribus, venit tandem Sacerdos ad altare, ad locum Calvariæ ; ubi ad refocillandas vires oblatum generoſum vinum cum felle *noluit bibere.* Neque enim Chriſto placent actiones & orationes quantumvis bonæ, ſi pravi alicujus finis felle corrumpantur. Tres Sacri partes ſunt, Oblatio ; Elevatio, ſeu Conſecratio ; Conſumptio, quæ fit per ſumptionem hoſtiæ. Dum rupes ſcinditur ferro, ad crucis pedem inſerendum : dum clavi, & ſcalæ expediuntur : dum cetera carnificinæ inſtrumenta parantur : potuit Chriſtus, & genibus quidem flexis, ſi vires ſufficiebant, Deo iterum offerre ſacrificium ſuum. *Suſcipe, ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hoſtiam.* Audi, ô Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, vocem Filii tui pro me orantis : & *ſuſcipe* ipſius *immaculatam hoſtiam, pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus, ac negligentiis meis ; ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis, atque defunctis.*

Vix precationem abſolverat, cùm ad crucem rapitur, detractiſque properè ac ſummo dolore veſtibus, in crucem humi poſitam devolvitur : & *ibi crucifixerunt eum.* Quàm horrendum ſupplicium voculis tribus Evangeliſtæ deſcripsêre : vel quòd non ſatis ex dignitate quantumvis multis exprimi poteſt : vel quia ſatis ex quantumvis paucis poteſt intelligi. Venitur ad Elevationem ; ubi renovatæ plagæ omnes & corporis & cordis : cùm tam clarè, meridie, eo loco, ea in civitate, eo tempore, in tanta multitudine, talibus ſpectatoribus, inter latrones exponitur, & nudus quidem. Sol, ſpectaculi tam fœdi horrore, radios ſubtrahit ; fit eclipſis ſubita horarum trium : nec per eas tamen tenebras Chriſto quietem ullam inimici indulgent. Toga fœdè diſcinditur ; de tunica integra luditur : væ tunicam Chriſti caritatemque fraternam proſcindentibus, diſcordiarum ac bellorum ſatoribus. Lacerantur ejus aures probris : Regia majeſtas, miraculorum poteſtas, illuditur : forſan & ad pluviam ſanguinis in elevanda cruce exſilientis, ingeminant aliqui ferale carmen : *Sanguis ejus ſuper nos.* Veniat ſuper nos ſanguis tuus, ô Chriſte, non ut reos faciat, ſed de reis pœnitentes, & ſervituti tuæ deinceps mancipatos. Nam ſi ut Theodoretus advertit, quæſt. 5. in Levit. quicumque vel guttulâ ſanguinis è victima ſacra aſperſus fuerat, in reliquam vitam ſanctificatus cenſebatur, Templique obſequiis addictus : quid nobis præſtandum, poſtquam Chriſti ſanguis toties animos noſtros uſu Sacramentorum intinxit? XXII. Pars altera Elevatio.

Poſt diuturnum ſilentium, ſecretóque peractas orationes, aperit os ſuum Chriſtus : *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* En Memento magni Pontificis. Primi locum in illo habent inimici atroces, accuſatores impii, falſidici teſtes, judices iniqui, inhumani carnifices. Orationis fructum mox intueri licebit : cùm abditorum criminum vela rumpentur, diffringentur rupes obduratarum mentium, mortui fœtentes de peccatorum ſepulcris exſurgent : diſſilientibus in tam mirandæ mutationis ſignum rupibus, ſciſſo Templi velo, monumentis ſponte ſuâ patentibus. O quàm potens eſt apud Chriſtum miſericordiæ patrocinium ! Et vos, ô Chriſtiani, *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri* crucifixi : *qui*, dum Sol adſpectabilis eclipſin patitur, *Solem* clementiæ ſuæ antè *facit oriri ſuper injuſtos*, quàm *ſuper juſtos.* Non audis, cujus meminerit ſecundo loco ? Latro eſt ad ejus latus : & forſan ipſum cum ſocio probris appetit, ut Matthæus indicare videtur. Reſipiſcit, & dicit, *Memento mei.* Memini, inquit Chriſtus, & meminero. Meſſiam me, & Salvatorem credis ; & experiêre. XXIII. Memento ſummi Sacerdotis.

XXIV. *Noſtri memoria.* Quandoquidem pro inimicis exores tam clementer, & tam potenter, ô pie JESU, numquid in ſacrificio tuo amicorum oblivíſcêris? Nonne matris ſuaviſſimæ memineris? Nonne diſcipulorum, & noſtri? *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*: mi Joannes, mi Chriſtiane, *ecce mater tua.* Et nos ſumus MARIÆ filii: & nos iſta verba caritatis plena reſpiciunt. Quid autem cùm exclamavit, *Deus meus, Deus meus ut quid me dereliquiſti?* Pſalmi 21. initium eſt, quem recitâſſe totum exiſtimatur, adeóque nec clauſulam iſtam prætériſſe: *Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt cæli juſtitiam ejus, populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.* Quæ generatio ventura? Quis populus naſciturus? Plebs utique Chriſtiana: in qua, Deo gratiæ, ſumus ac manebimus. Et cùm Chriſtus dixit, *Sitio*: *Nobis quoque peccatoribus* illud verbum protulit. Sitiebat non aquam, aut acetum, ſed lacrymas noſtras, pœnitentiam, caritatem. *O ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes, & dediſſet tibi aquam vivam.*

XXV. *Conſummatio ſacrificii.* Dabit ſacrificio conſummato, cujus imminet finis. Quantum enim per tenebras aſpicere poſſum, corpus contremiſcit, & ſuccutitur inſtantis mortis ſenſu. Quantum audio inter clamores confuſæ plebis, intercepta eſt ſingultibus reſpiratio, qualiter moribundis ſolet. Quantum trans ſanguinis & luti cruſtas tactu licet percipere, pedes & genua ac brachia congelavêre. Vix ſanguinis pauxillulum ſupereſt: & ecce contenta voce Chriſtus inclamat, *Conſummatum eſt*: deinde *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Mortuúſne eſt domitor mortis? Oculos compreſſit vigil, & ſanctus? Pati deſiit patientiæ doctor? Os clauſit divinus Orator? Certè id oôſſe neceſſe eſt: neque enim vivum de cruce deponi leges patiuntur. Tui officii eſt, ô miles: tenta latus lanceâ, ut ſi quid vitæ ſuperſit, extundatur. *Continuò exivit ſanguis, & aqua.* O aqua viva, ô benedicta, quâ poſt ſacrificium ſolenne aſpergimur, ut ſciamus ſacrificia eſſe propitiatoria peccatorum! Quid autem de hoc ſingulari & nobiliſſimo Chriſti ſacrificio ſentiemus? Loquatur, qui proximus adſtitit, qui *vidit, & cujus teſtimonium verum eſt.* *Ipſe*, inquit epiſt. 1. cap. 2. *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed & pro totius mundi.* Propitiatio eſt, ſi utantur. Utárne ego, Chriſte? An inutile culpâ meâ mihi tam efficax ſacrificium reddam? Ne id uobis horribilis exitii accidat, faciemus, ô Chriſte, quod monuiſti: orabimus; temetipſum per te orabimus, Victimam, & Sacerdotem; Advocatum, & Judicem; Hominem, & Deum meum. *Anima Chriſti*, in manus Patris commendata, ad patrum ſolatium ac ſalutem inferos ingreſſa, *ſalva me.* *Corpus Chriſti* vulneribus perfoſſum, in manus matris depoſitum, *ſanctifica me.* *Aqua lateris Chriſti lava me* ab omnibus peccatis, ampliùs, ampliùs. *Sanguis Chriſti inebria me*, ut libenter pro Deo, & cum Chriſto patiar. *O bone JESV, ſuſcipe me; intra vulnera tua abſconde me: ne permittas me ſeparari à te*, &c.

SECTIO TERTIA.

Peccator & peccatum in Paſſione Chriſti adumbratur.

Ad illud 2. Cor. c. 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

I. *Quomodò Chriſtus dicatur peccatum?* CÙM indubitatum ſit argui Chriſtum de peccato non poſſe, nec peccatorem dici, citra horrendam blaſphemiam: quâ ergo ſententiâ ab Apoſtolo non peccator ſolùm, ſed etiam *peccatum* nominari potuit? Triplicem appellationis iſtius rationem invenio. Primam: quia fuit hoſtia pro peccato, per omnes iſtiuſmodi victimas in lege Moſaica præſignificatus; nominatim Levit. c. 16. per caprum, hircúmve emiſſarium, cujus inſtar maledictis peccatori debitis onuſtus, extra portam ejectus eſt. Atqui in Scriptura victimæ, propitiando Numini oblatæ, peccata vocantur; jubenturque Sacerdotes *peccata populi* comedere. Eumdem in modum Chriſtus à Paullo *peccatum* appellatur; quòd placabilis, expiando mundi peccato, victima fuerit. Altera ratio eſt: quia pro ſcelerato homine habitus, & cum iniquis reputatus, imò facinoroſorum princeps; non peccator modò vocabatur, ſed *peccatum ipſum*: uti Latinè perditum hominem non ſolùm flagitioſum dicimus, aut ſceleratum, ſed *flagitium & ſcelus hominis.* Tertia ratio ex eo ducitur, quia deformem peccati imaginem, & miſeras peccatoris conditiones, cùm in reliquis vitæ partibus, tum maximè per Paſſionem univerſam valdè ſignificanter exhibuit. Hoc jam ſpectatum imus: ſimul alias viſuri peccatorum, & peccantium, fœdas imagines, paſſionibus indomitis Paſſionem Chriſti intercurrentes.

II. *Locus Paſſionis inchoandæ.* Ac primùm Chriſtus, ut ſeſe ad extremam luctam oratione compararet, trans torrentem Cedron proficiſcitur, in hortum Gethſemani, ad Olivarum montem. Conſuetum ipſi fuiſſe orandi locum, vel ex eo conſtat, quòd proditori notus eſſet. Oravit & alibi Chriſtus: in Templo, in monte, in itineribus, ubique: at illic multò frequentiùs. Loci ad orandum varii Chriſtianis & argumenta ſunt: quot ſcilicet fidei myſteria, elevandis ad Deum mentibus idonea. Sed Paſſione Dominica notior nullus & aptior locus, comparandis animis ad quotidiana certamina; quorum numquam occaſio deerit, quamdiu domeſticos hoſtes, effrænatas paſſiones aut fræni impatientes, circumferemus. Inchoatur Paſſio in prædio Gethſemani, quod vallem pinguiſſimam ſignificat: nihil enim ita pietatis adipe & pinguedine replere animam ſolet, ut labiis exultationis os pœnitentis laudet Dominum; quàm patientis Domini conſideratio. Aſſurgit illic Olivarum collis, Miſericordiæ divinæ ſuper operum cætera elevatæ ſymbolum. Nuſquam enim magis *apparuit humanitas & benignitas Salvatoris noſtri Dei*; quàm ubi tanta pertulit in peccatorum immeritorum gratiam. Itur trans torrentem Cedron, quod nomen obſcuritatem ſignificat: nihil enim Chriſti Paſſione clarius, & intellectu facilius; nihil ad ſanandam cæcitatem animorum, bona æterna & mala ſpiritualia non agnoſcentium, potentius.

III. *Comitatus patiens.* Ad conſiderandam autem Paſſionem excludendi primùm tumultuoſi affectus, & cogitationes,

per

Digitized by Google

per diſcipulorum, ad portam horti ſedere juſſorum, turbam adumbratæ. Inducendi comites terni: Fides in Petro, fidei fundamento, deſignata: Spes, quam Jacobus Apoſtolus ſignificat, ab illo Patriarcha nomen mutuatus, qui fiduciâ Providentiæ divinæ nixus in baculo tranſivit Jordanem, & Dei legato colluctatus benedictionem extorſit: Caritas in Joanne delineata, dilecto & amante diſcipulo. Fides præeat, ut credamus quæ conſiderabuntur: ſpes & caritas animosâ fide, & Paſſionis ad nos applicatione, excitentur.

IV. Chriſtus comites deſerit. Procumbit Chriſtus à diſcipulis tribus avulſus, tremore concutitur, interno conflictu diſcerpitur, ſanguineo ſudore perfluit. O quantus ægrimoniæ & dolorum exercitus mentem humanam, fide deſtitutam, ſpe & caritate vacuam opprimit! Jacet Infidelis in terram & caduca pronus, æternorum immemor: trepidat timore ubi non eſt timor, qui ſpe vana nititur: qui Deum ejuſque dona non amat, calicis ab ejus manu benevola propinati amaritiem exhorret. Erigat jacentem fides futurorum: animet fiducia, impleatque vicem Angeli conſolantis: dolores ex Deo profectos læta excipiat caritas, dicatque certiſſimo amoris indicio; *Pater, non mea, ſed tua voluntas fiat.*

V. Incipit induere peccatoris ſpeciem, orans, & captus. Cùm Chriſtum cerno ſolo afflictum, pulveri appreſſum, quaſi ne oculos quidem levare in cælum audeat: ipſiſſima mihi imago videtur hominis malefactorum conſcii, ſuper quem iræ Domini tranſeunt, & omnes fluctus inducuntur, & infælicem animum inundant; donec Angelus de cælo, id eſt nuntius gratiæ divinæ ad pœnitentem miſſus, eum erigat & confortet. Jam Chriſtus ab orando exſurgens, hoſtibus obviàm progreſſus, comprehenſus, colligatus, pertractus: nonne vivam tibi exhibet effigiem peccatoris? Quippe qui ultrò ſeſe in pericula & occaſiones peccandi induit: qui ab ipſo domeſtico ſuo, id eſt voluntate propria & arbitrio, inimicis deditur: quem non hoſtis unicus tenet, ſed tot ſatellites, quot vitia: cui pravi affectus manicas & compedes injecêre: quem durâ conſuetudinis catenâ vinxêre frequentati actus, compeditum *non ferro, ſed ſua ferreâ voluntate*, ut de ſe loquebatur Auguſtinus: qui non tam ſponte ambulat, quàm invitus fermè ac renitens raptatur; cùm non hoc quod vult bonum agat, ſed quod non vult bonum faciat. *Infelix homo, quis te liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum*: comprehenſum, colligatum, raptatum; ut captivos redimeret, & vinctos in libertatem filiorum Dei aſſereret.

VI. Diſcipuli fugientes, imago peccatoris. Regnat Paſſionis tempore *poteſtas tenebrarum*: nihil uſquam video, niſi denſam peccatorum noctem, & umbram mortis, ac funeſtam imaginem peccantium. Diffugiunt diſcipuli: eorum unus Dominum prodit: captum cohors & miniſtri malè multant: ad malum vigilant Sacerdotes: peccant omnes, & illum, qui de omnibus ſolus innocens eſt, pro conſcelerato habent. Diſcipulos abire Chriſtus voluerat: ſed ſeſe ipſi præcipiti ac pudendâ fugâ proripiunt. Quid agitis, obliti promiſſorum, fidelitatis immemores? Quo veſpertinæ voces evaſerunt: quando Petro aſſirmante, ſibi nec carcerem, nec mortem terrori eſſe, univerſi ſucclamâſtis? Quid autem tu, peccator, cùm te à Deo avertis, cùm fugis, non ut vitæ conſulas, ſed ut vile miſeræ vitæ commodum aut voluptatulam aſſequaris? Si enim tantò propiùs abes à Deo, quantò ſanctior es: tantò etiam ab illo recedis longiùs, quantò pejùs ad res creatas afficeris. O damnoſam fugam, ô dedecoroſam! Fugis inſane ſanitatem tuam: averſaris moriture vitam tuam: diſcedis à fonte bonorum omnium, poſt tot fidelitatis ſponſiones & fidejuſſores, abiſque in longinquam regionem, ad ſordes hararum & inania ſiliquarum alimenta.

Specta Judam, oſculo abutentem ad proditionis teſſeram: ad ipſum peccatoris crimen eſt, ſenſus corporis, animi facultates, beneficia cæleſtia, divinæ benevolentiæ dona & indicia, adversùs Deum vertentis. *Amice* Dei, qui ſaltem amicus jam nunc fieri, & amicitiam tibi firmare potueras, *ad quid veniſti?* Quò te cupiditas proripuit? Cujus te rei amor ad iſtud flagitii impulit? Rei utique periturae: quam vel ipſe brevi faſtidioſus, ut Ammon Thamarem, projicies: vel invitus amittes, cogeriſque relinquere, ſucclamantibus undique deſideriis tuis. *Quid ad nos, tu videris*; quomodò Judæ, argenteos non ſera ſed non vera pœnitentia projicienti, dixêre Pontifices. *Laqueo* vitam finiit deſperabundus, & *effuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Peccatori finis laqueus eſt: reſpiratio clauditur: os ſuum aperire non poteſt, *quia cum potuit, noluit*: attrahere nequit ſpiritum gratiæ & miſerationis. Inde mors tæterrima: poſt quam effunduntur omnia viſcera ejus, felle tincta, lue ſparſa, abjicienda ſicut morticinum, & ſepelienda ſepulturâ aſini. Viſcera ejus, amores ac deliciæ, de terra naſcuntur, in terram relabuntur: viſcera ipſius, intimæ cogitationes, ſtatim à morte in apertam coram Deo lucem prodeunt. Nihil ex peccatore boni provenit, niſi *in ſepulturam peregrinorum*: ut Chriſtianus viator, ex Judæ aliorumque iſtiuſmodi funeſto exitu, intelligat; hìc ſe non habere manentem civitatem, ſed futuram inquirere, nec ſibi quidquam rerum congeſtarum aliquando reliquum fore, niſi humando corpuſculo terræ forſan pauxillulum. VII. Et Judas proditor.

Judam in tenebris ambulantem miniſtri tenebroſorum operum, & milites, ſubſequuntur: horum unus, præterquam quòd ut cæcus ambulat in nocte, auriculam prætereà dextram amittit. Vias enim quæ à dextris ſunt, & ad æterna ducunt, peccator non intuetur: nec vocibus auſcultat illuc vocantium. Sic heri ipſorum erant, ad divina ſurdi prorsùs, & cæci: vigilant in denſæ noctis ſilentio, conſultant, concurſant, Chriſtum de doctrina & diſcipulis interrogant. Alapâ venerabilis ipſius facies percutitur, & pudore ſuffunditur: quia confuſio inverecundam faciem, & conſcientiam peccatoris operuiſſe debuit. Cogunt interim ferale concilium inconſulti Sacerdotes, teſtium agmen producunt, judicant, ſententiam ferunt. Longè ſpiſſior caligo miſerorum animis, quàm corporibus, incumbebat. Plenî-lunium enim tunc fuit: & luminare, noctis præſes, lucem aliquam corporeis oculis affudit. At ab ipſorum caliginoſis mentibus non gratiæ tantùm Sol abſceſſerat, ſed etiam aliæ omnes bonarum cogitationum & deſideriorum ſtellæ ac ſcintillæ. Officiebant cæli luminibus denſiſſimæ tenebræ, Ægyptiacarum inſtar palpabiles: inde ab ambitionis & avaritiæ fumo, hinc ab invidia nigerrima. Peſſimè ipſos habebat exiſtimatio Chriſti: metuebant opibus ac dignitati in poſterum, ſi vel Chriſtum ipſi ſequerentur, vel ſequendum aliis ſinerent. VIII. Tenebræ peccatorum.

Eumdem in modum peccatori veritatis & caritatis lumen non lucet: quia poteſtatem tenebrarum, & caliginoſos affectus, in animum ſuum dominari patitur. Solet prætereà, dum peccat & patrat opera tenebrarum, ſic agere, quaſi ab illo IX. Quanta earum inſania.

non

Digitized by Google

non cernatur, *qui lucem habitat inacceſſibilem.* Trigemino velo impiorum oculi obnubuntur, ne ſuſpiciant cælum, & recordentur judiciorum juſtorum: uni nomen eſt *Expedit*; alteri, *Decet*; tertio, *Delectat.* Vel unico iſtorum obvelata mens hominis, non diſpicit quid *Licet.* Ob exitioſum *Expedit*, Caiphas pronuntiavit de inſontis ſupplicio. Ob infamr: *Decet*, adulatorum ſacerdotum turba in Caiphæ ſententiam ivit, acclamavitque reum mortis. Ob luctuoſum *Delectat*, ſacerdotum miniſtri, ſervilibus affectibus cæci, ut de Chriſto ludos faciant, oculos ejus obnubunt; & quaſi percutientes non nôrit, identidem exprobrant inter alapas & verbera: *Prophetiza nobis Chriſte.* Prorsùs uti peccator præſenti atque inſpicienti Deo inſultabundus: *Quis eſt*, inquit, *qui te percuſſit*, an vindicta, an libido mea, an injuſta rapacitas, an gula intemperans? *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Puerorum inſtar, vel ſtruthionum, ſtolidiſſimi animalis; quia capita ſino matrum aut cumulis ſabuli condidiſtis, neque ipſi quemquam intuemini, videri vos non exiſtimatis? Verba vobis tria ad extundendam hancce inſaniam Minutius, Tertullianus, & Eucherius dixerint: à nobis adducta Excurſ. 3. ad cap. 4. ſect. 5. & meritò iteranda ſæpiùs, ad commendandam præſentis Dei memoriam.

X. Peccator converſus. Dum cæci inſtar Chriſtus habetur ab obcæcatis Pontificum famulis, ſimul negatur à Petro: obcæcavit ipſum non malitia, ſed fragilitas. Metus oculis caliginem offudit: mulierculæ & ſervulorum halitus ipſum faſcinavit, ne lucem videret: donec diei prænuntia volucris occineret, & *converſus* animarum medicus *IESVS* reſpiceret Petrum, ſuavibusque aſpectûs ſui radiis Sol miſericordiæ obſcuritatem depelleret. Tunc demum peccatori apparuit fœditas ſua, & poſtquam ſeſe intuitus eſt, *converſus reſpexit* Deum. Sunt qui Petrum culpas deflentem inducant, & multa ipſi elegantiáque ad pœnitentiæ explicationem verba tribuant: ſed exercendæ magis eloquentiæ, quàm exprimendæ veritati. Neque enim lingua ipſius locuta eſt: ſed cor, ſed oculi; illud ſingultibus, hi lacrymis. *Lavêre fletus maculas criminum*: ſingultus, velut ſalubres venti, peſtem omnem animi Oceano gratiæ merſerunt.

XI. Occaſiones relinquendæ. *Egreſſus foras Petrus, flevit amarè.* Parum profuerant lacrymæ, ſi foras egreſſus non eſſet, ſi occaſionibus peccandi non exiſſet. Pœnitentiæ ſinceræ indicium certiſſimum, & præcipuum effectum, hoc Chriſti verbo continetur: *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Petre, peccator, occaſionibus aſſediſti? Si seriò te pœnitet, exſurge, vade, egredere. Concilio manè repetito, egrediuntur Pontifices: domo egrediuntur, at non à ſe, non ab occaſionibus peccandi; imò eas quærunt, aliosque ad offendendum ſolicitant. Non audis in quantis Chriſtum, ut rebellem ac ſeditioſum, peccatorum certè figuram lumini rebellium, accuſant? Criminantur, urgent, invehuntur apud Pilatum, in omnes ſeſe formas vertentem, ut extricetur. Non vides denſo agmine concurrentes ad Galilæi tetrarchæ palatium, & accuſando conſtanter inſtantes? Pilatus Infidelis eſt: Herodes Fidelis, aut Fidelem Judaica religione ſimulat: ab utroque repulſam accuſatores Chriſti patiuntur. Ab Infidelibus pariter, & Infidelibus, peccatores rejiciuntur; lege divina ſimul, & naturæ lege, damnantur: peccare tamen, moribus pravis & affectibus dementati, non deſinunt.

XII. Peccator inſanus. Novam hîc peccatoris perſonam agit Chriſtus; indutus veſte alba, & ab Herode ſatellitióque illuſus. Pro ſtulto habetur Sapientia: quia illum exhibet, qui de ſe dicat veriſſimè: *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum.* Quid enim inſanum magis, quàm Deum, immortalitatem animi, gaudia ſuppliciáque æterna credere: ſic vivere tamen, quaſi id credas eſſe falſiſſimum? Aliúſne hominum, quàm mentis impos, ſeſe decerpendo ceraſo in præceps ultrò dejiciat? Sapiénsne cenſeatur, qui regno lubens & ultrò abnuntiet, ut floſculum ephemerum decerpat? Totæne Anticyræ, & quidquid ullibi terrarum eſt hellebori, purgando illius cerebro ſufficiat: qui nunc curandæ reduviæ brachium præſcindat; nunc prurigini levi ſedandæ incendia poſtulet; nunc inimicis blandiatur, & benefaciat; nunc amicos, & medicos unguibus, ac dentibus appetat? Quotidiana iſthæc peccatoribus inſania eſt.

XIII. Rurſum in Chriſto variè adumbratur. Poſtpoſitum Barabbæ Chriſtum indignaris, ſeditioſo civi, latrocinanti homicidæ? Id ipſum peccator committit, cùm rationem imaginationi tumultuoſæ & rebelli poſtponit, voluntatem appetentiæ furaci & cruentæ. Atqui peccator ſeſe ipſe Barabbæ poſtpoſuiſſe debuit: divinæ gloriæ raptor, latroni: Chriſti ac Dei novus interfector, homicidæ. Specta flagellatum Chriſtum, ô homo; vibices, livores, plagas, ſi tamen potes, enumera; & memento de te dictum: *Multa flagella peccatoris*, artubus omnibus ingerenda, quia omnes peccavêre. Ne capiti quidem parcetur: & terra maledicta in opere tenebrarum, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Tunc de te dicetur: *A planta pedis*, ab imis affectibus, *uſque ad verticem capitis*, ad ſummam uſque voluntatem, *non eſt in eo ſanitas.* Quantò te magis ſanguinea illa è ſpinis corona condecet, quàm *florem ex virga Ieſſe, ſuper quem tota divini Spiritûs gratia requievit, florem incorruptum, immarceſſibilem, ſempiternum*, ut Tertul. loquitur lib. de Cor. militis? Quantò inconſtantiæ tuæ, & vertibili ad auras mutabilitati, arundineum ſceptrum convenientius eſt? Quantò aptius humeris tuis iſtud odioſæ & vilis purpuræ paludamentum: quo *peccata* tua, *rubra ſicut vermiculus, & ſicut coccinum*, deſignantur? In eo te habitu Regem verè ſcenicum, nec tibi neque affectibus ullis imperantem, omnes ludibrio ſalutent, & meritò operiat confuſio faciem tuam.

XIV. Peccator fert crucem. Ecce homo, en hominis figura: qualem nempe ſe fecit, quem Deus rectum fecerat. Feratur nunc in Chriſtum ſententia: quis in peccatorem ferenda eſt. Supplicium ipſe ſuum Chriſtus portet, *bajulans ſibi crucem*: quia peccator ſuam ubique pœnam circumgeſtat; nam ipſa ſibi culpa eſt pœna. Quamquam & in cruce Chriſti, cùm ex olea concinnatam multi exiſtimemus, Miſericordiæ divinæ ſymbolum pœnitenti proponitur. Prodeunte Chriſto affluant ſpectatores; audiant lamentatrices mulieres Chriſtum dicentem: *Nolite flere ſuper me: ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quomodò torquebitur nocens, ſi innocens cruciatur? Angarietur Simon veniens de villa: ut crucem poſt JESUM ferat, qui vocationi ac cœnæ Dominicæ villam antetulit: apud quem domus agreſtis & terrea pluris fuit, quàm æternum & cæleſte cœnaculum. Angarietur ille, ille oneretur, & crucem geſtet; vel pœnitentiæ, ſi Simon eſt, & obediens; vel pœnæ, ſi Cyrenæus eſt & à Judæa peregrinus, ipſóque nomine in præjudicium ſupplicii infælicem ſonat.

Crucifixus

XV. Peccator crucifixus. Crucifixus Chriſtus, crucifixus eſt peccator. *Maledictus* enim, *qui pendet in ligno : & maledicti, qui declinant à mandatis* Dei. Nudus in cruce Chriſtus exponitur: peccatoris anima nuda eſt, detractâ veſte caritatis. Manus & pedes crucifixus movere non poteſt : peccator ad cælum ambulare nequit, neque utile cælo quidquam operari. Inclamatur Chriſto pendenti, *Deſcende de cruce, ſalvum fac temetipſum :* undique peccatori voces illæ extrinſecùs & intrinſecùs inſonant; perſtat tamen immotus. Obtenditur crucifixo denſa Solis eclipſis in ipſo meridie: peccatori dies in noctem vertitur, obtenebratis amicitiæ divinæ radiis, ut dicere poſſit : *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Meritò equidem, quia prior te reliqui. Terra concutitur, petræ finduntur : onus peccatoris renuit tellus, contremiſcit, ſubſultat, dehiſcit, ut quà poteſt, non inutile tantùm ſed immane pondus excutiat.

XVI. Peccator moritur. Inclinato deorſum capite, Chriſtus exſpirat. Peccator erectum ad ſidera caput ferre debuerat : inclinat tamen deorſum, & declinat oculos ſuos, *ne videant cælum, & recordentur judiciorum juſtorum.* Ideò miſer emoritur tot mortibus, quot criminibus: diruptâ gratiæ aureâ vittâ, & confracto innocentiæ argẽteo funiculo, quo ipſius anima cum Dei ſpiritu, vitæ inſpiratore, colligabatur. Utinam aliquando ſaltem aperiatur demortui pectus, cordisque arcana præacuto pœnitentiæ haſtili pateant, & à ſummo uſque deorſum ſcindatur conſcientiæ velum. Potiſſimus hic fructus erit conſideratæ & prædicatæ divinæ Paſſionis : ut qui hominis terreni ac meritò crucifigendi imaginem portavimus, portemus & cæleſtis ; plagarum ſuarum monumenta ſervantis ad gloriam, quomodò peccatori pœnitenti ſuum ipſum dedecus glorioſum erit. *Obſecramus* itaque, verbis Paulli 2. Cor. 5. *pro Chriſto, reconciliamini Deo. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit ; ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

XVII. Fructus Paſſionis. Quod etiam Paullus, nî fallor, à Philippenſibus expetebat: cùm eos hortabatur cap. 2. ut idem ſentirent, *quod & in Chriſto JESU.* Steriles enim de Chriſti doloribus lacrymas non poſtulabat, ſed internum animi ſenſum, qualis Chriſto fuit, & paſſuro, & patienti. Conſtat autem non aliud Agno illi propoſitum fuiſſe, quàm ut peccata mundi tolleret : adeóque nec nobis quidquam, in recenſenda cogitandáve Agni morte, debet eſſe commendatius, quàm ut peccata tum noſtra tum aliena tollamus, & hædi eſſe deſinamus. Levitici cap. 14. cùm leproſi ſeſe ſacerdoti ſiſtunt, jubetur ille victimæ ſanguinem ſuper extremas eorum auriculas, pedes, & manus ponere. O Chriſte, tu propitiatorius es, quà Deus ; propitiator es, quà homo : tu, & templum meum es, & altare, & ſacerdos, & victima, lepræ noxarum mearum expiandæ. Pone, obſecro, vel guttulam ſanguinis tui ſuper aurem meam: ut audiat anima mea jucundiſſimum de gratiæ reconciliatione, & peccatorum indulgentia, nuntium: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Pone ſtillam ſuper pedes : ut te ſequar præeuntem, conſtanterque ambulem viam mandatorum tuorum, & conſiliorum, quatenùs volueris : *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* Pone guttam ſanguinis tui ſuper manus: ut opera mea, & operum cauſſæ cogitationes ac deſideria recta ſint, deincepsque fiam *innocens manibus, & recto corde.* Totus tuus ſim, cùm tu totus eſſe meus non dedigneris.

SECTIO QUARTA.

Chriſtianus crucifixus.

Ad hæc Paulli verba, Gal. 2. *Chriſto confixus ſum cruci.*

VERBA ſunt ardentis ſancto amore Apoſtoli: qui ſæpiùs iteravit, nolle ſe gloriari, niſi in I. Crucifixi eſſe debemus.
cruce Domini ; prædicari à ſe Chriſtum crucifixum; cogitationes omnes ſuas, & affectus, in eo verſari. Utinam & nos ex vero dicere poſſimus, Chriſto & cruci nos eſſe confixos! Id à nobis JESUS crucifixus unicè deſiderat, identidemque iſtud repetit Dei ad Moyſen : *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt :* fac, non loquere : & quò libentiùs & faciliùs facias, ipſi te exemplari tuo confige. Eâdem dicendi formulâ Romanos hortatur Paullus, cap. 6. *Scientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt.* Et Galatas iterum atque iterum monet, cap. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ;* ut nuſquam ſeſe affectus pravi commoveant; quomodò homo ad crucem affixus locum mutare non poteſt. Hoc ipſum exemplo ſuo ac verbis Martyr Ignatius ſuadebat ; cùm amorem ſuum dixit, id eſt affectum ac voluntatem, in quâ amor regnat, eſſe crucifixum ; ut nuſquam exire poſſet, niſi Deo volente, ac liberante : ἔρως ἐμοῦ ἐσταύρωται. Idem inclamabat S. Bernard. *Exurgat Deus, cadat armatus iſte : cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator ſui, amicus mundi, ſervus diaboli. Quid tibi videtur ? Certè ſi rectè mecum ſentis, dices : Reus eſt mortis, crucifigatur, crucifigatur.*

Quæſtio celebris eſt, tribúsne clavis omninò Chriſtus cruci affixus fuerit, an quatuor. Hoc II. Quaterni ad crucifixionem clavi.
longè probabilius : & argumenta invenies apud Salm. tract 35. de Paſſione : apud Baronium anno 34. num. 118. apud Gretſ. de Cruce lib. 1. c. 20. Apud quem etiam congeſta reperies multa, de honore clavorum Chriſti, qui à Conſtantino, poſt repertam crucem ac clavos, cæptus eſt. Et nos cum Chriſto cruci configamur clavis quatuor : non ferreis, duris, cruentis, in barbariei & furiarum fornace cuſis ; ut innoxias ac puriſſimas manus, & impollutos pedes Salvatoris, tranſverberent : ſed aureis, ſuavibus, amabilibus, in fornace gratiæ, id eſt, in Chriſti aperto pectore, ad auram Spiritus Sancti formatis. Ii ſunt Fides, Timor Dei, Spes, Caritas. Acuamus hoſce clavos, & altè in intellectum noſtrum, & voluntatem adigamus. Manuum inſtar animo noſtro eſt intellectus : omnia apprehendit. Pro pedibus animo voluntas eſt : omnia pervadit. Has manus, hos pedes, clavis illis ita configamus cruci Chriſti, ut deinceps nîl intelligere, nîl velle poſſimus, niſi quod Chriſti crucifixi honor ac voluntas ſuaſerit.

Ante omnia firmandus intellectus impactu III. Fides clavus.
validæ fidei. Ea nobis credendum proponit, Quis patiatur, Quibus, Quantum. O quàm certa, quàm teſtata de Paſſione fides noſtra eſt! Dei ipſius in Evangeliſtis verba legimus, tam apertâ & minimè fucatâ narratione, ut fidem facere poſſint cordato cuilibet, etiam verbum Dei non credenti. Non vides, quemadmodùm minutiſſimè dolores omnes, ac dedecora magiſtri ſui perſequantur ? Cùm alii ſcriptores eorum probra

ſummo

ſummo ſtudio & artificio contegant, quos ſuſcepêre laudandos. Cui autem bono id fecerunt Evangeliſtæ, niſi ſtudio veritatis, & piorum affectuum, quos ea lectio in Apoſtolis, Martyribus, piis omnibus ſemper excitavit? Jam verò Paſſionis figuræ, quàm frequentes & manifeſtæ in veteri Teſtamento: ubi ſacrificia omnia cruenta nil aliud ſignificabant, quàm victimam expiando humano generi à Patre æterno deſtinatam. Jam arcæ Noëmicæ lignum ligneæ crucis ſymbolum: & Iſaacus in monte Moria ſub Abrahami acinace, Chriſtum exhibens in Calvariâ: & Joſeph, Gen. 37. emptus per Iſmaëlitas, quomodò Chriſtus triginta denariis; quam vix canis, aut vaſculum aliquod honeſtum emeretur. Adde tranſitum rubri maris; & lignum, quo amaræ aquæ ſaporem mutant; & funiculum coccineum, quo Rahab exitium Jerichuntis evadit, aliáque ejuſmodi. Quid vaticinia numeremus? Morientis Jacobi, Gen. 48. & de Juda, ac vite, & aſino, & ſanguine uvæ prædicentis: Davidis pſal. 21. tam apertum oraculum: Iſaiæ cap. 53. adeò expreſſum, ut teſte Cornelio inſcribi poſſit caput iſtud, *Paſſio Domini noſtri ſecundum Iſaiam:* Danielis cap. 9. ubi in hebdomadarum explicatione apertè Chriſti cædes prædicitur.

IV. Quis paſſus? Quis patitur? Ex hiſtoria ipſa Paſſionis diſcamus: agnoſcemus Deum & hominem. Ipſe ſe filium hominis vocat: *Filius hominis tradetur.* Homo eſt, ſed magiſter & Dominus: *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim.* Eſt JESUS Nazaræmus, virtute, gratia, ſapientia floridus: *Quem quæritis? JESUM Nazarenum. Ego ſum.* Quà homo, erit Judex univerſorum: *Amodò videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli.* Quà homo, Rex eſt, cujus regnum æternum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Idem homo & Deus eſt: miraculis teſtatur divinitatem: prædicit futura, quis ſit eum proditurus; occurrit venienti proditori: ſatellites & miniſtros voce unâ *Ego ſum,* retrorſum impellit, ut oſtendat ſe eſſe illum, *qui eſt:* læſum curat momento: invictâ & planè divinâ patientiâ tolerat omnis generis injurias: ab ipſis hoſtibus accuſatur, quòd filium Dei ſe fecerit. Idem teſtantur tenebræ horarum trium meridie; terræmotus; velum Templi ſciſſum; rupes diſruptæ; monumenta aperta, & mortui ſuſcitati; ipſorum carnificum, & hoſtium confeſſio, qui percutientes pectora ſua revertebantur, & dicebant, *Verè filius Dei erat iſte.*

V. Pro quibus? Miraculorum omnium ſummum eſt, Magiſtrum & Dominum capi: Judicem accuſari & condemnari: Regem flagellari: Deum crucifigi: Impaſſibilem pati: Immortalem mori. Ab amicis proditur: à ſacerdotibus accuſatur: à ſummo magiſtratu damnatur: à viliſſimis hominibus torquetur innocens, & Deus. At pro quibus? Occurret fides, & genus omne hominum, in his peccatores, & te nominatim, deſignabit. Caiphas, cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit: *quia expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat.* Et Iſaias cap. 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Juſtus Deus pronuntiârat, *multa* eſſe *flagella peccatoris:* multa in corpore, multa in animo: multa in bonis, multa in honore: multa in tempore, plurima in æternitate. Chriſti autem caritas *ſcapulis ſuis obumbravit tibi,* & iræ divinæ ictus pro te excepit. Divo Baſilio narrante, D. Gordianus Martyr, cùm dirè tyranni juſſu laniaretur, dicebat: *Laniatur corpus, torqueantur membra, ſeminate multum in me, ut multiplicem fructum metam.* Seminari in ſe Chriſtus omnigenos dolores voluit, ut multiplex naſceretur fructus pœnitentiæ noſtræ & virtutum. Montes in altum ſurrecti fulminibus opponuntur ad valles tuendas. Chriſtus in montem Paſſionis acerbiſſimæ evehi voluit, ut nos à divina vindicta defenderet, diceretque Patri: *In me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Nec pro univerſis ſolummodò generatim Chriſtum mortuum credas, ſed etiam ſigillatim pro te: dicáſque cum Apoſtolo, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Diem vides ita univerſis lucere, ut ſingulis tamen, quaſi ſolis forent in Univerſo, totus luceat.

Ut propiùs hac cogitatione tangaris, fides breviter percurrat Paſſionis partes, ac notet, VI. Quantum tulerit?
quantum in omni acerbitatis genere ſuſtinere Chriſtus pro te voluerit. Neque aliunde quidquam ornatûs, vel amplificationis adhibeatur: nihil piæ meditationis: hiſtoria Paſſionis ſola ut Evangeliſtæ narrant, & fidei divinæ eſt, conſideretur. Poſtquam percurreris: tunc teipſum interroges, an reverà credas, id eſt, certiſſimum habeas, Deum-hominem, pro te, talia paſſum. Quid faceres, ſi pro te amicum ſcires partem iſtorum aliquam toleràſſe? Si hæc barbaro narrentur, & credat vera eſſe, quos affectus ſentiat? *Quanta* ergo nobis *confuſio,* inquit Bernardus epiſt. 107. *Dei filium ingratis oculis cernere morientem!* Cernimus enim, & coram ſpectamus oculis fidei, minúſque dubitamus de rerum veritate, quàm ſi Chriſti fuiſſemus in horto comites; & in civitate patientis, ac morientis in Calvaria, ſpectatores.

Parùm itaque prodeſt fides Paſſionis, & intel- VII.
lectus cruci confixus; ſi voluntas affectibus ſuis Clavus timoris.
velut clavis, eidem cruci non jungatur. Dicebat Pſalmiſta pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas;* Græcè habetur, *καθήλωσον*, id eſt, *clavo fige.* Eſt ergo clavus timor, durus quidem, utilis tamen ac validus. Vide timorem Chriſti, mærorem, agoniam, ſudorem in horto. Si Agnus innocens, quia peccatoris figuram ſuſceperat, ita contremuit morte imminente: quid nos peccatores, ubi inſtabit æternitas? Si voce una, *Ego ſum,* hoſtes ſuos paſſurus Chriſtus proſtravit: quis vocem ejus ſuſtinebit, cùm judicaturus adveniet? Non audis etiam in vinculis, quando pro reo ſedet, & judicatur, terrores judicii ſui inculcantem? *Amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Cùm Petri lapſus, & exitium Judæ seriò conſiderantur, quis non contremiſcat? Voces bajulantis crucem expende: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos: ſi in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Aſcende Calvariam, & cum Bernardo, *Attende qualia oportuit eſſe vulnera, pro quibus neceſſe fuit Dominum JESUM vulnerari.* Audi clamorem morientis, & cogita verba Hilarii can. 33. in Matth. *Spiritum cum clamore & voce magna emittit, dolens ſe non omnium peccata portare.* Etſi pro omnibus mortuus eſt Chriſtus; non omnes tamen ſic vivent, & morientur, quaſi illis ſit mortuus: ſed, obſirmatâ in malum voluntate, redemptam ſanguine Teſtamenti gratiam reſpuent. Quanta inde ratio timendi, ne fruſtra pro nobis paſſus ſit Filius Dei: ne mereamur audire, quod inſenſati Galatæ non obedientes veritati; etſi JESUS præſcriptus eſſet, ante eorum oculos crucifixus?

Sed major ſperandi quàm timendi cauſſa eſt, VIII.
in ſuaviſſimo myſterio, ubi Miſericordia & Bonitas, Clavus ſpei.

jucundum

jucundum peccatrici animæ ſpectaculum, paſſim occurrunt. De viis Domini in Paſſione veriſſimum eſt: *Univerſa via Domini miſericordia, & veritas.* In procinctu ad Paſſionem video pedes diſcipulorum lavantem, & inſtituentem amoris Sacramentum: audio caritatis verba ſpirantem, pro diſcipulis ac pro nobis orantem. In horto, inter dolores ſummos, video de diſcipulis cogitantem, ſuaviter eos monentem: audio dicentem Judæ cum oſculo, *Amice*: video ſanantem vulnus petulantis inimici: ſpecto velut agnum inter lupos. In urbe, quâ manſuetudine reſpondet incutienti alapam? Quâ miſericordiâ converſus reſpicit Petrum? Quâ ſuavitate & ſilentio inter accuſatores & judices trahitur? In Calvaria, pro inimicis orat primùm, mox latroni paradiſum promittit. Quid iſta recenſemus? Clamant partes Paſſionis omnes, omnia Paſſionis inſtrumenta, omnes guttæ ſanguinis, amari nos ab ipſo, & immeritos.

IX. Ubique ſpei incitamenta.

Magni refert ad Chriſtianam ſpem id benè conderâſſe, cum Aug. l. 4. de Trin. ſub init. *Perſuadendum*, inquit, *erat homini quantum nos dilexerit Deus, & quales dilexerit: quantum, ne deſperaremus: quales, ne ſuperbiremus.* Hunc locum pernecessarium ſic explicat Apoſtolus, ad Rom. 5. *Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: igitur magis nunc, juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus in vita ipſius.* Quantum nos dilexit Deus? Si neſcis: vide, quid pro nobis tulerit, & cur? Triſtis fuit ad mortem: ut mortis triſtitiam, & agonem extremum ſuperaremus. Ligatus eſt, ut ſolveremur: Alapâ cæſus, ut ignominia non obruamur, neque aliquando dicamus ſero pudore, *Operuit confuſio faciem meam*: Accuſatus, ut non convinceremur. Velatur, ut nos revelatâ facie aliquando eum videamus. Pro ſtulto habetur, ut ſapientiâ divinâ potiamur. Barabbæ liberando poſtponitur, ut nos morti eripiamur. Flagellatur, ut nobis impaſſibilitatem comparet. Coronatur ſpinis, ut nos roſis cingamur. Morti adjudicatur, ut nobis parcat ſententia ſupremi Judicis. Extendit manus in cruce, ut nos amplectatur. Caput inflectit, ut nos oſculetur. Poſt mortem pectus lanceâ aperitur, ut nos intremus, & *montes excelſi cervis, petra ſit refugium herinaceis.* Quis in tam amabili Domino non confidat? *Attende ad judicium dilectionis Dei. Tenemus mortem Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti: ſi non amaret, talia pignora non daret.*

X. Clavus amoris.

Nec ſpei tantùm fulciendæ argumenta in benigniſſima Chriſti caritate inveniam; ſed etiam accendendi amoris incentiva. Nam, ut Bernardus ait, ſerm. 20. in Cant. *Super omnia reddit amabilem te mihi, JESV bone, calix quem bibiſti, opus noſtra redemptionis. Hoc omninò amorem facilè vendicat totum ſibi.* Omninò totum: ut clavo iſto aureo & ſuaviſſimo transfixi, centies dicamus cum Paullo: *Chriſto confixus ſum cruci: vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Amor rerum creatarum hominem ad illas extra ſe abripit: imbecillæ enim ſunt, & imperfectæ, voluntatique occurrere nequeunt; niſi ipſa de ſe ad illas egrediatur moderatè, vel cum impetu exſiliat. Hinc vulgare iſtud: *Anima ibi magis, ubi amat; quàm ubi animat.* At in amore Dei res aliter habet. Quia diligitur infinitus & immenſus, qui in nobis eſt, & in quo ſumus; per amorem noſtrum applicatur & conjungitur nobis, & vitam infundit, aut vivit in nobis. Amemus ergo Chriſtum paſſum, ut vivamus in illo, & ipſe in nobis. *Specioſus formâ præ filiis hominum*: jam ipſa ſpecies eſt. *Ecce*, inquit Aug. in pſal. 44. *ſponſus procedit nobis: amemus illum, & ſi invenerimus in eo aliquid fœdi, non amemus. Pulcer in cælo, pulcer in terra; pulcer in utero; pulcer in manibus parentum; pulcer in miraculis, pulcer in flagellis; pulcer invitans ad vitam, pulcer non curans mortem; pulcer deponens animam, pulcer recipiens; pulcer in ligno, pulcer in ſepulcro.* Numquam tamen pulcrior quàm in ligno, quàm deponens animam. In cruce extendere, ô JESU, ut me tibi affigas. Morere, ô JESU, ut vivas in me, & vivam in te. Ita tibi affixus hæream, ut avelli non poſſim, niſi à meipſo divellar.

SECTIO QUINTA.

Quinque Chriſti vulnera, trigemina.

Ad illud Iſaïæ c. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

LECTORIS pietati breviter hoc argumentum ſuggero. Paſſionem Chriſti apertiſſimè prædixêre prophetæ varii: maximè Iſa. cap. 53. toto: alibi etiam ſparſim, uti cap. duodecimo; ubi fontes Salvatoris, id eſt vulnera nobis oſtendit, unde ſalutares aquas, triſtes ſimul ac læti hauriamus; de morbo triſtes, læti de medicina. Fontem fore Chriſtum prædixit Zacharias cap. 13. *Erit fons patens domus Iacob in ablutionem peccatoris.* Fons Chriſtus in Nativitate, ad cujus aquas adſpirabat David, *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem*, 2. Reg. 23. Fons eſt in prædicatione irrigans univerſam terræ ſuperficiem, & clamans de ſe in Templo: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*, Joan. 7. Fons erit nobis in cælo, ubi torrente voluptatis ſuæ nos potabit, & de ſub pede agni emanabit fons vivus. Nuſquam tamen magis fons, quàm in Paſſione; ubi vulneribus foſſus, velut per tot ora ſalutares nobis latices Contritionis, Lætitiæ ſpiritualis, & Gratitudinis præbet hauriendos, eóque nos per Iſaiam invitat. I. Fons Chriſtus.

Quinque vulnerum Chriſti figuræ, & myſteria nota ſunt. Iis perfuſum Chriſti corpus omnem pro nobis cruorem effudit, tamquam fontibus totidem. In quatuor rivos diſſecabatur fons Paradiſi terreſtris: at hæc noſtra Paradiſi cæleſtis ſcaturigo abundantior eſt, & quinis fontibus profluit. Ita vulgò numerant. Ego verò ter quinos fontes invenio, & plagas totidem. Quinis vulneribus cor Chriſti in horto confoſſum eſt: plagis totidem honor ipſius in urbe laceratus: vulnera quinque corpori inflicta, aut quinies potiùs repetitis vicibus corpus laniatum. Hæc quæ vulgus maximè attendit, & ſanè maxima ſunt, ut ſolidè ponderat D. Thom. q. 46. art. 6. trium tamen illorum generum ſunt minima. Quanti enim pluris eſt læſio honoris, quàm corporis? Et quantò magis ſentitur laniatio cordis, quàm carnis? Cùm teſte Siracide, Eccl. 25. *Omnis plaga*, id eſt maxima plaga, *ſit triſtitia cordis.* II. Quina Chriſti vulnera, trigemina.

Magnitudinem vulnerum cordis Chriſti æſtimare poſſumus, vel ex eorum natura, vel ex cauſſis ſive objectis, vel ex ſignis. Quinque omninò numerantur ab Evangeliſtis, quæ tamen ad unam fermè triſtitiam recidunt, aut ipſi ſunt affines, & innexæ: *Cæpit pavere, tædere, contriſtari, mæſtus eſſe, factus in agonia prolixius orabat.* Pavor, eſt III. Vulnera cordis Chriſti.

ſuga mali futuri; aliquaodo cum tanta commotione conjunctus, ut corpus omne per ſympathiam concutiat, nervoſque debiliter ad contractionem uſque, imò & perpetuam deinceps paralyſin: Tædium, eſt averſio à ſolatio aut commodo naturæ, quia conſideratur tamquam valdè difficile, aut conjunctum cum malo: ſoletque ea paſſio ferè comitari Triſtitiam, ortam ex malo quod objicitur velut præſens, aut certò futurum; eſtque aliquando tanta triſtitia, ut momento cor ſuffocet, & vitam auferat; quod accidiſſe ſororibus duabus, cùm ſejungi captivæ per Turcas deberent, narrat Curopalates. Mæſtitudo, eſt velut affectus vel effluxus triſtitiæ ingentis, conjunctæ cum dejectione animi ob mali magnitudinem. Agonia, eſt interior compugnantia appetitûs naturalis & rationalis.

IV. Quinque objecta triſtitiæ. Indubitatum eſt Chriſto Paſſionem ſuam omnem planè liberam ac voluntariam fuiſſe: maximè tamen libera fuit iſta cordis laniena, quam ipſe ultrò provocavit, ut eò plus pateretur. *Potuit* enim, ut ſuprà diximus ex Auguſt. in pſal. 31. *ſine triſtitia eſſe Dominus, iturus ad paſſionem:* ſed ſine illa eſſe noluit, ideoque ut eam excitaret ſibi ipſe objecit cauſſas efficaciſſimas, ſive vehementiſſima motiva quinque; de quorum inter ſe comparatorum gravitate auditorum eſto judicium. Quamquam ita ferè diſponam, ut gradatim à minoribus aſcendatur ad majora. Primum fuit, præcogitatio Paſſionis futuræ, ſecundùm omnes ejus partes, distinctè propoſitas, itaut omnem earum gravitatem & numerum perpenderet, & velut præſentes cerneret: unde neceſſe fuit maximam commotionem naturaliter enaſci, cùm res proponerentur adeò horribiles. Reis morituris non oſtenduntur inſtrumenta ſupplicii. Abrahamus Iſaaco conſilium non aperuit, niſi in monte Moria; & oculos ipſi obvelavit, ne micantem gladium videret. Cùm Maria Stuarta Scotiæ Regina ſupplicio affecta eſt, latebat carnifex, abdita erat ſecuris & truncus feralis, pullis tapetiis tenebræ in aulam inductæ, ut mortis horror minueretur. At Chriſto apertè omnia objiciuntur, vincula, ſannæ, alapæ, ſputa, flagella, ſpinæ, crux, mors ignominiæ plena. Quantum inde concuſſa ſint viſcera illius, novit ipſe qui pati voluit. Quid autem ſi dicamus, plus Chriſto doloris fuiſſe, ex prævisâ compaſſione piiſſimæ matris, quam ex ſua Paſſione? Plus enim dolemus de malis carorum, quàm de noſtris ipſis: & eò ampliùs, quò magis conjuncti ſunt, & quò clarior eſt malorum cognitio. Uxor Romani cujuſpiam, Pæti nî fallor, ex vulnere moriens, marito itidem vulnerato dicebat; non ſuum ſibi dolere, ſed mariti vulnus. Amabat autem Chriſtus unicè Virginem, ut matrem, ut ſimilem, ut amabiliſſimis moribus præditam, ut ſanctiſſimam. Videbat futurum, ut gladius pertranſiret animam ejus. Videbat fore, ut dolorem comprimeret & contineret, adeóque ipſa repreſſione & conſtrictione augeret. Tantam dilectiſſimæ matris triſtitiam filius prævidere non potuit, ſine valdè acerbo ſenſu naturæ.

V. Tertia triſtitiæ cauſſa. Tertium motivum fuit timor, fuga, lapſus diſcipulorum ſuorum; quos tamen adversùs mala ingruentia ſermonibus plurimis, vaticiniiſque, præparaverat; quibus, ad animi robur, Corpus ipſe ſuum & Sanguinem dederat; quibus pedes laverat, ut oſtenderet à ſe dilectos *in finem*; quibus plenam caritatis & ardoris fecerat exhortationem, ipſo in hortum ingreſſu, & inter alia dixerat, *ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Illi tamen tot obſtricti beneficiis, tot monitis inſtructi, tot præſidiis muniti, *omnes relicto eo, fugerunt.* Atque utinam fugiſſent ſolùm: ſed ad augendam mæſtitiam, is cui dictum erat, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. concutitur ad vocem ancillulæ, negat & pernegat: quod cùm importabile eſſet Chriſto, *converſus reſpexit Petrum.* Jam proditio Judæ, amicitiam, maximum humanæ vitæ ſolatium, in venenum vertentis: ejuſdem deſperata pœnitentia, mors infælix, damnatio æterna: ut dici æternùm poſſit, en unum de Chriſti diſcipulis damnatum, à latere Chriſti abreptum, & poſitum cum diabolo & Angelis ejus.

Quartum motivum tantò videtur fuiſſe acerbius, quantò latiùs patuit; ad univerſam ſcilicet ferme nationem Judæorum. Videbat ingratiſſimam fore; prorsùs ut efferatis animis exclamarent, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Videbat futurum, ut poſt paucos annos imprecatio illa horribilis in ipſorum, ac poſterorum capita, juſtiſſimo Dei judicio recideret: vaſtatâ Judæâ, captis Hieroſolymis, exuſto Templo, civitate exciſa, interemptis mortalibus innumeris. Quod caput eſt, ſciebat ſecuturam plurimorum obdurationem, atque adeò perpetuum interitum. Nec dubium, quin illos teneriùs amaret, quàm Moſes aut Paullus, qui, ex incenſa erga illos caritate, petebant deleri de libro vitæ, & eſſe anathema. Ex ea itaque conſideratione ita commotus fuit, ut dolores ipſe ſuos & tormenta pro nihilo ducere videretur, præ dilecti populi detrimentis, & exitio. Sic enim ipſemet loquitur, Luc. 23. *Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Eóque ſenſu hunc locum explicant D. Hilarius, & Hieronymus. VI. Quarta.

Si autem Chriſti cor tam altè vulneratum eſt, unius Judaicæ nationis excidio, quid dicemus de reliquorum hominum pernicie, pro quibus tamen ſanguinem ſuum fundebat? Quid de Chriſtianorum populo, quem acquiſivit ſanguine ſuo? Prævidebat fore, ut de filiis ſuis, ſanguine Agni intinctis, charactere inſignitis, pane nutritis, caritate veſtitis, multi caritatem amitterent, ſiliquas pani præferrent, characterem beſtiæ ſigno Chriſti præponerent, ſanguinem Teſtamenti pollutum ducerent, denique partem ſuam ponerent cum hypocritis in ſtagno ignis ardentis: ubi ſumma triſtitia de malo ſemper præſenti, fletuſque ac ſtridor dentium: ubi timor perpetuus; quia *nullus ibi ordo, ſed ſempiternus honor:* ubi inexplicabile tædium ex ſolatii omnis abſentia; quia chaos magnum firmatum eſt inter illum & gaudiorum locum: ubi dejectiſſima mæſtitudo, ex deſperatione melior um: ubi agonia continua ex conſcientiæ perpetuis aculeis; quia vermis eorum non moritur. Quamvis unicum omninò Chriſtianorum damnatum iri præſciſſet: tanti tamen mali horror naturam omnem concuſſiſſet. Quid poſteaquam plures illuc vidit ruituros præcipites? Meritò itaque Chriſtus, ut dolorem intimum teſtaretur, in illas lacrymabiles voces erupit; *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: & avulſus eſt ab eis*; quia difficulter deſerebat, à quibus exſpectare poterat aliquid ſolatii: & *Procidit in faciem ſuam*, velut pondere mœroris oppreſſus: & Patrem enixè obteſtatus eſt, ut tranſiret calix iſte: & toto corpore ſudorem ſanguineum, velut ſaucii cordis cruorem, effudit: & ab Angelo ſolatium accepit, *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* VII. Quinta.

Video nos hactenus profunda rimatos: magis obvia eſt & facilior pertentatio plagarum honori Chriſti VIII. Plagæ honoris.

Digitized by Google

Chriſti illatarum, in rebus quinque apud homines maximi fieri ſolitis. Libertatis ac potentiæ delicatus adeò ſenſus eſt, ut ad illam defendendam ipſi interdum vitæ non parcatur. Innocentia tam cara eſſe debet, ut illi tuendæ vita rectiſſimè impendatur. Sapientia apud quaſdam nationes tanti eſt, ut ſumma contumeliarum ſit, appellari ſtultum, aut hominem nauci. Quid jam de Regiæ Majeſtatis honore ſuper omnes eminente: quid de Divinitate dicamus? Libertatem amittit Chriſtus, cùm ligatur & trahitur vilis mancipii inſtar, & hominis impotentis; cui jam nunc dici poſſit, *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* En plagam Potentiæ inflictam ſimul ac Libertati. Altera Innocentiæ incutitur, cùm pro ſuperbo percutitur, pro blaſphemo conſpuitur, pro falſo propheta velatur, pro ſeditioſo accuſatur. Tertiò ſauciatur Sapientia, quando ab Herode habitus pro ſtulto, illuſuſque ab exercitu ejus, & deinde à populo. Laceratur Majeſtas comparatione cum Barabba homine nihili: illuſione militum cum dicto, *Ave Rex Iudæorum*: propoſitione per Pilatum facta, cum his verbis, *Ecce Homo, Ecce Rex veſter*: acclamatione populi, *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*: cujus acclamationis continuatio fuit titulus Cruci appoſitus. Divinitatem inſani Pontifices conati ſunt detrahere, ſuclamantes cum plebecula: *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Quid ſi etiam illuc reſpexêre, cùm Barabbam maluerunt ſibi dimitti, velut ad ludibrium Filiationis æternæ Verbi divini? Dixerat enim Chriſtus, Deum eſſe patrem ſuum; & nos eum vocamus *Filium Patris*, quod Barabbæ nomine ſignificatur. Eòdem ſpectavêre convitia jacta, cùm penderet in cruce: *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Neque antè agnovêre, quàm petris ſciſſis.

IX. Plagæ corporis. Inter haſce honoris plagas, innumera corpori Chriſti vulnera inflicta ſunt, in quinque tamen vices tributa. Prima fuit Flagellatio: qualis, quàm atrox? Secuta eſt mox Coronatio, quanto cum dolore? Acceſſit tertia plaga ingens, & profunda, in humero ex bajulatione Crucis: quæ licèt ab Evangeliſtis non exprimatur; intelligitur tamen, & ejus veſtigium manifeſtum in ſindone Taurinenſi cernitur. Quarta eſt, Crucifixio, cujus atrocitatem, ex compagum nervorumque diſruptione, facile eſt colligere: quandoquidem nihil eſt *dolor, niſi quidam ſenſus, diviſionis vel corruptionis impatiens*, ut definit Auguſt. lib. 3. de lib. arbitrio, cap. 23. Ultima corporis laniatio fuit poſt mortem, quando miles lanceâ latus ejus aperuit, vulnere ſemiunciam lato, longo unciam unam & tres quartas; ut ex ſacra ſyndone Taurinenſi colligit P. Domitius Platus, item ex ferro lanceæ quod Romæ aſſervatur, & ex verbis Chriſti ad D. Thomam, *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Etſi autem vulnus iſtud corpori ejus dolorem nullum attulerit, quando infligebatur: ante tamen cor ejus vehementer afflixit; tum quia prævidit quantum cariſſimæ matri dolorem crearet; tum quia acerbiſſimum eſt mortuis inſultare; tum quia illo figurabantur vulnera, poſt mortem ipſius Eccleſiæ infligenda. Quid autem eſt Eccleſia, niſi pectus & cor Chriſti, eruta ex ipſius demortui latere, ſicut Eva ex latere Adæ dormientis? Jam quot præacutæ lanceæ perſecutionum à Paganis, ab Hæreticis, à malis Chriſtianis Eccleſiam petiêre? Nec manus tantum, aut pedes Eccleſiæ confixêre, id eſt juſtitiam, temperantiam, aliáſve virtutes, ſed caritatem ipſam, quæ Chriſtianæ religioni pro corde eſt.

In tanto immanitatis cumulo, & Oceano dolorum, corpus, honorem, animam obruentium, unde nobis ſcaturigo gaudii, ad quam invitat Iſaias, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris?* X. Aquæ gaudii ex plagis Chriſti.
Gaudere etiam nos jubet D. Leo ſerm. 11. de Paſſione Domini, quem ſic incipit: *Deſiderata nobis, dilectiſſimi, & univerſo optabilis mundo, adeſt feſtivitas Dominicæ Paſſionis, quæ nos inter exultationes ſpiritalium gaudiorum ſilere non patitur.* Et poſt pauca: *Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis noſtræ & oblectat, & ſuperat ſicut Paſſio Salvatoris?* Gaudium & lætitia ſunt de bono præſente, vel quaſi præſente. Quantum Chriſto bonum ex Paſſione ſua? Imploratur, quia triſtis fuit. Honoratur, quia contumeliæ illum depreſſêre. Amatur, quia plagæ illum laceravêre. Quia exaltatus fuit à terra, omnia traxit ad ſeipſum. Quantum autem nobis bonum ex iiſdem ſalutaribus fontibus? *Meliora* certè *mihi ſunt*, ut Severo ſcribebat Paullinus epiſt. 2. *amici vulnera, quæ Chriſtus accepit, ut ſanaret me; quàm voluntaria inimici oſcula, quibus mihi per illecebras delectationum ſuarum caro maleſuada blanditur.* Cogito de vulneribus amabiliſſimi cordis, & ſtatim illud intùs mihi commendari audio, in gratiam iſtarum plagarum: *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum.* Perpendo vulnera honori Chriſti inflicta: & mox menti meæ occinitur: *Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat*: cum teſtem honoris quære, cum vindicem exſpecta, & mala non timebis. Oſculor corporis vulnera, & de ſingulis peto, quid à me gratitudinis exigant? Audire mihi videor manuum plagas poſtulantes, ut anima mea ſit in manibus meis, & lex Dei in operibus manuum mearum. Pedes admonent, ut ambulem conſtanter in viis Domini. Cor flagitat, ut cor meum ſit rectum cum corde Dei. *O Domine, da quod jubes, & jube quod vis.*

SECTIO SEXTA.

Paſſio Chriſti in quatuor dimenſiones tribuitur.

Ad illa Eph. 3. *Poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum.*

AMABILIS noſter Crucifixus, in quem credimus, à quo bona omnia exſpectamus, qui I. Invitat nos Chriſtus ad conſiderandos dolores ſuos.
hodie nobis ſanguinem ſuum omnem ac vitam donavit, ut etiam rebelles noſtras compelleret ad ſe propitius voluntates: capite ſpinis coronato, fronte cruentâ, vultu alapis contuſo, genis conſputis, cæſarie ac barbâ divulsâ & ſanguinolentâ, collo tumente ac livido ex tractu funium & catenarum, manibus ac pedibus pertuſis, humeris confractis, corpore omni dilaniato, quale fuit cùm moreretur, aut quale in ſacra ſyndone Taurinenſi ipſe impreſſit. Deſiderabilis itaque Crucifixus noſter, in miſerando illo habitu, nobis ad aurem cordis ſuaviter immurmurat verba, ex Thren. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Sed, ô pie JESU, quâ ratione complecti poſſimus magnitudinem dolorum tuorum? Prophetæ tui, eos eminùs intuiti, obſtupuêre: *Conſideravi opera tua, & expavi.* Hab 3.

Intelligentiæ cæleſtes admirabundæ hærent: *Incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.* Tu ipſe, ô Chriſte, cum Patre tuo colloquens, quaſi ſolus ipſe dolorum tuorum magnitudinem metiri poſſit, dicis: *Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam.* Demus tamen hoc Chriſto, & quantumvis ſteriles verborum, atque infæcundi affectuum, de Paſſione, quod poſſumus, eloquamur, & cum D. Leone ſerm. 11. de Paſſione: *Laboremus ſenſu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio.*

II. Quatuor menſuræ Paſſionis Chriſti.

Chriſti crucifixi amator inſignis D. Paullus, Epheſiis ſcribens, optat, ut *poſſint comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti.* Quæ illæ ſint dimenſiones, & quò pertineant, apud ioterpretes diſputatur. An de Deo, eujus latitudo immenſitas, longitudo æternitas, infinitudo ſublimitas, miſericordia profundum? Ao de beata æternitate? An de virtute Chriſtiana? An de Cruce? An alia de re? Interpretationea Scriptorum, & ſententias Patrum, facilè apud alios reperiet, qui hoc argumentum deducere voluerit: ego enim ipſius commodo ſolùm indico. Cæterùm aptè admodùm ea Paulli verba de Paſſione Chriſti intelligentur: ut latitudo, ſit dolorum acerbiſſimorum maxima varietas: longitudo, ſit duratio eorundem ſuppliciorum: ſublimitas, ſummus amor, qui Chriſtum impulit ad talia: profundum, vilitas hominum, pro quibus Chriſtus paſſus eſt.

III. Latitudo dolorum Chriſti.

Latitudo dolorum tanta eſt, ut genus omne mali complectatur. Unde Apoſtolus optimè de Chriſto dixit ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus*, non verò, in ſimilitudinem hominis; quia ſolus ipſe mala omnia, quæ in univerſum genus humanum cadere poſſunt, ſuſtinuit. Perdidit enim bona omnia exteriora & ioteriora, corporis atque animi, unico excepto gloriæ lumine ac ſanctitate, quæ amitti non poterant. In horto perdidit Gaudium omne præterquam beatificum, Libertatem, Amicos. Gaudium, cùm triſtem ſe eſſe dixit: Libertatem, cùm captus: Amicos, quando relicto eo *omnes fugerunt.* In urbe Hieroſolyma perdit coram hominibus, & in oculis accuſatorum, judicum, ſpectatorum ſuorum, Doctrinam, Innocentiam, Prophetiam, Veritatem, Sapientiam, Reverentiam, Dignitatem. Doctrinam, quando interrogatur de diſcipulis: Innocentiam, cùm inclamatur blaſphemus: Prophetiam, cùm velatur: Veritatem, cùm à Pilato de ea interrogatur, oeque auditur: Sapientiam, cùm veſte albâ induitur: Reverentiam, cùm Barabbæ poſtponitur & flagellatur: Dignitatem, cum pro Rege ſceoico habetur. Ex urbe vadit in Calvariam, & perdit Vires, Veſtes, Sanguinem, Salutem, Matrem, Patris auxilium, Humorem naturalem, Calorem vitalem, Vitam. Vires amittit, fatiſcens ſub cruce: Veſtes, cùm illis exuitur, & de illis luditur: Sanguinem, cùm clavis perforatur: Salutem, cùm pro falſo Salvatore à ſpectatoribus, & ab uno latronum ſecum peodentium, illuditur: Matrem, cùm poſt inimicorum & latronis memoriam, Joanni eam commendat: Patris auxilium, cùm dicit, *Deus, Deus meus*, &c. Humorem naturalem, cùm exhauſtus clamat, *Sitio*: Calorem vitalem, cùm dicit, *Conſummatum eſt.*

IV. Quàm nos debeat excitare.

O Lætitia obſcurata, Libertas compedita, Amicitia derelicta, Doctrina contempta, Innocentia damnata, Prophetia illuſa, Veritas non audita, Sapientia abjecta, Reverentia conculcata, Dignitas ſpoliata, Fortitudo debilitata, Opulentia nudata, Salus ſpreta, Virtus deſtituta, Vita exhauſta: O Fili Dei, & Virginis, matri valedicens, à patre deſerte, ſupereſtne tibi quidquam, quod amittas? Circumſpiciamus undique: nil video reſtare præter pauxillum feſſi anhelitûs; quo collecto, caput erigit, animáque commendatâ in manus Patris, & iſtud reliquum nobis donat, acclinatóque pectori capite, illud ſuum moriens repetit; *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* *Attendite* ſeriò, *& videte*, quid à vobis poſtulet mors illa, & Paſſio. Quis intimi pectoris tui ſenſus eſt, quis cordis ſermo, Chriſtiane? Quid accenſæ voluntatis ardor loquitur? Idem, opinor, quod generoſus Simon Montefortius: *Eamus & nos, & moriamur pro illo, qui pro nobis mori dignatus eſt.* Obſidebat Toloſam, & Albigenſes hæretici eruperant, ipſo Sacrum audiente. Ire obviàm noluit, niſi prius Redemptorem ſuum in conſecratione Sacrificii vidiſſet. Tum demum dicto, *Nunc dimittis*, addidit verba illa, *Eamus & nos*, &c. Et mox ſaxo per balliſtam ictus, ac quinque ſagittis velut Chriſti plagis perfoſſus, martyrium veriùs ſubiit, quàm mortem. Vide Spondanum an. 1218.

V. Longitudo Paſſionis.

Ut magis ac magis nos confirmemus, & animemus; contemplanda longitudo Paſſionis. Duravit tantùm, ſi tormenta exteriùs inflicta ſola conſideremus, horis octodecim: A nona veſpertina uſque ad tertiam pomeridianam. Cœnâſſe demus hora ſextâ veſpertinâ, inveniemus ſub horam nonam intrâſſe hortum, ubi laxavit habenas triſtitiæ. Conſtat ſub horam duodecimam, quæ ſexta à Joanne vocatur, fuiſſe condemnatum. De hora tertia, quod dicit Marcus, iotellige de fine tertiæ: & ſi lubet da hoc piæ curioſitati auditorum, ut fuſiùs eas explices de tempore Paſſionis quæſtiones, & ſingula horis ſuis reddas, explicéſque Paſſionis Horologium diurnum, non ſine fructu. Breve itaque videatur ſpatium, ſi horas tantùm ſpectemus, torrentis inſtar æſtivi præterfluentes: & breve id Chriſto viſum dicenti, *Quæ ſunt de me finem habent*: &, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Longum tamen videbitur attendenti, ne unum quidem ad quietem momentum fuiſſe per horas octodecim: deinde ſæpiùs moriendum fuiſſe, oiſi infirmitatem corporis vi divinâ ſuſtentâſſet. Cùm triſtis fuit ad mortem, cùm ſanguine ſudavit, cùm acerbiſſimè flagellatus eſt, cùm coronatus, nonne mori debuerat, oiſi miraculo vitam ſervâſſet? Quàm longa nobis tormenta ejuſdem magnitudinis viderentur, etiam horaria! Nec tamen Paſſio horis octodecim metienda eſt. Cæpit, quando diſcipulis dicebat, *Baptiſmo habeo baptizari.* Cæpit cùm ejus vita: nam, quomodò loquitur familiaris libellus, *tota vita Chriſti crux fuit, & martyrium.* Cæpit ab inſtanti conceptionis: ſic enim apud eundem ipſe de ſe: *Ab hora ortûs mei, uſque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia Paſſionis.* De perpetua Chriſti cruce interna conſule, ſi placet, Bellarminum l. 2. cap. 3. de gemitu columbæ. Et Leſſium de Perf. div. lib. 12. cap. 17. num. 133. Eſt etiam libellus variis linguis ea de materia editus, admodùm pius.

VI. Sublimitas Paſſionis Chriſti ex amore excelſo.

Nihilominùs non horæ modò extremæ tormentorum, ſed anni toti triginta quatuor perpetuorum dolorum, viſi ſunt *pauci dies præ amoris magnitudine.* Utinam in pectus illud, in eam caritatis fornacem, penetrare poſſemus: *Oblatus*, enim *eſt, quia ipſe voluit:* voluit, quia amavit. Et verò quid ipſum eò duxiſſet, niſi amor? An vires ſatellitum, & militum?

militum? Quos unâ voce *Ego ſum* proſternit. An Pilati Cæſarisve potentia? Qui vix vermiculorum inſtar ſunt, ad duodecim legiones Angelorum, Chriſto militantes. An dæmonis furor, & poteſtas tenebrarum? Quorum legionem onico juſſu corporibus poſſeſſis ejicit. An Juſtitia Patris æterni? Sed ipſe eſt innocens. An quòd pro nobis fidejuſſerit, & in ſe crimina noſtra ſuſceperit? Sed gutta una ſudoris divini, lacrymula una, ſuſpirium unum, actio una theandrica, ſatisfaciendo par erat. Quid ergo? *Oblatus eſt, quia ipſe voluit:* voluit, quia amavit. Chryſologus ſer. 69. Παντοκράτωρ *tenetur ſæculorum: ſiſtitur terræ fundator: judicatur humanæ largitor veniæ: diſcutitur cordis ſcrutator: punitur vitæ dator, & redditor: ut tarda mens hominis, & intelligentia ſatis pigra, vel morte in ſe Dei probaret affectum, quæ, innumeris Dei beneficiis, Dei erga ſe non intellexerat, non ſenſerat, caritatem.* Amor ſtrinxit vincula: amor oculos velavit: amor flagella expedivit: amor ſpinas exacuit: amor clavos incuſſit: amor vitam expreſſit, & pectus aperuit. Laurent. Juſtin. de ligno vitæ, cap. 4. *O caritas, quàm magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere poſſet, ſi caritatis vinculum defuiſſet.* Nec velum texiſſet, nec flagella laceràſſent, nec ſpinæ cruentâſſent, nec clavi terebrâſſent, nec mors ſuperâſſet, niſi amor juſſiſſet. *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad te de terra* undique, ex horto, ex prætorio, ex Calvaria: nec clamat quidquam, niſi amorem.

VII. *Profunditas Paſſionis.* At cujus amorem? Quo Chriſtus etiam erga inimicos ferebatur. Dicebat ipſe: *Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Imò, loquit Bernardus, datur excelſior caritas: *Tu Domine majorem habuiſti, qui animam poſuiſti pro inimicis.* Et Petrus Bleſ. ſerm. 27. in cœn. Dom. *Vide quis, quomodò, quos, & quantum dilexerit. Quis? Dominus. Quomodò? gratis. Quos? inimicos. Quantum? uſque in finem.* Vis ſcire pro quibus tam multa, tamdiu, tanto affectu toleravit? Audi ex ipſomet. *Pater ignoſce illis*, crucifixoribus meis: illis Infidelibus duris: illis Mahumetanis impiis: illis Hæreticis pertinacibus: illis ingratis Catholicis. Nonne ego in iſtis? *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Omninò *pro me*, qui toties offendi: *pro me*, qui dolores ejus tam parùm ſentio: *pro me*, qui tam parùm illi laboro. O Chriſte, hinc *conſideravi opera tua, & expavi*, ad altitudinem tui amoris: inde conſideravi opera mea, & expavi nimis, ad abyſſum meæ ingratitudinis. Poſt tanta tormenta, tantam caritatem, tam parùm erga te afficior, & tam facilè pecco? Tu me fers in manibus, & in pectore: ego tantum te fero in ore, & mox tui obliviſcor?

VIII. *Excitandus amor in Chriſtum.* O animæ Chriſti ſanguine redemptæ, ô filii Crucifixi, Attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor Chriſti: Attendite & videte, ſi eſt amor, ſicut amor Chriſti. Quis veſtrum ſe tam amabili Domino debitorem agnoſcit? Quis obſequia tantis beneficiis ſtatuit rependere? *Quis ex vobis amans Deum, audiens vocem ſervi ejus?* Vocem Chriſti morientis: vocem rationis, fidei, humanitatis, caritatis, cum Salv. lib. 2. ad Eccleſiam dicentis: *Quid ſolvere homo poterit, cui ſe per ultimam pœnarum acerbitatem Chriſtus impendit? Si debitum morte non ſolvimus, amore ſolvamus.* Quiſquis id non facit, jam nunc ipſi cum Paullo denuntio, ut Chriſtiani nomen exuat: *Qui non amat Dominum JESUM*, & hunc ſudantem, & hunc captivum, & hunc accuſatum, & hunc flagellatum, & hunc coronatum, & hunc crucifixum, *anathema ſit.* Ipſe in me fero ſententiam, ô Chriſte, ſi deinceps tuus non ſim. Id à me poſtulas: idem à te poſtulo. Conveniunt voluntates noſtræ: utinam ſemper mea cum tua. Per lacrymas, per paſſus, per vincula, per ſputa, per flagella, per ſpinas, per clavos, per ſanguinem, per mortem tuam, ô Chriſte, fac ut ſemper tuus ſim. Mea deſinant eſſe bona exteriora: honor tollatur, pereat ſanitas, vita eripiatur: modò tibi ego debitor non eripiar, nec tu mihi creditor.

Adjicio ad Paſſionis argumentum, coronidis loco, explicationem ſententiæ Græcæ, quæ cruci Trajectenſi inſculpta eſt. Miſſam Trajectum ad Moſam Canonicis D. Virginis ferunt, à Philippo Imperatore Conſtantinopolitano. Quis autem iſte Philippus? Nonne potiùs Philippus Marchio ſeu Comes Namurcenſis, qui cum Balduino Conſtantinopoli fuit, & non pauca ad Moſanas orbes donaria tranſmiſit? Sed quiſquis donator fuerit: inſigne omninò donum eſt, de ſanctæ Crucis ligno, ad ſeſquipedis circiter altitudinem, ad craſſitiem duarum pollicis tertiarum; tam integro, ut etiam corticis aliquid appareat. Ita mihi retulêre, qui diu tenuêre depoſitum, & accuratè per otium ſæpiùs ſpectavêre. Aureâ thecâ includitur, duplicatis crucis brachiis, infernè longioribus, quàm supernè. IX. *Crux Trajectenſis.*

Inſcriptio eſt à thecæ tergo, charactere quadrato non ineleganti, mediorum tamen ſæculorum formam referente. Nam Σ, ſeu Sigma, notatum eſt fermè ſicut C. Latinum. Χ, ſeu Chi, fermè ſicut ʊ caudatum infernè. Zeta item, aliæque literæ, & ſpiritus, priſco Græcorum more non pinguntur. Deſunt etiam interpunctiones, & ſyllabæ perperàm disjonctæ ſunt. Hinc pauci eam inſcriptionem intellexêre, cùm ne legi quidem facilè poſſit. Neque ipſe, cùm mihi primùm oblata eſt, aſſecutus ſum: ſed conjecturâ primùm, deinde characterum inter ſe comparatione, veram omninò lectionem, ni magnopere fallor, expreſſi. Sic habet, characteribus minuſculis in locum quadratorum, ſeu majuſculorum, ſuffectis; & verſibus qui ſenarii Jambici videntur, diſtinctis. X. *Ejus inſcriptio.*

Ὡραῖον εἰς ὅρασιν ὀφθὲν τὸ ξύλον
Γεύσει με νεκροῖ, τὸν Θεοῦ κατ' εἰκόνα:
Ὡραῖος ὤν, κάλλει δὲ θείας οὐσίας,
Ζωοῖ με Χριστὸς, σαρκικῶς θανὼν ξύλῳ.
Χ.
Τὴν δὲ θήκην Ῥωμανὸς γῆς δεσπότης;
Ὡραιότησιν ἀρετῶν ἐστεμμένος,
Χάρισιν ὡραΐσε τιμίων λίθων,
Ἡ'ττῶν δι' αὐτῆς δαίμονας, καὶ βαρβάρους.

Sententia hæc eſt. *Lignum viſu delectabile, guſtu me occidit, qui factus eram ad Dei imaginem. Pulcer Divinæ naturæ formâ Chriſtus mihi vitam reddat, corporeâ vitâ in ligno finitâ. X. Hanc verò thecam terræ dominus Romanus, virtutum ornamentis inſignis, luce gemmarum decoravit, devictis crucis Dominicæ præſidio dæmonibus, & barbaris.* Ad verbum ſic reddo, disjunctis etiam, ut in Græco ſunt, verſibus. XI. *Explicatur.*

Pulcrum ad viſionem conſpectum lignum,
Guſtu me occidit, illum ad Dei imaginem.
Pulcer exiſtens, pulcritudine autem divinæ Eſſentiæ,
Vivificet me Chriſtus, carne mortuus ligno.
X.
Hanc verò thecam Romanus terræ dominus,
Elegantiis virtutum coronatus,
Gratiis ornavit pretioſorum lapidum,
Vincens per illud dæmones, & barbaros.

Litera

XII.
Quis Romanus, de quo ibi mentio?

Litera ℵ, ſeu ϫ, id eſt x in medio inſcriptionis poſita, quæ multos detinuit, nihil eſt quàm interpunctio, & ſeparatio partis ſecundæ à prima: niſi mâlis, ſuppleri per eum characterem debere ſyllabam, quæ verſui ſequenti deeſt; ut legatur Ταοτιτδε θηκην, &c. non autem Τιτδε. *Romanus* ille, *terra dominus*, fuitne, quem Diogenem cognominavêre; cujus hiſtoriam attigimus in epilogo tractatûs de Bona voluntate, numero ſeptimo? An Heraclius, qui Romanus vocetur, id eſt Romanorum Imperator & aſſertor, recuperatorque ſanctæ Crucis & ſanctæ Civitatis? Utrumque credibile eſt: ſed illud potiùs elegero; tum ob expreſſum Romani nomen; tum quia characterum forma magis ad Romani Diogenis, quàm ad Heraclii ævum videtur accedere.

XIII.
Cur hæc digreſſio?

Hunc in ipſo Excurſu tranſcurſum boni conſule, mi Lector. alibi enim meliùs non poteram, ne in hiſtoria quidem Leodienſi; ubi res geſtas uno ductu ſatius eſt perſequi, quàm antiquarum inſcriptionum explicationibus abrumpere, præſertim ubi de tempore non conſtat. Omittere autem illam non debui, quia ab amicis aliquot noſtris expetebatur: & verendum erat, ne poſteris idem forſan contingeret, quod majoribus eveniſſe dicebatur, ut ne legere quidem poſſent. Quamquam ſcriptis hiſce, & prælo jam in anterioribus capitibus currente, audio R. P. Bauhuſium è Societate noſtra ſacerdotem, Trajecti olim percarum & percelebrem, ad iſtius inſcriptionis intelligentiam aliquid edidiſſe: quod neque ego vidi, neque iſti à quibus ad explicationem ſolicitatus ſum, neque ulli forſan eorum quibus iſthæc noſtra videre vacaverit.

XIV.
Crux Leodienſis.

Demus & inſigni Leodienſis baſilicæ Cruci quidpiam. Accepêre Lambertiani Canonici à Stephano X. Pontifice Maximo, antè collegs ſuo: ſæculis abhinc omninò ſex, & anno; octavo nempe ſupra quinquageſimum anno ſæculi undecimi. Magnum eſt Dominicæ Crucis fragmentum, quadratâ ex auro thecâ incluſum, palmo fermè majore altum duabúsve pedis tertiis, pollicis dimidii craſſum, brachiis paullò brevioribus ſtipite, integerrimo ligno, oleaginei formam referente, quantum ex colore & filo conjici poteſt. De arboris tamen genere addubitant multi, & in his ipſe Lambertiani ſacrarii præfectus, qui ſexcenties ſpectavit, præbuitque ſpectandum.

XV.
Crux Tongrenſis.

Tam pretioſo dono, per tam eminentis gradûs & ſanctimoniæ virum, ditati Leodienſes Canonici Tongrenſibus Canonicis Crucem miſêre, longam ac latam circiter minore palmo, thecâ argenteâ inauratâ clauſam. Neque enim ad aliud tempus eam donationem meliùs retulero. Thecæ verſus duo inſcripti ſunt, pro ævi more ac genio:

Legia dat lignum, cunctis venerabile ſignum,
Hoc Salvatoris tibi, Tongris, pignus amoris.

Quam inſcriptionem ideò commemoro; quia deprehendi nuper, viris quibuſdam doctis ac piis ignotam eſſe, licèt quotidie hierothecam illam in manibus habeant.

XVI.
Crucis honor.

Gaude, & fruere antiquiſſima Tongrenſis Eccleſia, eximio Leodienſis munere; adeò tibi conjunctæ, ut ex quo Pontificiæ Sedis honor Tongris Leodium tranſiit, Pontifices omnes noſtri Leodienſes iidem & Tongrenſes nominari poſſint, à Divo uſque Materno Apoſtolorum diſcipulo; ad Maximilianum Henricum Apoſtolicæ fidei cum plebe ſua retinentiſſimum. Gratulor & tibi de pretioſiſſimo depoſito Trajectenſis urbs: quæ Tongrenſis olim Sedis hoſpes non hæres, tam honorifici hoſpitii gloriam, & memoriam conſtanti in avitam religionem affectu, ſemper ſervatura es, ſub ſanctæ Crucis umbra ac præſidio. Frendeant licèt, quos Crucis pudet, & malè habet illius honor ac dignitas: indigni, qui in Chriſti ſupplicio ſubſidium inveniant, in morte vitam, niſi ad ſaniorem mentem revocentur, exemplo meliorum.

CAPVT

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM.

Alexander Nobilis, filius Epiphanis, Ptolemaïde occupatâ Rex ſalutatur. In eum movet Demetrius. Uterque magnis promiſſis Ionathan ſolicitat: ſed Iudæis partes Alexandri, quòd prior amicitiam obtuliſſet, magis complacuêre. Pugnant Reges: cadit Demetrius. Alexander victor Ptolemai filiam uxorem ducit: Ionathan ad nuptias Ptolemaïdem invitat, multisq; honoribus afficit ad inimicorum invidiam. Demetrius Nicanor, alterius Demetrii filius, è Creta venit in Syriam. Ejus adventu conſternatus Alexander, Antiochiam ſe confert. Ionathas ab Apollonio, Cœle-Syriæ & copiarum Demetrii duce, ad prælium provocatus, cum eo congreditur. Victor Azotum, quò Syri ex fuga ſe receperant, capit; Dagonis delubro ignes injicit, octo circiter hoſtium millibus, pars igne, pars ferro, conſumptis: Aſcalone honorificè à civibus accipitur: ab Alexandro ob res geſtas honoribus ac muneribus augetur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET anno centeſimo ſexageſimo aſcendit Alexander Antiochi
filius, qui cognominatus eſt Nobilis: & occupavit Ptolemaïdam: & receperunt eum, & regnavit illic.
2. Et audivit
Demetrius Rex, & congregavit exercitum copioſum valdè,
& exivit obviam illi in prælium.
3. Et miſit Demetrius
epiſtolam ad Ionathan verbis pacificis, ut magnificaret eum.
4. Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priuſquàm faciat cum Alexandro adversùm nos:
5. recordabitur enim omnium
malorum, quæ fecimus in eum: & in fratrem ejus, & in gentem ejus.
6. Et
dedit ei poteſtatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & eſſe ipſum ſocium ejus: & obſides, qui erant in arce, juſſit tradi ei.
7. Et venit Ionathas in
Ieruſalem, & legit epiſtolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant.
8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei Rex poteſtatem congregandi exercitum.
9. Et traditi ſunt Ionathæ obſides, & reddidit eos
parentibus ſuis:
10. Et habitavit Ionathas in Ieruſalem, & cœpit ædificare & innovare civitatem.
11. Et dixit facientibus opera, ut exſtruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.
12. Et
fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificaverat:
13. & reliquit unuſquiſque locum ſuum, & abiit in terram ſuam:
14. tantum

in Bethſura remanſerunt aliqui, ex his qui reliquerant legem & præcepta Dei:
erat enim hæc eis ad refugium. 15. Et audivit Alexander Rex promiſſa, quæ pro-
miſit Demetrius Ionathæ: & narraverunt ei prælia, & virtutes, quas ipſe fecit, &
fratres ejus, & labores, quos laboraverunt. 16. & ait: Numquid inveniemus
aliquem virum talem? Et nunc faciemus eum amicum, & ſocium noſtrum.
17. Et ſcripſit epiſtolam, & miſit ei ſecundùm hæc verba, dicens: 18. Rex
Alexander fratri Ionathæ ſalutem. 19. Audivimus de te, quòd vir potens ſis viri-
bus, & aptus es ut ſis amicus noſter: 20. & nunc conſtituimus te hodie ſummum
Sacerdotem gentis tuæ, & ut amicus voceris Regis, (& miſit ei purpuram, & coro-
nam auream) & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum, & conſerves amicitias ad nos.
21. Et induit ſe Ionathas ſtola ſancta ſeptimo menſe, anno centeſimo ſexageſimo,
in die ſolenni Scenopegiæ: & congregavit exercitum, & fecit arma copioſa.
22. Et audivit Demetrius verba illa, & contriſtatus eſt nimis, & ait: 23. Quid
hoc fecimus, quòd præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæo-
rum ad munimen ſui? 24. Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates,
& dona: ut ſint mecum in adjutorium. 25. Et ſcripſit eis in hæc verba: Rex De-
metrius genti Iudæorum ſalutem. 26. Quoniam ſervâſtis ad nos pactum, &
manſiſtis in amicitia noſtra, & non acceſſiſtis ad inimicos noſtros, audivimus,
& gaviſi ſumus. 27. Et nunc perſeverate adhuc conſervare ad nos fidem, & re-
tribuemus vobis bona, pro his quæ feciſtis nobiſcum: 28. & remittemus vobis
præſtationes multas, & dabimus vobis donationes. 29. Et nunc abſolvo vos &
omnes Iudæos à tributis, & pretia ſalis indulgeo, & coronas remitto, & tertias
ſeminis: 30. & dimidiam partem fructus ligni, quod eſt portionis meæ, relin-
quo vobis ex hodierno die, & deinceps, ne accipiatur à terra Iuda, & à tribus civi-
tatibus, quæ additæ ſunt illi ex Samaria & Galilæa, ex hodierna die & in totum
tempus: 31. & Ieruſalem ſit ſancta, & libera cum finibus ſuis: & decimæ & tri-
buta ipſius ſint. 32. Remitto etiam poteſtatem arcis, quæ eſt in Ieruſalem: & do
eam ſummo Sacerdoti, ut conſtituat in ea viros quoſcumque ipſe elegerit, qui cu-
ſtodiant eam. 33. Et omnem animam Iudæorum, quæ captiva eſt à terra Iuda
in omni regno meo, relinquo liberam gratîs, ut omnes à tributis ſolvantur, etiam
pecorum ſuorum. 34. Et omnes dies ſolennes, & ſabbata, & neomeniæ, &
dies decreti, & tres dies ante diem ſolennem, & tres dies poſt diem ſolennem,
ſint omnes immunitatis & remiſſionis omnibus Iudæis, qui ſunt de regno meo:
35. & nemo habebit poteſtatem agere aliquid, & movere negotia adversùs ali-
quem illorum, in omni cauſſa. 36. Et adſcribantur ex Iudæis in exercitu Regis
ad triginta millia virorum: & dabuntur illis copiæ, ut oportet omnibus exerciti-
bus Regis, & ex eis ordinabuntur, qui ſint in munitionibus Regis magni: 37. Et ex
his conſtituentur ſuper negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes ſint ex eis,
& ambulent in legibus ſuis, ſicut præcepit Rex in terra Iuda. 38. Et tres civitates,
quæ additæ ſunt Iudææ ex regione Samariæ, cum Iudæa reputentur: ut ſint ſub
uno, & non obediant alii poteſtati, niſi ſummi Sacerdotis. 39. Ptolemaïda, &
confines ejus, quas dedi donum ſanctis, qui ſunt in Ieruſalem, ad neceſſarios ſum-
ptus ſanctorum. 40. Et ego do ſingulis annis quindecim millia ſiclorum argenti,
de rationibus Regis, quæ me contingunt: 41. Et omne, quod reliquum fuerit,
quod non reddiderant qui ſuper negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in
opera Domûs. 42. Et ſuper hæc quinque millia ſiclorum argenti, quæ accipie-
bant de ſanctorum ratione per ſingulos annos: & hæc ad ſacerdotes pertineant,
qui miniſterio funguntur. 43. Et quicumque confugerint in Templum, quod
eſt Ieroſolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio, di-
mittantur; & univerſa, quæ ſunt eis in regno meo, libera habeant. 44. Et ad

ædificanda

ædificanda, vel reſtauranda opera Sanctorum, ſumptus dabuntur de ratione
Regis: 45. & ad exſtruendos muros Ieruſalem, & communiendos in circuitu,
ſumptus dabuntur de ratione Regis, & ad conſtruendos muros in Iudæa. 46. Ut
audivit autem Ionathas & populus ſermones iſtos, non crediderunt eis, nec rece-
perunt eos: quia recordati ſunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Iſraël, & tribu-
laverat eos valdè. 47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipſe fuerat eis prin-
ceps ſermonum pacis, & ipſi auxilium ferebant omnibus diebus. 48. Et con-
gregavit Rex Alexander exercitum magnum, & admovit caſtra contra Demetrium.
49. Et commiſerunt prælium duo Reges, & fugit exercitus Demetrii, & inſecu-
tus eſt eum Alexander, & incubuit ſuper eos. 50. Et invaluit prælium nimis,
donec occidit Sol: & cecidit Demetrius in die illa. 51. Et miſit Alexander ad
Ptolemæum Regem Ægypti legatos ſecundùm hæc verba, dicens: 52. QUO-
NIAM regreſſus ſum in regnum meum, & ſedi in ſede patrum meorum, &
obtinui principatum, & contrivi Demetrium, & poſſedi regionem noſtram,
53. & commiſi pugnam cum eo, & contritus eſt ipſe, & caſtra ejus, à nobis,
& ſedimus in ſede regni ejus: 54. & nunc ſtatuamus ad invicem amicitiam:
& da mihi filiam tuam uxorem; & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, &
ipſi, digna te. 55. Et reſpondit Rex Ptolemæus, dicens: FÆLIX dies, in qua
reverſus es ad terram patrum tuorum, & ſediſti in ſede regni eorum. 56 Et nunc
faciam tibi quod ſcripſiſti: ſed occurre mihi Ptolemaïdam, ut videamus invi-
cem nos, & ſpondeam tibi ſicut dixiſti. 57. Et exivit Ptolemæus de Ægypto,
ipſe, & Cleopatra filia ejus, & venit Ptolemaïdam, anno centeſimo ſexageſimo
ſecundo. 58. Et occurrit ei Alexander Rex, & dedit ei Cleopatram filiam ſuam:
& fecit nuptias ejus Ptolemaïdæ, ſicut Reges, in magna gloria. 59. Et ſcripſit Rex
Alexander Ionathæ, ut veniret obviàm ſibi. 60. Et abiit cum gloria Ptolemai-
dam, & occurrit ibi duobus Regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum,
& dona: & invênit gratiam in conſpectu eorum. 61. Et convenerunt adversùs
eum viri peſtilentes ex Iſraël, viri iniqui interpellantes adversùs eum: & non in-
tendit ad eos Rex. 62. Et juſſit ſpoliari Ionathan veſtibus ſuis, & indui eum pur-
pura: & ita fecerunt. Et collocavit eum Rex ſedere ſecum. 63. Dixitque prin-
cipibus ſuis: Exite cum eo in medium civitatis, & prædicate, ut nemo adversùs
eum interpellet de ullo negotio, nec quiſquam ei moleſtus ſit de ulla ratione.
64. Et factum eſt, ut viderunt qui interpellabant gloriam ejus, quæ prædicaba-
tur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes: 65. & magnificavit eum Rex,
& ſcripſit eum inter primos amicos, & poſuit eum ducem, & participem prin-
cipatus. 66. Et reverſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum pace, & lætitia. 67. In
anno centeſimo ſexageſimoquinto, vênit Demetrius filius Demetrii à Creta in
terram patrum ſuorum. 68. Et audivit Alexander Rex, & contriſtatus eſt valdè,
& reverſus eſt Antiochiam. 69. Et conſtituit Demetrius Rex Apollonium du-
cem, qui præerat Cœle-Syriæ: & congregavit exercitum magnum, & acceſſit ad
Iamniam: & miſit ad Ionathan ſummum Sacerdotem, 70. dicens: Tu ſolus
reſiſtis nobis: ego autem factus ſum in deriſum, & in opprobrium, propterea
quia tu poteſtatem adversùm nos exerces in montibus. 71. Nunc ergo ſi con-
fidis in virtutibus tuis, deſcende ad nos in campum, & comparemus illic invi-
cem: quia mecum eſt virtus bellorum. 72. Interroga, & diſce quis ſum ego,
& cæteri, qui auxilio ſunt mihi; qui & dicunt, quia non poteſt ſtare pes veſter
ante faciem noſtram, quia bis in fugam converſi ſunt patres tui in terra ſua.
73. Et nunc quomodò poteris ſuſtinere equitatum, & exercitum tantum in
campo, ubi non eſt lapis, neque ſaxum, neque locus fugiendi? 74. Ut audivit
autem Ionathas ſermones Apollonii, motus eſt animo: & elegit decem millia

virorum, & exiit ab Ieruſalem, & occurrit ei Simon frater ejus in adjutorium:
75. & applicuerunt caſtra in Ioppen, & excluſit eum à civitate (quia cuſtodia
Apollonii Ioppe erat) & oppugnavit eam. 76. Et exterriti qui erant in civitate,
aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas Ioppen. 77. Et audivit Apollonius, & ad-
movit tria millia equitum, & exercitum multum. 78. Et abiit Azotum tam-
quam iter faciens, & ſtatim exiit in campum, eò quòd haberet multitudinem
equitum, & confideret in eis. Et inſecutus eſt eum Ionathas in Azotum, &
commiſerunt prælium. 79. Et reliquit Apollonius in caſtris mille equites poſt
eos occultè. 80. Et cognovit Ionathas quoniam inſidiæ ſunt poſt ſe, & circuie-
runt caſtra ejus, & jecerunt jacula in populum à manè uſque ad veſperam.
81. Populus autem ſtabat, ſicut præceperat Ionathas: & laboraverunt equi eorum.
82. Et ejecit Simon exercitum ſuum, & commiſit contra legionem: equites enim
fatigati erant: & contriti ſunt ab eo, & fugerunt. 83. Et qui diſperſi ſunt per
campum, fugerunt in Azotum, & intraverunt in Bethdagon idolum ſuum, ut
ibi ſe liberarent. 84. Et ſuccendit Ionathas Azotum, & civitates, quæ erant in
circuitu ejus, & accepit ſpolia eorum, & templum Dagon: & omnes, qui fuge-
runt in illud, ſuccendit igni. 85. Et fuerunt qui ſuccenſi ſunt, ferè octo millia
virorum. 86. Et movit inde Ionathas caſtra, & applicuit ea Aſcalonem: &
exierunt de civitate obviàm illi in magna gloria. 87. Et reverſus eſt Ionathas
in Ieruſalem cum ſuis, habentibus ſpolia multa. 88. Et factum eſt: ut audivit
Alexander Rex ſermones iſtos, addidit adhuc glorificare Ionathan. 89. Et miſit
ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regum. Et dedit ei
Accaron, & omnes fines ejus, in poſſeſſionem.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM.

Alexander Ptolemaide regnat.

ET ANNO CENTESIMO ASCENDIT id eſt, vênit, phraſi Hebræa ſæpè notatâ: ALEXANDER ANTIOCHI FILIUS, QUI COGNOMINATUS EST NOBILIS: ET OCCUPAVIT PTOLEMAIDAM urbem Tyro vicinam, de qua c. 5. v. 15. ET RECEPERUNT EUM, quem ultrò advocârant induxerunt in urbem, ejecto Demetrii præſidio, inquit Joſephus: ET REGNAVIT ILLIC, Rex ſalutatus eſt.

Fueritne verè Antiochi filius, an ſuppoſitus?

Quærendum primò, quis iſte Alexander? Vocatur in textu noſtro *Antiochi filius*: Græcè, phraſi idem ſignificante, ὁ ἀντιόχου, *Antiochi*. Difficultas eſt, an verè fuerit Antiochi filius, an tantùm ſuppoſititius. Auctorum plerorumque ſententia eſt, ſuppoſititium fuiſſe. Juſtinus lib. 35. & Epitome Livii l. 52. vocant eum Prompalum, ſeu Pompalum, ſi tamen error in nominibus non eſt: aitque Juſtinus fuiſſe *ſortis extremæ juvenem*. Polybius item in legationibus, affirmat fuiſſe ſuppoſititium. Appianus in Syriacis: *adversùs hunc*, inquit, Demetrium ſcilicet, *exortus eſt quidam Alexander, falsò in Seleucidarum gentem ſe inſerens*. Sulpitii eadem ſententia eſt: *Dum hæc*, inquit, *intra Iudæam geruntur, adoleſcens quidam Rhodi educatus, nomine Alexander, Antiochi ſe eſſe filium dictitans, quod falſum erat, adjutus opibus Ptolemæi Regis Alexandrini, in Syriam cum exercitu venit*. Denique Genebrardus & Serarius ſuppoſititium fuiſſe exiſtimant: & hic quidem commodè notat, ſub idem tempus exortum Pſeudo-Philippum, qui bellum tertium in Macedonia excitavit: & paullò pòſt Pſeudo-Alexandrum alium, de quo Joſ. lib. 17. cap. 14. Contrà autem Joſephus lib. 13. c. 3. dicit verè Antiochi filium fuiſſe. Appianus item in Syriacis, ubi de hujus Alexandri filio agit, putat Epiphane natum fuiſſe, ſed ex concubina, non legitimo matrimonio. Præterea Euſebius videtur Epiphanis etiam filium facere ex Balâ concubinâ: quamquam Pontacus Euſebii commentator putat, Balam non matrem eſſe, ſed patrem Alexandri. Ex recentioribus filium Epiphanis nothum fuiſſe putat Gordonus, Salianus, aliique. In eamdem ſententiam propendebat Bonfrerius, putabatque id Scripturæ eſſe convenientius, quæ Alexandum dicit abſolutè *filium Antiochi*, nullâ additâ particulâ, quâ intelligatur dubitandum eſſe de ipſius natalibus. Sed facilè ad hoc argumentum reſponderi poteſt; etſi Scriptura id non exprimat, intelligendum tamen eſſe, Alexandrum Antiochi filium dici, ex ejus affirmatione & multorum opinione: quomodò c. 1. v. 1. Alexander Magnus dictus eſt Philippi filius, ex vulgi ſenſu: & Chriſtus ipſe aliquando vocatur filius Joſephi, non expreſſo, quod ſemel à Luca additum, *ut putabatur*.

Probabilius eſt fuiſſe nothum Antiochi.

De his itaque ſententiis duabus utramlibet elegeris, ſua conſtabit Scripturæ veritas. Ob aliã nihilominùs rationem in eorum partes magis propendeo, qui dicunt Epiphanis verè filium fuiſſe, ſed nothum. Quia ſi ignotæ & infimæ ſtirpis Alexander fuiſſet, tot Reges, quot poſtmodùm dicemus, ei non faviſſent: Ptolemæus Ægypti Rex ei filiam ſuam non dediſſet conjugem: Romani paſſi non eſſent, ut ab Heraclide quodam Alexander cum Laodice ſorore ſua in Senatum produceretur, pro Epiphanis filio commendaretur, Senatuſconſultum de eo

in pater-

in paternum regnum reſtituendo ſcriberetur. Etſi enim nihil malleot Reges, quàm turbari Syriam; & Polybius ſcribat id Senatuſconſultum Romæ factum, corruptis ab Heraclide Senatoribus pleriſque: mihi tamen parùm credibile videtur, ad motus io Syria ciendos, ſumptum malè conſutâ fabellâ hominem ab Epiphanis ac Seleucidarum ſanguine prorsùs alienum: præſertim cùm non credendum ſit defuiſſe Epiphani liberos nothos, homini ad voluptatem projecto, de quo etiam diſertè habetur lib. 2. c. 4. v. 30. Mallotas & Tharſenſes in eum ſeditionem noviſſe, quòd concubinæ ejus dono dati eſſent; adeò concubinarum amoribus illigatus erat, & dementatus.

Alexander Epiphanis filius, non Eupatoris.

Quærendum ſecundò: cujus Antiochi filius fuerit Alexander? Superflua planè erat hæc quæſtio, niſi Liranus eum feciſſet nepotem Epiphanis, adeóque Eupatoris filium. Liranum ſecutus eſt Dionyſius, &, quod magis mirêre, Adrichomius in Chronico. Sed meridie clarius eſt, Alexandrum Eupatoris filium neque eſſe, nec ſupponi potuiſſe. Eupator enim abhinc annis ſolùm undecim mortuus eſt, & admodùm puer: Alexander verò jam ætate maturâ connubio, ut qui poſt quinque regni annos triennem filium reliquerit. Debuit ergo Alexander fermè Eupatori ipſi ætate æqualis fuiſſe; tantùm abeſt, ut ejus filius eſſe ullâ ratione potuerit.

Quod Alexandri cognomen, & an Nobilis dictus?

Quæritur tertiò: quod Alexandro cognomen? *Velen* vocat Joſephus, aut potius Joſephi interpres: nam in Græco habet ipſe *βάλλης*, *Balles* ſeu *Valles*. Strabo lib. 16. nominat *Balan*; eodem nomine utitur Euſebius, atque à Bala ductum, quam concubinam Epiphanis, Alexandri matrem, facere videtur. Magis propria textui noſtro quæſtio eſt, utrum cognomen *Epiphanis*, ſive *Nobilis*, aut *Illuſtris*, ipſi attributum ſit, quemadmodùm ejus patri Epiphani? Salianus dicit id aſſeri à nemine, quàm à Samerio & Adrichomio: ſed deceptis inquit ambiguitate textûs noſtri, ubi dicitur, *Alexander Antiochi filius, qui cognominatus eſt Nobilis.* Retulerunt auctores iſti relativum, *qui*, ad Alexandrum, referre tamen debuerant ad Antiochum, ut cæteri omnes: ita Salianus. At revera Samerii & Adrichomii ſententia longè plus habet probabilitatis, quàm Salianus exiſtimârit: credóque eum eum ipſis ſenſurum fuiſſe, ſi, ut aliàs diligenter ſolet, textum Græcum Scripturæ hoc loco examinâſſet. Quæ enim in textu noſtro eſt ambiguitas, in Græco prorsùs tollitur, & niſi corruptum eſſe gratis aſſeramus, fatendum erit, Alexandrum idem Epiphanis cognomen ſortitum, quod pater Antiochus.

Diſertè Epiphanes vocatur in Græcis.

Sic Græca habent: ἀλέξανδρος ὁ τοῦ ἀντιόχου ὁ ἐπιφανής: *Alexander Antiochi Epiphanes*, non autem *Epiphanis*. Vides diſertè epitheton *Epiphanes* referri ad Alexandrum; & quidem, ut omnis dubitatio aut ſuſpicio mendi tollatur, appoſitum articulum, quo deſignatur iſtud hoc loco ad Alexandrum ſpectare. Certè ſi referendum erat ad Antiochum, qui & ipſe Ephiphanes dictus, ſic ſcribendum fuit: ἀλέξανδρος ὁ τοῦ ἀντιόχου τοῦ ἐπιφανοῦς, *Alexander Antiochi Epiphanis* ſupple *filius*. Statuamus igitur, idem fuiſſe filio & patri cognomen *Epiphanes*.

Unde nomen Balæ ſeu Ballis?

Quamquam nec Balan aut Ballen dictum abnuo, incertæ originis cognomen: forſan deductum à βάλλειν, id eſt jacere ſeu projicere, ut projectitius homo aut projiciendus ſignificaretur; quemadmodùm audio Germanicâ linguâ viles homines appellari projectos de muro. Credibile eſt ſic ab hoſtibus, ad ludibrium & ad natales exprobrandos, contemptim vocitatum: uti contrà à ſuis, *Epiphanem*, ex adulatione, vel ad commendationem. Ita varios hominum affectus ſequuntur varia dicta & judicia.

Cur Romani, & Reges, Alexandro faveant?

Quæritur ad extremum, cur Romani, Reges finitimi, Aſiatici ipſi, contra Demetrium legitimum Principem tyranno faverint? Erat enim Demetrius Seleuci Philopatoris filius, ad quem, ut ex primogenito Antiochi Magni natum, hæreditatio jure regnum ſpectabat: neque Alexander, etſi legitimum Antiochi Epiphanis filium faceremus, illud uſurpare poterat, niſi per tyrannidem, vero hærede excluſo. Cur Romani faverint Alexandro, præter eam rationem quam modò attigimus, de corruptis ab Heraclide Senatoribus, obvia eſt communis illa, quòd ad imperium ſuum firmandum nihil mallent, quàm Reges inter ſe committere, & mutuis eos præliis atterere: vide dicta ad caput 8. verſ. 21. De Regibus finitimis: præterquam quòd ſuſpecta ipſis erat Aſiatici regni potentia, Demetrio etiam privatim erant infeſti, ob tentatos bello fines ſuos: impatiens enim otii, & dominationis propagandæ avidus, Attalum Pergami, Ptolemæum Ægypti, Ariarathem Cappadociæ Reges bellò laceſſierat, inquit Juſtinus. De ſubditis, ait Joſephus eum odio fuiſſe ob mores; quòd parùm comis eſſet, & admodùm ſuperbus, atque Antiochenſes ab eo præſertim alienatos fuiſſe, quòd in caſtrum Regium non longè ab Antiochia ſe incluſiſſet, quaſi eam urbem dedignaretur. At, inquis, ecæne ſunt ſatis juſtæ ſubditis rationes, ut in legitimum Principem rebellent; amicis ac vicinis, ut adversùs illum tyranno faveant? De Juſtitia armorum in idololatris non multùm nobis laborandum eſt: honeſto utile apud tales præponi non inſolitum, & jura peſſumdari præ dominandi libidine. Major longè difficultas eſt de Jonatha ac Judæis, qui deſerto Demetrio ad Alexandrum defecêre. Eam ſolvemus ad verſum 47.

Demetrius Rex ambit Jonathæ amicitiam.

℣. 2. uſque ad 15. ET AUDIVIT DEMETRIUS REX, ET CONGREGAVIT EXERCITUM, &c. Demetrius, auditâ defectione Ptolemæenſium ad Alexandrum, veritus ne Jonathas & Judæi, memores injuriarum acceptarum, à ſe deſciſcerent, & æmuli partes, magno & valdè commodo ob viciniam Ptolemaidis ſubſidio, augerent; ipſos miſſis in eum finem literis occupare, & beneficiis ſibi devincire conatur. Verſu 3. in noſtro textu eſt, à Demetrio miſſam Jonathæ *epiſtolam*, Græcè eſt *epiſtolas*, uti & in noſtro textu habetur ℣. 7. infrà. Miſſa fuit epiſtola una præcipua ad Jonathan; adjunctæ aliæ, ut fit, tum ad Judæos, tum ad præſidiarios arcis, de reddendis obſidibus, & aliis rebus Jonathæ conceſſis. Verſu 5. in noſtro habetur, *recordabitur malorum, quæ fecimus in eum & fratrem ejus*, intellige, vel Judam, qui occiſus; vel Simonem, qui ſocius Jonathæ calamitatum à morte fratris: Græcè tamen habetur, *fratres ejus*, ut Judas, Simon, Joannes Jonathæ fratres intelligantur: quorum ille occiſus à ducibus Demetrii; alter multa cum Jonatha paſſus; tertius, cùm Bacchide imminente ad Nabuthæos mitteretur, à Madabenſibus occiſus, adeóque & hujus mors tribui Demetrio poterat, cùm Bacchidis perſecutio occaſionem ei dederit. Verſu 6. in pleriſque Bibliis Sixtinis Plantinianæ editionis habetur, *dedit ei poteſtatem... fabrificare arma*: ſed typographi error eſt; reponendumque *fabricare*, κατασκευάζειν, *apparare*. *Obſides*, qui jubentur reddi Jonathæ ℣. 6. & redduntur ℣. 9. ii ſunt de quibus cap. 9. ℣. 53. *Munitiones*,

tiones, quæ ultrò à præſidiariis deſeruntur, territis poteſtate Jonathæ à Rege attributâ, eæ ſunt, de quibus cap. 9. v. 50. &c.

Bethſuram tenent apoſtatæ.

Alienigenis paſſim præſidia deſerentibus, impii tamen apoſtatæ Bethſurâ non decedunt, *quæ erat eis in refugium*; id eſt, quò ſe recipiebant, cùm Jonathas judicaret in Machmas, & exterminaret impios: ſperabantque etiam, ſe in ea firmiſſima arce porrò adversùs eumdem Jonathan tutos fore, quantumvis auctoritate & viribus creviſſet. Adverte, quod etiam ſuperiore capite ad ℣. 58. notavimus, hoſtibus ipſis obſtinatiores eſſe, & perniciosiorea reipublicæ apoſtatas: fugiunt alienigenæ, neque ampliùs moleſti ſunt Judæis: at perfidi iſti perduelles in ipſis Judææ viſceribus ad portas Hieroſolymitanas pertinaciter hærent, nec niſi ſerò, & poſt longam obſidionem exſtirpantur.

Concordia murus quadratus.

Quod verſu 11. dicitur, Jonathan juſſiſſe exſtrui *muros, & montem Sion lapidibus quadratis*, Joſephus intelligit nomine murorum mœnia civitatis, nomine montis Sion munitiones Templi: Salianus verò, qui verſu 10. de civitate innovanda præceſſit, putat hoc verſu agi ſolùm de munitionibus Templi, idemque eſſe *muros & montem Sion*, ac *muros montis Sion*. Non eſt magni momenti ea diatriba; pluris mihi eſt tropologia Rabani: *Montem Sion*, inquit, *Ionathas juſſit facientes opera lapidibus quadratis undique munire: quia prædicatores Evangelii præcipuè ſtudent caſtra Eccleſiæ ſanctæ ac fortibus viris circumdare, quos quadrati lapides deſignant, ne facilè hoſtibus pateat locus civitatem ſanctam invadendi.* Eòdem reſpicit quod 3. Reg. 5. præcepit Salomon facientibus opus Templi, *ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos, in fundamentum Templi & quadrarent eos.* Et Ezechielis 40. lapides quadri ad menſas holocauſtorum adhibentur. Significat quadrata figura quæ poſitu firmiſſima eſt, & conjunctu facillima, fortes ac conſtantes animos, ac præterea aliis aptè hærentes & connexos. Si nihil concordiâ validius: quid validius concordiâ fortium & conſtantium animorum? Tales debent eſſe Eccleſiæ muri, tales rerumpublicarum & ſacrarum & profanarum defenſores: firmi quiſque loco ſuo perſtent, & inter ſe apti hæreant, ſic vi qualibet externâ erunt impenetrabiles.

Alexander literis & muneribus ſolicitat Ionathan.

℣. 15. ad 22. Et audivit Alexander Rex promissa, quæ promisit Demetrius, &c. Audit Alexander Rex ſolicitationes Jonathæ per Demetrium factas, & ſimul à ſuis monetur, quanti ad firmandum in iis regionibus regnum ſuum momenti ſit ejus amicitia. Itaque ad eum ſcribit *epiſtolam*, ſeu *epiſtolas*, ut Græcè etiam hîc habetur, eo quo ſuprà ſenſu: diciturque ſcripta epiſtola *ſecundùm verba hæc*, id eſt, his ferè verbis: *Rex Alexander fratri Ionathæ* χαίρειν, quod noſter phraſi Latina vertit *Salutem*. Vocat Jonathan fratrem, id eſt, amicum præcipuum, quomodò lib. 2. v. 22. Antiochus Lyſiam fratrem vocat. In ea vero epiſtola Alexander magna duo beneficia offert Jonathæ: primum, quod in ſua poteſtate non erat, ut mox dicemus, Sacerdotium magnum: alterum, titulum amici Regii, ejuſque inſigne coronam auream ac purpuram, quæ ſimul miſſa indicatur verſ. 20. per parentheſin. A purpura geſtanda amici Orientalium Regum purpurati vocabantur, idque nomen paſſim frequentatum. De corona verò aurea ſimul cum purpura ab iiſdem geſtata, exemplum eſt in Mardochæo, c. 8. libri Heſther, cùm proceſſit de palatio Aſſueri ad publicum honorem. Eumdem ferè fuiſſe habitum triumphalem Romæ, obiter obſervavimus ad c. 8. v. 14.

Stolæ Pontificiæ uſum quomodo ab Alexandro Jonathas acceperit?

Difficultatem multiplicem movet verſus 21. ubi ſtatim poſt relatas Alexandri literas dicitur; *induit ſe Ionathas ſtolâ ſanctâ*, id eſt habitu ſummi Pontificis. An ergo ab Alexandro Pontificatum accepit? An antè numquam habitu Pontificis indutus, vel officio functus? Dicendum, Jonathan ab Alexandro non creatum Pontificem, ſed in eo officio fratri Judæ ſucceſſiſſe, in eóque jam annum nonum egiſſe: quidquid contra Joſephus, cujus errores in Pontificum annis & ſucceſſione aliquoties jam notavimus, & hoc ipſo loco optimè confutat Salianus, demonſtrátque, eum ſibi apertè contradicere. Neque obſtat, quòd Alexander ſcribat, à ſe eum conſtitui Pontificem; & Jonathas ſtatim, literis ejus acceptis, inſignia Pontificia publicè ſumat. Etſi enim Alexander ſibi tribuat, quod ſuum non erat: Jonathas tamen jure ſuo utitur eò promtius ac liberius, quòd, Rege non reſiſtente, oſurus eſt. Quamquam etiam Pontificem acturus fuiſſe videtur, vel invito Alexandro, & literis ejuſmodi ab eo non acceptis. Quod enim tot annorum ſpatio ſtolam Pontificiam non ſumpſerat, neque officii ſui publicè in Templo munia obiverat, in cauſſa fuit, quòd Hieroſolymam & Templum, quantumvis pace cum Bacchide initâ, non haberet in poteſtate: nunc verò habebat, poſt epiſtolas à Demetrio acceptas.

An huc uſque ſolenni Pontificis officio abſtinuerit?

Et hinc patet reſponſio ad ſecundam difficultatem: an totum ferè novennium, quod à morte Judæ ad hoc tempus interceſſit, Jonathas, etſi Pontifex eſſet, officio tamen exercendo abſtinuerit? Dico enim, publicè & ſolenniter non exercuiſſe, idque hîc indicari, cùm disertè notatur ſumpſiſſe *ſtolam ſanctam*, quaſi antè non ſumpſerit. Non dubito tamen quin ſæpè interim, pace præſertim cum Bacchide factâ, Hieroſolymam ad Templum commeârit, & quædam munia obierit, quæ ſine ſtrepitu ac ſolennitate obiri poterant, ut indicavi cap. ſup. ad verſ. ultimum. Non eſt tamen improbabile quod ait Serarius; non nunc ſimpliciter omnium primò Pontificiam ſtolam ſumptam à Jonatha; ſed primò tantùm, quoad bonam Regis veniam, & conceſſionem, quam Reges ſibi arrogâſſe patet ex lib. 2. cap. 4. ubi Pſeudo-Pontifices ambitu ſibi à Regibus Sacerdotium emendicant. Nota item, etſi hic ſileatur, non prætermiſſas cæremonias expiationis, de quibus Levit. 16. Vide item Levit. 23. de feſto Scenopegiæ. Id à Jonatha electum puto, ad ineundam ſolennem inchoationem muniorum Pontificiorum, tum quia lætiſſimum, tum quia aliquid temporis dandum fuit reparationi Templi, ac renovationi civitatis, potuitque uſque ad ſeptimum menſem tenuiſſe.

Fiduciæ demonſtratio benevolentiam conciliat.

℣. 22. ad 46. Et audivit Demetrius verba ista, &c. Perculêre Demetrium nova de occupatâ per æmulum ſuum Alexandrum amicitiâ Judæorum, *& contriſtatus eſt nimis*: non tamen deſperavit de ea abrumpenda, ſi ſcriberet ad eos *verba deprecatoria*, & dignitates, & dona: Græcè, verba *exhortationis* παρακλήσεως, ſeu *conſolationis*, utrumque enim eâdem Græcâ voce æquè ſignificatur: & *dignitatis*, ὕψους, altitudinis, & *donorum*. Primùm itaque pro captanda benevolentia, ſimulat ſe neſcire Judæorum cum Alexandro ſocietatem, imò ſcire eos ſervare adhuc *pactum* ſecum initum, ſeu vetus per Bacchidem, ſeu recens poſt acceptas priores à ſe literas, hortaturque ut in ea fide perſiſtant. Sciebat callidus homo nihil retinendis, imò revocandis ad officium ſubditis & amicis efficacius eſſe, quàm ſi bona de illis

exiſtimatio

exiſtimatio vel concipiatur, vel ſimuletur. Si enim exteriùs demonſtres, tibi notas eſſe illorum culpas, eorumque infidelitati diffidere, conjicis in deſperationem conſervandæ ſuæ recuperandæ benevolentiæ, adeóque adigis ad ſibi conſulendum alio patrono & partibus. Hinc monitum Senecæ prudens epiſt. 3. de amico eligendo agentis: *Fidelem, ſi putaveris*, (adde, vel ſimulaveris) *facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli; & aliis jus peccandi, ſuſpicando, fecerunt.*

Prærogativæ à Demetrio Judæis oblatæ.

Hac poſita conciliatione benevolentiæ, captat deinde promiſſis ſplendidis non ſolùm remittendorum debitorum, ſed etiam largiendorum donorum. Ubi pro eo quod habemus verſ. 28. *Remittemus vobis præſtationes*, Græcè habetur, *remittemus vobis remiſſiones*, phraſi Hebraicâ, quomodò quod ſequitur, *dabimus donationes.* Sed quia *Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt*, &, ut ille non ineptè aiebat, *Meliùs eſt unum Do quàm mille Accipies*: hinc à promiſſis generalibus ad dona præſentia particulatim deſcendit. Ad duodenarium numerum ea revocavit Salianus non incommodè, eamdemque nos hìc partitionem ſequemur, etſi video aliter dividi potuiſſe.

Remiſſio tributorum

Primum verſ. 29. & 30. ſpectat ad immunitatem à tributis ſalis, coronarum, frugum, pomorum: addit Salianus quintum tributi genus de pecoribus, ex verſ. 33. ſed illud aliò ſpectare videtur. *Pretia ſalis*, intellige vectigal ſali impoſitum. *Coronas*, Joſephi interpres non malè intelligit aurum coronarium, quod ultrò à ſubditis olim oblatum, jam Reges velut ex conſuetudine debitum exigebant, quomodò hodie quæ *donativa* vocamus. *Tertias ſeminis* Græcè σπορᾶς, non ut Joſephus habet *ἀκρύων fructûs*, accipio præcisè pro tertia parte ſeminis jacti; ut ſi quis ſeviſſet modios tres, in meſſe unum pro tributo ſolvere deberet. Nam *tertias* meſſis, ut Liranus & Sa intelligunt, pendere coactos Judæos parùm credibile eſt: præſertim cum capite ſequenti, ubi ſimilia ab Alexandro Judæis indulgentur, *decimarum* nominatim mentio fiat. *Dimidium fructus ligni* ſic accipiendum, non quaſi media pars pomorum & fructuum ex tributariis arboribus Regi deberetur, neque enim & hoc eſt probabile; ſed quod mediam partem tributi, ex arborum certarum fructibus ſibi ſolvendi, Rex remittat.

Addictio trium civitatum.

Tres civitates, quæ Judææ additæ dicuntur, Joſephus Galilæam ipſam, & Samariam, ſeu Samaritidem ut Græcè eſt, interpretatur; ſuppletque tertiam, quæ hic omiſſa eſt, Peræam ſeu Transjordaninam regionem, placetque explicatio, & nihil obſtat nomen *civitatis*, quod etiam provinciis paſſim Latinè tribuitur. Græcus textus pro tribus civitatibus, habet τριῶν νόμων *à tribus legibus*, vel *portionibus*, ſeu provinciis, quæ etſi gubernatione & legibus à Judæa provincia aliàs ſeparatæ, tamen ei attributæ fuerant, forſan ab Antiocho Magno, aut Ptolemæo Philopatore, dum certabant de Syriâ. Si tamen mavis trium civitatum nomine intelligi urbes tres, non autem tres provincias, non pugnabo; vide caput ſequens v. 34. & infra hoc capite verſ. 38.

Honor ſacrorum & civilium munium.

Alterum caput pertinet ad Hieroſolymam v. 31. & 32. Tertium verſ. 33. ad captivos Judæos, ſi qui ſupererant poſt permutationem captivorum inter Bacchidem & Jonathan factam; eoſque Rex liberos eſſe jubet gratis, & immunes à tributis, *etiam pecorum ſuorum.* Quartum verſ. 34. & 35. ad celebritatem feſtorum Judaicorum, ſeu ordinariorum, ſeu quæ ex cauſſis occurrentibus à Synagoga indicerentur extra ordinem, videnturque vocari *dies decreti.* Rex per eos dies concedit Judæis, non vacationem ſolùm à publicis oneribus, ſed etiam ne quis moveat *negotia adverſus aliquem illorum in omni cauſſa*, id eſt ne in jus tunc vocentur. Quintum, verſ. 36. eſt jus militiæ, cum honoribus & ſtipendiis Regiorum militum, & ut ad teſtandum quàm eis fidatur, ordinentur *ex eis qui ſint in munitionibus Regis magni*, id eſt Demetrii, qui cùm Aſſyriam obtineret, Regem magnum ſe vocabat, uti priſci Aſſyriorum Reges: quamquam Græcè habetur, *munitionibus Regis magnis.* Sextum, verſu 37. eſt jus dignitatum adipiſcendarum, ut etiam ad præfecturas, & præcipua regni munia, militantes Judæi evehi poſſint. Septimum eſt eodem verſu, libertas utendi patriis legibus, etſi fungantur publicis in Syria muniis: ſicut etiam cavit Rex, ut ſequi avita inſtituta liberè poſſint *in terra Iuda.* Octavum, verſu 38. ut *tres civitates* Judææ additæ non ſubſint alteri, quàm ſummo Sacerdoti: eaſdem autem civitates interpretor, quas ſuprà verſu 30. habeturque etiam hìc τρεῖς νομοὺς ut ſuprà, quemadmodùm, & cap. ſeq. v. 34. Nonum eſt verſu 39. donatio *Ptolemaïda & confinium*, ſeu agri ipſius, ad Templi ſumptus ac ſacrificiorum: Ptolemaida autem donatur, quod ei præſertim infenſus eſſet Demetrius, ob admiſſum Alexandrum.

Decimum eſt verſu 40. 41. 42. largitio pecuniaria, ad eadem Templi miniſteria, eáque triplex. Prima, quotannis *quindecim millia ſiclorum argenti*, quæ totidem ferè ſunt Francorum ſeu librarum ut vulgò loquimur, & florenorum, millia, etſi Salianus paullò magis augeat; eáque ſumenda *de rationibus Regis, quæ me contingunt*, Græcè, ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ βασιλέως ἀπὸ τῶν τόπων τῶν ἀνηκόντων, *de rationibus Regis à locis convenientibus.* Altera, ut quæ ex vectigalibus præteritorum annorum ærario regio nondum perſoluta ſunt, ad Templi ſarta tecta vertantur, hoc enim eſt *opera domus.* Tertia, ut annua *quinque millia ſiclorum argenti*, quæ ex templo Hieroſolymitano Regi pendebantur, cedant in ſacerdotum uſum. Undecimum eſt verſu 43. jus aſyli pro Hieroſolymitano templo, idque duplex, ut liberi ſint, qui in illud vel ejus fines confugerint, etſi Regi obnoxii; item ut ipſa eorum bona, quocumque loco ſita ſint, violari non poſſint. Duodecimum eſt verſu 44. 45. 46. de ſumptibus ex ærario regio præſtandis perpetuò, ad ſarta tecta Templi: *ad exſtruendos muros Ieruſalem*, quos ſine dubio à Jonatha exſtrui intellexerat: *& ad conſtruendos muros in Iudea*, id eſt, munitiones ubi Judæi ad tutelam patriæ cuperent excitandas. Quædam in hiſce Demetrii promiſſis mutata, adjecta, dempta invenies apud Joſephum, notata apud Salianum, nobis operæpretium non eſt in iſtis immorari.

Sumptuariæ donationes.

℣. 46. 47. Ut audivit autem Jonathas et populus, &c. Jonathas & Judæi, auditis tam profuſis Demetrii promiſſis, vel ob id ipſum *non crediderunt ei: nam tribulaverat eos valdè.* Tam ſubita ergo mutatio meritò ipſis ſuſpecta viſa eſt, & aptata temporibus: quæ ubi in melius converſa eſſent, à tam liberali promiſſore nihil ſervatum iri. Sic ſolere ejuſmodi hominum ingenia: nil eſſe mitius & demiſſius, quando auxilio egeant: cùm egere deſierint, nil ingratum magis ac ſuperbum. Denique in Demetrio valera illud: Inimico reconciliato non temerè fidendum, eoque minùs, quò magis affectet reconciliati ſpeciem: nam affectationem omnem ſinceri patum habere. Ob iſtas ac ſimiles rationes Demetrii legatio Judæis ingrata fuit: *Et complacuit ipſis in Alexandrum*, maluerunt

Affectata inimici reconciliato ſuſpecta.

Alexandri partea ſequi, *quia fuerat ipſis princeps ſermonum pacis*, primus ipſis pacem obtulerat, & amicitiam, eique *auxilium ferebant omnibus diebus*, Græcè συνεμάχουν, *pugnabant cum illo*. Unde colligitur, Judæos non in Judæa ſolùm contra Demetrii ac filii copias pugnâſſe pro Alexandro; ſed etiam à Jonatha ſubmiſſos, qui cum ipſo militarent, in eo præſertim decretorio contra Demetrium Soterem certamine, de quo mox.

Quomodò Alexander à Judæis ante Demetrium pacem petiit?

Duplex hic oritur difficultas. Prima; quo pacto dici poteſt Alexander fuiſſe Judæis *princeps ſermonum pacis*: cùm diſertè hoc ipſo capite dicatur Demetrius ſcripſiſſe de ſocietate ad Jonathan, eáque re audita, Alexander etiam ad eum literas miſiſſe? Dionyſius & Sa dicunt, Alexandrum fuiſſe principem ſermonum pacis cum Judæis bonâ fide ineundæ, non quomodò Demetrius, cujus notâ fallaciâ decipi noluerunt. Salianus dicit, Alexandrum forſan ſecretis cum Jonatha nuntiis egiſſe, antequam priores literas ſcriberet Demetrius. Etſi hæ reſponſiones difficultati ſatisfaciant, mihi tamen neceſſariæ non videntur. Nam ſi priorem Demetrii epiſtolam attendas, videbis nihil ibi Jonathæ concedi, niſi, ut cogat militem ſocietatis nomine, & ut recipiat obſides: aliæ nullæ pacis, aut amicitiæ, conditiones proponuntur. Alexander verò diſertè literis ſuis amicitiam poſtulat, mittit inſignis amici, creat Jonathan ſacerdotem: quod quidem in ſua poteſtate non erat; à prioribus tamen Regibus uſorpatum, putabat etiam ſe poſſe. Quidni ergo Alexander dici queat, ante Demetrium de amicitia cum Judæis egiſſe, cùm tam apertè eam petierit, & cum ambitu?

Quo jure Jonathas Alexandro faveat?

Paullò major difficultas eſt, de jure amicitiæ cum Alexandro ineundæ, excluſo Demetrio. Primùm enim ſubditus videatur fuiſſe Jonathas Demetrio: & ut ſubditus non eſſet, nonne jam in ejus ſocietatem conſenſerat, cùm recepit obſides ab eo reddi juſſos? Infidelis igitur ac transfuga eſt, cùm tranſit ad Alexandrum. Deinde legitimus Rex erat Demetrius, Alexander tyrannicè invaſit regnum, ut ad verſum 1. q. 4. diximus: injuſtè itaque favit Jonathas injuſto invaſori. Reſpondendum nihilominùs, Jonathan in hac cum Alexandro ſocietate non peccâſſe: Neque enim ſubditus erat Demetrii, qui injuſtè Judæam, ad Iſraëlitas jam à tot ſæculis pertinentem, uſurpabat. Neque ullam ipſi ſocietatem armorum promiſerat; etſi juſtè ejus literis uſus eſſet, ad obſides, qui injuſtè detinebantur, recipiendos. Deinde Alexandro Syriæ tyranno adversùs Demetrium ejuſdem, at non Judææ, legitimum Regem, ſe conjungere poterat; ut iniquo jugo oppreſſum populum ſuum eâ occaſione liberaret.

Quando & quomodò licita ſit cū injuſtis bellatoribus ſocietas?

Qui juſtam habet bellandi cauſſam adversùs vicinum Principem, etſi ſubditos ejus ad rebellandum excitare non poteſt, poteſt tamen jam rebellantibus ſe adjungere, ſimili de cauſſa ac Jonathas. Cujus bona ab alio injuſtè detinentur, & aliter recuperare non poteſt, huic licet, ad ea recipienda, uti latronum manibus, modò eos non excitet ad latrocinandum. Eum in modum tyranni, iniquè alienum regnum invadentis, malâ voluntate & injuſtâ potentiâ utitur Jonathas, ad recuperandam Judææ libertatem, & religionis ſecuritatem à Demetrio oppreſſam. Denique poterat Jonathas non tantùm uti auxilio tyranni, ſed etiam ipſi præbere auxilium, & ea ipſi dare occupanda, quæ Judæi juſto belli & vindictæ publicæ titulo occupare potuiſſent: & hoc pacto Antiochus non erat ampliùs injuſtus invaſor, ſed juſtus petitor. Quomodò, ſi latroni ceſſero jus meum ad recuperandam rem meam perditam; neque ipſe latrocinabitur, conando recuperare; neque ego peccabo, eum juvando ad recuperandum. Si quid interim ipſe in modo alitérve peccet, præter mentem meam faciet: cùm ipſi non adſim, niſi juſta ſocietate, & ad recuperationem compenſationémve juſtam.

Concurrunt Reges, cade Demetrius.

℣. 48. ad 59. Et congregavit Rex Alexander, &c. Narratur prælium Alexandri cum Demetrio; hujus clades & mors: petita ab illo Ptolemæi filia in matrimonium; ac conceſſa: nuptiæ à Regibus Ptolemaïde celebratæ regiâ magnificentiâ. Omnia textûs noſtri plana ſunt. Obſerva tamen verſo 49. ubi nos habemus clarâ ac veriſſimâ ſententiâ, *fugit exercitus Demetrii, & inſecutus eſt eum Alexander*: in Græcis Regiis eſſe contrarium, *fugêre caſtra Alexandri, & inſecutus eſt eum Demetrius*; quod certè mendum eſt librarii inſigne: niſi dicas fugatam quidem primo impetu Alexandri aciem, ſed reſtituto prælio, Demetrium ipſum inter confertiſſimos hoſtes fortiter pugnantem c[e]cidiſſe, quæ ferè ſententia Juſtini eſt. Joſephus autem ait, dextrum Alexandri cornu à Demetrianis victum: dextrum Demetrii ab Alexandri copiis fractum, cumque in eo eſſet Demetrius, equo ſuffoſſo de pedibus pugnantem occubuiſſe. Quod verſu 56. habetur inter Ptolemæi Alexandro data reſponſa, *ſpondeam tibi ſicut dixiſti*, aptè dictum eſt: ſponſi enim & ſponſæ nomen à ſpondendo ducitur, & *ſpondeam*, quod poſitum videtur pro *ſpondebo*; quomodò etiam apud Latinos *tranſeam* pro *tranſibo*; & Auguſtini ſæculo canebatur vulgò à Catholicis, *ſuper ipſum floriet*, pro *florebit, ſanctificatio mea*. *Spondeam* ergo hic, idem eſt, ac deſpondebo tibi filiam meam; Græcè eſt ἐπιγαμβρεύσω.

Quot annis Demetrius regnârit?

De annis Demetrii diſputant Chronologi. Duodecim annos regni ei tribuit Polybius, eumque ſecutus Euſebius, ac Sulpitius, & è recentioribus Bellarminus, aliique. Gordonus, Genebrardus, & alii quidam, novem ei aſſignant. Media eſt ſententia Joſephi, quæ Torniello placuit, & Saliano, de annis undecim, eamque nos in ſerie Regum Aſiæ ſecuti ſumus. Regnare cæpit Demetrius anno Græcorum 151. ut c. 7. v. 1. diſertè exprimitur: iſque annus fermè totus ei tribuendus eſt. Alexander ejus æmulus erumpit anno 160. Dum utrimque apparatus fit ad decretorium certamen; ſolicitantur amici, ut de Judæis vidimus; copiæ coguntur; abiit annus, & ad 161. ventum eſt: neque enim tam varia minori intervallo commodè gerantur. Anno 161. jam declivi factum eſt prælium, quandoquidem anno demum centeſimo ſexageſimo ſecundo nuptiæ celebrentur: quas tamen à victoriâ diu non dilatas, credibile eſt. Igitur, ſi hæc ratio conſtat, undecimum annum, aliqua ſaltem ex parte exactum, regnavit Demetrius.

Honor Jonathæ exhibitus.

℣. 59. ad 67. Et scripsit Rex Alexander Jonathæ, ut veniret, &c. Vocatus ab Alexandro Jonathas ad nuptialem celebritatem, eò vênit *cum gloria*, id eſt ſplendido comitatu: Regibus duobus dat munera; additur in Græco, *& amicis eorum*; nec dubitandum, quin & novæ Reginæ Cleopatræ. *Viri peſtilentes*, ejus magnitudini invidentes, aut de numero apoſtatarum, quos erat perſecutus etiam vivo Demetrio, eum accuſant apud Regem. At hic non modò eos non audit; ſed etiam, ut omnes ſciant quanti ſit apud ſe, jubet eum veſtiri purpurâ, amicitiæ regiæ inſigni;

inſigni; apud ſe ſedere; à principibus amicorum ac primoribus circumduci per civitatem, palámque edici, ne quis adversùs eum *interpellet de ullo negotio, aut ei moleſtus ſit de ulla ratione* reddenda Regi. Perculſi hoc viſo inimici ejus *fugerunt omnes*, veriti ne machinationes ſuæ in caput ſuum reciderent. Quod verſu 65. additur: *Et magnificavit eum Rex, & ſcripſit eum inter primos amicos*, Græcè τῶν πρώτων φίλων, è primis amicis, Joſephus legit τὸν πρῶτον φίλον *primum amicorum*: nec diſplicet lectio, quandoquidem ille cum Rege conſeſſus, & per primores amicorum circumductio, primum gradum amicitiæ non obſcurè indicet.

Quomodò factus particeps Principatûs?

Quod additur, Jonathan etiam factum *participem Principatûs*, Græcè explicatur per vocem μεριδάρχην, id eſt, *partis Principem*. Noli itaque putare factum ab Alexandro conſortem regni; ſed ſub eo Principem partis regni, puta regionum ad Judæam pertinentium. His factis, cum pace & lætitia revertitur Jonathas, eamque ad tertium abhinc annum fælici Principatu, & glorioſâ quiete continuat.

Magnificentia Jonathæ & Principũ Eccleſiæ.

Nota hîc primùm, in Jonatha virtutem Principe dignam, & io tempore neceſſariam, Magnificentiam. Ad conventum Regum duorum, quò ex Ægypto & Aſia quidquid nobilitatis illic fuit convenerat, venit cum *gloria*, & cum *donis*: ut apud profanos illos homines, & omnia ex externis metientes, magna de ſummo Judæorum Pontificatu opinio ingeneretur. Quæ una ex rationibus eſt, cur poſterioribus hiſce ſæculis, craſſioribus & magis animalibus, Eccleſiæ ſuæ Principes divitiis & gloriâ externâ etiam ſplendere Chriſtus voluerit.

Invidiæ effectus.

Nota deinde, perpetuam comitem gloriæ, virtutis, fælicitatis invidiam, in peſtilentibus viris, qui eum apud Regem accuſant. Nota tertiò, effectum invidiæ communem a. ut invidentibus dedecus, & dolorem; cui invidetur, gloriam majorem pariat. Fugere illi coguntur: hic ſummis honoribus augetur, & ob accuſationem ab hoſtibus impudenter ingeſtam publicatur, ne quis ulla ex cauſſa eum deinceps accuſare audeat apud Regem.

Gaudium de temporalibus bonis.

Nota quartò, Jonathæ Hieroſolymam revertentis non *pacem* ſolùm, ſed & *lætitiam*. Gaudium enim de pace, honore, amicitia Regum, etſi res temporales ſint; malum tamen non eſt, ſed de ſe indifferens, ac nobilitari poteſt altiori fine divinæ gloriæ, & publici boni, ad quem hîc Jonathas proculdubiò ſpectârit. Sed etſi io ipſa re iodifferenti ſiſtas, non magis illicitum eſt de ea gaudere, quàm eam deſiderare. Vide dicta de cupiditate gloriæ ad cap. 2. v. 51.

Demetrius Nicanor è Creta venit in Aſiam.

℣. 67. In anno centesimo sexagesimo quinto, tertio à nuptiis Alexandri cum Cleopatra Ægyptia: venit Demetrius, Nicanor dictus, filius Demetrii Soteris, quarto abhinc anno in prælio interfecti: a Creta in terram patrum suorum. Vice commentarii ad huoc locum erit Juſtinus, qui ait, initio belli contra Alexandrum Velen, à Demetrio Sotere, belli exitum metuente, depoſuos filios duos, Demetrium Nicanorem, & Antiochum Siderem, cum magnâ auri vi, apud hoſpitem ſuum Gnidium. Eſt autem Gnidus in extrema Aſia, non longè ab Rhodo & Halicarnaſſo, ſita in promontorio Cretam ſpectante: unde io Cretam navigavit Demetrius ad auxilia conquirenda, cùm dicatur *à Cretâ veniſſe in terram patrum ſuorum*. Idemque apertè indicat Juſtinus, cùm agens de hujus belli occaſione & apparatu: *Demetrius*, inquit, *annos pubertatis egreſſus, auditâ Alexandri luxuriâ, quem inſperata opes, & alienæ fælicitatis ornamenta, velut captivum inter ſcortorum greges deſidem in Regia tenebrant, auxiliantibus Cretenſibus, ſecurum, ac nihil hoſtile metuentem, aggreditur.* Vides auxilio Cretenſium ingreſſum in Aſiam. Joſephus item, hoc ipſum narrans, ait, Demetrium, multo mercenario milite accepto à Laſthene Cretenſi, ab ea inſula trajeciſſe in Ciliciam.

Mutabilitas Antiochenſium, & affectuum humanorum.

℣. 68. Et audivit Alexander Rex adventum Demetrii, et contristatus est valde, et reversus est Antiochiam. Etiam huic loco lucem affert Iuſtinus, cùm dicit, Antiochenſes ſeſe Demetrio dediſſe, ut veterem erga patrem offenſam novis meritis corrigerent. Antiochiæ itaque, quæ regni caput erat, defectione perculſus Alexander, eò properavit, ut, ſi nondum Demetrio erat dedita, eam in officio contineret; ſi dedita erat, ad ſe admoti exercitus terrore revocaret. Sperabat etiam Antiochenſes pro inſita levitate, ubi ſe vidiſſent, conſilia mutaturos; eoſque, qui à ſuis partibus ſtarent, aliquid pro ſe conaturos. Sic ſunt humani favores aura mutabiliores: primi fermè Alexandrum recipiunt Antiochenſes, fermè primi deſerunt. I, fide affectui humano.

Provocatur Jonathas ab Apollonio.

℣. 69. uſque ad 74. Et constituit Rex Demetrius Apollonium ducem, &c. Apollonius à Demetrio Cœle-ſyriæ, de qua aliàs diximus, præfectus, ad Jamniam, qua de etiam alibi, cum exercitu accedit, mittitque ad Jonathan, quem ab Alexandro ſtare ſciebat, qui ad prælium eum provocent in planitie ineundum: ſi fortè ibi vim equitum Syrorum Iudæi pedites ſuſtinere poſſint. Plenam ſtultitiæ pariter & jactantiæ orationem refert Hagiographus: in qua adverte verſ. 70. pro eo quod habemus *reſiſtis*, Græcè eſſe *extolleris*: & verſ. 71. pro *virtus bellorum*, eſſe *virtus* ſeu robur *urbium*. Quod verſu 72. dicit, *bis converſos patres Jonathæ in fugam*, niſi vani hominis mendacium eſſe mavis, dic, intelligi de fuga Mathathiæ in deſertum, & de prælio extremo Machabæi.

Quis hic Apollonius?

. Quæres quis iſte Apollonius? Joſephus Daûm cognominat, aitque lib. 13. c. 8. ex Alexandri ducibus fuiſſe; ſed addere debuerat, inclinatione rerum animadverſâ, amicum fortunæ hominem ad Demetrium defeciſſe. Id enim ſubindicat Scriptura, cùm ait; Appollonium *qui præerat Cœle-ſyriæ*, à Demetrio *conſtitutum ducem*: ſcilicet ut ex vicino Judæam, quæ Alexandro conſtanter favebat, infeſtaret. Antè igitur quàm à Demetrio præficeretur exercitui, præfectus erat Cœle-ſyriæ; non ab alio certè quam ab Alexandro, qui jam triennium totum pacatus regnum tenuerat. Unde conſequens eſt, deficientis ad Demetrium præfecti exemplum ſecutam Cœle-ſyriam totam, eique in præmium defectionis datam à Demetrio præfecturam exercitus. Memorantur & alii in hiſce Machabæorum libris Apollonii: is qui à Iuda Machabæo primo certamine occiſus, cap. 3. verſ. 10. ubi conſule Commentarios noſtros: Apollonius Tharſeæ filius 2. Machab. 3. præfectus Cœle-ſyriæ & Phœnicis Seleuco Rege: Apollonius Moeſthei miſſus ab Epiphane in Ægyptum, tum Hieroſolymam cum exercitu, quam & occupavit 2. Mach. 4. & 2. Machab. 5. Apollonius denique Gennæi: à quo, Eupatore Rege, vexati Iudæi, nec permiſſi pace frui cum Lyſia initia, 2. Machab. 12.

An decem tãtùm millia Jonathas duxerit?

℣. 74. Ut audiuit autem Jonathas sermones, &c. Vaniſſimâ Apollonii exprobratione irritatus, & motus est animo Jonathas, ne alienigenæ exiſtimarent, ſe quamvis equitatu deſti-

tutus eſſet, in campum prodire non audere, & locorum tantùm firmitati non virtuti militum fidere, *elegit decem milia virorum, & exiit ab Ieruſalem.* Ad eum numerum acceſſêre aliæ copiæ, cùm *occurrit ei Simon frater ejus in adjutorium*, quem fratre Jonatha Hieroſolymæ agente veroſimile eſt, per hos præſertim novos motus, ejus juſſu fines Judææ luſtrâſſe cum copiis. Non ergo Jonathas & Simon omninò decem millia duxerunt adversùs Apollonium; quomodò Rabanus poſuit, ut inde tropologiam ſuam, piam tamen, etſi non ſolidè fultam, eliceret.

Apollonii provocatio figura provocatorum per impios piorum.

Ait enim, per *Apollonium* terrenæ poteſtatis miniſtros deſignari, qui juſſi ſunt à dominis ſuis Fidelium populum ad deſerendam fidem, aut virtutem, compellere. Ab iis *equitatu*, id eſt ſuperbiâ ac vanitate ſuâ elatis, rideri pios, quòd *in montibus*, id eſt Dei auxilo fidant: & provocari *ut in campum* deſcendant, id eſt ad terrena deſideris, & ad latam viam, quæ ad mortem ducit, ut cupiditatibus fluxis circumventi faciliùs opprimantur. Pios autem cum *decem millibus*, id eſt decalogi obſervatione, obviàm Apollonio prodire: Joppen intercipere, quæ cùm pulcritudinem ſignificet, apta mundi figura eſt, quæ formâ ſuâ amatores ſuos dementat: inde præſidium Apollonii ejici, id eſt vanam philoſophiam, quo nomine aptè hodiernis moribus intellige axiomata politica: Azotum & fanum ſuccendi, id eſt idololatris, aliiſque mundi ſectatoribus interminari ignem æternum, paratum diabolo & Angelis ejus: octo millia hoſtium perire, id eſt eos qui circumciſionem ſpiritalem non admisêre, octavo die ſignificatam: Aſcalonem ultrò ſe dedere, id eſt, idololatras, & impios multos prædicationem verbi divini avidè excepere: Jonathan cum ſuis, prædâ divitibus, Hieroſolymam reverti, id eſt, pios poſt victorias de vitiis ac vitioſis reportatas, ſtatim ad grates Deo ſolvendas ſeſe convertere. Iſthæc ferè Rabanus.

Joppe capitur à Jonatha.

ỳ. 75. 76. ET APPLICUERUNT CASTRA IN JOPPEN, &c. Jonathas & Simon conjunctas copias admovent ad *Ioppen*, civitatem maritimam, horis circiter quaternis aut quinis à Jamnia, etiam maritima urbe, ubi Apollonius conſederat. *Et excluſit eum à civitate*; quis, quem? Subintelligendum, miles Apollonii præſidiarius, ſeu *cuſtodia*, de qua mox, *excluſit eum*, id eſt Jonathan expeditionis caput. Videntur in textu noſtro permutati ab incurioſis ſcripturibus verborum numeri, qui clariùs in Græco habetur: παρενέβαλεν, *applicuit* Jonathas *caſtra in Ioppen*, καὶ ἀπέκλεισαν, *& excluſerunt* Joppenſes *eum à civitate*. Ratio cur auſi ſint non admittere Jonathan eſt, *quia cuſtodia* ſeu præſidium *Apollonii Ioppe erat*; ablativi caſus eſt *Ioppe*, id eſt *in Ioppe*, ut habent Græca. Itaque *oppugnavit eam* Jonathas, cum ſuis, unde Græcè habetur *oppugnaverunt*. Oppidani autem *exterriti*, portas ei *aperuerunt*, & *Ionathas Ioppe* potitus eſt: magno proculdubiò Apollonii dolore, qui ex vicino jacturam commodiſſimi portus ſpectare conatus eſt, neque auſus ferre ſuppetias. Et hæc prima eſt vaniloquentiæ pœna. Sequitur altera.

Apollonius aciem inſtruit.

ỳ. 77. uſque ad 84. ET AUDIVIT APOLLONIUS, imò & ſenſit ex propinquo, captam Ioppen, ET ADMOVIT TRIA MILLIA EQUITUM, ET EXERCITUM, id eſt peditatum, MULTUM. Quò *admovit*? Ad Joppen? Jam capta erat. Ad Jonathæ copias? Imò ab eo recedebat longiùs, cùm Azotum petere videretur, ut mox dicemus. Obſcuritas tollitur ex Græco, ubi pro *admovit* habetur παρενέβαλεν, quod verti poteſt, *exercitum diſpoſuit*, vel *inſtruxit* quaſi ad pugnam. Sic inſtructo exercitu *abiit Azotum*, *quaſi iter faciens*, id eſt quaſi ſe Azotum recipiat Jonathæ metu: ut eum, ex anguſtiis in plana eliciat, ubi equitatui ſuo explicando ad obruendos pedites Judæos ſit locus. Azotus urbs Palæſtinæ celebris, de qua etiam aliquid diximus cap. 5. v. 68. propè aberat à Mediterraneo mari, Jamniâ horis circiter decem, Joppe tredecim, Ægyptum versùs.

Prælium committitur.

INSECUTUS EST JONATHAS Apollonium IN AZOTUM, id eſt Azotum versùs: ET COMMISERUNT PRÆLIUM, Græcè ad verbum, *& commiſſa ſunt caſtra poſt eum in prælium*; id eſt acceſſerunt copiæ Iudæorum, Apollonium ſubſecutæ, ad pugnam ineundam. Iſtud ergo, *commiſſerunt prælium*, intellige de præparatione ad pugnam: neque enim veroſimile eſt antè a Ionatha pugnatum, quàm deprehendiſſet inſidias; alioqui circumventus fuiſſet. Nam *reliquit Apollonius*, Azotenſe iter ingrediens, *in caſtris* ſuis Jamnienſibus occulto loco, Ioſephus ait in torrente, *mille equites*; qui *poſt eos*, id eſt, à tergo Judæis incumberent. Sed non latuêre Ionathan.

Stratagema Jonathæ. Hoſtium fuga.

Itaque cùm equites iſti *circuierunt caſtra ejus*; præmoniti à duce Iudæi, factâ teſtudine, totum diem denſati ſteterunt, & jacula hoſtium excepêre. Laſſatis obequitando equis, jaculando equitibus, Simon ſolutâ teſtitudine in *legionem*, Græcè *phalangem*, id eſt, peditatum hoſtilem impetum fecit, eoque fugato, etiam equites in fugam averſi. Sic explicandi ſunt verſus 80. 81. 82. qui alioqui obſcuri videntur. Verſus 83. Græcè quàm Latinè clarior eſt: *Et qui diſperſi ſunt per campum*. καὶ ἡ ἵππος ἐσκορπίσθη ἐν τῷ πεδίῳ, *Et equitatus diſperſus eſt per campum*. Unde videbatur in textu noſtro reſtituẽdum: *Et equi diſperſi ſunt per campum*, ſeu equites, & *fugerunt in Azotum*. Neque ipſis urbis munitionibus ſatis tutos ſe arbitrati, *intraverunt in Bethdagon idolum*, Græcè εἰδωλεῖον, *idolium*, id eſt delubrum, quod erat *Bethdagon*, ſive, *domus Dagon*. videtur itaque & hic in textu noſtro reponendum *idolium* pro *idolum*.

Typus inconſtantium in benè cœptis.

De idolo Dagon, vide Reg. 1. c. 5. Venit à דג Dag *piſcis*: Rabanus *Piſcem triſtitiæ* interpretatur, alii *frumentum*. Putatur ab aliquibus capite piſcis fuiſſe, cætera hominis ſpeciem habuiſſe. Exiſtimant alii, & in iis ego, fuiſſe ſupernè humanâ formâ, infernè piſcem; eoque adumbratam Semiramidem. Reſpexit forſan illuc Horatius, cùm dixit, de poëtis incipientibus magnificè, incongruè finientibus,

——————— *Turpiter atrum*
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè:

niſi id mavis de Sirenibus interpretari. Aptiſſimè ad fanum ejus monſtroſi idoli miles Apollonii confugit; qui ab inani ſpe, & vaniſſimis jactationibus, ad turpem fugam & extremam cladem devolvitur, quaſi ab humana ſpecie in piſcem deſinens. Ejuſdem idoli cultores ſunt, qui magna de ſe initio polliciti, tandem aliter longè quàm cœpere deſinunt. De quibus præcinuiſſe videatur ille:

Cœpiſti melius quàm deſinis, ultima primis
Cedunt, diſſimilis hic vir & ille puer.

Homines dixeris, ſi primos annos inſpicias; ſi poſtremos, in aquis fluitans genus frigidum, exſangue, mucoſum, de quibus prædixit Chriſtus, *refrigeſcet caritas multorum*. Benè igitur illi, qui in Bethdagon confugêre, exuruntur: quia ſeverâ ignis æterni pœna vindicantur, qui divinæ caritatis ignem in aquis voluptatum extinxêre.

ỳ. 84.

Azotum captum incenditur.

ỳ. 84. 85. 86. 87. Et succendit Jonathas Azotum, &c. Urbem propugnatoribus nudatam, forſan & civibus, qui clade Apollonii audita ad tutiora loca refugerant, vacuam, capit Jonathas, eamque *incendit*, & *civitates*, *videlic. urbes*, *quæ erant in circuitu ejus*, *& accepit ſpolia earum*, ſcilicet antequam incenderet illas. Nomine civitatum & urbium comprehenduntur hîc oppida Azotenſis territorii, quod benè magnum fuiſſe dubitari non poteſt, cùm eſſet ex antiquiſſimis & nobiliſſimis Palæſtinæ ſatrapiis, uti & aliàs monuimus. De juſtitia Jonathæ in exurendo Azoto, conſule dicta in ſimilibus cauſſis de Machabæo ad cap. 5. v. 45. Nos ex iſto nobilis urbis incendio quædam in Excurſu Morali diſcenda habebimus. Exuſtum cum urbe Dagonis templum, & qui ſe in illud incluſerant: numerusque quà cæſorum in prælio, quà exuſtorum, fuêre octo virorum millia.

Aſcalon deditum Jonathas honorificè ingreditur.

Inde Aſcalonem progreſſus, urbem ad litus Mediterranei maris, à civibus, ſeu clade finitimorum perculſis, ſeu ſuapte ſponte in Judæos propenſioribus, *in magna gloria* honorificè excipitur. Satis intelligitur ex locorum ſpatiis, & rerum ſerie, varios dies totam adversùs Apollonium expeditionem tenuiſſe. Quid autem illo factum ſit, in prælióne ceciderit, an Azoti exuſtus ſit, aut inclinatâ victoriâ vanus homo extra periculum leo, in periculo cervus, Jamniam evaſerit, conjici non poteſt. Hoc conſtat, eum, quod antè conquerebatur verſ. 70. jam verè ac feriò fuiſſe in deriſum, & in opprobrium; & ſuo damno expertum, quod Benadad 3. Reg. 20. Deum Judæorum, Deum eſſe non montium tantùm; ſed & vallium ac camporum. Jonathas, collectis ſpoliis hoſtilis exercitus, & urbium incenſarum, redit cum ſuis Hieroſolymam.

Honoratur ab Alexandro.

ỳ. 88. & 89. Et factum est, ut audivit Alexander Rex sermones istos, id eſt, notiſſimo Hebraiſmo, res iſtas geſtas, addidit glorificare Jonathan: & ſeriò ſanè id fecit, non ſimulatè, quomodò fingit Ioſephus, duplicato errore, quòd Apollonium Alexendri non Demetrii ducem faciat. Meritò itaque vexatur hîc à Saliano, ob iſtum, alioſque errores nimis craſſos, & à libro primo Machabæorum, quem ſibi tamen ſequendum præfixit, abhorrentes.

Quis aureæ fibulæ honor?

Glorificatio Jonathæ duplex fuit: prima in *fibula aurea*, quæ tunc ſtatum erat inſigne eorum, qui ad nomen *cognatorum Regiorum* evehebantur. Fibulas in ornamentis muliebribus numerat Plinius lib. 33. cap. 7. In militaribus Livius lib. 39. Ex hoc loco conſtat, in Aſia ornamentum Principum fuiſſe. An verò ea fibula ad pectus aut pallium adhiberetur, an ad cingulum, quomodò D. Thomas hic opinari videtur, difficilè eſt divinare. Ego ad purpuram, quæ amicorum Regiorum veſtis erat, appoſitam fuiſſe maluerim: ut ea fibula purpuream chlamidem paludamenti inſtar, vel ejus ornamenti ſacerdotalis, quod cappam dicimus, ad collum aut pectus aſtringeret; eſſetque inſigne non amicorum modò, ſed & cognatorum Regiorum, qui favoris Regii ſummus gradus fuit.

Accaron Jonathæ donata.

Altera glorificatio non ſtetit in ſterili ſigno favoris inanis, ſed attributa eſt Ionathæ *in poſſeſſionem* urbs alia Palæſtinæ, oppido Modin vicina, Azotum inter & Iamniam interjacens, *Accaron*. Diverſam enim eſſe à Iamnia, diximus c. 5. v. 21. *cum finibus ejus*. Attributa autem eſt illa potiſſimùm, tum ad victoriæ monumentum, cùm in ejus agro, aut non longè ſaltem, cum Apollonio pugnatum eſſet: tum quia erat admodùm opportuno Iudæis ſitu: tum denique, quòd intra fines terræ Iſraëlitis promiſſæ contineretur.

Quo jure acceperit à tyranno?

Ex hinc habes, quo reſpondeas quæſtioni, quæ proponi poſſet; ecquonam jure urbem, ſibi ab injuſto poſſeſſore datam, Ionathas poſſederit? Poſſedit enim non quia ab Alexandro datam, ſed quia optimo jure ſibi debitam, jure utique divino: quod licèt quibuſdam temporibus, uti per captivitatis annos, interruptum, reſtitutum tamen ſemper fuit in integrum, cùm Iſraëlitæ in priſtinas ſedes rediêre. Jonathas ab Alexandro Accaronem eccepit; quemadmodùm ſi quis rem ſuam à fure, alteri injuſto uſurpatori furto ſublatam, recipiat. Adde, quamvis jure divino illam recuperare non licuiſſet: potuiſſe tamen capere ex jure naturæ, ad juſtam compenſationem damnorum, injuſtè per Aſiæ Reges Judæis illatorum; quorum certa æſtimatio longè ſuperatura erat Accaronis, multarumque aliarum urbium, pretium.

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 10. *verſ.* 84. Succendit Ionathas Azotum.

Quàm inania mortalium bona.

SECTIO PRIMA.

Rerum humanarum vanitas agnoſcitur, ex morte ſingulorum, morte urbium, morte Univerſi.

I. Creaturarum vanitas conſideranda.

MAXIMI intereſt hominum feriò didiciſſe, quàm inania ſint omnia, quorum deſideriis, poſſeſſione, jacturâ, per hujus mortalitatis tenebras agitantur. Præcipuum id fuit Philoſophorum ſtudium: in eo ſapientiæ ſummam conſtituerunt, ut animum, ab externis perituriſque rebus abductum, in ſemetipſo colligerent. Videri poſſit eo de argumento Seneca, libris de Vita beata, de Tranquillitate, de Conſtantia ſapientis, de Conſolatione ad Helviam. Noſtri ipſi Sapientes ac Patres non aliam ferè materiam operoſiùs inculcavêre amicis ſuis, quàm contemptum temporalium omnium, propoſitâ eorum vanitate. Ita Cyprianus epiſt. 2. Auguſtinus ad Licentium, Eucherius ad Valerianum, Hieronymus ad Heliodorum, aliique fecêre: ut ab eo gradu, ad obſequium Dei, cæleſtiumque & æternorum affectum tranſcenderent. Cùm enim humana voluntas otioſa eſſe nequeat: ſi nihil amabile inter caduca ipſi proponitur, alibi, quod amet, quærat neceſſe eſt: nuſquam autem invenire poteſt ſtabile aliquid ac certum, niſi in ſolo Dei obſequio.

II. Ex cadaverum aſpectu.

Demonſtrandæ huic veritati, ad cadavera, lectos mortuales, funera, tumulos, cœmeteria duci ſolemus, doctores eloquentiſſimos, & potentiſſimos perſuadendi artifices. Philoſophorum ſententias ex mortui Alexandri ſpectaculo retulimus, cap. 1. v. 8. Incertæ illæ ſunt. Certiſſimum, quod narratur 2. Reg. 20. Cùm Amaſam Joab perfidè occidiſſet, exanime & cruentum cadaver jacebat ad viæ latus, inſigne prætereuntibus documentum, quàm vana ſint humana omnia. Hinc illæ voces: *Ecce qui eſſe voluit pro Ioab comes David.* Quàm repentè conciderunt ſpes tantæ! Quanta momento facta mutatio! 4. Reg. 6. Jezabelis corpus datum in præceps, conculcatum, & ſemeſum à canibus quicumque intuebantur, admirabundi inter ſe dicebant: *Haccine eſt illa Iezabel?* Heri qualem vidimus, quam hodie ſpectamus? Siccine forma, opes, dignitas evanuêre? Nota B. Franciſci Borgiæ ad meliorem vitam converſio, cæpta ex conſpectu mutationis, quam in Imperatricis Eliſabethæ corpore, fœminarum dum viveret pulcerrimæ, mors effecerat. Non adeò notum, quod Joanni Riberæ Societatis noſtræ ſacerdoti contigit, apud Aleg. in Biblioth. Annorum ſeptemdecim adoleſcens conſanguineam amiſit, ejuſdem fermè ætatis, elegantiſſimæ formæ virginem, & cui meritò daretur Lilii nomen, & Roſæ, & Pantheæ, & quæcumque alia garruli amatores, & adulatores poëtæ, laudum avidi congerere ſolent. Antequam demortuæ funus duceretur, venêre ſpectatum, & ſurdæ ac cæcæ valedictum plurimi. In his erat Ribera: qui pro oculorum ſtellis, pro purpura labiorum, pro lacte & flore genarum, pro ebeno ſuperciliorum, pro ebore frontis, pro auro cincinnorum, nihil niſi lividum pallorem, contractamque & cineream pellem conſpicatus, apud ſe tacitus iterare: *O quàm fallax gratia, & vana eſt pulcritudo!* Mox aliæ ex aliis ſanctæ cogitationes ſubierunt. Ad extremum ſedit vanis renuntiare, & animum advertere ad duratura.

Quid autem ſi aliquot à morte menſibus computreſcentium cadaverum fœtorem hauriremus? Petrus Damianus narrat opuſc. ad Blancam Comitiſſam cap. 11. Marchioniſſæ Sophiæ, intra cujuſdam cœnobii clauſtra tumulatæ, corpus ſubita inundatione detectum, tam fœdo odore domum univerſam complêſſe, ut ferri non poſſet. Abierat omnis ejus *gloria* in *ſtercus & vermes*, ut locutus eſt Mathathias, cap. 2. v. 62. & nos ibi explicavimus. Baronius ad an. 1087. ex Guilielmo Malmesburienſi narrat: cùm Guilielmo, primo è Normannis Angliæ Regi, ſolenniter parentaretur, tantum è demortui cadavere fœtorem erupiſſe, ut quantovis thuris aliorumque odoramentorum ſuffitu ſuperari non poſſet: *Sacerdotes itaque feſtinabant exequias perficere.* Anni ſunt triginta aut circiter, cùm viri cujuſdam principis è Belgio cadaver, plumbeâ thecâ incluſum, in templo noſtro Inſulenſi tantiſper depoſitum eſt. Ibi ſanies putrida rimulam in plumbo, aut invênit, aut aperuit; & gutta una atque altera pavimentum ſacelli ita infecit, ut graviſſimum fœtorem opifices duo ſine animi defectu ferre nequierint: eumque æditus arte nulla, ne multis quidem pòſt diebus, eluere potuerit. III. Ex putredine cadaverum.

Jam ſi animam à corpore ſejunctam contemplemur; quis illi de præteritorum omnium vanitate ſenſus eſt? Interim dum amici & familiares extremum obſequium deferunt, & circumeunt *in platea plangentes*, ut Eccleſiaſtes cap. ult. loquitur: *it homo in domum æternitatis ſuæ, & ſpiritus redit ad eum qui fecit illum.* Anima ſola, & nuda, integumentis & obvolucris omnibus vanitatum ſpoliata, egreditur. Hinc Pſalmiſtæ monitum pſal. 48. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam, cùm interierit, non ſumet omnia, & non deſcendet cum eo gloria ejus.* Nihil iſtorum animam comitabitur, niſi ſi quid propter iſta peccavit. *Propter quod peccant homines*, inquit Aug. hom. 42. *morientes hic dimittunt, & ipſa peccata ſecum portant. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda eſt. Peccas propter villam, hic dimittenda eſt. Peccas propter mulierem, hic dimittenda* IV. Ex animæ ſolitudine.

dimittenda eſt. Et quidquid eſt propter quod peccas, quando oculos in morte claudis, hic dimittis, & ipſum peccatum quod committis tecum portas. Eódem ſpectat pulcerrimus Damaſceni apologus, in hiſtoria Barlaami & Joſaphati, cap. 13. Ubi aulicus apud Regem judicandus, ab amicis tribus, quos hactenus intimè coluerat, deſeritur: quarto, quem ſolum neglexerat, fidem ſervante. Virtutis adumbratio eſt; animam ad Dei judicium proſequentis, à cæteris deſertam, quæ amârat, opibus, voluptatibus, honoribus.

V. Rerum humanarum ſomnia, & ludi.

Convenientiſſimè itaque idem Vates vitam confert cum ſomno, mortem cum evigilatione. Pſ. 72. *Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Et Pſalm. 75. *Viri divitiarum dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Quam etiam ſomnii imaginem graviſſimus, & diſertiſſimus prophetarum Iſaias affert, cap. 25. *Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, & cùm fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus. Et ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam expergefactus fuerit, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt. Fac*, inquit Auguſtinus in pſalm. 72. *hominem in ſomnis videre, ſe inveniſſe theſauros: dives eſt, ſed donec evigilet. Ita cùm evigilaverint impii ex hac vita, tranſit illud, quod quaſi ſomno tenebatur, velut ſomnium exſurgentis. Et ne diceretur: Quid ergo, parva tibi videtur claritas eorum? Parva tibi videtur pompa eorum? Parvi tibi videntur tituli, imagines, ſtatuæ, laudes, cunei clientum? Domine, ait Propheta, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Quid iſta ſunt? Partus imaginationis, figuræ ſomniales, ortæ de nihilo abituræ in nihilum, ubi mors ſomnum abruperit. Ludum latrunculorum, quæ vulgò ſcaccia vocamus, aliquando ſpectâris: vitarum rerumque humananarum ipſiſſima imago eſt. Graviter incedunt aliqui, Regum inſtar: alii diſcurrunt, ſicut Reginæ: alii deſultoriè campum quatiunt, ut equites: hi rectà incedunt, ut elephanti: illi ex obliquo, & malis artibus, alios impetunt, ut ſagittarii: quidam vix gradum promovent, ut pedites. Ita eſt fortunarum varietas, dum luditur: at ubi ludendi tempus abiit, latrunculi omnes, homines omnes, fortunarum diſcrimine nullo, titulis opibusque nudi, tolluntur de luſoria tabula. Hoc intereſt, quòd latrunculi in eandem pyxidem otioſi compinguntur: homines à morte diverſa ſors, pro luſûs varietate manet.

VI. Urbium funera.

Si autem ex ſingulorum hominum morte inanitates illas intelligimus; quantò magis ex urbium & provinciarum interitu, quo multæ privatorum fortunæ convolvuntur, & pereunt? Mærentem filiæ morte Romanum Oratorem amicus Senator Sulpitius conſolans narrat; ſibi in Mediterraneo mari naviganti, cùm hinc Megara eſſent inde Corinthus, nobiliſſimæ urbes à Romanis dirutæ, cogitationem ſubiiſſe de humani ævi fugacitate, cùm populis ac civitatibus ipſis mors veniat, & *tot præclararum urbium cadavera proſtrata jaceant.* Quam cogitationem Chriſtiano dignam, eâdem ſententiâ, in epiſtolam ſuam 61. Ambroſius tranſtulit: ubi Fauſtinum de morte ſororis conſolatur, & eâ occaſione meminit cladis in Italiam per Maximum tyrannum illatæ; amicumque admonet, ut obitum ſororis non miretur, quando videt *tot ſemirutarum urbium cadavera, terrarumq; ſub eodem conſpectu expoſita funera.* Eodem argumento utebatur Seneca in Conſol. ad Polybium. *Quid dicam duces, ducúmque progenies, & multis aut conſulatibus conſpicuos, aut triumphis, ſorte defunctos inexorabili? Tota cum Regibus regna, populiq; cum gentibus tulêre fatum ſuum. Omnes, imò omnia, in ultimum diem ſpectant.*

VII. Ubique ſpectantur.

Non tibi nunc Azotum, antiquiſſimam & celeberrimam Palæſtinæ ſatrapiam, à Jonatha ſuccenſam oſtendo. Longè aliud nobis offertur in urbe Romana ſpectaculum. Æternam urbem cives in ipſo ferè occaſu ſuo appellavêre; paullò antè, quàm repetitis vicibus per barbarorum incurſus ita procumberet, ut de priſtino ſplendore minùs retinuerit, quàm de vivo corpore cadaver. Hodierna enim Roma priſcæ illius vix titulus, aut tumulus eſt, ſi populum, ædes, imperium, fortunam contuleris. Hieroſolyma, Ninive, Memphis, Babylon, Bactra, Ecbatana, Carthago, Perſepolis, Suſa, & quidquid fermè eſt celebratorum dignitate, & opibus in priſca hiſtoria nominum, vix ſui veſtigia reliquêre. Stent licèt exſuſcitatæ in vicino urbes, velut monumenta quibus inſcribi poſſit iſtud Pſalmiſtæ, pſal. 36. *Tranſivi, & ecce non erat, & non eſt inventus locus ejus.* Tongris ſive Advatucæ, amplæ ac copioſæ, ut Ammianus ævo Gratiani loquebantur, civitatis, apud nos fatum idem ſpectamus. Etſi nova de cineribus exſurrexerit, longè impar antiquæ; adeóque latè de agro ſuburbano dici queat, *Hic ſeges eſt, ubi Tongris erat.*

VIII. Et deſtenſur.

Samarcandam Tamirlanes ditaverat ſpoliis totius Orientis, ſumptuoſiſſimis ædibus ornaverat, numeroſiſſimo populo impleverat. Ita Spondanus ad annum 1402. Hodie nil ſupereſt præter rudera & parietinas, ac ſemeſorum marmorum fragmina; unde prætereuntes diſcant, illic aliquando opulentam urbem ſtetiſſe. Sebaſte, in Cappadocia civitas, multis annis Turcici imperii caput fuit. Eò prædas provinciarum, & regnorum Baiazetes congeſſerat; præeſſéque juſſerat regendæ, ac tuendæ, filium ſuum Orthobulen. Capta fuit à Tamirlane, direpta, incenſa, ſolo æquata; interfectis incolarum millibus ſupra centum ac viginti, in his Orthobule. Nuntiata Baiazeti clades, cùm ex Europa in Aſiam transfretaret, ſuppetias filio laturus: conſpicatusque in ipſo tempore opilionem, publicorum motuum ſecurum, carmen ſilveſtri avena meditantem: O te, inquit, beatum, qui nec Sebaſten neque Orthobulen, quos perderes, habueris!

IX. Sint potiùs documento, quàm lamento.

Ita miſer ille; mox & ipſe fortunæ ludibrium, vanitatisque cantandum ad poſteros documentum, futurus. At meliùs multò ac ſapientiùs Theodoretus, ex publicorum malorum nuntiis & didicit, & docuit. Sic enim, ad triſtia nova de capta per Vandalos Carthagine, ſcribit Ibæ Edeſſano Epiſ. ep. 62. *Lybia mala, & miſerias, publicum commodum eſſe arbitror. Primùm enim, dum illorum felicitatem cogito, & intueor repentinam mutationem, video rerum humanarum dubias converſiones: & edoceor, neque felicitatibus tamquam certis confidere; neque miſerias, ut valdè graves, ægrè ferre. Debitorum præterea memoriam revolvo, & vereor ne in æqualia incidam mala.* Primùm, ex publicis malis inanitatem bonorum pariter, ac malorum temporalium, intelligit: deinde, ex Dei juſtitia, concipit timorem Domini.

X. Diſcendus inde timor Dei.

Spectat enimverò Deus in populorum ſuppliciis terrorem, & emendationem aliorum, ut unius paucorúmve punitio, ſit multorum correctio: quemadmodùm prudens judex carnifice utitur. Phranzes Græcus ſcriptor, apud Spondanum an. 1458. commodiſſimè & veriſſimè Mahometem, Trapezuntini & Conſtantinopolitani imperii everſorem, appellat *Dei carnificem.* Apud eumdem Spondanum, anno 1390. cùm Italus quidam, qui in Tamirlanis amicitiam ſeſe inſinuârat, ab eo

familiariter petiiſſet; Quid ita ſæviret in deditios, & paſſim cædibus graſſaretur? Ipſe, truculenta voce & ardentibus oculis: abſiſte hioc, inquit, qui neſcias me non ea lege vivere, quâ cæteros; ſed iram Dei eſſe, ac virgam, quâ corruptos hominum mores caſtigat. Quo itidem ſenſu, Attila ſeſe *flagellum Dei* ſolitus indigetare: & Iſaias cap. 10. Regem Aſſyrium nominat *virgam furoris Domini.* Eumdem in modum cæteri bellatores, per quos damna gentibus inferuntur, virgæ ſunt, & flagella, & carnifices; à juſto rerumpublicarum omnium judice armati, ad ſontium pœnam, & exemplum cæterorum. Sed nos de peccatorum publicorum ſuppliciis tum alibi paſſim, tum Excurſu ad caput ultimum.

XI. Contemnendus mundus. Nunc, quod hic quæritur, vanas hominum cupiditates in bellorum effectis intueamur. Id potiſſimùm ſpectari voluit Jornandes Epiſcopus, tum in hiſtoria ſua, quam ab urbe condita ad annum Totilæ nonum perduxit, tum in libro de rebus Gothicis. Sic enim loquitur præfatione ad amicum: *Diverſarum gentium calamitate comperta, ab omni ærumna liberum te fieri cupias, ad Deum converſus, qui eſt vera libertas. Legens ergo utroſque libros, ſcito, quòd diligenti mundum ſemper neceſſitas imminet. Tu vero auſculta Ioannem Apoſtolum, qui ait: Cariſſimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; quia mundus tranſit, & concupiſcentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

XII. Semper, at maximè cùm perit. Salomon pacificus, florentiſſimi regni dominus, qui alteram fermè tantum vitæ partem noverat, felicitatem; miſeriarum publicarum ſaltem, & à bellis profectarum, prorsùs inexpertus: ubi oculos puriores per omnis cupiditatum humanarum fomenta circumtulit, *vidit in omnibus vanitatem, & afflictionem ſpiritus.* Nos poſt tanta bella, tot urbium auditis excidiis, tot exercituum cædibus nuntiatis, tot provinciarum vaſtitate ſpectata, nondum intelligimus, nihil eſſe uſpiam in mortalium fortuna, niſi *vanitatem & afflictionem ſpiritus?* Quid amas, mi homo, cujus deſiderio æſtuas, cujus poſſeſſione inſoleſcis, cujus amittendæ metu trepidas, cujus jacturâ cruciaris? Larvam tolle, de propinquo aſpice; nihil videbis, niſi vanitatem. Fucati vultus æſtum, ſudorem, ignem timent: ardor bellorum, ſudor præliorum, flammæ calamitatum, fucos rebus humanis abſtergunt, & nudam fragilis formæ turpitudinem oculis intuentium ingerunt. Amabat perduè elegantia vultus, mentis formoſioris matronam, Ræmundus Lullus. Illa, ut inſaniæ mederetur, aliquando, cùm ſine arbitris eſſent, pectus aperuit, horrido putidòque cancro exeſum. En, inquit, quam deperis. Ab eo aſpectu extinctæ flammæ, aut converſæ in melius ad æterna diligenda. Mundum diligis, quia prima ſpecies formoſa eſt, aut fingitur diligenti: ſed pectus aperi, cerne quid latet, quàm fædè putidus cancer opes, dignitatem, vitas, regna, imperia eroſerit.

XIII. Mundi incendium. Si aſpectus tam horrendæ deformitatis medicinam inſaniæ tuæ non facit; ad regnorum ſimul omnium interitum te voco, ad mortem univerſi, quando *cælum & terram tranſibunt*, quia *verba* Chriſti *non præteribunt.* Seneca epiſt. 91. ad Lucilium, narrato Lugdunenſis in Gallia urbis incendio, *quando una nox fuit inter urbem maximam, & nullam: Nihil*, inquit, *privatim, nihil publicè ſtabile eſt: tam hominum, quàm urbium fata volvuntur.* Hoc ille ad unicæ coloniæ, cultæ illius quidem ac ſplendidæ, cladem auditam: quid autem diceret, ſi, quod nobis fides toties ingeminat, urbium imperiorumque ſimul omnium incendium præcogitaret? Quamquam ut à Paullo Chriſtianiſve id non didicerit, ex Stoicorum ſuorum arcanis hauſiſſe potuerat. Perſuaſum enim illis fuiſſe affirmat Clemens Alexandrinus: imò & Seneca ipſe in Conſol. ad Marciam in fine, qui etiam ad calcem lib. 3. Natur. quæſt. Belli interpretem Beroſum ejuſdem veritatis teſtem adducit. Sibyllarum una tam manifeſtis verbis de eo incendio prænuntiavit; ut vix uſquam legatur apertius in Literis ſacris, quæ tamen illud paſſim vaticinantur. Vide ea de re Auguſt. lib. 18. de Civit. cap. 23 oraculum illud Latinè recitantem: ubi hic ad rem noſtram verſus eſt, inter alios, *Exuret terras ignis, pontúmque, polúmque.* Græcè exhibet Ludovicus Vives acroſtichidem totam, has voces Judicis ſupremi prænuntias continentem, Ἰησῦς ὑὸς Θεῦ σωτὴρ, *JESVS Chriſtus filius Dei Salvator.* Sibyllam etiam adducit Lactantius libro de Ira in fine, ac deinde Ovidium:

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptáque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret, &c.

ſeu ex Sibylla Ovidius id didicerit; ſeu per manus ad gentes omnes tranſierit à Setho Adami filio: quem aiunt ad poſteritatis memoriam columnis duabus, marmoreæ uni, alteri lateritiæ, de Deo ejusque judiciis multa inſculpſiſſe.

Cogitemus interim Chriſtiani, quod Ethnici cogitavêre; & tantiſper animo præconcipiamus, XIV. Ejus mira celeritas. celeritatem, magnitudinem, vim ejus incendii; quid operibus omnibus humanis faciet, quid in animis hominum efficere debeat. Celeritas tanta erit, ut breviſſimo tempore, quod aliqui horæ ſpatio definiunt, conflagratura ſint omnia. Prorsùs aliter, quàm in Noëmico diluvio; ubi Deus, poſt arcæ diuturnam ædificationem ad terrendos mortales; poſt inducta eodem fine, ſpectantibus omnibus, & incluſa in illam navim, velut in arcam animalia & alimenta; poſt ſextiduum ab oſtio navis occluſo: quadraginta diebus denique pluit, novumque interim dedit inundantibus paullatim aquis ſpatium pœnitendi. Aliter hîc res habebit incuſſo terrore mortalibus, datisque pœnitentiæ monitis per ſigna ignem antecurrentia: ſubitò tamdem erumpet incendium, & ne dies quidem una intererit inter opera hominum ſtantia, & nulla. Idcircò à Pſalmiſta, pſalm. 40. ignis ille tempeſtati comparatus; à Nahum cap. 1. turbini; à Chriſto Matth. 20. fulguri, quo velocius nihil. Nam de igne judicium antecurſuro cõmodiſſimè iſtud intelligitur, *Sicut fulgur paret . . . ita erit adventus filii hominis.* At quomodò, inquis, tantillo tempore ignis, qui utique corpus eſt, tanta ſpatia emetiatur? Ne tibi naſcentem in aliquo angulo terræ flammam finxeris, indéque vicina paullatim corripientem. Pluet è cælo, quomodò in Sodomam, aliáſque urbes abominandas. Erumpet undique è terræ viſceribus, quomodò ex Ætna, Væſuvio, Hecla, aliiſque montibus, exitia urbium vomentibus.

Magnitudinem incendii dimetiens Aug. 20. de Civit. cap. 18. ait, quaquaverſum quindecim cubitis ſupra editiſſimorum montium culmina flammas erupturas, quantæ ſcilicet altitudinis fuit diluvium. Sed pace ſapientiſſimi Doctoris, hinc ad cælos uſque pervaſurum ignem non dubito, inde ad ima terrarum penetraturum; ut nihil illo ſit intactum, niſi ſedes Beatorum. Id manifeſtè innuitur Apoc. 6. ubi *receſſit cælum ſicut liber involutus.* Et in eam ſententiam interpretatus eſt Tertul- XV. Magnitudo.

lianus

ſianus adv. Hermogenem: *Cælum convolvetur, ut liber, immò nuſquam fiet cum ipſa terra, cum qua primordio factum eſt. Cælum primum, & terra prima abierunt ..... Stellæ quidem de cælo ruent; ſicut ſici arbor, cùm valido commota vento acerba ſua amittit.* Adde verba Eccleſiaſtici cap. 17. *Quid lucidius Sole? Et hic deficiet.* Expende etiam genuinum ſenſum verborum Chriſti, *Sol obſcurabitur: Cælum & terra tranſibunt:* etſi non neſcio alios aliter interpretari. Sed pro omnibus interpretibus ſit mihi unicus D. Petrus, epiſt. 2. cap. 3. ubi non ſolùm dicit, *terra, & quæ in ea ſunt opera exurentur:* ſed etiam *elementa,* quantævis puritatis ac ſimplicitatis, *calore ſolventur:* imò *cæli,* quos incorruptos ſibi philoſophia vetus finxerat, *ardentes liqueſcent.* Unde colligit, quod mox inferemus, à perituris ad immortalia affectus transferendos.

XVI. Vehementia ejuſdem incendii. Sed eſto, ſola illis ignibus *terra ardeat, & quæ in ipsâ ſunt opera exurantur:* Sit, ut Joel c. 2. loquitur, *Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti:* quia ſcilicet *ante faciem ejus* judicaturi ibit *ignis vorans, & poſt eum flama exurens.* Finge tibi ex editiſſimo monte terras quaquaverſum oſtendi paullò ante commune incendium: perpetuum tibi naturæ & artis certamen in producendis ornandisque, ad hominum utilitatem aut oblectationem, operibus videbitur. Prodiga in Proregis ſui gratiam Natura hinc campos fertiles extendit, inde valles amænas depreſſit, inde opulentos montes extulit: cernas prata viridantia, comantes ſilvas, luxuriantia pomaria, florentes hortos, limpidos fontes, piſcoſa flumina, navigera maria: prorsùs ut ſit *hortus voluptatis terra coram eo.* Parte alia offerunt ſeſe induſtriæ magnificentiæque humanæ innumera inventa: ſilvæ penſiles, fluvii ductiles, fontium ſubſilientium miracula, hortorum decora, navium ornamenta, vici frequentes, urbes munitæ, excelſa palatia, incruſtati ſpecioſis terræ viſceribus muri, veſtiti pretioſis aulæis, artificibus tabellis adornati, aureis lamellis veſtiti. Inter hæc rerum domini homines ſerico, purpuraque ſplendentes, gemmis & margaritis lucidi, invidiamque dici facientes, inambulant, luxuriantur, græcantur, futurorum ſecuri, *ſicut in diebus Noë comedentes, & bibentes; nubentes, & nuptui tradentes.*

XVII. Spectaculum & ſepulcrum vanitatis. Exſpecta tantiſper, donec venerit *dies non jam noſter tantùm, ſed & ſæculi,* ut loquitur Eucherius epiſt. ad Valer. *Ille ultimus & perpetuus judicii dies,* inquit Tertull. l. de Spect. *ille nationibus inſperatus, ille deriſus, cùm tanta ſæculi vetuſtas, & tot ejus nativitates uno igni haurientur. Quæ tunc ſpectaculi latitudo? ..... Utinam miſer ego in illo die Chriſtianæ exultationis caput elevem!* Utinam ſim inter illos, qui rapientur obviàm in nubibus Chriſto in aëra! Quis mihi, ex illa ſublimi ſpecula cælum novum & terram novam intuenti, ſenſus erit de rerum omnium mortalium vanitate? Quando iſta paullò antè cum admiratione ſpectata, naturæ partus, ingenii monumenta, hominum pompæ, momento evanuerint? Quàm facilè tunc credam cum Sapiente cap. 5. omnia fuiſſe inſtar umbræ tranſeuntis, nuntii percurrentis, navigii transfretantis, avis transvolantis, ſagittæ excuſſæ, lanuginis ventilatæ, ſpumæ colliſæ, fumi diffuſi, evanidæ diurni hoſpitis memoriæ? Ex tam certa ſolidáque cogitatione conficiamus cum Paullo, 1. Cor. 7. *Reliquum eſt, ut qui habent ... tamquam non habentes ſint ... & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi.* Immortalis animi amore indignus eſt mundus, qui præterit. Amandus ille, cujus immutabilia verba ſunt, & æterna poſſeſſio. Inſiſtamus firmi fundamento immobili promiſſorum ejus, *Cælum enim & terra tranſibunt, verba autem* ejus *non præteribunt.* Dicamus cum Eccleſia: Ò Domine *omnium noſtrûm ad te corda converte, ut terrenis cupiditatibus liberati ad cæleſtia deſideria tranſeamus.*

SECTIO SECUNDA.

Vanitas amatorum mundi oſtenditur, ad illa verba Lucæ 18. Cæcus ſedebat ſecus viam, mendicans.

INTER plagas, quibus Deus Ægyptum percuſſit, prima fuit ſanguinis. Cruentam ex Nilo, fontibusque omnibus, aquam Ægyptii hauriebant: Iſraëlitas ex iiſdem fluentis eodem tempore limpidiſſimos latices hauſiſſe multi arbitrantur. Ita eſt in rerum humanarum, Nili inſtar præterfluentium, curſu & uſu: ſunt qui ſanguinem, id eſt materiam vitiorum, inde ſumunt; ſunt qui aquas ſalubres. Neque enim res creatæ malæ ſunt: ſed abuti malum eſt. Dives in tormentis ardens Abrahamum, qui opulentus itidem fuerat, quieſcentem vidit: uterque fortunâ pari parem animum non habuerat. Quare Lactantius Demetriano auditori ſuo ſcribebat, lib. de Opificio cap. 1. *Ego quidem lætor, omnia tibi, quæ pro bonis habentur, proſperè fluere: ſed ita, ſi nihil de ſtatu mentis immutent .... Ideoq; te moneo repetens, iterúmque monebo, ne oblectamenta iſta terræ pro magnis aut veris bonis habere te credas: quæ non ſunt tantùm fallacia, quia dubia; verùm inſidioſa, quia dulcia.* I. Varius bonorum humanorum uſus.

II. Quis bonus, quis malus? Eodem ſenſu Auguſtinus lib. 1. de lib. arbitr. ſub finem: *Num aut argentum, aut aurum, propter avaros accuſandum putas, aut cibos propter voraces, aut vinum propter ebrioſos, aut mulıebres formas propter ſcortatores & adulteros, atque hoc modo cætera? Cùm præſertim videas, & igne benè uti medicum, & pane ſceleratè veneficum.* Spinas Chriſtus appellat curas ſæculi ſuffocantes ſementem patris-familias. Atqui ſicut agricola diligens ſpinis ſepem faciet, & ſementem ſervabit: ita vir bonus curis ſæculi mentem adversùs mala obſepiet. Sit quælibet mundana fælicitas venenum animi, ideóque à Sapiente appelletur *Faſcinatio nugacitatis.* Belluis efferis à Seneca comparetur lib. de Brevitate Vitæ, quia *ut feras, cum labore venamur, & captarum quoque ſolicita poſſeſſio eſt: ſæpè enim laniant dominos.* Tamen quemadmodùm feris prudens domitor benè uti poteſt, & quomodò toxicum pharmacopolæ ſervant innoxiè, & in medicamenta vertunt: ita ſe res habet in humanæ fælicitatis inſtrumentis. Benè poſſident, qui pretium illis ſuum ſtatuunt tamquam infimis bonis: qui velut tranſeuntibus, & fugacibus non inhæreſcunt atque implicantur: qui ſponte oblatis, aut ſine indignitate quæſitis, contenti ſunt. Malè poſſident, *minora majoribus, ſumma infima bona, id eſt cæleſtibus terrena, anteponentes,* ut loquitur Paull. epiſt. 10. ad Severum: fugientibus, quaſi manſura ſint, affectu adhæreſcentes: alia atque alia bona identidem, velut ſtipem à prætereuntibus creaturis, flagitantes, ſemperque egentes in pictis opibus, ſitibundi in fugiente fluvio, jejuni in ligneo convivio. Primus error eſt deplorandæ cæcitatis, alter ridendæ fatuitatis; tertius viliſſimæ mendicitatis.

De cæco

III. Cæcitas æſtimāntum nimis temporalia.

De cæco Evangelico Lucæ 18. variæ ſunt Interpretibos quæſtiones: quis fuerit, idémne qui à Marco vocatur Bartimæus, *ex aliqua*, ut dicit Aug. *magna fælicitate dejectus, notiſſima & famoſiſſima miſeria; qui non ſolùm cæcus, ſed mendicus, ſedebat?* Quot comites habuerit, unúmne omninò, an duos; ut tres cæci Chriſtum lumen ad revelationem gentium, Jerichunte tranſeuntem, inclamârint? Sepoſitis iſtis quæſtionibus faciliùs nobis fuerit ſtatuere, quod de ſtultis olim dicebat Sapieos, cæcorum hodie infinitum eſſe numerum. Non jam de Infidelibus loquor, filiis tenebrarum; ſed de Chriſtianis, lucis filiis, in die gratiæ educatis, de quibus Deus Iſaiæ 43. *Educam foras populum cæcum, & oculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt.* Et cap. 42. *Quis cæcus, niſi ſervus meus: aut quis ſurdus, niſi ad quem nuntium miſi?* Et verò nonne cæcum dixeris, qui patentibus oculis claro meridie cælum non videat? Nonne cæcos Sodomitas, & Syros, qui in aperta luce loca, ubi ſuot, noo internoſcant? Sic ſunt Chriſtiani, qui terrenorum inſanâ cupiditate capti, cæleſtia oon vident, & ſic tranſeunt per bona temporalia, ut amittant æterna.

IV. Tria cæcorum genera

Cæca eſt avaritia, inquit Ambr. ſerm. 59. *... non videt, quæ divinitatis ſunt; ſed cogitat, quæ cupiditatis.* Hugo Victorinus lib. de beſtiis c. 15. Corvum ait diabolum eſſe, *qui in cadaveribus primùm oculos petit, id eſt in carnalibus hominibus intellectum.* Eodem modo apud Bern. ep. 78. eſt *cæca ambitio magis imis, quàm ſummis delectari.* En tria cupidorum genera; quot ſolent eſſe cæcorum: quorum hi à cane, illi à puerulo aut homine alio reguotur, illi baculo inoixi ſeſe regunt. Canis, ut vulgò loquimur, id eſt pecunia, avaros; homo libidinoſos; baculus aruodineus confractus ſuperbos ducit. Notat D. Bonaventura, ſtercoribus hiruodinum cæcatum Tobiam, eorum figuram eſſe, quos opum ſtercora excæcant: commodiſſimè dicere poſſimus, Sedeciam oculis erutis, ſuperborum; Samſonem Dalilæ amatorem luminibus orbatum, luxurioſorum præferre imaginem. Prati Spiritualis cap. 77. Joannes & Sophronius Alexandriæ cæcos tres audiunt de cæcitatis ſuæ cauſſis inter ſe colloquentes: primus olim nauta, vento; alter vitriarius, igne; tertius, dum cadaver ſpoliare parat, impactis ab illo unguibus cæcatus, eorumdem cæcorum ſpiritualium typum exhibeot.

V. Stultitia in via hærentium.

Altera conditio cæcitati huic affinis, eſt inſignis fatuitas; quòd illic ſtent aut ſedeant, ubi nec ſtari nec ſederi poteſt, aut debet. Via enim eſt vita humana, quà perpetuò tranſitur, *Generatio præterit, & generatio advenit*: tranſeundum illac eſt, non inhærendum. Solidè juxtà, & piè, Aug. hac de re lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 4. celebrem illam fruendi & utendi diſtinctiooem explicaos: *Frui, eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam: uti, quod in uſum venerit, ad id, quod amas, obtinendum referre; ſi tamen amandum eſt. Nam uſus illicitus abuſus potiùs vel abuſio nominandus eſt. Quomodò ergo, ſi eſſemus peregrini, qui beatè vivere niſi in patria non poſſemus, eáque peregrinatione, utique miſeri & miſeriam finire cupientes, in patriam redire vellemus; opus eſſet vel terreſtribus, vel marinis vehiculis..... Quod ſi amænitas itineris, & ipſa geſtatio vehiculorum, nos delectaret ... & perverſa ſuavitate implicati alienaremur à patria, cujus ſuavitas faceret beatos: ſic in hujus mortalitatis vita peregrinantes à Domino, ſi redire in patriam volumus, ut beati eſſe poſſimus, utendum eſt hoc mundo non fruendum; ut viſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur, hoc eſt, ut de corporalibus temporalibúsque rebus æterna & ſpiritualia capiamus.*

VI. Navigatio & flos vitæ.

Ambroſius ad illud Pſalmi 1. *Beatus vir, qui in via peccatorum non ſtetit*, viæ ſimul & navigationi confert vitam humanam: *Etſi non videmur ire corporaliter, progredimur. Nam ſicut in navibus dormientes ventis aguntur in portus ..., ſic vita noſtra ſpatio defluente, ad proprium unuſquiſque finem, curſu labente, deducitur. Tu enim dormis, & tempus tuum ambulat.* Hauſit navigationis ſimilitudinem à Jobo, cap. 9. dicente, dies ſuos curſim tranſiſſe, *ſicut naves poma portantes*, quæ interquieſcere minimùm ſolent, oe fructus humore corrumpantur: aut quomodò vertunt alii, *ſicut naves piratarum* expeditiſſimæ; vel *ſicut naves voluntatis*, id eſt, quæ ad navigantium votum ſecundo impulſæ vento, velociſſimè feruntur.

VII. Tranſitus omnium.

Oſee cap. 10. Rex Iſraëlitarum ſpumæ comparatur: *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, ſicut ſpumam, ſuper faciem aquæ.* Quia, uti Rupertus loquitur, *ſicut in olla ſubjectis ignibus fervente, viciſſim tumeſcunt bullæ & inaneſcunt: ita in Samaria, mutuis diſcordiis æſtuante, vix creabantur Reges, cùm ſtatim necabantur.* O quot Reges, ac Principes, non in Samaria ſolum, ſed in Juda, & aliis omnibus regnis, ſicut ſpuma tranſierunt? Quàm latus hic campus ad inanias rerum demooſtrandas? Subde infælicibus Regibus fæliciſſimum Salomonem, & alterum Eccleſiaſtæ caput totum expende: ubi opera ſua, vineas, hortos, ſervos, ancillas, divitias, delitias ſuas enumerat, ac deinde dicit; converſum ſe ad iſthæc omnia vidiſſe *vanitatem, afflictionem, & nil permanere ſub Sole.* Nimirum ſtultus eſſe deſinebat & cæcus, ut ſic videret, & ſentiret. Sed audiamus potiùs & intueamur pluſquam Salomonem. Ambulat Chriſtus; ut ſcias hominem tranſire, quandoquidem Deus homo tranſiit: & ambulat in via Jerichuntina, id eſt Lunæ ac mutabilitatis loco: & citato greſſu præit Apoſtolos; neque enim hîc itur ſolùm, ſed properatur: & cæcus antè ſedens, ſanatus ambulat, ſequitúrque præeuntem Chriſtum; videt quippe quieſci hîc nec debere, nec poſſe.

VIII. Et fuga.

Marci 8. cæcus alius curari cæptus per Chriſtum, & interrogatus quid videat: *Video*, inquit, *homines, velut arbores, ambulantes. Quare*, inquit Chryſologus ſerm. 176. *ſicut arbores, & non ſicut columnæ? Neque ſtantes, ſed ambulantes?* Nimirum ut vanitas humanæ vitæ indicetur. Sed profectò ſi cæcus ille fuiſſet perſanatus, homines vidiſſet, non ut arbores, ſed ut folia quæ vento rapiuntur: nec vidiſſet ut ambulantes, ſed ut cootento curſu fugientes. Amos cap. 3. objurgantur ebrioſi: *Væ qui canitis ad vocem pſalterii: quaſi David putaverunt ſe habere vaſa cantici.* Tert. lib. 4. cont. Marcionem, ex Græco legit, *Tamquam perſeverantia arbitrati ſunt, & non tamquam fugientia.* Eodem modo legit Chryſoſt. hom. 1. in Gen. indéque occaſionem ſumit deplorandi fatuitatem eorum, qui ſtare arbitrantur delitias, gloriam, potentiam, omnem vitæ hujus proſperitatem: cùm tamen vix momento permaneant, & antè fermè avolârint, quàm advenerint.

IX. Quàm jejuna cupiditas?

Accedit tertia conditio, miſerrima & mendiciſſima paupertas. Arabum verbum eſt: *Duo ſunt homines, Conſequens nec contentus, Quærens & non inveniens.* Utrum illorum fæliciorem judicâris: an qui non habet, quod deſiderat; an qui habeat, quaſi non haberet, hietque ſemper ad nova? Sic ſunt cupiditates terrenorum, inquietæ dum proſequuntur, non contentæ cùm poſſident, & ad alia atque alia ſeſe porrigentes. Exemplum nobis proponitur Exodi 17. & Pſalm. 105. in Iſraëlitis,

qui

qui *concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentaverunt Deum in inaquoſo: & miſit ſaturitatem in animas eorum*: ſeu, ut ex Hebræo & Græco transferri poteſt, *miſit tenuitatem* aut *maciem*. Omnis ſcilicet terrenarum rerum ſaturitas, mera tenuitas eſt, & macies. Gen. 41. Pharao ſomnians *putabat ſe ſtare ſuper fluvium*; & ubi ſtari non poteſt, demens ſibi fixum aliquid firmúmque fingebat: cùm ecce *egreſſa de flumine boves ſeptem craſſæ pulcræq; nimis, tum aliæ ſeptem fœdæ confectæque macie, quæ paſcebantur in locis virentibus, & devoraverunt alias ſeptem*: emacistæ tamen, ſqualidæque, ut priùs manſerunt. Notiſſimum eſt, tunc ſignificatos annos ſeptem ſteriles, fœcundis totidem ſubituros. Nunc autem, macris illis bobus aptiſſimè adumbratur quælibet hominum cupiditas animalis; quæ, quidquid depaſcatur ac devoret, jejuna tamen ſemper eſt, & famelica; ſtatímque ac comêdit, tradit oblivioni omnem retrò abundantiam.

X. Quàm vilis.

Quid tibi de Eſau videtur, Gen. 25. cùm affluens cibis in domo paterna, tamen velut fame enectus dicit Jacobo fratri, *da mihi de coctione hac rufa?* Quid de Rachele cenſes Gen. 30. cùm in locupleti domo, rerum omnium domina, obnixè tamen poſtulat à Lia *partem de mandragoris?* Dicit Oleaſter id exprimi, *quia quidquid pauperes habent, volunt divites habere.* Dixero potiùs, utraque hiſtoriâ ſignificari cupiditatis indolem, ſemper appetentis, ſemper indigæ, & quantumcumque habeat nil habentis. Oſtendit hoc Ambroſ. lib. de Naboth. cap. 2. in Rege Achab, divite, honorato, fortunato; qui tamen quaſi egeret dicit Nabotho: *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. Quæ*, inquit Ambr. *alia vox egentis eſt? Quæ vox alia ſtipem publicam poſtulantis? Da mihi, quia aliud vivendi ſubſidium habere non poſſum..... Hæc quàm abjecta, quàm vilia? Non enim habent humilitatis affectum, ſed cupiditatis incendium.* Idem notat in divite Luc. 12. dicente, *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Quid faciam*, inquit Ambr. lib. eodem, cap. 6. *Nonne hæc pauperis vox eſt, non habentis ſubſidia vivendi? Quia non habeo. Paupertatis hic ſermo eſt: de inopia quæritur, abundans fructibus.*

XI. Quàm egena, & mendica.

Joannem Cappadocem ex intimis amicorum Juſtiniani eò redactum vidit antiquitas, ut ſtipem mendicârit: apud Baronium an. 548. ex Procopio. Id tunc fecit miſer, quod antè continenter fecerat; ut à fortuna ſtipem, egentiſſima cupiditate, peteret. Notæ voces excæcati Beliſarii, & ſecus viam mendicantis obolum: quemadmodùm ab ipſo olim captivus Vandalorum Rex, Gilimer, panem, ſpongiam, citharam famelicus & lugens mendicârat. Scio de Beliſarii mendicitate diſceptari: negat Alciatus, affirmat Baronius anno 561. Utcumque ſit, hoc certum eſt, & Beliſarium, & quemvis alium nimis ad humana propenſum, infæliciſſimè de alto ſtatu dejectum, ſtipem à creaturis petere, cùm Creatore dives eſſe potuerit. Regium adoleſcentem, inter ſcurras aciculis in rivulo quærendis intentum, ſpretis pædagogi monitis nemo non indignetur, aut lugeat. Sic ſumus Chriſtiani. *O filii hominum*, imò filii hominis illius, ad flagella & crucem properantis, *ut quid diligitis vanitatem? Bonum tuum quære, ô anima, immortalis*,] inquit Auguſt. conc. in pſal. 102. *ſummum bonum, hoc eſt bonum tuum.... Pecori quid bonum eſt?* Quid Judæo? Quid Mahumetano? *Tale tu bonum quæris? Cohæres Chriſti, quid gaudes, quia ſocius es pecoris*, aut damnati? *Bonum ergo tuum quære, ô anima.*

SECTIO TERTIA.

Rerum mortalium modicum.

I. Intellectu difficile modicum, à Chriſto propoſitum

MIRANTUR quidam Apoſtolorum admirationes, muſſitationes, & quæſtiones, de modico ipſis per Chriſtum propoſito, Joan. 16: *Quid eſt hoc*, inquiebant, *quod dicit modicum? Neſcimus, quid loquitur.* At ego quidem miratos fuiſſe non miror, homines adhuc rudes & idiotas; cùm ipſis proponeretur res intellectu adeò difficilis, ut poſt tot Eccleſiæ ſæcula, poſt tam multas Doctorum interpretationes, nondum de ejus loci germana ſententia conventum ſit. Adeò vel hinc certum eſt, Scripturam obſcuram eſſe, quidquid adverſarii noſtri obganniant. Ex priſcis Patribus aliter explicavit Chryſoſtomus, aliter Auguſtinus. Ex mediorum ſæculorum Doctoribus aliter cenſuit Alcuinus, aliter Rupertus. Hoc ævo interpretum Evangelicorum præcipui in diverſum abiêre, Toletus cum Chryſoſtomo, Maldonatus cum Auguſtino. Sententias adducere ſuperſedeo, cùm alibi ſint cuivis in promptu. Quid ergo mirum, ſi Apoſtoli modicum à Chriſto propoſitum non intellexêre, in ea ſcientiæ tenuitate, ad hæc triſtitiâ quæ intellectum obſcurare ſolet obruti: quando tanti viri, in tam clara ſcientiæ luce, nondum pervidêre?

II. Nolumus intelligere modicum rerum mortalium.

At ecce quod omnes meritò miremur, non in Apoſtolis, ſed in Apoſtolorum diſcipulis Chriſtianis, imò in nobis ipſis. Chriſtus nobis per ſe rerum mortalium modicum ſæpiſſimè inculcavit verbis, & exemplis. Audimus frequenter nos eſſe advenas & peregrinos, quærenda quæ ſurſum ſunt, quæ ſurſum ſunt ſapienda. Quotidie hortanti nos Eccleſiæ ad levanda ſurſum corda, reſpondemus nos habere ad Dominum. Undique inanitas humanorum omnium in aures, oculos, & tactum incurrit. Sic tamen amamus, ſic odimus, ſic timemus, ſic lætamur, ſic lugemus; quaſi non intelligamus, muſſitemuſque perpetuò iſtud, *Quid eſt quod dicit modicum? Neſcimus, quid loquitur.* Dic glorioſo alicui militi, poſt captam unam atque alteram urbem triumphanti; Quàm modicum eſt, quo de inflâris? Dic Principi, aut miniſtro Principis, bonis vel dignitatibus exuto: Quàm modicum eſt, cujus jactura te cruciat? Dic juveni, corpus præ animo excolenti, & in illud omnes patrimonii vires, &, quod patrimonio longè majus eſt, tempus omne impendenti: Quàm modicum eſt, cui laboras & gaudes? Dic cuivis afflicto cauſſæ damnatione, mercimonii interverſione, meſſis incendio, carorum morte. Quàm modicum eſt, quod amiſiſti? Ut iſti *modicum* tuum reſponſo dignentur, ut non ſuccenſeant, hoc ſaltem audies: Modici cantio vetus eſt, aliis auribus occini næniæ debent; tu ſi hic ſis, aliter ſentias. Ita nimirum intelligentia modici videtur obſcura: quia bona, cùm habemus, quaſi numquam tranſitura intuemur; mala, cùm ſentimus, quaſi numquam abitura aſpicimus: tam inaniter læti in proſperis, quàm ſtultè dejecti in adverſis.

III. Tres ejus menſuræ.

Morbum hunc, morborum plurimorum fontem, ſanemus quà poſſumus, & menti imprimamus certiſſimam cognitionem modici rerum omnium mortalium: non jam ex earum materia, quæ ſanè vilis eſt, & indigna præcipuis curis animi Chriſtiani: ſed ex tempore ac duratione, quæ ſummum ævo noſtro æquabitur. Sanitas, morbi; voluptas,

voluptas, dolor; divitiæ, paupertas; honor, dedecus, ut longiſſimè tendantur, ad extremum uſque vitæ noſtræ pervenient. Quid autem vita humana eſt? Nonne meritò Eleazarus, emeritus ſenex nonagenarius, ejus inanitatem expertus, dixit, *Modicum corruptibilis vitæ*, 2. Machab. 6? Camillus de Lellis, vir ævo noſtro illuſtris, meditationes fermè omnes ſuas ad capita duo reduxerat, vitæ hujus brevitatem, alterius æternitatem. Nos meditationem de modico ad tria conferamus, ſeu tres ejus menſuras capiamus, à tempore præterito, à præſenti id eſt vita noſtra, à futuro id eſt æternitate. Menſuram primam mutuabimur à Doctore primario, vanitatem experientiâ ſuâ edocto: alteram à magno Rege, in utriuſque fortunæ pagina verſato: tertiam ab Hebræo Sapiente, poſt exſuſcitatam è cineribus Hieroſolymam ſcribente.

IV. Mundi ætas

Fructuum, qui ex hiſtoriæ lectione colliguntur, non minimus eſt, cognitio vanitatis: eſtque iſta ipſa non poſtrema ratio, cur Deus ipſe mundi annales Moſi, ſecutiſque ipſum Prophetis, dictaverit. Remetiamur tantiſper cogitatione eorum annalium ſummam, & præterita tempora velut in faſciculum colligamus. Fluxêre ante nos annorum quinque millia & ſeptingenti, præterpropter: neque enim chronologi omnes conveniunt; neque interpretes Scripturæ univerſi conſentiunt; neque opus eſt, ut hic inter illos ſententiam noſtram interponamus. In iſtis quinquaginta ſeptem ſæculis, quot generationes ſeſe mutuò impulêre, & præteriêre? Generatio Adami præteriit, Noëmi advênit: generatio Noëmi præteriit, Nemrothi & Aſſyriorum advênit: iſta prætereunte, Perſæ ſucceſſerunt, tum Græci, dein Romani, poſt Gothi, his alii, & ſic deinceps ad nos uſque; qui prætereuntes ſequimur, & à ſequentibus urgebimur. Quantum verò tibi videtur iſtud, annorum tot elapſorum, intervallum? Dicat Auguſtinus conc. 1. in pſal. 36. *Recole annos ab Adam uſque ad hodiernum diem. Heri penè Adam de Paradiſo lapſus eſt. Ubi ſunt præterita tempora? Sic pauca, quæ reſtant, utique tranſibunt.. Si toto illo tempore viveres uſque in hodiernum diem, certè videres vitam tuam non fuiſſe diuturnam, quæ ſic avolâſſet.* Quod ab Auguſtino mutuatus Gregorius 15. Mor. in Job c. 2. *Ponamus*, inquit, *quemlibet hominem à primo die mundi conditum, uſque ad hodiernum diem vitam ducere, hodie tamen vitam finire... Præterita jam nulla ſunt, quia cuncta tranſierunt.* Fluxum illum ſæculorum, & generationum, ſibi mutuò ſuccedentium, flumini confert Auguſtinus, in pſalm. 65. *Flumen eſt omnis mortalitas ſeculi. Vide flumen: alia tranſeunt, alia tranſitura ſuccedunt.* Nunc glacies vides, nunc navigia onuſta; nunc aquam limpidam, nunc turbidam; nunc profundum alveum, nunc tenuem: quomodò in humanis rebus perpetua viciſſitudo eſt. *In iſtum fluvium non ſe mittat cupida anima.*

V. Ætas parentum.

Si longum tibi nimis videtur, retrogredi ad initia uſque generis humani: at non pigebit ſaltem ſequi Auguſtinum, ad primordia familiæ tuæ te reducentem. Conc. in pſalm. 122. inducit divitem dicentem: *Domum meam habeo.* Tum ipſe illi: *Quam domum tuam? Quam pater meus mihi dimiſit. Et unde ille habuit? Avus noſter eam reliquit. Recurre ad proavum, inde ad atavum, & jam nomina non potes dicere. Pater tuus hîc eam dimiſit, tranſivit per illam, ſic & tu tranſibis.* Theatrum mundus: actus actui, ſcena ſcenæ, perſonæ perſonis dant locum: quam vulgarem ſimilitudinem non omiſit Auguſtinus in pſal. 127. *Nati pueri tanquam dicant parentibus ſuis: eja, cogitate & vos ire hinc, agamus & nos mimum noſtrum.* Vagiunt, balbutiunt, loquuntur, legunt, ſcribunt, diſcunt eruditorum linguas, ſcientiis imbuuntur, artibus vel mechanicis vel liberalibus inſtruuntur, ſtudiis vel civilibus, vel militaribus admoventur, ſacris aut profanis inſtitutis applicantur. Quo iſthæc omnia exercitamenta ſpectant, quàm ut mox in ſcenam prodire poſſint, & mimum ſuum agere?

Putáſne, hominum inſulſiſſime, alterius generis fore vitam tuam, quàm quæ te præceſsêre? VI. Noſtra quàm brevis.
Nondum, quid de tua judices, didiciſti exemplo cæterarum? Doceat te igitur Pſalmiſta inſignibus quinque comparationibus, quas in unum pſal. 89. collegit, ut alias opus non ſit ex aliis pſalmis accerſere. Prima eſt, vitæ quamvis longiſſimæ cum heſterno die comparatio, cujus utique nihil jam ſupereſt niſi memoria. Quantum vives? Nongentis & triginta annis, ut Adam? Nongentis & quadraginta, quot Evam aiunt vixiſſe, etſi Scriptura non memoret? Nongentis ſexaginta novem, ut Mathuſala, cui denique elogium iſtud commune univerſis apponitur, *& mortuus eſt*? Eſto, mille ſolidos annos expleas, quot iſtorum nemo: *Mille* tamen *anni*, *ante oculos* Dei, *tanquam dies heſterna quæ præteriit.* Nimis dixi, cùm diei ſolidæ comparavi; quando præterit ut *cuſtodia in nocte*, id eſt horarum omnino trium ſpatium, earumque nocte labentium, & effluentium vix ſentientibus, præſertim ſi dormiunt. Ita nobis vitæ tempus elabitur: ut meritò tertiam comparationem addam cum nihilo, *Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt*: ἐξουδενώματα habent Septuag. quam vocem Tertullianus vertit, *Nullificamina.* Verè vita hominis habenda pro nihilo, cujus quidquid præſens eſt momentum unicum & punctum, tam tenue ut notari non poſſit, præterlapſumque ſit in ipſo notandi conatu. Dic mihi, quid tibi præſens vitæ tuæ eſt? Annúſne quinquageſimus nonus ſupra milleſimum ac ſexcenteſimum? Sed jam menſes quatuor toti præteriêre. An Maius menſis? Sed ejus dies toti quindecim elapſi ſunt. An dies decima ſexta? Sed manè præteriit, meridies nondum eſt, multo minùs veſper. An ejus diei hora decima? Sed tres ejus quadrantes tranſiêre. An quadrans horæ ultimus? Sed neque ejus quadrantis quidquam præſens eſt, niſi momentum unum; quod ipſum, dum deſigno, jam deſiit.

Hac ſententiâ Paullus commodiſſimè dicere VII. Morimur quotidie, & in momenta.
potuit, quod alii aliter explicant, 1. Corinth. 15. *quotidie morior*: non affectibus tantùm meis moriendo, aut periculis mortis me exponendo, ſed reipſa moriendo. Quotidie enim, imò & in horas ac momenta ſingula, aliquid vitæ meæ moritur. Quomodò autem, ſi cui membra minutatim deſecarentur, dici de illo poſſet, paullatim & per partes mori: ita cùm tempora mea perpetuo deſecentur, dicere poſſum ex vero, *quotidie morior.* Auguſtinus eâdem ſententiâ dixit ad plebem, ſerm. 23. de verbis Apoſt. *Quid non fugit penè antequàm capiatur, cùm ex ipſo hodierno die nulla poſſit vel hora retineri? Ita enim ſecunda excluditur à tertia, ſicut prima excluſa eſt à ſecunda. Ipſius horæ unius, quo videtur præſens, nihil eſt præſens: omnes enim partes ejus, & omnia momenta fugitiva ſunt.* Item in pſal. 38. *Tenes diem iſtum? Si tenuiſti heſternum, tenes & hodiernum. Da mihi vel horam tertiam, ipſam da mihi in qua es.... Cui committam hoc verbum, ut dicam, Eſt? Ad ſecundam hujus verbi literam non pervenis, niſi prima finita fuerit.*

Veriſſima

VIII. Vita flos, & tela aranea.

Veriſſima iſta ſunt quidem, ſed vulgi captui non ita forſan accommoda. Ducat itaque nos Pſalmiſta ad familiariores comparationes in hortum floridum: ubi anemonæ, tulipæ, ocelli, roſæ, & ſi qui ſunt alii flores, cultu, colore, odore grati, opes omnes ſuas ad Veris adventum expandêre. Quid tibi iſte adoleſcens videtur? Ocellus gratiſſimus. Quam putas delicatam iſtam virgunculam? Roſa eſt, anemona eſt, tulipa ex peregrino in noſtrum ſolum inſita eſt. Manè ergò ſicut herba tranſeat, manè floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat. Num. cap. 17. Aaronis ſacerdotium, non per Angelum, non oraculo, non ſortibus, quomodò fieri poterat, deſignatur, ſed per virgam effloreſcentem: *ut ſciret*, loquit Ambroſ. epiſt. ad Ecc. Vercell. *commiſſum ſibi florem poteſtatis* & nos intelligeremus humana omnia floris inſtar præterire, & quidem floris divini. Ex horto domum redeamus. En araneam ſcitiſſimè texentem, meritóque contendentem cum Pallade de artis & operis induſtria. Poſtquam ſtamen omne conſumpſit, adeſt ancillula, & fabricam univerſam incuſſis ſcopis momento deſtruit. Eumdem in modum *anni noſtri ſicut aranea meditabuntur:* noſtri inquam omnium, mei, & tui. Téne enim ex omnibus ſolum exceptum putes? Catarrhi, febres, peſtes tibi nata non ſunt, ut cæteris? Gratia tibi legum publicarum à Deo facta eſt? Mors non veniet tibi, & opera tua dejiciet? Non tibi denique, ut ad ſenium vivas, accidet quod monuit Auguſt. in pſal. 127. *Veniente pueritiâ, moritur infantia. Veniente adoleſcentiâ, moritur pueritia. Veniente juventute, moritur adoleſcentia. Veniente morte, moritur omnis ætas?*

IX. Nihil ad æternitatem.

Quid autem mortem ſequitur? Mirabilis illa, numquam moritura, ſemper cæptura æternitas. Quid tunc de vita tua, quantacumque fuerit, ſenties: cùm ante te extendentur ſæcula perpetuò naſcentia & fluentia, numquam effluxura & finem habitura: poſt te relicti erunt *ſeptuaginta anni, &, ſi in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor?* Opúſne fuerit, ad intelligentiam modici corruptibilis vitæ, monito Siracidis Eccl. 18. *Quid eſt homo, & quæ eſt gratia illius? Et quid eſt bonum, aut nequam illius? Numerus dierum hominum, ut multùm centum anni: quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt: & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die ævi.* Accedétne Sapienti Auguſtinus ſerm. 39. de verbis Domini: *Et longa hominis vita tantâ brevitate conſtringitur, ad illius ſæculi latitudinem, quaſi una gutta ad univerſum mare.* Accedétne Auguſtino Boëthius lib. 2. proſa 7. *Unius mora momenti ſi decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque ſpatium definitum eſt, minimam licèt, habet tamen aliquam proportionem. At hic ipſe numerus annorum, ejuſq. quantumlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem poteſt. Etenim finitis ad ſe invicem fuerit quædam: infiniti verò atque finiti nulla umquam poterit eſſe collatio.* Accedétne Boëthio Gregorius lib. 8. in Job. cap. 16. ad illa verba, *Nihil ſunt dies mei. Sancti viri ideò præſentis vitæ dies nihil eſſe conſpiciunt, quia illuminata mentis oculos in conſiderationem æternitatis figunt.*

X. Improbi non vident.

Jam quidem oculi amore præſentium clauſi iſtam veritatem non vident: ſed in illa luce conſtituti mirabuntur olim ſe fuiſſe tam cæcos, tantique feciſſe tantilla. Num. 13. exploratores Hebræi de ſeipſis, ad gigantes comparatis, dicunt, *quaſi locuſtæ videbamur;* qui nobis ante videbamur proceri, cùm aberat comparatio majorum, vel fiebat minorum collatio. Ita ſenium annorum ſeptuaginta longum videatur, metienti pueritiam annorum decem: ſed æternitatem ſpectanti, nihil eſt. Ruſticus poëticus, damnans ipſe inſulſam ſuam de urbe Romana opinionem, quam antea non viderat, æſtimabatque ex viſis: *Urbem*, inquit, *quam dicunt Romam Melibœe putavi, ſtultus ego, huic noſtræ ſimilem.* Eumdem ferè in modum, ſed longè infælicius, improbi poſtquam in urbem æternam devenerint, clamabunt, *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.*

XI. Spernenda temporalia.

Sed nos cives Sanctorum, ac domeſtici Dei, jam nunc prævideamus, quod ſerò ſentient inſenſati, & ex tam lucida veritate inferamus ſpernenda temporalia; nec bonis nimiùm lætari oportere, nec malis dolere, quia utique tranſitura ſunt: æternitatem immortalibus animis ſpectandam. Hoc etiam Ethnicus fecerit. Seneca epiſt. 58. *Corpora noſtra rapiuntur fluminum more: quidquid vides, currit cum tempore. Ego ipſe, dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt, quod ait Heraclitus: in idem flumen bis non deſcenditur. Manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt... Mittamus animum ad illa, quæ æterna ſunt.* Quid Senecam adduco Stoicorum lumen, qui de vita exiit ut de hoſpitio: cùm immoderatus gloriæ amator Cicero, ſpectatâ vitæ brevitate, & hemerobiis animalibus comparatâ, exclamet, *Contemnamus iſtas ineptias*, acclamationum, faſcium, triumphorum. O fortunate Chriſtiane, dum gaudes, honoraris, amaris, fælicitas tua tibi dicit, *Modicum, & non videbis me.* Si non ſapis, ſi in caduca mergeris, ſi propter illas animum & Deum negligis, cave ne infælicitas æterna tibi dicat, *Modicum, & videbis me.* Chriſtiane infortunate, morbus paupertas, orbitas tibi dicunt, *Modicum, & non videbis me.* Patienti, æterna valetudo, opes, ſocietas Sanctorum dicit, *Modicum, & videbis me.* Doctor idiotarum, qui Apoſtolos de rudibus feciſti ſapientiſſimos, fac benè concipiamus modicum vitæ, immenſumque æternitatis: ut hanc deſideremus, & gaudium noſtrum ſit plenum.

CAPUT UNDECIMUM.

ARGVMENTVM.

Ptolemæus Alexandri ſocer cum ingentibus copiis Syriam ingreditur: juſſu generi, nihil hoſtile ſuſpicantis, paſſim in urbibus excipitur: à Ionatha ſalutatur: cum Demetrio ſocietatem init, eiq́ filiam ſuam, ab Alexandro ademptam, dat in uxorem: Antiochiæ Regium Aſiæ diadema ſumit: Alexandrum cum copiis è Ciliciâ regreſſum fugat, & paullò poſt occiſi à Zabdiele Arabe caput accipit, ac tertio die moritur. Geminâ æmuli ac ſoceri morte vacuum Syriæ regnum Demetrius Nicanor adeptus, monetur à transfugis Iudæis, de obſeſſa per Ionathan arce Hieroſolymitana: eum ad ſe Ptolemaïdem evocat: cum muneribus venientem in honore habet, & poſtulata concedit, literisq́ Regiis firmat: cumq́ pacata omnia cerneret, ratus minimè neceſſarias ſibi tantas copias, militem omnem exauctorat, retento ſolum peregrino. Ea re alienati militum ac ſubditorum animi: & occaſionem turbandi nactus Tryphon, ad Emalchuelem Arabem abit; rogatum, ut ſibi Antiochum Alexandri filium, alumnum ſuum, tradat. Vrgebat interim Demetrium Ionathas, ut Hieroſolyma præſidio liberaretur: rogat viciſſim Ionathan Demetrius, ut ſibi auxilia ſubmittat adversùs tumultuantes Antiochenos; pollicitus plura ſe facturum, quàm peterentur. Mittit tria Iudæorum millia Ionathas, qui in rebellem Antiochenorum turbam tantâ cæde graſſati ſunt, ut ad centum circiter millia perierint. Ejus tamen beneficii immemor Demetrius promiſſis non ſtetit. Quare cùm Tryphon Antiochum tandem ab Emalchuele impetrâſſet; & Syriam ingreſſus, pupillum, cujus ſe tutorem ferebat, Regem ſalutâſſet, certatimq́ ad eum dimiſſus à Demetrio miles conflueret; ac denique, Nicanore profligato, Antiochiam cepiſſet: literis à Rege pupillo & præfecturis ſolicitati Ionathas & Simon, Demetrii partes deſeruêre. Ionathas, auctis Syrorum acceſſione copiis, Palæſtinam obit: Aſcalone excipitur: Gazam deditione capit: luſtrat regionem omnem Damaſcum uſque. Ibi audito Demetrii Duces Galilæam invaſiſſe, cum expeditis advolat: Simone in provincia relicto. Obſidet Bethſuram Simon, & longâ oppugnatione ad deditionem cogit: dum Ionathas interim primùm à Demetrii ducibus fermè per inſidias circumventus, ac deſertus à ſuis; deinde invocato Deo, ac redintegrato prælio, reſumptisq́ animis,

animis, victor, cæſis tribus hoſtium millibus, reliquis in caſtra compulſis, Hieroſolimam revertitur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET Rex Ægypti congregavit exercitum, ſicut arena quæ
eſt circa oram maris, & naves multas: & quærebat obti-
nere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno ſuo.
2. Et exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei civi-
tates, & occurrebant ei: quia mandaverat Alexander Rex
exire ei obviàm, eò quòd ſocer ſuus eſſet. 3. Cùm autem
introïret civitatem Ptolemæus, ponebat cuſtodias mili-
tum in ſingulis civitatibus. 4. Et ut appropiavit Azoto, oſtenderunt ei tem-
plum Dagon ſuccenſum igni, & Azotum & cætera ejus demolita, & corpora
projecta, & eorum qui cæſi erant in bello tumulos, quos fecerant ſecus viam.
5. Et narraverunt regi quia hæc fecit Ionathas, ut invidiam facerent ei: &
tacuit Rex. 6. Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, & invicem ſe
ſalutaverunt, & dormierunt illic. 7. Et abiit Ionathas cum Rege uſque ad flu-
vium, qui vocatur Eleutherus: & reverſus eſt in Ieruſalem. 8 Rex autem
Ptolemæus obtinuit dominium civitatum uſque Seleuciam maritimam, &
cogitabat in Alexandrum conſilia mala. 9. Et miſit legatos ad Demetrium,
dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam,
quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui. 10. Pœnitet enim me
quòd dederim illi filiam meam: quæſivit enim me occidere. 11. Et vitupe-
ravit eum, propterea quòd concupierat regnum ejus. 12. Et abſtulit
filiam ſuam, & dedit eam Demetrio, & alienavit ſe ab Alexandro, & mani-
feſtatæ ſunt inimicitiæ ejus. 13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, & im-
poſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ. 14. Alexander autem Rex
erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis. 15. Et
audivit Alexander, & venit ad eum in bellum: & produxit Ptolemæus Rex
exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugavit eum. 16. Et fugit Alexan-
der in Arabiam, ut ibi protegeretur: Rex autem Ptolemæus exaltatus eſt.
17. Et abſtulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & miſit Ptolemæo. 18. Et Rex
Ptolemæus mortuus eſt in die tertia: & qui erant in munitionibus, perierunt
ab his qui erant intra caſtra. 19. Et regnavit Demetrius anno centeſimo
ſexageſimo ſeptimo. 20. In diebus illis congregavit Ionathas eos qui erant
in Iudæa, ut expugnarent arcem, quæ eſt in Ieruſalem: & fecerunt contra eam
machinas multas 21. Et abierunt quidam qui oderant gentem ſuam viri
iniqui ad Regem Demetrium, & renuntiaverunt ei quòd Ionathas obſideret
arcem. 22. Et ut audivit, iratus eſt: & ſtatim venit ad Ptolemaïdam, & ſcri-
pſit Ionathæ ne obſideret arcem, ſed occurreret ſibi ad colloquium feſtinatò.
23. Ut audivit autem Ionathas, juſſit obſidere: & elegit de ſenioribus Iſraël,
& de ſacerdotibus, & dedit ſe periculo. 24. Et accepit aurum, & argentum,
& veſtem, & alia xenia multa, & abiit ad Regem Ptolemaïdam, & invenit
gratiam in conſpectu ejus. 25. Et interpellabant adverſus eum quidam ini-
qui ex gente ſua. 26. Et fecit ei Rex, ſicut fecerant ei qui ante eum fuerant: &
exaltavit eum in conſpectu omnium amicorum ſuorum, 27. & ſtatuit ei
principatum ſacerdotii, & quæcumque alia habuit priùs pretioſa, & fecit eum
principem amicorum. 28. Et poſtulavit Ionathas à Rege, ut immunem faceret

Iudæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines ejus: & promiſit ei talenta
trecenta. 29. Et conſenſit Rex: & ſcripſit Ionathæ epiſtolas de his omnibus, hunc
modum continentes: 30. REX Demetrius fratri Ionathæ ſalutem, & genti Iudæo-
rum. 31. Exemplum epiſtolæ, quam ſcripſimus Laſtheni parenti noſtro de vobis,
miſimus ad vos ut ſcitetis: 32. Rex Demetrius Laſtheni parenti ſalutem. 33. Genti
Iudæorum, amicis noſtris, & conſervantibus quæ juſta ſunt apud nos, decrevimus
benefacere, propter benignitatem ipſorum, quam erga nos habent. 34. Statuimus
ergo illis omnes fines Iudææ, & tres civitates, Lydam, & Ramatham, quæ additæ
ſunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum, ſequeſtrari omnibus ſacrifican-
tibus in Ieroſolymis, pro his quæ ab eis priùs accipiebat Rex per ſingulos annos, &
pro fructibus terræ & pomorum. 35. Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum
& tributorum, ex hoc tempote remittimus eis: & areas ſalinarum, & coronas quæ
nobis deferebantur, 36. omnia ipſis concedimus: & nihil horum irritum erit ex
hoc, & in omne tempus. 37. Nunc ergo cutate facere horum exemplum, & detur
Ionathæ, & ponantur in monte ſancto, in loco celebri. 38. Et videns Demetrius
Rex quòd ſiluit terra in conſpectu ſuo, & nihil ei reſiſtit, dimiſit totum exercitum
ſuum, unumquemque in locum ſuum, excepto peregrino exercitu, quem con-
traxit ab inſulis Gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus.
39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri priùs: & vidit quoniam om-
nis exercitus murmurabat contra Demetrium, & ivit ad Emalchuel Arabem, qui
nutriebat Antiochum filium Alexandri: 40. & aſſidebat ei, ut traderet eum ipſi,
ut regnaret loco patris ſui: & enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias
exercituum ejus adverſus illum. Et manſit ibi diebus multis. 41 Et miſit Ionathas
ad Demetrium Regem, ut ejiceret eos, qui in arce erant in Ieruſalem, & qui in
præſidiis erant: quia impugnabant Iſraël. 42. Et miſit Demetrius ad Ionathan, di-
cens: Non hæc tantùm faciam tibi, & genti tuæ: ſed gloria illuſtrabo te, & gentem
tuam, cùm fuerit opportunum. 43. Nunc ergo rectè feceris, ſi miſeris in auxilium
mihi viros: quia diſceſſit omnis exercitus meus. 44 Et miſit ei Ionathas tria millia
virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad Regem, & delectatus eſt Rex in ad-
ventu eorum. 45. Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia viro-
rum, & volebant interficere Regem. 46 Et fugit Rex in aulam: & occupaverunt
qui erant de civitate, itinera civitatis, & cœperunt pugnare. 47. Et vocavit rex Iu-
dæos in auxilium, & convenerunt omnes ſimul ad eum, & diſperſi ſunt omnes per
civitatem: 48. & occiderunt in illa die centum millia hominum, ſuccenderunt
civitatem, & ceperunt ſpolia multa in die illa, & liberaverunt Regem. 49 Et vide-
runt qui erant de civitate, quòd obtinuiſſent Iudæi civitatem ſicut volebant: & in-
firmati ſunt mente ſua, & clamaverunt ad Regem cum precibus, dicentes: 50 Da
nobis dextras, & ceſſent Iudæi oppugnare nos & civitatem. 51 Et projecerunt ar-
ma ſua, & fecerunt pacem, & glorificati ſunt Iudæi in conſpectu Regis, & in con-
ſpectu omnium qui erant in regno ejus, & nominati ſunt in regno: & regreſſi ſunt
in Ieruſalem habentes ſpolia multa. 52 Et ſedit Demetrius Rex in ſede regni ſui:
& ſiluit terra in conſpectu ejus. 53. Et mentitus eſt omnia quæcumque dixit, &
abalienavit ſe à Ionatha, & non retribuit ei ſecundùm beneficia quæ ſibi tribuerat,
& vexabat eum valdè. 54. Poſt hæc autem reverſus eſt Tryphon, & Antiochus
cum eo puer adoleſcens, & regnavit, & impoſuit ſibi diadema. 55. Et congregati
ſunt ad eum omnes exercitus, quos diſperſerat Demetrius, & pugnaverunt
contra eum: & fugit, & terga vertit. 56. Et accepit Tryphon beſtias, & obti-
nuit Antiochiam: 57. & ſcripſit Antiochus adoleſcens Ionathæ, dicens:
Conſtituo tibi ſacerdotium, & conſtituo te ſuper quatuor civitates, ut
ſis de amicis Regis. 58. Et miſit illi vaſa aurea in miniſterium, & dedit ei

poteſtatem

poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream:
59. & Simonem fratrem ejus conſtituit ducem à terminis Tyri uſque ad fines
Ægypti. 60. Et exiit Ionathas, & perambulabat trans flumen civitates: &
congregatus eſt ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Aſcalo-
nem, & occurrerunt ei honorificè de civitate. 61. Et abiit inde Gazam: &
concluſerunt ſe qui erant Gazæ: & obſedit eam, & ſuccendit quæ erant
in circuitu civitatis, & prædatus eſt ea. 62. Et rogaverunt Gazenſes Ionathan,
& dedit illis dexteram: & accepit filios eorum obſides, & miſit illos in Ieru-
ſalem: & perambulavit regionem uſque Damaſcum. 63. Et audivit Ionathas
quòd prævaricati ſunt principes Demetrii in Cades, quæ eſt in Galilæa, cum
exercitu multo, volentes eum removere à negotio regni: 64. & occurrit illis:
fratrem autem ſuum Simonem reliquit intra provinciam. 65. Et applicuit
Simon ad Bethſuram, & expugnabat eam diebus multis, & concluſit eos.
66. Et poſtulaverunt ab eo dextras accipere, & dedit illis: & ejecit eos inde,
& cepit civitatem, & poſuit in ea præſidium. 67. Et Ionathas & caſtra ejus
applicuerunt ad aquam Geneſar, & ante lucem vigilaverunt in campo Aſor.
68. & ecce caſtra alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei in-
ſidias in montibus: ipſe autem occurrit ex adverſo. 69. Inſidiæ verò exurrexe-
runt de locis ſuis, & commiſerunt prælium. 70. Et fugerunt qui erant ex par-
te Ionathæ omnes, & nemo relictus eſt ex eis, niſi Mathathias filius Abſolo-
mi, & Iudas filius Calphi, princeps militiæ exercitûs. 71. Et ſcidit Ionathas
veſtimenta ſua, & poſuit terram in capite ſuo, & oravit. 72. Et reverſus eſt
Ionathas ad eos in prælium, & convertit eos in fugam, & pugnaverunt.
73. Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reverſi ſunt ad eum, & inſeque-
bantur cum eo omnes uſque Cades ad caſtra ſua, & pervenerunt uſque illuc.
74. Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: & reverſus eſt
Ionathas in Ieruſalem.

COMMENTARIUS AD CAPUT UNDECIMUM.

Ambitio fas omne & jura naturæ peſſumdat.

℣. 1. 2. ET REX ÆGYPTI, Ptolemæus Philometor; non autem Evergetes, ſeu Phiſcon ejus frater, ut cenſuit Rabanus: CONGREGAVIT EXERCITUM SICUT ARENAM, id eſt numeroſum phraſi Hebraïca: ET QUÆREBAT OBTINERE REGNUM ALEXANDRI DOLO, ET ADDERE ILLUD REGNO SUO. Vides ambitione inſatiabili ſocerum adversùs generum armari: adeò nihil cupiditati ſanctum eſt. Eò autem magis inhiabat regno Syriæ Philometor, quòd Ægypto vix dimidia potiretur: adjudicatâ per Romanos alterâ regni parte Phiſconi fratri nato minori. Eo igitur veram cauſſam ſuſceptæ à Ptolemæo expeditionis: eam tamen altè premebat, ET EXIIT IN SYRIAM VERBIS PACIFICIS, quaſi amicus veniret, & per ſpeciem ſuppetias genero ferendi. Quare Alexander dolum in ſocero non auſus ſuſpicari, præmonitusque de ejus itinere, juſſit ei *obviàm* prodiri, & ſubminiſtrari omnia neceſſaria, quacumque iter faceret.

℣. 3. CÙM AUTEM INTROIRET CIVITATEM PTOLEMÆUS, PONEBAT CUSTODIAS MILIT. &c. Cùm paſſim in Palæſtina juſſu Alexandri Ptolemæus, ut Regis ſocer, admitteretur, præſidia in illis ſua collocabat. In Græcis Regiis ſic legitur: *Vt verò ingrediebatur in civitatem Ptolemaidu, ponebat*, &c. quaſi tunc ſolùm præſidia ſua in urbibus conſtituere cœperit, quando Ptolemaidem venit. Sed mendoſam eſſe hanc lectionem, & pro *Ptolemaidis* reponendum *Ptolemæus* patet primùm ex ſequentibus, ubi de Azoto agitur, quæ urbs multò antè Ptolemæo ex Ægypto venienti occurrit, quàm Ptolemais: deinde ex re ipſa, cùm credibile non ſit, Jamniam, Joppen, aliasque civitates maritimas à Ptolemæo, regnum generi invadere cogitante, ſine ſuo præſidio relictas, donec Ptolemaidam veniret.

Azotiorum querelæ cōtra Jonathan rejectæ à Ptolemæo.

℣. 4. 5. ET UT APPROPIAVIT AZOTO, cives UT INVIDIAM FACERENT Jonathæ *εἰς τὸ ψογῆσαι*, *ad reprehendendum* ſeu *criminandum*, oſtenderunt reliquias templi Dagon, corpora quædam inſepulta, aliorum *tumulos, qui cæſi erant in bello*, Græcè pro *cæſi*, habetur *combuſti*. Notatur verò tumulos fuiſſe *ſecus viam*, Græcè additur *illius*, id eſt, qua Regi Ægyptio progrediendum erat. At ille odioſas Azotiorum querimonias, vel contempſit penitùs, vel diſſimulanter accepit: ne ſi Jonathan Alexandri amicum impeteret, inde conſilia ſua paterent, aut moram invenirent: alterutrum ſignificatur iis verbis, *& tacuit Rex*.

Ptolemæus Judæorum fautor.

Iſtud potiùs crediderim, rejectas ſcilicet omnino criminationes Azotiorum à Philometore: quem erga Judæos benè animatum fuiſſe conſtat, ex cauſſa Judæis, coram ipſo contra Samaritanos de templo Hieroſolymitano & Garizitano contendentibus, adjudicata, apud Joſ. lib. 13. cap. 6. Item ex poteſtate facta Oniæ, templum ſub hæc ipſa tempora vero Deo in Ægypto exſtruendi, ut ibidem narrat Joſephus. Quamquam hanc Onii Ægyptii exſtructionem ad alia tempora refert Salianus: ſed Serarius Joſephum ſequitur. Verùm iſta minutiùs diſputare, noſtri inſtituti non eſt.

Jonathas quatenus cum Ptolemæo profectus.

℣. 6. 7. Et occurrit Jonathas Regi, Ptolemæo, in Joppen cum gloria, id eſt, ſplendido comitatu, quomodò ſuprà cap. 10. v. 60. Poſtquam *invicem ſe ſalutaverunt, & dormierunt illic*, quibus verbis unicam noctem Joppæ fuiſſe indicatur: *cum Rege*, per urbes maritimas ad commeatus faciliores navibus, quas inſtrui juſſerat multas, ℣. 1. accipiendos progrediente, *abiit Ionathas uſque ad flumen, qui vocatur Eleutherus: & reverſus eſt Ieruſalem.* Non eſt dubitandum, quin Jonathas, ſagacis ingenii vir, conſilia Ægyptii Regis odoratus ſit, vel ex iſta præſidiorum in urbibus mutatione. Hinc quamprimùm honeſtè potest ex illius comitatu ſe expedit; tum ne adverſùs amicum Regem aliquid tentare cogatur; tum ut Judaicæ rei per eos, quos prævidebat, totius Syriæ motus maturè proſpiciat.

Eleutherus fluvius.

Erat autem honeſtiſſima à Ptolemæo diſcedendi cauſſa, cùm venit ad flumen Eleutherum. Id flumen Adrichomius ex Antilibano monte, quem ipſe Libanum more Scripturæ vocat, naſci arbitratur, miſcerique mari Mediterraneo inter Sidonem & Tyrum. Sed oſtium ejus conſtat ex Joſepho ultra Sidonem eſſe; imò & ultra Tripolin, ex Ptolemæo Geographorum principe. De fontibus Ptolemæus non meminit. Eos quidam in Libano, non autem in Antilibano ſtatuunt. Bonfrerius amplectitur Adrichomii ſententiam, quod ad fontes attinet. Quid ſi dicamus, Abanam & Pharpharem fluvios Damaſci in id flumen exonerari, cùm alibi meliùs non poſſe videantur? Utcumque ſit, conſtat Eleutherum propè limites Principatûs, Jonathæ ab Alexandro attributi, fluxiſſe. Cùm ergo Regem amicum, honoris gratiâ, ad fines uſque ſuos perpetuò proſecutus eſſet, potuit inde cum ejus bona venia ad ſua ſeſe recipere.

Quatenus utendum familiaritate magnatum?

Diſce hinc obiter qua prudentia, & quatenus, cum magnatibus ambitioſis, callidis, captatoribus verſandum ſit: ſic ut *eis applicerіs, non implicerіs*, quomodò monebat Seneca, epiſt. 105. & te ipſorum negotiis non illiges, nec tranſeas flumen Eleutherum, quod liberum ſonat. Id eſt, non tanti facias familiaritatem magnatum quorumvis, ut tranſabeas libertatem, & ſic voluntatem tuam illis aſtringas, ut facere quidquam cogaris præter honeſtum ac decorum. Hæc eſt vera libertas filiorum Dei, quam ſe nullius hominis gratia amiſſurum profitebatur Paullus, 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.* Quod de libertate philoſophica, poſt Socratis & Catonis laudes, eleganter dixit Seneca epiſt. 104. hoc Chriſtianæ convenientiſſimè aptâris: *Non poteſt gratis conſtare libertas. Hanc ſi magno æſtimas, omnia parvo æſtimanda ſunt.*

Conſiliarii viles, & obnoxii.

Quantum hic argumentum deplorandæ miſeræ eorum captivitatis, qui in aulis Principum à conſiliis cùm ſint, imò & à confeſſionibus, obligatas tamen linguas habent, & diſplicendi metu vix liberam ullam vocem mittere audent. Prorſùs ut ſæpè auditi ſint viri Principes, imò fœminæ, in his Ferdinandus Caſtellæ Rex ejuſque uxor, dicere, ea ſibi ſemper conſilia dari à Conſilio ſuo, etiam quod conſcientiæ vocant, quæ velle ſe ſignificarent. En Ægyptio Regi obligatos aſſeclas: en fluminis Eleutheri & ſanæ libertatis oblitos: en numquam aut ſerò Hieroſolymam reverſuros ad viſionem pacis. Quæ enim illis ſpes pacis, qui conſcientiam ſuam, non liberè Dei gratiæ, ſed ſerviliter gratiæ hominis addixêre?

Quanti ſit imperium maris?

℣. 8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum, Græcè additur τῆς παραλίας, *regionis maritimæ.* Navibus mare tenebat, gnarus nihil maris imperio opportunius eſſe ad regna quærenda: tum quia negotiationis fructus, opeſque potiſſimæ, per mare invehuntur: tum quia copiis, commeatibuſque bellicis deportandis, navigatio commodiſſima eſt. Eumdem in finem, de urbibus in continente poſitis parum ſolicitus, maritimas omnes tenuit, ab Ægypto *uſque Seleuciam maritimam*, id eſt, quæ ad litus maris Mediterranei ſita eſt, propè Orontis fluvii oſtium, non longè ab Antiochia.

Quæ Seleucia maritima?

Dicta hæc à quibuſdam Seleucia Pieria, ut diſtinguatur ab aliis cognominibus urbibus. Appianus enim ait, Seleucum Nicanorem Aſiatici regni conditorem, ſedecim urbes à ſe exſtructas de Antiochi patris nomine dixiſſe Antiochias, Laodiceas quinque à matre, Seleucias novem à ſe, tres ab uxore una Apameas, ab alia unam Stratoniceam. De Seleuciis novem, clariores ait idem Appianus exſtare duas, unam ad mare, alteram ad Tigrin fluvium. De illa hic loquitur Scriptura. Ptolemæus, cùm tot & tanti momenti urbes præſidiis occupâſſet, dominumque maris Syriaci ſe videret, larvam cœpit deponere, *& cogitabat in Alexandrum conſilia mala*: antè quidem etiam cogitârat, ut patet ex verſu primo, ſed jam ea apertè prodit, quo ſequitur modo.

Ptolemæi fœdus cum Demetrio.

℣. 9. 10. 11. 12. Et misit Ptolemæus legatos ad Demetrium de fœdere, etiam nuptiali, cum eo ineundo, abſtractâ filiâ ſuâ ab Alexandro, & illi traditâ. At, inquis, ſi Ptolemæus Aſiæ regno inhiabat, ut ex verſ. 13. patebit, quorſum iniit fœdus cum Demetrio? Primùm, ne duos ſimul adverſarios ſibi crearet: deinde, ne ſi utrumque de regno deturbatum ſe venire præſeferret, præproperè Antiochenſes, Syroſque paſſim omnes, Seleucidarum generi valdè affectos, & externorum dominorum impatientes abalienaret.

Honeſta ſpecies ambitioni prætexitur.

Prætexit item in legatione ad Demetrium honeſtam ſpeciem ſuæ ab Alexandro diſſenſionis; adeò etiam cupidos & ſuperbos ſuæ ambitionis pudet, ut eam apertè fateri erubeſcant: *quæſivit enim*, inquit, *me occidere.* Sed larvam detrahit Scriptura, cùm ſubdit: *Et vituperavit* Ptolemæus *eum* Alexandrum, *propterea quòd concupierat regnum ejus.* En veram cauſſam: alia prætendebatur: neque enim lupo unquam deerit cauſſa, vel vera, vel ficta, ſæviendi. Joſephus tamen ſcribit Ptolemæum, ubi Ptolemaidam venit, parum abfuiſſe, quin occideretur per Ammonium; quem ab Alexandro ſubmiſſum fuiſſe intellexit, quia Alexander eum ad necem dedere noluit: inde odia Regum in apertum erupiſſe. Joſepho aſtipulatur epit. 50. Livii, ubi dicitur, Ammonius quidam per id tempus, Rege Syriæ in ganeo & luſtris jacente, omnia adminiſtrâſſe. Nec diſſentit Scriptura, quæ licèt veram ac primam appetiti à Ptolemæo Syriæ regni cauſſam notet, ambitionem, non tamen negat aliam intercurrere potuiſſe.

℣. 13. Et

Car Ægyptus Aſiæ præpoſita?

℣. 13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, reſiſtente nemine. Aberat enim Alexander eo tempore, avocatus motu Cilicum: Antiochenſes autem cives ab eo erant abalienati, & in Demetrium apertè inclinabant, ut diximus capite ſuperiore. *Et impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ;* Græcus textus præponit Aſiam Ægypto. Et verò Aſiaticum regnum longè potentius fuit & illuſtrius, quàm Ægyptium; adeóque, ſi id ſpectetur, præponendum eſt. Retinendus tamen eſt ordo in Vulgata noſtra poſitus. Solent enim Reges, qui alieni regni quantumvis nobilioris titulum aut jus vel invadunt, vel appetunt, ſui tamen prioris regni titulum præponere, quaſi proprium adventitio: quod nuper in Regibus Angliæ videre erat, qui Angliam Galliæ præponebant, etſi hujus regnum & antiquius ſit & illuſtrius.

Fruſtra à Joſepho excuſata Ptolemæi ambitio.

Major videtur difficultas in eo, quòd Ptolemæus verſu nono promiſerit Demetrio, fore ut regnaret *in domo patris ſui:* jam autem ipſe regnum Demetrio promiſſum invadat. Joſephus ait Ptolemæum diadema Aſiæ aſſumere coactum ab exercitu, & Antiochenſibus civibus, à Demetrio ob patris odioſam memoriam averſis; neque id alio fine ab ipſo acceptum, quàm ut compoſitis Antiochenorum animis, ſecuriùs ac certiùs Demetrio huic traderet. Addit, ad narrationem fulciendam: Ptolemæum illum fuiſſe mitis ingenii; adeóque abhorruiſſe ab alieno regno invadendo: præterquam quòd nollet Romanis fieri invidioſus nimiâ potentiâ. Sed quidquid componat Joſephus; conſtat tamen ex Scripturâ hîc verſu primo, & iterum verſu undecimo, Ptolemæum, cupiditate Aſiatici diadematis impulſum, hanc omnem expeditionem ſuſcepiſſe.

Alexander victus, & occiſus.

℣. 14. uſque ad 20. Alexander autem Rex erat in Cilicia, &c. Alexander, qui ab initio expeditionis iſtius nihil hoſtile à ſocero veritus, imò ratus, tum ejus auxilio, tum Jonathæ curâ ſatis Syriæ cautum, ad Cilicum motus comprimendos longè ab Antiochia receſſerat: ubi *audivit* ſocietatem Ptolemæi cum Demetrio, ſumptumque ab illo Aſiæ diadema, *venit ad eum in bellum.* Contra *produxit Ptolemæus Rex exercitum:* commiſſo prælio, fugatus Alexander in Arabiam ſe recepit, ibi à *Zabdiele*, ſeu, ut Joſephus vocat, Zabelo Arabe occiſus, caputque Ptolemæo miſſum. Indubiè id factum ad captandam Ptolemæi gratiam: forſan & pretio redemptus ſicarius. Diodorus Siculus l. 32. videtur innuere à duobus ducibus, qui cum eo de prælio effugerant, interemptum in Demetrii gratiam: quod cum Scriptura non pugnabit, ſi dicas Zabdielem Arabem alterum è duobus fuiſſe. Omninò enim credendum eſt, Arabas militâſſe in exercitu Alexandri, ejuſque ſocios fuiſſe: cùm etiam filium ſuum apud Emalchuelem Arabem depoſuerit, ut poſtmodùm videbimus.

Ambitionis exitus infælix in Ptolemæi morte properata.

Quod Scriptura dicit *exaltatum Ptolemæum*, in eo nobis, quomodò & in Alexandro Bala, & omnibus fermè Regibus Seleucidis, proponitur inſigne exemplum juſtitiæ divinæ ſimul, & vanitatis rerum humanarum. Sumpto enim Aſiæ diademate, victoriâ de Alexandro reportatâ exaltatus, *tertiâ*, quàm generi caput reciſum ſpectavit, *die* emoritur. Vides impium exaltatum ſicut cedros Libani? Vides exſtirpatum in ipſo exaltationis tempore? Alexandrum injuſtè ad eripiendum Demetrio Soteri ſceptrum adjuvit. Eumdem ſocium priùs, nunc generum, proditoriè deſeruit. Tranſlatâ per nefas à thalamo alio in alium filia, affinitatis ſummæ jura peſſumdedit. Duplicato ſcelere utriuſque generi regnum invaſit: quaſi non alio fine duplicem affinitatem nexuiſſet, quàm ut ſceleratiùs injuſtus foret. Denique morte prioris generi, & pluſquam gladiatorio tam conjuncti capitis ſpectaculo fruitus eſt. Per tot ſcelera vix tridui gaudium émit. En fructum injuſtitiæ.

An ex vulnere mortuus?

Cauſſam mortis Joſephus ait fuiſſe, vulnus ab eo in capite acceptum; cùm in prælio contra Alexandrum equus eum, barritu elephanti conſternatus, excuſſiſſet. Strabo item ait ex vulnere obiiſſe. Livii epitome 52. ait, Ptolemæum in caput graviter vulneratum, inter curationem, dum oſſa medici terebrare contendunt, exſpirâſſe. Stetit igitur in acie, & inter tela verſatus eſt, quantumvis ſegnis, luxuriâ marcidus, & ſaginâ onuſtus fuerit, qualem pingit Juſtinus lib. 34.

Crudelitas Ptolemæi.

Joſephus qui eum ante mitis ingenii dixerat, meliùs ſegnem & luxurioſum cum Juſtino dicturus? jam ſui oblitus, crudelem facit. Ait enim, accepto Alexandri capite, oculos & animum grato ſpectaculo paviſſe, & denique ex inimici interitu gaudio exſaturatum, obiiſſe. Heus bone, ſi mitis Ptolemæus, quomodò tam crudelis, ut in generi quantumvis inimici funere contineat lacrymas? Non jam manſuetum Davidem morti ſoceri illacrymantem adduco: aſpice Cæſarem Pompeio lacrymas exſolventem, Alexandrum Magnum Dario. Tu poſt iſta ferocium bellatorum exempla mitem prædicabis, qui generi cruentum caput, non ſiccis modò, ſed & ridentibus oculis, revocatâ ad hoc ſpectaculum ab ipſis mortis faucibus animâ, contemplatus ſit? Qui mortem ſibi fælicem, alienâ, imò pluſquam cognatâ morte putaverit?

Crudelitas juncta luxuriæ.

Ptolemæum itaque non modò mitem non fuiſſe credo, ſed etiam crudelem: vel ex eo quòd Juſtinus ait, quia ſegnis & luxurioſus erat. Nihil enim inertibus & libidini deditis crudelius: magnanimorum iræ intra victoriam ſe continent; illi ultra victoriam ſæviunt. Elephanti & leones, virium ſuarum fiduciâ, ſtratum hoſtem vix tangunt: abjectiora animalia hoſtem victum lacerant. Id genus fuit Fulviæ animus, cùm ad eam M. Antonii juſſu Ciceronis caput delatum eſt: idem genus Philometor noſter, cùm à Zabdiele Arabe Alexandri caput accepit. Luxurioſi & crudelis hominis aliud exemplum habebis cap. ſeq. verſ. 39. in Tryphone. Aliud indicavimus in Alexandri matre ad cap. 1. verſ. 1.

Plexi ambitionis miniſtri.

Quod in altera parte verſûs 18. dicitur: *Et illi qui erant in munitionibus perierunt ab his, qui erant intra caſtra*, difficilem habet intelligentiam: juvatur tamen Græco textu Regio, ſic ad verbum expreſſo: *qui erant in munitionibus ejus, perierunt ab his, qui erant in munitionibus.* Iſtud αὐτοῦ *ejus*, quod Sixtina Græca omiſêre, indubiè referendum eſt ad eum, de quo præceſſit, Ptolemæum. Perierunt igitur, qui erant in munitionibus Ptolemæi, ab his qui erant intra caſtra ſeu munitiones, non Alexandri fugati jam & mortui, ſed Demetrii Nicanoris. Ptolemæo mortuo, Syro-Macedones exercitum Ægyptiorum, cujus ope Ptolemæus Aſiaticum regnum invaſerat, aggrediuntur, eoſque cædunt, ut Demetrio diadema aſſerant. Ita non Ptolemæo ſoli morte feſtinatâ redditur injuſtitiæ merces; ſed etiam militi ejus, ſcelerum adminiſtro. Denique æmulo ſublato, ſocero mortuo, milite ejus cæſo aut diſſipato, *regnavit Demetrius.* Antè quidem Rex dictus fuerat, anno centeſimo ſexageſimo quinto, ut habetur cap. ſuper. verſ. 67.

Nunc tamen dicitur regnare ſolus, & pacatus, anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo.

Anni regni Alexandri.

Alexandri Velis regnum in ſerie Regum definivimus annis quinque: placuit idem numerus Joſepho & Sulpitio; nec longè abeſt à vero, ſi à fugato Demetrio Sotere numeres illius annos ad mortem uſque; aut ſi regnum ejus definias ab ejus Ptolemaidam ingreſſu, uſque ad reditum Demetrii Nicanoris è Creta.

Jonathas arcem obſidet, & adit ad Demetrium.

℣. 20. uſqoe ad 28. Et congregavit Jonathas eos, qui erant in Judæa, ut expugnarent arcem, &c. Jonathas obſidionem arcis aggreditur. Perfidi Judæi id Demetrio nuntiant, qui Ptolemaidam ſtatim progreſſus ad ſe evocat Jonathan. Hic, juſſis oihilominus ſuis obſidionem cootinuare, abit fidenter cum præcipuis Judæorum ad Demetrium; eumque muneribus, quomodò nuper Alexandrum & Ptolemæum, conciliat, & nequidquam contrà conantibus apoſtatis, confirmatur ei Sacerdotium, & prærogativæ ab aliis Regibus conceſſæ, fitque *princeps amicorum:* Græcè dicitur, *primorum amicorum princeps factus.* Unde habes, quo coofirmes quod cap. ſup. diximus ad verſum 65.

An Jonathas continaverit obſidionem arcis, & quamdiu?

Difficultatem facit quod habetur verſu 23. *Ut audivit Ionathas, juſſit obſidere.* Verſu 22. *Scripſit Demetrius* Jonathæ, *ne obſideret arcem:* ipſe non obedit, nec tamen ad eum adire deſinit: quo pacto iſta conſequentia ſunt, non obedire Regis mandato, ei tamen ſe committere, imò & gratiam inire? Serarius nodum iſtum vidit, & illi ſolvendo, quæ dici poſſent, propoſuit. Primùm, excidiſſe ex utroque textu in ℣23. particulâ negativam, ſupplendamque ex ℣. 22. & legendum *Jonathas juſſit non obſidere.* Deinde dicit, forſan juſſam à Jonatha arcem obſideri arctiùs, ut caperetur, ſi fieri poſſet, antequam ad Regem proficiſceretur; aut ne iret quidem ad Regem, ſi arx caperetur. Cum autem iſte conatus non ſucceſſiſſet, dediſſe ſe periculo. Priorem ſolutionem video Lirano placuiſſe, qui & ait in quibuſdam libris haberi, *juſſit non obſidere.* Poſterior probatur Saliano, eamque & ego amplector, eò lubentiùs, quòd Joſephus cum vulgata lectione noſtra conſentit; atque poſt acceptum Demetrii mandatum, Jonathan oihilominus ſuos in obſidione perſiſtere voluiſſe. Seu id fecerit, quòd ſperaret in poteſtate fore, antequam ad Regem abſcederet. Seu confideret, ſe literis à Demetrio Sotere Nicanoris patre ea de re ſuprà cap. 10. v. 32. acceptis, aliiſque rationibus, & auctoritate Primorum è Judæis, quos eo fine ſecum duxiſſe videtur, ac potiſſimùm efficaci munerum facundiâ perſuaſurum Regi; non è re ſolum Judaica, ſed etiam Aſiatici regni fore, ſi arx Hieroſolymitana Judæis dederetur. Id tamen conſilium Jonathæ noo ſucceſſiſſe, ſed deſitam poſtmodùm obſidionem, patet ex ſequentibus: cùm nulla de dedita arce mentio fiat, eáque demum poſt Jonathæ mortem, Simone Principe, capta ſit.

Quæ tres civitates ad Judæam adjectæ?

℣. 28. uſque ad 38. Et postulavit Jonathas a Rege, ut immunem faceret Judæam, &c. Petit Jonathas, promiſſis trecentis talentis, immunitatem à Rege, eámque impetrat, datis ea de re literis. Immunitas autem illa petitur *pro tribus toparchiis,* & pro *Samaria.* Unde colligitur tres illas toparchias à Samaria diverſas eſſe: niſi dicamus cùm in textu dicitur, *tres toparchias & Samariam,* perinde eſſe ac ſi diceretur, tres toparchias, quarum prima eſt Samaria & fines ejus. Videtur tamen ex epiſtolâ, quam Demetrius *ſcripſit Ionathæ,* id eſt ſcriptam dedit, verſu 34. in tribus toparchiis non intelligi Samaria, ſed *tres civitates,* ſeu νόμοι, quæ ibi *additæ* dicuntur *Iudææ ex Samaria,* id eſt Samaritidi detractæ, ut adderentur Judææ.

Aphærema quid ſit? Ubi Lyda, & Ramatha?

At quæ *tres* iſtæ *civitates:* cùm textus noſter duas omnino nominet *Lydam & Ramatham?* Ex textu Græco lux affertur Vulgatæ noſtræ, ut benè advertit Serarius, & expreſſiùs Salianus. In illo enim disertè habetur, *Aphærema, & Lydam, & Rhamathem.* Joſephus etiam agnoſcit Aphærema præfecturam fuiſſe. Bonfrerius in Onomaſtico non meminit. Ab Adrichomio collocatur propè *Lydam* ſeu Dioſpolin: quæ apud eumdem paullò plus horis duabus à mari ſejungitur, & cum Joppe ac Jamnia conſtituit inſtar trianguli æquilateri. Sed nos quia, ex Hagiographi indubitata deſcriptione, Jamniam Hieroſolymæ viciniorem ponere debuimus: Lydam etiam propiùs mari admovimus, & Joppe fermè ac Jamniæ mediam locavimus. *Ramatha,* in Græcis Regiis malè Rathamis dicta, fuit patria Samuëlis ſupra Lydam, io monte Ephraim.

Quid ſi ſequeſtrari?

At quid eodem verſ. 34. ſignificat vox iſta *ſequeſtrari,* quæ nuſquam habetur in Græco? Videtur dicendum, è margine in textum irrepſiſſe: aut poſita, ut ſuſpicatur Nobilius, pro Aphærema, quod *ſegregatum, ablatúmve* ſignificat, ex Græco. Quamquam ſi retinenda eſt, etiam conſtabit ſenſus hoc modo: *Statuimus Iudææ & omnibus ſacrificantibus in Ieroſolymis ſequeſtrari,* id eſt immunes eſſe *pro his,* id eſt, ab his, Græcè additur *regalibus,* ſupple tributis, *quæ accipiebat Rex per ſingulos annos; & pro,* id eſt à, *fructibus terræ, & pomorum,* ſeu, ut Græcè eſt, fructibus arborum: *omnes fines Iudææ, & tres civitates Lydam, & Ramatham,* adde *& Aphærema, quæ additæ ſunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum.*

Samaria an immunis?

Unde colligo immunitatem à Demetrio ſoli Judææ propriè dictæ conceſſam, & tribus illis civitatibus. Samaritidi autem toti immunitatem donatam, quidquid cenſeat Joſephus, non tamen apparet ex hoc verſu: imò potiùs contrarium. Immunitas enim conceditur nominatim tribus civitatibus Samaritidis, Judææ conjunctis: non ergo reliquæ Samaritidi, quæ eo ipſo excluſa videtur, quòd ejus pars aliqua exprimitur. Prætereà ſequeſtratio, ſeu immunitas, disertè conceditur in gratiam ſacrificantium Hieroſolymis: per quod excluſi videntur Samaritæ, qui in templo Garizitano ſacrificabant. At, inquis, dicitur verſ. 29. *Rex conſenſiſſe* poſtulatis Jonathæ: verſu autem 28. etiam nominatim Samariæ immunitatem petierat. Reſpondeo, dici poſſe, Regem poſtulatis aſſenſum, id eſt præcipuis quibuſque, & maximæ eorum parti: item intelligi poſſe iſto verſu, Samariæ nomine, tres ſolùm toparchias Samaritidis ad Judæam adjectas.

Conſiliarius, pater eſt.

De tributis *fructuum terræ,* ſeu frugum, *pomorum, areis ſalinarum,* quæ Græcè *ſtagna ſalis* vocantur, coronis quas Reges accipiebant, vide cap. 10. ad verſ. 29. & 30. *Laſthenes,* in Græcis Regiis non rectè *Aaſthenes,* is eſt, cujus auxilio è Creta in Aſiam rediit Demetrius: ideóque ab illo *parens,* ſeu pater appellatur; cùm auctoritate, ætate, meritis; tum maximè conſilio, de quo vide dicta ad cap. 2. verſ. 65. Exemplum epiſtolæ curari vult Demetrius, & proponi *in monte ſancto,* id eſt in Templo: *in loco celebri,* ſeu conſpicuo, Græcè ἐπισήμῳ: additur in Græcis Regiis, ἐπιτηδείῳ, id eſt *idoneo,* quod interpres Regius minùs rectè vertit *utili.*

℣. 38.

Peregrinus miles an reiſpublicis utilis?

℣. 38. 39. 40. Et videns Demetr. Rex, quòd siluit terra, &c. Cùm pacatè regnum Demetrius poſſideret, ſupervacuum ſibi militem arbitratus, exauctorat omnem, præterquam eum quem collegerat *ab inſulis Gentium*, quo potiſſimùm nomine Creta intelligenda eſt. Cretes autem retinet, tum Laſthenis amore, tum quia Cretum ope in regnum reſtitutus erat. Conſilium id domeſticæ militiæ dimittendæ, peregrinæ retinendæ, varios habuiſſe ſucceſſus notant hiſtorici. Cæptam inde primam imperii Romani labem arbitrantur, cùm aſcitis in militiam barbaris, amoti ab armis, & in ſegnitiem verſi Romani, de ſervis dominos fecêre. Stetiſſe tamen conſtat regnum Ægypti, ſub Mahumetanis Sultanis, ope potiſſimùm externi militis, quem Mamalucos vocabant.

Prudentia humana quàm cæca.

Ita contrarii ex eodem fermè conſilio eventus; ut in politicis ſæpè aſſolet, ubi rebus ex mutabilitate humanorum affectuum, & variorum intercurrentium, pendentibus, omnia, quantumvis prudenter circumſpectentur, provideri nequeunt. Adde, etiam benè proviſa ſæpè à Deo miris modis in contrarium verti; ad confundendam ſapientum prudentiam, & docendum hominem, quàm *incertæ* ſint *providentiæ noſtræ*, & cogitationes inanes, ut Sap. 9. dicitur. Sic ætate *noſtra* vidimus, regna iis ipſis maximè concuti, quibus ſtabilita putabantur.

Spectatur in Demetrio.

Sic & Demetrio peſſimè ſucceſſit conſilium ſuum. Eo enim facto exacerbati domeſticorum ac veteranorum Aſiæ militum animi: *& inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus.* Subditi fideles & fortes, aut qui tales videri volunt, indigniſſimè ferunt ſe præ cæteris contemni, ſibique ablatam patriæ tutelam & cuſtodiam alienigenis credi. Maximè ſi hi ſuperbè, & avidè, potentiâ uſuri exiſtimentur: & ſi de gente aliqua vel moribus abſona, vel odioſa ac deſpicabili orti ſunt; quales ferè erant *Cretes, ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, ut illorum civis cecinit apud D. Paullum.

Cauſſæ rebellionum, & ſeditionum.

Non igitur ob ſegnitiem, ut ait Juſtinus lib. 36. Syri Demetrium indignati ſunt; neque, ut ait epitome Livii 52. ob crudelitatem odio habuêre. Quamquam & crudelitas exoſos Principes facit, & ſegnities contemnendos præbet: atque adeò tum hæc, tum illa, ſeditionibus & rebellionibus dat vel occaſionem, vel cauſſam; ut in hiſtoriis paſſim videre eſt. Non tamen ob iſta præſertim; ſed ob dimiſſum ac ſpretum paternum militem, orta à Demetrio primùm averſio, tum aperta defectio.

Quis Tryphon?

Quidam enim ex Alexandri ducibus, patria Apameenſis, inquit Joſephus, Diodotus nomine, ſic etiam à Strabone vocatus, etſi epitoma Livii & Oroſii Diodorum vocent: cognomine *Tryphon*, à τρυφῇ, ſeu delitiis dictus: unde impensè voluptatibus deditum fuiſſe oportet, quas ipſo palàm agnomine profitebatur. Notabis etiam in illo, quod ſuprà advertimus in Philometore, junctam eſſe ſolere crudelitati luxuriam. Brevi enim delicatus ille, ſummâ ſævitiâ, pupillum ſibi creditum occiſurus eſt.

Ejus rebellio.

Is igitur, ea dimiſſi à Demetrio & alienati militis occaſione utens, ad res in Aſia novandas, abiit in Arabiam ad *Emalchuelem*, Joſepho *Malchum*, nutritium Anöochi, quem Alexander ex Cleopatra Ptolemæi filiâ ſuſceperat; expoſitisque Aſiæ motibus, & viâ reſtituendi in paternum ſolium pupilli, non antè diſceſſit, quàm eum à nutritio impetraret. Difficilem hunc in illo tradendo fuiſſe, veritum forſan fraudes Tryphonis & ingenia Aſiatica, patet ex eo, quòd Tryphon dicatur geminâ phraſi *aſſediſſe ei*, & *manſiſſe ibi diebus multis*.

Demetrius à Jonatha militem auxiliarem poſtulat.

℣. 41. ad 52. Et misit Jonathas ad Demetrium Regem, ut ejiceret eos, qui in arce erant, &c. Interim dum iſta aguntur à Tryphone, *miſit Ionathas ad Demetrium*, petitum ut deducerentur præſidiarii arcis. Seu novis rationibus adductus, id perſuadere conatus ſit: ſeu, quod mihi ſit veroſimilius, conventum de ea re inter eos fuiſſet, quando Ptolemaïde collocuti ſunt. Demetrius recipit id curaturum, multáque alia ſe facturum in gratiam Jonathæ, ac gentis Judaicæ, *cum fuerit opportunum*; id eſt poſtquam inſtantiora alia negotia regni compoſuerit, quale erat de compeſcenda Antiochenorum palàm rebellantium obſidione. Ad eum finem petit Judæos auxiliares: miſſi ad tria millia, qui maximâ Antiochenſium cæde patratâ, incenſáque civitate, *regreſſi ſunt in Ieruſalem habentes ſpolia multa*.

Antiochenæ cladis explicatio.

Quamvis verba Scripturæ in hujus hiſtoriæ narratione minimè obſcura ſunt; quia tamen ordo & modus ipſe rei geſtæ non ſatis apertus videtur, aliquam è Juſepbo lucem afferre conabimur, qui utinam non erraret uſquam magis, quàm hîc. Ait primùm, miſtos fuiſſe Judæis, pro Demetrio pugnantibus, milites mercenarios: idque omnino credibile eſt, cùm ſupra monuerit Scriptura, exauctorato milite domeſtico, retentum à Rege peregrinum; nec putandus eſt Rex, in eo rebellionis metu Anöochiæ ſine præſidio fuiſſe. Igitur cùm Scriptura dicit, ſtragem centum millium Antiochenorum editam à Judæis: intellige cæſos illos partim Judæorum manibus, partim mercenariorum militum, qui Judæis adjuncti pugnabant: Judæis tamen totam ſtragem tribui, quia præcipua pars fuêre in eo prælio ac victoriâ.

An primo impetu pulſi Judæi?

Deinde dicit Joſephus, Judæos primo Antiochenorum impetu cum Rege pulſos in Regiam, ex eáque aliquamdiu pugnaſſe. Quod licèt valdè rejiciat Salianus, non video cur ſit improbabile, vel quid à Scriptura abſonum contineat. Dicit quidem Scriptura, Regem à civibus fugatum ad Judæos miſiſſe, qui eos convocarent, eoſque conveniſſe. Sed quidni cum Rege, quando ab Antiochenis pulſus eſt, pars aliqua Judæorum eſſe potuerit: alia autem diſtributa locis opportunis, quam tamen ad ſe evocaverit, quando in Regiâ cæpit obſideri?

An ex domibus pugnârint?

Subdit Joſephus, Judæos de Regia erupiſſe, & per tecta domorum tranſilientes, in ſubjectos cives supernè magnâ cæde graſſatos. Quod etſi elevet Salianus, indecorumque putet militibus felium inſtar per tecta tranſſultum: mihi tamen valdè credibile eſt, qui ſcio, tumultuoſis Leodii temporibus, cùm conſularia comitia per apertam vim, & multam cædem, anno hujus ſæculi 46. agerentur, ſeditioſorum agmen, perfoſſis ſummis domorum parietibus, ad mediam uſque urbem penetrâſſe, dum alii in plateis pugnarent. Multò facilius Antiochiæ Iudæi, per domos Regiæ contiguas, in alias atque alias penetrare potuerunt: ubi parietes perfodiendi non erant, ſed tantùm perambulanda tecta plana more regionis. Non tamen negârim, Judæorum partem interim cum civibus intra ipſas platearum anguſtias pugnâſſe, eoſque latè fugâſſe: id enim indicat Scriptura, cum dicit, *diſperſi ſunt per civitatem*.

Quomodò civitas incenſa?

Quod verò ſubjungitur ſuccenſam à Iudæis civitatem, ait Ioſephus facile id fuiſſe, cum ædes

Antioche-

Antiochenæ, ejus ætatis more, ligneæ eſſent. Addo ego, ignem ædibus civium immiſſum, ad eos à prælio avertendos ad curam rei privatæ: eſtque omninò veroſimile ſucceſſiſſe conſilium, diſperſoſque ad ſua curanda cives cædi patuiſſe. Non tamen exiſtimandum totam urbem eo incendio arſiſſe, neque hoc ſignificat phraſis Scripturæ. Quod enim dicit, *ſuccenderunt civitatem*; perinde eſt ac ſi dicatur, ignem in civitatem immiſerunt, cujus variæ partes conſumptæ: ſtetit tamen urbs, mox à Tryphone capienda.

Prædator fit præda.

In ſpoliis Antiochiâ Hieroſolymam relatis agnoſce divinæ juſtitiæ æquitatem. Spoliârant Syri Judæos: viciſſim à Judæis ſpoliantur: Antiochia Hieroſolymæ, juſſu præſertim Epiphanis vaſtatæ, prædâ dives fuerat: viciſſim prædâ ſuâ ditat Hieroſolymam. Sic ferè juſto Dei judicio victricea urbes, ac gentes, à victis ſpoliantur, præſertim ſi bella parum juſta geſſerunt. Babylonem Reges ſui opibus Aſiaticarum fermè gentium impleranti omnes fermè Aſiaticæ gentes ad eam capiendam conveniunt, ejuſque opes exhauriunt. Longum imperium totius orbis divitias Romam congeſſerat: eas variis temporibus ſingulæ ferè gentes repetitum ivêre. Capta à Gothis, à Vandalis, à Græcis, à Germanis, à Francis, ab Hiſpanis, quantum de priſtino illo ſplendore retinuit? Lex vix ulla juſtior quàm talionis: eam etiam in hac vita, & in rebuſpublicis caſtigandis, plerumque Deus obſervat. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Iſa. 33. Conſule Excurſum ſecundum ad cap. 2.

Sedere eſt tranquillum eſſe.

℣. 52. 53. Et sedit Demetrius Rex in sede regni sui. An non ſederat antè, cum verſu 19. dicatur regnâſſe? Dicendum ſediſſe tunc, id eſt, ſeditione Antiochenorum compreſsâ, aliquantum quieviſſe. Per ſedem enim, notiſſimâ Scripturæ phraſi, ſignificatur quies & tranquillitas; uti cùm dicitur Chriſtus *ſedere* ad dexteram Patris; cùm Chriſtus jubet Apoſtolos, exſpectaturos Spiritum ſanctum, *ſedere*, id eſt, tranquillos exſpectare. Eodem ſenſu hìc ſumi, patet ex altera verſus parte, *& ſiluit terra in conſpectu ejus*: id eſt, Hebraiſmo ſæpiùs in hoc libro occurrente, regnum Aſiaticum pacatum fuit aliquamdiu, terrore potiùs quàm amore, audito ſcilicet incendio urbis regiæ, & tantâ cæde civium.

Ingratitudo ſumma Demetrii.

Ingratus interim Demetrius, qui tam ſpecioſis promiſſis à Jonatha auxiliares petierat, ubi ſe regni potentem vidit, *mentitus eſt omnia quæcumque dixit*, qua phraſi videtur indicari non tantùm recuſâſſe, quæ promiſerat, ſed etiam pernegâſſe à ſe promiſſa. *Et abalienavit ſe ab Ionatha*, more ingratorum, qui ne cogantur mutuum benefactoribus reddere, eorum amicitiæ renuntiant. *Et non retribuit ei ſecundùm beneficia, quæ ſibi tribuerat*: nec tantùm non reddidit bona pro bonis, ſed etiam, qui ſummus ingratitudinis gradus eſt, reddidit mala pro bonis. Nam *vexavit eos valdè*; id eſt, inquit Joſephus, tributa à Judæis exegit, immunitates antè conceſſas revocavit, imò exercitum duxit in Judæam. Hominem tam ingratum, benefactorum immemorem; imò ex beneficiis alienationis argumentum ſumentem; imò in beneficos atrociter maleficum Deus celeri pœna ulciſcitur.

Antiochus Alexandri filius quot jam eſſet annorum?

℣. 54. 55. 56. Post hæc reversus est Tryphon, ex Arabiâ in Syriam venit, et Antiochus cum eo filius Alexandri Velis, Emalchuelis alumnus, puer adolescens, Græcè *puerulus junior*, ſeu adoleſcentulus. Epitome Livii 52. facit bimulum cùm Rex dictus eſt; cùm occiſus eſt, facit decennem epit. 55. parùm conſequenter: multum enim abeſt, ut tantum ſpatii inter ejus in regnum ingreſſum & cædem interfluxerit, quantum inter biennium & decennium. Salianus putat, decennem aut duodecennem fuiſſe. Mihi videtur, nunc novenni major eſſe non potuiſſe, ſi chronologia noſtra annorum Alexandri Velis recipitur. Neque enim Ptolemæi filiam, cujus filius eſt hic puer Antiochus, antè duxit, quàm Demetrio Sotere victo pacatum regnum tenuit: à quo tempore ad hoc uſque vix novem anni ſunt.

Demetrius à Tryphone victus, & profugus.

Ad adventum pueruli Regis cum tutore, quaſi dato rebellionis ſigno, *congregati ſunt exercitus, quos diſperſerat Demetrius*; & commiſſo prælio, victus ipſe ac fugatus. Quò fugerit, Scriptura non dicit. Epitoma 52. Livii ait Seleuciam: Joſephus in Ciliciam, tum in Moſopotamiam ac Babyloniam, quò à Macedonibus vocabatur, pollicentibus deditionem ſi veniret, & contra Arſacem Parthorum Regem auxilia. Pulſo Demetrio, *accepit Tryphon beſtias*, id eſt, elephantos, qui Hebraicè, Græcè, imò & Latinè non rarò *beſtiæ* per antonomaſiam vocantur: *& obtinuit Antiochiam*, domino vacuam poſſeſſionem intravit.

Jonathas muneribus & prærogativis cumulatus.

℣. 57. 58. Scripsit Antiochus adolescens, ſeu ejus nomine Tryphon, Jonathæ, dicens: Constituo tibi Sacerdotium: eam enim poteſtatem conſtituendorum Pontificum ſibi arrogabant, ut aliàs monuimus, Syriæ Reges; quomodò poſtmodùm Romani cùm fuêre domini Judææ. Erat nihilominùs Jonathas aliunde ſummus Pontifex legitimus, ut ſuprà diximus; neque hæc regia conſtitutio ejus juri præjudicat. *Et conſtituo te ſuper quatuor civitates*, quas præfecturas hìc interpretatur Joſephus, & nos ſuprà. Addit quartam civitatem Judææ Antiochus ad tres, à ſuperioribus Regibus, adjunctas. Creat deinde illum amicum: & prætereà, quod alii Reges nondum fecerant, aut ſaltem non leguntur feciſſe, *miſit illi vaſa aurea in miniſterium*; Græcè *vaſa aurea, & miniſterium*: ut intelligi poſſit, non vaſa ſolùm, ſed & miniſtros, ad Jonathan miſſos. *Et dedit ei poteſtatem bibendi in vaſis aureis*, cujus etiam prærogativæ alii Reges mentionem non fecêre, videturque ſumma fuiſſe, & planè Regia. De purpura & fibula diximus ad cap. 10. v. 89,

Quam juſtè à Demetrio legitimo Rege, pactorum violatore, Judææ uſurpatore, deſciſcere Jonathas potuerit, patet ex dictis ad cap. 10. v. 46.

Præfectura Simoni attributa ſub Jonatha.

℣. 59. Et Simonem fratrem eius constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Ægypti. Græcè, *ab aſcenſu Tyri*. Ita non Jonathan ſolùm, ſed & Simonem, ſibi Antiochus & Tryphon demereri ſtudent. Comprehendebantur in eo ducatu Simonis urbes maritimæ omnes, à Tyro ad Ægyptum uſque, id eſt, pars ejus regionis quam Chananæi etiamnum incolebant, & quæ Palæſtina, ſeu Philiſthiim, ab Hebræis, preſsè ſumpto nomine dicebatur. Simon autem ſic iſtius tractus dux factus eſt ab Antiocho, ut ſubeſſet Jonathæ fratri, & ejus auſpicia ſequeretur. Aut certè, ſi id in mandatis non accepit, ultrò ipſe fratri ſe ſubmiſit: quandoquidem mox Jonathas Aſcalonem eat, & Gazam; quæ tamen urbes intra Simoni attributos fines continebantur. In quo notanda fratrum concordia, & ſubmiſſio.

Jonathæ itinera, & expeditiones.

℣. 60. 61. 62. Paucis verbis multa Jonathæ itinera recenſentur, quæ etiam magna celeritate confecta fuiſſe credibile eſt: cùm nemo reſtiterit præter *Gazenſes*, qui viſâ ſuburbanorum ſuorum vaſtitate, amicitiam datis obſidibus rogaverunt.

Regiones

Regiones trans flumen ſunt Transjordaninæ, & in Peræa ſitæ. *Exercitus Syriæ, qui congregatus eſt ad eum, in auxilium,* milites fuêre a Demetrio abalienati, Antiocho addicti. Eorum ſocietatem non reſpuit Jonathas; tum ne eos offenderet; tum ne haud ſatis ſincerè videretur ſequi partes Antiochi. Venit eum in Aſcalonem, & honorificè excipitur, ut ſuprà cap. 10. verſ. 86. Gazenſes eum excludunt, quia vel cum Judæis veteres ipſis erant ſimultates, Jonathæq; detrectabant parere, vel adhuc à Demetrio erant, & ducem partium Antiochi admittere nolebant. Damaſcus, quò uſque *regionem* Jonathas *perambulat*, nobiliſſima eſt & notiſſima Cœleſyriæ, Libanum inter & Antilibanum, civitas.

Prælium cum Demetrianis.

℣. 63. uſque ad finem. ET AUDIVIT JONATHAS, QUOD PRÆVARICATI SUNT, &c. Narratur prælium Jonathæ cum Demetrii ducibus, & victoria eò nobilior ac lætior, quò periculoſius fuerat certamen. Simul obſidio Bethſuræ oppidi munitiſſimi proximè Hieroſolymam, & expugnatio per Simonem. Verſ. 63. *prævaricati ſunt*, Græcè eſt παρῆσαν, *aderant*, unde Serarius, & poſt eum Salianus, ſuſpicabantur in Vulgata legi debere *præparati ſunt*, ſcilicet *Duces Demetrii*. Eodem verſu, *volentes eum removere à negotio regni*, Græcè eſt, *volentes eum removere à regione*; id eſt, vel omninò expellere eum volentes Demetriani, vel ſaltem coercere intra fines Judææ, ne ampliùs auderet exſpatiari, quomodò fecerat paullò antè, perambulatâ Damaſcum uſque regione. Volebant, inquit Joſephus, eum à Syria avocare Demetriani ad ſua tuenda. Itaque negotium regni, intellige ſocietatem & propugnationem Antiochi.

Cades & Aſor ubi?

CADES, à Joſepho κέδασα dicitur, collocaturque ab Adrichomio in tribu Aſer, ad Tyriorum fines, & diſtinguitur à Cades ſeu Cedes urbe celebri Nepthaliticæ tribus. Non video tamen, cur ab hac diſtingui debeat: cùm nuſquam in Scriptura memoretur Cades in tribu Azer, ſed gemina tantùm, celebrior una Nepthalitica, altera ignobilior in tribu Juda. *Aſor*, Græcè *Naſor*, olim nominatiſſima civitas, & Chananitidis ante Joſue metropolis, fuit etiam in Nepthalitica tribu. Ad Samachonitem lacum, ſive aquas Merom, fuiſſe ſcribit Joſephus: unde Bonfretius in Onomaſtico corrigit Adrichomium, nimis longè illinc removentem. Itaque neceſſe eſt, totam noctem iter factum à Jonatha cum ſuis, ut ab aqua Geneſar profecti, ſummo manè *ante lucem* eſſent in campo Aſor.

Geneſar lacus.

AQUA GENESAR, ſeu Genneſar, γεννησάρ, eſt celeberrimus in Evangelio lacus Geneſareth; ſeu mare Galilææ & Tiberiadis, quia Galilæam inter & Galaaditidem interjacebat, conditáque ad ejus ripam fuit urbs Tiberias. In eum lacum illapſus Jordanis, auctior effluit: inde minori Jordani nomen, & majori. Minor per lacum Samachonitem in Geneſarenum tranſit: major ex Geneſareno exit in Aſphaltiten.

Deus adeſt deſperatis rebus.

Quod verſu 70. dicitur neminem cum Jonatha manſiſſe, niſi *Mathathiam* & *Iudam*: intellige hos duos non ſolos manſiſſe, ut D. Ambroſius intellexit lib. 1. Off. c. 41. ubi hanc Jonathæ victoriam exaggerat: ſed manſiſſe cum turmis ſuis, etſi cæteri fugiſſent. Sicque intellexit Joſephus; & Scriptura ſatis inſinuat, cùm dicit, *Iudam filium Calphi* fuiſſe *principem militiæ exercitus*. Alioqui quo pacto tres omninò viri aciem Demetrianorum non tantùm ſuſtinuiſſent, ſed etiam avertiſſent in fugam? Niſi fingamus, terrorem panicum hoſtibus divinitus immiſſum, aut Angelos apparuiſſe, Iudæorum vice pugnantes, aut aliud ejuſmodi miraculum, cujus in Scriptura veſtigium non eſt. Voluit autem Deus Ionathan à maximâ ſuorum parte deſeri, ut ejus in ſe fiduciam excitaret, & nos ejus exemplo ad eamdem animaret, etiam deſperatiſſimis rebus, ut in Excurſu docebimus. Verſ. 73. *inſequebantur uſque Cades ad caſtra ſua*, clariùs in Græco eſt, *uſque ad caſtra eorum*, ſcilicet Demetrianorum, qui verſu 63. dicuntur caſtra metati in Cades.

Sic cura externos, ut non ſis immemor domeſticorū, & tui.

Audi hic Rabani monita duo è multis, ad id, quod Ionathas in Demetrianos ducturus Simonem reliquit intra provinciam. *Sancti*, inquit, *prædicatores, licèt aliquando ad ſæculi actus moderandos, & indiſciplinatorum infeſtationes temperandas ſe porrigant: tamen nullo modo ſui juris miniſterium ordinarum intra Eccleſiam ceſſant; ſed habent ibidem ſemper, qui regularem in omnibus conſervent diſciplinam, ut ſicut in exterioribus utiles, ſic in interioribus ubique inveniantur ſalubres.* Eodem ſpectant præclara à Bernardo data Pontifici Eugenio monita: ut ſic externa curet, ne ſuos & ſe obliviſcatur, & bibat inter cæteros etiam ipſe de puteo ſuo. Vide lib. 1. de Conſ. Idem monet Paullus, cùm vult ſuorum, *maximè domeſticorum*, curam haberi. Tu qui curam habes animorum, qui rempublicam regis, qui proximi utilitati conſulis, ſic ad externos fines accede, ut ſemper aliquis ſit *intra provinciam*: ſemper tibi invigiles, & Bethſuram id eſt domum vacuam & arcem robuſtorum, quâ munimenta affectuum pravorum ſignificantur, Hieroſolymæ ſeu paci animi infeſta, expugnes. Adumbrari etiam poſſit Ionathæ prælio, mortificatio exterior, ut vocant; per obſidionem Bethſuræ, interior: ſic illa curanda, ut hæc non negligatur, ſed obediens Simon maneat ſemper intra provinciam.

Militis Chriſtiani robur à gratia, & laudibus Dei.

Alterum Rabani monitum eſt, ex duobus ſociis Ionathæ, qui cum eo cæteris fugientibus manſiſſe dicuntur. *Mathathias donum Dei, Judas confeſſionem* ſignificat. Indicat eos, qui dono Dei illuminati benè credunt, & fidei conformiter vivunt, ita perſeverare ſolere; ut hoſtes fundant, & fugitivos virtutis ſuæ exemplo revocent ad generoſum certamen. Meliùs dixeris, homini Dei auxilio fidenti, ut omnes deſint, *Dei donum* & gratiam non deeſſe; *Judam* præterea ei adhærere, id eſt, *laudem*, quia Deum æquè in adverſis atque in proſperis laudat. His ſociis animoſum adverſus hoſtes pugnare, & evadere victorem. Armat enim laus Dei militem ſpiritalem: hinc ſacer Vates pſal. 149. *Exaltationes Dei in faucibus eorum, & gladii ancipites in manibus eorum:* quaſi dicat, ideò gladios ab eis geſtari, & hoſtibus eſſe terrori, quia Deum laudant. Joſaphathum audiſti, 2. Paral. 20. qui juſſis præcinere cantoribus, *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia ejus*, victor evaſit. Judas aderat Ioſaphatho, adeſt Ionathæ: & ſimul Mathathias: nam quid abſque dono & gratiâ Dei? *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

EXCVR-

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 11. *verſ.* 71. Scidit Ionathas veſtimenta, & oravit.

Fiducia in Deum excitatur.

SECTIO PRIMA.

Fundamenta fiduciæ in Deum.

I. Fiducia in Deum vix uſu cognita.

RE in extremum diſcrimen adductâ, & humanitùs deſperatâ, turpiter à maxima ſuorum parte deſertus Jonathas, confugit ad Deum. Adeſt illi Mathathias, id eſt donum Dei: & Judas, id eſt laus Dei. Fidenti in Deum, & eò magis fidenti, quo humana auxilia longiùs abſunt, Dei præſidium præſtò eſt: tum quia fiducia hominis id meretur; tum quia magis inde laus Dei & gloria eluceſcit, uti ſectione proxima dicendum erit. Sed antè præſtruenda ſunt breviter fundamenta magnæ illius virtutis: quæ cantata magis, quàm cognita; & cognita magis, quàm in uſum adducta, Chriſtianis hominibus ſatis commendari non poteſt. Ac primùm, quod de timore fecimus, Excurſ. 1. ad cap. 5. idem ſpe faciendum, dividendáque in naturalem ac ſupernaturalem. De naturali agunt paſſim philoſophi, & eximiè more ſuo D. Thomas 1. 2. q. 40. Conſtat motum eſſe animalem, adeoque in brutis emicare, ſpectarique quotidie in catellis, *qui edant de menſa dominorum ſuorum*. Excitatur propoſito per imaginationem aut intellectum bono aliquo, in quod appetitus feratur aut voluntas. Bonum verò iſtud pro futuro, poſſibili, difficili haberi debet. Si præſens eſt, lætitiam creat, non ſpem: ſi difficile non eſt, præſentia inſtar eſt: ſi obtineri non poteſt, deſperationem facit. Itaque non incongruè quidam brachia bina ſpei tribuunt, deſiderium & credulitatem. Equidem iis maximè ſpem effundi cernimus qui deſideriis & credulitate magis ducuntur, ut ſunt homines inexperti, ſanguine aut vino excalefacti. Conſule D. Thomam ſuprà, art. 6.

II. Malæ ſpei genera quatuor.

Quomodò autem de naturali timore diximus, ita nunc de ſpe: uſu bonam malámve fieri poſſe. Malæ genera quatuor numero: tria in objecto errantia, unum in modo. Stulta ſpes eſt, quæ fingit ſibi chimæras in nubibus, & appetit longè ſupra ſe poſita: quia Ioannes 22. ex ſutore veteramentario per varios gradus ad ſummum Pontificatum aſcendit; quia Philippa Catinenſis ex vili lotrice in proximum Reginæ Neapolitanæ faſtigium evecta eſt; quia Changius Chan ex fabro ferrario Tartarorum monarchiam ſtabilivit, apud Spond. annis 1202. 1316. 1345. Quia talia in hiſtoriis memorantur, protinùs ſtulta ſpes in mentibus excordium exempla pingit, ſubſcribitque, *Aut Cæſar, aut nihil*. Pejor multò ſpes erit, ſi ad ejuſmodi aliorúmve figmentorum conſecutionem per vitia enitatur: quod Achitophel Abſaloni ſuaſit, Achabo Jezabel, Antiocho Epiphani rabies ſua. Spem iſtam ream appellemus. Tertia vana eſt, quia vel temporalia ſola, vel nimia attendit: oblita tranſvolare dies noſtros ſicut *naves poma portantes*, Job. 9. diſſiparique ſicut pappum, lanuginem, fumum, ut ait Sapiens, cap. 5. Quartum ſpei genus ingratum eſt: ſibi, hominibúſve aliis ſolummodò confidit: porcorum inſtar glandibus veſcentium, non adſpicit manum decutientis: oculi ejus non ſperant in Dominum, qui dat eſcam in tempore oportuno, & aperiens manum implet omne animal benedictione. Erit, cùm iſti ſpei occinetur iſtud Pſal. 51. *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum*, &c. & iſtud Jerem. cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine. .. & à Domino recedit cor ejus*. Miſellum cor, à vitæ ſoote abſtractum, quid niſi emoriatur? *Et erit ſicut myrica*: videatur licèt cedrus Libani, aut quercus Baſan; humilis tamen erit ac fragilis, velut ſteriles & exſuccæ myricæ, quæ in deſerto ac terra ſalſuginis & inhabitabili ad Solis æſtum contabeſcunt.

III. Spes mala vitanda feliciter vivere volenti.

Aucupem philomela monuit, apud Damaſcenum in hiſtoria Barlaam & Joſaphath, tria ipſi ſervanda ſi fælix vellet vivere: ne crederet quælibet, ne extra poteſtatem ſuam poſita appeteret, ne fruſtra de irrecuperabili jactura doleret. Ego ad capita duo fælicem vitam, Chriſtiani ſaltem, ferè contraxero: vitetur ſpes mala: ſpes bona excolatur, & quò melior ſit, ex naturali tranſeat in ſupernaturalem. Hæc autem, quid rei eſt? Diſces mox, ubi de caoſſa ejus, ſeu objecto formali ac motivo agemus. Interim ſi quid illam inter ac fidem interſit à præcipuo Doctore diſcere voles, amitto te ad Auguſtinum in Ench. ad Laur. primis capitibus, præſertim octavo.

IV. Spei bonæ fælicitas.

Amitto te ad eumdem, lib. 1. Soliloquiorum genuinorum, non adſcitiorum in fine, ut docearis fælicitatis, lætitiæ, pacis fontem ex ſpe divina ſcaturire: *Conſtanter Deo crede, eique te committe, quantum potes. Noli eſſe velle quaſi proprius, & in tua poteſtate: ſed ejus clementiſſimi & utiliſſimi Domini te ſervum eſſe profitére. Ita enim te ad ſe ſublevare non deſinet, nihilq; tibi evenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſciat.* Hauſerat id Auguſtinus ex iſto Paulli Rom. 5. *Spes non confundit*: & ex iſto Pſalmiſtæ, *Univerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur*. Doctorem habuerat Mathathiam noſtrum, cujus inſigne de ſpe monitum conſimili Siracidis pronuntiato comparatum expendimus, ad cap. 2. v. 61. Audierat Jeremiam, damnata ſpe inani & humana, de ſolida divináque dicentem: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.*

Et erit

Et erit tanquam lignum, quod de arente ſolo, ubi depluens divini favoris imber non ſentitur, ab hortulano cæleſti *transplantur ſuper aquas* fæcundarum gratiarum; & ad beneficiorum ſpiritalium, aut ſpiritalibus conjunctorum, vitalem humorem *mittit radices ſuas* deſideria, cogitationes, precationes, quibus velut firmis radicibus innititur, & ſuccum nutritium ſugit. Iiſdem magiſtris uſus D. Bernardus ſerm. in pſalm. 15. fiduciæ noſtræ animandæ: *Sperate*, inquit, *in eo omnis congregatio populi. Quemcumque enim locum pes veſter calcaverit, veſter erit. Pes veſter, utique ſpes veſtra: quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deo tota figatur.*

V. Spei lætitia mater.

Sed faciamus ex ſpe bona nobis nulla provenire: magnum tamen ipſa de ſe ſpes bonum eſt; cùm lætitiæ, quàm omnes appetimus, ſit uberrima ſcaturigo. Seneca epiſt. 23. *Spes* vocavit *dulciſſima oblectamenta*. Philoni, libro de Abraham, *Spes eſt janitrix natura*, ab hac in foribus bonorum omnium & gaudiorum collocata. Eidem, lib. de præmiis & pœnis: *Spes eſt primum ſemen, quod in animam bonam à Deo jacitur: eſt lætitia quadam, præcurrens alteri lætitia perfectæ.* Eidem, lib. quod deterius potiori inſidietur, *Spes eſt victus amantium.* Si autem *vanis ſpebus inflati*, ut unus è ſeptem Martyribus, 2. Mach. 7. loquitur, ſperatarum rerum imagine ita delectantur; ut plerumque videamus, ex rei proſecutione plus voluptatis percipi, quàm ex conſecutione, ab amantibus honorum, fæminarum, prædæ, opum: quæ divinæ ſpei lætitia erit, bonorum appetentis, & bono ſolidóque innixæ? Ita Paullus Rom. 12. ſervos Dei ait eſſe *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Quæ verba expendens Aug. epiſt. 52. ad Macedon. *Oſtendit quare in tribulatione patientes, præmittendo, ſpe gaudentes.* Tantum denique eſt ex Chriſtianâ ſpe gaudium, ut inſtar beatitudinis anticipatæ haberi poſſit. Proſper de Vi. Cont. lib. 1 c. 9. *Qui dicuntur in hac vitâ beati*, inquit, *ſpe beatitudinis futura ſunt beati.* Idem ſæpè Auguſtinus inculcat in pſalmos.

VI. Et fons pacis.

Vera lætitia ex pace & tranquillitate animi exiſtit: utraque ex ſpe, ut in ſe agnoſcit David pſalm. 4. *Dediſti lætitiam in corde meo, & in pace dormiam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*, ſtabiliti & firmaſti cor meum fiduciâ auxilii tui. *Qui autem confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat* in illâ pacis viſione *in Ieruſalem.* Quid illum angat, qui ex Petri monito 1. 5. *Omnem ſolicitudinem ſuam projecit* ſecurus, non depoſuit timidus & velut circumſpectans, in manum ac ſinum Dei; *quoniam ipſi eſt cura de nobis?* Quid obſtet quò minùs, *pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum* pectus illius inundet, qui Paullum audierit Phil. 4. inclamantem, *Gaudete in Domino* ſpei ſuſtentatore, gaudii largitore; *gaudete ſemper: nihil ſolicití ſitis, petitiones veſtra innoteſcant apud Deum.* Quid obturbet pacifici Salomonis ſoporem; cujus lectulo advigilant, cum ſpe in Deum, pluſquam ſexaginta fortes, & onicuique enſis ſuper femur *propter timores nocturnos?* Quid extimeſcat, cui Iſaias ſuum iſtud de minis, ac malis omnibus temporalibus commendarit, cap. 7. *Vide ut ſileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum?* Ardeſcant, fumigent; titiones tamen ſunt; conſumentur, antequam conſumpſerint. Chriſtiani, inacti animis eſtote, Iſa. 30. *In ſilentio, & in ſpe, erit fortitudo veſtra*: ex ſpe fortitudo, qualem in Machabæo notavimus, ad c. 3. v. 18. & alibi: ex fortitudine pax: inde certa ſecuráque lætitia.

Adde utilitati noſtræ exiſtenti ex fiduciâ, Dei voluntatem, & honorem. Invitat Deus ut in ſe ſperemus, locis in Scripturâ innumeris. Unum expende Iſa. 50. *Qui ambulat in tenebris, & non eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.* Tenebroſo & lubrico itinere, antehac ignoto, ingrederis, palpabundus, greſſo vacillante & incerto. Offert ſe tibi vir bonus ac viæ peritus, humeroſque præbet, & ſuccollat. Si eum nôſti: an diffides? An metues, ne te de collo in torrentem trepidè effundat, ac ſe proripiat: quemadmodùm D. Carolo Borromæo factum, per agreſtem in Alpibus hominem, vi undarum exterritum? *Non eſt Dominus illuſor*, inquit Auguſtinus apud D. Thom. lib. de erud. Prin. *ut ad ſupportandum nos ſe offerat, & nobis innitentibus ei ſe ſubtrahat.* At vatis ſententiam non ſatis intelleximus. Quid enim illud eſt, *in tenebris ambulare?* Tenebras Scriptura vocat calamitates: calamitoſus *ſperet in nomine Domini.* Tenebræ ſunt anxietas animi, & injectæ à malo genio, aut paſſionum rebellione, tentationes: anxius, tentatus *ſperet in nomine Domini.* Tenebræ denſiſſimæ ſunt peccata: peccator *ſperet in nomine Domini.*

VII. Deus ad ſpem invitat.

Quidni peccator ſperet, quando habitum ſpei non amiſit, niſi deſperârit, aut infidelitate fundamentum ſpei fidem deſtruxerit? Cùm orare jubeatur; orare autem nemo, aut petere ſincerè, ſine ſpe poſſit? Cùm peccatum expiare & amiſſam juſtitiam recuperare debeat, juſtificari autem ſine ſpe non poſſit, ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6? Cùm ſperare omnes debeant; omnes aliquando exertè & impreſſè in finem ſuum ultimum cogitationem & voluntatem intendere; quod ſine ſpe fieri non poteſt? Cùm apertè Paullus Timotheo dixerit, 1. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo?* Jucundum præceptum, jugum ſuave, leve onus ſperare juberi, & in Deo quidem. Quàm dulcis ſpes peregrinantibus, navigantibus, laborantibus, ſerentibus, negotiantibus in hac vitâ? 4. Reg. 5. Naamani dubitanti, an præceptum prophetæ expleret, dicunt ſervi ſui: *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certè facere debueras, quantò magis* cùm rem tam facilem? Id [illegible] dicamus de ſpei præcepto. Etſi rem grandem ac difficilem dixiſſet nobis Deus, facere debueramus: quantò magis cùm imperat rem tam gratam, utilem, pronam, ut in ſe ſperemus?

VIII. Spem imperat Deus.

An verò ſperare in Deum facile eſt, cùm nec ſatis conſtet inter Theologos, quod ſpei ſit fulcimentum, ſeu motivum aut objectum formale? Sunt enim, qui putent, cùm ſpes ſit amor concupiſcentiæ, quo in bonum ferimur, quà nobis bonum eſt; eam boni ad nos relationem, ſeu reſpicientiam, eſſe formale ejus virtutis objectum: adeóque nos Deo fidere ob relativam ejus ad nos bonitatem, non abſolutam. Huic ſententiæ opponunt quidam: ſpem virtutem eſſe Theologicam, nec Deum tantùm habere debere pro materiali objecto, ſed etiam pro formali: in ea autem ſententiâ eſſe non Deus formale objectum, cum relatio bonitatis divinæ ad nos, Deus non ſit: etſi bonitas illa, qua Deus nos reſpicit, Deus eſt? Exiſtimant alii formam ſpei eſſe ab auxilio divino. Sed & huic ſententiæ idem, multóque efficaciùs, opponitur: auxilium divinum non eſſe Deum, nec poſſe eſſe objectum formale virtutis Theologicæ: imò materiam potiùs eſſe ſpei, quàm formam.

IX. Quod objectum formale ſpei?

Omiſſis hiſce Scholaſticis diſputationibus, hoc certò ſtatuendum, cauſſas cur Deo fidere debeamus eſſe ab ejus Bonitate, Sapientiâ, Potentiâ,

X. Deo fidimus, quia Bonus, Sapiens, Potens.

E e quæ

quæ tria ipſe Deus ſunt. Ita Bernard. ſerm. 20. in Cant. *Hunc ſecurus me credo, qui ſalvare me velit, noverit, poſſit.* Eas divinæ naturæ perfectiones aſſiduè cogitari, explicarique cupiebat D. Catharina Senenſis; ut animi Chriſtiani excelsâ fiduciâ, ac fortitudine, implerentur. Vates Iſaias cap. 40. elegans ænigma, obſcuramve quæſtionem, verbis magnificis more ſuo proponit: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtaterâ?* Quid autem, inquis, ea in quæſtione latet obſcuri? Dubitâtne ullus rationis ſanæ compos, quin Deus omnium ſit conditor? Video, univerſam ſententiam intelligis, & de creatione aptè reſpondes: ſed an æquè ſcis, ecquid ſibi velint partes ſingulæ? Cur incorporali & ſimplici divinæ eſſentiæ partes tribuantur? Cur pugillus palmus, digiti? Ut reſpondeas, Vates ſacros imbecillitati humani intellectus ſeſe aptare: quare tamen pugillum aquis, palmum cælo, digitos terræ, librationem ac ſtateram montibus & collibus dedit Iſaias? Neque enim ſapientiſſimo Prophetarum diſtinctè iſthæc Deus dictâſſe ſine cauſâ, dicendus eſt.

XI. *Solvitur ænigma Iſaiæ.* Aliorum interpretationes prætermitto: hæc mihi incidit, neque opinor abs re. Pugillo, quæ excidere vel effluere poſſunt, continemus: ſi aquam haurimus, vola eſt alvei inſtar, circùm digiti compreſſi ſurriguntur ſicut aggeres, ut profluum liquorem coërceant. Ita Deus congregationes aquarum, quas appellavit maria, in alveum, velut in volam, colligit, litoribuſque & aggeribus coërcuit, ne terris undique ſeſe infunderent. *Huc uſque*, inquit mari ſupremus conditor, Job. 38. *venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* F[illegible]eſt, cur *pugillo admenſus aquas* dicatur. Pal[illegible] extendimus complicata & contracta, ac complanamus. Cælum infernè quà elementis jungitur, & supernè quà univerſum claudit, nihilque præter imaginaria ſpatia trans ſe habet, extenſum ac læve eſt; gibbo aſſurgit nullo, imò nec verrucula: ſive fluidum dicamus eſſe, ſeu ſolidum: ſive extimâ ſuperficie ſphæricum ſit; ſeu, ut alii malŏere, quadrum. Ideo Deus *palmo cælos* dicitur ponderâſſe. M[illegible]dus ſuum, & gravitas inſita, ſtabiles facit. Idcirco deſcribuntur tamquam *librati in pondere*. *Colles* ſirmat radix ſua, & fulcimentum poſitum in lineâ diſectionis, ſeu rectâ lineâ ad centrum terræ ducente: quemadmodùm quæ in ſtaterâ appenduntur, ideò non excidunt, quia lanx ſuſtentat: hinc *librati* dicuntur *in ſtaterâ*. Cur verò *tribus digitis moles terræ* appenditur: cùm unum alibi *digitum Dei* legamus, Spiritum ſanctum? Quia terra, & in eâ homo, Bonitatis, Sapientiæ, ac Potentiæ divinæ ſingulare opus eſt; & illis productus, iiſdem conſervatur.

XII. *Cor hominis moles terræ.* Quid ſi molem terræ cor humanum interpretemur? Pium erit, neque alienum à prophetæ mente, qui totum illud caput animandis ad fiduciam impendit. Et prorſus moles terrea cor noſtrum eſt: exſuccum ut terra, ac frigidum de ſe; nil vitale producturum, niſi supernè irrigetur & calefiat. Deinde ad ima pondere ſuo procidens; niſi vel ſuſtentetur, vel appendatur. Quàm ſæpè incenſis deſideriis, ac propoſito vitæ in altum ferimur; ſed mox difficultate aliquâ extrinſecùs occurrente, vel intrinſecùs naſcente, relabimur ad infima? Nunc agiles, generoſique, & auſuri cum Paullo dicere, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*: at brevi ad centrum proni, deſides, puſillanimes, pigri ad exſurgendum. Non audis cogmitem Chriſti Apoſtolum, poſt tot miracula ſpectata, recidentem ad diffidentiæ centrum, quando de turbis alendis agitur? *Unde*, inquit, *ememus panes, ut manducent hi.* Joan. 6. Sic de nobis ſumus; niſi Deus, qui novit figmentum noſtrum, lucidam iſtam maſſam, & informem oneroſamque ſibi ipſi molem terræ, tribus Bonitatis, Sapientiæ, ac Potentiæ digitis appendat per bona deſideria, & per fiduciam ſuſtentet.

XIII. *Spes naturalis in viribus fundata.* A ſpe naturali ad ſupernaturalem, ab humanâ ad divinam, argumentum ducamus. Fidit æger medico, quia expertum eſſe novit intelligentemque morbi ſui, & medicamentis uti efficacibus, nec tam malum eſſe, ut diu ægritudinem trahat ad injuſtum lucrum. Mendicus ſtipem ſperat à divite, quem poſſe ſcit; ac nôſſe petentis indigentiam; & velle, quia caritatis Chriſtianæ cultor eſt. Exſpectat aulicus à Principe beneficium, quod in ejus eſt poteſtate, notáque illi ſcit merita ſua, nec deeſſe compenſandi voluntatem. S. Ignatius noſter Conſtitutionum par. 8. cap. 1. litera C, in Declarationibus, ad firmandam ſubditorum erga moderatores ſuos fiduciam vult effici, quantum poteſt, *ut ſubditi ſibi perſuadeant ſuum ſuperiorem Scire, Velle, Poſſe benè ipſos in Domino gubernare.* Perſuadeas ſubdito moderatorem ſcire ac velle rectam gubernationem, nequire tamen: an umquam obtinueris ut confidat? Fac maximè poſſe, & nôſſe: deſit voluntas ſola, deerit & fiducia. Similem in modum, ut vires & animus adſint, ſola deſit cognitio regendo neceſſaria; non perſuaſeris id ſcienti, ut ſperet ſe benè gubernatum iri.

XIV. *Chriſtus quomodò medius.* Eâdem formâ ratiocinandum de fiducia in Deum. *Sperate in illum omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adjutor noſter in æternum*: quia vult, ſcit, poteſt nos juvare. Vult, quia optimus: ſcit, quia ſapientiſſimus: poteſt, quia omnipotens. Unde meritò conficias, citra præſumptionem, quæ vel inſana ſemper vel hæretica eſt, numquam Deo nimis fidi poſſe. Nam ſi eò plus homini fidendum, quò melior, ſcientior, ac potentior eſt: quantum quæſo fiduciæ Deo tali debemus? Amicus ſponſi Joannes Baptiſta. Joan. 1. de Chriſto cum Phariſæis loquens, *Medius*, inquit, *veſtrûm ſtetit.* Scio ingenioſas multas ac pias ejus dicti explicationes, aut applicationes, afferri: Chriſtum medium verè tunc ſtetiſſe, aut paullò antè fuiſſe in plebe: medium dici, ut alludatur ad illud Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabit de medio fratrum veſtrorum*: medium eſſe inter Judæos, quia in Scripturis ubique deſignatur: medium homines inter ac Deum eſſe, quia Deus homo, & quia mediator Dei & hominum, ac præterea, quà ſecunda Trinitatis perſona, medius eſt inter primam ac tertiam. Medium ego vocatum dixero: quia inſtar unius ex nobis, velut de medio ac de turba vixit, converſatus eſt, mortuus eſt, aditu facillimo, obvio alloquio, abdicatâ majeſtate omni; ne quid fiduciæ animandæ deeſſet.

XV. *Deus quomodo inter nos medius.* Dubitâris licèt aliquando, cùm Deum creatorem tantummodò cogitabas, an te ſincerè & intensè amaret. Dubitare jam nefas, ac diffidere, ex quo *medius ſtetit*, etiam inter latrones, ut te ſalvaret. Credes nunc, opinor, cùm tibi dicam: Deum inter nos medium eſſe, uti centrum in circulo, ad quem ſpes omnis noſtra ac deſiderium referri debet: Uti medicum in magno hoſpitali, ad quem ægri omnes ſucclamamus, *O Domine, ad te ſunt oculi noſtri, ne pereamus*: Ut legiſlatorem,

in plebis

in plebis multitudine ſuavia ſpei præcepta dictantem, de quo dicamus, *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: Ut paſtorem inter caras oves, qui de ſe ait Ezech. 34. *Ego paſcam oves meas; quod perierat, requiram; quod abjectum erat, reducam; quod confractum fuerat, alligabo*: Ut patrem in medio dilectorum liberorum, de quibus uſurpari poſſit illud, *Filii tui, ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.* pſal. 127.

XVI. Inde fiducia in Deũ. Non ſperea in Deum quantum potes, cùm ſeſe ipſe *medium* in ſede amoris, in corde tuo collocârit? Cùm amoris ſui teſtimonia, fidelitatis, veritatis, liberalitatis, promiſſorum, bonitatiſque omnigenæ, in medio videnda, audienda, tangenda propoſuerit. *Chirographum dedit*, inquit Auguſt. in pſal. 144. *id eſt Scripturam. In iis legimus promiſſum Filium, dedit: mortem ejus, mortuus eſt. Si tam fidelis fuit in præteritis, non erit in dandis?* Extende & exaggera fiduciam tuam, quandoquidem *medius ſtetit*, & ſtat Deus in corpore tuo, in anima tua, ut quid tibi deſit inſpiciatur è proximo, & quibus viis tibi ſubveniat. Eſtne aliquid tuorum illi ignotum? Numquid omne imperfectum, ſicut & omne pretioſum, videt oculus ejus? Imperfectum videt; videndo tamen, atque auxilia idonea dando, facit pretioſum. Nec minùs omnipotens eſt, quàm omniſcius, & *medius ſtetit*, quomodò cognitione ita & efficientiâ: novit omnia in te, & aget in te, quod tibi proſit; niſi deficiente fiducia manum ejus operari paratam impedias.

XVII. Speranda Beatitudo æterna. Hinc conſequens erit, quænam à Deo ſperare debeamus. Breviter dixero, omnia. Quâ de re conſules, ſi lubet, D. Thom. 1. 2. q. 69. a. 2. & 2. 2. q. 17. pluribus articulis. Claritaos cauſſâ res ſperandas in tria genera partiamur, quæ forſan intelligi Pſalmiſta voluit, cùm dixit: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Triplex enim eſt viventium terra: prima eorum qui beatè vivunt in lumine gloriæ: altera ſanctè viventium in die gratiæ: tertia vitam tranquillè degentium in bonis naturæ. Iſthæc omnia à Deo ſperanda ſunt: primum tamen omnium, ac præcipuum, quò cætera referuntur, eſt Beatitudo æterna; ejuſque ſpes tanti facienda, ut præ illâ poſſeſſio rerum omnium creatarum nihili ſit. Ita Bernard. epiſt. 42. ad Henr. Archiep. Senon. *Comparemus, ſi placet, theſauros Regum, & faſtigia regnorum, cum hujuſmodi fiducia: nonne cuncta horum felicitas, præ tanti boni divitiis, miſeria reputabitur?* Sperare autem ſalutem debemus: quia *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: quia ſcit Deus, quænam gratiæ ſint ad hunc finem arbitrii noſtri libertati contemperatæ, ut *etiam rebelles ad ſe compellat propitius voluntates*: quia vult ſeriò omnes ſalvare, *Nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2. Petr. 3. cùm ſit *Salvator omnium*, 1. Tim. 2.

XVIII. Quàm firmiter. Nec diffidentia in corde ſubmurmuret, hoc de voluntate generali omnes ſalvandi intelligendum. Occurrit enim Paullus Rom. 8. & Chriſtiano plus aliquid, in Dei optima ac benevolentiſſima voluntate, demonſtrat: *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei: ſi autem filii, & heredes.* Et oe quis ex profligati Janſeniſmi reliquiis, & malè adductis Auguſtini verbis, obſtrepat neſcio quid de Gratia & Prædeſtinatione: audiat Auguſtinum ipſum lib. de Bono perſeverantiæ, qui ultimus putatur eo de argumento per ipſum ſcriptus. Docet quemadmodùm de Prædeſtinatione ad plebem differere debeamus, ut ſalutis ſuæ fiducia nemini minuatur, nec præfidentia inſinuetur. Poſtquam monuit, hortandos ad orandum Deum ac benè operandum auditores; dicendum, inquit, illis: *Et hoc faciendo confidite, vos non eſſe à prædeſtinatione populi ejus alienos... Abſit à vobis deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere jubemini, non in vobis.* Deinde cum ſubjeciſſet: *Nemo poteſt eſſe ſecurus ante tempora æterna*, mox adjicit: *Faciet nos perſeverare in ſe uſque in finem, cui quotidie dicimus, ne nos inferas in tentationem.* Non jam affero, quî D. Liduina Confeſſarium reprehenderit, voventem ut tot annis ſibi in Purgatorio eſſe liceret, quot fortè in ſcutellâ ſinapis grana continebantur. Non recolo, quid anxio de Prædeſtinatione pio cuipiam viro intus in corde Deus reſponderit, apud auctorem libelli de Imitatione Chriſti. Audi potiùs Auguſtinum, ſeverum illum Gratiæ ac Prædeſtinationis prædicatorem. Adde ſi placet Vatem Regium, pſalm. 26. *Credo videre bona Domini, in terra viventium.* Non ait, *ſpero*, ſed *credo*, ut oſtendat quàm excelſa ſit ſpes, & proximè accedens ad certitudinem: moxque addit: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.*

Cùm verò in cælum nihil intret coinquinatum, ideò ſperanda eſt peccatorum remiſſio, tamquam neceſſaria ad æternam beatitudinem via: Rationes ſperandi eædem ſunt; quia ſcit gratias quibus convertat peccatores, & Poteſt illas, ac Vult impendere. XIX. Remiſſio peccatorũ ſperari debet. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* Solis: οὐδεὶς οὐ λόγῳ κιμμέριος, *Cimmerii non ſunt illi*, ad radios ac flamas lucis, ex Verbo Incarnato promanantia, ait Clemens Alex. in protrept. Non vides quemadmodùm *Medius ſtetit* inter peccatores, in conviviis, in itineribus, in ſermonibus, in cruce? Ignoras mortuum feciſſe, faceréque quotidie, quod vivus fecit? Numquam expendiſti celeberrima verba Paulli? 1. Tim. 1. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus JESUS venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum ego primus ſum. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus JESUS omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Aug. in pſal. 130. & ſerm. 9. de verbis Apoſt. atque iterum ſerm. 10. dicit, Chriſtum feciſſe, ad gratiæ ſuæ commendationem; quod commendandæ arti ſuæ, medici ſolent: deſperatum quempiam ægrum omni cura perſanant, proponuntque certiſſimum ſcientiæ medicæ teſtem, ac vivum exemplum. Ita, inquit Chriſtus Paullo fecit, ut miſericordiæ divinæ æternum eſſet monumentum, & præco: *Vade, dic ægrotis, clama deſperatis, Fidelis ſermo*, &c. Quam imaginem, ſimilitudinémve, Anſelmus aliique ab Auguſtino mutuati ſunt. Si placebit exempla alia congerere miſerorum, quorum Deus miſertus eſt, *ſecundum magnam miſericordiam ſuam*, paſſim innumera in hiſtoriis ſacris reperies. Illuſtris eſt inprimis converſio Bonifacii, qui cum Aglaide impudicè conſueverat: narratur benè ac patheticè apud Baronium, tom. 2. anno 305. paullò poſt initium.

Qui hæreditatem luculentam à bono patre exſpectat, qui ſuavitatem ejus ſæpiùs in condonandis offenſis expertus eſt: immeritò ſanè de conſequenda recula quapiam deſperaverit; ſi tamen utilis petenti futura eſt. XX. Speranda item temporalia. Acceperas nuper à liberali divite aureos mille: unum hodie ſi flagitas, non ſperes? A Deo regni cæleſtis patrimonium exſpectamus; ſæpiſſimè criminum veniam obtinuimus; favoribus continuis ab eo cumulamur: vitæ humanæ neceſſaria aut commoda, ſi nobis ad beatitudinem æternam conducibilia ſunt, non ſperabimus? De hac temporalium à Deo impetrandorum

fiducia, pluſculum aliqoid damus, Tract. de Bona vol. p. 1. ſect. 3. iſta interim expende Chriſti de eo argumento verba, Matth. 6. *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* En fulcra omnia ſpei in brevem ſententiam conjecta: *Scit*, quia Deus eſt, vos *indigere*: *Vult* egenis adeſſe, quia *pater* eſt: *Poteſt* opitulari, quia *pater veſter*, ad'itus vobis in proximo, refugium veſtrum, & virtus, adjutor in oportunitatibus. *Quis veſtrum habens aſinum aut bovem non ducit adaquatum?* Et hominem egentem Deus deſerat, niſi egeſtas ipſi divitiis utilior fore prævideatur? Hæc de effectis, fundamentis, & ſcopis ſpei Chriſtianæ dicenda fuerunt, ut firmus ad ſequentia gradus ſterneretur, eáque occaſione, maximè neceſſaria, & minimè cognita virtus commendaretur. Alexander, ut aiunt prædam locupletem univerſam inter ſuos partitus, rogatusque, ecquid ergo ſibi ſervaret? *Spem*, inquit. Alexander noſter, vir ſaluris noſtræ Chriſtus, omnia ſua nobis clargitus, etiam ſpem dedit, ad extremum uſque ſpiritum conſtantiſſimè aſſervandam. Omnia licèt Chriſtiano perierint: at numquam ſpes in Chriſtum pereat.

SECTIO SECUNDA.

Spes in Deum maximè rebus deſperatis erigenda.

I. Spes creſcit in periculis. QUi Heroës, maximè ante Chriſtiana tempora, excelluêre fiduciâ in Deum: iidem exemplo nobis prævivere, ſpeï tantò magis excitandæ, quantò major difficultas occurrit, periculáve graviora. David pſalmo 26. *Si conſiſtant*, inquit, *adverſùm me caſtra, non timebit cor meum.* Sed creſcente diſcrimine creſcet etiam animus; nec timore ſolùm vacuus erit, verùm & fiduciâ implebitur: *Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Job rebus omnibus deſtitutus, novisſimè ab amicis, quod ultimum ipſi in humanis ſolatium ſupererat, impugnatus, *Quid deridetur*, inquit, *ab amico ſuo ſicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum.* Ita cap. 12. tum cap. 13. *Etiamſi occiderit me Deus in ipſo ſperabo.* Arabum, de qua gente Job fuiſſe putatur, aut ei conterminus, verbum eſt, *Anima non egreditur extra ſpem, niſi cum ingreditur mortis fines:* Item, *Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt.* Quibus ſententiis reſpondent vulgaria proverbia, *Spem ſolâ hominis morte mori · numquam deſperandum, niſi truncato capite: ſocios ultimos rei, qui plectitur; eſſe carnificem & ſpem.* Longiùs it ſpes divina, etiam trans portas mortis, & ad ipſos fermè inferos. Quid Abrahamo generoſius, qui, Rom. 4. deſperatâ humanitùs poſteritate, tamen *in ſpem contra ſpem credidit?*

II. Adeſt Deus, ubi abſunt humana præſidia. Heroüm illorum vocibus attexi poteſt Philonis ſententia, viri patribus generoſis non indigni, à quo inſignia multa de ſpe verba excepimus. Narrat Joſephus Antiq. lib. 18. c. 10. ortâ Judæos inter ac Paganos ſeditione Alexandriæ, Appionem duosque alios à Paganis Romam legatos fuiſſe: contrà Philonem, comitibus item duobus, oratorem Judæorum eodem profectum. Væſanus homo Cajus Caligula tunc imperium regebat, ſuimet regendi prorsus impotens. Is audito Appione occupatus, reſpondere parantem Philonem protinùs tacere juſſit, præcisâ ſpe omni diluendorum criminum, ab adverſario objectorum. Deſperandi tunc locus erat, apud Cæſarem tantæ potentiæ, tam efferum, & adeò malè credulum. At non ſic Philo, qui ad comites converſus; nunc, inquit, fratres, Deo, ſi umquam aliàs, fidendum, cùm nobis Cæſar iratus eſt, cui reſiſtare non poſſumus.

III. Rationes duæ cur id ſperandum. Non temerè viros magnos ſic locutos rationibus binis oſtendo: unâ ex Deo, alterâ ex nobis repetitâ. Nos enim rebus deſperatis ad Deum ſeriò converti ſolemus, cumque orare enixiùs, adeóque ejus præſidium magis promeremur. Deus autem de ſe magis propendet ad ſublevandos, qui depoſiti ac derelicti ſunt: quia bonitati ejus, ſapientiæ, ac potentiæ conſentaneum magis, atque honorificum eſt. Repetenda erunt, quæ de iſtis ſpei noſtræ fulcimentis ſectione ſuperiore diximus, præſertim numero 10. 11. 12. Terrea cordis noſtri moles numquam potentiùs ſuſtentatur tribus Dei digitis, quàm ubi fulcris aliis omnibus deſtituta, pondere ſuo deorſum ad centrum delabitur.

IV. Bonitatis divinæ natura. Bonitas divina, ut benè notat Leſſius de perfect. div. lib. 7. cap. 1. & lib. 9. c. 1. triplex eſt: Bonitas naturæ, ſeu perfectio in eſſentia: Bonitas moris, ſeu Sanctitas: Bonitas beneficentiæ, ſeu Benignitas. Hæc tertia, quæ ſpei præcipuum fundamentum facit, nihil eſt, quàm inſita ſummo bono eſſentialis propenſio ad ſe communicandum creaturis, prout earum eſt capacitas & exigentia. Itaque quò major eſt creaturarum exigentia, eò major Dei propenſio ad communicandam illis beneficentiam. Major autem eſt exigentia ubi, magis urget neceſſitas, & aliunde auxilia non ſperantur. Ab hominum benignitate, quæ divinæ tenuis imago eſt, exemplum ſumamus. Qui eâ abundat, benè vult & benefacit omnibus, quà poteſt: maximè tamen ubi inopia magis apparet. Neque exſpectat, ut ipſi Theologus inculcet: hominem in extrema neceſſitate conſtitutum, imò & in gravi, quæ huic proxima eſt, ab homine juvari debere; ſi id ſine ſuâ æquali, aut accedente ad æqualem, neceſſitate poſſit. Da mihi divitem liberalem: hinc validum juvenem mendicantem videat, inde ſenem effœtum, pari utrumque egeſtate, hunc majori neceſſitate, quia ſeſe juvare non poteſt: credo, divitis benignitas potiùs hunc eliget. Chirurgus in hoſpitalem læſorum in prælio domum inductus, ſi paria cætera ſint, ad eum primò accurret, qui de vita maximè periclitatur. Ita jubet ordinata caritas.

V. Benignitas magis propendet ad majorem neceſſitatem. Chriſtus ad Bethſaidam, ſeu potius Betheſdam, id eſt domum miſericordiæ ſive hoſpitalem, piſcinæ probaticæ circumjectam, ingreſſus, luſtratis quinque porticibus, ubi *multitudo* erat *languentium, cæcorum, aridorum, exſpectantium aquæ motum*, unicum curat *triginta octo annos* habentem *in infirmitate*, & qui dicit, *Hominem non habeo.* Quia hominem non habes, me habebis; *Surge, tolle lectum tuum.* Quando multiplicavit panes Chriſtus, Joan. 6. deſperatæ erant aliæ omnes comparandorum alimentorum viæ: *Unde ememus panes*, inquit ipſe, tentans Apoſtolorum fidem, *ut manducent hi?* Reſpondere debuerant: à manu tua benigna ac benefica, quæ præcipuè fertur erga maximè indigentes. Eodem modo quando miraculum huic gemellum patravit, & miſertus eſt ſuper turbam: non habebant quod manducarent, & defeciſſent in via, ſi dimiſſi fuiſſent jejuni. Hominis Dei illa opera ſunt: viſne hominis tantùm? Ille, qui pro patientiæ exemplo proponi ſolet, & ipſe ſeſe beneficentiæ exemplum proponit: *Ab infantia mea mecum crevit miſeratio, & de ventre matris meæ egreſſa eſt mecum*, inquit cap. 31. At unde hoc ſciam?

Ab ope-

Ab operibus meis diſce, nominatim à cura maximè derelictorum: *Si negavi pauperibus, & oculos viduæ exſpectare feci: Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Promus fui ad benefaciendum pueris indigis, & fæminis, qui parentes & maritos habebant: pronior tamen erga has ope mariti deſtitutas, illos parentum auxilio; quia erant egentiores. Simonem, Judæ ac Jonathæ fratrem, meritò τὸν εὐεργέτην, *Beneficum* Judæi agnominavêre, ut ex Joſepho dicemus ad cap. 14. Non aliâ magis ratione beneficentia ejus ſpectata eſt, quàm quòd, uti habetur ejus capitis verſ. 14. *Confirmavit omnes humiles populi ſui*: magnâ extenſâque erga omnes caritate, ſed præcipuè erga pauperes & abjectos.

VI. Idem in Deo, quod in hominibus ex ordinata caritate.

Legem eamdem ſervat divina benignitas, Davide teſte, ſæpiùs in ſe & in aliis experto. *Tibi*, inquit pſalm. 9. *derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Et pſal. 10. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Tum pſal. 64. *Exultate in conſpectu ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.* Et pſal. 145. *Dominus ſolvit compeditos: Dominus illuminat cæcos: Dominus erigit eliſos: Dominus diligit juſtos: Dominus cuſtodit advenas, pupillum & viduam ſuſcipiet.* Quid iſthæc ſibi volunt? Pauperéſne ſolos curat Deus? Nonne & divites Abrahamum, Job, teipſum, qui tot myriadum myriadas Salomoni tranſmittis. An orphanis tantùm adjutor eſt? Video tamen Iſaaci protectorem, dum eſt ſub cura cariſſimorum parentum: & Jacobi, dum à Rebecca amatur, & benè precantem Iſaacum audit. Viduáſne cuſtodivit præ Sarâ? Et qui proavias tuas Noëmi nurumque adjuvit, an defuit Annæ Samuelis matri, & prudenti Abigaili uxori tuæ? Nihil ergo aliud iſtis loquendi formulis Spiritus ſanctus innuit; quàm Deo curam eſſe ſingularem hominum derelictorom, & maximè indigentium: quales ſolent eſſe pauperes deſtituti ope pecuniæ, cui obediunt omnia; & viduæ ac pupilli, abſque mariti & parentum præſidio.

VII. In ipſis animalibus id ſpectatur.

Quò id faciliùs credamus: eâdem beneficentiâ ſolicitudo creatrix, & conſervatrix partium univerſi, arctiùs eas animantes complectitur, quibus auxilia ſæpiùs deſunt vel progenitorom, vel hominum. Pſalm. 146. de Deo dicitur: *Qui dat jumentis*, omnibus generatim animalibus juvando homini productis, ideoque nomine jumentorum deſignatis, *eſcam ipſorum* propriam, & peculiarem: *& pullis corvorum invocantibus eum.* Quorſum inter aves meminit corvorum ſolummodò? Numquid & gallinaceos ſub matris curâ fovet? Et perdices, de quibus tanta progenitorum cura eſt? Imò, quia perdices & gallinæ tanto ſtudio fœtus ſuos curant, ideò eorum pſalmiſta non meminit; ſolóſque corvorum pullos commemorat, qui à matribus ſæpè abſque paſtu longum intervallum ſoliti derelinqui, peculiari Numinis curâ indigent. Qui naturam animalium inſpexêre, aiunt indomitos equos in ſilvis errantes multò paucioribus morbis tentari, quàm domeſticos & altiles. Advertunt etiam de gallinaceis pullis, ruſticanos certiùs adoleſcere, quàm raros & caros, quibus ſtudia hominum phaſiani colores ac pennas induêre. Illi quippe non ab hominibus, ſed à Deo curantur.

VIII. Imò & in plantis.

Par arborum atque animantium ratio eſt. Pſalm. 103. ubi de creatoris providentia agitur, *Saturabuntur*, inquit Vates ſacer, *ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit.* Quo in verſu tria notanda. Primum: *Saturari ligna campi*, id eſt imbre nutriri, ſuccum abundè ſubminiſtrari, ut excreſcant in altum, & ramos latè exporrigant: de lignis hortorum nullam fieri mentionem. Alterum: dici, *Cedros Libani à Deo plantatas*, non quia cæteras arbores non produxerit, & plantârit: ſed quia cedros, vel homo non ſevit depanxitve, vel ſatas, aut depactas, curæ creatoris reliquit. Tertium: pro eo quod verſio noſtra habet, *Ligna campi*, Hebraica, & Hieronymus habent, *Ligna Dei.* Dei autem ligna vocantur, non quia cæteræ arbores pariter à Deo creatæ non ſint: ſed quia in altum excreſcunt, quomodò *Montes Dei* phraſis Hebraica vocat excelſos montes: aut potiùs, ut piè Pineda noſter, in cap. 12. Job. v. 4. quia cùm cultore careant, Deus eorum peculiaris cultor eſt. Iſtud in pomo agreſti & hortenſi licebit intueri: hæc enim ſub hominis cultura longè ſæpiùs ſterilitatem patitur. Juniperum humilem, in ora ſilvæ ventis incommodiſque cæli expoſitam, baccæ ſuæ quotannis onerant. Malus Armeniaca ſepita, reſecta, ad murum ducta ut ſoles excipiat, operta ſtragulis adverſùs aëris injurias, quàm ſæpè ſpem fructus amittit?

IX. Pariter in floribus.

Neque abſimiliter fit floribus, & arboribus. Chriſtus ad fiduciam ſuos animans, Matth. c. 6. commendanſque, ne veſtium curâ ſupervacuâ fatigentur, eos ad agrum amandat: *Conſiderate*, inquit, *lilia agri*, Salomonis gloriam ſuperantia. Quidni ad hortum delicati alicujus nos amandas, ô Chriſte? Quàm illic amœna omnia? Hîc anemonæ rideot: ibi florum ocelli, gratum oculis ſpectaculum, & naribus odor: parte illa tuliparum inſana varietas: hac parte roſarum pulcritudo, quas color externus infecit, & unguentorum radicibus inſperſorum ſuavitas. Certè colores iſti omnem Salomonicæ purpuræ ſplendorem longiùs exſuperant; quàm tenuia papavera, & cæruli floſculi frumentis intercreſcentes. Ad hos nihilominùs, inquit Chriſtus, vos ablego, quia hominum curâ deſtituti, unâ creatoris beneficentiâ vivunt. Nota erat ejus rei veritas Sponſæ, Canticorum 2. quæ, ut ſe Deo curæ eſſe oſtendat, non ab hortenſi roſa, aut viola, aut flore aliquo rariore ex India in hortum Salomonis delato, comparatiooem ſumit, ſed ab agreſtibus floſculis: *Ego flos campi, & lilium convallium.*

X. Flores campi à Deo curantur.

Flos ejuſmodi erat Suſanna, quod nomen lilium roſámve ſignificat. Colore corporis ſaturo, ſed animæ candore illuſtriori. Derelicta, accuſata, adjudicata morti, ubi homines adeſſe non poterant, Deum habuit auxiliatorem: & verò *erat cor ejus habens fiduciam in Domino*, Dan. 13. Nonne ejuſdem generis floſculus Judith vidua Manaſſis, filia Merari? Quando, obſeſſâ Bethuliâ, orans in domo ſua, cap. 9. verſ. 16. hæc dicit: *Non in multitudine eſt virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua eſt, nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi: ſed manſuetorum & humilium ſemper tibi placuit deprecatio.* Poſtrema verſûs pars Græcè habet valdè ſignificanter: *Dominus es humilium, minorum adjutor, ſuſceptor infirmorum, defenſor derelictorum, deſperatorum ſalvator*, ἀπεγνωσμένων σκεπαστὴς, ἀπηλπισμένων σωτὴρ: tum ſubdit in eodem textu, ναὶ ναὶ, *Utique utique, ô Deus patris mei, & ô Deus hæreditatis Iſraël.* Florem campi & lilium convallium exhibet Eſther, depoſito cultu regio lugubres veſtes induta, cap. 14. oranſque hac formâ: *Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adjuva me ſolitariam, & cujus propter te nullus eſt auxiliator alius.* Quam ſententiam mox verſu 14. totidem fermè verbis repetit, maximè in textu Græco.

XI. Dei potentia ubique præſto eſt.

Auailium enim deſolatorum, & derelictorum opus eſt dignum non bonitate tantùm Dei, ſed etiam potentiâ. Dedignari quidem Deus non ſolet

ſolet res parvas, & è quibus ipſi illuſtre aliquod nomen non exſurgat. Quemadmodùm ſuperbis hominibus mos eſt, aſpernari operam rerum abjectarum, velut magnitudini ſuæ minùs conſentaneam. Anthol. epig. Græc. lib. 1. Hector occiſo Patroclo, qui Achillis armis inductus pugnârat, ubi detractâ caſſide vultus apparuit; dexteræ ſuæ indignatus, quod vires in hoſtem impendiſſet; *Pudet*, inquit, *victoriæ de tam invalido, indecora reporto ſpolia.* Sic loquitur humana ſuperbia. At divinæ potentiæ opus nullum indecorum eſt: tam accendit ignem cerei, quàm lucem Solis: tam tubam culicis animat, quàm guttur luſciniæ: tam movet alas reguli, quàm pennas aquilæ: tam pedes formicæ firmat, quàm plantas elephanti. Ubique enim gloria ejus & majeſtas ſpectabilis eſt, etiam in minutiſſimis.

XII. Maximè tamen in rebus difficilioribus.

Quia tamen potentia Dei magis elucet, ubi difficultas operum major eſt: idcò in his lubentiùs impeditur ab eo, cui gloria ſua ubique finem ultimum figis. Aliquid ex oblata materia effingere homines queunt. Pictorem attende, figulum, architectum: ille colores, & telam habet: huic lutum præ manibus, & rota: iſte ſolum, operáſque, & partes ædificii inveniat oportet. At de nihilo aliquid facere, Dei ſolius proprium eſt. Quid nihilo inanius, & exilius ſibi mens noſtra fingere poteſt? Imò quomodò mens noſtra ſibi nihilum fingere poteſt? Cùm non habeat quidquam unde cognitio pariatur, non ſpeciem, non proprietatem, non accidentia, non ſigna? Ex eo tamen inaniſſimo nihilo Deus omnia facit: *Vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.* Æquè ipſi facile eſt formam & materiam producere, atque figuram antè productis adjicere.

XIII. Ex nihilo magna Deus facit.

Eloquere: quis tibi populus Iſraëliticus videatur, cùm eſt in Ægypto? Populúſne pauper? Parum eſt. Populus & multitudo confuſa vilium mancipiorum? Et hoc parum eſt. Sunt enim homines nihili: alio nomine natio tam probroſa, & deſpecta appellari non debet. Benè habet igitur: ex eo nihilo aliquid Deus conficiet. Ita Moyſes Deut. 32. *Ne fortè dicerent, manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Sic ſolemus: ubi res deſperatæ non ſunt, medicus adeſt ægro, juriſconſultus reo, dux militibus. Repulſo hoſte, cauſsâ adjudicatâ, morbo curato, laudatur medicus, cauſſidicus, imperator. De Deo vix ulla mentio: forſan hymnus *Te Deum* ſemel occinitur: Sacrum unum fit de gratiarum actione. Alto deinde ſilentio auxilium cæleſte ſepultum manet. Atqui ſciebas, Chriſtiane, neque experientiam medico, nec juriſconſulto ſcientiam, neque imperatori prudentiam utilem abſque Deo futuram. Cur ergo de illo tam parum cogitas? Res difficilis non fuit: Dei potentia tam manifeſtè non apparuit. Videndus hac de re Salv. lib. 7. de Prov. alibi à nobis adductus. Itaque ad potentiæ meæ laudem & gloriam, eò ſinam te delabi, ut dicere cogâris, *Ad nihilum redactus ſum:* ex eo nihilo conficiam aliquid, victoriam, ſanitatem, juſtitiam. Tunc exclamabis, & omnes tecum: *Dominus ſolus dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Abfuit ſtulta, glorioſa, & vana ſui exiſtimatio, inanis de induſtriâ propriâ aut de favore Principum fiducia. Soli Deo gloria tribuatur; ejus bonitati, egeniſſimos complectenti; ejus potentiæ, ex difficultatibus ſummis eluctanti; ejus ſapientiæ, quò res turbatiores ſunt, eò liquidiùs digerenti.

XIV. Sapientia Dei elucet in difficilibus.

Extra tempeſtatis periculum vel puerulo gubernaculum creditur; ſi altum eſt mare, ſcopulorúmque ac brevium in nota navigatione metus abeſt. At ſimul tempeſtas ingruit, & diſcrimen à brevibus ac cautibus imminet; advolat gubernator ad puppim, & clavum ipſe apprehendit. Regat homo navim reipublicæ, aut conſcientiæ, dum tranquilla ſunt omnia. Verum ubi venti intonuêre, & naufragium pericula minantur, artis divinæ opus eſt: excitandus Chriſtus, ut *imperet ventis & mari, & fiat tranquillitas magna.* Chuſai Arachites, amicus David, numquam magis ſapientiam ſuam ac dexteritatem demonſtravit, quàm intricatiſſimo negotio ad diſſipandum conſilium Achitophelis, 2. Reg. 17. David pro filio ſapientiam cælitùs poſtulans rogat, ut detur ipſi ad exemplum divinæ Sapientiæ; quæ nuſquam ſpectabilior eſt, quàm in obſcuris & depoſitis cauſſis, quales eſſe ſolent pauperum. Pſal. 71. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis: Iudicare populum tuum in juſtitiâ, & pauperes tuos in judicio. Iudicabit pauperes populi & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem,* qui falſis accuſationibus, teſtimoniis, fraudibus, tenebras effundere conatur. Sed in iis tenebris diſſipandis, elucebit Regis, ut Dei, ſapiens judicium.

XV. Deſperati Deum obſtringunt ad opem ferendam.

Ad extremum adde: Deum ex fidelitate obſtringi ad ſubveniendum derelictis ac depoſitis. Sæpiſſimè enim pollicitus eſt opem converſis ad ſe, ſperantibus in ſe; eos qui confidunt in ſe fore ut montem Sion, qui non commovebitur. Vide eâ de re ſectionem ſuperiorem à numero 4. ad 9. Quod cùm ita ſit: conſtetque homines, tonante cælo, & in magnorum diſcriminum metu, ad Deum ſolere converti ac recurrere: conſequens erit, Deum ex vi promiſſi obligari, ad illorum fiduciam auxilio ſuo compenſandam. D. Franciſcus Xaverius, epiſtolarum l. 3. ep. 7. id exemplo ſuo oſtendit: *Nihil,* inquit, *potentius eſt ad augendam in Deum fiduciam, quàm eo loco poſitum eſſe, ubi nîl ab ullo mortalium ſperare poſſis. Id experior, ex quo apud Iapones ſum ope omni humana deſtitutus. Qui in regionibus verſantur, ubi Chriſtus colitur, amicitias habent, ſocios, converſationes, commoda, turbam in corde facientia: ita ut Deus in ea multitudine non facile ſentiri poſſit.* Eum in modum per paginas aliquot, ad finem uſque epiſtolæ, Apoſtolicus ille vir ratiocinatur.

XVI. Quia ad illum recurrunt ardentiùs.

Nec dubium, quin & nos ipſi frequenter in nobis, aliiſque, idem experti ſimus. Ubi enim morbus, periculum famæ, aliaque mala communia ſunt, & ſuperatu facilia, de Deo ne cogitamus quidem. At ubi medicorum ars, & amicorum conſilia hærent, ad Deum reſpicimus. Elegantiſſimè rem hanc oculis ſubjecit Vates, pſalmo 106. Primùm deſcribuntur peregrini *eſurientes, & ſitientes, animâ eorum in ipſis deficiente.* Ubi humana ſubſidia in caſſum deſideravêre, & quæſiêre, tandem *Clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.* Quem intercalarem verſum repetit poſt deſcriptos captivos, *vinctos in mendicitate & ferro, ſedentes in tenebris & umbrâ mortis:* tum ægros morti proximos, cùm atrophiâ laborent, ſuccíque vitalis inopiâ conficiantur, *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis:* denique nautas & vectores in alto mari deprehenſos horribili procellâ, quæ navim nunc in ſummis fluctibus ſuſpendat, nunc ad ima demergat; gubernatore ac ſociis omnibus vertigine correptis, clavo ac remigio omiſſo, *omniq; ſapientiâ devoratâ.* De hoc argumento, quòd calamitates orationem ac ſpem in Deum doceant, nos aliquid Excurſu ad caput

proximè

Digitized by Google

proximè ſequens. Interim maneat, in tribulationibus ac neceſſitatibus ad Dominum ſerventiùs ac fidentiùs, quàm umquam, clamari: adeóque Deum auxilia debere clamantibus ad ſe, cùm res depoſitæ ſunt: non ſolùm ob Bonitatis ſuæ, Potentiæ, ac Sapientiæ gloriam, ſed etiam ad obſtrictæ promiſſo Fidelitatis exſolutionem.

XVII. In omni calamitatum genere Deus ſit noſtrum refugium.

Igitur excelſo animo & generoſâ ſpe, quotieſcumque mala ingruunt ad Deum confugiamus; & quo graviora erunt, eò fidentiùs. Si pericula privata calamitatum temporalium erunt: exemplum habemus Jonathæ, ad calcem hujus capitis; qui deſertus à ſuis, cùm vitâ periclitaretur, Mathathiam ſecum & Judam habuit, id eſt *Donum Dei & Laudem*. Si publica diſcrimina incumbunt: habemus quod imitemur in Joſaphath Rege, 2. Par. 20. ad Deum confugiente, & hæc in aliis præclara dicente: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtròs dirigamus ad te.* Vide etiam quid Machabæus egerit, in Comment. ad cap. 3. v. 43. 44. &c. Si neceſſitas ſpiritalis urget, & pericula animæ omnium graviſſima, cum Davide dicendum, ex pſalm. 24. *Reſpice in me, miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego.* Non jam pro flectendo te, meam manſuetudinem tibi propono, ô Deus, quomodò aliàs feci, cùm dixi, *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Sed longè potentiùs ad opem tuam impetrandam argumentum affero, quòd deſolatus ac deſertus ſim, eóque loco, quem tu ſoles reſpicere. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt. Vide* quæſo *humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea*, quæ maximæ ſunt calamitatum omnium. Orantem & ſperantem in te non deſpicies, Domine: *In te ſperavi, non confundar in æternum.*

SECTIO TERTIA.

Spes Chriſtiana, in Chriſto fundata.

Ad illa verba Luc. 18. *JESV fili David, miſerere mei.*

I. Chriſtus ſpes Chriſtiani.

HACTENUS de ſpe fiduciáve, Theologicâ virtute, diximus, quà Deo innititur. Nunc ſingulare aliquid de Chriſtiana ſpe dicendum; cujus fundamenta formaléve objectum in Chriſto eſt, id eſt in Deo homine. Quod *Timotheo dilecto filio in fide* deſignabat Paullus, primâ ad ipſum epiſtolâ, his verbis affectum fiduciámque erga optimum Salvatorem ſpirantibus: *Paullus Apoſtolus JESV Chriſti, ſecundùm imperium Dei Salvatoris noſtri & Chriſti JESV ſpei noſtræ.* Et Ignatius Martyr, epiſtolâ ad Smyrnenſes, perfectam conſummatamque Chriſtiani ſpem ait in Chriſto conquieſcere: ἡ Ἐλπὶς πίστις ἰησοῦς Χριςός: ubi nomen πίστεως, quod fidem aliquando ſignificat, manifeſtum eſt ex materiâ ſubjectâ ſpem ſignificare.

II. Motiva ejus ſpei brevi oratione cõprehenſa.

Cauſſas autem ſpei noſtræ, ſeu motiva, ut loquimur, in Chriſto meliùs nemo miſerorum vidit, meo quidem judicio, quàm cæcus Evangelicus: Luc. 18. inclamans identidem, objurgantibus licèt vociferationemque compeſcere conantibus aliis, *JESV, fili David, miſerere mei.* Architectonices ſtudioſi, picturæque, ac ſtatuariæ, aiunt, in unâ Marci Aurei Ant. ſtatuâ equeſtri, quæ Romæ ſupereſt, artium illarum principia ſymmetriamque omnem, ſi accuratè inſpiciatur, contineri. Et, quod magis ad rem noſtram facit, magiſtri eloquentiæ diſcipulis inculcant hoc præceptum: ut vel unam Ciceronis orationem in partes omnes diſſecent, eaſque expendant & excutiant, quomodò in anatomicâ fieri ſolet; ſaos id fore, ad pernoſcendam omnem eloquentiæ artem. Pluris longè mihi eſt oratiuncula una Bartimæi, quàm longa oratio Ciceronis. Ex illa diſſecta, & perpenſa, rhetoricæ divinæ artem, flectendique ad miſericordiam Salvatoris potentiſſimas rationes, addiſcemus.

III. Moribundi magni Principis oratio.

Intellexerat acerrimi judicii, vivaciſſimique ingenii ac facundiæ ſummæ, Princeps, quem nobis annus ſæculi hujus duodecimus ſuſtulit. Vitam publicæ rei utillimam egerat, religionis conſtans defenſor, pacis procurator, juſtitiæ cuſtos, legum exactor. At licentiâ Principali quædam privatim peccârat, ſibique non itidem atque aliis bonus vixerat. De propatruo loquor Sereniſſimi noſtri Principis Maximiliani Henrici, cui, dum hæc ſcribo, Leodii rem publicam inter externa inteſtináque mala magnis animis curanti, ſalutem, proſperitatem, conſilium, fortitudinem à Deo exopto, eáque omnia, quæ Regius Vates pſalm. 71. Salomoni filio vovit, de Chriſto abnepote ſuo prædixit. Scribebam autem iſta, & pró concione dicebam, abhinc ſexennium. Is ergo Erneſtus Princeps, Arensburgi in Weſtfalia morbo extremo tentatus, abdicatis curis aliis omnibus, in unam expiandarum noxarum ſolicitudinem intentus, Chriſtianis Sacramentis, ac præſertim anteactæ omnis vitæ confeſſione, procurato animo; identidem voces illas, *JESV fili David miſerere mei*, ingeminans, inter Chriſtianæ ſpei brachia piè admodum, ac fæliciter mortuus eſt.

IV. Ejus orationis partes quinque.

Totidem fiduciæ noſtræ incitamenta in ea brevi oratione invenio, quot voces, id eſt quinque. Primum dicit *IESV*, nomen proprium; non *Chriſte*, aut *Meſſia*, etſi agnomina ſint & valdè ſuavia: non utitur appellativo, *Magiſter*, *Præceptor*, *Propheta*, *Domine*, quibus ipſi Apoſtoli ſæpè uſi ſunt in periculis: *Domine ſalva nos, perimus*: *Præceptor non ad te pertinet, quia perimus.* Ipſæ ſorores binæ cum fratre Lazaro, ſive adjutorio Dei, erga quas omnem benignitatem ſuam explicârat Chriſtus, nomine tamen Domini utuntur. Martha Joan. 11. *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Magdalena Joan. c. 20. *Mulier quid quæris? quid ploras? Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* Deinde dicente Chriſto, *Maria*, ipſa tamen ex veteri conſuetudine non dicit, *IESV*, ſed *Rabboni*, id eſt *Magiſter noſter*.

V. JESU proprium nomen & officium miſeros Salvare & juvare.

At cæcus JESU nomine utitur, quod Salvatorem ſignificat, officium proprium ac præcipuum Dei hominis. Quaſi diceret: JESUS es, id eſt Salvator, adjutor, liberator miſerorum. Exerce officium tuum erga me: fruſtra enim officii titulus, niſi exerceatur. Philippo Macedoni, curarum multitudinem excuſanti, miſeramque mulierem audire recuſanti: Tu igitur, inquit hæc, Regium titulum depone ſi munus implere non vis, aut non potes. 4. Reg. 6. obſeſsâ Samariâ per Syros, infælix fæmina, Regi mœnia obeunti occurrens, occlamat, *Salva me Domine mi Rex.* Ad quæ ille: *Dominus te non ſalvat, quomodò ego te ſalvabo?* Muneris mei id non eſt: ut ſit, non eſt tamen potentiæ. At Chriſto ſimul officium obvênit, & poteſtas ſalvandi. Adeóque aptiſſimè cæcus vocem id ſignificantem uſurpavit. Diceres audîſſe, quod longè poſt Bernardus ſuis commendabat, ut fiduciam erga piiſſimum Salvatorem

excitaret: *Quid quæris, quod in illo non invenias? Si ægrotas, medicus eſt. Si exulas, dux eſt. Si deſolatus es, Rex eſt. Si impugnaris, pugil eſt. Si triſtaris, gaudium eſt. Si obtenebrâris, lux eſt, &c. Quid autem laboro? Omnia quæ velle potes, & debes, eſt Dominus IESVS Chriſtus. Deſidera hunc, require hunc.* Fecit cæcus noſter tantò ante D. Laurent. Juſtinianum, quod hic ſuos monebat: *In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus, ubicumque extiteris, Salvatoris profer nomen.* Dulciſſimum illud & potentiſſimum nomen ingeminat *in via*, quia novit obtenebratum ſe, eumque lucem eſſe.

VI. Miſericors Chriſtus, quia filius hominis.

Et quò magis ad exercendam Salvatoris ſuavem cutam feratur, novit hominem experientiâ ſuâ didiciſſe humanas miſerias. *IESV*, inquit, *fili David*, fili quidem Dei, ſed etiam fili hominis; adeóque multa perpeſſe, unde miſericordiam erga afflictos indueris. Bernard. cap. 2. de grad. Humilitatis: *Neſcit ſanus quid ſentiat æger, aut plenus quid patiatur jejunus. Et æger ægro, & jejunus jejuno, quantò propinquius, tantò familiarius compatiuntur.* Poterat Lazarum pauperem & infirmum juvare dives epulo: nolebat. Cauſſa tantæ duritiei erat indolentia: quia ſenſu mala non perceperat, indutus purpurâ & byſſo, & quotidie epulans ſplendidè. Regina illa poëtica aptiſſimè exuli, ad ſe appulſo, dicebat; *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.* Vide & eâ de re D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 2. in corp.

VII. Experientia malorum miſericordes facit.

Idem de Chriſto Bernardus cap. 2. de gradibus Humilitatis fusè & pulcrè, ubi benè diſtinguit ſcientiam experimentalem à ſpeculativâ. Deinde quærens, cur filius Dei voluerit eſſe, non tantùm filius hominis, ſed etiam pauper, famelicus, triſtis, calumniis appetitus, derelictus, hanc ſubdit rationem: ut haberemus infirmitatum medicum, & Salvatorem, *qui ſanare illas & poſſet, ut Deus: & vellet, ut proximus: & cognoſceret, ut eadem paſſus.* Ante Bernardum D. Paullus, Heb. 2. *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo quis paſſus eſt, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* Quo iterum ſpei motivo nos animat ejuſdem epiſtolæ cap. 4. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, probatum autem per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato.* Triſtis ſum, ô JESU, propter mala præſentia: & tu de triſtitia queſtus es. Timeo mala futura; & tu in agoniâ fuiſti. Paupertatem ſentio: tu mendicâſti. Calumnias patior, invidiâ exagitor, ab inimicis opprimor: tu gentibus traditus fuiſti. Peccator ſum: tu ſine peccato peccatoris figuram, jam inde ab nativitate, induiſti, & iræ paternæ flagella pro nobis excepiſti.

VIII. Chriſtus cur vocetur filius David.

Augendæ fiduciæ, ponderandum item, quòd cæcus JESUM nominat non filium hominis, ut ipſe ſeſe generali appellatione vocitavit: Matt. 16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Et Matt. 9. *Ut ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Sed ipſum appellat filium David: quo etiam titulo uſa Chananæa, pro ſalute filiæ interpellans prætereuntem. Scio vulgò dici, ita appellâſſe, ut oſtenderet à ſe haberi pro Meſſia, qui Davidi promiſſus ex ejus ſtirpe per ea tempora exſpectabatur. At nonne Meſſias etiam Abrahamo patri credentium, obedientiæ ſummo exemplo, promiſſus fuerat? Nonne Iſaaco & Jacobo protopatriarchis ſummæ virtutis, pacificis, obedientibus, integris, fidelibus, ſeminis benedictio, deſiderium collium æternorum, exſpectatio gentium, ſponſione divinâ fuerant addicta? Eccurnam igitur filius David potiùs vocatur; quàm Abrahami, aut Iſaaci, aut Jacobi: quorum ſe Deum tam ſæpè nominârat; *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob?*

IX. Præſertim manſuetudinis cauſſâ.

Ratio una produci poſſet, ex eo quod David peccator fuerit, & pœnitens. *IESV, fili David*, qui inter avos tuos peccatorem homicidam & adulterum numeras, me peccatorem ne rejice. Altera ratio plauſibilior ex virtute ducetur, quæ Davidi velut propria eſt: *Memento*, inquit pſal. 131. *Domine, David & omnis manſuetudinis ejus.* Non unum in illo manſuetudinis genus, actus innumeri: erga Saulem, aliósque inimicos: erga Jonathan amicum: erga notos, & ignotos. Chriſtus aptiſſimè filius Davidis, à patre cor manſuetum accepit. Non ſatis eſt hominem eſſe: neque enim homines omnes humani ſunt, & aliquando fit *homo homini lupus.* Tu verò, Chriſte, homo es, & humaniſſimi hominis filius, qui ſuâ manſuetudine deſignavit qualis futurus eſſes: figuramque ſuam vaticinio firmavit, pſalm. 71. *Deſcendet ſicut pluvia*, non in rupes cum ſtrepitu, aut in humum duram, ſed *in vellus: & ſicut ſtillicidia* non ut grando crepitans & ſegeti noxia, non ut imber vehemens inflandis torrentibus, ne ut nix quidem quæ datur ut lana frigida; ſed *ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*, & eam irrorantia, ut fructum proferat.

X. De eâ vaticinia.

Eò alludebat Evangelicus Propheta, cap. 42. *Non erit triſtis, neque turbulentus, neque audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Poſtremis verbis ſignificanter ſuavitas Chriſti erga homines immeritos indicatur. Calamo fragili & præacuto, ubi diſruptus eſt, exprimuntur qui alios ferre nolunt, lædere prompti. Ita explicat Euſeb. Gall. hom. de iis verbis, ubi hortatur ut non ſimus arundini ſimiles, cui eſt *infirmitas ad adjuvandum, & facilitas ad lædendum.* Lino fumigante indicantur, qui aſſiduas amaraſque ex aliorum oculis lacrymas eliciunt. Eos tamen, tam indignos miſericordiâ ſuâ, Chriſtus miſericorditer tractabit.

XI. Ac figuræ.

Leonem de tribu Juda ab Iſraële moribundo vocatum non ignoro. Sed cicur eſt, lædere ultrò non novit. Et ut manſueviſſe intelligas, omiſſo Leonis nomine induit appellationem *Agni*; neque aliter deſignari ab antecurſore ſuo voluit, auſtero licèt, & in criminoſos acerbo in ſpeciem. Agni vox fuit, cùm excluſus impudenter ab urbe Samaritanorum, Luc. 9. rogantibus diſcipulis, ecquid ignem de cælo, ulciſcendæ tam acerbæ contumeliæ, devocari vellet, reſpondit: *Neſcitis, cujus ſpiritus eſtis.* Jam perpetuæ illæ voces: *Veni quærere, & ſalvum facere, quod perierat: Venite ad me omnes, qui laboratis: Sinite parvulos venire ad me.* Præterea dulcis illa miſeriis alienis illacrymatio: ægrorum ac calamitoſorum omnis generis ad eum confluxus: conſuetudo ipſius, quacumque tranſiret, benefaciendi, ut numquam niſi porcis & ficui maledixiſſe legatur, idque ad homines officii ſui commonefaciendos. Quare Paullus Corinthiis obteſtandis efficacius verbum non invênit, quàm ut obſecraret *per manſuetudinem Chriſti*, 2. Cor. 10. Et meritò Bernardus dixit, *propter manſuetudinem quæ in te prædicatur, currimus poſt te, ô Domine IESV*, ſerm. 22. in Cant. Ac manſuetiſſimus Rex David de eo prædixit: *Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* pſal. 44. Uti & pſalm. 71. dicit dominaturum *à mari uſque ad mare*, quia ſcilicet *deſcendet ſicut pluvia in vellus.*

Poſt

XII. *Miſericordia Dei proprium opus.* Poſt Davidis commemorationem, cæcus apertè miſericordiam petit à Chriſto: *IESV fili David miſerere.* Tangitur quarta eáque efficax inprimis ratio movendi ab ipſa miſericordia, quæ proprium Dei opus eſt. Ita Eccleſia oratura inchoat ab eadem commendatione bonitatis divinæ: *Deus, cujus natura bonitas, cujus opus miſericordia: Deus, qui potentiam tuam parcendo maximè, & miſerando, manifeſtas: Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.* Quam Dei proprietatem, in hoc ſitam, quòd excellentiſſimæ naturæ maximè conſentaneum ſit defectus ſupplere, ſi intelligere & extendere latiùs voles, aliquid apud D. Thomam reperies 1. part. q. 21. a. 4. in corp. & 2. 2. q. 21. a. 2. in corp. ubi præſumptionem peccatum eſſe dicit in Spiritum ſanctum, ſed deſperatione minus: *quoniam Deo magis proprium eſt miſereri, ac parcere, quàm punire, propter infinitam ejus bonitatem. Iſtud enim ſecundum ſe Deo convenit: hoc autem ſecundum noſtra peccata.* E cælo interdùm in terras influentiæ benignæ emanant: supernè etiam interdum fulmina jaciuntur. Illæ ex ipſorum aſtrorum naturâ ſunt, & aëris. Materiam fulminibus præbent exhalationes terreæ & craſſæ, quæ in originis locum recidunt. A Dei natura ſunt gratiæ ac beneficia: à nobis materia pœnarum noſtrarum. Hinc eleganter Iſa. cap. 28 puniendi *opus* Deo *ſuum* eſſe dicit, ſimul tamen *alienum & peregrinum:* quia punit quidem; at numquam, niſi cauſsâ & materiâ aliunde præbitâ. Miſeretur autem ex abundantia pietatis, nulláque extrinſecùs cauſsâ.

XIII. *Deus eſt ipſa miſericordia.* Frequentiſſima eſt miſericordiæ ac bonitatis divinæ in Scripturis ſacris commemoratio. Nuſquam non *miſerator, miſericors, patiens, longanimis, multæ miſerationis*, dicitur. *Miſerationes ejus ſuper omnia ejus opera* efferuntur. *Miſericordiæ ejus in æternum* cantandæ celebrantur. At neſcio an uſquam diſertiùs commendetur, quàm brevibus illis Pſalmiſtæ verbis, pſalm. 58. *Deus meus, miſericordia mea.* Cum avarum aliquem pingere volumus: poſtquam libros, numeros, oculos pervigiles, ſeras, veſtium rettimenta, menſæ ſordes deſcripſimus, ad extremum ſubjungimus; verbo, eſt avaritia ipſa. Si ſuperbum pingere mens eſt: poſt thraſonica verba, geſtus immanes, oculos hirquos, frontem imperioſam, ſupercilia adducta, ambitioſas fraudes, rivalium depreſſionem, ultimo loco claudimus; finge tibi denique ſuperbiam ipſam. Laudandus nobis eſt vir humanus & cordatus, cuivis vel infimo obvius, ſermonis ſuavis, oculorum lenium, manuum beneficarum: titulo uno deſcriptionem abſolvimus, eſt ipſa humanitas, ac beneficentia. Quid vultis, ait Pſalmiſta, ad miſericordiæ divinæ laudem? Ingeminarine iſthæc mea: *Numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas:* aliáque dicta ejuſmodi? Unum ſit pro omnibus, *Deus meus, miſericordia mea.* Ipſiſſima miſericordia eſt, & mea quidem: nam meam, ſi volo, implorando & invocando facere poſſum.

XIV. *Miſericordia Dei in omnes.* Neque ego modò, ſed & mortalium quilibet, ſi fidem in Deum erigat; qui *diligit miſericordiam & judicium, miſericordiâ Domini plena eſt terra.* Quæ verba explicans Auguſtinus, conc. 1. in eum pſalm. 32. *Intendite iſtam miſericordiam & judicium. Miſericordiæ tempus modò eſt: judicii tempus poſt erit. Unde eſt miſericordiæ tempus? Vocat modò averſos: donat peccata converſis. Patiens eſt ſuper peccatores, donec convertantur. Quandocumque converſi fuerint, præterita obliviſcitur, futura promittit. Hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adjuvat dimicantes, neminem deſerit laborantem & exclamantem ad ſe, donat unde ſibi ſacrificetur, ipſe tribuit unde placetur. Magnum miſericordiæ tempus non nos tranſeat frater, non nos tranſeat. Venturum eſt judicium. Erit & tunc pœnitentia, ſed infructuoſa.* Deinde conc. 2. in eumdem pſalm. iſtud expendens: *Miſericordia Domini plena eſt terra: Accipiamus*, inquit, *miſericordiam, fratres, accipiamus omnes: nemo noſtrum in accipiendo dormiat. Sic ad nos clamat Deus, tamquam ſi tempore famis diceretur, accipite frumentum. Quod cum audires, profectò ipſo ſtimulo neceſſitatis concitus curreres, verſans te huc atque illuc, quærens unde acciperes, quod dictum eſt, accipe. Et tum venires, quando teneres? Quam moram interponeres? Sic & nunc dictum eſt, accipe miſericordiam. Nolo mihi dicas, unde accipio? Quò eo? Recordare quod cantaſti: Miſericordiâ Domini plena eſt terra. Ubi jam non Evangelium prædicatur? Ubi ſermo Domini tacet? Ubi ſalus ceſſat? Opus eſt, ut velis accipere, plena ſunt horrea.*

XV. *Præſertim erga miſeros.* Ne autem forſan tibi diffidentiæ ſpiritus ſuggerat, miſerior ſum, quàm ut ad miſericordiam aſpirem. Imò ideò magis ſperare debes, quia miſerior es: & propter id ipſum miſericordiâ digniorem te æſtima, quia indignum te putas. Audi & hic Auguſtinum, eodem loco: *Miſericordia Domini plena eſt terra. Quid cæli? Audi, quid cæli. Non indigent miſericordiâ, ubi nulla eſt miſeria. In terrâ abundat hominis miſeria: ſuperabundat Domini miſericordia. Miſeria hominis plena eſt terra: & miſericordiâ Domini plena eſt terra.* Piè admodum in ſimilem ſenſum à Bernardo, aliiſque, trahitur illud Pſalmiſtæ: *Abyſſus abyſſum invocat*, ſcilicet abyſſus miſeriæ abyſſum miſericordiæ.

XVI. *Major miſeria majorem miſericordiam poſcit.* Quò enim hæc niſi ad illam reſpiciat, & tantò intentiùs, quantò major eſt? Uti enim bonum, quò excellentius eſt, amorem magis trahit: ita miſeria, quò plus excrevit, miſericordiam potentiùs ſolicitat. Vel teipſum conſule: ſi de pauperibus, ægris, deſolatis duobus, ubi cætera ſint paria, non eum promptiùs complectare, qui maximè indigeat. Sic enim habet ordinata caritas, quæ in Deo ordinatiſſimè agit. Fac te corpore infirmum, bonis ſpoliatum, famâ laborantem: non iſthæc tanta mala ſunt, quantum eſt peccatum, animi morbus, ſpiritalis nuditas, ignominia coram Deo & Angelis ejus. Fac ergo te peccatorem, & gravem, & inveteratum. Modò calamitatem agnoſcas, neque iſti Apocalypſeos c. 3. Laodiciæ populo ſimilis ſis, qui ſibi inaniter de fælicitate imaginaria plaudebat; cùm eſſet *miſer*, imò *& miſerabilis*, etſi miſericordiam non expeteret, *& pauper, & cæcus, & nudus.* Agnoſce itaque quantamvis calamitatem tuam, & ex ejus ſenſu opem à ſummo Numine invoca. Experieris miſericordiam pervigilem à miſeriâ potentiſſimè inclamari.

XVII. *Eo motivo uſus cæcus.* Eam me artem cæcus noſter poſtremo orationis loco docuit: cùm velut fortiſſimum argumentum ſubjecit, *JESV, fili David, miſerere mei.* Mei, inquit, miſerere, quia miſerabilis ſum, digna bonitate tuâ materies. Egeſtas mea opulentiam tuam, ditiſſime negotiator, implorat. Cæcitas mea te obſecrat, ô vir cui nomen Oriens. Miſerere quia miſericors, & quia miſer ſum. Oculis tuis benignis, ac cordi clementiſſimo, mala corporis mei oſtendere ſatis eſt. Quid autem ſi & animo cæcus ſum? Si quæ nox infidelitatis intelligentiæ meæ incumbit? Agnoſco quidem te JESUM, & filium David, & rogo miſerearis, quod Dei proprium: tenebræ tamen aliæ poſſunt ſupereſſe. Et ut Infidelis non ſim, poſſum in paupertate

cupidus

cupidus eſſe, poſſum in cæcitate meâ iracundus, querulus, rixoſus. Itaque *IESV, fili David, miſerere mei.* Sic oravit cæcus, & exoravit. *Quid tibi vis faciam,* inquit Chriſtus? Cui ille, *Domine, ut videam.* Tum Chriſtus, *Reſpice,* inquit, *fides tua te ſalvum fecit.* Salvat te JESUS Salvator, quem invocaſti plenis fiduciâ clamoribus. Jam, ut integra ſanitas ſit corporis & animi, ſequere me, & cor ac linguam divinis laudibus impende.

XVIII. Oratione benè utendum. Habemus efficaciſſimam orationem: partes ejus attendimus: fructum vidimus: ſupereſt, ut eâ rectè utamur. Fruſtra enim materies, ſi forma deſideratur. Et quomodò in rhetoricis ſæpè pluris eſt actio ac pronuntiatio, quàm ſcriptio: ita in precibus magis quo pacto ores attenditur, quàm quibus verbis & quàm ordinatè. Da indoctis manibus auream teſtudinem, nihil niſi abſonum modulabuntur. Vili citharâ doctus artifex canet non inſulsè. Narrat, aut fingit Lucianus, lib. adversùs indoctum librorum emptorem, ab Neanthe quodam de templo Apollinis ſurreptam Orphei lyram. Opinabatur fore ineptus hiſtrio, ut ſe illa canentem ſilvæ rupesque, quemadmodùm Orpheum, ſequerentur. Secuti canes, inepto ſono irritati, noctu per plateas vagantem diſcerpsêre. Quoties manu noſtrâ, id eſt linguâ, quæ mentis manus eſt, Davidis lyra, ſilvis rupibusque, id eſt rupicibus & agreſtibus hominibus, movendis idonea tangitur? Quis tamen inde nobis motus, aliisve? Quàm elegans inſtrumentum noſtra cæci Evangelici oratio? Niſi tamen ex arte tangatur, nihil effecerimus.

XIX. Spiritus ſanctus in nobis oret. Ante omnia neceſſe eſt, ut Spiritus ſanctus per nos, & in nobis oret. Id enim in cæco noſtro agnoſco, ex eo quòd tam piè ac ſanctè JESUM invocârit: *Nemo* autem, inquit Paulus 1. Cor. 12. *dicere poteſt Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto.* Si petas, quo pacto loqui poſſit Spiritus ſanctus, quaſi miſer; reſpondebit Auguſtinus, præfatione in ſecundam enarrationem pſalmi 26. *Miſericors dignatus eſt loqui miſeris, dignatus eſt loqui in ipſis miſeris voce miſerorum. Ita utrumque verum eſt, & noſtram eſſe vocem, & noſtram non eſſe: & Spiritus Dei vocem, & ipſius non eſſe. Spiritus Dei vox eſt; quia iſta, niſi illo inſpirante, non diceremus. Ipſius autem non eſt: quia ipſe nec miſer eſt nec laborat: iſta autem voces miſerorum ſunt, & laborantium. Rursùs noſtra; quia voces ſunt indicantes miſeriam noſtram: item non ſunt noſtra; quia ex dono ejus.* Ut autem Spiritus in nobis agat, cùm non habitet in corpore ſubdito peccatis, ante orandum vel purgati ſimus, vel affectum ſaltem ad peccata dimiſerimus, & pœnitentiam ſpectemus. Vide Exc. 2. ad c. 3. ſect. 3. tota.

XX. Clamãdum in oratione. Alterum adverto ad orationis formam à cæco adhibitum, vociferationem: Clamavit, *IESV,* &c. Clamemus & nos, non tam ore, quàm corde. Exod. 14. dicit Dominus Moyſi Ægyptiis inſtantibus, *Quid tu clamas ad me? Quid eſt,* inquit Aug. q. 52. ſuper Exodum, *quod dicit Dominus ad Moyſen, quid tu clamas ad me: cùm Scriptura non dixerit aliquid de Moyſi vocibus, nec orantem commemoraverit? Niſi quia intelligi voluit, hoc egiſſe eum vocis ſilentio, ut corde clamaret.* Idem in pſalm. 37. *Frigus caritatis, ſilentium cordis eſt. Flagrantia caritatis, clamor cordis eſt. Si ſemper manet caritas, ſemper clamas: Si ſemper clamas, ſemper deſideras.* Magnus clamor cordis, amor Dei. Magnus clamor cordis, magnum deſiderium beneficentiæ. Magnus clamor cordis, magna in Deum fiducia.

XXI. Et perſeverandum. De fiducia naſcetur perſeverantia, quam cæcos etiam adhibuit. Etſi enim increparent quidam eum, ut taceret: ipſe tamen multò magis clamabat, *Fili David, miſerere mei.* Ut in orando perſeveres, ſpera, & confide. Confides ſi JESUM attendas, cujus officium eſt ſalvare: ſi filium Davidis, id eſt, hominem miſerias noſtras experientiâ ſuâ edoctum: ſi Davidicæ in eo manſuetudinis exemplar agnoſcas: ſi miſericordiam divinam proprium benefici Numinis opus, intuere: ſi denique te miſerum ſcias, adeóque dignum miſeratione ſummæ bonitatis. His rationibus innixâ ſpe tuâ, ora, clama, inſta, in tuis, in alienis, in privatis, in publicis malis, donec cum cæco impetres, *IESV, fili David, miſerere mei.*

SECTIO QUARTA.

Fidei prærogativa.

QUIA ſpes fidei innititur, & utraque commodiſſimè dictione conjungitur, jungemus etiam ſcriptione; & quod de ſpe fecimus, ut breviter indicaremus, quid ad populi captum explicari poſſit, idem de fide faciemus. Ac primùm de natura ipſius dicendum, excellentia, & neceſſitate; inde ad alias qualitates tranſeundum. Fidem in Scriptura aliquando pro conſcientia ſumi, aliàs pro voto, ſæpè pro fiducia, notiſſimum eſt. Suam tertio ferè ſenſu ſumunt adverſarii noſtri Calviniſtæ, cùm eam definiunt certitudinem de ſalute; quæ certitudo cum citra peculiarem omninò revelationem haberi nullo modo poſſit, chimerica prorſus fides eſt. Chriſtianus alioqui & Fidelis numquam fuiſſet Tertullianus, qui fidem ſemper prudenti timori vult eſſe conjunctam, l. de Idolol. *Hos inter ſcopulos, inter hæc vada & freta idololatriæ, velificata Spiritu Dei fides navigat: tuta, ſi cauta; ſecura, ſi attonita.* Chriſtianus ergo in ſpeciem tantùm, & fide vacuus fuiſſet Greg. 24. Moral. c. 7. ubi poſt adducta Pauli verba: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum;* Jacobi, *in multis offendimus omnes:* Pſalmiſtæ, *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine;* Joannis, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus: Quid facient,* inquit, *tabulæ, ſi tremunt columnæ? Quomodò virgulta immobilia ſtabunt, ſi hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?* Chriſtianus ergo & fidei ſinceræ non fuit Auguſtinus, qui hom. 11. ſtolidam illam ſecuritatem damnat his verbis: *Dominus mortem minatur impiis, fraudatoribus, adulteris, ... Quid volunt? Vt ego promittam, quod ille non promittit? Ecce das tibi ſecuritatem procurator: quid tibi prodeſt, ſi pater-familias non acceptet? Procurator ſum, ſervus ſum: vis tibi dicam; vive, quomodò vis, Dominus non te perdet? Securitatem tibi procurator dedit: nihil valet ſecuritas procuratoris.* Aliam Auguſtini ſententiam attuli Exc. 1. ad cap. 4. ſect. 2. num. 10. ubi etiam ſunt Paulini, Hieronymi, aliorumque verba. Sed quorſum Patres certitudinem de ſalute reſpuentes producimus? Cùm Eccleſiaſtes generatim pronuntiârit; Neſcire hominem, *utrum odio an amore dignus ſit:* & Paullus ipſe, poſt audita in tertio cælo arcana verba, timuerit tamen, *ne reprobus* fieret, poſtquam aliis prædicaviſſet.

I. Chimærica fides Calviniſtarum.

Omiſsâ ergo iſta fidei acceptione; omiſſis item aliis, quas Theologi diſtinguunt, etiam, quà pertinet ad intellectum: hoc conſtat, quà virtus Theologica eſt, eſſe habitum ſupernaturalem intellectui humano infuſum à Deo, ad credenda firmiſſimè quæcumque à Deo revelata ſunt, quia Deus revelavit. Quod de habitu dicimus, idem de actu propor-

II. Vera fidei definitio.

proportione dicendum: nec metuendum, ne iſthæc delicatis quibuſdam auditoribus nimis Scholaſtica videantur; identidemque repetendum, concionatores eſſe legatos illius, qui ſe vocavit, Dominum docentem utilia. Comprehendat ea definitio cæteras omnes: Auguſtini, *Fides eſt credere, quod non vides: cujus veritas, & merces, eſt videre, quod credidiſti*: Damaſceni, *Fides eſt non inquiſitus aſſenſus*: Bernardi, *Fides eſt voluntaria quædam, & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis*: Dionyſii, *Fides eſt ſtabile credentium fundamentum, defigens eos in veritate, & in eis veritatem.* Omnium meritò celeberrima, ſeu definitio, ſeu deſcriptio eſt Paulli, Hebr. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia*, ſeu baſis rerum, *argumentum* ſeu convictio *non apparentium.* Quam Apoſtoli ſententiam quia paſſim Theologi & Interpretes explicant, uberemque ad dicendum materiam ſubminiſtrant, ſupervacaneum hic foret fuſiùs interpretari.

III. Fides, fundamentum virtutum.

Hoc ſolùm adverto; in illa voce *ſubſtantia* ſeu baſis, indicari ab Apoſtolo primariam fidei excellentiam ac prærogativam, aliis verbis à D. Thoma propoſitam, cùm vocat 3. part. q. 73. art. 3. fidem *fundamentum ſpiritualis vitæ.* Quia Theologicæ virtutes ſine illa non magis poſſunt conſiſtere, quàm ædes ſine fundamento. De caritate Auguſtinus ait, lib. de ſpir. & litt. cap. ult. *Sciri aliquid, vel credi, & tamen non diligi poteſt: diligi autem, quod neque ſcitur, nec creditur, non poteſt.* De ſpe, Bernardus ſerm. 1. in pſal. 90. *Non credita nemo ſperare, non plus quàm inane pingere, poteſt*: & ſerm. 31. in Cantics: *Bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci*, beatificæ ſcilicet viſionis. De timore ipſo D. Thom. 2. 2. q. 7. art. 1. ubi quærit, *An timor ſit effectus fidei?* Docet timori ſupernaturali præſtruendam neceſſariò fidem divinæ juſtitiæ: etſi ad alia credenda timor jam ex fide natus poſſit impellere. De virtutibus cæteris, religione, fortitudine, juſtitia, temperantiâ, magnificè Paullus, Heb. 11. ubi fide affirmat hoſtias ab Abele oblatas: Henochum Deo placuiſſe: Abrahamum obediſſe; Sanctos viciſſe regna, operatos juſtitiam, obturâſſe ora leonum, fortes factos in bello, &c.

IV. Illius elogia

Poſt illas fidei laudes ab eloquentiſſimo Apoſtolorum profectas, quidquid ab aliis afferatur, erit ejus dignitate longè inferiùs. Afferamus licet opes noſtras eſſe honorem noſtrum, tutelam, victoriam, gaudium, quæ omnia ad ipſius commendationem Sancti congeſsêre. S. Laurentius, cum Romano nobili colloquens; *Hippolyte*, inquit, *ſi credideris in Dominum JESUM Chriſtum, & theſauros tibi oſtendo, & vitam æternam promitto.* Agatho Papa, & Patres Concilii Romani, apud Baronium an. 698. in epiſtola Synodali ad Imperatores Heraclium & Tiberium: *Sola eſt*, inquiunt, *noſtra ſubſtantia fides noſtra, cum qua nobis vivere ſumma eſt gloria, pro qua etiam mors lucrum æternum eſt.* S. Tatianus Dulas, honorum ingentium largis pollicitationibus ad defectionem à fide ſollicitatus per præſidem: *Honores*, inquit, *tui, & auguſtorum gradus, vobis ſint: à me verò Deus avertat, ut in alia re proficiam, quàm in fide Domini JESU Chriſti.* Diaconus Lugdunenſis, cui Sancto nomen, cùm in equuleo interrogaretur de nomine, patria, genere, conditione, gradu, hoc unum ad ſingula reſpondebat, *Chriſtianus ſum*: quia ipſi pro titulis omnibus erat fides. D. Leo ſerm. de Aſc. *Magnarum*, inquit, *hic eſt vigor mentium, incunctanter credere, quæ corporeo non cernuntur intuitu.* D. Paullo, Epheſ. 6. fides ſcutum eſt, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extingui. D. Joanni 1. 5. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* D. Petro 1. 1. Lætitiæ ſemen eſt: *Credentes exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata.* Quid ſi eò etiam reſpiciebat Auguſt. lib. de Quantitate animæ, c. 23. & 25. ubi ſeptem ejus gradus exponit: primum, vegetativum; alterum, ſenſitivum; tertium, rationalem; quartum, virtutis; quintum, conſtantiæ in virtute; ſextum, videndi veritatem; ſeptimum, gaudendi de veritate?

V. Neceſſitas.

Super omnia iſthæc elogia eſt, quòd fides ſit virtutum ſubſtantia & fundamentum, ſine quo bona omnia opera ruant neceſſe eſt. Quam neceſſitatem brevi ſententiâ, & irrevocabili, complexus eſt Paullus, Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ad vitam æternam: habitualem habeant, qui ratione non utuntur: actualem præterea, aliquorum ſaltem capitum à Paullo ibidem indicatorum, quicumque ratione utuntur: alioqui operum ſuorum in cælo mercedem omnino nullam exſpectant. Vive ut Ariſtides, & Seneca: morere ut Socrates, & Epicurus, quos philoſophorum conſtantiſſimè mortuos narrant: Deo tamen placere impoſſibile eſt, ſi fidem non habeas. *Eccleſia Catholica corpus eſt Chriſti, cujus ille caput eſt, ſalvator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus ſanctus.* Auguſt. epiſt. 50. ad Bonif. *Tabernaculum ejus in terra eſt Eccleſia adhuc peregrinans... Extra locum tabernaculi errabo quærens Deum meum.* Idem in pſal. 41. *Quiſquis præter hunc montem orat, non ſe ſperet exaudiri ad vitam æternam.* In pſal. 42. *Quanti videntur præter Eccleſiam bona operari? Quàm multi etiam Pagani paſcunt eſurientem, veſtiunt nudum, ſuſcipiunt hoſpitem, viſitant ægrotum, conſolantur incluſum? Quam multi hæc faciunt? Quaſi videtur parere turtur, ſed non ſibi invenit nidum. Quàm multa multi hæretici? Non in Eccleſia operantur: non in nido pullos ponunt. Conculcabuntur, conterentur, non ſervabuntur, non cuſtodientur.* In pſalm. 44. *Templum Regis ipſa Eccleſia.... ſunt virgines extra templum: hæreticæ ſanctimoniales ſunt quidem virgines, ſed quid proderit eis, niſi adducantur in templum Regis?* Sic D. Proſp. lib. 1. de Voc. Gent. c. 7. *Etſi fuit, qui naturali intellectu conatus ſit vitiis reluctari, hujus tantum temporis vitam ſteriliter ornavit; ad veras autem virtutes, æternamq́; beatitudinem, non profecit.* Celebre eſt, quod P. Joſepho Anchietæ accidit, cùm per ſilvas Braſilicas ambularet ſolus, ſed Deo duce. Incidit enim in ſenem decrepitum, qui ex longo itinere feſſus jacebat ad arboris truncum. Interrogatus; quis, unde, cur veniſſet? Reſpondit: genii cujuſdam monitu ſe veniſſe, ut quia vitam hactenus ex ratione egiſſet, doctorem fidei ad vitæ æternæ iter capeſſendum accederet. Inſtructus à Patre de neceſſariis, moxque baptizatus aqua in latifoliis herbis inventa, & ſtatim à baptiſmo mortuus eſt. Ita qui ex ratione vixerat, in fide mori debuit, ut ſalvaretur: niſi qui non crediderit, condemnabitur: & impoſſibile placere Deo ſine fide; quamvis ſint qui aliquid fidei affine admittunt pro ejus ſupplemento, quod diſputare hujus loci non eſt.

VI. Quanta cura ſervari debeat?

Cæterùm ex ipſius natura, eminentia, neceſſitate colligamus: quanti nobis facienda ſit, quàm ſedulò de ea gratiæ Deo agendæ, quantâ diligentiâ cavendum, ut nihil de illius perfectione in nobis deteratur. Si populi aliqui in vicinis noſtra ad perpetuas tenebras damnati eſſent, & Sol ipſis numquam luceret, quod ſub Septemtrionibus aiunt contingere: quantum nobis ipſis de alterno diei & noctis ſpatio gratularemur, luciſque creatori deberemus? Quàm vereremur, ne quid

committi

committi à nobis contingeret, cur lux nobis, quemadmodùm & finitimis, ſubtraheretur? Ita res eſt, tenebræ operiunt terras nobis conterminas, & caligo vicinos populos: Ægyptiis denſa nox infidelitatis incumbit; dum in terra Geſſen, Eccleſiâ populi Dei, lux eſt. Si autem nobis tantum beneficium pro merito ſuo carum eſt; conſervemus ſtudioſiſſimè, omneſque vitemus illius minuendi, nedum amittendi, occaſiones. Periculoſa eſt cum hæreticis converſatio. D. Polycarpus vir fidei firmiſſimæ adeò illam horrebat; ut ſi quas fortè hæreticas voces audiſſet, illicò exſurgeret & diſcederet, teſte ejus diſcipulo Irenæo. Recèns Hetruriæ Dux Coſmus Pio V. Pontifici, hæreticum hominem, Româ in Hetruriam profugum, repetenti, reddi juſſit, addiditque; filium ipſum ſuum, ſi hæreticus foret, à ſe in illius manus conſignatum iri. Hæreticis accenſet, quos Libertinos Epicuræóſve nominamus, & Politicos malè conſultos: quibus vel ſentiendi quidvis inſana libertas, vel Statûs ratio, ſupra religionem eſt. Ii omnes non familiaritate modò arcendi forent, ſed etiam alloquio; niſi vel neceſſitas cogat, vel moneat caritas. Vitandi etiam hæretici mortui, id eſt eorum ſcripta, quæ citra gravem noxam vulgò legi non poſſunt, quemadmodùm nec Rabelæi, Machiavelli, aliique id genus; quos tamen inter Catholicorum libros aliquando ſpectari dolendum eſt, quemadmodùm apud pharmacopœos venena antidotis permiſta ſunt. Vendidit D. Nicolaus libros omnes ſuos, eleëmoſynæ faciendæ. Iſtis tantum tribuendum non eſt: expiari debent, quemadmodùm Act. 19. factum libris curioſis. Ale illis ignem, ne fidei lucem obſcurent. Viperam ut Paullus è flammis erumpentem, in flammas rejice ut ardeat: alioqui, *quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo?*

VII. Quæ ſit fides electos? Gratianus Imperator, quem Deus terris immeritis tantùm oſtendit; ad bellum Barbaricum profecturus, petierat à D. Ambroſio ut mitteret libros de fide jam ſcriptos, adderétque novum de Spiritu ſancto tractatum. Reſpondit ſanctus Doctor parere ſe ejus mandatis, dubitare tamen an ex eorum librorum lectione profectum capturus eſſet: *Quid enim*, inquit, *diſcas, Imperator Auguſte, qui ab ipſis cunabulis pro fuiſti ſemper affectu?* Nonne idem de Catholicorum pleriſque dici poſſet, fruſtra apud illos de fide tractari; cùm eam ab ipſis cunabulis didicerint? Ita ſentiant, qui neſciunt, quid inter fidei habitum & actum, quid inter theſauri poſſeſſionem & uſum interſit. Catholici omnes fidem habent: quotuſquiſque exercet? Imò quotuſquiſque novit, qualiter exerceat? Lego apud Sapientem, cap. 3. *Fides donum electum*: fidei donum habemus omnes, electum pauci; quia pauci, & rarò, illi perficiendæ ſtudemus. Senas quidam perfectionis notas deſiderant: quaternas alii contenti ſunt: ego binas omnino ſufficere arbitror, Firmitatem, & Efficaciam. Quid autem illa eſt firmitas? Quæ ad eam augendam adjumenta? Iſtud modò exequemur, ad efficaciam deinde tranſituri.

VIII. Quid ejus firmitas? Firmitas in eo ſita eſt, ut articulos omnes æquè pro certis, prorsúſque indubitatis, habeamus; nihilque ex quavis naturali cognitione certiùs amplectamur. Primum itaque firmitatis officium eſt, pari certitudine credere quidquid credendum proponitur; novum, an vetus; ſcriptum, an traditum; parvum, an magnum; clarum, an obſcurum; proto-canonicum, an deutero-canonicum, quæ nomina nobis in proleg. ſect. 3. non admodùm placuêre: qualecumque ſit demum, quod legitimâ Eccleſiæ auctoritate Fidelibus credendum offertur, penitùs nihil intereſt ad credendi certitudinem, licèt aliquid interſit ad facilitatem. Eodem aſſenſu ferri me oportet in animi mei immortalitatem, atque in Dei æternitatem: eodem in Purgatorium, & beatitudinem Sanctorum: eodem in Euchariſtiæ veritatem, & natum Meſſiam: eodem in poteſtatem credendarum Indulgentiarum, & poteſtatem remittendorum peccatorum: eodem in definita ab Apoſtolis, & deciſa à Conciliis: eodem in ſancita à Tridentino, & firmata à Nicæno. Ratio eſt, quòd eadem ſit in omnibus cauſſa credendi, veritas divina revelata; ac ſufficienter propoſita: atque adeo paria ubique certitudinis, etſi imparis facilitatis: columna eſt ignis, & nubis: nigra eſt, ſed formoſa; inevidens eſt, ſed certiſſima. Itaque meritò D. Thomas 2. 2. q. 5. a. 3. dixit ex univerſæ Eccleſiæ ſenſu: ſi quis vel minimo credendorum capiti aſſenſum negaret, fidem continuò perditurum, quia ejus cauſſam perderet. Et Drogo Oſtienſis ſapienter monuit, ut à minimis etiam erroribus in fide abhorreamus: *Fides pupilla eſt oculi tui. Quomodò pupilla oculi eſt ſubtiliſſima, & niſi impigrè ac ſolicitè cuſtodiatur à palpebris, leviſſimi & tenuiſſimi pulveris tactu confunditur: Sic acie fidei, niſi pervigilem habeat cuſtodiam, nihil citiùs conturbatur.*

IX. Quam... Alterum firmitatis officium eſt: ſic credere, ut nihil credatur certius, quamvis evidenti intra naturæ limites notitiâ; ſive ab experientiâ ſenſuum; ſeu ex ratiocinatione, & ſcientia; ſeu ex aſſeveratione hominum quorumvis, & Angelorum. Senſus enim noſtri multis erroribus obnoxii ſunt: ratiocinatione ſæpè ipſi nobis illudimus, ſciréque nos putamus, quod opinamur tantùm, aut ignoramus: plerumque hominum dictis decipimur, quia omnis homo mendax: Angeli de ſe falli poſſunt, & fallere, quia omniſcii non ſunt. At Dei bonitas tanta eſt, ut nolit fallere; ſcientia tanta, ut falli non poſſit: adeóque veracitas ejus, ac verba, ſummæ certitudinis ſunt *fundamentum, immotum & validum adverſùs omnes ventos, pluvias, torrentes, non flatibus pellendum, non ſtillicidiis penetrandum, non inundationibus ſubruendum*: ut loquitur Hilarius l. 2. de Trin. Super hanc petram fundatos eſſe voluit Galatas Apoſtolus, cap. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Talis fuit, ſub ſæculi proximè præcedentis finem, Franciſcus Bungenſis in Japonia Rex; qui diu cum converſione ad fidem luctatus, ei tandem, mortuo D. Franciſco Xaverio, ita firmiter adhæſit; ut rebellantibus adverſus eum fidei cauſsâ ſubditis, amiſſo quadraginta millium militum exercitu & filio ſuo, nihil tantâ jacturâ de religionis, cui illa imputabatur, gradu demotus, ad templum adierit, abjectuſque in genua dixerit: Scis, Domine, paſſum me hæc fidei tuæ cauſsâ, neque ideo unquam fidem mihi fore viliorem; ipſa licèt me regni univerſi, & dignitatis, jactura experiaris. Imò ſi & illi ipſi viri Apoſtolici, quorum laboribus religionem debeo, ſi Pontifex ipſe, à fide deficiant: te propitio tamen & juvante perſtabo immobilis, ſemperque te Deum trinum, te filium Dei incarnatum, unicámque tuam Eccleſiam profitebor. Similia ferè verba D. Elzeario Arianenſi Comiti, Divæque Tereſiæ tribuuntur. Et, ævo noſtro, Sereniſſimus è Bavarica ſtirpe Princeps eumdem in modum locutus perhibetur, poſtquam, qui eum ab hæreſi abduxerat, ipſe inſanis amoribus irretitus, à fide defecit.

Obfirmando

X. *Quomodo acquiratur.* Obfirmando animo, proderit ſæpè memoria revolvere rationes, quibus ad credendum impellimur, ſeu credibilitatis motiva. Quatuor enumero, etſi alii aliter partiuntur: auctorem fidei noſtræ Chriſtum, etiam hoſtium & dæmonum confeſſione ſanctiſſimum: modum, quo propagata eſt, per paucos, pauperes, idiotas, contranitentibus doctis, potentibus, multis, inolitâ conſuetudine: doctrinam ipſam ſublimem, puram, nuſquam rationi contrariam, quamvis illâ ſuperiorem, ac planè cæleſtem: teſtes illius Martyres, Doctores, Virgines ſanctitate illuſtres, ac miraculis in conſpectu omnium patratis, ut fides abrogari non poſſit. Compendio teſtimonia Dei, credibilia facta nimis, hîc recenſere ſufficiet, alibi fuſiùs tradenda ex profeſſo. Alterum firmandæ fidei adjumentum ex Apoſtolis duobus, Patribus totidem accipio. Clarè cæcam ſimplicitatem commendat D. Paullus, 2. Cor. 10. cùm dicit: *Captivantes omnem intellectum in obſequium fidei.* Innuit D. Petrus, t. 2. cùm vult, ut, *quaſi modò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcamus*: & infantium inſtar ab Eccleſia matre noſtra, clauſis oculis, alimentum fidei hauriamus; certi, nihil nobis ab illa propinatum iri, quod noceat. Infantilis iſta ſimplicitas aliquando Tertulliano placuit; utinam conſtanter. Itaque in Patribus illum hîc non numero: ſed Hilario & Auguſtino adjicio præcurſorem. Lib. de præſcript. ſic loquebatur: *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, neque inquiſitione poſt Evangelium. Cùm credimus, nil deſideramus ultra credere.* Hilarius lib. 10. de Trin. ſub finem: *In ſimplicitate fides eſt, in fide juſtitia eſt, in confeſſione pietas eſt. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere ſolicitat: in abſoluto ac facili eſt æternitas.* Auguſtinus ſcribens Vincentio Victori, juveni, qui nimis audacter ingenium ſuum exercuerat, in quæſtionibus de peccato originali, animæ origine, aliiſque ſupra captum: lib. 4. c. 24. in fine, *Ut ſcias, diſce neſcire.* Idem, ſerm. 29. de verbis Apoſtoli in fine: *Intellige, ut credas; crede, ut intelligas. Intellige, ut credas verbum meum: crede, ut intelligas verbum Dei.* Et ſerm. 1. de Inn. *Conſidera, quòd voceris Fidelis, non rationalis: accepto baptiſmo dicitur, Fidelis factus eſt.* Ad res eminùs contuendas, pupillam arctamus: nec Solem, niſi per anguſtias exigui foraminis, poſſumus adſpicere. Arctandus intellectus eſt, & ratio anguſtiis coërcenda, ut lumen fidei, & quæ nobis ab ea proponuntur, ſecuri cernamus.

XI. *Tentationum contra fidem remedia.* At, inquiet aliquis; ſæpè mihi cogitationes, fidei rebelles, incurrunt, quamvis invito: an cum talibus tamen poſſim habere *fidem donum electum*, ac firmum? Hoc primùm tibi reſpondero cum B. Franciſco Saleſio: vix ullum Sanctorum, citra tentationes aliquas contra fidem, ad ſanctimoniam perveniſſe. Angi itaque non debes, de re tam vulgari. Imò, inquit D. Petrus, 1. 1. imaginationes iſtæ, ſic enim meliùs appellantur quàm cogitationes, non modò non nocent; ſed etiam ſunt *probatio veſtræ fidei*, indiciumque divinæ de veſtra firmitate fiduciæ. Quemadmodùm ſi Rex urbem, incurſibus hoſtilibus obnoxiam, domeſticorum uni ſervandam committat, ejus virtuti demonſtrat ſe fidere. Velim nihilominus, inquis, tam moleſtis congreſſibus liberari, & in tuto eſſe: quid agam, ut liberer? B. Saleſius l. 2. epiſt. 1. ternas proponit, aut quaternas ad evadendum vias: ego duas omninò. Primam, ut non digneris aſpectu, multo minus diſputatione; ſed contemnas, eundem in modum, quo ſolet in caſtitatis periculo per fugam & contemptum pugnari. Nam ſi reſiſtere vis, & diſceptare, cavendum eſt ne implicceris, ut viro cuidam docto accidiſſe, cum funeſto è vita exitu, narrat Bellarm. de ar. mor. lib. 2. c. 9. Sapientiùs multo, & fæliciùs, ævo noſtro civis quidam Leodienſis, hæretico importunè inſtanti, & identidem ſciſcitanti: Quomodò, &c? Reſpondit ſeſe cælos intraturum ſperare, per januam, cui nomen Credo; non autem, Quomodò. Quæ ferè fuit Auguſtini reſponſio, ad quaſdam de originali peccato quæſtiones Juliani: *Quid à me quæris, quo ſit factum modo? Cùm videas factum eſſe, quocumque modo: ſi Apoſtolo credis aliquo modo; qui de Chriſto, & de his pro quibus mortuus eſt, mentiri potuit nullo modo.* Altera ad evadendas tentationes contra fidem via, eſt oratio: quam à Beato ipſo Saleſio fæliciter adhibitam, in vitæ ac fidei diſcrimine, perhibent; depulſis ejuſmodi moleſtis cogitationibus, ſolâ nominis JESU invocatione. Frequenter itaque ex animo dicamus, quod Hilarius libros de Trinitate finiens: *Conſerva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & uſque ad exceſſum ſpiritus mei dona hanc conſcientiæ meæ vocem: ut quod in regenerationis meæ ſymbolo, baptizatus, cum Patre & Filio & Spiritu ſancto, profeſſus ſum, ſemper obtineam.*

Quærit D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 2. Utrùm credere Deum, credere Deo, credere in Deum ſint diverſa, reſpondétque, omninò ita eſſe: Deum enim credi, cùm ipſe fidei materia eſt: credi Deo, cùm ob ejus revelationem quidlibet creditur: credi in Deum, cùm fidei ſimul pius in illum, velut ultimum finem, affectus jungitur. Ex ea Doctoris Angelici ſententia naſcitur apud Theologos quæſtio, utrùm peccator qui gravem culpam admiſerit, quamdiu in peccato manet, verè poſſit dicere, Credo in Deum. Sunt qui affirment; propterea quòd in ejuſmodi homine, quamvis averſo à ſummi boni proſecutione, ſupereſt tamen aliquid affectus pii in Deum convertendi, ubi gratia voluntatem exſuſcitarit. Negant alii; quia qui à Deo avertitur, & dat illi ſcapulam recedentem, non fertur in Deum: adeóque non meliùs ipſi convenit pronuntiatio ſymboli Apoſtolici, quàm homini vindictam coquenti recitatio orationis Dominicæ. Quemadmodùm enim hic contra mentem loquitur, ſignificando à ſe dimitti offenſas debitoribus ſuis: ita & ille, dicendo ſe credere & ferri in Deum. Quare ut veraciter ſymbolum pronuntiemus, firmitate fidei non contenti, addamus efficaciam, obviumque illius efficientiæ procurandæ modum diſpiciamus. XII. *Peccator an poſſit dicere, credo in Deũ?*

Rationes cur Fideli mala opera vitanda, bona omni ſtudio facienda ſint, duas invenio: quòd illa mors fidei ſint, aut indicium morientis: hæc ſignum viventis ac ſanæ, & alimentum creſcentis. Rogatur Chriſtus à Joannis diſcipulis, eſſétne ipſe *qui venturus eſt*, Meſſias: nil reſpondit, niſi ut Joanni opera ſua nuntiarent. Rogatus noſtrûm aliquis, Chriſtianúſne ſit, & Meſſiæ diſcipulus, non aliter reſpondere deberet quàm magiſter ſuus; operum teſtimonio & demonſtratione. Scientiarum humanarum aliæ ſunt practicæ, theoricæ aliæ; ad agendum aliæ referantur, aliæ ad cognoſcendum paſcendamque intelligentiam. Si quis poſt poſitam in practicæ ſcientiæ ſtudiis ætatem, qualis Ethica apud philoſophos eſt, præcipuo olim in pretio habita, profeciſſe ſeſe multum exiſtimet, quia ſermocinari & ratiocinari de illa poteſt: lingulacæ iſti meritò dicetur ex epiſt. 20. Senecæ, *Facere docet philoſophia, non dicere: & hoc exigit, ut ad* XIII. *Bona operâ fidei ſignũ.*

ut ad legem ſuam quiſque vivat, ne orationi vita diſſentiat: ut ipſa vita inter ſe unius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Fides Chriſtiana, cognitionum divinarum fœcunda parens, omnes tamen illas ad actionem refert: theoria eſt Deum exiſtere, intereſſe actionibus noſtris, & cogitationibus, juſtum pariter & miſericordem: & ex ea theoria fides practicas concluſiones elicit, timendum ergo Deum, verendum, ſtudioſè colendum, mandatis ejus obtemperandum. Si Chriſtianorum aliquis argumentetur ut Scotus, definiat ut Thomas, explicet ut Damaſcenus, diſceptet ut Auguſtinus, nihil tamen agat ut Chriſtianus, nonne jure audiet quod philoſophus iſte à Seneca, aut quod venditator ille apud fabulatorem, *Hic Rhodus, hic ſaltus?*

XIV. A Sanctis poſtulatum. Sic ab Apoſtolis invenio, ſic à Patribus, exactam fidei probationem. Hanc à diſcipulo ſuo Philemone natam flagitabat Paullus, ut *communicatio fidei evidens*, ἐναργὴς; ſeu ut alii legunt ἐνεργὴς, *efficax in agnitione omnis operis boni fieret.* Ex Corinthiis ſcribit 2. 13. *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate.* Jacobus Apoſtolus hanc fidei efficaciam Apoſtolorum omnium efficaciſſimè commendavit, cap. 2. *Dicet quis, tu fidem habes, ego opera habeo. Oſtende mihi ſine operibus*, aut, ut Græcè eſt, ἐκ τῶν ἔργων, *ex operibus fidem tuam, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Quid autem proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* Idem fit ac ſi quis ſe in horto ſuo jactet rariſſimarum plantarum bulbos habere, verno tamen tempore nuſquam ulli germinent. *Fides*, inquit Auguſt. præf. in pſalm. 139. *Sic eſt in anima, ut radix bona, quæ pluviam in fructum ducit.* Poſtquam diu irrigâris in tempore, nihil tamen pullulet; judicabis radicem aut demortuam eſſe, aut nullam. Et ſermone 237. de tempore, quem habuit ad menſam S. Cypriani, *Credere in Chriſtum, fides vocatur. Difficile eſt, ut malè vivat, qui benè credit. Fides ab eo appellata eſt, quia fit quod dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides: prima ſyllaba à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te, utrum credas? Dices, credo: fac quod dicis, & fides eſt.* Eandem etymologiam nominis *fides* habet libro de Mend. cap. 20.

XV. Fides illis alitur. Nec bona modò opera producit fides, ſed iis productis alitur ac vegetatur, deſtituta langueſcit & emoritur. Matth. 25. Prudentes virgines accipiunt oleum cum vaſis ſuis in lampadibus; fatuarum ignes fatui ſunt, quia olei nutrimento carent. Vis, inquit Paullus Timotheo, 1. 1. in fide conſtare? *Hoc præceptum commendo tibi.... ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Hymenæi deinde, & Alexandri funeſtum caſum producit. Nec ſemel contentus hoc præceptum diſcipulo commendâſſe, iterat cap. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Ac ipſum eſt, quod generatim de omnibus fermè hæreticis pronunciavit P. Faber primus ſociorum D. Ignatii; *Prius eſt malè facere, deinde malè ſentire:* quod de antiquis etiam hæreticis, ambitione, avaritia, luxuria in tranſverſum actis, Eccleſiaſticæ paſſim hiſtoriæ teſtantur, & nos, ut ſpero alibi. Gregorius 25. Mor. c. 10. explicans iſtud Eliu, *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium*, Eccleſiam interpretatus locum videntium: *Divino*, inquit, *judicio ſæpè contingit, ut per hoc quod nequiter vivunt, & illud perdant quod ſalubriter credunt: & ſæpè cùm benè vivere negligunt, etiam perſequente nullo uſque ad perfidiam dilabuntur.* Iiſdem applicat verba Balaami de ſeipſo, *Qui cadens apertos habet oculos: Ita hi*, inquit, *oculos aperientes in fide, & non videntes in opere, intra Eccleſiam poſiti ſunt pia ſpecie, extra illam converſatione.* Applicat itidem illis iſta pſalm. 136. Babylonicorum de loco videntium & Hieroſolymis loquentium; *Exinanite, exinanite uſque in fundamentum in ea:* ſic loqui ſpiritus confuſionis dæmones, *quando à corde Fidelium, deſtructo priùs artificio boni operis, ſoliditatem quoque exhauriunt religionis.*

Nec mirum Fideles peccatores paullatim in profundum infidelitatis demergi; cùm Dei auxilio ſeſe indignos fecerint, graviùs longè peccando, quàm Infideles, uti oſtendemus Excurſ. 1. ad c. 15. Et Excurſu ad cap. 16. ſect. 2. producemus exemplum numeroſiſſimæ nationis, à qua ablatum eſt Dei regnum, & datum genti facienti fructus ejus. D. Bern. ſerm. 24. in Cantica poſtquam illud poſuit, *Mors fidei ſeparatio caritatis*, dicit quicumque non rectè, ſicut Caino Deus exprobrabat, dividunt, peccare, & fidem ſine operibus offerentes, fidei eſſe ſicarios. Quod autem adjicit, Caïnum antè fuiſſe *fidecidam, quàm fratricidam*, ſic intelligendum, non quòd antè fidem amiſerit, ſed quòd antè fidem non exercuerit, otioſamque habuerit. Nam qui fide non utitur, ejuſque actus non producit, non abſimilis eſt fidei habitum non tenenti. Si Cainus oriente invidia, Dei præſentiam juſtitiamque attendiſſet, numquam ad fraternæ cædis voluntatem abripi ſe ſiviſſet: non attendit omninò, ſicque ſe geſſit ac ſi non crederet: idcirco in fratricidium lapſus, ad infidelitatem deinde præcipitavit. Quia fidem otioſam habuit, ideò peccavit; quia peccavit, ideò nec fidem habuit. XVI. Actuũ fidei neceſſitas.

XVII. Ad mala vitanda, bona facienda. Certè vix aliquid ad cohibendas à vitiis Chriſtianorum mentes, & ad operum bonorum exercitia ſtimulandas, potentius eſt, quàm frequentati actus fidei. Panacea eſt adversùs omne peccatorum genus, non adversùs hæreſes tantùm: dicique de actuali fide univerſim poteſt, cum Hilario lib. 2. de Trin. *Ut quædam medicamentorum genera ſunt ita comparata, ut non ſingulis tantùm ægritudinibus utilia ſint, ſed omnibus in commune medeantur, habeantque in ſe virtutem generalis auxilii: ita & fides Catholica non adversùs ſingulas tantùm peſtes, ſed contra omnes morbos opem medelæ communis impertit, non infirmanda genere, non vincenda numero.* Qui omnibus diebus vitæ ſuæ in mente habebit Deum, ex Tobiæ monitu; qui, ex Siracidæ præcepto, identidem vivâ fide memorabitur noviſſima ſua, peccabítne in æternum? Quot in ipſo ad facinora procinctu cohibuit, vel Chriſti patientis memoria, vel Dei præſentis? Quàm multorum præcipites ad mala voluntates cohibuit, vel timor pœnarum æternarum, vel ſpes incommutabilium bonorum, numquam excitanda, niſi vegetæ fidei actu moveretur? Jam omnium virtutum de gratia nati actus, fidei actum fermè pro patre habent. Idcircò ſponſa Cant. 2. fulciri vult floribus, ſtipari malis; ubi Bernardus *fidem florem, fructum actum* intelligit. Floreſcere in ipſis actibus fidei virtutes cæteræ incipiunt, mox iis actibus continuatis in cæleſtes fructus bonorum operum formandæ: neque ullus umquam animus aures ſanctimoniæ mala protulit, qui antè iteratis in dies, imò in horas, fidei actibus non effloruerit, dixeritque ſæpiùs, quod pueri energumeni parens, Marc. 9. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam:* quod Martha, *Utique Domine ego credidi:* quod Eunuchus Candacis

Reginæ

Reginæ Philippo interroganti, *Si credis ex toto corde:* quod D. Thomas Aquinas, *Credo quidquid dixit Dei filius, nil hoc verbo veritatis verius.*

XVIII. Inſania Fidelium infidelium va[illegible].

Cùm Sapiens infinitum eſſe numerum ſtultorum pronuntiavit, non de iis quibus emota mens eſt, ſed de iis, qui mentis compotes, ultro tamen ac ſcientes mentis ductum non ſequuntur, intellexit: virorum ipſe ſtultiſſimum ſeſe meritò profeſſus, qui cùm ſapientiſſimus eſſet, inſipientiæ iter ingreſſus eſt. Quia verò peccatorum ſeu ſtultorum genera duo ſunt, Infidelium & Fidelium, non abs re aliquis quærat, utri ſint ſtultiores? Fusè nos iſti quæſtioni ſatisfacturos promiſimus Excurſu 1. ad cap. 15. Jam pro nobis in anteceſſum reſpondeat Mirandulanus Comes Picus, epiſt. 1. ad nepotem: *Magna inſania eſt Evangelio non credere, cujus veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major inſania eſt, ſi de veritate Evangelii non dubites, vivere tamen, quaſi de ejus falſitate dubitares.* Quid ſtultius, quàm Chriſtum crucifixum credere, quod Gentibus ſtultitia eſt: & voluptatibus toto animo inhiare? Quid ſtultius, quàm æterna bona credere, ſolis tamen caducis delectari? Quid ſtultius quàm inferos credere, & illis ſeſe ad inanis pompæ oſtentationem, aut conſecutionem lucelli, mancipare? Aut vive, ut credis; aut crede, ut vivis.

CAPUT DUODECIMUM.

ARGVMENTVM.

Ionathas per legatos cum Romanis, & Spartiatis, amicitiam renovat. Duces Demetrii, auctis copiis reverſos, promptitudine ac vigilantia ſuâ à Iudæa abſterret, cogitq; ſibi conſulere. Deinde Zabadæos Arabas deprædatus, & luſtratâ regione Damaſcenâ, Ioppéque interim, quæ Demetrii partes fovebat, per Simonem interceptâ, Hieroſolymam redit. Ibi ex ſeniorum conſilio, collapſa civitatis mœnia reparat, murumq; ingentem arctandis arcis præſidiariis exſtruit: dum ex aliâ parte Simon frater oportunum in Sephela præſidio locum ædificat. Poſt hæc, cùm Tryphon pupilli Antiochi vitæ ac regno immineret, & Ionathan ipſum, ne conatibus ſuis obſiſteret, tollere ſtatuiſſet, eóque fine in Bethſan progreſſus eſſet: hic aliquid ſiniſtri odoratus, illi cum magno quadraginta millium virorum exercitu, ad pugnam expedito, procedit obviàm. Veritus Tryphon vim ac numerum Iudæorum, & ad artes converſus, ſpecioſis promiſſis Ionathæ perſuadet, ut militem dimittat, Ptolemaïdem ſecum veniat, ejus ſe urbis præfecturam & vicina præſidia ipſi traditurum, eo ſe fine veniſſe. Dimiſſo itaque milite Ionathas, retentiſq; omninò tribus millibus, & horum duobus in Galilæa ſubſiſtere juſſis cum cæteris mille Ptolemaïdem ingreditur. Clauſis ſtatim portis, Ptolemaenſes cives Ionathan comprehendunt, ſocios interficiunt. Mittuntur à Tryphone, qui milites à Ionatha in Galilæa relictos invadant: ſed cùm ad pugnam promptos inveniſſent, eos aggredi veriti, abire illæſos ſinunt. Lugetur à Iudæis Ionathæ captivitas, & ſociorum cædes: gentéſque ipſis conterminæ ſpem de Iudaïco genere, dum capite caret, penitùs exterminando concipiunt.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET vidit Ionathas quia tempus eum juvat, & elegit viros,
& miſit eos Romam, ſtatuere & renovare cum eis amici-
tiam: 2. & ad Spartiatas, & ad alia loca miſit epiſtolas
ſecundùm eamdem formam: 3. Et abierunt Romam,
& intraverunt curiam, & dixerunt: Ionathas ſummus
Sacerdos, & gens Iudæorum miſerunt nos, ut renovare-
mus amicitiam & ſocietatem ſecundùm priſtinum. 4. Et dederunt illis
epiſtolas

epiſtolas ad ipſos per loca, ut deducerent eos in terram Iuda cum pace.
5. Et hoc eſt exemplum epiſtolarum, quas ſcripſit Ionathas Spartiatis:
6. IONATHAS ſummus Sacerdos, & ſeniores gentis, & ſacerdotes, & reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus ſalutem. 7. Iampridem miſſæ erant epiſtolæ ad Oniam ſummum Sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam eſtis fratris noſtri, ſicut reſcriptum continet, quod ſubjectum eſt. 8. Et ſuſcepit Onias virum, qui miſſus fuerat, cum honore: & accepit epiſtolas, in quibus ſignificabatur de ſocietate & amicitia. 9. Nos, cùm nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, 10. maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem, & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis: multa enim tempora tranſierunt, ex quo miſiſtis ad nos. 11. Nos ergo in omni tempore ſine intermiſſione in diebus ſolemnibus, & ceteris quibus oportet, memores ſumus veſtri in ſacrificiis quæ offerimus, & in obſervationibus, ſicut fas eſt & decet meminiſſe fratrum. 12. Lætamur itaque de gloria veſtra. 13. Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnaverunt nos reges, qui ſunt in circuitu noſtro. 14. Noluimus ergo vobis moleſti eſſe, neque ceteris ſociis & amicis noſtris, in his præliis. 15. Habuimus enim de cælo auxilium, & liberati ſumus nos, & humiliati ſunt inimici noſtri. 16. Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iaſonis filium, & miſimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam & ſocietatem priſtinam. 17. Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, & ſalutent vos; & reddant vobis epiſtolas noſtras de innovatione fraternitatis noſtræ. 18. Et nunc benefacietis reſpondentes nobis ad hæc. 19. Et hoc eſt reſcriptum epiſtolarum, quod miſerat Oniæ: 20. Arius, Rex Spartiatarum, Oniæ ſacerdoti magno ſalutem. 21. Inventum eſt in ſcriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam ſunt fratres, & quòd ſunt de genere Abraham. 22. Et nunc ex quo hæc cognovimus, benefacitis ſcribentes nobis de pace veſtra. 23. Sed & nos reſcripſimus vobis: Pecora noſtra, & poſſeſſiones noſtræ, veſtræ ſunt; & veſtræ, noſtræ: mandavimus itaque hæc nuntiari vobis. 24. Et audivit Ionathas, quoniam regreſſi ſunt principes Demetrii cum exercitu multo ſupra quàm priùs, pugnare adverſus eum. 25. & exiit ab Ieruſalem, & occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis ſpatium ut ingrederentur regionem ejus. 26. Et miſit ſpeculatores in caſtra eorum: & reverſi renuntiaverunt quòd conſtituunt ſupervenire illis nocte. 27. Cùm occidiſſet autem ſol, præcepit Ionathas ſuis vigilare, eſſe in armis paratos ad pugnam tota nocte, & poſuit cuſtodes per circuitum caſtrorum. 28. Et audierunt adverſarii quòd paratus eſt Ionathas cum ſuis in bello: & timuerunt, & formidaverunt in corde ſuo: & accenderunt focos in caſtris ſuis. 29. Ionathas autem, & qui cum eo erant, non cognoverunt uſque manè: videbant autem luminaria ardentia: 30. & ſecutus eſt eos Ionathas, & non comprehendit eos: tranſierant enim flumen Eleutherum. 31. Et divertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, & percuſſit eos, & accepit ſpolia eorum. 32. Et junxit, & venit Damaſcum, & perambulabat omnem regionem illam. 33. Simon autem exiit, & venit uſque ad Aſcalonem, & ad proxima præſidia: & declinavit in Ioppen, & occupavit eam: 34. (audivit enim quòd vellent præſidium tradere partibus Demetrii) & poſuit ibi cuſtodes, ut cuſtodirent eam. 35. Et reverſus eſt Ionathas, & convocavit ſeniores populi, & cogitavit cum eis ædificare præſidia in Iudæa, 36. & ædificare muros in Ieruſalem, &

exaltare altitudinem magnam inter medium arcis & civitatis, ut ſepararet
eam à civitate ut eſſet ipſa ſingulariter, & neque emant, neque vendant.
37. Et convenerunt, ut ædificarent civitatem: & cecidit murus, qui erat
ſuper torrentem ab ortu ſolis, & reparavit eum, qui vocatur Caphetetha:
38. & Simon ædificavit Adiada in Sephela, & munivit eam, & impoſuit
portas & ſeras. 39. Et cùm cogitaſſet Tryphon regnare Aſiæ, & aſſumere
diadema, & extendere manum in Antiochum regem: 40. timens ne fortè
non permitteret eum Ionathas, ſed pugnaret adverſus eum, quærebat com-
prehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethſan 41. Et exivit
Ionathas obviàm illi cum quadraginta millibus virorum electorum in præ-
lium, & venit Bethſan. 42. Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exer-
citu multo ut extenderet in eum manus, timuit. 43. Et excepit eum cum
honore, & commendavit eum omnibus amicis ſuis, & dedit ei munera: &
præcepit exercitibus ſuis ut obedirent ei, ſicut ſibi. 44. Et dixit Ionathæ:
Ut quid vexaſti univerſum populum, cùm bellum nobis non ſit? 45. Et
nunc remitte eos in domos ſuas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum
ſint, & veni mecum Ptolemaïdam, & tradam eam tibi, & reliqua præſidia,
& exercitum, & univerſos præpoſitos negotii, & converſus abibo: proptereà
enim veni. 46. Et credidit ei, & fecit ſicut dixit: & dimiſit exercitum, &
abierunt in terram Iuda. 47. Retinuit autem ſecum tria millia virorum:
ex quibus remiſit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.
48. Ut autem intravit Ptolemaïdam Ionathas, clauſerunt portas civitatis
Ptolemenſes: & comprehenderunt eum & omnes, qui cum eo intraverant,
gladio interfecerunt. 49. Et miſit Tryphon exercitum & equites in Gali-
læam, & in campum magnum, ut perderent omnes ſocios Ionathæ. 50. At
illi cùm cognoviſſent quia comprehenſus eſt Ionathas, & periit, & omnes
qui cum eo erant, hortati ſunt ſemetipſos, & exierunt parati in prælium.
51. Et videntes hi, qui inſecuti fuerant, quia pro anima res eſt illis, reverſi
ſunt: 52. illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda. Et planxe-
runt Ionathan, & eos qui cum ipſo fuerant, valdè: & luxit Iſraël luctu ma-
gno. 53. Et quæſierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum,
conterere eos, dixerunt enim: 54. Non habent principem, & adjuvan-
tem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam
eorum.

COMMEN-

COMMENTARIUS AD CAPUT DUODECIMUM.

Jonathas mittit Romam legatos.

℣. 1. uſque ad 5. ET VIDIT JONATHAS, QUIA TEMPUS EUM IUVAT: uſusque occaſione tumultuum Syriacorum, ELEGIT VIROS, ET MISIT EOS ROMAM, ad renovandam amicitiam. Nomina legatorum habes infra verſu 16. Iis item mandatum, ut ex itinere Spartiatas ſalutarent, quomodò habetur infra verſ. 17. & literas ferrent, quas Jonathas ſcripſerat AD SPARTIATAS, ET AD ALIA LOCA, quæ hîc non exprimuntur; ſuſpicari tamen licet, urbes aliquas Græcanicas, & inſulas Mediterranei maris intelligi: SECUNDÙM EAMDEM FORMAM, Græcè *ſecundùm illa*, id eſt, ad renovandam amicitiam, uti cum Romanis. Ingreſſi igitur Romam, & ad curiam admiſſi, mandata expoſuêre, ut habetur verſu 3.

Legationis fructus.

Lubenter auditos fuiſſe manifeſtum eſt, ex eò quòd, ut dicitur verſu quarto, DEDERUNT ILLIS Romani LITERAS AD IPSOS PER LOCA, id eſt ad Reges Europæ & Aſiæ literas commendatitias, ait Joſephus; adde, & ad præſides locorum per quæ tranſituri erant, UT DEDUCERENT EOS IN TERRAM JUDA CUM PACE. Græcè pro *deducerent* habetur προπέμψωσιν, quod poteſt explicari *dimitterent*. Unde hæc poſtrema pars verſus poteſt vel de Romanis ipſis intelligi, vel de iis ad quos Romani ſcripſerunt. Si priorem ſenſum ſequamur, hæc erit ſententia: Romani, ut pacatè legatos Judæorum domum dimitterent, dederunt eis literas commendatitias ad præſides locorum, per quæ erant tranſituri. Si poſterior ſenſus placeat, paullò alia erit ſententia: Romani legatis Judæorum abeuntibus dederunt literas ad præſides locorum, quà iter erat, quibus commendabant, ut illi cum pace in Judæam deducerentur; id eſt pacatus illis tranſitus daretur, imò & officia exhiberentur, qualia ſolebant legatis & amicis Romanorum. De hac cum Romanis amicitiâ, an licuerit, diſputatum eſt ad caput octavum.

Epiſtolæ ad Spartiatas.

℣. 5. uſque ad 24. Refertur EXEMPLUM EPISTOLARUM, QUAS SCRIPSIT JONATHAS SPARTIATIS: Tum ſubjicitur *reſcriptum*, ſive *exemplum*, utrobique enim Græce eſt ἀντίγραφος, *epiſtolarum*, *quod miſerat Oniæ Arius Rex Spartiatarum.* Difficultates, quæ in hiſce epiſtolis occurrunt, ad clariorem intelligentiam, dividemus in quæſtiones.

An Jonathas Spartanos vocare potuerit fratres citra mendacium?

Quæritur primò: an benè à Jonatha Spartiatæ vocentur *fratres* verſu 6. & 11. item agatur de renovandâ, non ſolùm *amicitiâ* & *ſocietate*, ſed etiam *fraternitate* verſu 10. & 17. An igitur Lacedæmonii, tam longè & inſtitutis, & religióne, & ſitu diſſiti, fratres erant Judæorum, id eſt, ex eodem genere prognati? Reſpondeo: ſeu verè Lacedæmonii *fratres* Judæorum fuerint, ſeu ſecùs, potuiſſe tamen prudenter Jonathan eâ uti appellatione. Nam Lacedæmonii ipſi ſe pro fratribus Judæorum venditabant, ut patet ex verſu 21 videbanturque pro talibus agniti ab Onia jampridem, ut colligitur ex verſu 8. Igitur Jonathas ipſis appellationem tribuit, quam ambiebant, ratus parum ad rem pertinere, verúmne id an falſum eſſet, modò inde fundamentum amicitiæ duceretur. At, inquis, quomodò citra mendacium potuit eos fratres dicere, ſi neſciebat tales eſſe? Reſpondeo primùm: potuiſſe vocare fratres alio, quàm ipſi interpretabantur, ſenſu; id eſt, amicos, & ſocios: quomodò frequenter etiam hodie accidit, ut à quibuſdam ignotis hominibus conſanguinei appellemur, eamque appellationem, urbanitatis & amicitiæ cauſsâ, non accipiamus modò, ſed & reddamus, licèt nobis de conſanguinitatis veritate non conſtet. Judicamus tamen eo titulo uti nos poſſe, ne alioqui inciviles ſimus, & oblatam amicitiam dedignari videamur, alienamque fidem vocemus in dubium: atque ita de amicis inimicos faciamus.

An ex Scriptura colligatur certò, Lacones Hebræis cognatos?

Quæritur ſecundò: an è Scriptura poſſit certò colligi Lacones Abramidas fuiſſe, & ex eodem quo Judæi genere? Reſpondeo non poſſe. Non ex epiſtola Jonathæ, ubi fratres vocantur: patet enim ex dictis, eum potuiſſe appellatione iſta uti alio ſenſu, quemadmodùm amicos fratrum titulo dignamur. Propterea potuiſſe fratres ſeu conſanguineos appellare, non aſſerendo illis eum titulum, ſed gratis concedendo, nec volendo revocare in dubium. Non item colligi poteſt ex verſu 9. ejuſdem epiſtolæ, uti demonſtrabimus ad quæſitum tertium. Neque ex epiſtola Lacedæmonii Regis verſu 21. ubi dicitur: *Inventum eſt in Scriptura de Spartiatis, & Iudæis, quoniam ſunt fratres, & quod ſunt de genere Abraham*: neque enim ibi agitur de Scriptura ſacra, quomodò perperàm intellexit Liranus; ſed de veteribus Lacedæmoniorum monumentis, de quorum fide non eſt cur laboremus. Ad extremum, neque id concludi poteſt ex lib. 2. cap. 5. v. 9. ubi Jaſon dicitur ſperâſſe Lacedæmone *refugium pro cognatione*: nihil enim mirum, exulem Jaſonem eo uſum titulo, quem gratum eſſe Lacedæmoniis ſciebat, & quo ſperabat futurum, ut aliquod exilii levamen obtineret. Itaque licèt Scaligero, Reineccio, aliisq; hæreticis daremus, fabuloſum eſſe de Judæorum & Lacedæmoniorum cognatione commentum: vetuſtatis nobilitatem & gloriam hinc Spartanos quæſiſſe: forſan & aliquod à Judæorum amicitia ſperâſſe rerum ſuarum firmamentum, cùm ultrò eorum amicitiam titulo fraternitatis ambierunt. Ut inquam ea concedamus, nihil tamen contra horum librorum auctoritatem ac veritatem inde colligitur: cùm nuſquam aſſerant eam cognationem, ſed concedant tantùm Lacedæmoniis, eorumque fidei relinquant.

An credibilis iſta cognatio, & an Abramici generis veſtigia apud Lacedæmonios?

Quæritur tertiò: an ſaltem credibilis ſit ejuſmodi cognatio? Reſpondeo, prorsùs credibilem: cùm argumento ſint quæ probent non pauca, nulla autem quæ contrarium evincant. Probat primò, ipſa Lacedæmoniorum aſſertio, vetuſtis ipſórum monumentis nixa, non fabuloſis, ſed hiſtoricis, & quibus ipſimet fidem adhibebant: neque enim auſi fuiſſent publicis literis fabulas ridẽdas inſerere. Deinde accedit Judæorum conniventia & conceſſio, qui genealogiarum mirè curioſi, ſi apertè deprehendere potuiſſent, nullam ſibi eſſe cum Laconibus conſanguinitatem, non tam facilè & conſtãter admiſiſſent: minimùm itaque judicârunt eam eſſe probabilem. Adde Joſephi auctoritatem eam cognationem aſſerentis: adde Hegeſippi: adde & hæreticorum ipſorum, conjectantium ab Iſmaëlis poſteris aut è Ceturæ liberis ortos Lacones, eò probabilius, quod nihil uſquam certi de eorum origine à profanis auctoribus traditum ſit. Denique huc faciunt varia generis Abramitici apud

Laconas veſtigia, quæ Serarius ad hoc caput operosè congeſſit. Exemplo ſint: leges, & inſtituta multa Judaicis non abſimilia, ut ait Clemens Alex. 1. ſtrom. Laconicæ lunæ etiam proverbio celebres, Neomeniarum inſtar: Ablutiooes quotidianæ & unctiones, de quibus Strabo, lib. 5. Duritia, & conſtantia in patriis inſtitutis ſervandis, qualis apud pleroſque Judæorum: Spartæ nomen, quod Chaldaicum ſonat, videturque à jucunditate petitum, inquit ipſe Reineccius hæreticus: Laconum nomen, quod ex Latuſim vel Laomim Ceturæ nepotibus deformari potuit, ut notat Salianus ad annum Græcorum 79. Ipſa Lacedæmoo, quæ videtur eſſe quaſi λάας κάδμου, lapis Cadmi, inquit Serarius: Sidoniorum in Græciam ductæ coloniæ, inter eas Thebæ, unde colligatur etiam ab Hebræis & Arabibus duci potuiſſe: Dores, qui apud Scholiaſten Pindari Spartam poſt Achæos incoluerunt, & ab Hebræo Dor, vel urbe Dora dici videntur: Quòd Lacones literam *Sigma* vocarent San, quaſi ab Hebræo *Sin*, apud Herodotum lib. 1. Quòd apud eumdem Heraclidarum, id eſt Lacedæmoniorum, mater dicatur ex *Iardane* quodam, quaſi *Iordane*, filium ſuſcepiſſe: Quòd in Laconica regiune, aut ad fines, eſſet mons *Eva* dictus, & promontarium appellatum *Aſini maxilla*, manifeſto Hebraicarum antiquitatum indicio: Quòd frequentata fuerit ex Europa in Aſiam & Africam, ac contrà mutua commigratio; ut ex variorum populorum originibus conſtat. Ex his habes unde ſatisfacias objectiunculæ, quam ad quæſitum primum attulimus, de magna Judæorum ac Laconum disjunctione in variis rebus: etſi enim in quibuſdam ſit diverſitas, eſt tamen in aliis affinitas. Quamquam licèt Lacones penitùs ab inſtitutis Abramicis deſciviſſent, non tamen inde duci argumentum poſſet alienæ originis: cùm inſolens non ſit populis, in exteras regiones tranſeuntibus, patrios mores prorsùs obliviſci.

Ad quem Oniam, de tribus eo nomine Pontificibus, Lacones ſcripſerint?

Quæritur quartò: quis Onias ſummus Sacerdos, ad quem Spartani de ſocietate & fraternitate ſcripſerunt? Tres Onias Pontifices fuiſſe tempore regni Græcorum, patet ex ſeriè Pontificum, ad calcem compendii noſtri hiſtorici adjectâ. Primus fuit Jaddi ſeu Jeddoæ filius, vixitque ſub tempus Seleuci Nicanoris, qui regno Aſiatico initium dedit. Alter Simonis Juſti filius, ſub tempora Seleuci Callinici. Tertius, de quo in libro ſecundo Machabæorum fit mentio cap. 3. & 4. Ad hunc tertium Oniam ſcriptas ab Ario Lacone literas exiſtimârunt Joſephus, eumque ſecutus Euſebius: ſed longè aberrârunt. Nam primùm ex ipſis Scripturæ verbis apertè revincuntur, cùm verſu ſeptimo dicantur *jampridem* miſſæ iſtæ literæ, & verſu decimo *multa tempora tranſiiſſe* ex illo: atqui hoc non poteſt commodè dici de temporibus Oniæ tertii, qui Seleuco Philopatore regnante, & ſub initia Antiochi Epiphanis Pontifex fuit. Deinde, cum unicus fuerit Arius ſeu Areus Rex Spartanorum eo nomine, ut ex profanis hiſtoricis conſtat, iſque longè ante Oniæ tertii Pontificatum vixerit, certè ad hunc ſcribere non potuit. Superſunt igitur Oniæ duo primus ac ſecundus, de quibus aliqua poteſt eſſe diſceptatio. Pro primo pronuntiat Scaliger, eumque ſequebatur Bonfrerius noſter: hoc forſan argumento, quòd primus Onias longè celebrior fuerit ſecundo, & eâ nominis famâ exteros ad quærendam ſocietatem & affinitatem invitârit. Pro ſecundo pugnat multis Salianus ad annum Græcorum 79. meóque judicio vincit: cùm ex collatione temporum & hiſtoriarum videatur, totis viginti octo annis primus Onias obiiſſe antè, quàm Arius regnaret: regnavit autem annis quadraginta quattuor, adeóque non pervênit modò ad Oniæ ſecundi Pontificatum, ſed etiam eum aliquantùm exceſſit. Stemus itaque Saliani ſententiæ; de qua ſi quis plura volet, ipſummet conſulere poterit ad annum ſuprà citatum.

Quis Arius Rex?

Quæres quintò: quis iſte *Arius* Spartanorum Rex? In Græcis verſu 7. habetur, non *Arius*, ſed *Darius* παρὰ δαρείου: & verſ. 20. eſt *Oniares* ὀνιάρης. Dubitandum non èſt, quin verſo ſeptimo mendum ſit, cum *Darius* nomen Perſicum ſit, & *requirentem* ſonet, *Arius* autem ſit Græcum, & ſignificet *Martium* ſeu *Martialem*: unde exerrat hîc Liranus; cùm idem eſſe ait Darius & Arius, & quomodò idem ſunt vulgò Nicolaus & Colinus. Nomen *Oniares* Franciſcus Lucas putat retineri poſſe, nec mihi diſplicet; cùm videatur ex nomine Oniæ ſimul & Arii, ſeu Aris, id eſt Martis, compoſitum. Arius forſan, ad ſignificandam intimam cum Onia conjunctionem, ita nomen ſuum ex utroque compoſuerit. Poſſit quidem & *Oniaris* nomine *Aſinus Mars* aut *Mars utilis* ſignificari: ſed neuter ſenſus huic loco aptus eſt, primúſque omninò abſonus, neque comminiſcendus, niſi ab æmulo aut hoſte ad ludibrium. Igitur *Arius*, qui & *Oniares* dici poſſet, Spartanorum Rex, idem eſt qui à Diodoro *Aretas* vocatur, à Pauſania verò *Areus*: *Areus*, inquit, *Acrotatum. Acrotatus alterum Areum genuit, ſed hic poſterior Areus deceſſit annum agens octavum.* Unde de hoc poſteriore intelligi non poteſt textus noſter: quandoquidem nec regnâſſe legatur ejus ætatis puer; nec, ſi regnâſſet, de ſocietate literas ſcribere potuerit, aut debuerit, ſed tutores ejus nomine ſcripſiſſent.

Cur ſocietatem cum Laconibus renovant Judæi?

Quæres ſextò: cur à Jonatha renovetur ſocietas ac fraternitas cum Spartanis, cùm eorum libertas & gloria concidiſſet, ex quò à Romanis ſuperati fuerant? Reſpondeo: nullam aliam rationem afferri à Judæis, quàm quæ habetur verſu decimo his verbis: *Ne fortè alieni efficiamur à vobis*: id eſt, ne intermiſſâ nimis diu mutuâ communicatione penitùs intereat amicitiæ memoria. Sed quid Judæorum intererat amicitiæ iſtius memoriam ſervare? Primùm, quòd nullius amicitia umquam inutilis eſt, etiam contemptiſſimi populi. Deinde, quòd licet Lacones jam ſubeſſent Romanis, tamen priſtini ſplendoris etiamtum aliquid retinebant, & vel ipſum Laconum nomen glorioſum erat: quo forſan reſpiciunt Judæi, cùm blandè & urbanè, ipſis, licet alieno imperio jam ſubjectis, dicunt verſu 12. *Lætamur de gloria veſtra.* Denique in hoc ipſo facto Jonathæ ac Judæorum, habemus expreſſum bonis ac conſtantis amicitiæ exemplar: Ultrò à Spartanis libertate florentibus de amicitia ſolicitantur, abhinc anno fermè centum: jam ipſi in libertatem aſſurgentes ultrò ad Spartanos, etſi longè à priſtina fortuna dejectos, pro ea reſtituendâ mittunt.

Conſtans amicitia.

Procul ego abſunt Judæi ab eis quos Amicos, ollæ Græci vocabant, Sapiens Eccli. 6. *ſocios menſæ*, quoſque æſtivis avibus vulgo comparamus, ut primùm hyemē ſentiunt avolātibus. Merentur etiam, pro fœditate inconſtantiæ ſuæ, muribus & ſoricibus comparari, quæ ſtantes domos habitant, ruituras fugiunt: aut potiùs turpibus vermiculis conferri pediculis, qui ſana ac viva corpora depaſcuntur, moribunda dicuntur deſerere. Verbum Arabum eſt: *Tria non cognoſcuntur, niſi in tribus locis: Non cognoſcitur audacia niſi in bello: non cognoſcitur ſapiens, niſi in ira: non cognoſcitur amicus, niſi in neceſſitate.*

Germanæ

Germanæ amicitiæ apud priſcos imago, referente Lilio Giraldo, in fronte Æſtatis & Hyemis nomen geſtabat, ad pectus has voces, propè & procul: indicabatur, amicitiam nec locorum diſtantiâ, nec temporum varietate mutari. Ea præſertim natura eſt Chriſtianæ amicitiæ, qualem Paullinus aiebat ſuam eſſe adverſùs Pammachium epiſt. 37. ad eumdem: *Non metiendam tempore, nec ſæculari ſimilem; quæ ſpe, non fide paritur.*

Solatium è Scripturæ lectione.

Quæres ſeptimo: quos *ſanctos libros* dicant Judæi verſu 9. ſe habere *ſolatio?* Serarius putat intelligi libros quoſdam ſacros genealogicos, qui non extent modò: ex quibus ſignificent, ſibi ſatis conſtare de affinitate generis eum Spartanis, ut opus non fuerit ad eam aſſerendam literis Arii ad Oniam. Eodem modo hunc locum exponere videtur Joſephus lib. 13. cap. 9. ſed ea explicatio parum textui conſentanea eſt. Quod enim quæſo *ſolatium*, aut, ut Græcè habetur, *παράκλησιν*, *conſolationem*, vel *hortamentum*, ex iſtis libris haurire potuiſſent Judæi, ſi tantùm de genealogiis agebant? Quæ ipſis dolorum mitigatio in publicis privatiſque calamitatibus, ex eo quòd libri quidam priſci eos doceant eſſe conſanguineos Laconum, id eſt populi Pagani & Infidelis? Intelligo igitur hîc, nomine *librorum ſanctorum*, Scripturam ipſam ſanctam, quæ paſſim exemplis ac ſententiis divinis Judæos, ad fortiter ferenda mala, & ſperandum de cælo auxilium, animabat. Inde vera ſolatia & hortamenta petenda monuerat moribundus Mathathias, cap. 2. Nominatim verò arbitror intelligi propheticos, Danielis præſertim cap. 8. & 9. ubi diſertè de temporibus hiſce Judaicis vaticinatus erat.

Epiſtolæ connexio & conſecutio.

Quæres octavò: quorſum Judæi ſcripturæ apud Infideles meminerint, & quæ hujus verſus noni cum aliis connexio? Connexio aliqua, vel relatio potius cum verſu 15. ſatis manifeſta eſt: nam verſu nono agitur de *ſolatio* habito ex ſacris libris, puta Danielis, qui Judæis auxilium à Deo in calamitatibus promittit: verſu autem decimo quinto dicunt Judæi, ſe habuiſſe *de cælo auxilium.* Sed iſta cum uno verſu connexione contenti non ſimus: conemur potius oſtendere, quàm aptè cum reliquis epiſtolæ partibus conveniat. Poſito itaque ab Ario ad Oniam de fraternitate, & amicitia, ac ſocietate ſcriptum, ac Onia legatum honorificè ſuſceptum: ſubditur: *Nos cùm nullo horum indigeremus*; ſeu ut Græcè eſt, *& nos igitur non indigi horum*, quia *ſolatio habemus ſanctos libros. Maluimus*, Græcè *tentavimus, mittere ad vos, pro renovanda amicitia.* Senſus eſt: *Nos etſi jam, Deo gratia, amicitiâ & ſocietate, id eſt auxilijs ſociorum, non egeamus, utpote ſolatiis contenti eſſe poſſimus, quæ ex ſacrorum librorum lectione haurimus, & ſolida ac vera eſſe experimur. Ne tamen veterem amicitiam obliti videamur, quod parùm humanum & incivile ſit, judicavimus pro eâ renovandâ mittendum iſthuc*, &c.

Signa veræ ac conſtantis amicitiæ, in ea epiſtola.

Vides, verſu iſto nono & decimo, Jonathan ac Judæos apertè profiteri, ſe utilitatis cauſsâ Laconum amicitiam non quærere, Epicureorum more, qui omnia amicorum officia metiebantur utilitate: ſed humanitatis cauſsâ, quod verioris amicitiæ fundamentum ſolidum eſt. En primam firmæ cum Lacedæmoniis amicitiæ notam. Sequitur altera verſu undecimo: quòd in ſacrificiis & orationibus Laconum meminerint; non tantùm quomodò Moyſes pro Pharaone oravit, Ex. 8. Abraham pro Abimelecho, Ge. 20. Judæi pro Nabuchodonoſore, Bar. 1. ſed *omni tempore ſine intermiſſione*, & denique, ſicut *fas eſt & decet meminiſſe fratrum*, eorū qui ultrò fraternitatem cum Judæis quæſierant; adeóque merebantur, ut pro fratribus haberentur, ac pro iis oraretur Deus, licet eſſent Infideles. Pro *fas eſt*, Græcè habetur, *δέον*, id eſt *neceſſarium*, non autem *decens*, ut malè vertit interpres Regius: intellige tamen ea voce, *neceſſitatem decentiæ*, ſeu ad *benè eſſe*, ut vocant, quam etiam Vulgata noſtra voce *fas* exprimit. Omninò enim non modò fas erat, & licebat Judæis orare pro amicis, quantumvis Infidelibus; ſed etiam decebat. Tertia nota perfectæ amicitiæ adjicitur verſu duodecimo, gaudium ſcilicet de bono amici: dicunt enim Judæi ſe lætari de Laconum *gloria*, ſeu priſtinâ illâ ac vetere, ſeu quæ etiamnum illis ex antiquo nomine ſupererat. Accedunt quarta & quinta verſibus tribus ſequentibus: ſignificant enim Laconibus tum miſerias ſuas, tum felicitatem, quod amicorum etiam eſt, ſua inter ſe conferentium & communicantium: dicunt præterea, ſe ipſis noluiſſe moleſtos eſſe & oneroſos, adeóque confirmant, quod verſu nono dixerunt, ſeſe utilitatem in eorum amicitia non ſpectâſſe. Adde ſextò, quod verſu 16. nominentur Græcis vocabulis legati, eorúmque parentes *Numenius Antiochi, Antipater Iaſonis*; ut & inde affinitas cum Laconibus aliqua appareat, linguæ & nominum ſimilitudine: quomodò ad quæſitum quintum diximus de nomine Arii, & Oniam. Denique ultimum amicitiæ ſignum erit, quòd reſponſum à Laconibus petant, *benefacietis reſpondentes*; ut vel ſic oſtendant à ſe eorum amicitiam deſiderari.

Recapitulantur indicia amicitiæ.

En igitur à capite ad calcem literarum, continua amicitiæ ſigna & argumenta: ℣. 9. & 10. utilitatis cauſſa eam Judæos non quærere, ſed humanitatis: ℣. 11. orationes facere pro amicis, velut pro fratribus: ℣. 12. ſincere gaudere de amicorum bono: ℣. 13. 14. 15. ſignificare amicis ſtatum rerum ſuarum, eiſque oneri eſſe noluiſſe: ℣. 16. mittere legatos, quos ſperent vel ex nominibus gratiores fore: ℣. 18. deſiderare mutuam communicationem literarum.

Qui legati Judæorum ad Lacones.

Quæres nonò: quinam ſint illi legati Judæorum ad Romanos & Lacones? Primùm, dubitandum non eſt, quin de genere Judaïco fuerint: abſurdiſſimum enim fuiſſet alios mittere. Nec movere quemquam debent nomina Græca, quæ tunc Judæis familiaria fuiſſe jam ſæpiùs advertimus. Præterquam quòd credibile ſit, legatos iſtos fuiſſe binomios, habuiſſéque nomina & Hebraica, & Græca: Græcis autem nunc uti, quia ad Romanos & Græcos mittebantur, quibus Hebræa vocabula barbarum ſonabant. Ita qui à Juda miſſi ſunt c. 8. verſ. 17. dicuntur Eupolemus, & Jaſon, pariter à atque hi Græcis nominibus, eodemque ut apparet fine. Secundò, habendum pro certo, non Judæos modò fuiſſe Numenium, & Antiparem, ſeu Antipatrum, aut Antipam: ſed etiam è primoribus Judæorum, & prudentiâ, ac dexteritate in rebus gerendis ſpectabiles; quandoquidem ad tanti momenti legationem deliguntur. Quis autem fuerit Antiochus pater Numenii, nuſquam apparet. De Jaſone Antipatris patre, conjicere licet ex cap. 8. verſ. 17. eum fuiſſe Eleazari filium: ut quò pater à Juda miſſus erat, à Jonatha filius mittatur. Numenius cap. 14. verſ. 24. iterum à Simone Romam legatus proficiſcitur, manifeſto benè obitæ prioris legationis indicio. Numenius item Antiochi filius ab Hircano juniore mittitur legatus ad Cæſarem apud Joſephum lib. 14. cap. 16. Sed alius fuit atque hic noſter, nec potuit tamdiu vixiſſe; aut admodum puer à Jonatha delectus fuit ad

tantæ

tantæ legationis munus: & ab Hircano poſtmodùm fermè centenarius.

Epiſtola Arii ad Oniam, non contrà, hic habetur.

Quæres decimò: quæ ſit epiſtola à verſu 19. ad 24. an Arii ad Oniam? An verò Spartanorum reſponſum ad præmiſſas Jonathæ literas? Rationes dubitandi ſunt: Primùm Lirani ſententia, & eum ſecuti Dionyſii, putantium eſſe reſponſum ad Jonathan. Secundò, quòd in vulgatis veteribus Bibliis haberetur: *Rex Spartanorum Onias Jonathæ ſalutem.* Tertiò, quòd verſ. 19. vocetur hæc epiſtola *reſcriptum*: ergo non & epiſtola Arii, qui prior ſcripſerat ad Oniam. Quartò, quòd ℣. 22. dicatur, *benefacitis ſcribentes nobis de pace veſtra*, quibus verbis videtur alludi ad verſum 15. epiſtolæ Judæorum. Quintò, quòd verſ. 23. dicunt Lacones, *ſed & nos reſcripſimus vobis*, quaſi ut ſatisfaciant poſtulato Judæorum, qui verſ. 18. ſcripſerant, *benefacietis reſpondentes nobis.* Nihilominùs indubitatâ fide tenendum, hanc epiſtolam eſſe priorem Arii ad Oniam: tum quia jam in Sixtinis Bibliis diſertè habetur, *Arius Rex Spartiatarum Oniæ*: tum quod in Græcis omnibus etiam olim haberetur *ὀνιάρης ὀνίᾳ*, *Oniares Oniæ*, de quo Oniaris nomine ſuprà diximus: tum quod manifeſtè verſu ſeptimo Judæi dicant, ſe epiſtolæ ſuæ ſubjicere *reſcriptum* literarum, ab Ario ad Oniam miſſarum. Ad primum argumentum in contrarium reſpondeo, Lirani auctoritatem in multis vacillare, &, ut planè eloquar quod ſentio, poſt variam ejus annotationum lectionem, eum à Lira frequenter aberrare. Ad alterum: titulus ille epiſtolæ mendoſus per temporum caliginem, librariorum inſcitiâ, irrepſerat in Biblia; certè vel ex ipſa Oniæ appellatione agnoſcere poterant errorem ſuum; cùm Onias Hebræum nomen ſit, neque ſic unquam ullus Spartanorum Rex vocatus fuerit. Ad tertium: vocatur ea epiſtola *reſcriptum*, quomodò & verſu ſeptimo, Græcè utrobique *ἀντίγραφον*, id eſt, *exemplum literarum*, ut vertit Vulgata verſu quinto. Ad quartum: *benè facitis* idem eſt ac benè facietis, præſenti tempore poſito pro futuro, quod in Scriptura frequens: Græcè hoc loco, id eſt verſu 22. eodem modo habetur quo verſu 18. *benè facietis.* Ad quintum: *reſcripſimus*, Græcè *reſcribimus*, intelligendum de *reſcripta* ſeu exemplo literarum authentico mittendo, non autem de reſponſo ad anteriores literas: *reſcripſimus*, id eſt, nos Arius & Laconum populus, decretum noſtrum publicum, de amicitia & fraternitate vobiſcum ineunda, exſcribendum curavimus, & ad vos mittendum.

Unde Hebraïſmi in epiſtola Græcorum ad Hebræos?

Quæres undecimò: unde irrepſerint in has Laconum literas phraſes quædam Hebrææ? Uti verſu 22. *Scribentes de veſtra*, vox iſta *pace*, per Hebraïſmum, poſita eſt pro fælicitate & abundantia bonorum: neque enim Græci eo ſenſu voce *pax* utuntur, ſed Hebræi. Reſpondeo, auctorem hujus libri Machabæorum Hebraica linguâ ſcripſiſſe, ut in Prolegomenis ſect. 2. diſſeruimus. Iiſque mirum non eſt, ſi epiſtolæ Laconum, in linguam Hebræam à ſe converſæ, phraſin aliquam Hebraïcam inſeruerit: quomodò Interpres noſter verſu 6. & verſu 20. *ſalutem* poſuit pro Græco *χαίρειν gaudere*, phraſi Latinâ ſubſtitutâ loco Græcæ, eâdem tamen ſententiâ. Quid verò ſi dicamus, ab ipſis Laconibus ſcriptam epiſtolam ſuam Hebraïcâ linguâ, adeóque & phraſi, quò Judæis eſſet gratior? Nihil, opinor, improbabile finxerimus, quodque ipſa res & humanitas non ſuadeat. Solent enim, qui ad amicos ſcribunt, eâ uti linguâ ſi poſſint, quæ amicis gratior & notior ſit. Joſephus lib. 12. cap. 5. recitatis literis Arii ad Oniam addit, per Dimocium vel Democium quemdam miſſas: ſcriptas fuiſſe tetragonâ formâ: ſigillum fuiſſe aquilam, quæ draconem comprehendiſſet.

Quæ Amathitis?

℣. 24. 25. 26. 27. ET AUDIVIT JONATHAS, QUONIAM REGRESSI SUNT PRINCIPES DEMETRII, &c. Narratur expeditio Jonathæ adverſùs duces Demetrianos, interim dum legati Romam proficiſcuntur. *Amathitis* regio, de qua verſ. 25. dicta eſt ab Æmath ſeu Emath, urbe ad Antilibanum ſita in extremis, ad Phœniciam & tribum Aſer, finibus Nepthali. Epiphaniam, ex Epiphanis nomine & voluntate, appellatam, ſcribit Hieronymus. Epiphaniam tamen alii collocant in ſupremâ Caſſiotide, Syriæ provinciâ, Phœniciæ ac Cœle-ſyriæ conterminâ, ad limitem Apamenes.

Hoſtis in finibus detinetur.

Eodem verſu, quod dicitur, Jonathas *non dederat eis ſpatium*, &c. Græcè eſt, *non dedit*: ut ſit ſenſus; Jonathas eis occurrit, nec dedit ſpatium penetrandi in Judææ interiora. Faciendum enim hoſtibus idem, quod morbis: à viſceribus arcendi ſunt; & ſiſtendi aut exonerandi, quà poteſt, ad extimam cutem, & ad extremos fines.

Exploratores decepti.

Verſu 26. pro *conſtituunt*, Græcè eſt, *ὅτι ἐκεῖ τάσσονται*, *ſic ordinant*, vel ordinantur. Unde colligo, exploratores à Jonatha ſubmiſſos, viſis Demetrianorum ordinibus, conjeciſſe ab eis parari nocturnam in Judæorum caſtra irruptionem.

Demetrianorum ſtrategema bellicum intercepta.

℣. 28. 29. 30. ACCENDERUNT FOCOS IN CASTRIS SUIS Demetriani, ut ſilentio diſcedere poſſent, neque eorum iter à Jonatha ſentiretur. Succeſſit conſilium, uti & aliàs ſæpè. Avorum noſtrorum memoriâ, id factum ab Arauſicano Principe, cùm ab oppugnatione civitatis Leodienſis recederet: factis per caſtra ignibus, imò & furcis bombardarum in terram depactis, ac ſuperpoſitis igniariis fomitibus, ut exhiberent ſpeciem ſtantium in excubiis militum. Ita ſilentio ſuos recepit, neque ante lucem id notatum; uti neque hîc à Jonatha, qui recedentem hoſtem inſecutus quidem eſt, ſed non nimis longè, ne quid temerè tentaret. De flumine Eleuthero, qui verſ. 30. memoratur, vide cap. 11. verſ. 7.

Calliditas & pertinacia hoſtium Eccleſiæ.

Obſerva hîc, exemplo Rabani, mores hoſtium Eccleſiæ. Inquieti ſunt, victi pugnare non deſinunt, in interiora Eccleſiæ irrumpere conantur: ſed procul ſunt arcendi, & in ipſis finibus occurrendum. Nocturna ipſis prælia placent, quia qui malè agit odit lucem: præterea ſperant faciliùs oppreſſum iri incautos Fideles; quomodò etiam ſeminator zizaniorum, Matth. 13. noctem elegit, cùm dormirent homines. Adversùs tenebriones iſtos, & graſſatores nocturnos, adhibenda vigilantia, ſtandumque omni tempore in armis. Exterriti Fidelium vigili fortitudine parant fugam, focos tamen accendunt, id eſt ſimulant animos ſibi non deeſſe. Primâ luce eos Jonathas inſequitur; quia Fideles, filii lucis, ſemper in luce pugnant: ſed non potuit eos comprehendere, quia pertinacea Eccleſiæ hoſtes, quantumvis viribus inferiores, victos tamen ſe confiteri, & in ſalutares fidei, id eſt veræ ſapientiæ, compedes induere ſe nolunt. Ideò tranſeunt flumen Eleutherum, verâ filiorum Dei libertate relictâ, ad inſanam ſuam tranſabeunt libertatem; detortâ ad pravos ſenſus Paulli ſententiâ: *Ubi ſpiritus, ibi libertas.*

Qui Arabes Zabadæi?

℣. 31. ET DIVERTIT JONATHAS AD ARABAS, QUI DICUNTUR ZABADÆI. Eos putat Liranus eſſe filios Jambri, de quibus c. 9. v. 36. 37. advocatque pro ſe Joſephum. Sed Joſephus id non dicit, imò pro Zabadæis ſubſtituit Nabuthæos, tantum abeſt ut Jambritas eſſe exiſtimet. Nec verò Jambritæ tam

vicini

Digitized by Google

vicini erant Amathiti & Damaſcenæ regioni: ut illinc ad ipſos, ab ipſis ad hanc uno curſu facilè Jonathas tranſire potuerit. Omittamus itaque Lirani conjecturam: nec Joſephum tamen ſequamur, Nabuthæos Arabas, Judæorum amicos, ſubſtituentem inimicis, quos Jonathas dicitur percuſſiſſe & accepiſſe ſpolia eorum. At ubi Zabadæos iſtos ſeu Zabedæos, ut Sixtina Græca habent, collocabimus? Nuſquam, opinor, meliùs quàm in Arabiæ deſertæ finibus, non longè à Damaſcena & Amathite. Iidem forſan fuêre qui Trachonitæ dicti, finitimíque horum Ituræi: latrociniis aſſueti, & poſtmodùm ab Ariſtobulo Judæorum Rege domiti, & ad circumciſionem ac cæteros Judaicos ritus adacti, teſte Joſepho.

℣. 32. Et iunxit, et venit Damascum, Jonathas. *Junxit*, ſumitur pro *iter inſtituit*, phraſi Græcâ, imò & Latinâ, qua equos jungere dicimus eum qui ſe ad iter comparat.

Simonis expeditio.

℣. 33. 34. Simon autem exiit et venit usque ad Ascalonem, &c. Interim dum Jonathas expeditionem ſuam conficit: *Simon* minimè otioſus invigilat luſtrandæ parti ejus præfecturæ, quæ ſibi ab Antiocho attributa fuerat ſuperiori cap. verſ. 59. Igitur *exiit* Hieroſolyma ut Jonathas, *& venit uſque ad Aſcalonem, & ad proxima præſidia*, ὀχυρώματα, *munimenta*, ſeu loca munita: *& declinavit in Joppen, & occupavit eam.* Subitum aliquid, & inexſpectatum innuitur. Ambulabat ſcilicet Simon, quaſi aliud agens, per maritima loca, cùm repentè deflexo itinere Joppitas incautos oppreſſit.

Joppe duplici præſidio munitur.

At, inquis, nonne Joppe tenebatur Judæorum præſidio? Planè & conſtat ex cap. 10. verſ. 75. 76. Sed *audivit* Simon, *quòd* Joppenſes cives *vellent præſidium*, ὀχύρωμα, *munimentum* inſtar arcis, ubi erant præſidiarii Judæi, *tradere partibus Demetrii*, id eſt Demetrianis ducibus Judææ infeſtis. Prævenit defectionem Simon, & homines malè fidos novo præſidio multavit, non arci ſolùm, ſed & urbi impoſito: id enim ſignificatur his verbis, *& poſuit ibi cuſtodes, ut cuſtodirent eam.* Duplici piorum ac doctorum Eccleſiaſticorum præſidio munienda loca in fide vacillantia, ne quando deſciſcant, eóque intentiore curâ ſervanda, quò minùs ipſa ſervari volunt. Ita & Superiori, pro nutantibus in virtute ſubditis, ſolicitudo duplicanda.

Conſilia Jonathæ ab expeditione reverſi.

℣. 35. 36. Et reversus est Jonathas, et convocavit seniores populi, et cogitavit cum eis: Græcè *conſultavit*, conſilium cepit, *ædificare præſidia*, id eſt munimenta *in Judæa.* Præterea ſtatuit *ædificare*, Græcè ad verbum reddas *præelevare*, id eſt altiores facere *muros in Jeruſalem.* Ad hæc *exaltare altitudinem magnam*, id eſt celſam molem interjicere, *inter medium arcis & civitatis, ut ſepararet eam* arcem *à civitate*, & *ut eſſet ipſa* arx *ſingulariter*, id eſt, planè ſecluſa ab urbe Hieroſolymâ; atque adeò præſidiarii Syri *neque emant, neque vendant*, & omni commeatu prohibiti, cogantur inopiâ ad deditionem. Tria vides in hac deliberatione ſtatuta: primùm, Hieroſolymæ munitionem: deinde, excitationem præſidiorum: tertiò, interclusionem arcis. Prudenter deliberata, ſtrenuè executioni mandantur: & verò fruſtra conſilia ſint, ſi deeſt executio, ultima & maximè neceſſaria prudentiæ pars.

Inſtauratur Hieroſolyma.

℣. 37. Et convenerunt, ut ædificarent civitatem. Judæi præeunte Jonata, ut olim præeunte Nehemia. *Et cecidit*, id eſt ceciderat, *murus*, qui erat *ſuper*, id eſt ad ſeu juxta *torrentem*, non longè inde; *ab ortu Solis*, ἐξ ἀπηλιώτου, vento Apeliotæ Subſolanóve adverſus: unde colligitur, torrentem quo de hîc agitur eſſe Cedron, qui civitati erat ad Orientem. *Eum* murum *reparavit* Jonathas, *qui etiam dicitur Cephetheta*, Græcè *Caphenata*: id ſcilicet nomen fuit parti mœnium collapſæ, & inſtauratæ.

Cephetheta quid?

Videtur appellatio illa orta ex *Caphaph* & *Ath*: quorum illud *curvitatem*, hoc *quietem* indicat. Unde conjiciebam agi hîc de muro curvo, ad Cedronis exitum de montibus & influxum in vallem Oliveti porrecto, & longiſſimè ab arce Syrorum ſemoto, atque adeò quietiore. Poſſit tamen etiam intelligi flexus mœnium, trans portam Templi Orientalem ad ejus quietem ac tutamen ſtructorum. Græca pleraque pro, *cecidit murus*, habent, *appropinquavit muro*, ſed frigido ſenſu, ut Salianus advertit.

Munitur Adiada in Sephêla.

℣. 38. Et Simon ædificavit Adiada in Sephela. De *Sephêla* aliquid diximus cap. 3. v. 40. Aquila *campeſtrem* interpretatur, Symmachus *vallem.* Hieronymus ait, ævo ſuo ſic vocatam regionem omnem circumjectam *Eleutheropoli*: urbi in finibus tribuum Juda & Dan, Adrichomio & aliis. *Adiada* eadem videtur eſſe, quæ Joſepho *Addida*, Hagiographo *Addus* cap. ſequenti, verſ. 13. ubi dicitur eſſe *contra faciem campi*, id eſt Sephelæ. Quid ſi fuit *Adithaim*, de qua Joſue cap. 15. & ab Adrichomio collocatur non longè ab Eleutheropoli?

Arx intercluditur.

De ſecluſis à civitate præſidiariis Syris, etſi hîc non dicatur, factum tamen fuiſſe colligitur ex cap. ſequent. verſ. 49. ubi refertur ſucceſſus ejus conſilii, benè proviſi, celeriter perfecti.

Domeſtici Eccleſiæ hoſtes.

Rabanus hoc loco notat, prudentes populi Chriſtiani Pontifices, expulſis externis Eccleſiæ hoſtibus, invigilaturos inimicis domeſticis: iis commercio piorum interdicturos per excommunicationem; eorum ſectam receptum non iri, neque iis viciſſim doctrinam Eccleſiaſticam communicatum iri, tamquam indignis. De iſtis Eccleſiæ inteſtinis hoſtibus vide dicta ſuprà ad caput 5. verſ. 17.

Viri magni, muri Eccleſiæ: cur lapſi?

Murum Hieroſolymitanum, qui cecidit ab ortu ſolis, interpretatur viros magnos, qui munimento Eccleſiæ aliquamdiu fuerunt; ſed denique ambitione, aut voluptate dejecti labuntur. Hoc ſi extendere volueris reperies: primùm viros probos ac doctos, muros eſſe Eccleſiæ ex phraſi qua Deus, Ezech. 13. queritur de prophetis, quòd non oppoſuerint murum pro domo Iſraël. Multos deinde invenies paſſim in hiſtoria Eccleſiaſtica, quos ambitio, aut voluptas proſtravit: & in eo numero principem Simonem magum, ambitione miracula faciendi præcipitem: Tertullianum deinde, qui miſerè ad eumdem ſcopulum impegit; ad quem, ipſo teſte, Valentinus. Sic enim ſcribit, lib. adv. Valentinianos: *Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex prærogativa martyrii, loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticâ regulâ abrupit: ut ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptione ultionis accendi.* Auguſt. lib. 2. de Gen. cont. Man. c. 8. generatim dicit: *Mater eſt omnium hæreticorum ſuperbia:* addo, aut voluptas, ut experimento conſtat hodie murum apoſtatarum.

Jonathas à Triphone captus.

℣. 39. uſque ad 53. Narratur clarè captivitas Jonathæ, ſociorum quorumdam cædes, aliorum reditus in Judæam, luctus publicus. De *Bethſan* quæ verſu 40. & 41. memoratur vide cap. 5. verſ. 52. De Ptolemaida jam dictum ſæpiùs. Quos verſ. 42. dicitur, *ut extenderet in eum manus timuit*; clariùs habetur in Græco, *& extendere manus in eum*

Jonathan

Jonathan *timuit* Tryphon, ſic intelligenda eſt hæc ſententia. Neque enim Jonathas Tryphonem, ſed Tryphon Jonathan comprehendere volebat; eum timebat tamen, quia cum tanto comitatu venerat.

Politici hominis mores.

Obſervanda hîc varia. In Tryphone congeries & concatenatio vitiorum, quæ fermè conjuncta eſſe ſolent quantumvis contraria eſſe videantur. Delicatus & enervis, pro gentis Aſiaticæ genio, dignusque agnomine Tryphonis: idem tamen eò uſque ambitioſus & crudelis, ut fidei ſuæ commiſſum puerum jugulare ſtatuerit ad invadendum ejus diadema; & Jonathan non aliter peccantem, quàm quod amico puero fidus fore putabatur, tollendum exiſtimaret. Hæc ſumma criminum, rectè velle, & quid poſſe. Luxuria animum abjicit, & mollit: ecce nihilominùs in hocce luxurioſo altiſſimos & efferos ſpiritus, pugnantia vitia. Adde iſtis alia cognata, fraudem, mendacia, perfidiam; ex iſtis totus Tryphon conſutus. Vivum Politici, aut potiùs Pſeudo-politici hominis exemplar, præ utilitate penſi nihil habentis; inter capitales hoſtes numerantis, quotquot conatibus ſuis adverſaturi videntur; humana ac divina jura omnia confundentis, modò per flagitia eniti valeat in altum. Vide apud Lucanum Pharſ. lib. 8. Photini orationem, Ptolemæo ſuadentis, ut Pompeium occidat; fidei præferendam fortunam, utile honeſto. Oratio planè eſt ad ingenium Tryphonis, & politicorum: ut ex ea videatur tantò poſt Machiavellus peſtilentia ſua axiomata concinnâſſe. Ejus Photini eſt è multis hæc ſententia celebris, *Exeat aulâ, Qui volet eſſe pius.* Adſciſcatur pietas in ſpeciem, quando ea ſpecies utilis eſt: ubi utilis eſſe deſiit, exuatur, & per aperta crimina aperiatur conſiliis iter.

Multitudo populi gloria Principis.

Obſervanda prætereà multitudo militum, quibus comitatus Jonathas prodiit obviam Tryphoni. *Quadraginta ſunt* ℣. 41. *millia* militum, & *electorum* quidem: ingens numerus in natione tot perſecutionibus & vaſtationibus attritâ, & quæ paullò antè vix tertiam partem ſub ſignis numerabat. Repullulârat ſcilicet populus Judaicus Jonathæ longo ac fælici Principatu: rexit enim octodecim annos ſemper victor, aut pacatus, ſi initia dempſeris. Facit autem non parum ad ejus gloriam multitudo ſubditorum: nam *in multitudine populi gloria Principis.* Indicio eſt, juſtitiæ, fortitudinis, beneficentiæ, aliarûmque virtutum laude Jonathan floruiſſe: eáque fama excitos ſimul, & ſpe pacatè vivendi, ac patriæ amore Judæos, undique in Judæam revolâſſe.

Beneficentia virtus Principalis.

Erat nempe ejus Principis inſtar, ad quem Seneca lib. 1. de Clem. ait, *tamquam ad ſalutare ac beneficum ſidus* accurri, & cui amore ſubditorum *ſtabilis Principatus fundatusq́ eſt.* Putas ſine cauſsâ Chriſtum dixiſſe, Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem exercent ſuper eos, Benefici vocantur?* Putârim equidem, licèt aliud agentem, indicare voluiſſe, è civilibus virtutibus nullam Principi Beneficentiâ potiorem eſſe debere: eâ populorum animos conciliari, florere & augeri reſpublicas, firmari Principatus. Quàm longè abeunt illi, qui poteſtate ſic abutuntur, quaſi non ad benefaciendum, ſed malefaciendum ipſis data eſſe videatur? Ut non jam benefici, ſed malefici, dici debeant. Qui cùm prodierunt, ut ait eodem loco Seneca, diffugit populus, *quaſi ferum aliquod animal è cubili proſiluerit.* Qui in agris vaſtitatem, in urbibus paucitatem faciunt: ita omnia paupertate ac terrore complent; aptiſſimè leunculis ac leonibus ab Ezechiele cap. 19. comparati. Quomodò Jonathæ gloria in multitudine populi: ſic ignominia iſtorum in populi paucitate. Vide nos infrà ad cap. 14. v. 4. &c.

Nimia credulitas Jonathæ.

Obſervanda item in Jonatha credulitas nimia. Delenificis perfidi hominis ſermonibus, & ſimulatis officiis capi ſe ſinit imprudens, & in caſſes ſe induit. Homo ſcilicet erat generoſi ſpiritûs & fallaciarum neſcius: ut magnanimi quivis minimè fraudulenti, & maximè aperti ac ſinceri ſunt; indignumque virtute ac ſecuritate ſuâ putant, artibus ac dolis agere. Is igitur cùm eſſet Jonathas, de ſe Tryphonem æſtimavit, & nimiâ fiduciâ ac credulitate imprudenter lapſus eſt.

Cavendum ab hominibus.

Monitum Chriſti ad Apoſtolos eſt: *Cavete ab hominibus:* vult illos ſincerè & apertè agere; ſic tamen, ut eamdem ſinceritatem ac candorem ab aliis paſſim non exſpectent, ſed ſe adversùs eorum artes prudentiâ muniant. Eodem reſpexit, cùm diſcipulis ad prædicandum deſtinatis ait Matth. 10. *Ecce ego mitto vos ſicut oves*, ſimpliciſſimum, & innocentiſſimum, fraudumque ignarum animal. At ne homines quibuſcum paſſim verſaturi ſunt ſimiles ſui arbitrentur, & eorum dolis implicentur incauti, ſubdit: *Mitto vos in medio luporum*, ferorum ac ſubdolorum animalium.

Jungenda ſimplicitas prudentiæ.

Explicandi cauſſa ſubjungit celeberrimam illam ſententiam: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Cujus ſententiæ varias ſcio interpretationes; ſed genuinus ac literalis ſenſus: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, ne fallamini artibus hominum; *& ſimplices ſicut columbæ*, ne quemquam fallatis. Sic converſari diſcite, ut noceatis quidem nemini; ſed etiam caveatis ne vobis noceatur. Ita intellexit Bernardus ep. 327. ad Innoc. Papam, monens ne ſe à Marciânenſibus Monachis decipi ſineret, qui ad eum venerant in ſpiritu mendacii: neque ab Abbate S. Vendaſti, in quo dividenda ſit lux à tenebris: *Nec novum*, inquit, *nec mirum eſt, humanum animum poſſe falli, vel fallere: cavendum & hoc, & illud & utrobique periculum. Ad utrumque cautelam vobis appoſuit magni conſilii Angelus, quando dixit; Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ; ut nec prudentia decipi, nec ſimplicitas decipere poſſit.* Eadem eſt explicatio Proſperi lib. 3. de Vi. Cont. c. 29. *Nec ipſi aliis noceant, nec ſibi nocere permittant. Tales Dominus in Evangelio fieri præcepit: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: quia nec ſimplices circumvenire aliquos poſſunt, nec prudentes ſe circumveniri permittunt.* Sic & Auguſtinus & Hieronymus, aliique interpretati. Vide etiam infrà ad cap. 16. v. 14. &c. Rabani ſententiam. Habuit hoc loco Jonathas ſimplicitatem columbæ, ut Tryphoni non noceret: at caruit prudentiâ ſerpentis, ne ſibi noceretur.

Animus & deprecatione.

Obſerva etiam verſ. 50. ſociorum Jonathæ ex ipſa difficultate fortitudinem, & ſalutem: ita nobis numquam, etiam extremis rebus, deſperandum. Item verſ. 49. & 51. prudens militum, in eos à Tryphone ſubmiſſorum, conſilium. *In campo magno*, id eſt planitie, quæ aliàs Eſdrelon, aliàs Mageddo dicitur; eratque inter utramque illam urbem interjecta; in Galilæa inferiore. In eo igitur campo poterant Tryphoniani duo omninò Judæorum millia obruere: ſed turbam ex vitæ contemptu ferocem, aggredi noluerunt; non ignari, numquam periculoſiùs, quàm cum hoſte ad extrema redacto, pugnari, & recedenti pontem aureum ſternendum eſſe.

Obſerva

Amor ſubditorum in Principem. Obſerva denique verſ. 52. amorem Judæorum in Principem ſuum Jonathan; quem captivum plangunt, & lugent *luctu magno* quaſi jam mortuus eſſet: vel quia primus rumor occiſum cum cæteris vulgaverat: vel quia præſagiebant fore, ut à fœdifrago Tryphone tandem occideretur: vel quia ab hoſte capi, & libertatem amittere, perire eſt. Lugent primùm Jonathæ ipſius cauſsâ, alterius inſtar Jonathæ Davidici, *amabilis* toti populo, quem octodecim annos, & eo plus, juſtè, quietè, fæliciter rexerat. Lugent deinde ſuâ ipſorum cauſsâ; quia verentur, ne amiſſo capite, relabantur in priſtinas calamitates: neque enim adhuc obliterata erat earum memoria, quas paſſi fuerant ſtatim à morte Machabæi. Unde etiam Græcè additur, *Et timuerunt valdè.*

Gentium in Judæos conſpiratio. ℣. 53. 54. ET QUÆSIERUNT OMNES GENTES, QUÆ ERANT IN CIRCUITU EORUM, CONTERERE EOS: imò & penitùs delere, cùm dicant: *Tollamus de hominibus memoriam eorum.* Movebat vetus in Judæos odium, ſæpè jam notatum, & infrà cap. 13. verſ. 6. notandum. Spem faciebat Principis captivitas; quo ſtante, ſtetiſſe Judæos viderant; lapſo, facilem putabant fore illorum ruinam: *dixerunt enim; Non habent Principem, & adjuvantem.*

Adverte, iſta duo commodiſſimè jungi, *Principem, & adjuvantem*: ut diſcant Principes officii ſui debitum eſſe in ferendo popularibus auxilio, ſubditiſque arcendo mala, & benefaciendo. Longiſſimè à principalibus virtutibus, ac vera laude abſunt, qui otioſi, ambitioſi, cupidi principantur: quaſi ad id tantùm evecti ſint in altum, ut ſpectentur, non ut laborent. Quod de *Epiſcopatu* dicebat Paulus, 1. Tim. 3. *bonum opus* eſſe, adeóque Epiſcopum debere eſſe operatorem: idem hîc de Principe dicitur, cujus officium eſt eſſe populi auxiliatorem & adjutorem. Princeps auxiliator populi.

EXCURSUS I. MORALIS

Ad Cap. 12. *verſ.* 13. Nos autem circumderunt multæ tribulationes, & multa prælia.

Virtutes per bella perfici.

SECTIO PRIMA.

Mala ſemen ſunt bonorum omnium.

I. Bona juſtis miſcetur. NUMQUAM D. Ludovici Galliæ Regis captivitatem apud Ægyptios lego abſque magno animi ſenſu. Tam ſanctum virum, tam bono & juſto fine, adversùs impios, cum florentiſſimâ nobilitate, militantem, amiſſo fratrum uno ac primoribus ducum, coactum cum binis aliis fratribus ac reliquo exercitu venire in recutitorum manus, ſpectatéque cædes ægrorum è ſuis; &, quod vinculis ac cædibus ignominioſius atque intolerabilius erat, Chriſti cruci affixi imaginem humi abjectam, ſacrilegiſque pedibus proculcatam, aliáque indigna ac fœda memoratu. Perculit res inexſpectata Chriſtianos omnes, inprimis Innocentium IV. Pont. Maximum: qui conſolatorias, Auguſto anni 1250. ad Ludovicum Regem ſcripſit pias admodùm ac ſapientes. In iis tam mirandi eventus cauſſas inquirens, ea congerit, quæ variis locis digerimus, calamitatum commoda, expurgationem præſertim animi Chriſtiani, ac probationem virtutis. Digna lectu epiſtola eſt, eámque invenies apud Spond. an. 1250. poſtquam anno præcedenti expeditionem D. Ludovici narravit.

II. Virtus illis creſcit. De expurgatione aliàs: nunc de perfectione probationéque virtutum. Oſtendamus, quomodò unguenta concuſſa olent, aromata trita ſapiunt, chordæ percuſſæ reſonant, crocus & chamæmeli calcata creſcunt, incendia eventilata augentur, tædæ inclinatæ exardeſcunt; ita virtutem adverſis

ſpectari & ſurgere, nominatim per bellicas calamitates. Gen. 49. moribundus Jacob de cariſſimo filiorum ait: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens,* ſapientiâ ſcilicet ac ſanctimoniâ. Rationem vis? Eccam: *Sed exaſperaverunt eum, & jurgati ſunt, inviderúntque illi habentes jacula. Simeon* ſcilicet *& Levi, vaſa iniquitatis bellantia*, ipſum invidiâ perſecuti ſunt: & calumniæ nimis credulus Putiphares, magiſter militum Pharaonis. Inde Joſepho accrementum virtutis. Parens ejus Gen. 32. ex Meſopotamia revertens vidit Angelorum multitudinem inſtar exercitus inſtructi; unde loco nomen factum Mahanaim, id eſt Caſtra: deinde cum Angelo luctatus eſt, *benedixítque ei* Deus per Angelum *in eodem loco*, cui data appellatio Phanuelis. Mihi videbatur, poſt militiæ cæleſtis ſpectaculum, in ipſo Caſtrorum loco aut non longè abhinc, poſt fortem cum Angelo luctam, femore percuſſo & marceſcente, beneficiis divinis cumulatum ſanctum viatorem: ut intelligamus, ea laborantibus ac certantibus dari. Inde forſan Hieronymus prologo in Habacuc: *Apoſtolus cum Ieremia dicit, Tribulationem & miſeriam invocabo: & quomodò alius invocat Deum, ſic ſanctus vir, & bellator invictus, ad exercendum ſe, & probandum, tribulationem & miſeriam invenire deſiderat.*

Celeſtis hortulani vox eſt, Cant. 7. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Ut obvii in pendentibus ramis fructus decerpantur, extollenda ſolùm manus eſt, ſine arboris damno. At ut alii in vertice colligantur, ſcalæ admovendæ, conſcendendi & confringendi rami ſunt. Fructus communes virtutum abſque hominum damno colligi queunt, ſed eminentioribus carpendis calamitas opus eſt. *Indulſiſti genti Domine*, inquit Iſa. c. 26. III. Animus ad bona incenditur tempore calamitoſo.

 numquid

numquid glorificatus es? Omninò: ſacrificia enim obtulêre, etiam quieti ac tranquilli Reges, Ezechias & Joſaphatus. Sed longè aliter intenſioríque deſiderio, *Domine, in anguſtiâ requiſierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Præſignificâſſe id videtur Deus Exod. 20. cùm inter tonitrua & fulgura, & velut tubarum ſonitus, legem ſuam tulit in monte Sinai: ut indicaret legem ſuam numquam auditum iri perfectiùs, quàm inter bellorum ſtrepitus, flammáſque ac fragores intonantium calamitatum.

IV. Calamitatis fructus duodecim. Apoc. 22. memoratur *lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Quod illud ſit lignum, arbórve, qui fructus, quid duodenario numero ſignificetur, diſputant interpretes: ego putârim non incommodè dici poſſe arborem Crucis, ſive calamitatem patienter toleratam, de quâ duodecim virtutum fructus ſaluiferi enaſcuntur, foliaque ejus ſunt ad ſanitatem gentium. Malis forſan horologio miſerias, præſertim publicas & bellicas, conferri: ut quomodò rotatilibus noſtris machinis nocturnæ, diurnæque horæ, ſignantur; ita bellis vitiorum genera duodecim purgentur, virtutes totidem perducantur ad perfectum. Publicis ſuppliciis puniri diximus Publica primùm peccata, in iis tria Impietatis genera, Injuſtitiæ quatuor, duo Intemperantiæ: Privatas etiam culpas ad Menſuram conferre, Nobilium, Eccleſiaſticorum, ſingulorúm etiam Venialia. En horas noctis duodecim. Totidem tibi virtutes enumerabimus, velut horas diei.

V. Prudentia exercetur. A prudentia incipiamus: *Qui non eſt tentatus,* inquit Siracides c. 34. *quid ſcit? Vexatio* enim Iſaia teſte c. 1. *dat intellectum auditui* & dat viſum oculis. Amaro felle unguntur pupillæ cæcati Tobiæ ſenioris, Tob. cap. 11. Saliva mordace, ac luto inunguntur palpebræ cæci nati, Joan. c. 9. Felle, ſale, ac luto vilis & acerbæ captivitatis liti fuerunt oculi Ezechielis, quando mira ipſi cælitùs viſa objecta ſunt juxta fluvium Chobar, cap. 1. Jeremias de ſe ac de populo ſuo fatetur: *De excelſo miſit* Deus *ignem in oſſibus meis, & erudivit me;* Thren. cap. 1. Et Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.* Infortunia hominem ſui admonent: conditionem ſuam & vires illi experiendas præbent, prudentemque experiendo faciunt. *Inter multa magnifica Demetrii noſtri,* inquit Seneca lib. de Prov. *& hæc vox eſt, à quâ recens ſum: ſonat adhuc, & vibrat in auribus meis. Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evênit adverſi: non enim licuit illi ſe experiri.* Hinc Plinii in Trajano votum: *O quàm utile eſt, ad uſum ſecundorum per adverſa veniſſe!*

VI. Juſtitia item, fortitudo, temperantia. Neque in bellis, quamvis legibus ſoluta eſſe militia videatur, ſua deeſt exercendæ juſtitiæ occaſio, reddendique Deo, patriæ, principibus, debitam fidelitatem. Nec deerunt qui cum Mathathia exclament: *Melius eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum.* Fortitudinis exempla illuſtria in D. Marcella, & virgine quadam Romana, dum Roma caperetur, in Compendio, quod ad Commentariorum calcem recuſum dabitur, pridem attigimus. Generatim certum eſt, tam roborari animum tolerantiâ calamitatum, quàm corpus laborum aſſiduitate durari. *Neque,* ut ait Seneca lib. de Prov. *eſt ſolida nec fortis arbor, niſi in quam frequens ventus incurſat: fragiles ſunt, quæ in aprica valle creverunt.* Et Bernardus epiſt. 256. ad Papam Eugenium: *Legi,* inquit, *apud quemdam ſapientem: non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate.* Eâdem ſententiâ Tertull. lib. ad Mart. *Virtus duritiâ exſtruitur, mollitiâ verò deſtruitur.* Tabeſcente carne, voluptatibusque amatis, *oſſa nudantur,* fortitudoque agnoſcitur, ut Greg. ait l. 3. Mor. c. 18. Temperantiam Samaritani proceres multi dedicêre triennali obſidione, 4. Reg. 6. Et 1. Mach. 6. incluſi cum Juda Machabæo in munimenta templo circumjecta nobiles multi juvenes, experti ſunt, parvo contentam eſſe naturam. De Dario & M. Antonio indicavimus in Compendio. Vigilias, ſobriæ menti amicas temperantiæ filias, veſtitûs modeſtiam, caſtitatis indicem, & cuſtodem, non pauci ex temporum difficultatibus ac publicâ paupertate accepêre: idemque meritò dicant, quod Jeremias, cap. 31. *Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus, quia tu Dominus Deus meus.*

Fidem in Chriſtianis animis languidam, ac præmortuam, miſeriæ frequenter excitavêre. *Quando enim Deus magis creditur, quàm quando magis timetur?* Inquit Tertullian. de fugâ in perſecutione. Quando autem magis timetur, quàm ubi ſentitur iratus, ſpectanturque ſupplicia publica criminibus noſtris reddita? Præſertim quando audivimus, etiam Venialis unius pœnam eſſe poſſe communes miſerias: imò & ob ſolum originis peccatum eas juſtè immitti poſſe, quemadmodum & mortem: uti ex Rom. 5. deducit Vaſquez noſter tomo 2. in 3. part. D. Thom. quæſt. 69. diſput. 156. de baptiſmo c. 3. Fidem etiam apud Infideles promulgatam occaſione bellorum, non rarò videre eſt. Puella Iſraelitis apud Syros captiva, Naamani cauſſa fuit converſionis, 4. Reg. 5. Simile quidpiam expreſſum invenies Tobiæ, cap. 13. verſ. 4. & 5. Ita fides in Indias olim illata per D. Frumentum: & Iberi converſi occaſione ſanctæ cujuſpiam captivæ: quam hiſtoriam ex ore ipſius Regis Bacurii accepit D. Epiphanius, ex Epiphanio excerpſit Baronius, tom. 3. an. 327. Auguſtinus epiſt. 122. putat Deum, captivas per Vandalos abduci permiſiſſe ſanctimoniales Catholicas, quod in *ipſa terra barbarica per iſtas* forſan aliquid *fieri vellet mirabilium ſuorum:* Subditque de virgine nepte Sitifenſis Epiſcopi, qua orante liberi tres barbaræ mulieris de gravi morbo convaluêre. Ita & Proſper de vocat. Gent. lib. 2. cap. 33. *Quidam Eccleſiæ filii, ab hoſtibus capti, dominos ſuos Chriſti Evangelio mancipârunt, & quibus conditione bellicâ ſerviebant, eiſdem fidei magiſterio præfuerunt. At alii Barbari dum Romanis auxiliantur, quod in ſuis locis noſſe non poterant, in noſtris didicêre regionibus, & ad ſedes ſuas cum Chriſtianæ religionis inſtitutione remeârunt.* De Chinis, Paravis, Americanis per bella ad fidem vocatis, indicavimus in Compendio. Bellis noſtris Germanicis hæreticorum multos conſtat ad fidem revocatos: memini que ſcriptum anno 1649. ab Rectore Pragenſi Martio menſe, jam tunc multos Suecorum Pragæ hæreſim abjurâſſe, paſſim cæteros de Catholicâ religione meliùs quàm ante ſentire, idque concionalem unum miniſtrum ipſi ingenuè faſſum. VII. Fides præterea, ac timor Dei.

Spei tempus maximè proprium eſſe ubi calamitates ingruunt: ubi homines deſunt, in Deum ſolere nos incumbere; deſperatis in terra rebus cælum reſpici, capite undecimo demonſtravimus. Ex fiducia in Deum proficiſcitur animoſa conſtanſque oratio. Sic per horrendam peſtem anni 1347. & proximè ſequentis, auditi fermè omnes infecti expiatis animis laudes divinas concinere, & in iis emori: referente Spond. Ex eodem retulimus, in Compendio, annum Devotionis generalis 1233. Quod nomen etiam anno 1260. datum VIII. Tum ſpes, & oratio.

eſſe

eſſe ſcribit; cùm Italiâ totâ paſſim ſupplicabundi omnes, ſummi juxta & infimi ex utroque ordine, humili ac pio ritu incederent: initio ab urbe Peruſinâ per Anachoretæ cujuſpiam hortationes facto. Vix unquam magis pium Davidem fuiſſe inveniemus, quàm per bellicos metus, quorum occaſione dimidium fermè pſalmorum nobis conſcripſit. Hinc etiam forſan pſalm. 97. pſalli vult Deo, non tantùm *in cithara & voce pſalmi*: ſed etiam *in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*, quæ inſtrumenta bellica ſunt: & ultimo pſalmo *tympanum* etiam choro muſico adhibet.

IX. Deinde caritas erga proximum, & erga Deũ.

Caritatem erga proximum experientia malorum accendit: miſericors enim eſſe magis nemo ſolet, quàm qui ex ſenſu ſuo æſtimat quid alii ſentiant. Miſerum te bella faciunt, ut miſericors fias: & ut miſerum te non faciant, miſericordem tamen te reddent tot undique calamitoſorum conſpectu. Pudebit te eſſe de grege iſtorum, in quos Amos invehitur cap. 6. qui *bibentes vinum in phialis, & unguento optimo delibuti, nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Males imitari Paullam, Euſtochium, Hieronymum exulibus Romanis, poſt patriæ cladem diſperſis, ac vagantibus, menſam ac cubile concedentes. Qua de re nos quædam Excurſ. ad cap. ult. ſect. 1. Ubi etiam dicimus, inflammandæ erga Deum caritati per calamitates bellicas materiam dari, contemplatione ſacrilegiorum, aliorumque criminum: ut poſſimus ex intimo animi affectu, & voto gloriæ divinæ, dicere cum Heli, 1. Reg. 4. *Tranſlata eſt gloria de Iſraël, quia capta eſt arca Dei.*

X. Denique contemptus terrenorũ, deſiderium cæleſtium.

Auguſtinus lib. 4. de Symb. ad Catech. cap. 1. *O munde immunde*, inquit, *teneri vis periens; quid faceres ſi maneres? Quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris?* Deordinatis noſtris erga terrena affectibus mederi efficaciùs Deus non poterat, quàm illis amaritiem inſpergendo, ut faſtidiremus; variamque illorum fugacitatem in oculos ingerendo, ut contemneremus. Ita ſe uxoremque ſuam Proſper in fine Epigrammatum, forſan Paullinus, excitat ad contemptum mundi contemplatione bellicarum calamitatum ævi ſui.

Qui centum quondam terram vertebat aratris,
Æſtuat, ut geminos poſſit habere boves.
Vectus magnificas carpentis ſæpè per urbes,
Rus vacuum feſſis æger adit pedibus.
Ille decem celſis ſulcans maria alta carinis,
Nunc lembum exiguum ſcandit, & ipſe regit.
Non idem ſtatus eſt agris, non urbibus ullis,
Omniáque in finem præcipitata ruunt.

Eumdem in modum Greg. 23. Mor. c. 17. *Per tentantia vitia*, inquit, *diſcimus, quid de nobis ſimus: per ferientia flagella cognoſcimus, quid de hoc mundo fugiamus.* Et lib. 3. Dial. c. 38. poſtquam narravit, quomodo Redempto Epiſcopo D. Eutychius Martyr apparens ter ingeminârit, *Finis venit univerſæ carnis*; & paullò pòſt *effera gens Longobardorum, de vaginâ ſuæ habitationis educta* in Italiam irruperit: hæc refert: *Deſpiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamſi blandiretur, ſi rebus proſperis demulceret animum. At poſtquam tot flagellis atteritur, tantâ adverſitate fatigatur, tot nobis undique dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat?* Et ſimul admonet, ut ex inquieto corporis ergaſtulo, & laborioſo terræ exilio, ad libertatem filiorum Dei in cælis & civitatem illam aſpiremus, cujus finis vel vita æterna in pace, vel pax in vita æterna dicendus eſt: qua de re nos quædam Exc. 3. ad c. 2. ſect. 2.

XI. Calamitas Chriſtiano baptiſmus æquus.

Ex his aliiſque, quæ alibi de miſeriarum fructu digeſſimus, mihi videbatur calamitas, Chriſtiano animo excepta, cum baptiſmo aptè conferri poſſe. Ita certè Chriſtus ipſe Luc. 12. de Paſſione ac Cruce ſuâ agens dixit: *Baptiſmo habeo baptizari.* Et Marci 10. ambitionem filiorum Zebedæi comprimens, eamdem Paſſionem non modò *calicem*, ſed & *baptiſmum*, iteratò nominat. Baptiſmus Chriſto fuit Paſſio ſua: quia per illam ſanguine ſuo conſperſus & velut immerſus eſt, eóque flumine terra, pontus, aſtra, mundus, lota fuêre. Nobis miſeriæ noſtræ baptiſmus ſunt: quia neceſſariæ ſunt omnibus, præſertim electis Dei. De neceſſitate baptiſmi patet ex Joan. 3. in colloquio Chriſti cum Nicodemo, quod Evangelium legitur anniverſario die inventæ Crucis. De neceſſitate miſeriarum pro omnibus vide Exc. 2. ad cap. 2. n. 3. &c. De electis, quòd eos probari oporteat, vide ibid. Excurſ. 3. ſect. 2. num. 1. Baptiſmus characterem imprimit: ſuum etiam afflictio, vide ibid. Baptiſmus peccata, & pœnam expurgat: præter illa quæ habentur Excurſ. ad cap. 4. vide Excurſ. 3. ad c. 2. ſect. 1. n. 6. & Excurſ. ad cap. 6. num. 10. &c. Baptiſmo conferuntur virtutes: id egimus pro inſortuniis capite hoc univerſo, & ſect. 2. Excurſûs ad cap. 15. præſertim numero 5. 6. 7. 9. 10. Baptiſmo cælum patet: ita & miſeriis: vide numerum proximè præcedentem, & Exc. 3. ad c. 2. ſ. 1. in fine. Ut hos effectus in adulto producat baptiſmus, non tantùm opus eſt libera acceptatio, fideſque ac ſpes; ſed etiam pœnitentiæ actus, ſi actuale peccatum mortiferum admiſit. Ad effectus calamitatis, Chriſtiano animo accipi debet. Optabile foret ut cum deſiderio & ex Dei amore acciperemus, diceremuſque, *B. [illegible]tiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor.* Id commendabat Paullus Phil. 2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod in Chriſto JESV.* Sed quia virtus tam excelſa paucorum eſt; attritionis ſaltem motivo, ut loquuntur, mala excipiamus, tamquam vitiorum purgationes pœnarúmve illis debitarum. Hæc cogitatio fuit unius ex ſociis Chriſti crucifixi: noſque ad eam juvabit, quod ſupra indicavimus numero ſeptimo. Chriſte crucis amator, malorum juſtiſſime diſtributor, patientiæ coronator, confirma Chriſtianorum tuorum animos; ut hujus vitæ miſerias de manu tua toleranter accipiant, earumque fructum te miſerente percipiant.

SECTIO SECUNDA.

An etiam malè uſuris calamitas bona ſit?

I. Afflictiones ſcalæ cæli.

IACOB ſcalas videt terræ innixas, cælum tangentes, 1. Gen. 23. Vel hinc videas, quàm cogitationibus piis materiem præbeat ſacra Scriptura. Scalas illas quidam aiunt eſſe Humanam Chriſti naturam, ideóque mox Jacob dici: *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ*: humana Chriſti natura terram tangit, & cælum, eiſque Deus innititur, & *videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes, ſupra filium hominis.* Alii applicant Virgini Deiparæ & Deiferæ, cuique adeò Deus innixus eſt; & preces ejus atque interventio cæli aditum aperiunt, Angelíque omnes præſto ſunt ad ejus imperia. Sunt qui de oratione interpretentur; à terrâ, id eſt à nobis; ad cælum, id eſt ad Deum pertingente: per eam Angelos, id eſt nuntios, aſcendere ac deſcendere: *aſcendit* enim *oratio, & deſcendit Dei miſeratio.*

Theodoretus. Providentiam divinam mavult intelligi, Jacobi toto ſuo itinere certiſſimam ducem: à cælo ad terram venit, à Deo ad homines, *à fine ad finem attingit*: Angeli per eam aſcendunt ac deſcendunt, quia *ſunt omnes adminiſtratoris ſpiritus*, & Providentiæ divinæ juſſa exequuntur. Tertullianus de fuga in perſ. dicit ſignificari calamitatem: à cælo eam venire ad nos: Deum illi incumbere, ut ſpectatorem: per eam aſcendere alios, alios deſcendere, id eſt illos malis uti ad profectum virtutum, hos ad incrementa vitiorum.

II. Aliis gradus ad vitia.

Virtutes duodecim inde naſcentes numeravimus: totidem vitia poſſimus opponere. Prudentiam plurimi per mala amisêre, Treviria ſimiles, de quibus Salvianus: *Putabam vos in excidiis rem tantùm atque ſubſtantiam, neſciebam mentem atque intelligentiam perdidiſſe.* Si juſtitiæ, ac fidelitati Deo bonóque publico debitæ, aliqui per miſera tempora ſatis fecêre: at quot alii, avium æſtivarum inſtar, hyemem infortunii fugerunt? Nec fortitudinis minor in pleriſque labes, qui ante pericula magnanimi, in periculo timidi fuerunt: quorum culpâ cæſi exercitus, perditæ urbes, vaſtatæ provinciæ. De temperantiâ loquitur Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſychium, ubi obiter bella ætatis ſuæ ac miſerias commemoravit: *Inter quæ tamen mala adhuc uſquequaque frequentantur luxurioſa convivia, fervet ebrioſitas, avaritia graſſatur, perſtrepunt laſcivi cantus, organa, tibia, lyra, teſſera, multa & varia genera ſonorum atque ludorum.* Fidem ac timorem Dei multis locis colluvies nationum, & impiorum ac nomine tenus Chriſtianorum peſſima exempla, perdiderunt. Quæ in aliquibus ſpes divina eſt, quando ſuperſtitioſis amuletis vitam magis, quàm Dei providentiæ, fidere à militibus diſcunt? Orationes minuêre deſerta templa, & terrores aſſidui. Caritati erga miſeros paupertas materiam ſubtraxit: invectæ peregrinis motibus, & militum externorum contagio, impiæ voces caritatem in Deum afflixêre. De cælo nos calamitatibus quamvis urgentibus non cogitare, *ipſas mundi amaritudines amare, fugientem ſequi, labenti inhærere*, queritur Greg. hom. 28.

III. Utiles tamen etiam ſunt malè utentibus.

Quid ergo, falſúmne erit utiles eſſe calamitates, quia quibuſdam noxiæ ſunt? Primùm reſponderos noxias quidem eſſe initio: ſed poſtmodùm profuturas. Morbi ſunt, quibus remedia nulla niſi lentè ac tardè medentur. Ita homines invenias, quibus calamitas bonam mentem non reſtituet, niſi repetita. Ingenti clamore uſus eſt Chriſtus ut fætentem à quatriduo mortuum de ſepulchro revocaret. Scipione, calamitatis figurâ, tangi mortuum juſſit Eliſæus: cùm non ſucceſſiſſet, toto pondere corporis incubuit. Deinde dixero: ut nec redeant ad meliorem frugem: aliqua ſaltem eorum peccata impediri, ſublatâ materiâ: adeóque per infortunia minùs reos fieri, quàm ſine infortuniis futuri erant. Salviani verbum eſt: *Quæcumque mali ſunt, ſucceſſu rerum deteriores ſunt*: & contrario rerum eventu, minùs mali. Impatiens eſt pauper, & æger: at non luxurioſus, & intemperans. Detractor aliquis ſuſurravit, & volat irrevocabile verbum: patitur alius inde famæ jacturam, & de vindicta cogitat: ante erat ambitioſus, invidus, cupidus, & appetens vindictæ, ſolùm jam poſtremum vitium manet, abiit cæterorum materia. Adulter iracundus, & inquietus uxorem amiſit: pergit luxuriari, iraſci deſinit, cauſsâ remotâ.

IV. Utile eſt non poſſe peccare.

At, inquis, cum Salvianus lib. 6. de Provid. *Quod prius actum eſt, vitioſitate fuit: quod nunc non agitur, neceſſitate.* Itaque & iſtud tertio loco addamus; ut in calamitoſis maneat priſtinorum omnium vitiorum voluntas, hoc ipſum tamen, quod occaſio deeſt malæ voluntatis exercendæ, multùm ipſis prodeſſe. Conſtat enim exteriorem peccati actum, ut Scholaſtici loquuntur, multùm addere ad peccati malitiam; ſeu ex ſe, ſeu quia interiorem voluntatis actum firmat, & continuat. Id Auguſtinum ſpectâſſe arbitror epiſt. 5. ad Marcellinum, cùm dixit: *Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur. Quoniam nihil infælicius eſt fælicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, tanquam hoſtis interior roboratur.* Ea verba, *nihil infælicius eſt fælicitate peccantium*, Baronius tom. 3. an. 353. paullò poſt initium applicat Conſtantio Magnentii victori: eámque non Auguſtino ſoli tribuit, ſed etiam Senecæ ex Demetrio Philoſopho, tum Origeni, Hieronymo, Gregorio, aliiſque.

V. Pœna peccatori eſt fælicitas.

Faciamus neque id, quantumvis à tantis viris teſtatum, uſquequaque verum eſſe: certum tamen erit, ex Boëthii, & ex rationis ipſius ſententia; *Fæliciores eſſe improbos ſupplicia luentes, quam ſi nulla eos juſtitiæ pœna coërceat.* Fælicitas enim bonum eſt. Bonum autem eſt improbo puniri: cùm ſit conveniens. Id opinor intuebatur Auguſtinus de agon. Chriſt. cap. 7. *Quod juſtè fit, benè fit. Iuſtè autem ſunt beati boni, & juſtè mali pœnas patiuntur. Ergo & de bonis & de malis benefacit Deus, quoniam juſtè omnia facit. Aliud eſt facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet. Quapropter boni ſecundum leges faciunt, mali ſecundum leges patiuntur.* Quamquam in hac ſententiâ Auguſtinus id tantùm oſtendit, convenientem eſſe ac bonam peccatoris pœnam, reſpectu Dei, ex æquo eam inferentis.

VI. Quia illi conveniens eſt.

Libro autem 19. de Civit. c. 13. probat, etiam peccatori plexo convenientem eſſe ac bonam pœnam: adeóque fæliciorem dici illum poſſe, quando merito ſupplicio afficitur, quàm cùm criminibus impunitis delectabatur: *Melior*, inquit, *eſt animi æquitas, quàm corporis ſanitas. Profectò igitur convenientiùs injuſtus dolet in ſupplicio, quàm lætatus eſt in delicto.* Quis non cenſeat lapidis naturæ ſitum infimum magis, quàm ſummum, congruere? Quis non dicat infælicem eſſe dorſuariam belluam; ſi aliter, quàm natura ferat, in pratis & ad præſepia conſeneſcit? Peccator, quamdiu talis eſt, à ſeipſo & ab ſua mala voluntate ordinatus eſt *ad diem malum.* Incongruè itaque & infæliciter ponitur, ſi extra ordinem ſuum & finem collocatur. *Melius*, inquit Auguſt. lib. de Nat. ſummi boni, *ordinatur natura, ut juſtè doleat in ſupplicio, quàm ut impunè gaudeat in delicto.* Conjuncta inter ſe ac connexa, disjungi niſi violentè non poſſunt. Hærent inter ſe dolor & peccatum: ea qui disjungit, naturæ vim facit; qui aptat, conſentaneè rationi legibuſque, non juſtitiæ modò ſed & univerſi partiumque ejus omnium operatur.

VII. Naturæ ſenſus eâ de re.

Piorum animi nondum expurgati ad plenum, cùm ex mortali vitâ exeunt, acerbis ſed meritis debitiſque pœnis cruciantur. Iis ſi offerantur ſuppliciorum gratia, antequam planè fecerint ſatis divinæ juſtitiæ, gratiam eam reſpuant, etſi ardentiſſimo deſiderio ad fruendam æternam beatitudinem ferantur. Sed pluris eſt ordinata juſtitia: & quia manifeſtè vident, non legitimam modò ſed & ordinatam eſſe pœnam, meliùs ſibi eſſe in illâ judicant quàm extra illam, donec debito prorsùs exſoluti ſint. Nec bonis modò, ſed & malis veritas ea cognita eſt. Audivimus ſæpè, imò & vidimus, ſicarios & latrones ultro ſupplicia depoſcentes.

Et ne

Digitized by Google

Et ne exiſtimes, quis Chriſtiani eſſent, ſuppliciis illis hujus vitæ aliæ futuræ majora redimere voluiſſe: cauſſam poſtulati ſui inculcabant, quòd debita eſſet criminibus ſuis pœna: nolle ſe non pati, quod commeruiſſent. Adeò vel in mentibus impiorum id infixum eſt, convenire magis culpæ ſupplicium, quàm impunitatem.

VIII. *Bona eſt proborum & improborum diſcretio.*

Addo, calamitate ad plurimos aut omnes, quemadmodùm in bellis aſſolet, pertinente, etſi malorum multi pejores fiant, uti proborum plerique fiunt meliores: in hoc ipſo tamen bonum aliquod ineſſe. Diſcernuntur enim eò manifeſtiùs probi ab improbis, & in ſuas velut claſſes diſtribuuntur. Eſt autem bonum non probis tantùm, ſed & improbis, ſeparari, & in ſua quoſque loca ſeponi. Scoriam ab argento dividi, non argento ſolùm convenientius eſt quod expurgatur; ſed etiam ſcoriæ: quia naturæ magis congruit, conjuncta eſſe inter ſe quæ ſimilia ſunt. Fæcibus à vino ſecerni, & amurcæ ab oleo diſtingui magis conſentaneum eſt, quàm rebus generis alterius, præſtantioris licèt, manere permiſta. Id ab Auguſtino ſubindicatum invenio epiſt. 122. *Vt de his tam magnis preſſuris, tamquam in torculari Domini Dei noſtri, ſicut amurca infidelium murmurantium & blaſphemantium fluit: ita oleum quoque Fidelium confitentium, & orantium, exprimi & liquari non ceſſet.*

IX. *Bona ſaltem bonis eſt calamitas.*

Faciamus denique calamitates improbis bonas dici nullatenus poſſe: bonæ tamen eſſe non deſinunt. D. Proſper in ſententiis, numero 177. quem expreſſit ex Auguſtino 7. Conf. cap. 16. *Sicut palato non ſano*, inquit, *pœna eſt cibus, qui ſano ſuavis eſt, & oculis ægris odioſa lux, quâ incolumis gaudet obtutus: ita diſplicet iniquis juſtitia Dei, cui ſi ſubjicerentur, non conturbarentur.* Tertull. de fuga in perſ. poſtquam publicas Chriſtianorum perſecutiones vanno comparavit, frumentum à paleâ ſecernentis ſcalis Jacob, per quas aſcenderunt quidam deſcendentibus aliis: certamini athletico, unde hi coronas, illi dedecus & vulnera reportant: hæc ſubjicit: *Totum quod agitur in perſecutione, gloria eſt Dei probantis & reprobantis.* Similem in modum loquitur de communibus ævi ſui miſeriis Auguſt. de Civit. eáſque oleo, frumento, unguento, palæſtræ comparat. Verba in compendio retulimus.

X. *In quovis malorum genere.*

Da, inquit Sapiens Prov. 1. *occaſionem ſapienti, & ſapientior erit.* Quomodò ſtultos & vitioſos prodit occaſio: ita eadem viros oſtendit, prudentiam ac probitatem exerit & corroborat. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, Rom. 8. Quod infortunii genus eſt, in quo ſanctimoniam excolere & comparare non poſſis? Ægrotas? Pauper es? Deſolatus & derelictus es? Lazarus te multò magis iſthæc patiebatur, quando *delatus eſt in ſinum Abrahæ ab Angelis.* Calumnias pateris, inquietum te judicia hominum & voces faciunt? Joſeph longè alia tulit, & exinde factus eſt *filius accreſcens.* Tulêre Chriſtiani omnes primorum ſæculorum, traducti pro rebellibus, ſeditioſis, maleficis. Quod mihi infælicitatis genus nominibus, de quo tibi Divos, Diváſque magno numero non commemorem? Scalas à terrâ in cælum ſurrectas vidit Jacob uno ſolummodò loco: ego tot locis video, quot ſunt calamitoſi. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, inquit Deus, id eſt, cum ſervo meo patienter mala incurrentia tolerante. Atqui ubicumque Deus ibi miſericordia ejus, ibi gratia ejus, ibi auxilium ejus, ibi gradus apertus in cœlum.

EXCURSUS II. MORALIS

Ad cap. 12. verſ. 15. Habuimus de cælo auxilium.

Geniorum partes in bellis.

SECTIO PRIMA.

Piis ſæpè Angeli militant.

I. *Malæ reſpublicæ ab Angelis deſtitutæ.*

VOx Angelorum eſt apud Jeremiam cap. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Et apud Joſephum de Bello Judaico, c. 2. cùm ſupremum infauſtæ urbi Hieroſolymitanæ ab Romanis excidium immineret, auditæ ex adytis templi voces adhortantium inter ſe, ut habitationem ruituram deſererent. Nec dubium quin ea verba Angelorum fuerint, qui ſacrilegam urbem, & contaminatam flagitiis gentem, patrocinióque ſuo indignam, tueri ampliùs adverſus hoſtes non ſuſtinebant.

II. *Contrà bonæ defenſæ.*

At verò quomodò reſpublicæ ſceleratæ Angelorum auxilio deſtituuntur, ita piæ ac religioſæ eorum opem ex aperto nonnumquam, ex arcano ſæpiſſimè, ſentiunt. *Militiam cæli*, ter illos Lucas Evangeliſta, cap. 2. nominavit: alibi frequenter exercitus cælorum; à Chriſto, Matth. 16. *legiones Angelorum* appellantur. Sunt qui deſcriptos velint Nahum, cap. 2. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus ejus in coccineis.* Et nonnulli Dominum *Deum Sabaoth*, ſive *exercituum* ab Seraphinis cantari, aliáſque ſæpiùs repeti exiſtimant; quòd, imperatoris inſtar, præſit Angelorum choris; in ordines, aciéſque velut militares diſtributis, & in ſtationes atque obſequia diſpoſitis.

III. *Patet in Machabæis.*

Quia tamen cæleſtis militis ſunt, & ſub primo imperatore ſtipendia merent: numquam nocendi cauſsâ ad arma proſiliunt, ſed tantummodò defendendorum ſuorum vindicandæque juſtitiæ, quæ prima juſtorum bellorum ratio eſt. Nec movere nos debet, quod aliquando Angeli ſtrictis enſibus exitium etiam fideli populo intentavêre: uti 1. Par. c. 21. & in hiſtoria Gregorii Magni, unde moli Adriani nomen caſtro S. Angeli. Vidit item D. Tereſia, teſte Rib. l. 4. c. 5. Vitæ, Angelum Luſitaniæ imminentem cruento gladio, paullò antè Sebaſtiani Regis cladem: aliumque eodem fermè tempore Galliæ, ſed mitiùs, minitantem

ante bella civilia. Sed eæ Angelorum minæ amantium erant, & de propitiando Numine monentium. Scribunt Judæi Spartiatis, ſeſe de cælo habuiſſe auxilium. Id opinor de quo narrat auctor libri 2. cap. 10. quando ſpectabili formâ Angeli Machabæo pugnaturo affuêre, ac prævêre. Forſan etiam reſpiciunt ad digniſſimam memorato hiſtoriam, cæſi ejectique è Templo ſacrilegi Heliodori, 2. Mach. 3. Et hîc & illîc nocent Angeli improbis, catenùs tamen ut probos liberent, ſerventque, ut loquimur, moderamen inculpatæ tutelæ.

IV. Et alibi paſſim in Scripturâ.

Idem paſſim in Scripturis videre eſt. Exodi 12. cùm primogenitos Ægyptiorum cedit Angelorum onus, id facit, ut primogenitos Iſraëlitarum probroſæ ſervituti eximat. Neque aliud ſpectat ductor fidelis populi, Exod. 13. noctu columnam ignis, interdiu nubem, vexilli inſtar præferens. Et Joſue 5. qui inclyto duci ſeſe obtulit humano modo altiorem, gladio fulgente armatum; debitam Iſraëlitis poſſeſſionem de iniquorum impiorumque dominorum manibus extortum veniebat. Currus ignei equeſtréſque turmæ oppidum ubi Eliſæus erat monitum veniunt adversùs vim injuſtam latronum Syriæ, 4. Regum 6. Eodem libro cap 19. Judæos, à Sennacheribo oppreſſos, noctis unius horrendâ cæde Angelus liberat. Ad Fidelium defenſionem, extremis mundi temporibus, arma ſumpturi ſunt Angeli, quemadmodùm Apocalypſis, cap. 12. & 19. aliiſque locis indicatur.

V. Itemque in Eccleſiaſticis hiſtoriis.

Simili ratione piis ducibus ac nationibus, contra injuſtos aggreſſores, de cælo ab Angelis auxilium affuiſſe, memorant annales Eccleſiaſtici. De Conſtantino Magno, de Theodoſio Magno, de Cuniberto Longobardorum Rege, de D. Henrico Cæſare illis ſtipatoribus in bellum ingreſſo, victoriamque reportante, paſſim recantatum eſt. Multáſque ejuſmodi hiſtorias idoneis auctoribus cumulavêre, qui de Angelo cuſtode, aut de D. Michaele Principe exercitus, Domini, & ſalutis ſignifero, ſcripſerunt: dicemúſque ad caput octavum libri ſecundi. Ut per ſæcula ſingula teſtatum ſit, quod olim Deus veridici Vatis ore prædixerat, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

VI. Nonne Angelis indigna ea occupatio?

At, inquis, noſtrine motus ac bella, operis Angelorum materies digna ſunt? Non equidem magis congruere videantur, quàm ſi Princeps nobiliſve, in ſplendido comitatu per compita foráve inambulans, puerorum rixis de teſtaceo fragmine, aut laterculorum comminutorum acervo, ſeſe ingerat non ſpectatorem tantùm, ſed actorem. Eum tu, credo, non puerum modò, ſed infimum vocaveris, cui tam dignitatis decoriſque obliviſcatur, & ad quiſquilias ſeſe abjiciat. Atqui aliud bella noſtra nihil ſunt, quàm pueriles de inaniis concertationes. Et longiùs multò abeſt ab hominum nugis dignitas beatorum Angelorum; quàm nobilis Principíſve magnitudo ab infantilibus crepondiis.

VII. Vile nihil, quod Deus vult.

Sic planè ſe res habet: materieſque Angelo indecora ſint rerum publicarum motus, altercationéſque mortalium, ſi in ſe ſpectentur. At ubi Dei voluntas accedit, ad ſummam dignitatem effertur; decorumque vel ſummo Angelorum opus eſt, res quantumvis viliſſima. Equum aſcenſuro pedem tollere, induſia ſiccare veſtiendo alteri, loturo aquam effundere, ſervilia officia ſunt. Si tamen Regi exhibentur, procerum nemo defugiet, imò non ambiet. Quid cùm Deo deferuntur obſequia, cùm ejus voluntati ſervitur, cùm fit quod ipſi gratum eſt? Ad ſummum certè gradum dignitatis aſcendit ſervitus, ex infinitâ majeſtate imperantis.

VIII. Etiam in viliſſimis hominibus.

Eam ob rem, non populis modò univerſis adeſſe, ſibi Angeli honori ducunt. Nam & hoc in ſe nobilitatis aliquam ſpeciem continet, quia curam multorum complectitur. Verùm etiam ſingulis hominum & abjectiſſimis quibuſque opitulari, quando Deus vult, tam ſibi honeſtum exiſtimant quàm nationibus totis. Apparuiſſe Angelum nomine ſuo, primùm legimus Geneſis 16. Antè qui apparuêre, omnes Deum exhibebant. Ille ad ſolandam Agarem mittitur, ancillulam Ægyptiam, vilem, ejectitiam. Et plus quidem ſimplici vice mittitur. Nam Gen. 21. iterum errantem in ſolitudine, ac mærore confectam, ſolatur & animat. Nonne decuerat Angelorum cum hominibus colloquia, & manifeſta obſequia, ab illuſtri aliquo Heroë matronáve auſpicatò inchoari? Abjiciendáne erat illorum celſitudo, ſtatim ab initio, ad mancipii exulantis, errantiſque ſolatium? Sed nihil Angelorum intereſt, quâ in re operam ponant, dummodò Dei cauſsâ, & ex ejus arbitrio.

IX. Ubique ſpectât faciem patris.

Honorifica Angelorum ſervitus fuit, quando Salvatori Chriſto, poſt quadragenarium jejunium & victum inſanum bellatorem dæmonem, miniſtravêre. Nec tamen minùs honorificam ſerviri à ſe ſervitutem exiſtimant, cùm captivum D. Petrum excitant, & educunt, cùm corvos alendo eremitæ Paullo movent, cùm leones ad fodiendum cadaveri exſucco tumulum impellunt, cùm infantes obſervant, cùm deſerta mancipia non deſerunt. Nam in Chriſto faciem Dei intuebantur, ac Patris mandatum: eaſdemque cauſſas in eremitis, pueriſque, ac mancipiis deprehendunt, quia *ſemper* quovis loco aut negotio *vident faciem Patris*, à qua ſplendor omnis ac pretium in actiones emanat. In actionibus cauſſa, & modus agendi, formæ locum habet, unde materiæ ſpecies ſua eſt. Declamantium ut populo placeant parum intereſt, Regémne cum pompa ſuâ exhibeant, an Davum ſervulum in famulari habitu: dummodò ſpectatoribus placeant. Sæpe plus laudis hîc, quàm ille, retulit. Neque Angelorum, Dei ſpectantis ac jubentis faciem intuentium refert, quid agant; modò id agant, quod ipſi gratum eſt.

X. Cur Deus Angelos hominibus dct.

Cauſſa autem cur Deus Angelos hominibus officia præſtare voluerit, eoſque fecerit *adminiſtratorios ſpiritus. in miniſterium miſſos, eorum* præſertim *qui hereditatem capiunt ſalutis*, potiſſima una eſt: quòd ſuavis ordo divinæ Providentiæ expoſcat, ut infima à mediis, media ab ſummis gubernentur. Eo enim modo magis inter ſe colligatæ ſunt partes Univerſi, & velut concatenatæ: minuſque perfectæ à perfectioribus, quæ ſibi deſunt, per mutuam iſtam connexionem ac colligationem mutuantur. Et ſi iſthæc abſit conjunctio, hiabunt res creatæ; vacuumque velut quoddam & inane, interrupta membrorum & influxuum ſerie, apparebit. Ita in cæleſtium orbium motibus nexus & dependentia eſt: elementáque inter ſe hærent, & ab illis miſta ſuſtinentur. Et quemadmodùm homines decuit regendis animalibus cæteris præſidere: ita Angelos hominibus gubernandis adeſſe non dedecuit. Ut qui ſenſu & ſpiritu conſtat, ſolo ſenſu conſtantis regat; regatur à geniis ſolo ſpiritu vigentibus, & à ſummo ſpirituum conditore pendentibus.

Itaque

XI. Invocandi ad publicã ſalutem Angeli.

Itaque vel hinc conficio, ubi metus hoſtium urbibus aut regionibus imminet, Dei voluntatem eſſe, ut Angelorum opem imploremus. Ita 2. Machab. 15. Judæi, *cum fletu & lacrymis rogabant Dominum ut bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſrael.* Concinit Eccleſia ſynagogæ, cùm quotidie Deum orat ut *Angeli ſancti habitent* nobiſcum, *qui nos in pace cuſtodiant.* Et Angelo cuſtodi dicimus:

Huc cuſtos igitur pervigil advola,
Avertens patriâ de tibi creditâ,
Tam morbos animi, quàm requieſcere
Quidquid non ſinit incolas.

Deinde Dominum rogamus, ut Angelum nobis velit adeſſe, qui

Metum repellat hoſtium
Noſtris procul de finibus,
Pacem procuret civium.

Simili formulâ de Michaele Principe magno canimus,

Angelus pacis Michaël in ædes
Cælitùs noſtras veniat, ſerenæ
Auctor ut pacis lacrimoſa in Orcum
Bella releget.

Ab Eccleſia doctus Henricus, Saxonum ſeu Germaniæ Rex, Ottonis primi pater, Hunnorum aliorumque barbarorum domitor, primarium vexillum habebat in acie, quod *Angelus* vocabatur, quia inſignitum erat Angeli imagine. Barron. tom. 10. an. 933. Sperabat pius Princeps affore invocatum, quomodò is qui Exod. 23. Iſraelitis à Deo ductor, ac velut vexillifer, promittitur. Implorandi præſertim in publicis tumultibus ii Angeli, quibus provinciæ iſtius urbiſve cura credita eſt. Nam ut ait Auguſt. quæſt. 48. in librum Judicum, *Sub Angelis conſtituta ſunt gentes juxta Canticum Moyſi famuli Dei.* Et manifeſtum eſt ex Dan. 10. ubi narratur de Angelo Perſarum & Michaële.

XII. Angeli in voluntatis divinæ æſtimatione imitandi.

Diſcamus etiam, ex hac Angelorum tutela, nihil parvi facere quod Deus à nobis velit; neque operæ nobis imperatæ materiam attendere, ſed imperantis dignitatem, cui obſequia quælibet impenſa altiſſimi ſunt pretii. Angelorum elogium præſtantius non eſt, quàm illud Pſalm. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.* Dic cum Dionyſio eſſe ſpecula nitidiſſima divinitatis; dic cum Platonicis eſſe vivaciſſimas intelligentias: cum Theologis potentias eorum naturales, gradus, gratiam, examina & exaggera. Cùm omnia congeſſeris, nihil nobilius gratiuſque erit, quàm titulus facientium verbum & audientium vocem Domini. Tanti illis eſt, ut Angelo cuſtodi idem ſit Regis primogenitum, & vernam mancipii filium curare. Et ſi corpore aſſumpto inter nos Angelus degeret, perinde ipſi foret ex Dei voluntate, vel Imperatoris perſonam præferre, vel viatoris uti cum Tobia, aut vilis bajuli. Neque enim officium, ſed mandatum mandantíſque majeſtatem intueretur, à quâ rebus omnibus valor. Mirum planè, ter minimùm in Exodo Beſeleel & Ooliab artifices dici impletos, à Deo *ſpiritu, ſapientiâ,* & ut habent Septuag. *mente, intelligentiâ.* cap. 31. & 35. & 36. Imò cap. 35. ubi Vulgata noſtra habet *mulieres doctas ad nendum,* Septuag. habent *mulieres ſapientes mente ſapientes corde:* & verſ. 26. apud Septuag. & Chal. dicuntur, eædem *in ſapientia mentis noviſſe pilos caprarum.* Adeò etiam abjectiſſima opera, cùm Dei cauſsâ fiunt, magna ſunt, & ab ipſo Spiritu Sancto commemorari ac commendari merentur. Simile quid advertes 2. Eſd. 3. ubi ædificantium nomina exprimuntur: imò aurificem unum fuiſſe, alium dominum Cellæ mediæ. Ut mirum ampliùs non ſit, Num. 7. dona oblata, completo tabernaculo, duodecim diebus a duodecim Principibus tribuum, ita exactè numerari, pondere omnium ad amuſſim expreſſo. Imitandi nobis nominatim Angeli in cura pauperum, & derelictorum. Deo, Angelo, homini Chriſtiano dictum eſt: *Tibi derelictus eſt pauper.* Angelis glorioſum fuit Chriſto facienti ac victori miniſtrare. Eidem miniſtrat, qui pauperi cuivis obſequium defert: in illud tabernaculum non aurum modò & hyacinthus, ſed etiam pelles ac pili impenduntur.

SECTIO ALTERA.

Mali genii non rarò in bellis ac motibus publicis partes ſuas agunt.

I. Dæmones offendendi ſtudio bellant.

A Bonis geniis interdum arma ſumi demonſtratum eſt: numquam tamen alio quàm defendendi fine, ut ipſa nocumenta, improbis per eos illata, ad juſtam defenſionem referantur. Aliter res habet in malis geniis, quos militare non rarò vel apertis vel occultis auxiliis, conſtat, non defendendi ſed offendendi ſtudio. Pace enim carentes, pacem oderunt: & bella, quorum perpetua apud inferos ſeges eſt, in terrâ ſeminant: ex eâ ſemente collecturi meſſem miſeriarum, ſtragem corporum, peccatorum multitudinem, ruinam animorum. Non quòd inde ſibi aliquid gaudii accedat: lætitiæ enim apud illos locus nullus eſt; & ſi quando lætari in Scripturis vel apud Patres, verbi cauſsâ Auguſtinum, leguntur, id non de verâ lætitia, ſed de nuda malefacti, quod appetebant, conſecutione intelligendum eſt. Tanto hominum odio flagrant, ita nocendi aviditate efferuntur; ut quamvis nullum ipſis inde commodum gaudiúmve eveniat, omnes tamen malefaciendi occaſiones invadant: hoc ſolo contenti, ſi poſſint nocuiſſe. Quare aptiſſimè homicida dæmon per antonomaſiam dictus eſt ab Eliſæo, 4. Regum 6. interprete Lucifero Calar. lib. de non parcendo in Deum delinquentibus: *Spiritu ſancto,* inquit, *plenus propheta homicida filium vocavit Regem Iſraël, hoc eſt filium diaboli.* Et de eodem Chriſtus Joan. cap. 8. *homicida erat ab initio.*

II. Pugna cum Chriſto.

Ut illius deteſtandi bellatoris ac turbatoris artes pernoſcamus, inſpicienda nobis ejus cum Chriſto extrema in deſerto poſt jejunium pugna. Primo & altero congreſſu, craſſa & manifeſta tentatio objicitur. Ut omninò mirum ſit, utramque à dæmone propoſitam. In prima, guloſum, &, ut Auguſtinus alicubi loquitur, glutonem efficere Chriſtum voluit. In altera, vanæ ſtolidæque præſumptionis reum conatus eſt efficere: armis & hîc & illîc è Scripturâ depromptis. Denique ad ambitionem confugit, velut potentiſſimum arietem deturbandæ humanæ menti. De montis excelſi cacumine deſignatis Chriſto regnis omnibus terrarum, ea ſe daturum illi ſpopondit, ſi prono ipſum in terram corpore adoraret. Quis ille Mons fuerit, qui etiam hodie tentationis Mons vocitatur, diſtaréque fertur horarum duarum ſpatio ab deſerto? Cur illuc ſe deferri Chriſtus paſſus ſit, & poteſtatem aliquam in corpus ſuum dæmoni dederit? Quâ hic ratione regna illi oſtenderit, an indice manu, an imaginariâ ſpecie an geographicæ

Digitized by Google

chartæ inſtar, an alio quopiam modo? Evangeliorum interpretes iſta diſputant, nec loci hujus eſt. Nobis ſatis erit in Dæmone, præter infamum nocendi ſtudium quod modò perſtrinximus, fallacem ejus calliditatem notare, tum mendacitatem impudentem, denique horrendam ambitionem.

III. Multiplex dæmonis aſtutia.

Prima calliditatis ars in ipſa fuit materia tentationis. Sciebat humanam mentem ad magna natam eſſe, & celſitudinis appetentem. Expertus erat in primo hominum peccato, quando dixerat, *Eritis ſicut Dii.* Deinde ea ſe hominem æſtimabat: ſuperbumque hunc eſſe credebat, quia ipſe ſuperbus eſt. Arti primæ junxit alteram, quando de monte excelſo *oſtendit regna.* Non dedit experienda: nam rerum caducarum experientia faſtidium parit. Sed monſtravit ea ſolummodò, ut crepundia puerulo, & quidem eminùs ex editi montis cacumine. Quia ſi de proximo oſtenderet, & ad oculos admoveret, eorum inanitas deprehenderetur. Merces ſunt fallacis negotiationis, quas ſi de obſcura taberna in claram lucem proferas, vilitas earum apparebit. Suberis Æſopici inſtar ſunt, eminùs pretioſarum mercium more fluctuantia: at ubi adnatavit, inſtar vilia maris rejectamenta proculcati. Quomodò aiunt, in Paraquariâ propè Peruvium, rupem, præcipiti torrente prolutam, ubi radii Solis incidunt, auream videri longè ſpectantibus. Imagines ſæpè videmus procul intuentibus raras, de proximo pretii nullius. Nubem cùm de terra ſuſpicimus, denſum corpus ac ſolidum præfert: at qui in Alpibus caput quantumvis denſæ nubi inferunt, nihil præter vanam nebulam cernunt. Sic omninò ſunt figuræ hujus mundi, & nebulæ vanitatum. Quàm multis contigit, dignitatem gradúmve honoris nondum adeptis, fingere ſibi in illo ſolidam fælicitatem? Sed poſtquam eò venêre, nil repererunt niſi rudem imaginem, & nebulæ fumoſæ ſpeciem evanidam.

IV. Honores dæmon oſtendit, non onera.

Ars fallaciæ tertia in eo latuit, quòd regnis mundi oſtenſis ſimul objecit *gloriam eorum*: id eſt honores, pompam, opes, voluptates, aſſeclas, ſubditos, adulatores, admiratores, amorem quorumdam, terrorem aliorum. Et illa quidem oſtendit, ut ait Lucas c. 4. *in momento temporis*; ne ſpatium eſſet cognoſcendæ, & librandæ inanitatis, conſiliique capiendi. Oſtendit *gloriam*, non onus, non curas, non animi pericula & damna. Quantus ſplendor Conſularis dignitatis? Præeunt faſces, aſſectantur primores, veretur civitas univerſa, tranſit memoria ad poſteros. At, ô bone, non vides quanta in eo gradu obligatio ſit rectè adminiſtrandæ reip. diſtribuendorum exactè præmiorum & onerum, non opprimendorum, imò allevandorum, pauperum? Quæ Judicis & quàm ampla auctoritas? Ut fores ejus obſideantur, & favor exquiritur, & dona ingeruntur, & familia opibus firmatur? Sed, heus tu miſer, non vides, quanto conſcientiæ periculo de alienis poſſeſſionibus, honore, vitâ, pronunties. Si ignarus aut injuſtus es, jacturam damnati reſarciendam tibi eſſe, neque aliter criminis abſolutionem datum iri. Quàm excelſus Eccleſiaſticorum gradus eſt? Quàm ſuavis vita? Ut non immeritò dixiſſe auriga quiſpiam videatur; mala ſibi tempora omnia contingere, bona omnia evenire Canonico. At tu, cupide, non vides in ea celſitudine, & ſuavitate, quantum abjectionis & doloris lateat, ſi abſonè ſtatui tuo vixeris? *Gloria* tibi, non onus oſtenditur. Longè aliter, quàm à Chriſto ſit; qui vaſe electionis deſignato, mox adjicit: *Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Quarto fallacis calliditatis artificio, *tibi*, inquit, *dabo omnia regna.* Non dicit do, ſed *dabo*; ſpe lactat & trahit, ut hiantem denique deludat. Quemadmodùm ſatelles, reo capiendo intentus, præmittit qui ipſum inanibus verbis ducat; deinde incautum opprimit. V. Fallaciæ aliæ deteguntur. Aut quomodò venator coturnicem voce ſimulatâ ad volatum unum attrahit, tum ad alterum, dein ad tertium, donec omiſſo nido in retia feratur. Sic dæmon promiſſis, & ſpe honorum aut commodorum, abducit à Deo ſenſim magis ac magis animam infælicem: neque ad extremum veretur adorationem exigere, tantum pretium pro re tantillâ. Scit nempe, deſiderio potiundi inflammatum hominem penſi nihil habiturum, & quidlibet daturum. Habet quis domum ruſticam, aut urbanam: ſcit prædiviti homini valdè placere, accenſamque ejus cupiditatem. Quæ trecentis aureis annuis tantummodò valet, tribus millibus æſtimat. Eccur tam autem pretium adeò exaggeras? Sine, inquit, hominem novi, valdè cupit, emetque quantivis.

VI. Impudens dæmonis mẽdacitas.

Fallaciæ mendacitas cognata eſt neque à dæmone omittitur. *Tibi dabo*, inquit, *omnia regna mundi.* An ergo tua ſunt, & diſtribuere pro libitu potes? Poſſum equidem, inquit apud Lucam, & *tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.* Itane verò impudens, ex tu doces, poſtquam tam disertè per fatidicum Danielem verax Deus pronuntiavit, cap. 4. *Dominatur excelſus ſuper regnum hominum, & cui voluerit, dat illud?* Poſtquam Dominus univerſorum, cujus poteſtati nemo reſiſtit, tot oraculis, tot figuris, tot hiſtoriis, ſibi aſſeruit pacis bellique arbitrium? Toties pronuntiavit, & demonſtravit, à ſe reſpublicas condi ac deſtrui, populorúmque de nutu ſuo fata pendere? Ea de re nos in Excurſu ad caput 14. ubi manifeſtè patebit, in hoc loco, quemadmodum & in aliis, veriſſimum eſſe, quod veritas de dæmone dixit, Joan. 8. *Mendax eſt, & pater ejus*, id eſt pater mendacii.

VII. An dæmoni poteſtas in reſpublicas?

Contra tamen objici poſſit. Eſſe aliquando cùm verum lingua mendax proferat: & hîc videri contigiſſe. Nam primùm à Chriſto ipſo, Joan. 12. dæmon dicitur *Princeps hujus mundi.* Et quamvis ſubdatur, futurum mox ut ejiciatur foràs: nihilominùs, etiam poſt Chriſti Paſſionem, à Paullo dæmones nominantur *Rectores mundi tenebrarum harum*, Eph. 6. Deinde experientiâ conſtat, ſæpè multa in bellis ope dæmonum geri. Qua de re conſuli poteſt Auguſt. 2. de Civitate. Spondanus an. 1241. de Tartaris. Olaus Magnus de Lappis & Finnis. Et ſatis cognita ſunt, quæ, etiam ætate noſtrâ, dæmonum auxilio paſſim à militibus projectæ conſcientiæ patrata ſunt. Nec dubium eſt apud Interpretes pleroſque Apocalypſeos, magnam partem militum Antichriſti, cap. 9. dæmones fore humanâ formâ. Denique ipſa rerumpublicarum perturbatio perſuadere videretur turbati, ac turbatoris ſpiritûs, gubernationem. Niſi enim ille regat, an impia Turcarum gens per portas Caſpias in Aſiam penetret, anno 763. apud Baron. quo tempore Conſtantinus Copronymus Imperator aliâ parte regionem Catholicam, ſacris imaginibus deturbandis & exagitandis monachis, perſequebatur? An eadem natio, vaga & errabunda, repentè in formidandam orbi univerſo magnitudinem excreſcat; ut Guilielmus Tyrius

lib. 1.

lib. 1. belli ſacri, cap. 7. perhibet? An Tatari, Tartarive, Regum Indorum mancipia, fabro ferrario duce jugum excuſſiſſent, Schythiamque univerſam ſubegiſſent, Poloniâ omni Hungariáque populatis terribiles? Ao Zizka Boëmus oobilis, ſacrilegus, hæreticus, mente cæcus ac corpore, rebellium ductor, vires omnes imperii fatigaſſet, & mortuus etiam Catholicis illuſiſſet, tympano de pelle ſuâ curari juſſo? Apud Spond. an. 1202: & an. 1424. Quid Longobardos, Hunnos, Vandalos, Gothos memorem, & anteriora illis nomina Infidelium populorum? Quos malo generis humani io exteras regiones infuſos à malo genio, credibile eſt: & de numero eorum fuiſſe, qoos Oſee indicabat cap. 8. *Ipſi regnaverunt, & non ex me.*

VIII. Quatenus id à Deo permittatur.

Tertio argumento de perturbatione rerum publicarum, & proſperitate improborum, ſatis factum eſt Excurſu ad cap. 8. Alteri argumento ab experientia ducto reſpondit Auguſt. 2. de Civit. *Sicut enim ipſi mali homines in terra: ſic etiam illi,* dæmooes, *non omnia quæ volunt agere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur, cujus plenè judicia nemo comprehendit, nemo juſtè reprehendit.* Eumdem in ſenſum Iſid. libro 1. Sent. cap. 12. ſentent. 18. *Quotieſcumque Deus quocumque flagello huic mundo iraſcitur, ad miniſterium vindictæ Angeli apoſtatæ mittuntur: qui tamen divinâ poteſtate coërcentur, ut tantum noceant quantum cupiunt.* Baronius tom. 9. an. 828. ex Eginardo, Caroli Magni ac deinde Ludovici Pii ſecretario, narrat, dæmonem in poſſeſſæ corpore Latinè dixiſſe; clades omnes, quæ iis annis Galliam vaſtârant, peſtem, famem, bella ab rebellibus ac Saracenis, per ſe cum ſociis undecim concitatas, Dei permiſſu, ob hominum peccata. Idem aliàs in calamitatibus publicis dicendum eſt.

IX. Unde conſiliorum confuſio?

Reſponſione eadem ſatisfit, argumento ducto ex verbis Chriſti, & Apoſtoli. Præterea Auguſt. in pſalm. 54. advertit à Paullo dæmones non vocari nudè *Rectores mundi*, ſed rectores mundi tenebrarum harum. *Ne fortè*, inquit, *cùm dixiſſet mundi, intelligeres dæmones eſſe rectores cæli & terræ: mundi dixit, tenebrarum harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi dixit, impiorum & iniquorum: mundi dixit, de quo dicit Evangelium, & mundus eum non cognovit.* Addiderim ego dici rectores mundi tenebrarum, quia tenebras conſiliis injiciunt, ubi Deus populum punire decrevit. Ille eſt *ſpiritus vertiginis* de quo Iſa. cap. 19. quo *Sapientes conſiliarii Pharaonis, dederunt conſilium inſipiens, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.* Indicat id ipſum ſanctos politicus Job. cap. 12. Subverſionem regni poëticè deſcribens, & velut à fundamento incipiens: *Adducit conſiliarios in ſtultum finem:* & poſt alia: *Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios.* Idem vidit ethnicus ſcriptor Vell. Paterc. libro ſecundo, *Ita res habet, ut plerumque qui fortunam mutare vult Deus, conſilia corrumpat:* auxilium ſuum & Angelorum bonorum ſubtrahendo, ac permittendo, ut tenebrarum rectores noctem ingeniis offundant. A Deo deſertum Saulem, 1. Reg. 16. *Spiritus Domini malus* exagitat: quo de Iſid. lib. 3. Sentent. cap. 5. ſent. 4. *Si Domini, cur malus? Si malus, cur Domini? Sed duobus verbis comprehenſa eſt & Dei poteſtas juſta, & diaboli voluntas injuſta. Nam idem ſpiritus malus, per nequiſſimam voluntatem: & idem ſpiritus Domini, per acceptam juſtiſſimam poteſtatem.*

X. Bella privata à dæmonibus cieri.

Quod de bellis publicis diximus, idem de privatis ſentiendum. Diſcordiam vides in Jobi familia: uxorem & amicos afflicto inſultantes. Poſtremam hanc machinam, poſt tot alias irritas, dæmoo admovit. Narrat Greg. 1. Dialog. cap. 10. dæmonem, à Fortunato Tudertino Epiſcopo ex energumena ejectum, habitu peregrini obambulâſſe in civitate clamantem: *O virum ſanctum Fortunatum Epiſcopum, ecce quid fecit? Peregrinum hominem de hoſpitio ejecit.* Eum civis quidam, Epiſcopi ut creditur odio, & *ut ipſo melior videretur, excepit:* ejus filius à dæmone combuſtus eſt, &c. Jam bella ſingulorum, & tentationes, quàm ſæpè, ut Paullo, contingunt ab Angelo ſatanæ colaphizante? Specta Antonium in ſpelunca, Hieronymum io cellula Bethleëmitica, Angelam Fulginatem, Catharinam Senenſem, horrendis cogitationibus agitatos, neque aliunde, quàm ab Principe tenebrarum.

XI. Homo homini ſæpè diabolus.

Contra tamen oon rarò evenit, ut dæmone ceſſante: ipſi inter ſe homines diaboli ſint. De Juda Chriſtus dicebat: *Nonne vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?* Joan. cap. 6. Sanctos & virgines conjuges Henricum ac Cunegundem ooo diaboli, ſed ſuſurrooes aulici commiſerant, alienorum amorum ſuſpicione; niſi Deus illuſtri miraculo Cunegundem abſolviſſet. Inter Federicum ac Guilielmum fratres, Saxoniæ Duces, orta erant de hæreditate bella. Cùm eorum incentor occaſione Jubilæi Romam adîſſet, Federicus fratrem rogavit, ut ad ſe veniret acturus de pace. Annuit, diſſuadentibus licèt conſiliariis, dicentibuſque paratam necem. Lubens, inquit, moriar, ſi ante mortuos vos videro, qui diſcordias inter fratres ſeritis. Simul egêre, pacem fecêre, ſuaſores contentionum utrimque exterminavêre: apud Spondanum anno 1450. An ejuſmodi homines immeritò diabolos diceris? Dæmonum eſt mentiri, ambire, fallere: at nihil proprium magis, quàm diſcordias ſerere, & nocere, ſolâ oocendi cupiditate. Quid aliud ſuſurrones iſti, & turbatores faciunt?

XII. Homo ſibi ipſi ſæpè diabolus.

Jam inteſtina bella plerumque ex nobis ipſis oriuntur: oeque alius nobis dæmon eſt, quàm indomitæ paſſiones, ut non falsò mendax ſpiritus S. Macario narrabat. Dæmon tuus eſt Ira præceps, Invidia virulenta, Superbia inſana, Ambitio impotens, Concupiſcentia effrænis. De Magdalena ejecit Chriſtus dæmonia ſeptem: tu ſi paſſiones tuas domueris, undecim dæmonia, aut, ut alii numerant, ſedecim ejeceris: imò *legionem* dæmonum totam expuleris, quod nomen ſibi tribuebant, illi quos in Geraſenorum gregem Domious inſanire permiſit. Invadant in fœda animalia dæmones, domioentur io illa paſſiones: hominem ratio regat, rationem Deus, rerum omnium publicarum & privatarum arbiter.

XIII. Dæmonis ambitio.

Ultimum vitium, quod in dæmone notabamus, fuit ambitio planè horrenda. Dupliciter illâ peccari poteſt; ſi honor aut dignitas petitur ſupra vires, & juſtò major, maximè alteri debita: ſi artibus pravis, fraude, corruptione, injuſtitiâ. Qua de re fuſiùs tractatum à nobis invenies, Excurſ. 2. ad cap. 16. ſect. 2. Utroque modo peccavit dæmoo, & ad peccandum Chriſto præire conatus eſt. Adorari ſe ut Deum voluit, ambitioſus ſimul, injuſtus, ſacrilegus: idque, per mendacium & fraudem, inanibus promiſſis impetrare

trare conatus eſt. Chriſtum verò voluit inducere ad ambienda omnia regna mundi, antequam juſſiſſet ab eo tentari humeros ſuos, utrùm vel uni provinciæ aut regno ferendo eſſent, quod eſt bovem illi imponere, qui vitulum non tulit. Modum autem adipiſcendæ dignitatis infamem propoſuit; ſi caderet, ut ſurgeret; ſi adoraret, ut adoraretur; ſi dæmonis cultor fieret, ut à ſubditis coleretur; ſi Deo rebellaret, ut hominibus dominaretur. Iſthæc lectoris gratiâ indico, amplificatu facilia.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

ARGUMENTUM.

Tryphone Iudaïcum bellum magno apparatu moliente, Simon conſternatum populum dictis animat, ſéque in ducem offert, & accipitur. Ducta Principatûs initia à perficiendis Hieroſolymæ mœnibus: tum Ioppen præfectus ac præſidium novum immiſſum: denique itum adverſus Tryphonem, qui Ptolemaïde in Iudæam moverat, captivum ſecum Ionathan trahens. Perfidus homo ante vim tentandam, ſolitis fraudibus agendum ratus, ad Simonem mittit, qui ſignificent: teneri Ionathan ob debita fiſco; liberum fore, ſtatim ut ea nomina ſoluta fuerint, & filii ejus obſides dati. Simonem fraus non latuit: veritus tamen populi odium, ſi fratrem neglexiſſe videretur, poſtulata fecit. Tryphon, acceptâ pecunia & obſidibus, Ionathan nihilominùs in vinculis habet: Iudæam variis locis tentat, ſed undique à Simone prohibetur: arci Hieroſolymitanæ commeatum parat immittere, ſed per nives non poteſt: Ionatha & filiis ad Baſcamam trucidatis, iter intendit in Syriam. Simon ſublata Ionathæ oſſa in Modin cum luctu publico ſepelit: magnificum ſibi, parentibus, ac fratribus in eadem urbe ſepulcrum excitat. A Triphone pupillus Antiochus, in itinere Syriaco, per ſummum ſcelus dolo occiditur: Regium Aſiæ diadema aſſumitur: ſubditi vexantur. Mittit ad Demetrium Simon, qui pacem offerant, ſi libertàs Iudæis reſtituatur: eam impetrat, literaſq; de eâ Regias accipit. Capta tunc apud Iudæos annis Simonis tempora ſignari. Sub idem tempus Simon Gazam capit, ejectiſq; civibus, eò Iudæorum coloniam ducit. Non multò pòſt Syri fame adacti arcem Hieroſolymitanam dedidêre: eam cum læto cantu ingreſſus Simon, annum ejus gaudii feſtum indicit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET audivit Simon quòd congregavit Tryphon exercitum
copioſum, ut veniret in terram Iuda, & attereret eam.
2. Videns quia in tremore populus eſt, & in timore,
aſcendit Ieruſalem, & congregavit populum: 3. & adhortans dixit: Vos ſcitis quanta ego, & fratres mei, &
domus patris mei, fecimus pro legibus, & pro ſanctis
prælia, & anguſtias quales vidimus: 4. horum gratia perierunt fratres mei
omnes

omnes propter Iſraël, & relictus ſum ego ſolus. 5. Et nunc non mihi con-
tingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior
ſum fratribus meis. 6. Vindicabo itaque gentem meam, & ſancta, natos
quoque noſtros, & uxores: quia congregatæ ſunt univerſæ gentes conterere
nos inimicitiæ gratia. 7. Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul ut audivit ſer-
mones iſtos: 8. & reſponderunt voce magna dicentes: Tu es dux noſter loco
Iudæ & Ionathæ fratris tui: 9. pugna prælium noſtrum: & omnia, quæcum-
que dixeris nobis, faciemus. 10. Et congregans omnes viros bellatores, acce-
leravit conſummare univerſos muros Ieruſalem, & munivit eam in gyro.
11. Et miſit Ionathan filium Abſaloni, & cum eo exercitum novum, in Iop-
pen; & ejectis his, qui erant in ea, remanſit illic ipſe. 12. Et movit Try-
phon à Ptolemaïda cum exercitu multo, ut veniret in terram Iuda, & Ionathas
cum eo in cuſtodia. 13. Simon autem applicuit in Addus contra faciem
campi. 14. Et ut cognovit Tryphon quia ſurrexit Simon loco fratris ſui
Ionathæ: & quia commiſſurus eſſet cum eo prælium, miſit ad eum legatos,
15. dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Ionathas in ratione regis,
propter negotia quæ habuit, detinuimus eum. 16. Et nunc mitte argenti
talenta centum, & duos filios ejus obſides, ut non dimiſſus fugiat à nobis,
& remittemus eum. 17. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur ſe-
cum, juſſit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam ſume-
ret ad populum Iſraël, dicentem: 18. Quia non miſit ei argentum, & pue-
ros, propterea periit. 19. Et miſit pueros, & centum talenta: & mentitus
eſt, & non dimiſit Ionathan. 20. Et poſt hæc venit Tryphon intra regionem,
ut contereret eam: & gyraverunt per viam quæ ducit Ador: & Simon, & ca-
ſtra ejus ambulabant in omnem locum quocumque ibant. 21. Qui autem
in arce erant, miſerunt ad Tryphonem legatos, ut feſtinaret venire per deſer-
tum, & mitteret illis alimonias. 22. Et paravit Tryphon omnem equitatum,
ut veniret illa nocte: erat autem nix multa valdè, & non venit in Galaaditim.
23. Et cùm appropinquaſſet Baſcaman, occidit Ionathan & filios ejus illic.
24. Et convertit Tryphon, & abiit in terram ſuam. 25. Et miſit Simon, &
accepit oſſa Ionathæ fratris ſui, & ſepelivit ea in Modin civitate patrum ejus.
26. Et planxerunt eum omnis Iſraël planctu magno, & luxerunt eum dies
multos. 27. Et ædificavit Simon ſuper ſepulcrum patris ſui & fratrum
ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retrò & antè: 28. Et ſtatuit
ſeptem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus:
29. & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma, ad me-
moriam æternam; & juxta arma naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus
navigantibus mare. 30. hoc eſt ſepulcrum, quod fecit in Modin, uſque
in hunc diem. 31. Tryphon autem cùm iter faceret cum Antiocho rege
adoleſcente, dolo occidit eum. 32. Et regnavit loco ejus, & impoſuit ſibi
diadema Aſiæ, & fecit plagam magnam in terra. 33. Et ædificavit Simon
præſidia Iudææ, muniens ea turribus excelſis, & muris magnis, & portis, &
ſeris: & poſuit alimenta in munitionibus. 34. Et elegit Simon viros, &
miſit ad Demetrium regem, ut faceret remiſſionem regioni: qui actus om-
nes Tryphonis per direptionem fuerant geſti. 35. Et Demetrius rex ad
verba iſta reſpondit ei, & ſcripſit epiſtolam talem: 36. REX Demetrius
Simoni ſummo Sacerdoti, & amico regum, & ſenioribus & genti Iudæo-
rum, ſalutem. 37. Coronam auream, & bahem, quam miſiſtis, ſuſcepimus:
& parati ſumus facere vobiſcum pacem magnam, & ſcribere præpoſitis regis
remittere

remittere vobis quæ indulſimus. 38. Quæcumque enim conſtituimus, vobis conſtant. Munitiones, quas ædificaſtis, vobis ſint. 39. remittimus quoque ignorantias, & peccata uſque in hodiernum diem, & coronam quam debebatis: & ſi quid aliud erat tributarium in Ieruſalem, jam non ſit tributarium. • 40. Et ſi qui ex vobis apti ſunt conſcribi inter noſtros, conſcribantur, & ſit inter nos pax. 41. Anno centeſimo ſeptuageſimo ablatum eſt jugum Gentium ab Iſraël. 42. Et cœpit populus Iſraël ſcribere in tabulis & geſtis publicis, anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote, magno duce, & principe Iudæorum. 43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, & circumdedit eam caſtris, & fecit machinas, & applicuit ad civitatem, & percuſſit turrem unam, & comprehendit eam. 44. Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem: & factus eſt motus magnus in civitate. 45. Et aſcenderunt qui erant in civitate, cum uxoribus & filiis ſupra murum, ſciſſis tunicis ſuis, & clamaverunt voce magna, poſtulantes à Simone dextras ſibi dari, 46. & dixerunt: Non nobis reddas ſecundùm malitias noſtras, ſed ſecundùm miſericordias tuas. 47. Et flexus Simon, non debellavit eos: ejecit tamen eos de civitate, & mundavit ædes in quibus fuerant ſimulacra, & tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum: 48. & ejectâ ab ea omni immunditiâ, collocavit in ea viros qui legem facerent: & munivit eam, & fecit ſibi habitationem. 49. Qui autem erant in arce Ieruſalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & eſurierunt valdè, & multi ex eis fame perierunt. 50. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent: & dedit illis: & ejecit eos inde, & mundavit arcem à contaminationibus: 51. & intraverunt in eam tertia & vigeſima die ſecundi menſis, anno centeſimo ſeptuageſimo primo, cùm laude, & ramis palmarum, & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſraël. 52. Et conſtituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. 53. Et munivit montem templi, qui erat ſecus arcem, & habitavit ibi ipſe, & qui cum eo erant. 54. Et vidit Simon Ioannem filium ſuum, quòd fortis prælii vir eſſet: & poſuit eum ducem virtutum univerſarum: & habitavit in Gazaris.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Simon operam ſuam offert populo Judaico.

ỷ. 1. uſque ad 7. OFFERT ſe Simon in ducem populi, brevi ſed forti atque efficaci oratione. In textu notanda pauca. Verſu ſecundo dicitur Simon ASCENDISSE HIEROSOLYMAM, ad populũ animandum: aberat ergo antè Hieroſolymâ, occupatus forſan excitandis in Judæâ præſidiis, uti conſtitutum fuerat capite ſuperiore ỷ. 35. & factum ab ipſo ỷ. 38. Quod Simon dicit verſu 3. ANGUSTIAS VIDIMUS, videre ſumendum eſt, pro experiri, Hebraica phraſi Scripturæ frequentatâ. Verſu 5. NON ENIM MELIOR SUM FRATRIBUS MEIS, eſt etiam genus locutionis, quomodò 3. Reg. 19. Elias dicit, *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim ſum melior, quàm patres mei.* Quamquam hoc Elias ex tædio vitæ dicit, Simon verò ex generoſo contemptu: quaſi dicat, Abſit ut ego vitæ meæ magis parcam, quàm fratres mei, qui ſuam omnes bono publico conſecrârunt: meam & ego religioni ac patriæ defendendæ devoveo. Mortem Judæ habes cap. 9. verſ. 18. De Eleazari morte v. ad cap. 6. ỷ. 43. &c. Joannis cædes narrata fuit cap. 9. v. 36. Captivitas Jonathæ recens eſt, & mox ſequetur mors ejuſdem. Claudit Simon propoſitionem & exhortationem ſuam his verbis: *Congregata ſunt univerſa Gentes, conterere nos, inimicitiæ gratiâ*, id eſt, nobis imminent ex mero odio, non quòd à Judæis offenſæ ſint: adeóque bellum in illas erit juſtiſſimum.

ỷ. 7. 8. 9. ET ACCENSUS EST SPIRITUS POPULI, SIMUL UT AUDIVIT SERMONES ISTOS, &c. Animatus verbis Simonis populus, ipſum magno conſenſu in ducem eligit. — Dux eligitur.

Obſerva in oratione Simonis, & totius Judaïci populi motu, quantum hominis unius apta & cordata exhortatio publicè poſſit, quantíque interſit benè dicere. *In tremore erat populus, & in timore*, ſeu, ut magis energicè habent Græca ỷ. 3. ἔντρομος καὶ ἔκφοβος, *tremens totus, & exterritus:* — Quanti referat appoſitè dicere?

paucis verbis Simon exponit, primùm fratrum ſuorum pro republica ac religione laborea, ſuam deinde pro eiſdem voluntatem, denique belli adversùs gentes, ex mero nationis Judaicæ odio armatas, juſtitiam. Statim his auditis, *accenſus eſt ſpiritus populi*, modò planè conſternati. Oratio Samuelis 1. Regum c. 12. plebi Judaicæ triſtitiam ſalutarem ingenerat. Judicum 2. Angeli brevis exprobratio idem præſtitit. Ad Eſdræ verba legentis librum legis flet populus omnis. Lacrymas cieri populo jam malis edocto ac domito, vel præſentibus, vel vix præteritis, non ita mirum eſt; præſertim cùm triſtitiæ affectua facillimè ſeſe homini inſinuet, etiam abſente ſenſu calamitatum. Sed trementem & abjectam prorſus multitudinem, non amotis timendi cauſſis, ad reſumendos ſpiritus, tam repentè, ſolo hominis unius ſermone, eoque veraci ac ſincero, animari, inſtar miraculi eſt. Timore enim, publico præcipuè, ac velut fanatico, ſurdius nihil aut magia præceps, & minùs audiens conſilii.

Vis exhortationis ad animádum.

Simile aliquid accidiſſe Romæ ad annum 1239. narrat Spondanus, in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſupplemento. Fridericus II. infeſto exercitu Romam petebat, Gregorium IX. qui ipſum anathemate percuſſerat, obſeſſurus. Conſternato ad tanti belli molem populo Romano, eò magis quòd etiam multi è Romanis pecuniâ corrupti eſſent, hoſtiſque extra & intra muros timeretur: Gregorius Pontifex ad populum ex ambone in Vaticano concionem habuit, protenſiſque utraque manu capitibus ſanctorum Petri & Pauli dixit; ſe ea ſine Romanorum virtute defendere non poſſe. Hac oratione univerſis ita erecti animi, ut Fridericum II. cum dedecore ab urbe repulerint.

Principatū Simon auſpicatur ab agendo.

℣. 10. 11. ET CONGREGANA OMNES VIROS BELLATORES, &c. Verbis facta jungit Simon, & Principatum auſpicatò init à congregandis bellatoribus, ut, populo in Hieroſolymitanorum mænium inſtauratione occupato, prohibebant præſidiarios arcis ab eruptione. Conſummari autem dicuntur muri, quia antè cœpta erat reparatio cap. ſup. verſ. 37.

Præfecti fidi.

Simul mittitur Abſalomi filius Joppen, ut *ejectis, qui erant in ea*, id eſt non omnibus omninò incolis, ſed indigenis præſertim, ac de alienatione à Judaico genere ſuſpectis, ipſe illic maneret. De Joppenſium mala fide, vide etiam cap. ſup. v. 33. & 34. Erat verò iſti urbi invigilandum, cùm eſſet commodiſſimus portus, quo amiſſo, à mari fermè excluſi erant Judæi: non futuri deinceps amicis tam utiles, hoſtibus tam timendi. Dubitari itaque non debet, quin probatiſſimæ & ſecuriſſimæ fidei fuerit præfectus à Simone ſubmiſſus: cùm aliis ne milites quidem credi debeant, nedum tanti momenti præſidia.

Tryphon movet.

℣. 12. 13. ET MOVIT TRYPHON A PTOLEMAIDA, CUM EXERCITU MULTO, contractis undique ex Syriâ, pueri partea ſecutâ, copiis: UT VENIRET IN TERRAM JUDA, ſtrictè ſumptam Judæam: ET JONATHAS CUM EO IN CUSTODIA, cuſtodibus ſeptus, ne quà elaberetur.

Simon obviàm procedit in Addus.

SIMON AUTEM APPLICUIT IN ADDUS CONTRA FACIEM CAMPI. Capite ſuperiore ad verſum 38. putavimus Adiada, præſidium à Simone munitum, idem eſſe atque hîc *Addus*, pro quo Græca Sixtina habent *in Adida*, Regia *in Addis*. Idem putant Serarius & Salianus: favétque huic ſententiæ res ipſa; quòd convenire videatur, ut Simon juxta præſidium ſuum caſtra poſuerit. Adde Tryphonem, Ptolemaide proficiſcentem, videri ſecundùm litus maris iter inſtituiſſe: unde ſurſum versùs Hieroſolymam eunti, occurrebat non longè ab recto itinere *Adiada in Sephela*, ſeu *Addus ante faciem campi*. Nec longè aberat Adithaim, quam eodem loco ſuperioris capitis ſuſpicabar eſſe Adiada.

℣. 14. 15. 16. ET UT COGNOVIT TRYPHON, QUIA SURREXIT SIMON LOCO FRATRIS SUI JONATHÆ. Dux populi creatus. Perſuaſerat ſibi forſan, Judæos, vivo Jonatha, Ducem alium non creaturos: quid ſi & idcirco eum nondum occiderat, ut Judæi præficere ſibi Principem alium non auderent, & ſic faciliùs capite deſtituti obruerentur? Ob illum etiam finem magnâ celeritate uſus videtur, contractis ſtatim à capto Jonatha copiis, & profectione in Judæam inſtitutâ. Unde de electione Simonis interim factâ nihil audivit, niſi cùm propè acceſſiſſet: ubi etiam cognovit, *quia commiſſurus cum eo eſſet prælium*.

Cur Tryphon tantâ celeritate uſus.

Itaque ab apertâ vi ad ſolitas artes converſus, *miſit ad eum*, Simonem, *legatos*, qui nuntient Jonathan teneri, non ut hoſtem, ſed ut debitorem ærarii Regii, *in ratione Regis*: eáque debita ab eo contracta, *propter negotia quæ habuit*, id eſt, in adminiſtratione Regiorum negotiorum, puta tributorum ac redditúum publicorum. *Et nunc*, inquit, *mitte argenti talenta centum*, id eſt quamvis alii aliter numerant, ſi Attica talenta ſumpſeris, centum quinquaginta millia florenorum; ſi Hebræa, altero tanto plus: & verò probabilius eſt agi de Hebræa moneta cum Hebræis. *Mitte & duos filios ejus obſides, ut non dimiſſus fugiat à nobis, & remittemus eum*: ſumendum eſt *fugiat*, pro *transfugiat*, idque patet ex Græco ἀποσταλῇ. Senſus igitur eſt: dimittemus Jonathan liberum, ſi centum talenta miſeris, & ſimul duos ejus filios, qui nobis obſidum loco ſint: ne fortè ipſe, cùm dimiſſus fuerit, à nobis deficiat. Ita etiam hunc locum expreſſit Joſephus.

Ejus fraus nova.

℣. 17. 18. 19. ET COGNOVIT SIMON, QUIA CUM DOLO LOQUERETUR EI: quia cùm vir conſilii eſſet, facilè artes Tryphonis perſpiciebat: nec difficile erat ejus mentem pervidere, ex cæde mille Jonathæ ſociorum Ptolemaide patratâ, quæ planè indicabat aliud quæri, quàm pecuniam. *Nihilominùs juſſit dari argentum, & pueros*, prout Tryphoni placuerat. Et ne mirêre, ab homine prudente ad certam jacturam mitti talenta centum, & ad manifeſtum exitium filios tanti Ducis, & fratris: ſubdit Scriptura id factum, *ne inimicitias ſumeret ad populum Iſraël*, ne odioſus fieret Judæis, dicturis proculdubio, periiſſe Jonathan, eò quòd Simon *argentum & pueros* Tryphoni non miſiſſet: adeóque tam præclari Ducis amiſſi invidiam in ſe redundaturam.

Simon fraudem odoratur.

At, inquis, an prudenter ac fortiter fecit Simon, qui fraude Tryphonis cognitâ, innocentes duos hoſti jugulandos objicit, metu odii popularis? Reſpondeo: etſi Tryphonem dolis agere ſentiret, certò tamen ſcire non poterat, fore ut Jonathas & filii ab eo occiderentur: atque adeò licuit, imò bono communi expedivit, periculum eorum famæ ſuæ poſtponere. Nam ſi unquam Judæi ſibi perſuaſiſſent, ab eo ex avaritia, aut ambitione, & dominandi ſtudio, Jonathan inter manus Tryphonis relictum: ita eis odioſus fuiſſet, ut ipſius deinceps imperium detrectarent, forſan & ad Tryphonem deficerent, totáque Judaïca reſpublica ac religio peſſum iret. Tantum malum jacturæ alicui, & puerorum duorum periculo, ab homine ſapiente, ac forti prudenter poſtponi potuit, ac debuit.

Licueritne Simoni pecuniam, & filios Jonathæ, dare in Tryphonis manus?

An Simon id ex conſilio populi fecerit?

Addit Joſephus, Simonem, auditis Triphonis legatis, pro concione poſtulata ejus populo expoſuiſſe, ſuamque de fraude ſuſpicionem: placuiſſe nihilominùs pecuniam & pueros mitti. Quod Joſephi additamentum licèt Scriptura non indicet, adeò tamen probabile mihi videtur; ut prorsùs putem à Simone exquirendam fuiſſe populi, qui ſecum erat in Addus, ſententiam ſuper Tryphonis poſtulatis, & ex ejus voluntate agendum. Periculum enim erat, ne avaritiæ & ambitionis notam incurreret; non tantùm ſi poſtulatis Tryphonis nollet acquieſcere, ſed etiam ſi acquieſceret. Quid enim homines ad ſuſpicandum pronos, & omnia in pejus trahentes, prohiberet opinari; ſubornatam à Simone legationem Tryphonis; mitti pecuniam ad animum demerendum; dedi in hoſtiles manus filios Jonathæ, ut cum patre cæſi ſecurum Simoni, atque ejus liberis, Principatum relinquant? Ad amoliendas igitur ſuſpiciones, utrimque pronas ac paratas, ſive fierent poſtulata Tryphonis, ſeu ſecus, debuit Simon ex ſententia populi, aut ſaltem ex conſilio ſeniorum, agere.

Tryphon in Judæam penetrare conatur.

℣. 20. Et post hæc venit Tryphon intra regionem. Dum enim ad poſtulata reſponſum Simonis exſpectat, ſeſe aliquantum continuit: at ubi quod ſperabat accepit, depoſita larvâ apertè hoſtem profeſſus eſt. Græcè habetur, *poſt hæc venit Tryphon, ut intraret in regionem*, id eſt, Judæam propriè dictam, cujus aditu eum Simon, caſtris in Addus poſitis, prohibebat. *Et giraverunt* copiæ Tryphonis, *per viam quæ ducit Ador*: Græcè, *& circuivit viam, quæ in Adora*; ſupple, *ducit*. Circumductis copiis conatur Tryphon in Judæam penetrare: ſed intellecto ejus conſilio Simon ex Addus movit, itáque lateri hoſtium cum ſuis hæſit, ut eorum conatus eluderet, id enim hiſce verbis indicatur, *& Simon, & caſtra ejus ambulabant in omnem locum, quocunque ibant* Tryphoniani, ſeu quò Tryphon *ibat*, ut Græcè habetur.

Quæ Ador? An Dora?

Quæ ſit autem urbs *Ador*, non conſtat. Bonfrerius in Onomaſtico cenſet eſſe Doram urbem, non longè à Ptolemaide, de qua cap. 15. verſ. 11. Sed opinionem iſtam nullo modo probare poſſum. Cùm enim poſuerimus Tryphonem jam cum copus propè Judæam acceſſiſſe, Simone aditus obſidente, qui fieri potuit, ut ad commodiorem ingreſſum retrò circumduceret exercitum per viam Doræ, tam longè à Judæa diſtantis?

An in Idumæa, propè Amalecitas?

Joſephus *Adora* ponit in Idumæa, & de ea urbe hîc agi exiſtimat, quæ & poſtmodùm capta fuit ab Hircano, filio Simonis, lib. 13. c. 17. Eum ſecutus Adrichomius *Adora*, ſeu *Abora*, quæ & *Doreon*, urbem collocat in infima Idumæa Auſtrali, cis flumen ſeu torrentem Ægypti: quo nos loco Amalecitas poſuimus, Bonfrerius, ejuſque rationes, in annotationibus ad chorographicam ſuam tabulam, ſecuti. Joſephum Salianus impugnat, quòd ipſemet, inquit, immemor ſui dicat lib. 2. cont. App. Idumææ civitatem nullam appellari Doram. Sed Saliano, reſponderi poſſit, aliud eſſe Doram, aliud Adora, vel Dorcon: adeóque Joſephum ſibi non contradicere, neque idcircò rejiciendam ejus ſententiam.

Ea ſententia firmatur.

Eam ego certè amplector: tum quia non eſt auctor alius, quem meliùs ſequar: tum quia Salianus, qui nec Doram Phœniciæ probat, nec recipit Idumææ, alio loco hanc urbem ait eſſe ſtatuendam, nec locum deſignat: tum denique, quia totum iter Tryphonis congruit. Ptolemaide profectus itinere maritimo conſtitit ad Adida: deinde flexo per Idumæam itinere, cùm Simon ubique occurreret, per deſertum Judææ ad arcem penetrare conatus eſt: denique cùm neque id ſucceſſiſſet, tranſito Jordane, venit in Galaaditim, ut mox dicemus. Videas hinc, Tryphonem cum exercitu ad omnia Judææ latera obambulâſſe; uno excepto, quod Ephraimicam tribum reſpicit, ſeu Samaritidem.

Quæ hîc arx? An portæ in illa ducentes extra urbem?

℣. 21. Qui autem in arce erant miserunt ad Tryphonem legatos, ut festinaret venire per desertum Judææ, Idumææ conterminum. Arbitrabantur ea parte, minùs forſan à Simonis copiis obſervatâ, faciliùs penetraturum, *ut mitteret illis alimonias*, & commeatum inferret in arcem. Mirum à Saliano *arcem*, de qua hîc, putari urbis Ador; quam urbem versùs erat, inquit, iter Tryphonis. Sed nimis planum eſt agi de *arce* Hieroſolymitana: cujus præſidiarii difficultate maximâ annonæ vexabantur, ex quo prohibebantur omni commeatu, ut dictum cap. 12. verſ. 36. Audito itaque Tryphonem oberrare cum ſuis, rogant, ut feſtinet ſuppetias ferre; viámque deſignant opportuniſſimam, & occultiſſimam, quà veniat, per unam ſcilicet portarum civitatis ſuperioris, & arcis ipſius. Illic enim portas, ad Auſtralem civitatis partem ſpectantes, fuiſſe non ambigo: quia eſſe debuerunt ad ejuſmodi caſus, ne præſidiarii commeatu omni intercluderentur. Etſi non neſcio Salianum, anno Nehemiæ 1. putare nullas fuiſſe portas in monte Sion. Cùm autem neque is conatus Tryphonis ſucceſſiſſet, coguntur denique, alimentorum inopiâ, ſeſe Simoni dedere, infrà verſ. 49. 50. Certò igitur hic locus de arce Syrorum Hieroſolymitana intelligendus: & ſic intellexêre Joſephus lib. 13. c. 11. Liranus, aliique.

Tryphon conatur arci cõmeatum inferre.

℣. 22. Et paravit Tryphon omnem equitatum, ut veniret illa nocte. Equites ſolos, ut fieri ſolet in ejuſmodi expeditionibus, paratos eſſe jubet; tum ad celeriùs conficiendum iter, tum ad ferenda alimentorum onera. Et quidem *illâ* ipſâ *nocte*, quâ nuntios à præſidiariis arcis accepit, eis opem ferre ſtatuit: tum quòd celeritate utendum erat, ad fallendum Simonem; tum quòd mox iter magis celatura videbatur. In Græcis Regiis voces hæ, *illa nocte*, referuntur ad ſequens membrum: *illa nocte erat nix multa valdè*; in Sixtinis habetur ut in Vulgata.

Suppletur textus Vulgatæ ex Græcis.

Et non venit in Galaaditim: manifeſtum eſt hiatum hîc aliquem eſſe, & errore librariorum excidiſſe aliquot verba, quæ disertè habentur in Græcis, ubi ſic legitur: καὶ οὐκ ἦλθε διὰ τὴν χιόνα. καὶ ἀπῆρε καὶ ἦλθεν εἰς τὴν γαλααδῖτιν: *& non venit propter nivem: & abiit, & venit in Galaaditim.* Sic legendum erat etiam in Vulgata noſtra: cùm conſtet, Tryphonem nivibus impeditum ne ad arcem veniret, & dejectum ſpe commeatûs arci inferendi, tranſiiſſe in Galaaditim, ubi eſt Baſcama urbs, ad quam occiſus Jonathas. Librarius quidem imprudens ab uno *venit*, tranſilivit ad aliud, omiſſis quæ media ſunt: inde error in omnes fermè Vulgatæ noſtræ Editiones irrepſit. Notavit id ante me Salianus, & ante hunc Emmanuel Sa.

Providentia Dei erga Judæos ſingularis.

Adverte hoc loco præſens Dei auxilium erga Judæos, nec ſine illuſtri aliqua, ni fallor, ſpecie miraculi. Proculdubio, quantum humanitùs judicari poteſt, Tryphon immiſiſſet arci militem & alimenta; ejuſque deditionem, aut diſturbâſſet omninò, aut ſaltem impediſſet, niſi divinitùs fuiſſet prohibitus. Nocturno enim, & averſo, atque occulto per ſolitudinem itinere, feſelliſſet Simonis vigilan-

vigilantiam : equitum verò, quos ad eam expeditionem ſolos delegerat, velocitate præcucurriſſet quantamvis Judaici agminis, quod pedeſtre erat, velocitatem. Succeſſerat igitur Tryphonis conatus, niſi nix ſubitò cecidiſſet, & ipsâ quidem nocte quæ expeditioni erat deſtinata, & tam alta ut equitum iter impediret. Mira planè res, & inuſitata iis locis, ubi raræ nives, rariſſimæ tantâ copiâ, & tam ſubitò ſpectantur.

Quo tempore ea nix lapſa?

Adde circumſtantiam temporis, quam ex ipſa Scriptura elicio : conjecturâ, ut mihi quidem apparet, probabili. Unde conſequetur nives haſce non Providentiæ tantùm divinæ erga Judæos ſingulari, ſed etiam miraculoſæ tribuendas. Infrà verſ. 51. dicitur arx Hieroſolymitana dedita fuiſſe anno 171. menſis ſecundi, qui ferè Aprili noſtro reſpondet, die viceſimâ tertiâ. Conatus Tryphonis ad inferendum arci commeatum, aliquanto tempore deditionem illius anteceſſit : neque enim præſidiarii expectârunt extrema, ut nuntios petendis ſuppetiis mitterent. Præceſſiſſe autem facilè menſibus octo, colligo ex iis, quæ poſt eluſam expeditionem iſtam anno eodem geſta narrantur : Tryphon verſ. 22. tranſit in Galaaditin : Jonathan verſ. 23. occidit : abit verſ. 24. in Syriam : Antiochum verſ. 31. occidit : Simon verſ. 25. &c. ſepelit Jonathan, qui lugetur, & quidem dies multos : excitantur verſ. 33. à Simone præſidia : mittuntur verſ. 34. &c. ad Demetrium, & recipiuntur nuntii de pace, quæ facta anno 170. ut disertè habetur v. 41. Quis neget, ad iſthæc gerenda, opus fuiſſe menſibus aliquot? Demus minimùm ſex, aut ſeptem, pauciores certè dari vix poſſunt.

An æſtate?

Nix ergo multa, de qua hîc ſermo, in regione fervida, æſtivo menſe, & ipſo forſan Auguſto ceciderit. Ad ſex enim aut ſeptem anni 170. menſes, adde primum & ſecundum anni 171. quo arx dedita eſt : invenies inter conatum Tryphonis, & arcis deditionem, menſes octo & ampliùs ; atque ideò Tryphonis expeditio incidet in Auguſtum.

Prodigioſæ nives æſtivæ.

En igitur miraculum illi ſimile, quod eodem Auguſto menſe Eccleſia celebrat, Sanctæ Mariæ ad nives. Alterum item non abſimile, quod eodem menſe accidiſſe narrant Boëmiæ Annales, & ex iis Surius in Julio. Labeſſa vir nobilis, imminentes hoſtes fugiens, ad Saxavam fluvium venerat, vadumque tentare non audebat. In eo diſcrimine conſpicatus ædem D. Procopii in adverſa ripa, Divo illi ſeſe non caſſis precibus commendavit. Nam flumen protinùs conglaciavit, tranſivitque in equo Labeſſa : & mox ſoluta glacie ſequi hoſtes prohibiti. Quamquam æſtiva glacies & nix longè prodigioſior in Judæa eſt, quàm vel in Boëmia, vel apud nos : ubi intempeſtiva iſthæc cernere non adeò inſolitum eſt, quemadmodùm alibi annotavi. Et hoc ipſo anno poſtquam feriis totis Paſchalibus æſtum intenſum ſenſimus, & adoleſcentes pſychrolutræ calorem & ſudorem natatu Moſano diluêre : mox tamen glacies ac denſæ nives redierunt Aprilis 22 & 23.

Laus Dei ex meteoris.

Illuſtrari iſto nivium prodigio poteſt, quod Pſalmiſta canebat : *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Ignem adversùs Iſraëlitarum hoſtes pugnâſſe, habes Exod. 9. Reg. 4. c. 1. Dan. 3. &c. Grandinem, Exod. 9. Joſ. 10. Ventum, Exod. 10. Dan. 3. At de nive & glacie nuſquam in Scriptura legebamus prodigio factum, niſi hîc. Quare deinceps non modò ob ordinariam Dei in creanda nive potentiam, ſed ob extraordinariam, dicamus : *Benedicite glacies & nives Domino.*

Satisfit objectioni ex chronologia.

Sed ne gratìs, aut ſine ſufficienti fundamento, miraculum aſtruere videar, quod ab alio, quem ſciam, nemine animadverſum fuit ; occurrendum eſt iis, quæ objici poſſent. Primùm, unde conſtat anno centeſimo ſeptuageſimo Tryphonem conatum ad arcem Hieroſolymitanam perrumpere? Reſpondeo conſtare ex ipſa ſerie ſacræ Hiſtoriæ. Capite 12. verſ. 39. Tryphon volens Antiochum pupillum de medio tollere, Jonathan, quem ſuis conatibus ſolum obſtaturum videbat, etiam occidere ſtatuit, eumque cæpit : captum deinde occidit cap. 13. verſ. 23. Nemo opinor, in dubium revocaturus eſt, quin præceps ad regnandum Tryphon eodem anno Jonathan ceperit, & occiderit. Sed neque dubitari poteſt, quin a Tryphone abalienatus Simon, ſtatim eodem anno, deſertis per id hominis partibus, ad Demetrium ſeſe tranſtulerit. Et verò iſthæc omnia in eumdem annum chronologi omnes congeſsêre : & Scriptura ipſa pacem cum Demetrio conſignat anno 170.

Item alteri ex Scriptura.

Secundò objiei poteſt, non inſolitam eſſe in Palæſtina æſtivam nivem, quandoquidem Prov. 25. verſ. 13. dicatur : *Sicut frigus nivis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.* Ubi Sapiens ſupponere videtur, in Judæâ nives eſſe tempore meſſis ; alioqui vana eſſet comparatio de re quæ ignota ſit, & numquam accidat. Reſpondeo, ſapientem illîc agere de potu nivali ; ſeu qui revera nivibus infuſis, aut circumfuſis, frigefactus ſit ; ſeu qui nativo ſuo frigore rigorem glaciei imitetur, & ideò vocatur *frigus nivis.* Hîc frigidus potus æſtu gratiſſimus eſt, & calores immodicos ſedat ; quemadmodùm boni legati fides & induſtria ei, qui miſit, ſolatium affert. Vide Proverb. cap. 26. v. 1. ubi apertè habes, rem omninò inſolitam & prodigioſam eſſe *nivem in æſtate* ; ei enim confert *gloriam ſtulti :* quaſi dicat, quomodò prodigium eſt nix æſtiva, ita monſtri inſtar ſtultus honoratus. Ergo Sapiens æſtivas nives tam ab ordine tempeſtatum, & curſu Univerſi alienas putabat, quàm à republica gloriam ſtulti.

Ubi Baſcama, & quo genere mortis ſublatus Jonathas?

℣. 23. Narratur mors Jonathæ, & filiorum ejus. Locus nominatur, ad *Baſcaman*, quam urbem Joſephus in Galaatidi ponit, & *Baſcam* nominat : Adrichomius collocat in Galaaditicæ regionis parte, ad tribum Gad ſpectante. Bonfrerius, in Onomaſtico, id non probat ; ratus Tryphonem non tranſiîſſe in Galaaditim, ut Vulgatæ textus ſignificat. Sed illum ex Græco ſupplevimus, atque adeò Joſephi & Adrichomii ſitum amplectimur. De genere mortis nec Scriptura, nec Joſephus quidquam tradunt. Salianus putat veneno forſan ſublatos, nec opinantes : ſed verbum *occidit*, & ἀπέκτανε, nullâ aliâ additâ voce, vim apertam ſignificare videtur. Qualiſcumque tamen mors fuerit, veroſimile eſt, ignominiam illi nullam, aut cruciatus adjunctos : ut, verbi cauſsâ, occiſi ſint filii Jonathæ ante parentis ora. Idque colligo, non ſolùm ex ſilentio Hagiographi noſtri, qui rem tantam, ſi accidiſſet, non erat ſilentio preſſurus ; verùm etiam ex eo, quòd additur hoc verſu in textu Græco, *& ſepultus eſt illic*, ſcilicet Jonathas. Cùm ergo Tryphon ſepulturæ honore Jonathæ à ſe occiſi corpus ſit dignatus, argumento eſt, ejus cædi dedecus aut crudelitatem addita non fuiſſe. Adverte etiam, in Græcis mentionem non fieri cædis filiorum Jonathæ ; ſed res ipſa ſatis loquitur.

Quæ

Cur à Deo permiſſa Jonathæ cædes?

Quæ autem cauſſa mortis Jonathæ? Non de Tryphone quæro: non enim opus erat aliâ ratione homini ambitioſo & crudeli, quàm quæ notata fuit capite ſuperiore verſu 40. Sed de cauſſa quæro, cur Deus illam permiſerit? Rupertus eam tribuebat ſocietati initæ cum Romanis, & obſervabat, uti Judam, ita & Jonathan, ſtatim ab adornata legatione Romana interfectos fuiſſe; non obſcuro indicio improbatæ à Deo cum Infidelibus confæderationis. Nos verò peculiari de ea amicitia quæſtione ad cap. 8. demonſtravimus, nihil à ſanctis hiſce Ducibus ea in re peccatum, nullumque pœnæ meritum fuiſſe.

An ob fœdera cum tyrannis?

Salianus, ad hunc annum, rationem multò veroſimiliorem commentus eſt, cur Deus Jonathan ſuâ primùm, tum ſuorum captivitate, deinde cæde puniverit. Notat enim Jonathan, primùm à Demetrio Sotere legitimo Syriæ Rege, & ab Alexandro Vele tyranno de amicitiâ ſolicitatum, ad hunc inclinâſſe. Quod quidem factum excuſari poteſt, quia fraude ageret Demetrius, & malus in Judæos ejus animus ſatis aliunde perſpectus eſſet: uti eſt à nobis obſervatum ad cap. 10. v. 46. At, inquit Salianus, quid de Judæis malè meritus erat Demetrius Nicanor Soteris filius, & ipſe legitimus Rex Syriæ, ut Jonathas Tryphoni & Antiocho, puero Alexandri filio contra illum adhæreret? Videatur itaque in iſtâ ſocietate aliquid latuiſſe injuſtitiæ, quam Deus morte auctoris ac ſuorum expiare voluerit. Sed huic objectioni ſuæ reſpondet ipſemet Salianus, Jonathan ac Judæos jure contra quemlibet Syriæ Regem arma ſumere potuiſſe, ut ſe in avitam libertatem injuſtè oppreſſam aſſererent: eoque fine uſos ſocietate & armis Tryphonis atque Antiochi, non ut tyrannis faverent, ſed ut ſe ac ſua tuerentur. Vide dicta à nobis ad cap. 10. v. 46.

Amicos cur Deus malis exerceat?

Itaque cùm neque hîc cauſſa inveniatur, cur Deus Jonathæ cædem permiſerit, redeundum nobis erit ad ſecreta Providentiæ divinæ conſilia. Deus enim interdum etiam minimas amicorum labes in hac vitâ magnis calamitatibus plectit; numquam tamen gravitate ſua vel leviſſimam culpam exceſſuris; ut diximus Excurſu Mor. de Peccato Veniali ad cap. 5. v. 61. Interdum amicos, etſi non peccârunt, exercendæ virtutis cauſſâ, miſeriis conflictari ſinit; uti præmonui Excurſu Morali quinto ad cap. 1. v. 26. ſect. 2. Excurſu item 3. ad c. 2. & Excurſ. 1. ad cap. 12. alibi. Utrovis modo accidere potuit captivitas & mors Jonathæ, ac ſuorum. Nam habebat Heros, quamvis ſanctus, peccata aliqua quibus magis ac magis purgaretur: & poterat vir excelſi & infracti animi, & per malorum patientiam altiùs in virtute progredi.

Abſcedit Tryphon.

℣. 24. uſque ad 31. Tryphon convertit, et abiit in terram suam; iter ſuum reflexit ex Galaaditi in Syriam, quæ Antiochum puerum pro Rege agnoſcebat.

Jonathas lugetur.

Eò profectò, *miſit Simon, & accepit oſſa* ſepulti à Tryphone corporis *Ionathæ fratris ſui*; indubium, quin etiam oſſa filiorum Jonathæ ſimul exhumata ſint, & cum oſſibus patris ſepulta *in Modin*, ubi & Mathathiæ ac Judæ corpora quieſcebant, ut narratum cap. 2. verſ. 70. & cap. 9. verſ. 19. In ea tranſlatione oſſium, & nova ſepultura, fuit renovata ſolemnis lamentatio: nam *planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno, & luxerunt dies multos*. Quàm multi dies luctus fuerint non definitur, atque Salianus uſurpatos nunc plures, nunc pauciores, à tricenario numero ad ſeptuagenarium.

R. P. Fullonis Comment. in Machab. Tom. I.

Monumentum à Simone extructū.

Poſt luctum, cogitatum eſt de excitando monumento, quod modò quidem cæptum arbitror; cùm id innuat ſeries hiſtoriæ; ſed perfici non potuiſſe hoc anno, indicat ipſa moles operis. Erat enim, ut habetur verſ. 27. *ædificium altum viſu*, id eſt, ſic elevatum, ut longè eſſet ſpectabile. *Polito lapide* conſtructum fuiſſe conſtat ex Scriptura, addit Joſephus etiam albo: unde quis Parium Marmor meritò opinetur. Monumento impoſitæ juſſu Simonis *ſeptem pyramides* ad patris, matris, fratrum, ſuam memoriam: ſic ordinatæ ut inter ſe reſponderent, verſu 28. Pyramidibus circumpoſitæ *columnæ magnæ*, quas è lapide uno fuiſſe ait Joſephus. Addit Græcus Scripturæ textus, pyramidibus etiam addita *machinamēta*, quæ Salianus interpretatur perpetuum murum, columnis inſtar baſis ſubſtratum. *Super columnas arma* poſita fuêre: an trophæi inſtar arma vera ad memoriam æternam; an verò ſculpta ſolùm, quemadmodum *naves* inſculptæ fuêre? Hoc probabilius putat Salianus, ego iſtud malim: & ſanè id indicat textus uterque, cùm diſertè *naves ſculptas* juxta arma dicit, *arma* verò, ſeu, ut Græcè eſt, πανοπλίας, *omnis generis armaturam*, ſimpliciter dicit columnis impoſitam. Quod autem ſubditur eodem verſu 29. *quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare*; ſic intellige, ut iſtud, *quæ*, referatur ſimul ad omnia antedicta, non autem ad arma & naves. Senſus eſt, ſic molem monumenti à Simone exſtructam, ut eminùs eſſet conſpicua, & ab ipſis in Mediterraneo mari navigantibus ſpectaretur.

Diu ſtetit.

Manſit ſepulcrum iſtud Aſſamonæorum ad uſque tempora ejus Hagiographi, qui hunc librum ſcripſit, id enim ſignificat verſ. 30. cùm dicit, *hoc eſt ſepulcrum quod fecit* Simon, *in Modin, uſque in hunc diem.* Imò Joſephus ait, pyramidas mirâ tum magnitudine, tum pulcritudine, ad ſua uſque tempora durâſſe. Nec mirum, cùm Hieronymus ipſe, de ætate ſua loquens, libro de loc. Heb. dicat, *Modin vicus juxta Dioſpolin, unde fuerunt Machabæi quorum hodieq; itidem ſepulcra monſtrantur*: non tamen addit, an integra cum pyramidibus. Quod verò ſubjungit ſe mirari, quomodò ergo eorum reliquiæ Antiochiæ oſtendantur: reſpondet Serarius fieri potuiſſe, ut Hieronymi ætate cenotaphium eſſet in Modin, reliquiis Antiochiam tranſlatis: aut certè, reliquias Machabæorum, quæ Antiochiæ oſtendebantur, non fuiſſe filiorum Mathathiæ, ſed ſeptem fratrum Martyrum.

Deſcribitur particulatim.

Ut meliùs intelligatur qualis fuerit forma ſepulcri Machabæorum, deſcribam, quomodò ego quidem concipio. Primùm ſit moles quadrata, intùs concava, oſſibus reponendis, exteriùs polito lapide veſtita, forſan & gradibus diſtincta, ut ad ſummum conſcendi poſſet: eam à Scriptura vocari exiſtimo *ædificium altum viſu*. Secundò loco ſunt *pyramides ſeptem*, in ſumma mole erectæ; ſex, ordinibus ternis inter ſe reſpondentes, ſeptimâ ſolâ ad extremum poſitâ: primus ordo Mathathiæ, & uxori poſitus, alter Judæ Machabæo & Jonathæ, tertius Joanni & Eleazaro, ſeptima pyramis extra ordinem Simoni erecta erat. Ad pedem molis circumjectus erat perpetuus murus in quadrum, prohibendo ad monumentum aditui. Muro *columnæ* uno ordine inſiſtebant, inſtar periſtylii; ità diſpoſitæ, ut per intervalla moles monumenti ſpectari poſſet; ita elatæ ut molis altitudinem non excederent, neque ſupra pyramidum baſim eminerēt. Epiſtyliis ſeu capitellis columnarum imminebat Zophorus, & coronis; cui appenſa omnis generis *arma* trophæi inſtar, & inſculpta navium ſimulacra.

Ejus emblemanca ſignificatio.

Quæres, quid iſtius monumenti partibus ſignificare Simon voluerit? Obvia explicatio eſt: mole quadratâ, pyramidibus ſuppoſitâ, conſtantiam & ſtabilitatem Mathathiæ ac liberorum adumbrari, item muro ac columnis: pyramidibus indicari *memoriam æternam*, quam heroës iſti conſtantiâ meriti ſint; eſt enim pyramis figura æternitatis. Armaturâ omnis generis exhibentur trophæa Aſſamonæorum terrâ parta: navibus navales victoriæ, & protenſus Judæorum principatus ad mare Mediterraneum, captis Jamniæ & Joppes portubus, aliiſque urbibus maritimis; ut numquam res Judaica mari videatur fuiſſe potentior. Ea igitur aperta interpretatio eſt: ſed ſanctior & reconditior, navibus monumento inſculptis fluctuationem vitæ humanæ, armis appenſis militiam perpetuam mortalium, pyramidibus moli ſuperpoſitis beatam æternitatem, ad quam militando, & vitam enavigando tendimus, ſignificat.

Peccâvitne vanitate Simon?

At, inquis, nonne in tam ſuperba mole erigenda aliquid humani paſſus eſt Simon? Sanè Plinius lib. 36. c. 13. de Ægyptiacis pyramidibus agens; *Veſana*, inquit, *dementia eſt, quæſiſſe gloriam impendio nulli profuturo.* Strabo lib. 17. earum exſtructionem vocat, *βαρβαρικὴν ματαιοπονίαν, barbaricum laborem ad inane.* Simili modo Joſephus lib. 16. cap. 9. notat vanas Herodis in multis ædificiis *φιλοτιμίας, cupiditates honoris.* Denique ipſa Scriptura hoc loco videatur vanitatem Simonis perſtringere; cùm dicit verſ. 29. monumentum excitatum *ad memoriam æternam*: quaſi verò memoria æterna, in qua erit juſtus Pſalm. 111. lapidibus inſculpatur, non inſcribatur libro vitæ.

Gloriæ appetitus laudabilis.

Objectionibus iſtis reſpondet Serarius: gloriam à bonis viris benè quæri poſſe, quomodò & opes, amicitias, dignitates, aliáque de ſe indifferentia. Auguſtini dictum eſſe, libro coot. Secundinum, cap. 17. *Qui amat honorem, Deum imitatur. Sed humiles animæ in illo ſe honorari volunt, ſuperbi præ illo.* Ad hoc honoris genus revocanda omnia, quæ ſibi, ſuiſque, viri boni excitavêre monumenta: uti filiorum Jacob, quæ Joſephus memorat: item tres pyramides Helenæ, optimæ Adiabenorum Reginæ, ejus filiorum Izatæ & Monobazi, apud eumdem Joſephum lib. 20. c. 2. quas Hieronymus in Epytaphio Paullæ Mauſolæum appellat. Ita Serarius. De appetitu gloriæ moderato ac laudabili vide dicta à nobis ad caput 2. v. 51. cap. 6. verſ. 43. cap. 9. verſ. 10. &c. De ſepulcrorum magnificentia vide Excurſum Moralem ad calcem capitis, ubi & commodas ac pias ſeptem pyramidum applicationes afferre conabimur.

Mors Antiochi Dei.

℣. 31. 32. TRYPHON AUTEM CUM ITER FACERET Antiochiam versùs, occiſo jam Jonatha, CUM ANTIOCHO REGE ADOLESCENTE, DOLO OCCIDIT EUM. In Græcis, *dolo*, refertur ad, *iter faceret, ἐπορεύετο δόλῳ, proficiſcebatur dolo*, ſeu doloſè cum pupillo Rege. Eodem redit ſenſus, utrovis modo legas. Epitome 55. Livii iſtum dolum ſic refert: *Alexandri filius Rex Syriæ, decem annos admodùm habens, à Diodoro, qui Tryphon cognominabatur, tutore ſuo per fraudem occiſus eſt: corruptis quibuſdam medicis qui eum calculi dolore conſumi ad populum mentiti, dum ſecant illum, occiderunt.* Eodémque, inquit Salianus, reſpexit Joſephus l. 13. c. 12 cùm dicit, ſpasſum tumorem, *ὡς χειριζόμενος ἀπέθανε*: quod Interpres malè vertit, *quaſi inter exercendum eſſet extinctus*; cùm vertere debuerit, *quaſi inter chirurgorum manus obiiſſet.* Eſt enim *χειρίζεσθαι*, non tantùm *exerceri*, ſed etiam manu curari, ſeu operâ chirurgorum. Sic periit miſer adoleſcentulus, cui Deo cognomen intolerabili vanitate adulatores fecerant. Sed iſti Deillo vix homini eſſe, aut ſaltem ad perfectæ rationis uſum vix pervenire licuit.

Regnum Tryphonis.

Sublato alumno *Tryphon regnavit loco ejus*, & impoſuit ſibi diadema Aſiæ, conciliatis proculdubio ante militum & populi animis. Cave tamen exiſtimes, ad conciliandos Syros, propoſitam ipſis captivitatem Demetrii apud Parthos, uti narrat Joſephus: manifeſtus enim videtur hic error eſſe, & è Scriptura convinci, referente captivitatem Demetrii ad annum centeſimum ſeptuageſimum ſecundum; cùm, quæ hîc narrantur, biennio ante geſta ſint. Neque ad excuſandum Joſephum dicere ſufficiet, ab Hagiographo noſtro narrationis tantùm ordinem ſervari, non temporis, uti ſuſpicatur Petavius in Rationario: id enim gratis omninò fingitur, quandoquidem ſuum captivitati Demetrii tempus aſſignetur ab Hagiographo. Tryphon ergo per ſummum ſcelus, & inſidioſas artes, regnum alienum adeptus, illud per vim adminiſtravit, oppreſſis & vexatis omni modo ſubditis; ut hîc à Scriptura iſtis verbis innuitur, *fecit plagam magnam in terra*, Syriæ ſcilicet.

Simon munimenta extruit.

℣. 33. 34. Duæ res memorantur prudentiſſimè à Simone poſt abſceſſum Tryphonis factæ, ad firmandum rei Judaicæ ſtatum. Prima, *præſidiorum* excitatio paſſim per Judæam, prout conſilium fuerat vivo Jonatha, cap. 12. verſ. 35. cæperatque Simon ipſe eodem capite verſu 38 Spectabant autem iſta præſidia, non tam ad continendos in officio ſubditos, quàm ad arcendos hoſtes ab interiore Judæa.

Demetrius de amicitia ſolicitatus à Simone, & cur?

Altera res à Simone proviſa, fuit legatio *ad Demetrium Regem*, de ſocietate cum ipſo contra Tryphonem ineunda. Conditio ſocietatis proponitur his verbis, *ut* Demetrius *faceret remiſſionem regioni*, id eſt, Judæam oneribus ac tributis liberaret. Cauſſa deſerti Tryphonis ſequentibus verbis declaratur, *quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant geſti*, ſeu, ut Græcè habetur, *omnes actus Tryphonis erant rapinæ.* Quæcumque enim, vel contra Judæos, vel contra Antiochulum Alexandri filium, vel contra Demetrios patrem ac filium geſſerat, aut gerebat Tryphon, mera erant injuſtitia. Habebat itaque juſtiſſimas cauſſas Simon conſcelerati hominis deſerendi, & tranſeundi ad amicitiam legitimi Regis.

Miſſa etiam munera.

Addita legationi munera, etſi hîc non dicatur, apertè tamen innuitur infra verſu 37. videturque Simon ea miſiſſe, non tam ad conciliandum Regis animum, quod difficile non erat; quàm ad ſervandum ſolemnem adeundorum Regum morem; quem etiam ſervans in lege Dominus, noluit quemquam apparere in conſpectu ſuo vacuum.

Demetrii reſponſum.

℣. 35. uſque ad 41. Demetrius Rex, experientiâ edoctus, quanti intereſſet amicitiam Judæorum ex fide colere, legationem Simonis avidè excepit, & literas honoris ac benevolentiæ plenas Simoni, ad ejus mentem, ſcripſit, quæ hîc referuntur. Verſu 35. in Græco textu non tantùm habetur, Demetrius *reſpondit, & ſcripſit*, ſed etiam *miſit ἀπέστειλεν*, unde credibile eſt, miſſos viciſſim legatos à Demetrio ad Simonem, cùm verbum *ἀποστέλλω* id videatur indicare. Verſu 36. quod in textu noſtro habetur, *ſalutem*, formulâ ſalutandi in literis Latinâ, Græcè eſt *χαίρειν, gaudere*, formulâ Græca, quod etiam aliàs obſervavimus.

Bahem vel baines quid?

Verſu 37. *bahem*, Græcè eſt *βαΐνην, bainem.* Rabanus interpretatur, *ornamentum colli ex circulis aureis*, id eſt torquem: ex quo totidem verbis tranſcripſit

Digitized by Google

tranſcripſit Liranus; ſed ea interpretatio errore ipſius, an librariorum, adjuncta eſt ad *coronam*. Apud Vatablum & Sa *bahem* vel *bainen*, alii *torquem*, alii *ſmaragdum*, alii *baltheum* interpretantur. Optimè Serarius putat, fuiſſe *ramum palmæ*, vel palmarium quid; cùm βαὶς & βαΐον ſpadicem, ſeu ramum palmæ ſignificet. Unde apud Codinum Curopalatam, cap. 10. Feſtum Palmarum. Græcè vocatur ἑορτὴ βαΐων. Et vox iſta eo ipſo ſenſu uſurpatur infra verſu 51. Nam quod in noſtro textu habetur, *cum ramis palmarum*, Græcè eſt, μετὰ βαΐων.

Vox eſt è Græco deflexa.

Exiſtimârim, vocem Græcam βαΐον in Hebræum deflexam, quomodò quibuſdam aliis accidit; verbi, cauſſâ *ſanedrim* ex Græco συνέδριον: eâ voce in Hebræo ſuo textu uſum auctorem noſtrum Hagiographum; & interpretes Græcum ac Latinum mutare noluiſſe, ſeu *bahem* legere malueris, ſeu *bainen*. Miſſus ergo ſit ad Demetrium muneris loco, præter *coronam*, palmæ ramus, quaſi ad fælix augurium. At ore putâris, ut benè monet Salianus, arboris ſpadicem fuiſſe; ſed ramum aureum, qualem abhinc annos viginti Alcimus Demetrio hujus patri miſerat, videbitur ad lib. 2. c. 14. v. 4.

Quàm propensè pacem amplexus Demetrius?

Eodem verſu 37. quod ſcribit Demetrius *ſe paratum facere pacem magnam*, idem eſt, ac ſi dicat, paratum ſe, ſi hæc legatio ſtabiliendæ paci non ſufficiat, eam facere majori apparatu: *& ſcribere præpoſitis Regis, remittere vobis, quæ indulſimus*, Græcè, *& ſcribere præpoſitis negotiorum, ut remittant vobis remiſſiones:* quaſi dicat, ſi præpoſiti tributorum non acquieſcant legatis, ſe ad ipſoſmet ſcripturum, ut deſinant à Judæis tributa exigere. Verſu 38. *quæ conſtituimus, conſtant*, id eſt rata ſunt: intelligere videtur literas ad Laſthenem à ſe datas, cap. 11. verſ. 31. Verſu 39. remiſſio *ignorantiarum, & peccatorum*, eſt amneſtia, ſeu oblivio præteritorum omnium commiſſorum: *ignorantiæ* Hebraiſmo peccata dicuntur. De *coronâ*, quæ debebatur, vide cap. 10. verſ. 33. Verſu 40. de *aptis conſcribi*, inter Regios, vide eodem capite verſ. 36.

Annus reſtitutæ Judæis omnimodæ libertatis.

℣. 41. 42. Anno centesimo septuagesimo, ablatum est iugum Gentium ab Israel: id eſt, planè ſui juris fuère Judæi, ac priſtinæ libertati redditi, amicíque Regum Syriæ, non ſubditi: quandoquidem ab omni tributo ſint immunes: imò omnem in præſidia poteſtatem habeant, ſuprà verſu 38. Annum hunc renatæ libertatis, ad publicæ lætitiæ, ac gratitudinis erga Simonem ad poſteros perpetuam memoriam, *cæpit populus Iſrael ſcribere in tabulis, & geſtis publicis*; Græcè, *in ſyngraphis & contractibus*. Cæperunt ab illo anno novam temporum notam, & chronotaxin Judæi: ut quomodò Syro-Macedones à Seleuco Aſiatici regni conditore, Romani ab urbe condita annos numerabant, ita ipſi à reſtituta per Simonem libertate. Hoc anno igitur centeſimo ſeptuageſimo Græcorum inchoata iſta numerandi ratio, ſcriptumque, *Anno primo ſub Simone ſummo Sacerdote, magno duce & principe Judæorum:* Græcè, ἔτους πρώτου ἐπὶ σίμωνος ἀρχιερέως μεγάλου, καὶ στρατηγοῦ, καὶ ἡγουμένου ἰουδαίων: *anno primo ſub Simone principe ſacerdotum magno, & ductore exercituum, & duce Iudæorum:* pro quibus titulis Joſephus, meritò à Saliano ſuggillatus, ſolum repoſuit titulum, *Simonis ethnarchæ, optimè de gente ſuâ meriti*.

Gaza à Simone cur oppugnata?

℣. 43. uſque ad 49. Narratur obſidio & deditio Gazæ. Cauſſa ejus generatim innuitur verſu 46. ubi Gazenſes Simoni ſupplices dicunt, *Non reddas nobis ſecundùm malitias noſtras*. Quæ autem fuerint illæ malitiæ, colligi aliquomodò poteſt ex cap. 11. verſ. 61. & 62. ubi iidem Gazenſes, ſuccenſis à Jonatha ſuburbiis, fracti ſeſe ſubmiſère, obſideſque dedère. Cùm itaque nunc à Simone oppugnentur, proculdubio à morte Jonathæ, quaſi pactis ſoluti eſſent, Iudæis parere recuſabant, & idcircò bello petuntur ut rebelles.

Tempus obſidionis.

Tempus obſidionis, verbis illis deſignatum verſu 43. *in diebus illis*, colligendum eſt ex antecedentibus & conſequentibus. Certum eſt cæptam ſub tempus reſtitutæ libertatis, cùm eâ narratâ ſubdatur mox, *in diebus illis:* item dubitandum non eſt, quin perfecta fuerit ante deditam arcem Hieroſolymitanam, cujus tempus eſt infrà verſu 51. anni centeſimi ſeptuageſimi primi menſis alter. Hinc infertur, tempus obſeſſæ Gazæ fuiſſe ſub finem anni centeſimi ſeptuageſimi, forſan & initium ſequentis: aliquamdiu enim oppugnationem tenuiſſe, colligitur ex ipſo oppugnantium apparatu verſu 43.

Quomodò capta?

Modum obſidionis habes verſu 43 & 44. ubi nota, quod noſtra Vulgata habet, *fecit machinas*, Græcè eſſe, ἐποίησεν ἑλέπολιν, ſeu ἑλεπόλεις, *fecit machinam*, ſeu *machinas capiendæ urbi*. Una fuit præcipua, & magni operis machina, è qua Iudæi in civitatem tranſiliiſſe dicuntur verſu 44. Ea videtur fuiſſe turris lignea, rotis impoſita, quæ paullatim ad urbis mœnia admoveretur. Simili turri uſum Godefridum Bullonium in urbe Hieroſolymitana capienda, narrat Gulielmus Tyrius; erat frequens iſta expugnandarum urbium ratio, ante excogitata tormenta noſtra.

Quibus conditionibus?

Conditiones deditionis aliæ non fuerunt, quàm ut ſalvâ vitâ, forſan & rebus, cives migrarent, verſu 47. Quia tamen urbs oportuno admodum ſitu erat, propè à mari, & in extremis Palæſtinæ finibus Ægyptum versùs, ad torrentem Beſor, ſeu Nehelefcol & botri: eam idcircò habitatore vacuam eſſe Simon noluit, ſed *mundavit ædes, in quibus fuerant ſimulacra, & tum intravit in eam*, apparatu ſolenni, *cum hymnis benedicens Dominum*, auctorem victoriæ, cui omnia bona adſcribenda ſunt: *Et ejectâ ab eâ urbe omni immunditiâ* idololatriæ, ſi qua ſupererat poſt primam emundationem, *collocavit in ea viros, qui legem facerent*, id eſt Iudæos, aut proſelytos veri Dei cultores. Si qui igitur Gazenſes cives proſelyti fuère, aut ad Judaiſmum tranſire maluerunt, quàm patriâ excedere, non ejectos cum cæteris credibile eſt.

An Gazæ habitarit Simon?

Non contentus Simon urbem habitatoribus quaſi præſidio muniſſe, etiam *munivit* operibus, *& fecit ſibi habitationem*, quia eò ſæpiùs ob urbis nobilitatem & commoditatem excurſurus erat; non autem quod ibi eſſet fixurus domicilium: cùm ordinaria ſummi Pontificis habitatio Hieroſolymis eſſet. Vide infrà verſu penultimo & ultimo.

Tempus captæ arcis Hieroſolymitanæ.

℣. 49. uſque ad 58. Narratur læta arcis Hieroſolymitanæ deditio, & feſtus in eam Iudæorum ingreſſus. Inſederant illam infeſti Syro-Macedones ab anno centeſimo quadrageſimo quinto Græcorum, regnante Epiphane: quamquam & arcem antè Hieroſolymis fuiſſe, diximus ad cap. 1. v. 35. Tertius jam erat annus, ex quo *qui erant in arce Ieruſalem prohibebantur egredi* ex arce, *& ingredi* regionem Judaicam, *& emere ac vendere:* unde deficientibus alimentis *eſurierunt valdè, & multi ex eis fame perierunt*. Anno centeſimo ſexageſimo nono cæpti commeatu intercludi præſidiarii arcis ex conſilio Jonathæ: factum enim eo anno, colligitur ex ſerie rerum geſtarum. Anno centeſimo ſeptuageſimo conatus Tryphon alimenta inferre, &

nivibus prohibitus. *Anno* denique *centeſimo ſeptuageſimo primo*, ut verſu 51. habetur; Syri extrema paſſi coguntur ſeſe dedere. Annum itaque totum concluſi fuêre, ac præterea extremam partem præcedentis, & primam ſequentis.

Feſtus in eam ingreſſus.

Deditam arcem Simon mundandam curat *à contaminationibus* ſimulacrorum, carnium prohibitarum, aliisque, ut ex lege fieri debebat. Vide Levit. 14. &c. Deinde eam *intraverunt* Judæi *tertia & vigeſima die ſecundi menſis* Iiar, qui olim Zius dictus, & Lunæ Aprilis reſpondet: *cum laude & ramis palmarum*, inſignibus victoriæ eò nobilioris, quò minus cruentæ, *& cinyris* de quibus cap. 4. verſ. 54. *& cymbalis* noto inſtrumento, *& nablis*, νάβλαις. Nablarum ſeu nablorum aut nabliorum etiam mentio 1. Paral. 15. Inſtrumentum eſt, quod ſine inflatu ex utre aërem excipit, & ſonum reddit: 1. Paral. 15. verſ. 20. dicuntur *in nablis arcana cantari*: quâ locutione exiſtimem ſignificari obtuſiorem ejus inſtrumenti ſonum. Additæ inſtrumentis muſicis voces *in hymnis & canticis*. Cauſſa tanti gaudii erat, *quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſraël*: id eſt præſidiarius miles Syro-Macedonum ejectus, qui tot annis maximè Judæos, Templumque ipſum infeſtârat. Neque unius diei lætitia de tanto bono Judæi contenti, anniverſariam eſſe voluêre, v. 52.

Côſiliorum utilitas.

Obſerva primùm viros magnos, etiam mortuos, reipublicæ prodeſſe, non exemplo ſolùm aut memoriâ rectè factorum, ſed etiam conſiliis. Conſilium dederat Jonathas intercludendæ arcis c. 12. v. 36. id ſtatim executioni mandatum, eo captivo continuatum, mortuo ſervatum, ſaluberrimum fuit toti reipublicæ Judaïcæ.

Probanda deceſſorum conſilia.

Obſerva deinde in Simone modeſtiam ſapientis Principis. Videas aliquot, ubi in locum aliorum ſucceſſerunt, mutare omnia ab iis facta; nihil perficere velle, quod ipſi non cœperint; nihil alienorum probare: cùm tamen maximi interſit ad publicam utilitatem ac ſalutem, inſtare deceſſorum conſiliis, ſi recta ſunt: ne alias ex aliis mutationes fruſtretur effectus. Medicus ſi rectè inſtitutam ab alio curationem dedignabundus omittat, & vias novas ineat; corpus perturbabit, & ſanitatem differet. Tantumdem fecerint Principes, magiſtratus, conſiliatores, quos diligenter conſultis per alios, & prudenter proviſis, pudet inſiſtere. Simon itaque, *vir conſilii*, amplectitur & urget benè cœpta per fratrem: neque intereſſe putat, à ſe, an à Ionatha manarit conſilium, modò inde oriatur reipublicæ ſalus.

Gratiæ Deo de beneficiis.

Obſerva præterea lætitiam ſingularem Iudæorum de arce dedita, laudes Deo cantatas, gratiasque actas vocibus & inſtrumentis, anniverſariam præterea gratitudinis memoriam. Perpetua illa eſt in illuſtribus hiſce Heroïbus obſervatio, Deo omnia accepta referunt, & gratitudine pro acceptis beneficiis nova in dies promerentur.

In capta arce mortificatio appetitus adumbrata.

In hac arcis Hieroſolymitanæ obſidione, deditione, emundatione, feſto ingreſſu, adumbratur egregiè inteſtinorum noſtrorum hoſtium ſubjugatio, id eſt paſſionum, ſeu Appetitus ſenſitivi compreſſio ac mortificatio. Nihil inter bella ſpiritualia Appetitu immortificato, & indomito moleſtius: inſtar eſt præſidiariorum arcis, excurſionibus perpetuis ac motibus templum præſertim inſultat, id eſt rationem Deo deditam, in qua fidei templum erectum, & altare holocauſtorum. Neque unquam magis tumultuatur, quàm cùm orationibus ac ſacrificiis mens vacat: nam ex paſſionibus inquietis omnes ferè evagationes mentis, inter Deum precandum, oriuntur.

Nulla melior domandi appetitûs ratio, quàm quæ ad iſtos præſidiarios frangendos adhibita eſt: intercludatur commeatus, ſubtrahantur alimenta, id eſt materia & occaſiones peccandi. Cùm ſe rationi fractus malis dedere voluerit, detur illi dextera: neque enim paſſiones penitus exſcindi debent, aut poſſunt; ſi ſe victas agnoſcant & ſubmittant, amicè tractentur: non ſinendæ tamen ampliùs in arcem mentis introire.

Domandarum paſſionũ via certiſſima.

Agendæ Deo gratiæ de tam inſigni victoriâ; nihil enim abſque illius ope in paſſiones poſſumus: & pro lætiſſimo die habendus is, qui nos in perfectam libertatem filiorum Dei aſſeruit. Vox & inſtrumenta ad Dei laudes adhibeantur, id eſt omne agendarum gratiarum genus: nec ſe ab iis agendis excuſent, qui minùs in rerum divinarum uſu verſati ſunt. Nam hic ad laudes Dei à Simone, ac Iudæis, non doctæ ſolùm voces, aut cyniræ elegantes, & clarè ſonantia cymbala, ſed etiam ruſtica & obtuſa nabla adhibentur. Vult Deus ſibi ab omnibus gratias agi, nec quærit quàm eleganter, ſed quo affectu.

Laus Dei in victoriis ſpiritalibus.

℣. 53. Captâ & mundatâ arce, Simon *munivit montem Templi*, quomodò antè frater Iudas: ut etiam hîc advertas à Simone, viro conſilii, probari aliena conſilia. Græcè eſt προσωχύρωσε, id eſt *admunivit*, quo verbo ſignificatur addita prioribus munimentis alia à Simone. Dicitur mons Templi fuiſſe *ſecùs arcem*, παρὰ propè; quia arx erat in ipſo monte Sion, Templum in monte Moria: qui montes ita conjuncti erant, ut unus vocari poſſent; præſertim ex quo Salomon æquârat voraginem Mello, mediam inter utrumque. Intra munitiones ad Templum excitatas *habitavit ipſe* Simon, *& qui cum eo erant*, id eſt familiares ejus, & delecta manus militum, quæ ipſi eſſet inſtar cuſtodum corporis.

Probanda deceſſorum conſilia.

Joſephi varios errores hoc loco corrigit Salianus. Duplici contentus ero. Ait arcem à Simone ſolo æquatam: item continuato per triennium labore complanatum montem, cui erat inædificata. At primùm, de arcis deſtructione ne verbum quidem in Scriptura: imò oppoſitum manifeſtè colligitur, ex hoc loco, ubi dicitur arx mundata à contaminationibus: ex cap. 14. verſ. 7. ubi Simon *dominatur arcis*: ex eodem cap. verſ. 36. & 37. ubi civitate David & arce mundatâ, *collocavit* Simon *in ea viros Iudæos, ad tutamentum regionis*: ex cap. 15. v. 28. ubi quarto abhinc anno Antiochus Sidetes per Athenobium curat Iudæis dicendum, *Vos tenetis arcem, quæ eſt in Ieruſalem*; ergo deſtructa non erat, cùm à Iudæis teneretur, & repeteretur ab Aſiæ Rege, tamquam ſua.

Arx non fuit diruta per Simonem.

De complanato verò monte, cui arx inſidebat, mera Ioſephi vel vanitas, vel oſcitantia eſt: vanitas, ſi ad oſtentandas populi ſui opes, ut animos, id confinxit: oſcitantia, ſi putavit in Acra monte, cujus cacumen ab Aſſamonæis cæſum narrat lib. 6. de bello cap. 5. arcem Syrorum fuiſſe. Acra enim mons fuit in civitate inferiore: arcem verò Regum Aſiæ fuiſſe in civitate David, id eſt, in monte Sion, & urbe ſuperiore, omninò conſtat; quidquid contrà aliqui, etiam primæ notæ, Scriptores ſenſerint. Quis autem unquam auſit cogitare, montem Sion à Iudæis complanatum, qui ipſius Joſephi ætate, lib. 6. de bello cap. 6. toti civitati imminebat, in eóque erat caſtellum David? Meritò itaque Salianus miratur Serarium noſtrum, magnæ eruditionis ac judicii virum, hos Ioſephi errores ſecutum. Sed decepit ipſum primus error ſuus, & in alterum impulit.

Multò minùs complanatus eſt mons arcis.

Arx Syrorum fuit in civitate David. Quo ſitu?

Cap. 1. ad verſ. 35. notavimus, à Serario arcem Syrorum in inferiore civitate poni. Iſtam poſitionem ſecutus, facilè ſibi perſuaſit arcem dirutam, montiſque cacumen ita complanatum, ut Templo non immineret; quandoquidem de Acra monte ab Aſſamonæis depreſſo apud Joſephum habetur: quaſi idem eſſet mons Acra, & mons arcis Syrorum. Sed cùm Scriptura loco citato manifeſtè dicat, ædificatam fuiſſe à Syro-Macedonibus civitatem David, idémque repetat cap. 14. v. 36. ambigi non debet, quin arx iſta fuerit in ipſo monte Sion. Quod etiam ſtabilitur ex hoc capitis hujus verſu, ubi dicitur mons Templi fuiſſe *ſecus arcem*: fuit ergo arx in monte Sion, ſecùs quem erat Templum, non autem ſecùs Acram longiùs multò diſſitam. At in qua montis Sion parte arx ſteterit: neque enim totum, quantumvis magna foret, occupâſſe dicenda eſt? Quantum ex Scriptura ſimul & ratiocinatione conjicio, ſita eſſe debuit in medio monte Sion; ut anterior ejus porta Templi portam reſpiceret, & infeſtaret: poſtica verò ſpectaret Meridiem, & iter in Idumæam, unde per portam civitatis facilè commeatus præſidiariis poſſet inferri; quem Tryphon eâ viâ, per deſertum Judææ circumducto equitatu, videtur immittere voluiſſe.

Simon filium Joannem militiæ præficit, & urbi Gazæ.

℣. 54. Et vidit Simon Joannem filium suum, qui Hircanus poſtmodùm appellatus, Simoni in Principatu ſucceſſit: *quòd fortis prælii vir eſſet*, in Græco deſunt duæ voces *fortis prælii*, habeturque ſolùm *quòd vir eſt*. Significatur ea voce, *vir*, tum virilis ætas, tum virilis animus. Videns ergo Simon filium ſuum virum eſſe annis & animis, rebuſque gerendis parem, *poſuit eum ducem virtutum univerſarum*, præfecit eum copiis omnibus: quibus utique fidiſſimum hominem præponi oportebat, cùm à militia ſit rerumpublicarum præſentiſſima, vel ſalus, vel pernicies. Magis fidum autem filio neminem nanciſci poterat Simon: quem etiam locat in Gazenſi præſidio, ubi fides neceſſaria erat quàm maximè, in urbe opportuniſſima, & recèns ad Judæam adjectâ.

Gaza dicta etiam Gazara.

Et habitavit Joannes in Gazaris, id eſt Gazæ, urbe nuper à patre captâ, & habitationi ſuæ deſtinatâ: vide verſu 48. *Gazam*, aliàs *Gazaram*, ſeu *Gazara* dictam, patet ex cap. 14. v. 34. ubi habetur munitam à Simone *Gazaram, quæ eſt in finibus Azoti, in qua hoſtes anteà habitabant*. Ubi Gaza dicitur Azoto finitima, etſi Aſcaloni propior eſſet: ſed Azotus Aſcalone erat notior, ut benè advertit Salianus. Clarum igitur eſt hoc loco non poſſe intelligi Gazer, ſeu Gazaram, Leviticam urbem Ephraïticæ tribus, de qua cap. 4. verſ. 15. & c. 7. verſ. 45.

Principes paullatim regendo aſſueſiant.

Obſerva etiam hoc loco prudentiam Simonis. Cùm fratrum ſuorum nemo ſupereſſet, cui ſe mortuo Principatus poſſet committi, filium Joannem, ſe adhuc vivo, admovet ad res gerendas; ut paullatim idoneum toti Judææ regendæ Principem pararet. Et eum quidem copiis militaribus præficit; tum quia neceſſe erat, nondum benè ſtabilitâ republicâ, Principem rei militaris valdè ſcientem eſſe: tum quia non ignorabat, ad firmandum non ſolùm adversùs exteros, ſed etiam apud domeſticos Principatum, amorem militum plurimùm poſſe. Quare Simon filio ſuo præfecturâ exercitûs cedit, ut ſimul bellicam ſcientiam experientiâ diſcat, & animos militum conſuetudine ſibi devinciat.

Pueris magna munia non credantur, ne civilia quidem.

Notat prætereà Rabanus, prudenter à Simone electum ad res gerendas Joannem, cùm *vir eſſet*: inſigni ad poſteros documento, ne præficiantur adminiſtrationi rerum magnarum, niſi qui viri ſint. *Simon*, inquit, *Joanni filio ſuo cùm videret, quòd vir eſſet, ducatum virtutum univerſarum commiſit: ut oſtenderet, quòd nullus magiſtrorum filio, vel diſcipulo ſuo, debet committere poteſtatem, ac ordinem Eccleſiaſtici regiminis, niſi antea videat eum eſſe virum, hoc eſt ſenſu probatum, & virtutum operibus ſtudioſum.* Quod documentum à Rabano mutuatus Liranus, illuſtrare conatur, advocatâ ex Helynando neſcio quo hiſtoriâ Adriani Imperatoris: qui Senatui roganti, ut ipſe filium ſuum infantem Auguſtum nominaret, reſpondit, ſatis eſſe, quod ipſe invitus ad id faſtigium evectus ſit: tantum Principatum non nativitati dandum, ſed meritis. Verùm hiſtoria iſta Adriani nuſquam, quod ſciam, apud antiquos Scriptores reperitur: certè Ælius Spartianus non meminit. Affine aliquod habet Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio: ubi Marcus Antoninus Philoſophus Vero Collegæ, à quo de Caſſii ambitione monitus fuerat, reſcribens: *Quod dicis*, inquit, *liberis meis cavendum eſſe morte illius; planè liberi mei pereant, ſi magis amari merebitur Avidius, quam illi: & ſi reipublicæ expedit Caſſium vivere, quàm liberos Marci.*

Multò minus ſacra, & Pontificalia.

Si autem iſtud verum eſt etiam de civili Principatu, in quo puerilem Principis ætatem tutorum, vel miniſtrorum, prudentia compenſare poteſt, quantò magis in Principatu religioſo, id eſt Epiſcopali officio, cui præficiendi ſunt non pueri, ſed paſtores? Apud Spondanum anno 1246. Innocentius IV. Pontifex à Ferdinando Caſtellæ Rege rogatus, ut Philippum filium ſuum Epiſcopum Oxonienſem crearet, recuſavit, dicens, eam Eccleſiam non puero ſed paſtore egere. Longè ſapientior & ſanctior ille Pontifex Joannes X. qui apud Baronium tom. 10. anno 925. filium Heriberti Comitis quinquennem Rhemenſi Eccleſiæ præfecit.

De puerili in Regibus ætate, & quanta inde ſolita ſint in reſpublicas damna ingruere, nos ad cap. 6. v. 17. breviter in Eupatoris Antiochi exemplo oſtendimus: quo regnante cœpta Aſiatici regni extrema, per inteſtinas diſcordias ac civiles motus, inclinatio.

EXCURSUS MORALIS

Ad Capitis 13. *verſ.* 27. *&* 28. Ædificavit Simon ſuper ſepulcrum, *&c.* & ſtatuit ſeptem pyramidas.

Chriſti & Chriſtianorum reſurrectio, gaudium, pax.

SECTIO PRIMA.

Pyramides ſeptem ſupra Chriſti ſepulcrum erectæ.

I. An Simon peccârit magnificentiâ nimiâ?

NUSQUAM in Scriptura monumentum ullum, ſepeliendis Principibus, Regibúsve Hebræis, nobilius ſtructum legimus, quàm hoc Simonis. Imò cùm profanorum quorumvis tumulis magnificentiâ certare poſſe colliges, ſi partes ſingulas examinâris. Vir ſanctus, Sanctorum frater ac filius, quid ſibi tot ſumptibus in ſpeciem vanis ac prodigis voluit? Ut quid perditio hæc? Quorſum è mari ſpectari vult hærentem ſaxis memoriam ſuam ac ſuorum? Quantò ſatius erat à Deo ſpectari, & ab Angelis, qui erant in terrâ viventium, quàm à miſeris mortalibus inter hujus vitæ tempeſtates fluctuantibus? Non meminerat ſententiæ, per Iſaiam Dei verbis pronuntiatæ cap. 22. adversùs Sobnam, qui ſibi exciderat *ſepulcrum & memoriale diligenter?* Futurum, ut aſportetur quomodò *gallus gallinaceus*, mutetur quomodò *amictus*, projiciatur exilio ſicut *pila* in terram latam & ſpatioſam.

II. Laudati, qui modeſta epitaphia ſibi poſuêre.

Extollimus magnorum virorum modeſtiam, qui cùm ſibi magnifica ſepulcra ponere facilè potuiſſent, humilem locum elegêre. Patrum noſtrorum memoriâ D. Carolus Borromæus, omni laude major, antè quàm ad annum 1576 peſte infectis miniſtraret, teſtamento condito cavit, ut corpus ſuum ad gradus penetralis, quem Chorum vocamus, deponeretur, impoſito plano lapide ad libellam pavimenti, cum hac ſola inſcriptione: *Carolus Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiſcopus Mediolani, frequentibus Cleri, populíque, ac devoti fœminei ſexus, precibus ſe commendatum cupiens, hoc loco monumentum vivens elegit.* Brevius illo epitaphium ſibi antè ſcripſerat celeberrimi nominis Reginaldus Polus, in Cantuarienſi templo ſepultus, cum hoc ſolo elogio, *Depoſitum Cardinalis Poli:* ita Spond. ad an. 1558. Ferdinandus Nonnius Pincianus, è familia Guſmanica, totam vitam cælebs & abſtemius, legatâ Salmanticenſi Academiæ locupletiſſimâ bibliothecâ, cæteris facultatibus in pauperes erogatis, octogenario major moriens ad annum 1552, ne nomen quidem ſuum ſepulcro incîdi voluit, ſed hoc ſolum: *Maximum vitæ bonum, mors.* Ita Spond. Nota eſt inſcriptio priori Adriani VI. Pontificis monumento inſculpta, apud Spond. anno 1523. aliosque: *Adrianus VI. hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita, quàm quod imperaret, putavit.* Celebris eſt apud nos ex hiſtoriis Leodienſibus, & apud Baronium an. 954. Ratherius, ex Leodienſi & Veronenſi Epiſcopo ad privatam vitam devolutus, mirâ varietate fortunæ, qui ſepulcro ſuo id unum inſcribi juſſerat: *Conculcate pedes hominum ſal infatuatum.* Quàm aptè hîc Baronius invehatur in hodiernos epitaphiorum ſcriptores, ad vana facinora venditanda, titulorumque inanium pompam, vide ipſum tom. 11. an. 1004.

III. Excuſata Simonis magnificentia.

Laudetur omninò, ac meritò, Fidelium iſtorum aliorumque virtus, in ſpernenda tumulorum gloria: at non ideò vituperandus Simon, ſi aliter ſenſit, fecitque. Contraria à Sanctis fieri poſſunt, bono utrimque fine, ubi materia ex ſe mala non eſt. Primùm, gloriam ſuam ac familiæ ſuæ honeſtè ac moderatè curare potuit, ut in explicatione literali monuimus. Deinde, id non tam gloriæ ſuæ dedit, quàm gratitudini erga optimè meritos de republica Judaica parentes, ac fratres. Præterea Princeps erat & Pontifex Max. quos gradus magnificentia in ſumptuoſis operibus prudenter adhibita decet, ad conciliandam erga Principes reverentiam plebi exterioribus tangi ſolitæ: vide D. Thom. 2. 2. q. 134. ubi de hac virtute agit. Adde Hebræis ſpe Reſurrectionis curam magnam ſepeliendorum corporum fuiſſe: patet in Abrahamo, qui Gen. 23. quadringentis ſiclis locum emit ſepeliendo Saræ corpuſculo: in Jacobo qui in Palæſtinam corpus ſuum referri voluit, & Joſepho qui idem Gen. 50. ſeriò cavit: in Joſepho noſtro ab Arimathia, qui ſepulcrum ſibi vivens magnis impenſis exciderat: in ſanctis mulieribus, quæ tantâ liberalitate ſepulturæ Chriſti paraverunt aromata.

IV. Sepulcrum à Simone erectum Chriſti ſepulcrum adumbrat.

Denique dicamus, excitatam ab Simone molem, Dei peculiari impulſu, volentis, ut quomodò Judæ Machabæi certamina Chriſtum præliantem adumbrârant, ita Judæ ac ſuorum monumentum Chriſti monumento præiret. *Omnia* enim, ut loquitur Paulus 1. Cor. 10. *in figura contingebant illis.* In pingendo ac ſcribendo prototypon exemplaria ſequuntur: in ſacra Scriptura, & operibus Dei ad Incarnationem ſpectantibus, prototypon, etſi ideâ anteit exemplaribus, tempore tamen poſterius eſt. Cùm obverſi ad Solem ambulamus, umbræ ſequuntur, ob corpus interpoſitum luci: at priſcis illis Heroibus, ſpe & affectu ad Deum & Chriſtum ejus properantibus, umbræ ſuæ præcedunt.

V. Quàm editum & ſpectabile Chriſti ſepulcrum.

Ejuſmodi exemplar & umbra Simon fuit, annis circiter ante Chriſtum ſepulcrum quinque & ſeptuaginta ſupra centum, ſtructâ excelsâ mole, quæ ab ipſo uſque Mediterraneo mari ſpectaretur, impoſitiſque inſigni magnitudine & arte pyramidibus ſeptem. Chriſtus, Simon, vir Obediens qui victorias

victorias loquitur, qui factus obediens uſque ad mortem Crucis propterea exaltationem commeruit, tam honorificum ſepulcrum nactus eſt, tamque editum, & longè ſpectabile, ut totis antè ſæculis ſeptem viſum fuerit ab Iſaia, cap. 11. *Radix*, inquit, *Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum ejus glorioſum.* Tria paucis verbis de Chriſto, radicis Jeſſe præcipuo germine, vaticinia protulit: fore *ſignum populorum*, quod in Cruce peractum, ubi omne hominum genus affectionum ſuarum venenata ſpicula in illum, velut ſignum ac ſcopum, torsêre: futurum, ut *eum gentes deprecentur*, quod ſtatim à morte accidit, cùm percutientes pectora ſua revertebantur, & agnoſcebant filium Dei: *ſepulcrum* ejus fore *glorioſum*; non tam ob Joſephi viri nobilis pietatem, ob Helenæ Imperatricis in eo decorando magnificentiam, ob Fidelium erga illud venerationem, Infideliumque ipſorum Turcarum qui ſe ejus cuſtodes eſſe gloriantur, quàm ob Chriſti reſurrectionem, illuſtriáque miracula, quæ illud ſepulcris omnibus incomparabiliter ſpectabilios effecêre.

VI. Septem pyramides.

Septem pyramides Simon exſtruxit: ſeptem operum divinorum genera Chriſtus reſurgens produxit. Primum, eſt ipſa reſurrectio; alterum, animarum è lymbo liberatio: tertium, reſurrectio multorum: quartum, Chriſti egreſſus ſepulcro clauſo: quintum, terræ-motus: ſextum, apparitiones beatorum Angelorum: ſeptimum, Chriſti apparitio, eáque minimùm primo reſurrectionis die ſeptemgemina, ut vel inde ſeptem pyramidum expreſſam figuram habeamus. Nos è mari vitæ hujus illa ſpectemus, & aſpiremus ad portum beatæ æternitatis.

VII. Prima pyramis reſurrectio.

Pyramis prima eſt reſurrectio ipſa: in qua non tam attendo reſuſcitationem integri, & immortalis corporis, & quatuor dotibus glorioſis ornati. Iſta enim Beatorum omnium corporibus communia erunt, & mox ſectione altera oſtendendum venict. Attendo igitur potiſſimum iſtud miraculum, quod corpus mortuum, mortalia adhuc ſervans vulnera, tamen ſit immortale. Hæc potiſſima Chriſti, & perpetua de morte victoria eſt: eamque nî fallor, innuit Eccleſia, cùm canit, *Dux vitæ mortuus regnat vivus.* Cui unquam Imperatori corona ante certamen, triumphus ante victoriam decretus eſt? Uni hoc ſummo duci Chriſto contigit, de quo Apoc 6. *Data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Coronam beatitudinis accepit ejus anima ab inſtanti Incarnationis, ob unionem hypoſtaticam, & *exivit* in mundum *vincens* omne hoſtium genus toto vitæ tempore, *ut vinceret* præſertim extremo die decretorii certaminis. Irruentes in eum vidimus metus, triſtitiam, contumeliarum genus omne, paupertatis dedecus, dolores internos, & externos. Ejus confuſæ aciei, duces fuêre, Inferi & Peccatum: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Non audebat *poteſtas tenebrarum* oculos caligantes conjicere in iſtum juſtitiæ ac fortitudinis Solem; qui toties dæmones abegerat, fateri coactus, *quia filius Dei es.* Peccato nihil adversùs innocentiſſimum licebat, fidentérque provocantem hoſtes quoſlibet ſolemnibus verbis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Inferi & Peccatum Morti fæderantur, ut Vitæ auctorem aggredi poſſint: & en funeſtum illum equitem Apoc. 6. *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi Mors, & Infernus ſequebatur eum.* Peccato Mors inſidet, Infernum habet aſſeclam, cum Chriſto in Calvariâ concurrit, vinculum aureum animæ & corporis diſſecat: animâ ad limbum deſcendente, corpus in ſepulcrum includitur, velut mortis ſpolium ac trophæum.

VIII. Mira Chriſti de morte victoria.

Sed ne victum à morte exiſtimes, qui morti ſuccubuit, redi perendie ad certaminis locum. Quæ vivum ſuperaſſe videbatur, à mortuo proſternitur: *Mors & Vita duello conflixére mirando. Dux vitæ mortuus regnat vivus.* Sanguinis aliarumque partium quidquid in integritatem corporis neceſſarium erat, momento collectum venis frigidis infunditur, locisque ſuis adaptatur. Animâ intrante vivum exſurgit corpus, & in ipſo throno ſuo Mortem pedibus illis adhuc pertuſis, vulneraque hiantia ſervantibus proculcat. Mirum prorſus duellum, & hac potiſſimùm in re, ſupra cætera miracula reſurrectionis, admirandum: quòd Chriſti corpus, non mortis modò ſemina ſervans, quomodo nos cùm reſurrexerimus, verùm etiam quinque minimùm lethalia vulnera, ſit tamen immortale, perpetuâ de morte victoriâ ſimul & tropæo. O invictiſſime ducum: *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine?* An Samſon ſeu parvus Sol, figura Solis hodie de tenebroſo ſepulcro orientis, qui concuſſis columnis theatri cædibus hoſtilibus immortuus eſt? An generoſus Eleazarus Machabæi frater confoſſæ ac collabentis belluæ mole obtritus, ac ſuo ſepultus triumpho? Sed illi cum hoſtibus proſtratis jacuêre: tu jacens ſtantem dejicis, mortuus reviviſcis, inclamáſque illud tui ſolius, 1. Cor. 15. *Ubi eſt mors victoria tua, ubi eſt mors ſtimulus tuus?*

IX. Altera pyramis Beatitudo animarum in limbo.

Accinamus Chriſto victori, aut pro nobis gratiori voce canant beatæ Sanctorum animæ, è limbo eductæ, comiteſque primogeniti mortuorum: *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt; equum*, Peccatum, *& aſcenſorem ejus* mortem, *projecit in mare* ſanguinis ſui, illud per acerbiſſimam Paſſionem, hanc per glorioſam Reſurrectionem. Priſcorum fabula eſt, Phœnici redivivo ad Solis urbem revolanti aves cæteras occurrere, velut gratulabundas. Phœnici Chriſto animæ priſcorum Heroum, verè cæli volucres, quæ fide & ſpe beatæ æternitatis adhuc vixêre, gratulantur reſurrectionem ſuam. Nehemias 2. Machab. 1. è puteo ubi ignis ſacer, ante Templi ruinam abditus fuerat, educit lutum refulgente Sole, ex luto illo lignis aſperſo, ignis magnus accenditur. In limbi puteo animæ jacebant in tenebris: at *ubi refulſit Sol, qui erat in nubilo* tempore Paſſionis, poſtquam oriri cæpit in ſepulcro, tunc ſplendor luminis gloriæ, lux gaudii æterni, flammæ amoris beatifici univerſas corripuêre.

X. Fueritne limbus.

Sed quærat incredulus aliquis: verúmne eſt ergo limbum fuiſſe, & in eo incluſas pias animas, Chriſtumque eò iviſſe? Petendum ab illis; verúmne ſit quod Chriſtus dixit Matth. 12. ſe fore in corde terræ: quod autem illud cor? Verúmne, quod Apoſtolus Paullus Eph. c. 4. ait, Chriſtum deſcendiſſe *in inferiores partes terræ?* Quæ illæ ſunt? Verúmne, quod Petrus Act. 2. concionatus eſt, Chriſtum, *ſolutis doloribus inferni*, ad vitam reverti ſſe? Verúmne, quod idem ſcripſit 1. 2. Chriſtum venientem prædicâſſe his *qui in carcere erant ſpiritibus?* Verúmne, quod ab Apoſtolorum ætate Eccleſia credit, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos.

XI. An Chriſtus damnatorum tormenta paſſus?

Scio Novatores, ut id Symboli caput de limbo non cogantur interpretari, ad damnationem Chriſti confugere: ejúſque damnationis rationem inſulſiſſimam confingere, quòd Chriſtum oportuerit, ad redimendum damnationis noſtræ ſupplicium, debita criminibus noſtris tormenta ſuſtinere.

Sed

Sed abſonum eſt, ſatisfactionem Chriſti, quæ ex patientis dignitate meritum ac pretium ſumit, ad ſuppliciorum magnitudinem conferre, quaſi ea ſatisfaciendo neceſſaria fuerint. Explodenda itaque ſententia Novatorum, & ſententiæ ratio; retinendáque conſtantiſſimè Catholica ſymboli explicatio de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos, id eſt, ad Patrum limbum, pro Sanctorum illic lucem exſpectantium fælicitate.

XII. An omnes animas è Purgatorio liberârit? An aliquas ex inferis?

Quæritur, an ad augendam diei lætitiam Chriſtus animas omnes de Purgatorio liberârit? Diſputat D. Thomas part. 3. q. 52. a. 8. & negat: alii tamen exiſtimant, dandum id communi gaudio Univerſi, nec valida eſſe admodùm in contrarium argumenta. Diſputat quæſt. eâdem, art. 6. an damnatos aliquos liberârit? Affirmat prorſus nullos. Quid ergo faciamus hiſtoriâ Anaſtaſii Nyſſeni, quam Nicetas non neglexit, relatiſque indignam non putavit Salmeron tract. 50. de Paſſione? Idem, opinor, quod de Trajano per D. Gregorii orationes ab inferis liberato: quam narrationem vanam eſſe, multis oſtendit Bar. an. 604.

XIII. Pyramis ſexta, reſurrectio multorum cum Chriſto.

Reſurrectione corporum aucta eſt animarum lætitia. Dubitari enim non poteſt, quin id non paucis contigerit, ex Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt, & apparuerunt multis.* Id licèt poſt Chriſti mortem Evangeliſta referat anticipata narratione: conſignare tamen oportet tempori reſurrectionis; niſi parum conſentaneè velimus, ſervos ante dominum, captivos ante liberatorem, & fælicitate impertiendos ante beatitudinis largitorem reſurrectionis gloriâ donatos. Olim Rex, pro ſæculorum Francicorum moribus, filium ſuum poſt militare aliquod facinus equeſtri balteo donare ſolebat, & ad pompæ celebritatem alios ſimul equites creare. Militiæ in Calvaria fortiſſimè actæ præmium hodie Chriſtus accipit, glorioſam corporis reſurrectionem: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam:* ut auguſtior ſit ac lætior pompa, adduntur etiam alii comites. Quæri ſolet, quinam ii potiſſimùm fuerint? Maximè credibile eſt Adamum, Abelem, Noemum, Abrahamum, Iſaacum, Moſen, Davidem, Iſaiam, alióſque inſignis fidei viros, quorum jam diu corpora ſepulta jacuerant. Additur communiter D. Joſephus, cujus reliquiæ nuſquam viſuntur. Addiderim & ego lubens, ſeptem Machabæos Martyres, quos Mater ſpe reſurrectionis præſertim adversùs horrendam carnificinam animavit. Senem item Eleazarum: Mathathiam: Judam Machabæum: denique præcurſorem Chriſti Joannem Baptiſtam. Si dixeris, ſepulcrum Mathathiæ & Judæ Machabæi ſuperfuiſſe longè poſt Chriſtum: reſpondebo idem ac de ſepulcro Davidis, quod D. Petrus, Act. 2, dicit eſſe *apud nos uſque in hodiernum diem.* Potuit ſcilicet tunc ſupereſſe ſepulcrum, etſi corpus non ampliùs contineretur. Si urſeris reliquias ſeptem Machabæorum Martyrum haberi Coloniæ, & variis locis D. Joannis Baptiſtæ: reſpondebit Salm. tract. 47. de Paſſ. cos iterum mortuos.

XIV. Quarta pyramis, exitus ſepulcro clauſo.

Sed quidquid ſit ejus rei: Quartum reſurgentis Chriſti miraculum attendamus; corporis denſi, naturamque non mutantis, de ſepulcro occluſo exitum, trans ſpiſſam rupem, aut per molem lapideam oſtio monumenti objectam. 2. Machab. 2. Jeremias Arcam cum tabernaculo, & altari incenſi, infert in ſpeluncam rupis, eamque obſtruit; ac prædicit fore, ut manifeſtentur quando *congregationem populi* Deus congregavit: id eſt, ut vulgò interpretamur, ad Judicii diem. Chriſti corpus Arca teſtamenti, tabernaculum fœderis, altare in quo anima Chriſti ſe totam Deo adolevit, rupi incluſa, inde erumpit in die Miſericordiæ. Sed verène clauſo ſepulcro exiit? Evangeliſtæ disertè non exprimunt: ex ordine tamen narrationis ſatis manifeſtè colligitur; & ſic intellexêre, Chryſoſt. Nyſſ. Nanz. Epiph. Hier. aliique, qui unanimi conſenſu affirmant, revolutionem lapidis per Angelum factam poſteriùs reſurrectione, & egreſſu Chriſti de tumulo.

Ut citra intolerandæ temeritatis notam id dehinc nemo negare audeat: negârit antehac nemo, niſi quibus nova fingendi, & veteribus contradicendi immanis libido eſt. Ita de ingreſſu Chriſti ſuſcitati in cœnaculum, qui huic de ſepulcro egreſſui ſimilis eſt, philoſophati ſunt Novatores. Primus Vermilius dicit ingreſſum per feneſtram: Calvinus honeſtiùs ei totas fores pandit: Zuingliani dicunt per rimam ingreſſum, alii per fumarium, apud Spond. an. 1547. Similia dixerint de exitu ex ſepulcro. Sed unum contra illos audiamus Aug. ſerm. 138. de Temp. *Judæi perfidi lapidem monumenti ſignaverunt, ut non haberet Chriſtus egreſſum. Feſellit cuſtodes, exilivit de ſepulcro, apparuit diſcipulis januis non apertis: inde clauſus exiit, huc excluſus intravit.* XV. Quàm temerè id negetur.

Si imbecillus intellectus objiciat, quomodò, quantitate manente & extenſione partium corporis, abſit tamen effectus neceſſarius impenetrabilitas: reſponde non eſſe id difficilius conceptu, quàm quomodò qualitate manente abſit qualitatis effectus: ignis, calidus licèt, non urat; aqua, liquida licèt non fluat, ferrum, grave licèt, enatet. Afferet Rupertus celebrem hiſtoriam, ſub Abbate Berengero, Laurentiani monachi ea de re dubitantis, cui cingulum ſuum nodo integro ante pedes concidit, voxque audita: *Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulcro.* Accepit Rupertus ex ore monachi ipſius, cui res accidit: vide libro 8. de Officiis div. cap. 4. Ubi adjungit ſimilem ex Auguſtino hiſtoriam 22. de Civit. cap. 8. de annulo, quem amuleti vice Chriſtiana matrona non ſatis Chriſtianè geſtabat; intacto trans intactum nodum, planéque integrum, in terram elapſo.

Egreſſui Chriſti miraculum acceſſit magnus terræ-motus, non aliâ cauſâ, quàm ſupra naturam. XVI. Pyramis quinta, terræ-motus ſupra naturalis.

Neque enim aut venti intra viſcera tam parvæ cavernæ luctabantur: neque ignes ſubterranei exitum quærebant: quæ cauſſæ ſunt terræ-motus naturales. Neque ea ſucuſſio revolutioni lapidis per Angelum factæ tribuenda eſt. Etſi enim lapis revolutus eſt ſimul cum terræ-motu; non ideò tamen iſta revolutione excitatus eſt *motus magnus*, excitarive potuit: cùm lapis longus tantùm ac latus eſſet octonos pedes, quantum videlicet erat os ſpeluncæ, cumque in plano ad montis radicem devolveretur. Adde ab Evangeliſta ſubindicari, ſucuſſionem terræ revolutioni lapidis præiviſſe, quando illam huic narratione præmittit: *terræ-motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cœlo.*

XVII. Figurabat motum Univerſi.

Juda Machabæo, 1. Mach. 6. ſelectam manum ducente adversùs Eupatorem, innumeris copiis ſtipatum: *commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, & inceſſu turbæ, & colliſione armorum.* Dum victor Chriſtus ſuperatis inferis noviſſimè inimicam deſtruit mortem, & ex ſepulcro mortui tumulum facit Mortis ipſius; tellus omnis aut horrore mutatæ naturæ concutitur, aut gaudio reſtitutæ in integrum ac reformatæ ſubſultat. *Deus cùm egredereris* de ſepulcro, *in conſpectu populi tui*, electarum fideliumque animarum: *cùm*

pertranſires

pertranſires in deſerto, in ſepulcro, ubi homo ab omnibus deſeritur, ſolitudo & ſiccitas mera eſt, vivum nihil, niſi qualia in deſertis locis animalia: *terra mota eſt*, gaudio ac ſtudio gratulandi: *etenim cæli diſtillaverunt à facie Dei Sinai*, imbre gratiarum ac ſolatiorum in amicos tuos depluente, dum terrificis fulminibus hoſtes exanimati *ſunt*, & *facti velut mortui*. Quid ſi de hoc prodigio etiam Habacuc cap. 3. præcinuit? *Cornua in manibus* Chriſti, *ibi abſcondita eſt fortitudo ejus*: id eſt brachia Crucis Salvator amplexus eſt, prælii victoriæque ſuæ inſtrumentum, quomodò Tertullianus explicat. *Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus*: hoc certè veriſſimum fuit in Paſſione, quando *mortem noſtram* vitæ auctor *moriendo deſtruxit*. Deinde *Stetit*, & *menſus eſt terram*, quando anima corpore ſoluta ad limbum penetravit in ima terræ, ſive ad cor ejus, ut loquitur Chriſtus, id eſt cava centri. *Aſpexit* juſtos, *& diſſolvit gentes*, id eſt damnatos; illis lætitiæ nuntius & auctor; his terribilis judex. *Contriti ſunt montes ſæculi, incurvati ſunt colles mundi*: annoſæ rupes, & celebrium montium Solymæorum cacumina contremuêre, *ab itineribus æternitatis ejus*; excitato Chriſti corpore ad beatam æternitatem, numquam ampliùs morituro.

XVIII. Sexta pyramis, Angelorum apparitiones.

Quò magis terra ac terreni homines contremiſcant, *Angelus acceſſit, & revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum*, fulgurante vultu. Inſoliti luminis aſpectu ſimul ac ſoli ſuccuſſione, & ſaxi ingentis motu perterriti cuſtodes diffugêre. Quis inde universâ Hieroſolymitana civitate motus animorum? Qui ſermones, quæ concurſationes in magna aliqua urbe hodie forent, ſi ejuſmodi quidpiam accideret, ac repentè pateret conſimilibus prodigiis celebre nominati viri ſepulcrum? Acceſſêre primo Angelo alii, *ut in ore duorum vel trium* Angelicorum *teſtium ſtet omne verbum*. Quæſtiones de numero & ſitu Angelorum apud Evangeliorum interpretes legendæ ſunt, & nos infrà ſect. 4. indicabimus. Angeli duo 2. Mach. 10. ſtipantes Judæ pugnantis latera, *in adverſarios tela & fulmina jaciebant*. Et 2. Mach. 11. Machabæo in Lyſiam ducente, *Apparuit præcedens eques in veſte candida, aureis armis haſtam vibrans*. Reſurgentis Chriſti dies, victoriæ & pacis tempus eſt: veniunt inermes Angeli; & quamvis fulguret vultus adversùs impios ſepulcri cuſtodes, albæ tamen veſtes gaudii ſymbolum præferunt, & voces iſtæ piis matronis animandis lætitiam ſonant: *Nolite expaveſcere, nolite timere vos*. Angelorum nato Chriſto canticum fuit, *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis*. Renato per reſurrectionem corpore Chriſti, & ex terræ communis matris viſceribus erumpente, Angeli gloriam dant Chriſto *in excelſis, ſurrexit, non eſt hic*; pacem accinunt *hominibus bonæ voluntatis*, imò optimæ voluntatis matronas ſecuras eſſe jubent poſito metu.

XIX. Pyramis ſeptima, aut ſeptemgemina, Chriſti apparitiones.

Dum Angeli ſanctas mulieres ſolantur apparitione & allocutione jucundâ, apparere etiam Chriſtus incipit amicorum præcipuis. Septem omninò Chriſti apparitiones ipſo primo reſurrectionis die invenio. Dubitare pius nemo poſſit, quin ſtatim è ſepulcro ad Divam matrem adierit. Si contumaciter aliquis impudens negârit, agi contra illum poteſt ex tract. 11. Salmeronis de Reſurrectione. Altera apparitio facilè poſt horas duas facta eſt Mariæ Magdalenæ. 3. Fœminis aliis ſecundâ vice revertentibus Hieroſolymam. 4. Petro: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Ubi notandum, neque obiter, de Reſurrectione mulieribus, quantumvis Sanctis ac multis, fidem non habitam: Simoni uni tamen fidem haberi, quia Vicarius Chriſti, & articulorum fidei conditor ac declarator deſignatus erat, & jam tunc abſente Chriſto erat Eccleſiæ caput. 5. Jacobo fratri Domini: ei apparuiſſe conſtat ex Paullo, 1. Cor. 15. Ipſo die apparuiſſe narrat ex Nazaræorum Evangelio Hieronymus, approbatque, cùm non rejiciat. Vide Salm. & Bar. 6. Poſt meridiem diſcipulis duobus euntibus in Emmaüs. 7. Apoſtolis decem Thoma abſente, cum ſerò eſſet. Poſſet addi octava de Joſepho ab Arimathiâ, quam Salmeron recitat. Sed apocryphis opus non eſt, quando ſeptem habemus certiſſimas, quas celſarum pyramidum inſtar eminùs conſpicere poſſumus, & ad eas navigationem noſtram flectere, dum Imperator noſter in portu eſt.

XX. Apparitio æterna Chriſti.

Taceo alias quinque illuſtriſſimas apparitiones Chriſti: octavo die Apoſtolis undecim: tum ad mare Tiberiadis: dein in monte Galilææ: poſt die Aſcenſionis: denique S. Paullo. Adjicere liceat, quâ *viſus eſt quingentis fratribus ſimul*: & deinceps in Eccleſiaſticis hiſtoriis innumeras; quæ omnes velut prænuntiæ antecurrunt magnæ illi, æternæ, & numquam variandæ apparitioni, in clariſſimo die gloriæ, ubi & nos apparituros ſpero. *Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra*, inquit Paullus ad Col. 3. *tunc & vos apparebitis*, ipſi Chriſto, & invicem, *cum ipſo in gloriâ*. Verùm ut ea nobis ſuprema fælicitas aliquando contingat: allaboremus Reſurrectioni Chriſti in cordibus noſtris: Reſuſcitemus, quomodo loquitur Paullus 2. Tim. 1. gratiam Dei quæ eſt in nobis: & ut demonſtremus verè ſurrexiſſe, faciamus in nobis Chriſtus appareat: dicaturque *Surrexit Dominus verè & apparuit*.

XXI. Apparitio Chriſti in nobis.

Excelſa Paulli vox fuit ad Gal. 2. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Non vivit ampliùs, inquit, Paullus ille perſecutor Eccleſiæ, ille ſpirans minarum ac cædis, ille plenus irarum & vindictæ: ſed Chriſtus anima mea eſt; ejus caritate, patientiâ, manſuetudine ſpiro, beneficus erga inimicos, gratus erga amicos: non præceps ad condemnandum, non proclivis ad diffidendum; ſed auctor pacis, & procurator caritatis, ad mentes omnium communi vinculo colligandas, & Chriſto paſſo ac reſurgenti jungendas. O dignam Chriſtiano vocem, hoc præſertim reſurrectionis ac vitæ tempore: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in Chriſtus!* Si antè mortuus eram, jam in me gratia Dei excitata eſt. Vivit in me patiens ille ac benignus Salvator: in me inimicos amplectitur, & pro illis orat: in me neceſſarios colit, matrem amat, parentes reveretur: in me triſtitiam amicorum ſublevat: in me Petrum, Magdalenam, Thomam, diſcipulos inconſtantes & infideles non deſpicit: in me ſapienter loquitur, audit prudenter, agit ſuaviter, converſatur honeſtè, cogitat amanter, amat Chriſtianè.

XXII. A Chriſti auxilio.

Longè quidem iſthæc, ô Chriſte, vermiculi vires exſuperant cujuſmodi ego ſum: at non ſunt ſupra potentiam auxilii & efficacitatem gratiæ tuæ. Invicte peccati debellator, fortiſſime inferorum domitor, auguſtiſſime mortis triumphator, qui infirmos roboras, & puſillanimes excitas, fulci ſubſidio tuo debilitatem meam. Tu, Deus homo factus, imò *vermis & non homo*, ut nos homines veros ac Deos faceres: hoc prodigiorum die, adjice & iſtud ad cætera; fac deinceps vitam ſani &

Chriſtiani hominis vivam, ac mortem moriar. *Tu nobis victor Rex miſerere.*

SECTIO SECUNDA.

Eriguntur pyramides ſeptem ad ſingula Chriſtianorum piè mortuorum ſepulcra.

I. Reſurrectionis noſtræ cauſſa efficiens & finalis.

MIRANDI illius operis, quod reſurrectionem mortuorum vocamus; & de quo, quatenus uſquam de alio, dici poteſt, *Beati, qui non viderunt, & crediderunt:* ejus ergo rei prodigioſæ cauſſas totidem, quot cæterarum, aſſignamus. Efficiens unica Chriſtus eſt, quà Deus: naturæ ad tantum effectum vis alia potentiáve nulla, niſi quam obedientialem dicimus. Imitari quidem quotannis reſurrectionem conatur, verno præſertim ac Paſchali tempore per tenuem renaſcentium plantarum umbram & imaginem: at res ipſa omnipotentiæ ſoli divinæ, *cui omnia* quantumvis præmortua *vivunt*, ſervata eſt. Prætereà Chriſtus, quà homo, reſurrectionis cauſſa eſt efficiens moraliter, ut loquimur: quia virtutum ſuarum pretio id eximium opus à Deo promeritus eſt, & ſibi, & aliis. Idem de fine atque de efficientia dixero: Chriſtum ſcilicet tum quà Deum, tum quà hominem, quemadmodùm efficientem eſſe, ita & finalem cauſſam reſurrectionis noſtræ ad beatam immortalitatem. Deus enim omnia neceſſariò propter ſemetipſum operatur: adeóque in iſto etiam opere gloriam ſuam ſpectabit, addetque pro cumulo honorificam & reverentiæ plenam ſocietatem, quam corpora Beatorum, genu in nomine JESU flectentia, exhibebunt.

II. Forma reſurrectionis

Reſurrectionis noſtræ cauſſam formalem eamdem eſſe oportet, ac vitæ. Vivet corpus vitam perennem vegetante anima, quomodò anteà mortalem vixit; ſed qualitatibus longè diverſis, ad Chriſti reſurgentis exemplum. Itaque Chriſtus non efficiens modò ac finalis cauſſa reſurrectionis noſtræ dici poſſet, ſed etiam formalis: cùm exemplum, ad quod res aptatur, formæ inſtar habeat. *Reformabit*, inquit Paullus, Phil. 3. *corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Eleganter item à Paullo 1. Cor. 15. Chriſtus vocatur, *Primitiæ dormientium;* & à Joanne Apoc. 1. *Primogenitus mortuorum*: non tantùm qui primus omnium ad beatam immortalitatem ſurrexit; cæteris, qui anteà revixêre, iterum mortuis: ſed maximè, quia ipſius reſurrectio idea eſt & prototypon noſtræ. Eadem igitur prodigia Chriſti ac Beatorum reſurrectioni tribuenda ſunt: ut eadem ſit prototypi atque exemplarium forma.

III. Septem miracula reſurrectionis noſtræ.

Ad ſeptenarium ea miracula confero: prorſus ut quocumque loco mori nos aut ſepeliri contingat; in pulvere, an in fluctibus; domi, an peregrè; in mauſolæo, an in fimeto; in templis, an in cœmeteriis: de tumulo tamen noſtro pronuntiari queat, *Erit ſepulcrum ejus glorioſum:* pyramidéſque ſeptenæ imponi poſſint, diutiùs longè Judaicis hiſce, priſcíſque Ægyptiacis, manſuræ. Eſto enim illæ ad ætatem uſque Hieronymi perdurârint; quomodò ipſe indicare, in Commentariis noſtris ad hunc locum, videbatur. Pharaonicarum etiamnum fundamenta viſantur: indéque ad medicinæ uſum petantur condita aromatibus cadavera. Finem tamen opera quælibet ante judicii diem, ut tardiſſimè, in præcurſore incendio invenient. At miraculis corporum beatorum non alius erit, quàm æternitati, terminus.

IV. Miraculum primum, materia reſurrectionis

Primum eſto ipſa reſurrectionis noſtræ, eadem quæ vitæ, materia. Idem omninò corpus, eoſdem artus, idem ſpiritus implebit & reget. Eutychii Conſtantinopolitani error fuit: corpora quædam aërea & cæleſtia animabus beatis redditum iri, non hæc craſſa & terrenis ſordibus concreta. Exagitat eum errorem Gregorius lib. 14. Moral. cap. 29. & retractavit Eutychius ipſe moribundus, apprehenſa manûs pelle repetens identidem, *Confiteor, quia omnes in hac carne reſurgemus*: amicis Gregorii, tunc etiam ægrotantis, ſanctam ac generoſam retractationem ſpectantibus, & audientibus. Alter error Durandi fuit, qui eamdem corporibus noſtris materiam non redituram ajebat, ſed figuram ſolùm, formámque. Vide, ſi lubet, Salmer. tract. 5. de Reſurrect. Errorem utrumque damnavit Eccleſia; prædamnavit Chriſtus, eodem prorſus corpore, & materiâ corporis eâdem ſuſcitatâ, quam triduo antè habuerat. Ne quis dubitet, non cicatrices modò ſervavit, ſed vulnera: eáque Apoſtolis oſtendit, primâ receptæ vitæ die, octavâ; dubitanti Thomæ palpanda obtulit.

V. Eadem, poſt longas ac varias mutationes.

Eò tamen majori naturæ ſtupore corpora noſtra exſurgent: quod Chriſti corpus ineunte die tertio, putredine adhuc nulla afflatum revixit: noſtra poſt longos ſæculorum lapſus, transformationéſque innumeras ac diſſectiones, ad priſtinam ſpeciem excitabuntur. Sepulcris ſuis mortales inſcribunt, *Hic jacet*: de Chriſti tumulo dixerunt immortales, *Non eſt hic.* Idem nobis olim eſſe poterit titulus ſepulcri. Contuſum grandine lapidum corpus Protomartyris Stephani honorifico funere extuliſtis, magnifico conditorio incluſiſtis, ô Apoſtoli. Erit, cùm dicetur, *Non eſt hic.* Evexiſtis Angeli Catharinæ depoſitum in montem Sinai: Paulli & Mariæ Ægyptiacæ corpuſculo tumulando leones foſſores adhibuiſtis. Dicetur aliquando, *Non eſt hic.* D. Ludovici corpus marmoreâ ſubſtructione quondam oneratum, jam pretioſis thecis incluſum eſt: Erardi Marcani cineres premit elegantiſſimi operis cuprea tumba inaurata. Et de illis dicetur, *Non eſt hic.* Tyranne, beſtiis objeciſti Martyrum membra, uſſiſti, in Gemonias traxiſti, in mare dejeciſti, in torrentes provolviſti, in ventos ſparſiſti. De ſingulis pariter pronuntiabitur, *Non eſt hic.* *Dedit mare mortuos ſuos*, inquit Joannes Apoc. 20. dedit terra, dedêre miſta, dedêre elementa. Depoſiti enim erant potiùs cineres, quàm ſepulti: ex fide ſervati, reddentur ad diem; cùm, qui depoſuit, repetet.

VI. Corporum integritas, pyramis ſecunda.

Lex depoſiti eſt, ut depoſitarius uſu ſuo deterius non efficiat depoſitum: ſi ſic ex lege facturus eſt, utatur licet ex benigni & commodi depoſitoris voluntate. Terram, mare, ignes, plantas, piſces, feras corporibus Fidelium uti Deus non prohibet: quia uſu deteriora non fient, & in tempore redhibebuntur, non integra ſolùm, ſed meliora. Fidejubet ipſe, & pro primo auctore ac depoſitario haberi vult. Cutem capiti detrahe, cruente carnifex, calvariam denuda, manus pedéſque articulatim detrunca, artus in ſartagine confrige, inquit Martyrum unus, 2. Macb. 7. iſta equidem redivivo integra reddentur. Fac diſſectum ſerra caput, ſaxis commolitum, minutim conſciſſum, ut Iſaïæ, Zachariæ, Staniſlai: illorum tamen denique nihil periçrit. Reſtituentur in integrum omnia, citra ullum ordinis aut formæ vitium: qua

de re

de re Auguſtinum conſulere poteris Enchiridii cap. 84. uſque ad 92. ubi de monſtroſorum fœtuum, geminorum, infantium, mutilorum, truncorum reſurrectione, aliiſque ejuſmodi diſſerit. O quàm fidelem ſponſorem, quàm vigilem ac diligentem primarium depoſitarium habemus: qui non deteri modò depoſitum uſu non patitur, ſed longè melius depoſitori redhibet! Quid ſi Paullus 2. Tim. 1. in iſtud intuebatur, cùm de Chriſto dicebat, *Scio, cui credidi, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus judex*: nec ſervare solùm, quomodò minam aut talentum piger negotiator; ſed ut fidelis ſervus auctum multiplici lucro reſtituere.

VII. *Ex ſomno mortis vegetiora Sanctorum corpora.*

Varias ob cauſſas in Scriptura mors Sanctorum cum ſomno confertur: tres tamen mihi videntur potiſſimæ, alii enim alias afferunt. Prima ſit: quod viri ſancti fiducia beatæ reſurrectionis erecti, mortem magis exhorreſcere aut adverſari non debent, quàm laſſus operarius ſomnum. Sic Reginaldus Polus, apud Spond. anno 1537. intellecto, caput ſuum aureorum millibus quinquaginta addictum, mirari ſe dixit, talia ſtatui de homine mortis cupido: Henricum enim cæde non magis ipſi nociturum, quàm qui cubitum conceſſuro veſtes detraheret. Altera: quia æquè facilè, imò faciliùs, à Deo excitantur mortui, quàm a nobis dormientes expergefiunt. Ita *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*: ita Lazarus amicus Chriſti evigilavit: ita Chriſtus ipſe soporem ſuum triduanum abrupit. Sopitum in carcere Petrum, Act. 12. expergefacit Angelus, latere illius percuſſo, educitque oſtio patefacto, tum rurſus occluſo. At Chriſtus ſeſe ſine ſtrepitu excitat, ſine oſtii recluſione edocit. *Tridui ſpatio*, inquit Aug. ſerm. 133. de temp. *non tamen ſepulcro mortuus jacuit, quam velut in lecto quievit.* Tertia: quia ſicut ex ſomno vegetiores exſurgimus, ita ex morte vivaciores reſurgemus, ſanitatis labem viriúmve deinceps decrementa nulla ſenſuri.

VIII. *Immortalitas juncta mortalitati.*

Chriſti corpus poſt tridui quietem *jam non moritur*, inquit Paullus Rom. 6. *mors illi ultra non dominabitur*: idem noſtris, ſtupendo in omnem retrò æternitatem prodigio, eveniet. *Habemus* enim, ut idem Apoſtolus loquebatur, *reſponſum mortis in nobiſmetipſis*: ita natura jam ab initio conditionis noſtræ cooſtitui ſumus, ut calor & humor, pugnaces qualitates, mutuo ſeſe conflictu in nobis atterant: & alterutrâ vel utraque denique langueſcente, vinculum animi dirumpatur. Elige nutritioni ſaluberrima alimenta, habitationi commodiſſima loca, exercitationi aptiſſima tempora, curationi præſentiſſima medicamenta: te tamen, & tecum mortis ſemina, circumferes. Hormiſdam Perſam Conſtantinus, Ammiano narrante lib. 16. c. 17. Romam uſque ad imperantis urbis ſpectaculum perduxit. At ille deinde interrogatus quid in tanta, tam ſplendida, tam opulenta civitate potiſſimùm ſibi placuiſſet, id unum maximè reſpondit; quòd ibi pariter homines atque alibi morerentur. In Paradiſum ipſum terreſtrem, etiamſi peccatum non penetrâſſet; mors tamen, ex iſta qualitatum interiorum compugnantia, pervaſiſſet: niſi fructibus vitalis arboris defectus omnes caloris & humoris, arcanâ ac divinâ vi medicâ, ſupplerentur. Poſt beatam reſurrectionem, eædem corporibus noſtris qualitates inerunt, ſed amicæ ac fœderatæ: erit pacis tempus, cauſsâ omni bellandi ſublatâ, quamvis inter contraria. In venis noſtris ac vitalibus juncta manebunt calor & humor, quomodò nunc in aëre: ubi ſociata numquam diſſident, niſi extrinſecùs ab elementorum aliorum irruptione ac miſturâ, ad pugnam concitentur. Orietur itaque immortalitas etiam ab intrinſeco, ut loquimur, non ab extrinſeco solùm: quod Auguſtinus exiſtimare videbatur, cùm Conſentio ſcribebat epiſt. 146. ſic nobis immortalia fore corpora, quemadmodùm Iſraëlitis annos quadraginta veſtes detritæ non fuêre, & Babylonicæ flamæ Hebræos juvenes in fornace non adflaverunt.

IX. *Immortalitas damnatorum dicenda potiùs mors perpetua.*

At, inquis, etiam miſera damnatorum corpora immortalia futura ſunt: nec ſeptem modò cum matre Martyres ſemper victuri reſurgent; ſed tortor ipſe Antiochus, in putri illo verminoſóque cadavere; miranda maximè inter dolores perpetuos immortalitate, de qua eleganter Minutius Fælix in Octavio: *Tormentis*, inquit, *nullus modus aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit ac reficit; carpit, ac nutrit: ſicut ignes fulminum membra tangunt, nec abſumunt. Sicut ignes Ætnæ, & Veſuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur;* aut non videntur erogari, ſeu diminutio materiæ non ſentitur. *Ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſâ corporum laceratione nutritur.* Similem in modum loquitur Euſebius Ga'l hom. 1. *Depaſcentibus flammis corpora atque animas ex parte conſumi, ex parte nutriri: ut inter medios ignium globos damnata natura, det pabulum, & accipiat incrementum.* Et paullò poſt: *non caſualis*, inquit, *ſed rationabilis, & pœnalis exuſtio, quia culpam jubetur inquirere, ſubſtantiam neſcit abſumere.* Nonne mirabilior longè eſt inter tormenta, uſtionemque perpetuam, immortalitas corporeæ ſubſtantiæ, quàm inter delitias paradiſi? Huic objectioni occurrit Auguſt. Enchirid. cap. 92. *Non eſt vera vita, niſi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, niſi ubi ſalus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mors non finitur; ut ita dicam, mors ipſa non moritur: & ubi dolor non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur. Hæc ſecunda mors dicitur.*

X. *Quatuor corporis glorioſi dotes.*

Immortalitatem vocare noli, ubi perpetuò fœdum, craſſum, luridum cadaver patiatur. Ea ſola vita dicenda eſt, ubi novis qualitatibus materia terrena in cæleſtem, corporea in ſpiritualem pænè tranſierit. *Seminatur*, inquit Paullus, 1. Cor. 15. *in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale.* Corpus Chriſtiani ponitur in ſepulcro, ſicut granum frumenti in ſulco; eamobrem Apoſtolus utitur voce ſeminandi. Granum mortuum reviviſcit, & exurgit pulcrius ac copioſius: ita & cadaver exſangue pullulat, quatuor divinis dotibus dives quas breviter & ad vulgi captum perſtringemus, ex iis quæ fides docet, & Theologia: omiſſis quæſtionibus ſubtilioribus & fermè ſupervacaneis; cùm earum certa definitio haberi non poſſit. Quid enim noſtra intereſt ſcire: eæne dotes omnes, an aliquæ ſaltem, habeantur per qualitatem intrinſecam. An extrinſecùs accedant à perpetuo ſingularique Dei auxilio? Si tamen ſententiam meam Theologorum diſputationibus interponere auſim: Claritatem à qualitate corporibus addita orituram dixero: Impaſſibilitatem partim ab interno venturam quomodò immortalitatem, partim ab externo: qualitates alias duas à peculiari divinâ aſſiſtentiâ profecturas.

XI. *Impaſſibilitas.*

Vis impaſſibilitatem nôſſe? Intuere quid ſit, & quàm multiplex corporis noſtri paſſibilitas. Ab interno urget, ſanitatis ac vitæ tuendæ cauſsâ, neceſſitas cibi, potus, quietis, ſomni. Si cares;

fame, ſiti, fatigatione, vigiliâ exinaniris. Si abundas; natura obruitur & obbruteſcit. Ab externo; aër, ſi denſior eſt, ſuffocat; ſi rarior, reſpirationi non ſufficit: elementa alia urunt, mergunt, lædunt. Jam quot à miſtis damna? Quot inde in corporibus noſtris mutationes temperamenti, ætatum, valetudinis? Ut oculis ſolis ſupra ducenta morborum genera medici quidam numerârint. Quàm moleſta ac miſera ſit tanta paſſibilitas, advertit Sapiens, cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*

XII. Quàm mira Impaſſibilitas. Iſtud tamen corpus, nec ſenſibus nec qualitatibus naturalibus amiſſis, de ſe prorsùs erit impaſſibile, morbis omninò nullis alterationibúſve obnoxium. De Hebræis per deſertum ambulantibus ait Pſalmiſta, pſal. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* De Moſe eorum duce nominatim aſſeritur, Deut. 34. anno ætatis viceſimo ſupra centeſimum obiiſſe, tam integris ſemper ſenſibus uſum, ut oculi ejus non calligaverint, & dentes ejus non fuerint moti. Iſthæc olim Deus effecit ad tenuem aliquam adumbrationem, & exiguum indicium perpetuæ Beatorum ſanitatis. Intus nihil erit, quod valetudinem tentet: ſed neque extra quidquam, quod dolorem afferat, vel incommodum. Idem erit quod Angelo, quem verbera, vulnera, uſtiones in aſſumpto corpore non afficiunt. Quamquam id multò mirabilius eſt animato corpori, quàm non animato, contingere. Exemplum habes in Chriſto, Thomæ manibus citra ullum prorſus doloris ſenſum palpato: quam rem Gregorius expendit homil. 26. in Evangel. *Corrumpi neceſſe eſt, quod palpatur: & palpari non poteſt quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæſtimabili, Redemptor noſter & incorruptibile poſt Reſurrectionem, & palpabile corpus oſtendit*, &c.

XIII. Subtilitas. Impaſſibilitate non minus miranda erit ſubtilitas. Quid illa? Diſce de contrario, id eſt ſpiſſitudine, ſeu craſſitie. Oritur hæc ex quantitate, quæ materiæ proprietas eſt, & naturalis effluxus, eíque dimenſiones ſuas tribuit. Quantitatem verò, neceſſariâ fermè conjonctione, ſubſequitur impenetrabilitas. Fruſtra ſit explicare, quàm perpetuò tangimus. Tanta verò eſt: ut aër quilibet rariſſimus ac ſubtiliſſimus nuſquam penetrare poſſit, niſi per corporum poros, atomáſve rimulas & puncturas exiles. Quàm id moleſtum ſit, experimur; cùm idcircò res ad viſum tactúmve nobis, niſi ſuperficie tenùs, non pateant: & ſi ulteriùs progrediendum eſt, neceſſaria ſunt vulnera, & diſruptio continui. At ubi ſubtilitas corpori illi craſſo acceſſerit; mox, Angeli inſtar, trans murorum, rupium, totiuſque terræ craſſitiem penetrare nullo negotio poterit, citra fracturam ullam, ſuam aliorúmve corporum. Exemplum ſpecta in Chriſto apparente, & evaneſcente.

XIV. Agilitas. Quemadmodùm corpus beatum proximè ad ſpirituum ſubtilitate accedit, ita & agilitate; cujus etiam cognitio ex oppoſitu cognitæ nobis contrariæ qualitatis petenda eſt. Grave eſt admodùm corpus noſtrum; quia ineſt illi terræ plurimùm, aquæ multùm, ignis parum & aëris. Inde iſtiuſmodi pondus, ut non aves modò & piſces ex aquis ortum genus, ſed & quadrupedes ipſæ, eadem materiæ portione, leviores humanis corporibus & agiliores ſint. Moleſtiſſimum pondus animæ mobili, cui, ut loquebatur Boëthius, *Sunt pennæ volucres, quæ celſa conſcendant poli*: ſed animam volare geſtientem affixa moles cohibet. Quid autem cùm anima abſceſſerit, & cum illâ emigrarit calor naturalis, aër pulmonibus ventilatus, ſpiritus vitales & animales, qui igneæ naturæ ſunt? Tunc omninò cadaver plumbi inſtar erit, aut maſſæ ſaxeæ. Sed tanta erit ipſi poſt fælicem reſurrectionem levitas, ac celeritas, ut nihil uſquam velocius deſignari poſſit, præter Angelorum motum. Solem cogita, qui, dum recitatur Pſalmus Miſerere, totus Bellarmino occubuit: ſtella item in æquinoctiali linea ſita, quarum ſtupendam velocitatem tract. de Bona volunt. ſect. 1. attingimus. Si vaſta illa corpora, materiam tantam ſecum trahentia, tali tamen pernicitate volvuntur: quid ſpiritalia, aut ſpiritalibus ſimillima, quæ vel ſimplici motu, vel compoſito, vel ſagittæ inſtar ad ſcopum contortæ, vel Angelorum more ferentur? Exemplum etiam in Chriſto intueri poſſumus, tantâ celeritate tot locis apparente: maximè, ſi verum eſt, quod piè concionabatur D. Vincentius Fer. ipſum, octo ante apparitionem D. Thomæ factam diebus, aliiſque deinceps uſque ad Aſcenſionem, totâ terrâ circumduxiſſe Sanctos è limbo eductos, eiſque loca, ubi, Chriſtiana religio in honore futura erat, deſignaſſe.

Ornamentum quartum corpori lurido, obſcuróque, adjicietur claritas. Obſcuritatem plus ſatis experientiâ novimus, ex moleſta ac triſti abſentia lucis. Membrorum noſtrorum nulla lumen intrò, præter oculos, admittunt; ſed neque oculi, quod ſuſcipiunt, evibrant. Hinc incommoda multa, quando in tenebris agere, vel ambulare cogimur, & cæci eſſe partem fermè vitæ noſtræ dimidiam. Quid cum poſt mortem cadaver animâ privatum, tenebroſum, fœdum, in cava terræ recondetur, quò lux Solis non penetrat? Brevi tamen illinc cernes erumpere Solis inſtar lucidum, ut Chriſtus ipſe teſtatus eſt Matth. 13 *Fulgebunt juſti ſicut Sol.* Habenturque in Eccleſiaſticis hiſtoriis iſtius claritatis teſtimonia, de D. Apollinari apparente, item D. Auguſtino, & aliis. Magnitudo lucis non adeò mihi admirationem movet, quàm ejus natura. Deo enim novum non eſt, Solis creatori, corpora facere inſtar Solis lucida. Sed lucida ſimul & pellucida facere, planè novum eſt: ſolent enim, quæ lucem ex ſe emittunt corpora, eſſe opaca. Item lucem tam vibrantem, & acutam oculis, etiam paſſibilibus, noxiam non eſſe, eíque caliginem quantumvis aſpiciant, non offundere, novum eſt. Deinde tot luminoſa corpora Beatorum ſibi invicem non officere, & à majori lumine minùs non obfuſcari, etiam novum eſt. Denique cohiberi emittíve poſſe pro arbitrio voluntatis lucem fontis inſtar qui obturatur aperitúrve pro libitu, prorsùs novum eſt. Ita Chriſtus, qui hodie lumen tegit apparens Apoſtolis, imò corpus paullò pòſt facit inviſibile: Saulo tamen apparens, lumine *ſupra ſplendorem Solis* eum circumfudit, uti ipſe narrat Act. 26. Et in beatâ æternitate, *civitas* ſancta Apoc. 21. *non eget Sole, neque Luna: nam claritas Domini illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* XV. Claritas.

O dies fælicissima, ô lux deſiderata, ô amabilis pulcritudo, quando ex his tenebris ad te licebit aſſurgere? Quando oculos noſtros in te paſcere & ſatiare, ſine ulla mutatione horarum, abſque viciſſitudine noctium? Vita hæc ſecunda eſt, Chriſtiane: ad eam à prima vita veniendum eſt. Reſurgere vis corpus iſtud poſt labores, ac dolores glorioſum? Antè anima exſurrexerit, neceſſe eſt. Ab animi prima morte tranſitur ad alteram. A priore animi vita gradus fit ad poſteriorem XVI. Reſurrectio ſpiritualis, & integra.

partis

Partis utriuſque, ac perennaturam. Surrexiſti, Deo gratiæ. Quis enim non excitetur hoc tempore? Sed ſurrexiſtine integer? Fruſtra lethale in capite vulnus curâris, ſi manet aliud lethale in pectore. Pectori fruſtra medicinam feceris: ſi in coxendice vena cava abſciſſa eſt, & ſanguinem non ſiſtis. Fruſtra vindicta ſopita eſt, ſi alienum jus occupas. Fruſtra reſtituiſti aliena, ſi libidine pergis diffluere.

XVII.
Sit etiã immortalis, atque ideò impaſſibilis, & ſubtilis, & agilis. Inde vera claritas.

Sed integra eſt reſurrectio, alioqui reſurrectio non foret. Eſto igitur etiam immortalis. *Nequaquam enim prodeſt*, ut Salvianus aiebat lib. 2 ad Eccl. *illicò extinguendum lumen accendi: nec juvat aliquid illuceſcere, quod ipſa ortu habeat occaſum, & ad hoc tantummodò habere initium viventis, ut poſſit finem habere morientis.* Ut immortalis eã ratione fiat anima, eſto impaſſibilis & ſubtilis. Nec paſſionibus domeſticis obnoxia ſit, nec difficultates extrinſecùs abjectas ab hominum judiciis ac vocibus exhorreſcat: illas oratione domet, has forti voluntate perrumpat. Senecam in tam Chriſtiano documento audire non recuſemus, lib. de Vit beat. *Quæramus quid optimè factum ſit, non quid uſitatiſſimum: & quid nos in poſſeſſione fælicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo, veritatis peſſimo interpreti, probatum ſit. Vulgus autem tam chlamydatos, quam coronam, voco.* Cùm autem quid optimum factu ſit, quid ad beatitudinem maximè ducat, invenerimus, cùm voluntas Dei nobis nota erit, nec verò Chriſtianis ignota eſt: tunc promptâ agilitate, & dilatato corde viam mandatorum Dei curramus. Hæc eſt unica ad veram, coram Deo & hominibus, claritatem. Chriſte animarum ſanctificator, glorificator corporum, da, ſic anima mea hîc vivat ex legibus tuis, ut illic corpus meum ad ævum perenne reviviſcat ex promiſſis tuis.

SECTIO TERTIA.

Cantus Reſurgentium Beatorum. Alleluia, Alleluia, Alleluia.

I.
Alleluia in cælo cantatur.

DISCIPULUS quem diligebat JESUS, qui Chriſti pectori in cæna incubuit, qui prior caritate ardens venit ad monumentum, Petro ſecum currente: Apoc. 19. audit in cælo cantari lætum *Alleluia.* Cæcus viſu recuperato, longè beatam æternitatem intuens Tob. 13 idem antè dixerat, de viſione pacis cæleſti Hieroſolyma: *in plateis ejus alleluia cantabitur.* ex horum prophetarum oraculis Auguſt. ſerm. 5. de diverſis, poſtquam dixit, hîc aliquando nobis laſſitudinem ex illo cantu, aut tædium, obrepere: *in cælo*, inquit, *cibus noſter alleluia, potus noſter alleluia, actio quietis alleluia.* Ex ſerm. primo inter Paſchales: *Alleluia*, inquit, *cantat amor eſuriens, tunc cantabit amor fruens... Ecce quomodò verbum auditis, & in audiendo delectamini. Si rorem ſic amatis, fontem ipſum quomodò amabitis?*

II.
Eccleſia cælo reſpondet.

Paſchali tempore, cujus initium eſt dies Reſurgentis Chriſti: qui dies D. Ignatio Martyri ep. ad Magneſianos, eſt *Eminentiſſimus Regalis dierum omnium*: Ruperto eſt,

Nobilitas anni, menſis decus, alma dierum,
Splendor & horarum.

Hoc ergo tempore, Eccleſia Catholica, quæ in terris exſpectat beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei, eſt velut Echo Sanctorum in cælo lætantium, & cantantium Alleluia. Iſti chorum unum faciunt, nos altero reſpondemus; in Sacris, in officiis Matutinis, in Veſpertinis, in omni publico cantu. Quæ conſuetudo tam antiqua eſt, ut Auguſt. epiſt. 119. ad Januarium de ritibus Eccleſiæ, eam velut jam tunc antiquam commemoret. *Quinquaginta dies complentur, qui celebrantur poſt Domini Reſurrectionem, jam in figurâ, non laboris, ſed quietis & lætitia. Propter hoc & jejunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis: Vnde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare obſervatur. Et Alleluia cantatur, quod ſignificat, actionem noſtram futuram non eſſe niſi laudare Deum.* Paullò pòſt ſubjicit: *Vt Alleluia per illos ſolos dies quinquaginta in Eccleſia cantetur, non uſquequaque obſervatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi, atque alibi: ipſis autem diebus ubique. Vt autem ſtantes in illis diebus, & omnibus Dominicis oremus, utrùm ubique ſervetur, ignoro.* Idem in pſalm. 106. *Alleluia nobis cantare certo tempore ſolenniter moris eſt, ſecundum Eccleſiæ antiquam traditionem. Neque hoc ſine ſacramento,* Id nos myſterium, Deo juvante, inquiramus.

III.
Semper laudãdus Deus

Maximus Regum quos umquam Hebræi habuêre: è celeberrimis majoribus ac proavis Chriſti reſurgentis: pietate longè mirabilior, quàm animi magnitudine, robore invicto, & triumphis perpetuis: qui inter curas publicas regni ac familiæ, & inter ipſos tubarum clangores ac tympanorum ſtrepitum horroremque armorum, & in ipſis adeò maximis calamitatibus, cùm ſicut Chriſtus tranſiret torrentem Cedron fugiens Abſalonem, aut in ſpeluncis lateret timens Saulem, ita divinis laudibus celebrandis aſſueverat, ut omnes fermè ipſius pſalmi in iis laudibus conſumantur, ſintque qui proinde vice tituli habeant *Alleluia.* Is ergo Dei inſignis laudator, excitans ſeipſum ad Angelicum hoc officium, pſalm. 33. *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Non ſolùm in Paſcha, quo tranſitum maris rubri recolimus, exitum ex Ægypto: non ſolùm in feſtis Tabernaculorum, ubi commemoratur peregrinatio avorum noſtrorum Deo duce: non ſolùm in Neomeniis, ubi Deo menſem totum conſecramus: non ſolùm in Sabbathis, per quæ hebdomadas à Deo incipimus: non ſolùm manè, ubi agnus offertur ad Deo offerendum diem: non ſolùm veſpere, ubi etiam agni holocauſtum fit, ut cum illo dies finiatur, cum quo cæptus eſt: Sed *in omni tempore*, ſed *ſemper, benedicam Dominum, & laus ejus in ore meo.* Rectè, ô ſapientiſſime prophetarum, piiſſime Regum, humillime & ſanctiſſime pœnitentium: rectè omnino, ac juſtè. Quid enim rationi & æquitati magis conveniens, quàm ſemper Deum laudare? Aut enim eum laudamus, ut in ſe bonus eſt, & abſolutè: aut ut bonus nobis, ſive reſpectivè. Si ut bonum in ſe, id eſt perfectiſſimum, laudamus: ſemper idem eſt, Deus eſt, non mutatur, non creſcit, non minuitur: ſemper ergo de ſe laudes æquales meretur. Si ut bonus nobis eſt, id eſt beneficus, eum conſideramus: nonne profeſtis æque ac feſtis, per Quadrageſimam æquè ac per Paſcha, meridie æquè ac manè, per noctem æquè atque interdiu, ejus beneficiis vivimus, ſuſtentamur, vigemus corpore & animo. Eccur itaque nunc potiſſimùm nos Eccleſia excitat, tempore Paſchali, ad Deum magis laudandum? An alius in ſe eſt modò? An alius erga nos?

IV.
Alleluia quid ſignificet.

Ut huic piæ objectioni reſpondeamus, intelligenda hujus vocis Alleluia vera ſignificatio. Omittam explicationem S. Germani Conſt. Patr.

accedentem ad verum, non tamen genuinam: *Venit Deus, laudate.* Præteribo aliam D. Thom. Aq. in Apoc. 19. paullò veritati propiorem, non tamen omninò adhuc exactam: *Laudate Deum, cum plenitudine gaudii & exultationis.* Taceatur etiam interpretatio Juſtini Martyris quæſt. 50. ad Orthodoxos: ὑμνήσατε μετὰ μέλους τῷ ὄντι, *hymnum cum melo cantate, illi qui eſt.* Vera explicatio eſt Auguſtini ſerm. 1. de diverſis. *Quid eſt Alleluia, fratres mei? Dixi vobis, laus Dei eſt.* Et ſerm. 6. de diverſis originem ipſam vocis etymologiâ deſignat: *Halelu, laudate: ia, Deum: Halleluia ergo, Laudate Deum.* In verborum Hebraicorum expoſitione audiendus inprimis Hieronymus, quem Deus Eccleſiæ ſuæ in exponendis ſacris Scripturis Doctorem maximum providere dignatus eſt. Is epiſt. 137. ad Marcellam, ſic ait: *Alleluia, laudate Deum.* Iah quippe apud Hebræos unum de Dei decem nominibus eſt in illo pſalmo ubi legimus, *Laudate Dominum, quoniam bonus:* Hebraicè eſt, *Alleluia chi tob.* Compoſitum eſt Alleluia ex verbo & nomine. Ex verbo *Holal* quod ſignificat laudare idque cum gaudio & exultatione. Ex nomine *Iah*, quod unum eſt ex Dei nominibus, &, quorumdam ſententiâ, contractum ex tetragrammato ineffabili *Iehova*: vel, ut meliùs alii, ſignificat Dei potentiam aut fortitudinem, idemque eſt ac *Deus fortis*, Θεὸς [illegible].

V. Cur Alleluia tempore Paſchæ?

Hæc ratio eſt potiſſima, meo judicio, cur tempore Paſchali toties Alleluia iteremus. Laudamus Deum potentem in ſuſcitando corpore ſuo: potentem in ſolandis efficaciſſimè amicis: potentem in animandis nobis ſpe beatæ reſurrectionis. Laudamus cum gaudio & exultatione: quia gaudere debemus de Chriſti bono & gloria, ſi illum verè amamus. Deinde lætari nos oportet de bono amicorum Chriſti, quos caritas nobis junxit; & Sanguis Chriſti morientis, ac reſurgentis gloria, in unum collegit. Denique exultandum nobis eſt de noſtro ipſorum bono: quia ut Greg. ait homil. 21. in Evang. *Illa noſtri Redemptoris Reſurrectio, & noſtra feſtivitas fuit.* Quia æternitatis nobis aditus devictâ morte reſeratus eſt: & ſpes nobis beata facta futuræ beatitudinis, gaudiorum omnium animæ Chriſtianæ in hac mortali vita maximum.

VI. Chriſtus mortuus, non putrefactus.

Philoſophus quidam Ethnicus Scripturæ ſacræ lectione quod eâ ætate inſuêtum non erat, imbutus, à D. Pachomio petiit ad ſe mitti, qui ſibi de quæſtionibus quibuſdam è Scriptura ſolutionem daret. Ita narrat ſcriptor vitæ D. Pachomii. Miſſi duo: in his Theodorus, ab anno decimo quarto alumnus virtutis ac ſcientiæ ſacræ. Petita tria: quis non natus, & mortuus? Quis natus, non mortuus? Quis mortuus, non putrefactus? Reſpondit iſte ad primam valdè aptè: Adamum natum non fuiſſe, ſed creatum; mortuum tamen. Secundæ etiam ſatisfecit; adducto Enocho, qui natus ex patre Jared, *ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*, anno trecenteſimo ſexageſimo quinto ætatis, ut Geneſis c. 5. narratur. Ad tertiam quæſtionem acutè quidem fuit reſponſio ex Gen. 19. de uxore Loth, quæ reſpiciens abominandæ gentis incendium, verſa eſt in ſtatuam ſalis, adeóque mortua, & non putrefacta. At certè, bonâ Theodori & Pachomii veniâ, ſolutio iſthæc exacta non eſt. Potuit enim urſiſſe philoſophus: numquid ſtatua illa ſalis demum corrupta eſt, ejuſque materia in alias formas tranſiit? Ubinam modò eſt: etſi ætate ſuâ ſuperfuiſſe Tertullianus forſan ex opinione vulgi ſcripſerit? Nonne conſtat, ſalem ipſum evaneſcere, corrumpi, vel de Salvatoris ſententiâ: *Si ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Poterat itaque commodiùs paullò quæſtioni tertiæ reſponderi verbis pſalmiſtæ, è pſal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* En mortuum & non corruptum. At de quo loquitur Vates, de ſe an de alio aliquo? Si philoſophus interrogâſſet, quemadmodùm Eunuchus Reginæ Candacis legens Iſaiam, Act. 8. Eâ occaſione, ſicut Philippus Eunucho fecit, ita philoſopho potuiſſet evangelizari JESUS. Eo certè argumento, & ſolidè, ac fortiter utitur D. Petrus, Act. 2. ad probandam Chriſti Reſurrectionem, tanto ante prædictam à Davide, quomodò & Paſſionem prænuntiârat.

VII. Potentia Dei in Reſurrectione Chriſti.

Aptiſſimè hîc accinatur primum Alleluia potentiæ divinæ, cujus opera ac miracula in Chriſto reſurgente palàm ſpectata ſunt. Cæci Infideles, intellectûs ſui ac virium imbecillitate vim divinam admetientes, Chriſti Reſurrectionem impoſſibilem eſſe, quemadmodùm dedecoroſam crucifixionem, & inſanam mortem, arbitrabantur. Deum cruci affixum, & in illa mortuum, quis credat? Quis mortuum ſurrexiſſe? Credam enimverò, inquit Tertullianus: credent mecum, qui Deum nôrunt: *Malè enim Deum nôrunt, qui non putant eum poſſe, quod non putant.* Ita loquitur libro de reſurrectione carnis: & libro de carne Chriſti: *Crucifixus eſt Dei filius? Non pudet, quia pudendum eſt. Et mortuus eſt Dei filius? Prorſus credibile, quia ineptum eſt. Et ſepultus reſurrexit? Certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Chriſtum ſurrexiſſe non credis? Atqui poſt Sareptanæ fœminæ prolem ſurrexit Sunamitidis filius, & in aula Regis ſpectatus eſt: ſurrexit ſepultus ad Eliſæi mortui contactum: ſurrexit Jairi filia: ſurrexit in ipſa funebri pompa Naimitidis viduæ filius: & ne Chriſtum mireris poſt horas ſex circiter ſupra triginta revixiſſe; Lazarus, vix totis antè ſeptimanis tribus, in oppido Bethania, ſpectantibus Judæorum primoribus, è tumulo poſt quatriduum prodiit.

VIII. Miracula varia.

Quid ſi Reſurrectionem Chriſti miraculorum omnium, quæ in illa contigêre, minimum eſſe dicamus? En tibi alia in ſummam contracta: in quibus fidem animoſam exerceas, & brachium Domini prædices. Chriſti corpus idem quod antè, ſanguine collecto, receptóque ſimul calido & humido, contrariis inter ſe ac pugnantibus, ſecumq; mortis ſemen trahentibus: eſt tamen immortale. Idem corpus à duris tangi, ab acutis perſtringi poteſt, & calidos Soles ac frigidas auras ſentire: eſt tamen impaſſibile. Idem ſoliditate ac denſitate corpus: ſubtile tamen eſt, & in morem ſpiritûs clauſa pervadit. Idem gravitate corpus, & ex craſſiorum præſertim elementorum pondere concretum: agilliimum tamen eſt, prorsùs ut ſiderum cælorumque vertiginoſam velocitatem prævenire poſſit. Idem corpus opacum ac ſpiſſum, & nudius-tertius lacerum fœdatumque ictibus ac plagis: in iiſdem tamen vulneribus adeò pulcrum, ſplendidum, & pellucidum eſt; ut D. Tereſam ferant, lucis ex altera ipſius manu emicantis viſu, tantum percepiſſe gaudii, quantum totâ retrò vitâ non ſenſerat.

IX. Laus Dei in ſepulcro.

Propoſuit olim Regius vates elegans de divina potentia ænigma, pſalm. 87. *Numquid narrabit aliquis in ſepulcro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* Quid iſtud eſt, *in perditione?* Idem quod, *in ſepulcro.* In ſepulcro enim, quidquid homini poſt amiſſam vitam, ſenſus, opes reliquum eſt, perditur. Hærent amici ad limen & titulum.

Humanæ

Humanæ formæ quod ſupereſt, terrâ obrutum putredo abſumit: carnes, nervi, medullæ, in vermes tranſeunt, bufones & colubros: oſſa ipſa denique, poſtquam diu ſaniem ac ſitum arcuêre paullatim in putrem pulverem ſolvuntur. In hac perditione, in ſepulcro, numquid aliquis narrabit miſericordiam Dei & veritatem, inquit Propheta? Aliquis omninò, & ille quidem de abnepotibus tuis: Filius hominis vitam; ſanguinem, formam deperdita in ipſo recuperabit perditionis ſinu, & de ſepulcri tenebris exſurget perpetuus divinæ potentiæ præco.

X. Comitates Christi reſurgentis.

Aderunt ſocii laudum, & gloriæ participes Beatorum manes, de limbi tenebris ducti: quibus comitibus ſuperſtites amicos conſolatum ibit, potentiſſimo ſolatii genere, ſublatâ doloris caoſsâ ac materiâ. Ante Chriſti mortem, ubi anteambulo Domini Joannes, veritatis & caſtitatis victima? Ubi Joſephus Virginis cuſtos Dei nutritius? Ubi Daniel *vir deſideriorum*, cui Chriſti tempora tam ſignanter prænuntiata ſunt? Ubi Iſaias, à quo Dominica Paſſio tam diſertè deſcripta? Ubi David, mirandus Meſſiæ pſaltes, tum patientis, tum reſurgentis? Ubi Moſes, qui agni ſacrificio, maris rubri tranſitu, virgâ prodigioſâ, ligno aquarum amaritiem medicante, crucem præſignificavit & ſanguinem Chriſti? Ubi caſtus Joſeph, illuſtre Meſſiæ redivivi ſymbolum, pſontomphanech, arcanorum enuntiator, de ſervitio evectus in ſolium? Ubi Iſaac, quem holocauſto ligna geſtantem deduxit Abraham, exultans ut videret diem Chriſti, *vidit & gaviſus eſt*? Ubi Noë generis humani parens alter, ſervator, ſolator, & requies? Ubi Adam? cujus caput in Calvariæ monte tumulatum fuiſſe autumant, & Chriſti cruore irrigatum repullulâſſe: ipſique accommodant iſthæc Paulli ad Epheſ. 5. *Surge, qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Joannes annum unum menſes ſeptem in limbi tenebris manſerat: Joſephus annos circiter quatuor, ſi ſub Chriſti tricesimum mortuus eſt: Daniel, quingentos quinquaginta & unum: Iſaias, 746. David, 1067. Moſes, 1503. Joſeph, 1687. Iſaac, 1768. Abraham, 1873. Noë, 2800. Adam, 3156. Ita, nî fallor, numeros habere invenies ex Saliani chronotaxi, ſi ad annos ante Chriſtum vitæ triginta tres adjeceris.

XI. Apparitiones duodecim.

Cum amicorum iſtorum, aliorumque, numeroſo & illuſtri comitatu, qui partim corpora priſtina reſumpſerant, partim ſibi aërea conformârant vel ab Angelis efformata acceperant, primùm adit ad viſendam matrem: ubi piè viri docti ſcripsêre, cantatam antiphonam, *Regina cæli lætare, alleluia.* Inde viſus Magdalenæ; tum fæminis; dein Petro; tum Jacobo; mox diſcipulis euntibus Emmauntem; pòſt Apoſtolis decem, abſente Thoma, ipſo reſurrectione die. Octavo die viſus Apoſtolis, Thoma præſente: pòſt in monte Galilææ: deinde aſcenſurus in cælum: denique D. Paullo. En apparitiones duodecim, & velut horas totidem æternæ diei, cui commodè aptare poſſimus iſta Chriſti, Lazarum ſuſcitaturi, ad diſcipulos verba: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Pulcerrimæ illius ac deſideratiſſimæ diei, quam tenebræ nullæ excipient, nox nulla mentis corporiſve extinguet.

XII. Reſurrectio noſtra.

Hæc de reſurrectione fides noſtra eſt: hæc noſtra ſpes eſt de fælici reſurrectione. *Chriſtus* enim *reſurrexit à mortuis*, inquit D. Paul. 1. Cor. 15. *primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominē mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Certè, abſque reſurrectione foret, miſeriora eſſent Chriſtianorum, quàm Infidelium, corpora: & proborum carni pejus, quàm improborum, conſultum eſſet. Quod forſan movebat Paullus cap. eodem: *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Hominum genio & naturæ indulgentium artus, ac ſenſus fælicia, præ Sanctorum membris, fuiſſe dicenda ſunt; ſi merces iſtis in futurū nulla ſeponitur. Fælicius fuerit Caini corpus, annos quingentos, aut ſuprà, firmum ac vegetum; quàm Abelis, quod in ipſo juventutis flore ictibus contuſum & commolitum eſt? Fæliciora Pharaonum cadavera aromatibus condita, & ſub pyramidum mole quieſcentia; quàm Divorum Martyrum exuviæ, & Sanctorum Hilarii, Thomæ Cant. Martini exuſtæ ab hæreticis, & in ventos ſparſæ, aut in profluentem abjectæ. Fælicior Aſſueri caro, in delitiis & inter tenellarum muliecularum greges; quàm Danielis ac ſociorum trium, inter aulæ delitias, in ipſo adoleſcentiæ ardore, jejunantium. Fælicius Jezabelis corpus, unguentis & odoribus delibutum, ſtibio pictum, auro nitens; quàm Judithæ, cilicio oneratum, & cinere ſqualidum. Fæliciora Epulonis membra, ſaginata epulis quotidianis & veſtita byſſo; quàm Lazari, ſtillantia pure, fame emortua, morbis enecta.

XIII. Bonitati ac Juſtitiæ divinæ debetur per ejus potentiam.

Sed abſit hoc à Dei Potentia, Bonitate, Juſtitia. Si poteſt Deus ſuſcitare corpus amici ſui, animæque ſibi cariſſimæ fidum comitem, & non facit, an perfectè bonus? Si poteſt ſuſcitare corpus quod pro ſe laboravit, ut mercedem accipiat, nec tamen facit, an juſtus eſt? Luculentè hoc argumentum tractat Tertullianus, libro inſigni de Reſurrectione, cujus hoc veriſſimum initium: *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum.* Primum oſtendit Bonitatis divinæ eſſe, ut corpus reſurgat, tam nobile ab artifice; à fide, ut ſit animæ domicilium: ab officiis, quod Sacramentorum omnium Chriſtianorum ſigna in eo peragantur. *Hæccine*, inquit, *non reſurget toties Dei?* Deinde argumentatur ex Dei potentia: cujus exemplum in quotidiana diei reſurrectione, anniverſariâ veris plantarumque ac ſeminum ſuſcitatione, demonſtrat: *Totus*, inquit, *hic ordo revolubilis rerum teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum.* Denique validiſſimam rationem affert ex Juſtitia divina. *Dicimus*, inquit, *plenum primò perfectúmque credendum judicium Dei.* Tum ſubdit: *plenitudinem ac perfectionem judicii non niſi de totius corporis repræſentatione conſtare.* Jejunas Chriſtiane? Corpus fert laboris maximam partem. Morbum æquanimiter toleras? In corpore illum pateris. Oraturus genua flectis, caput contendis, oculorum libertatem curioſam cohibes? Corpus pii officii comes eſt animo. Das eleëmoſynam pauperi? Hic etiam corpus agit partes ſuas. Is ad templa, ſequeris Chriſtum in ſupplicationibus, audis concionem? Pedes, aures, membra cætera, boni operis ſocia ſunt. *Ergo*, inquit Tertullianus, *amborum erit conglorificari, ſicut & compati: ſecundùm collegia laborum, conſortia etiam decurrāt neceſſe eſt præmiorum.* Sed nos aliquid etiam hoc de argumento dicimus tomo 2. Excurſ. 2. ad cap. 12.

XIV. Spes Chriſtiana.

Hac fiduciâ animatus Job inter dolores ſuos, ſicut philomela in ſpinis, ſuaviſſimè divinas laudes accinebat, dicebatque cap. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, &c. & in carne meâ*, hac putridâ, fætente, cadaveroſâ, *videbo Deum meum.* Sic *mater illa, ſupra modum mirabilis*, ſeptem filios ad crudele ſupplicium animabat 2. Machab. 7. Vide verſu 23. & 29. ubi cum poſtremo filiorum colloquitur. Sic apud Baronium anno 812. Plato Olympi Abbas poſt exilium, carceres, longiſſimaſque ærumnas pro fide toleratas, moriens Aprilis die quartâ,

cecinit, accinique ab adſtantibus juſſit hæc verba: *Reſurgent mortui, & exſurgent qui ſunt in monumentis; & lætabuntur qui ſunt in terra.* Sic Martyres omnes & priſci Chriſtiani tormenta ſprevêre, exilia & ſpoliationes toleravêre: ideóque ſolita in catacumbis, ubi eorum ſacræ exuviæ reponebantur, legi inſcriptio, *Exſpectemus hic beatam requiem, & Reſurrectionem.* Imò, ob eamdem ſpem beatæ reſurrectionis, ſolitum olim in Chriſtianorum funeribus cani Alleluia, affirmat Baronius, narrans de funere virginis cujuſdam ubi Alleluia cantabatur, tomo 7. an. 590. & Hieronymum pro ſe adducit, quamquam apud Hierooymum id non inveni. Certum tamen eſt, eam cogitationem potentiſſimam eſſe, ad nos in laboribus hujus vitæ animandos: cùm miſerum corpus tot undique mutationibus ac malis obnoxium, inter labores fatiſcit, & ingemiſcit ac parturit uſque adhuc, redemptionem exſpectans.

XV, Alleluia nobis cantandum. Verùm ut beatiſſima nobis illa reſurrectio aliquando eveniat: jam nunc aſſueſcamus id facere, quod tunc facturi ſumus: dicamus Alleluia: omni loco, omni tempore laudemus Deum ipſe tam perfectum, nobis tam beneficum. Non illa ſolorum Angelorum, & Sanctorum cum Chriſto regnantium, cantio eſt; non Eccleſiaſticorum tantùm; neque enim ſolùm illis Deus bonus eſt. Hieron. epiſt. 7. ad Marcellam, dicit, ætate ſuâ aratores ad ſtivam Alleluia inſonare ſolitos. Item epiſt. 17. ad Lætam, narrat, de infante in collo avi Alleluia cantante. Baronius an. 429. dicit, Britannos monitu D. Germani ante decretorium prælium inclamaſſe Alleluia, & victores evaſiſſe. D. Gregorius 27. Moral. cap. 6. de iiſdem populis agens: *Ecce,* inquit, *lingua Britanniæ, quæ nil aliud noverat quàm barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebræum cœpit Alleluia reſonare.* Quid milites, agricolas, infantes memoramus? Cùm Pſalmiſta in tribus pſalmis, qui pro titulo habent Alleluia, invitet creaturas omnes, etiam irrationales, etiam inanimas ut laudent Deum: quaſi cupiat omnes Univerſi partes verti in ora & linguas, ut potentiam ejus & bonitatem prædicent. Nos itaque, quibus Dei cognitio conceſſa eſt, quibus ſpes beatæ reſurrectionis infuſa eſt; cum Sanctis, cum Eccleſiâ, cum omni creatura Deum laudemus omni tempore. O ſi nos Deus in tam ſanctâ voce occuparet! Quomodò apud Vict. Utic. lib. 1. de perſ. Vand. factum Lectori: cui hoſtilis Infidelium ſagitta guttur tranſadegit, in ipſâ ſolennitate Paſchali, dum Alleluia caneret, inciperetque quod in cælo perfecit.

XVI. Moribus cantemus. Sed quia canere non ſufficit, niſi ad modulum rectè conſonéque cantetur: memores ſimus verborum Siracidæ, Eccleſ. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris,* Grata Deo non eſt, ubi cor cum ore non conſonat, manus cum linguâ, actio cum ſermone. Auguſt. ſerm. 5. de diverſis: *Noſtris, quia Alleluia dicitur, laudate Deum? Eum ſecurè laudat, qui non habet unde diſpliceat.* Paſchalis cantus eſt: tempus Paſchæ, tempus eſt tranſitus: qui Paſcha fecit, id eſt tranſitum à vitiis ad virtutes, poteſt ſecurè Deum laudare; Deum ſemper laudabit, quamdiu ſic Paſcha & tranſitum faciet. Idem Auguſt. tract. 8. in Joan. *Qui Deum laudat linguâ, non ſemper poteſt: qui moribus Deum laudat, ſemper poteſt.* Quàm excellens Dei laudator qui in templo ſociam habet pietatem: domi concordiam, in converſatione ſuavitatem & facilitatem Chriſtianam, in commerciis & negotiis juſtitiam, ubique caritatem. Talis verè dicet, *Benedicam Dominum in omni tempore* vitæ mortalis: *ſemper laus ejus in ore meo,* in longiſſimâ æternitate, & beatâ æternitate, quæ ſemper erit.

SECTIO QUARTA.

Ad illa verba Angelorum: *IESUM quæritis Nazarenum crucifixum?* Marc. cap. 16.

DE hiſtoria celeberrima viſorum ab mulieribus Angelorum variæ ſolent proponi quæſtiones. Quot mulieres ierint ad ſepulcrum? Quot Angeli viſi? Cur eo habitu ac ſitu? Cur primùm mulieribus? Has quæſtiones ab aliis tractatas, breviter indicabo: ut ad quintam lectori non ingratam, magiſque meam deveniamus, cur iis verbis Angelus mulieres ſit allocutus? De numero mulierum vulgus ſibi perſuadet tres omninò fuiſſe, eáſque tres Marias. Verùm conſtat plures iviſſe, quàm tres ex verbis Luc. 24. *Erat Maria Magdalene, & Ioanna,* uxor ſcilicet Chuſæ qui erat Herodis procurator, *& Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos.* Item eodem capite dicuntur *veniſſe portantes aromata* illæ de quibus mentio eſt cap. 23. καὶ τινὲς σὺν αὐταῖς, *& aliqua cum illis.* S. Joan. unam Magdalenam nominat: S. Matth. Mariam Magdalenam, & alteram Mariam: S. Marcus, Mariam Magdalenam, Mariam Jacobi, & Salome. At ex S. Luca conſtat etiam plures affuiſſe, & ſopra quatuor, ex voce *cæteræ*, & τινὲς, *aliqua.* Unde aliqui non immeritò ſuſpicantur adfuiſſe Suſannam, de qua Lucæ cap. 8. & Veronicam ſeu Berenicen. Quid autem de trium Mariarum numero dicemus? Alteram Mariam, de qua Matthæus, quidam intellexêre D. Virginem. Sed exploſa eſt ſententia: conſtátque ex Marco eam fuiſſe Mariam Jacobi, ex filii nomine ſic dictam, quæ & Cleophæ à marito dicta eſt. At ubi tertia Maria? An Salome? In Evangelio quidem iſtius nominis commemoratio nulla. Maria tamen vocatur in Mart. Rom. Oct. 22. item ab D. Hieronymo, Salm. &c. I. Quot mulieres ad ſepulcrum ierint.

Illæ mulieres, emptis pridie aromatibus ad condiendum magiſtri demortui corpus, veniunt ad monumentum, *orta jam Sole.* Cùm jam ortus eſſet Sol, qui diem viſibilem corporum facit: & orto per Reſurrectionem Sole animarum Chriſto, qui ante triduum diram eclipſin in Cruce paſſus erat. *Dies iſta ampliùs ex ſepulcro radiavit, quàm de Sole refulſit*: inquit Euſ. Gall. homil. 1. de Paſ. quæ Cæſario Arel. etiam tribuitur. *Apparuit Sol cæleſtis ex abyſſo: exortus eſt oriens ſub occaſu.* Ita idem Euſeb. hom. 6. Suſcitatus erat mortuus, revixerat Crucifixus: ſimul ſatellites qui eum crucifixerant, aut ſaltem crucifixi corpus ſervabant impiorum Pontificum rogatu; ad gloriam reſurgentis & motum terræ, *facti ſunt velut mortui.* Mortuus vivit: vivi moriuntur. Utinam & Chriſto reſurgente Chriſtianorum multi, qui per Quadrageſimæ tempus ac ſacram pœnitentiam vixerunt, non fiant velut mortui, prono in noxas priſtinas relapſu. Fugientibus ſatellitibus, terrâ tremente, interritæ accedunt mulieres: ſola ipſas lapidis magnitudo terret. Nihilominùs, ſeu Dei Providentiæ fiderent, ſeu pecuniâ ſperarent ſe auxilium empturas ab aliquo ſatellitum, progrediuntur, & inveniunt revolutum lapidem. Ibi viſi ipſis Angeli. II. Angeli apparent.

De Angelo

De Angelo uno conſtat ex Matthæo & Marco. De duobus item certum eſt ex Luc. An verò tres fuerint; conſule Interpretes paſſim id diſputantes. Mihi videbatur, etſi tres non incommodè poni poſſint; ad concordiam Evangeliſtarum duos ſufficere.

III. Habitus ac ſitus Angelorum.

Apud Matthæum, Angelus Domini ſedet ſuper lapidem revolutum: aſpectus ejus eſt ſicut fulgur, veſtimenta ſicut nix. Apud Marcum, eſt juvenis, ſedens in dextris, coopertus ſtolâ candidâ. Apud Lucam, duo viri ſtant ſecus mulieres in veſte fulgenti. Angeli apparent, nuntiaturi Chriſti Reſurrectionem, per quam corpus in vitam tranſibat Angelicam. Apparet primus ſedens, ut quietem beatitudinis ſignificet. Apparent ſtantes duo, ut ſitum corporis glorioſi exhibeant, &, ſi voles, ut promptitudinem ad obſequia divina indicent. Ethnici Mercurium deorum nuntium pingebant pedi uni inſiſtentem, porrecto alio eóque alato, velut juſſum prævolante. Alati pinguntur Angeli, hic poſt brevem ſeſſionem ſtare dicuntur. Apparet Angelus juvenis inſtar: ut perpetuum florem immortalitatis indicet. Videtur in dextris ſedere, quia ad dexteram eſt æterna fœlicitas: & viæ quæ à dextris ſunt, & ducunt in cælum: novit Dominus; perverſæ autem ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Veſtimenta nivea, ſtola candida, veſtis fulgens, ſignificant innocentiam, ſinceritatem, gaudium, gloriam fœlicis reſurrectionis. Aſpectus ſicut fulgur, ſymbolum eſt ſimul claritatis corporeæ, & luminis divini, quo mentes beatæ colluſtrantur. Hæc mihi incidêre, quæ forſan alii fuſiùs.

IV. Cur mulieribus apparuerint primùm?

At cur ante cæteros omnes Chriſti diſcipulos viſi ſunt mulieribus Angeli? Cur illis Reſurrectionem Chriſti priùs nuntiavêre, quàm Petro, Joanni, Jacobo, aliiſve Apoſtolis? Vulgò dicunt: id factum, ut eò magis Reſurrectio Chriſti vulgaretur. Fœminarum enim lingua promptior eſt; nec ſecreta ipſa continere ſolitæ earum pleræque: quantò minùs tacituræ erant publicanda Angelorum juſſu? Sed hanc reſponſionem, magis vexando ſexui imbecillo, quàm ſolvendæ quæſtioni inventam, prætermittamus. Mihi enim certum videtur, Angelos firmandæ & vulgandæ Chriſti Reſurrectioni mulieribus non apparuiſſe. Cùm ſatis ſcirent, earum viſa non inventura facilem apud Apoſtolis ac poſteros fidem. Quare Apoſtolis audita earum narratio, inſtar *deliramenti* viſa eſt. Et quamvis aſſeverârunt cunctæ, non Angelos ſolùm conſpectos, ſed etiam ipſum Angelorum Regem ſuſcitatum: fidem tamen non fecêre. Petro demum creditum, poſtquam aſſeveravit viſum ſibi Dominum: tunc dicebant Apoſtoli, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*

V. Virtutes mulierum.

Ratio itaque cur Angeli mulieribus apparuerint, ab earum virtute petenda eſt. Objiciant illis fidei defectum hæretici, quòd de Reſurrectione Chriſti dubitâſſe videantur. Non dubitaſſe de re, negabimus: de modo forſan, ac tempore, concedemus: quia nondum difficile iſtud fidei Chriſtianæ caput ſatis intellexerant; adeóque nec vitio verti ignorantia, aut dubitatio, poterat. Abſit ergo, ut infidelitatis eas, alteriúſve criminis arguamus. Imò quaternas contrà illarum virtutes commendabimus, caritatis alumnas; ac teſt. a, quàm conſtanter & ſincerè Chriſtum tum viventem, tum functum amaverint. Occurrit inprimis effuſa in coëmendis, condiendo corpori, aromatibus liberalitas: ſcirent licèt antè à Nicodemo benè pollinctum, & curatum, mixturâ librarum centum thuris, aloës, & myrrhæ. Nihil Magdalenæ in ea liberalitate inſolitum aut novum. Nuper ante quatriduum capiti ejus affuderat unguentum nardi piſtici pretioſi, & prævenerat corpus ejus ungere in ſepulturam: unde & quod hæc fecit prædicabitur in memoriam ejus, domúſque Eccleſiæ impleta eſt odore unguenti. Multò tamen commendabilior erga mortuum, quàm erga vivum liberalitas: quia rarus eſt amor, qui tranſiliat limen ſepulchri: & ſæpiſſimè verum eſt vulgare illud, qui oculis exiit, ſimul è corde exiiſſe. Sed Chriſtus in ſanctis illis mulieribus non erat mortuus à corde, in quo vivebat caritas.

VI. Earum diligentia & fortitudo.

Nihil excitatius amore: moras non novit, anticipat diem, præcurrit Solem. Amantes Chriſti fœminæ, *ante lucem fuerunt ad monumentum*, ut aiunt viatores Emmauntini, Luc. 24. *Maria venit, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum*, inquit Joan. cap. 20. Atqui Marcus dicit eas ad monumentum ſtetiſſe, *orto jam Sole.* Ut concilientur ſententiæ: dicas egreſſas domo ſua ad primum crepuſculum, orto Sole veniſſe ad monumentum. Aut dicas cum Auguſtino, ortum Solem exiſtimari poſſe, quando crepuſculum ortûs prænuntium capit. Surrexerunt itaque ante quintam noſtram matutinam, cùm æquinoctium vernum jam præteriiſſet. Quid hîc dicant principes tenebrarum, & homines noctem vertentes in diem? De diligentia matutina vide annotata ad librum 1 Mach. cap. 4. verſ. 53. Diligentiam fortitudo & magnitudo animi comitata eſt, ſexui infirmo inaſſueta, at non amori. Tenebras non horrent. Satellites ad ſepulcrum poſitos non timent. Judæos, memoriæ Crucifixi infenſos, non formidant. Terra tremit; non ſuccutiuntur. Unica ipſis incidit cogitatio, de lapide revolvendo ab oſtio monumenti. *Quis revolvet*, inquiunt, & pergunt. *Quis revolvet* lapidem inveteratæ conſuetudinis? *Quis revolvet* ab indurato pectore rupem obſtinationis, & ſaxeam molem? Ne hære, ne diffide: perge ſolùm quà te Deus vocat, aderunt Angeli, obicem omnem amovebunt.

VII. Modeſtia earumdem.

Ne magnitudinem animi in mulieribus præfidentiæ junctam, & inverecundiæ, arbitrêris; ſimul modeſtiam illarum intuêre. *Mulier* enim *ſine verecundia, cibus ſine ſale*, inquit verbum Arabum. Et vulgò, neque ineleganter, modeſtiæ & caſtitati verba Threnorum applicantur, cap. 2. *Luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.*, Modeſtia ac verecundia pudicitiæ antemurale ſunt. Eam virtutem mulieres ſanctæ primùm in comitate coluêre. Solam in tenebris fœminam, imò ſolam interdiu per publicum diſcurſare, niſi valdè urgent negotia, non addecet. Scitur quid Dinæ Jacobi filiæ factum, Gen. 34. quæ ſola ſpectatum ierat mulieres regionis illius. Deinde modeſtiam illarum in veſtitu conſidero: manè enim progreſſæ, cultui & mundo muliebri temporis multum dare non potuerant: & ſi feciſſent, Angeli reprehendiſſent, quod Cyprianus ac Tertullianus acerbè perſtringunt. Non ignoro, uti Auguſtinus Ediciam matronam monebat, poſſe haberi *in ſuperbo cultu cor humile*: contra aliquando haberi in humili cultu cor ſuperbum. At plerumque nimia veſtium cura vel ſuperbi, vel vani, vel otioſi ac minuti animi indicium eſt. Tertia modeſtiæ nota in geſtu eſt, ac præcipuè in oculis: Angelo viſo, ſexum alium veſtibus & oris lineamentis præferente, obſtupuerunt, & oculos declinaverunt in terram. *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* Prov. 17. oculorum autem demiſſio bonæ mentis ſignum eſt.

VIII. *Angelorum verba.* Ex ea modeſtia ac demiſſione oculorum, Angeli occaſionem cepêre illas amicis vocibus compellandi atque animandi : *Nolite timere, nolite expaveſcere vos.* Fugiant cuſtodes ſepulcri : conſternentur Pontifices, & conſultent ad cuſtodum fugam : obſtupeſcat Pilatus. At vos, diſcipulæ Chriſti, eum amantes, tantâ liberalitate, diligentiâque, & animo, ejus amorem promeritæ, *Nolite expaveſcere.* Et vos, Chriſtiani, pœnitentiâ mundati, benè vobis conſcii, in futurum providi, *nolite expaveſcere* ; hæretici contremiſcant, expaveſcant irreligioſi Catholici ; at vos, *nolite timere*, cor veſtrum inquietis & anxiis cogitationibus cruciare deſinite. Subdunt Angeli : *JESUM quæritis Nazarenum crucifixum ; ſurrexit, non eſt hic* : & cum iſtis verbis in ſepulcrum eas advocant, forſan & inducunt, ut aurium fidem oculorum teſtimonio firment : *Ecce*, inquiunt, *locus ubi poſuerunt eum.* Non meminiſtis nudiuſtertius veſpere hoc ipſo in loco corpus à Joſepho, Nicodemo, famuliſque compoſitum ? Ite ergo ad diſcipulos fœlicium novorum nuntiæ, & mementote, mortem vobis à Magiſtro & reſurrectionem ſuam pariter prænuntiatam. Dicti veritatem mors comprobavit : reſurrectio itidem teſtata eſt.

IX. *Cur Chriſtus nunc ab Angelis JESUS nominatur ?* In hiſce Angelorum verbis tres tituli Chriſto dati non obiter notandi ſunt. Ac primo quidem loco JESUS appellatur, convenientiſſimè & Angelis, & tempori. Amabile erat Angelis & venerabile nomen, pro ſuo ſalutis humanæ deſiderio : Angelus matri indicârat ; Angelus item Virginis ſponſo : jam tunc Angeli genua flectere, id eſt adorabundi ſeſe ſubmittere conſuêrant, *in nomine JESU.* Præterea Salvatoris munus numquam aliàs magis, quàm in Reſurrectione, Chriſtus exercuit. Venerat *quærere, & ſalvum facere quod perierat* : vitâ omni quæſierat : morte & cruce quærendi laborem conſummârat : reſurrectione ſalvum denique fecit ſemetipſum, ſalvos alios : animas de tenebris limbi excitat, ſuſcitat corpora de nocte tumulorum, & populum habitantem cum Cedarenis, cujus incolatus prolongatus erat, educit in terram fluentem lac & mel. Meritò itaque JESUS nominatur, qui ſic operatus eſt ſalutem in medio terræ.

X. *Cur appellatur Nazarenus ?* Meritò item dicitur Nazarenus, non tam à patria, quàm à flore, de quo tam diſertè Iſaias c. 11. Satus eſt in terra virgine, requieſcente ſuper eum ſpiritu Domini, vento roris, germinavit. Exortus eſt naſcendo ut humilis viola, ſanguineæ purpuræ colore per Circumciſionem intincta. Vitâ omni immaculatum lilium eſt : quis enim arguat eum de peccato ? In Paſſione roſam exhibet, cruore rubeam, ſpinis dolorum aculeatam. Mors florem clauſit : bulbus terrâ obrutus eſt : emerſit Reſurrectione amaranthus, qui numquam marceſcet. Venit ver perpetuum, & dies æterna : abiit hyems, quæ flores decutit ; nox, quæ claudit. O florem coloris eximii, odoris gratiſſimi, quando Chriſti caro per glorioſas dotes refloruit ! Quid coronarias plantulas expetimus, inquit Tertull. lib. de corona mil. quando *habemus florem Jeſſe ſuper quem tota ſpiritûs gratia requievit ?* Hunc amemus, hunc amamus ſanctè prodigi, & florum marcidorum inſanis amatoribus prudentiores. Pertranſeat flos temporis, opes, honores, voluptates : at ille numquam.

XI. *Separandus à mortuis Chriſtianus.* Nazareni nomen mavis à ſeparatione, quàm à flore, deducere, per me licet : neque enim & illic deerit, quo inſtruamur. Nudiuſtertius ſeparatum ab anima corpus Chriſti, jam ſeparatur à mortuis. *Quid quæritis viventem cum mortuis ? Surrexit, non eſt hic.* O ſi & de nobis id ab Angelo pronuntiari poſſit, aut ab Angelico Apoſtolo, qui nos vult deinceps ambulare in novitate vitæ, quomodò Chriſtus ſurrexit per gloriam Patris ! In Evangelio ſepulcrum legimus, unde exire non licet : *Mortuus eſt dives, & ſepultus in inferno.* Ambroſius ad c. 7. Lucæ, ſepulcrum aliud deſignat, unde datur exitus, quò regreſſus vetatur : *Quis eſt iſte tumulus tuus, niſi mali mores ?* Reſurrectiones generum trium ſunt : imaginariæ, qualem aliqui fuiſſe exiſtimant apparentis Saüli Samuelis, quales omnes arte necromantica factæ : temporariæ, qualis Lazari aliorumque ſuſcitatorum ad mortem ruſus obeundam : perpetuæ, qualis hodierna Chriſti ad immortalitatem reviviſcentis, & hac ſententiâ verè Nazareni, quia ſemper à mortuis ſeparati. Vis & tu Chriſtiane, ſemper vivere ? Separare à mortuis, exi de malis occaſionibus, à conſortiis pravis ſejungere : *Quid quæritis viventem cum mortuis ?*

Eſto Nazarenus : eſto etiam vitiis & concupiſcentiis crucifixus. Mirum cuipiam videatur, cur Angeli tertium hunc titulum Chriſto adjecerint ? Neſciebant forſan mulierum animos, recenti optimi Magiſtri ignominiâ ſaucios, commemoratione funeſti nominis iterum vulnerari ? Non poterant Regem Judæorum appellare, ut tres ſimul titulos Cruci per Pilatũ affixos, nec ſine Numine non mutatos, afferrent ? Non poterant, Patrem futuri ſæculi, & Principem pacis cum Iſaia indigetare, ſubjugatâ jam morte, debellatis inferis, pace parta, ſæculorum ordine redintegrato ? Quorſum ergo Crucifixum vocare maluerunt ? XII. *Cur Chriſtus ab Angelis Crucifixus nominatus ?*

Primùm, quia de eo adhuc tamquam de crucifixo mulieres cogitabant ; fingebantque ſibi in animo talem, qualis ab Angelis vocabatur. Neque enim ſurrexiſſe rebantur : ſed adhuc ex Crucis ſupplicio exſanguem, & exanimem jacere exiſtimabant. Magdalenæ Chriſtus hortulani habitu viſus eſt ; quia corpus illius ab hortulano ſublatum ſuſpicabatur. Emmaüntinis viatoribus viatoris inſtar apparet, neque agnoſcitur : quia jam antè ab eorum mentibus incredulis peregrinari, & non agnoſci, cœperat. *Hoc*, inquit Greg. hom. 23. *erat foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur in oculis cordis.* Crucifixum adhuc cogitatis, ô fœminæ, nondum ſuſcitatum : ideò Crucifixum ad mentis veſtræ ſententiam Angeli vocant, cùm Crucis ac mortis triumphatorem vocare aptiſſimè potuiſſent. XIII. *Ex mulierum opinione ſic vocatur.*

Deinde Crucifixum Angeli Chriſtum nominant, ut ex ejus tituli comparatione reſurrectionis gloria magis emineat : eòque magis mira ſit ſuſcitatio mortui, quò mors magis acerba & publica, atque inde certior ac teſtatior, fuit. Quærit Origenes lib. 2. cont. Cel. quamobrem Chriſtus ſupplicium crucis præ cæteris elegerit ? *Vt nemo*, inquit, *de reſurrectione ipſius ambigeret. Finxerunt Paganorum multi ſeſe vel reſurrexiſſe, vel ab inferis rediiſſe, poſtquam diu latuerant : Pythagoras in Italia : Zamolxis ejus famulus apud Scythas : Rampſinitus apud Ægyptios, auſus mentiri, ſeſe Cereri apud inferos teſſeris colluſiſſe, donòque aureum mantile accepiſſe : Orpheus apud Odryſios : Proteſilaus apud Theſſalos : Hercules & Theſeus in Tanaro.. Ne maledici fictam Chriſti reſurrectionem jactarent, palam & clara luce crucifigi voluit* : & ſic ab Angelis vocari voluit, componique titulum Crucifixi præconio reſurgentis. XIV. *Et ad Reſurrectionis gloriam majorem.*

Denique placuit Angelis titulum iſtum præ tot aliis commemorare : quia Chriſto honorificentiſſimus eſt, & nobis utiliſſimus. Quid enim amorem XV. *Et ad Chriſti honorem atque amorem.*

nostrum

noſtrum potentiùs accendit? Quid ad ejus honorem efficaciùs permovet? Glorioſum ſibi aliquando Paullus exiſtimavit hunc titulum, *Vinctus JESV Chriſti*: ut eum fermè venditare videatur. Martyres nil ſibi majori gloriæ tribuunt, quàm elogia cæſorum, uſtulatorum, morſorum, diſtractorum, diſcerptorum pro Chriſto. Chriſtus itidem non alio magis titulo gloriatur, quàm Crucifixi pro ſalute generis humani. Idcircò forſan vulnera reſurgens ſervavit, Apoſtolis Paſſionem commemoravit, ab Eccleſia in ſingulis fermè poſt Paſcha Evangeliis commemorari voluit. Apoc. c. 1. nominatur Chriſtus, *Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ*. Vides mortem Principatus præcedere: pluriſque Chriſto eſſe, quòd inter mortuos primus ſurrexerit, quàm quòd Regum maximus? Regnet in nobis primogenitus mortuorum Crucifixus: prædicemus JESUM Crucifixum: nihil arbitremur nos ſcire niſi JESUM, & hunc CRUCIFIXUM.

SECTIO QUINTA.

Chriſti Reſurgentis teſſera, Pax vobis.

I. Læta pacis comprecatio.

CUM anno quadrageſimo ſexto ſeculi proximè elapſi P. Petrus Caniſius Leodii, ubi poſtmodùm Societas noſtra ſedem accepit, de hoc themate dixiſſet in æde Lambertiana: Guilielmus à Pictavia tunc Canonicus, poſtmodùm Præpoſitus Lambertianus, & recuſato Audomarenſi Epiſcopatu celebris, poſt auditam concionem Patri Caniſio gratulans: Canisi, inquit, linguam canis medicam habes. Utinam & nos loquendo ſuavem hanc pacis medicinam inquietis animis facere poſſemus: Id certè ſpectavit Chriſtus, cùm naſcens voluit occini ab Angelis pacem hominibus bonæ voluntatis. Id voluit, quando præſentatus in Templo, à ſene portatus, & ſenem regens, ei Canticum pacis ſuggeſſit. Idem hodie commendat reſurgens, & octavo poſt Reſurrectionem die. Narrat Baronius an. 438. ex Coſma Veſtiario & Nicephoro, quando corpus D. Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolin, juſſu Theodoſii junioris, revectum eſt, mira duo accidiſſe. Primum, quòd, diſſipatâ reliquâ claſſe, Imperatoria navis, ſacris exuviis onuſta, ad viduæ illius agrum appulerit, ob quam Eudoxia Chryſoſtomum perſecuta erat. Alterum, quòd, poſt pompam & ſupplicationem, corpus in Patriarchali throno collocatum, clarè pronuntiârit, *Pax vobis*. Reſurgens Chriſtus, quem Petrus vocat 1. 2. *Paſtorem & Epiſcopum animarum* noſtrarum: cujus non os tantùm aureum erat, ſed & verba omnia deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum, meritò à Petro dicta *verba vitæ æternæ*: rediens ergo Chriſtus ab exilio limbi, & ſepulcri, primùm ad ſanctam viduam venit matrem ſuam: denique ad Apoſtolos accedit, & in eorum medio, velut in throno conſiſtens, ante omnia, *Pax vobis*, inquit, jucundiſſimâ ſalutatione: de quâ quæremus, cur pacem Chriſtus Apoſtolis dederit? qualem? quis habendi modus?

II. Cur Chriſtus reſurgens pacem dederit Apoſtolis?

Toletus triplicem rationem affert, cur hac ſalutatione uſus ſit Chriſtus. Primùm: ut indicaret fructum ſuæ Paſſionis: nam mortem noſtram moriendo deſtruxit, uti Eccleſia canit; &, quomodò Paullus loquitur Coloſ. 1, verſu 19. *complacuit per eum reconciliari omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis*. Poſtquam Joſue ſeu Jeſus filius Nave pugnaverat in gentes à Deo proſcriptas, *Quievit terra à præliis*, Joſ. 11. Poſt Chriſti certamen extremum, decet ut pax, ejus laboribus comparata, promulgetur. Altera ratio fuit, quòd Apoſtolos gravis metus inceſſerat, & tumultuoſæ cogitationes in eorum corda aſcendebant. Itaque timori componendo, Chriſtus dixit, *Pax vobis, ego ſum, nolite timere*: quemadmodùm Jud. c. 9. Angelus Gedeoni formidanti dixit, *Pax tibi, vir virorum fortiſſime, non morieris, ne timeas*. Denique, eo loquendi modo Chriſtus agnoſci voluit ab Apoſtolis. Salutandi & valedicendi formula apus Hebræos, & apud gentes omnes Hebraicis dialectis utentes, uſitata eſt, *Pax tibi, Schalomlec, Schalomleca*, &c. Pro eo quod nos ſalve, ave, vale, χαῖρε, aliáque ejuſmodi uſurpamus. Chriſto autem adeò familiaris erat, ut etiam diſcipulis illam ad prædicandum miſſis indixiſſet: & moriturus pacem ipſis velut teſtamento legâſſet. Conſuetâ igitur formulâ reſurgens utitur: ut vel inde agnoſci ab Apoſtolis poſſit. Viſus, tactus, guſtus, reſurrectionis veritatem ſenſêre: teſtetur etiam auditus. Iſthæc ferè Toletus, & optimè, ut ſolet.

III. Pax Chriſti reſurgentis congruit mundo.

Nec malè dixerimus, ſalutatione tali Chriſtum tum uſum, quia Chriſto conveniebat, Apoſtolis, Tempori, Loco, Univerſo. Univerſo congruebat, cui reddenda pax fuit, quam per tempus Paſſionis amiſerat. Ita Chryſologus ſerm. 81. *Dum rebellis Iudæa creatorem ſuum debellare contendit, & in auctoris ſui necem levat impias manus, terris abſtulit pacem, concordiam rerum ſolvit, elementorum fœdus ſic rupit, ut mundum totum ad chaos revocaret antiquum. Demque noctem fugat, lucem invadit: lucem tenebris, cælum rebus auffert, facit tremere terram, miſcet mortuos vivis, inferos ſuperóſque confundit, & diſſipato ordine in creatoris injuriam, pacificum nil penitùs, amicum penitùs nil reliquit. Hinc eſt, quod reverſus ab inferis Chriſtus, ut rebus pacem reddat, exclamat Pax vobis.*

IV. Item loco, tempori, Apoſtolis.

Loco conveniebat comprecatio pacis. Erant enim Apoſtoli Hieroſolymæ, id eſt in Viſione pacis: erant in eodem cænaculo, uti conſtans veteriſque perſuaſio habet, in quo Sacramentum pacis & concordiæ conditum fuerant. Quid Chriſtus à belli domo, id eſt inferis, rediens, aptius loco illi exoptet? Adde tempus fuiſſe Paſchæ, Judæis lætiſſimum, ob memoriam gentis ſuæ duriſſimo Ægyptiorum jugo liberatæ. Idem tempus ſciebat Chriſtus jucundiſſimum fore Eccleſiæ toti, albis tunc inductum iri Sacerdotes, cantatum iri Alleluia, Dominicam unam vocatum iri *in Albis*: quia ergo perfecta nulla eſt ſine pace lætitia, eam Chriſtus hoc tempore, ut & nos prædicaremus, publicavit. Deinde convenientiſſima pax Apoſtolis fuit. Nam ut eleganter deſcribit Chryſologus, in eorum animis atrox erat bellum fidei cum dubitatione, defectûs cum magnanimitate, credulitatis cum incredulitate, *Inſiſtebant mentibus eorum cogitationum caterva, & excurſibus deſperationis ac ſpei robuſta quamvis pectora rumpebantur. Hoc videns ſcrutator pectorum Chriſtus, qui jubet ventis, procellis imperat, & ſolo nutu tempeſtates tranquillitate commutat, mox eos ſuâ pace confirmat, dicens, Pax vobis.* Iſthæc aliáque Chryſologus ſerm. 81. vide etiam 84.

V. Pacis comprecatio Chriſtum decet.

Chriſtum denique maximè ea vox decuit, non ſolùm quia ipſi familiaris erat, nec tantùm quia Paſſione ſuâ pacem comparârat: ſed quia nullum illius Majeſtate, bonitate dignius donum erat: nihil attuliſſe poterat hominibus pretioſius, & optabilius.

optabilius. Baſilius ea pſalm. 28. verba explicans, *Dominus benedicet populo ſuo in pace*: non in diviriis benedicat, non io honoribus, non in victoriis, non in miraculis, non in illuſtrationibus, non in vaticinationibus: quamquam & illa populo ſuo Dominus dederit: noo tamen in iis dicitur benedicere populo ſuo, ſed *in pace*. Cur hoc, inquit Baſilius? *Quia inter benedictionis divinæ ſpecies pax perfectiſſima eſſe videtur, cùm rectus ſit mentis ſtatus.* ἔοικε δὲ τελειοτάτη τῶν εὐλογιῶν εἶναι ἡ εἰρήνη· εὐστάθειά τις οὖσα τοῦ ἡγεμονικοῦ. Benedicat Deus homini, quomodò Iſaacus Jacobo, in divitiis & in honore, *de rore cæli, de pinguedine terræ; ut ſerviant illi tribus, & adorent eum filii matris ſuæ*: ſi pax abſit, exiguum omninò bonum eſt. Virtus ipſa, ſi agreſtis, incompoſita, inquieta, ac triſtis eſt, qualis ab aliquibus fingitur, perfectam non habet benedictionem, quia pace caret, ſine quâ bonum vix ullum, cum quâ bona omnia. Indicat Paullus Rom. 10. ubi poſt Iſaiam cap. 52. & Nahum cap. 1. vocat *ſpecioſos pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: quaſi idem ſit, pacem denuntiare ac poſſidere, quàm bona ſimul univerſa: & verò Chryſoſtomus fideliſſimus Paulli interpres eam vocat, *Matrem bonorum omnium, cauſſam & materiam gaudii*.

VI. Pacis dignitas.

Baſilii amicus Greg. Nazianz. tres dixit Orationes de Pace, ſeu λόγους εἰρηνικούς. Priores duas Nazianzi habuit; poſt renovatam concordiam Monachorum cum ejus patre Epiſcopo, ſopitâ ingeno diſſenſione. Tertia Conſtantinopoli habita eſt, cùm populus in factiones ſciſſus eſſet, ſtudio quorumdam Epiſcoporum. In prima de Pacis laudibus plurima dicit: à Deo nos ad illam vocari: à natura & partibus omnibus Univerſi eam nos doceri: eâ conſervari cuncta; ſi perierit, interire: Nazianzenam plebem ac gregem ejus ſemper amantiſſimum fuiſſe, vocatamque frequenter eam Eccleſiam arcam Noë; quòd orbe reliquo tempeſtatibus diſſidiorum obruto ipſa ſola tranquillè fluctuaret: ultimam diſcordiâ concuſſam, primam pacatam. Iſta valde luculentè ad pacis commeodationem ab eloquente Patre extenſa parum tamen ſunt ad ea quæ habet oratione tertia; ubi fœditatem diſſenſionum inter Chriſtianos, Dei & Chriſti, id eſt caritatis & pacis cultores, exaggerat: cauſſam aliam noo eſſe, quàm pravos affectus, etſi alia prætexantur: latronibus nos eſſe pejores, qui inter ſe pacem aliquam colunt, ut fruantur: & alia multa ejuſmodi. Nihil de pace elegantius, quàm quod initio dicit, poſt datam populo receptamque pacis ſalutationem: εἰρήνη φίλη, τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα: *cara pax, ſuavis res & vox*. Et mox: εἰρήνη φίλη τὸ ἐμὸν μελέτημα καὶ καλλώπισμα, ἣν Θεοῦ τε εἶναι ἀκούομεν, καὶ ἧς Θεὸν, τὸν Θεὸν καὶ αὐτὸ Θεὸν ſive ut alii legunt καὶ αὐτὴν Θεόν. Sententia eſt: *O cara pax, ſtudium meum, & ornamentum, quam Dei eſſe audivimus, & cujus Deum, & ipſam Deum!* Affert deinde verba Apoſtoli: *Pax Dei, & Deus pacis, & ipſe eſt pax noſtra*: Phil. 4. 2. Cor. 13. Epheſ. 2. Quid luculentius dici poteſt ad pacis laudem: quàm eam eſſe Dei propriam poſſeſſionem: imò Deum ejus poſſeſſionem eſſe: imò & Deum ipſum eſſe pacem.

VII. Cur bis repetita Pax à Chriſto?

Sed de pacis dignitate aliquid etiam ſectione ſequenti dici poterit. Nunc de ſecundâ quæſtione agendum: qualis pax à Chriſto Apoſtolis donata? Chryſologus ſerm. 84. notat, bis unâ apparitione dictum, *Pax vobis*: primùm, ut ſibi quiſque Apoſtolorum pacatus eſſet: deinde ut pacem inter ſe ſervarent. *Quid repetita pacis largitas iſta manifeſtat? Niſi quia quietem, quam ſenſibus indixerat ſingulorum, vult inter eos etiam repetita pacis donatione ſervari? Quos utique non modica habituros eſſe noverat de ſua cunctatione certamina: dum unus ſe in fide perſtitiſſe jactaret, dubitaſſe alter mæreret.* Proſequitur deinde, quæ inter ſe objicere probra potuiſſent Apoſtoli, & ipſi in aliis Petro, ſi pax commendata non fuiſſet; qualem optat Eccleſia filiis ſuis, ut quos unus panis cæleſtis ſatiavit, fiant divinâ pietate concordes. Paullò aliter, & propius vero, Toletus. Primùm pacem animis Apoſtolorum dari, ut Reſurrectionem credant, & in ea fide acquieſcant. Deinde, jam credentes, jubet publicare mundo fidem ſuam, & pacem. Unde etiam tunc dicit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: pacati eſtote in vobis, tum eſtote pacificatores aliorum.

Advertunt nonnulli ter datam pacem geminâ apparitione: duntque ſignificari pacem trium potentiarum animi. Alii ex S. Bonaventura conficiunt trigeminam pacem, Affectionis, Cogitationis, Operationis: eam haberi fugiendâ multiplicitate affectionum, multiplicitate cogitationum, multitudine operationum. Alii ex vulgari explicatione dicunt ſignificari pacem cum Deo, ſecum, & cum proximo. Et de hac quidem nominatim intellexit D. Epiphanius Ticinenſis, apud Enn. perſuaſurus Evarico Gothorum Regi pacem cum Julio Nepote Cæſare, cujus erat legatus: *Regem te habere memento, cui oportet conſiderare, quid placeat: qui cùm ſuſceptum hominem portaret ad cælum, pro immenſa hereditatis munere pacem diſcipulis iterata ſæpiùs admonitione commendat. Cujus præcepti neceſſe eſt nos eſſe cuſtodes: præcipuè cùm noverimus, virum fortem dici non poſſe, quem vicerit indignatio.* Etſi interpretationes iſtæ piæ ſunt, nec rejiciendæ: ſi tamen veram ſententiam horum verborum examinemus, cùm eadem ſint, eodemque modo & ad eoſdem dicta, idem omninò ſignificare mihi videntur, bona aliorum Interpretum veniâ. Et verò, ſicut cùm ante Paſſionem diſcipulis ſuis extrema dans monita bis pacem repetiit, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: idem tamen utraque voce indicare voluit. Ita hic ratio non eſt, cur aliàs aliud innuere voluerit. Quæ igitur pax illa toties repetita, ac commendata à Chriſto?

VIII. Cur ter data pax?

Duo ſunt pacis genera, quæ pacem omnem complectuntur: exterior una, alia interior: mundi una, alia Chriſti: corporis una, alia cordis. Illa communis eſt bonis ac malis: & ſæpiùs malis datur in hac vitâ, perpetuum in alterâ bellum habituris. Hæc bonis ſolis convenit. De illa dicit Vates pſalm. 72. *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* De hac canitur pſalm. 4. *Dediſti lætitiam in corde meo. In pace, in idipſum, dormiam, & requieſcam.* Exteriorem illam pacem Apoſtolis Chriſtus non donavit. Eam enim tunc non habebant, nec poſtmodùm erant habituri, neque habere poterant. Nondum habebant: quandoquidem eſſent *congregati propter metum Iudæorum*: &, uti loquitur Chryſologus ſerm. 83. ædes ubi latebant, *non erat domus, ſed carcer*. Nec poſteà erant eam pacem habituri, cùm Chriſtus diſertè prædixiſſet Joan. 14. *Pacem meam do vobis, non quomodò mundus dat, ego do vobis.* Et in hac ipſa apparitione, abſente Thoma, poſtquam dixit, *Pax vobis*, & dedit Spiritum ſanctum, ſubjicit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Id eſt, ut Greg. loquitur homil. 26. in Evangelia: *eâ vos caritate diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum mitto, quâ me Pater caritate diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.*

IX. Pacem exteriorem Apoſtoli non habuere.

Denique

Denique pacem tunc cum mundo habere Apoſtoli non poterant, quandoquidem contrarias ipſis leges moréſque ſeqneretur, totus tunc in maligno poſitus. Quæ autem poteſt eſſe inter diſſentientes intellectu ac voluntate concordia? Et verò, ut ait Nazianz. orat. 1. de Pace: *Melior eſt contentio pietatis cauſâ ſuſcepta, quàm vitioſa concordia*: aut cum Iſidoro: *Meliùs eſt habere malorum odium, quàm conſortium.*

X. Pax interior. Supereſt itaque, ut pacem interiorem, ſive cordis animi ve, Apoſtolis Chriſtus impertitus ſit. Et forſan idcireò ſtatim à pronuntiata ſalute, cùm hæc dixiſſet, *oſtendit eis manus & latus*: manus indices amoris, & latus apertum. Deinde præſentem Thomam, pace ſimiliter donatâ, invitavit ad manuum & lateris tactum. Quaſi diceret: quam ego pacem in vobis affero, non corporis, ſed cordis eſt. Non illa cui interventores, diſſertationes, capita multa opus ſunt: à variorum hominum cerebro pendens, & cùm optimè coalita videbitur, finem unde non ſuſpicabaris habitura. Sed quæ inter corda duo componitur: cor Chriſti lato vulnere ſciſſum, & cor hominis Chriſtum amantis. Quam miles in acie, mercator in negotio, cauſſidicus in foro, nobilis in circulis, literatus in ſtudiis, artifex in officina, infælix in miſeriis poſſidere poſſit. Quam qui habet ſimilis ſit Angelis, inter operationum varietatem ſemper videntibus faciem Patris: Deum imitatur, cui Auguſtinus dicebat Confeſſ. 1. *Immotus, omnia movens: ſemper agens, ſemper quietus: iraſceris, & tranquillus es.* Et Boethius, *Stabiliſque manens, dans cuncta moveri.*

IX. Quis hanc obtinendi modus? Quis Chriſtianus hunc animi ſtatum non exoptet? Sed quis adipiſcatur? Legite Senecas de Vita beatâ, & de Tranquillitate: Democritos de argumento eodem: Epictetos, alioſque philoſophos: imò & noſtros Chriſtianos, qui ſanè multa & præclara hac de re. Sed vix uſquam brevius ac nervoſius præceptum audietis, quàm à Proſpero Epig. 24.

Eſt & in hac vita requies multis data ſanctis;
Quorum animas mundus non tenet occiduus:
Quos deſideriis nullis peritura fatigant,
Et quibus omne bonum eſt Chriſtus, & omnis honor.

Expende ſecundum diſtichon. Mavis à Paullo diſcere, pacem toties commendante? Quoties nobis repetit Col. 3. ut ſi ſurreximus cum Chriſto, *quæ ſurſum ſunt* quæramus, *non quæ ſuper terram?* Mavis Chriſtum ipſum doctorem? Verbum incarnatum etiam geſtibus loquitur: nil ſine cauſſa facit. Cur *januis clauſis*: cur, *in medio* Apoſtolorum, dicit *Pax vobis?* Niſi ut indicet tunc nobis animi pacem conſtare, quando ſenſus clauſi ſunt, neque animus per vana creatarum rerum deſideria evagatur: & quando Chriſtus eſt *in medio* cordis noſtri, ut affectionum omnium centrum.

XII. Deſideria nimia creatarum rerum amputanda. Synagogæ primarius Eccleſiaſtes exemplum ſuum profert, ut doceat, ſenſibus ad inania ſparſis, imaginationem vagari, intellectum diſſipari, voluntatem diſtrahi, animum fatigari & inquietari. Multa, inquit, deſideravi, omnia fermè obtinui. Quid in illis latebat? *Vanitas.* ſolidi ac ſinceri nihil. Nec vanitas ſolùm, ſed & *afflictio ſpiritus.* Auguſtinus alter Salomon, *& pluſquam Salomon*, Salomone certè fælicior ſi non ſapientior, de inquietis annis agens apud auctorem vulgarium Soliloquiorum, cap. 31. *Circuivi*, inquit, *vicos & plateas hujus mundi, quærens te, & non inveni te; quia malè quærebam foris quod erat intus. Miſi omnes nuntios meos ſenſus exteriores, & non invêni, quia malè quærebam.* In corde enim quærenda pax cordis. Jeremiæ 45. Baruc queritur dolorem additum dolori ſuo. Reſpondet Jeremias Dei nomine: *Tu quæris tibi grandia, noli quærere.* Chriſtiane quæris divitias, ſed nimis, cum præcipiti affectu, turbaris: *Noli quærere.* Quæris honorari, & amari: neque id malum: ſed ſi turbari non vis, *noli* nimis *quærere*; & cùm habes, noli nimis hærere. Pelles Jacobo patriarchæ à matre circumdatæ, ſine dolore auferuntur: at hirſutam fratris pellem ſi quis auferre voluiſſet, non ſine magno dolore id feciſſet, quia hærebat. Ita ſi affectu temporalibus adhæres, fieri non poteſt quin jactura valdè tibi doleat. *Non poteſt*, inquit Auguſt. in pſal. 7. *labor finiri, niſi hoc quiſque diligat, quod invito non poteſt auferri.*

At, inquis, etiam philoſophi hoc præcepêre. XIII. Ad Chriſtum referendi affectus. Vide Senecam de Vit. brev. *Quid ſupra enim poteſt eſſe, qui ſupra fortunam eſt?* Audi de Vita beatâ: *Eundum ad libertatem eſt, hanc non alia res tribuit, quàm fortunæ negligentia.* Itaque Chriſtianum præceptum & ſolidiſſimum accipe. Spectas Chriſtum *in medio* Apoſtolorum dicentem *Pax vobis?* Stet Chriſtus in medio Chriſtianorum: omnes ad eum referant ſua deſideria, non quæ ſua ſunt quærant, ſed quæ JESU Chriſti, pax ubique erit, abjectis rixis, ſopitis diſcordiis. Sed quia de pace interna agimus: ſtet Chriſtus in medio cordis tui: ad eum deſideria tua omnia temporalium & ſpiritualium referantur, & pacem habebis. Apibus quamdiu rex non eſt, inquietæ volitant, & pugnant interdum acerrimè: at ubi de rege conſtat, ad illum omnes conveniunt, & quieſcunt. Amet Chriſtianus, quidni? Neque enim eſt ἀπαθής. Timeat Chriſtianus, quidni? Neque enim eſt marmor. Lætetur, triſtetur aliquando: quidni? Cùm bona, & mala, ſint lætitiæ ac triſtitiæ objectum. Sed amet, timeat, lætetur, triſtetur, ut vult Chriſtus: & tunc *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*, βραβευέτω, triumphet. Hoc votum Paulli Col. 3. & noſtrum omnium, ô Chriſte.

SECTIO SEXTA.

Pax Chriſto naſcente promulgata.

CUM jucundiſſimum ſit nomen pacis, gratiſſimáque commemoratio, ab reſurgente Chriſto ad naſcentem regrediemur, cantatamque ab Angelis pacem audiemus. I. Feſtum Natalis Chriſti. Inter Eccleſiaſtici officii ſolennes die naſcentis Chriſti cæremonias, præcipua eſt, Sacrorum trium celebratio, quam à primis ſæculis uſurpatam luculentus teſtis eſt D. Leo. Ejus cæremoniæ ratio vulgò petitur ex triplici Chriſti Nativitate, æterna, temporali, myſtica ſeu ſpiritali. Rupertus tres leges ſignificari vult: Legem naturæ, quæ præ aliis in concubiâ nocte fuiſſe dicenda eſt: Legem Moſaicam, quæ auroræ inſtar præcucurrit Chriſtum: Legem gratiæ, quam illuſtrat lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, diemque efficit. Quid ſi trigemino Sacrificio loca tria, ubi naſcente Chriſto feſtum actum eſt, deſignari dicamus? Feſtum fuit in præſepi, cùm mater enixa eſt primogenitum; &, quem genuit, ſupplicibus lacrymis, ſuſpiriis, & oſculis adoravit. Egêre feſtum in agro paſtores, quibus annuntiatum eſt gaudium magnum. Nec parva feſti pars in aëre acta eſt per Angelos, identidem concinentes, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quidem ſignificanter ab Evangeliſta cantores illi Angelici dicuntur

dicuntur *Militia cæleſtis*: ut eò lubentiùs filii pacis de pacifico Salomone, ejuſque pace loquamur, & audiamus, cùm milites ipſi, velut bello jam exhauſti, & fatigati, pacem inſonent, & inclament.

II. Eſt pacificum.

Regum l. 1. cap. 16. Samuel à Deo jubetur ire in Bethleem, tempore quo minimè exſpectabatur: & *admirati ſunt ſeniores civitatis occurrentes ei, dixerúntque; Pacificúſne eſt ingreſſus tuus? Et reſpondit; Pacificus: ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum.* Samuel noſter parvulus, iſte à *Deo* omnium ſæculorum votis *Poſtulatus*, iſte nobis datus Sacerdos in æternum & ſupremus Judex, jubetur à Patre ſuo, aut potiùs ab amore ſuo, imperiis Cæſaris Auguſti utente, ire in Bethleem. Miratur natura, percunctatur: *Pacificúſne eſt ingreſſus tuus?* Infantis vice reſpondent Angeli: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Imò & ipſe de fæno cuniſque reſpondet: nam *Infans quidem eſt, ſed infans verbum, cujus ne ipſa quidem infantia tacet*: loquuntur lacrymulæ infantiles, delicata ſuſpiria, corpuſculi totius tremor, ad frigidi hibernâ nocte aëris contactum. Illæ Verbi infantis voces, aliùs quàm Angelici cantus, pacem in terra hominibus ingeminant.

III. Chriſtus Princeps pacis.

Et verò quid aliud à Chriſto naſcente, quàm pacem exſpectemus? Prodiit è virgineo thalamo, ubi menſes novem incluſus, nil aliud quàm capita ſociendæ concordiæ recognovit. Si tunc ab illo Intelligentiæ cæleſtes petiiſſent: ecquid tamdiu in anguſtiis illis captivus & otioſus deſides, orbis fabricator, miraculorum patrator, perditorum Salvator? Minimè ego quidem, dixiſſet, otioſus ſum: nam *cogito* hic *cogitationes pacis, & non afflictionis.* Ipſe eſt, cujus titulos eloquentiſſimus Prophetarum Iſaias agglomerans cap. 9. *Vocabitur*, inquit, *nomen ejus Admirabile, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Facto gradatim aſcenſu, in hoc extremo, velut ſummo omnium ac præcipuo, deſinit, & mox ſubjicit: *Pacis ejus non erit finis*, quemadmodùm ſcilicet & *regni ejus non erit finis.*

IV. Pax in Romano Imperio.

At cujus Pacis? Notum eſt, naſcente Chriſto, bella per omnes imperii Romani fines ſiluiſſe. Sic decuit naſci Principem pacis, *cùm medium ſilentium tenerent omnia.* Publicæ ſalutis annuntiatori, & auctori, arma ſeſe ſubmittere debuerunt. Alcyonem narrant, hirundini non abſimilem volucrem, in litore maris nidulari ſolitam, nidúmque ita parare; ut supernè tantùm anguſto foramine pateat, infernè benè materiatus & conſertus, quò refluentibus aquis fluctuare & innatare poſſit. Dum autem nidulatur, Alcedonia fieri, hoc eſt, ferias ventis ac tempeſtatibus indici ſolitas perhibent: velut naturâ ortum aviculæ venerante. Adſpice virginem, cæli volucrem, in Bethleemico ſtabulo occupatam ſtruendo de paleis ac ſtramentis nidulo. Infernè, quà terram ſpectat, elauſus eſt: *non* enim *erat* illi *locus in diverſorio*. Patet ſolummodò supernè cælum versùs, unde Angelorum exercitus devolat, ad ſpectaculum ac miraculum: interim Alcedonia fiunt, in vaſto illo imperii Romani mari, & procellæ bellorum conquieſcunt, ad pacifici infantis exortum.

V. Quatuor pacis genera.

Pax tamen illa exterior non tam naſcentis Chriſti donum fuit, quàm figura longè nobilioris ac certioris pacis, ab ipſo mortalibus impertiendæ. Pacem unam dico, cùm genera quatuor numeraturus ſim, ſed quæ ab uno emanent omnia, aut in unum conveniant. Primum eſto id, cujus meminit Paullus, 2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, Alterum, quod ab Auguſtino tangitur, lib. 19. de Civit. cap. 11. ubi ait: *Pax eſt tranquilla libertas.* Tertium, quod ſic definire poſſimus, *Eſt tranquillitas ordinis, maximè in voluntate*: præeunte D. Thoma 1. 2. q. 70. a. 3. in corp. ubi de pace, fructu Spiritus ſancti, agens; *Hæc duo*, inquit, *impetrat pax, ut neque ab exterioribus perturbemur, & deſideria noſtra conquieſcant in uno*: vide eumdem 2. 2. q. 29. a. 2. & 3. ubi agit de pace, caritatis effectu. Ultimum genus erit, quod à Chriſto ipſo indicatur Luc. 10. quando diſcipulos primùm in aliquam domum ingredientes dicere jubet, *Pax huic domui*, id eſt bonorum omnium abundantia, ſenſu apud Hebræos recepto. Quod diſcipulos facere Chriſtus juſſit, hoc ipſe fecit; in domum panis Bethlemum, & in orbem hunc, commune generis humani hoſpitium, ingrediens, clamavit, aut acclamari per ſuos juſſit: *Pax huic domui.*

VI. Pax terræ cum cælo.

Pax primùm à Deo, ſine qua cæterarum nulla exiſtere, aut conſtare poteſt. Ante natum Chriſtum, quia *Gloria* Deo non dabatur, *Pax* non erat: *Excelſis cum terra* non conveniebat: *Deo* benevolenti deerant *homines bonæ voluntatis.* *Aſcende in montes excelſum tu, qui evangelizas Sion*, & oculos circumfer quaquaversùm. Quota eſt orbis pars, ubi homines non mutaverint *Gloriam ſuam, in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum?* Ubi, Dei unius cultu omiſſo, inania ac fœda nomina pro diis non celebrentur? Angelus unicus aut punctum orbis eſt, quam Judæam vocant, aut Terram promiſſam longitudine non totas octoginta horas, latitudine vix totas quadraginta complexam. Ibi ſuperſunt adhuc aliqui Numinis cultores, ſed pauci admodùm: & inter hos, nonnulli fluctuant medii, quaſi inter Deum ejuſque hoſtes mediis ne utriſve eſſe liceat, & claudicare in utramque partem. Quid agat *Deus, ultionum Dominus*, tantâ injuriâ per rebelles ſubditos provocatus? Ille zelotes, cui gloria ſua tam cordi eſt, ut ab altero ſibi eam præripi laturus non ſit, nec ferre poſſit? Non vides *pallio zeli opertum, ſcuto inexpugnabili æquitate armatum, durâ irâ in lanceam exacutâ?* Jam jam *gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

VII. Chriſtus conciliator.

Sed ſiſte juſtam vindictam, ô pater miſericordiarum. En filius tuus, gloriam tibi pro humano omni genere redditurus, naſcitur: tu nobis pacem, quam meritò perdideramus, reſtitue. Imò ipſe & gloriam tibi reddat, & nobis pacem: illam quia homo eſt, hanc quia Deus eſt. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Diverſiſſimæ erant Dei & hominum voluntates: hi perire volebant; ille ſalvare, cùm *non lætetur in perditione vivorum*: illi peccabant, pœnamque peccatorum fugiebant; hic peccare vetabat, pœnáſque peccantibus intentabat: illorum *ſenſus & cogitatio in malum prona erant ab adoleſcentiâ ſuâ*; hic naturâ optimus malum non odiſſe, & perſequi, non poterat. Tam diſſentientes & diſſonas voluntates conciliabit, qui *utraque fecit unum*, homo ſimul & Deus, ideóque dicendus *pax noſtra.*

VIII. Et conciliatus.

Ad annum Chriſti 388. exhauſto bellis ærario, tributa multiplicanda fuerant per univerſas imperii Romani provincias. Antiochiæ, populoſâ & ſeditionibus obnoxiâ urbe, plerique civium, impatientes oneris, coire in cœtus, tum in apertas factiones erumpere, denique audere. Poſt petulantia in Cæſarem verba, deturbatæ ſtatuæ, quæ Cæſaris uxori poſitæ fuerant, & per vicos non ſine indignis contumeliis protractæ. Tolerabile

facinus

Digitized by Google

facinus non erat. Itaque properè coactis copiis adeſt Theodoſius Cæſar ultor læſæ atrociter majeſtatis. Quid agant Antiocheni cives, quorum pars innoxia erat, publicum tamen in proximo diſcrimen cernebant; ſontibus pariter atque inſontibus imminens, nec cauſſas culpáſque in communi vindictâ diſcreturum? Mittuntur oratores, non exorant: prodit ſupplex Flavianus Patriarcha, nil impetrat. Precibus aures occluſerat, & clementiæ viam obſtruxerat, criminis magnitudo. Tentatis fruſtra cæteris, Flaviano ſuccurrit, eſſe in Imperatoris comitatu chorum muſicorum, concinere ſolitorum, intereà dum cibum caperet. Populi Antiocheni miſerabiles gemitus, ac ſuſpiria, in verſus digeſta, ipſis dat in manus; rogatque, ut quàm maxime ad motum compoſitis vocibus ſuccinant, epulante Theodoſio. Fecêre tam fælici eventu, ut flexus miſericordiâ Cæſar, motumque uberibus lacrymis crateri, quem tum fortè biiturus tenebat, infuſa teſtatus; mox ad Flavianum miſerit, qui juberent bono eſſe animo Antiochenos, factam pœnæ gratiam, obliteratam criminis memoriam. Ita Sozomenus narrat.

IX. Theodoſii inſtar. Scio Baronio ad annum 388. tom. 4. videri illud de Imperatoriis muſicis inſtar commenti eſſe. Sed certè apta imago eſt Muſicæ cæleſtis, Theodoſio ac Deodato noſtro Chriſto, dum naſcitur, & virgineorum uberum craterem haurit, ſuccinentis. Rea divinæ majeſtatis enormiter læſæ tota *civitas vanitatis*, & gens humana univerſa, extremum exitium merita erat. Obſidio jam & expugnatio parabatur, geſtiebatque totus *orbis terrarum* pro Deo pugnare *contra inſenſatos*. Securi tamen peccatores ducebant in bonis dies ſuos, & ſcelera ſceleribus cumulabant: tantum aberat ut offenſum Numen placare ſupplicibus legationibus ſatagerent. Quid ad hæc exſpectemus ab omnium potente Domino, qui ſe plus ſexagies *Dominum Deum exercituum* nominari voluit? Qui diluvia & incendia in rebelles pluere conſuêvit? *Cujus iræ nemo poteſt reſiſtere, & ſub quo curvantur qui portant orbem?* Ultrò ipſe lædentibus læſus veniam oblatum venit: ultrò à muſicis ſuis pacem cantari jubet, lacrymaſque interim lacti materno commiſtas exſorbet, miſericordiæ ſuæ teſtes ſimul, & exoratrices.

X. Fulmen quietum. Si adhuc de pace cæli ac terræ dubitatis, ô mortales increduli, huc in Bethlemicam ſpecum introſpicite. *Et hoc vobis ſignum, invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Soliti olim Nerva, & Antoninus Pius Cæſares, ut quietem à bellis ſignificarent, numis ſuis ſymboli vice, adprimere fulmen triſulcum in pulvillo depoſitum. Fulminator Deus, *qui tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non inveſtigabitur, cùm audita fuerit vox ejus, tonabit in voce ſua mirabiliter:* terrificus ille fulminator, non in pulvillo, ſed in fœno ac præſepio, non fulmina tantùm ſua, verùm & ſe ipſum deponi voluit, ut bellis quietem indictam crederemus.

XI. Libertas à peccato. Quid adhuc times, peccator, accedere? Bellatorem putas Chriſtum, cui nomen ab Iſaïa dari potuerit, *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari?* Apparatum hujus bellatoris contemplare fidenter è proximo. Tentorii vice ſtabulum eſt. Equitatus omnis aſello uno & bove conſtat, ſi tamen adfuêre. Peditatum omnem conficiunt, juvenis annorum circiter triginta, virguncula annorum ſedecim, forſan & ancillula utrique conjugi comes. Thorax & paludamentum Imperatorium ſunt panniculi. Eſſedum currúsve falcatus eſt ſemiputre præſepium. Obligata ipſi faſciculis brachia ſunt, ne feriat. Arma ſunt lacrymæ: alia nulla apparent, quacumque oculos circumfero. Iis armis ſi quid in te petit, peccatum petit; ut eo te, hoſte ſuo tuoque infeſtiſſimo, liberum, alterâ pace donet tranquillâ libertate. *Delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis*, ut loquitur Iſaias cap. 11. *Id eſt*, ut explicat Greg. 17. Mor. in Job. cap. 20, *Chriſtus de iniquorum cordibus aſpidem vel regulum, captivum diabolum traxit, ut in monte ſancto, qua eſt Eccleſia, non noceret.*

XII. Peccati ſervitus. Vox Judæorum fuit, Joan. 8. *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam.* Vos verò, vaniſſimi venditatores fictitiæ libertatis, nihilne umquam peccâſtis? Atqui *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, Joan. 8. & turpiſſimam quidem ſervitutem ſervit. Alii enim domini in corpus tantùm, & externa, dominantur: peccatum intrinſecùs in rationem, & in arcem voluntatis, exercet imperium. De peccati ſervitute nos quædam ad cap. 1. verſ. 16. Tam crudeli & indignâ tyrannide ut nos exſolveret Chriſtus, *exultavit ut gigas ad currendam viam.* Quæ Pſalmiſtæ verba naſcenti Chriſto adaptat Auguſtinus, ſerm. 54. de diverſis, qui eſt de Nativitate Domini: *Proceſſit ut ſponſus, exultavit ut gigas, pulcer & fortis: pulcer ut ametur, fortis ut timeatur: pulcer ut placeret, fortis ut vinceret.* Ob eamdem cauſſam accinit Eccleſia hæc verba, ex Iſaiæ cap. 9. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut victores captâ prædâ, quando dividunt ſpolia. Iugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperâſti.*

XIII. Tranquillitas per Chriſtum. *Et hoc vobis ſignum, invenietis infantem*, & quidem *pannis involutum, ac poſitum in præſepio.* Filius Dei fit filius hominis, ut nos aſſerat in libertatem filiorum Dei: colligatur, involvitur, deponitur ad voluntatem matris, imò & Cæſari obedit naſcens, ut nos tyrannide peccati liberemur. D. Maximus hom. 2. de Nativ. *Chriſtum*, inquit, *in has ſæculi procellas uterus maternus effudit.* Jonam dicerem, de navi in irati maris fluctus projectum, ſimulque jacturâ ſuâ illos pacantem. Proceloſum mare fuit mundus naſcente Chriſto, tot ventis pugnantibus, quot peccatis, agitatum. At poſtquam in orbem de tuta ventris materni ſtatione Chriſtus dejectus eſt, protinùs tempeſtates poſuêre, ſerenumque rediit, & *pax hominibus bonæ voluntatis*, id eſt iis, qui pacem oblatam non reſpuent. Utinam, ô Deus, de illis ſimus! *Concede ut nos unigeniti nova nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet.*

XIV. Pacis genus tertium. Nec libertas modò à peccatis, ſed etiam à perturbationibus animi conceſſa eſt, ſi paullulum modò gratiæ Chriſti bonâ voluntate allaborare conemur. Ut animus noſter conquieſcat, & paſſiones belligerare ac tumultuari deſinant, bonis temporalibus pretium ponere neceſſe eſt. Inde enim turbæ noſtræ omnes domeſticæ, cùm illa nimis amamus ac quærimus abſentia, vel poſſeſſis lætamur immodicè, aut amiſſis dolemus. Nunc ligat Concupiſcentia carnis, nunc Concupiſcentia oculorum trahit, nunc faſcinat Superbia vitæ. Inter iſtos tres hoſtes miſerè voluntas humana conflictatur, niſi ratio regere diſcat. *Pax bonæ voluntatis*, inquit Paullus epiſt. 12. *quæ compoſitis religioſo ſilentio ſenſibus confirmatur, carnalium oblatratione curarum, quaſi obſtrepente malleo, vel ſecuri feriente convellitur.* Iſtis inanibus curis componendis, & docendæ tam neceſſariæ ſcientiæ, ſubmiſſi varii à Deo magiſtri, qui tum verbis, tum exemplis efficacibus, oſtenderent, nihil eſſe magnopere in caducis rebus concupiſcendum:

Id perſuadere conabatur Noemus in arca, Abrahamus in monte Moria, Jobus in ſterquilinio, Joſephus in compedibus, Moſes in exilio, Daniel in caveâ, Tobias in ſcabello.

XV. Ex contemptu temporalium. Parum tot ſapientes profecerant, donec Sapientia ipſa prodiit, ut inſipientiam humanam convinceret. *Et hoc vobis ſignum, invenietis infantem.* Ætatem ſimpliciſſimam, ambitionis ignaram, dignitatum neſciam, eligit Chriſtus: ſpernenda eſt igitur *Superbia vitæ.* Invenietis *pannis involutum*, non purpurâ opertum, non auro & gemmis fulgidum: non tanti eſt itaque *Concupiſcentia oculorum.* Invenietis *poſitum in præſepio*, non in molli lectulo, ſed ſuper dura ſtramenta: frænanda ergo eſt *Concupiſcentia carnis.* Potuit utique filius Dei naſci honoratus, & dives, & delicatulus: neque ipſum agere tranverſum poterant temporalia bona, qui peccare non poterat. Noluit tamen; ut cum Bernardo argumentaremur: *Aut Chriſtus fallitur, aut mundus errat: ſed divinam impoſſibile eſt falli Sapientiam.* Ut cum Bellarmino hinc Chriſtum, inde mundum nobis pingeremus: Doctorum inſtar, adverſantibus ſententiis & argumentis antitheſes proponentium & ſtabilientium. Utrum audies Chriſtiane? An hunc cui congenita cæcitas, comes error, pediſſequa pernicies? Qui bona inania oſtentans, turbatam appetendo voluntatem in vera mala præcipitat? An huoc, *qui novit reprobare malum, & eligere bonum*, eáque potiſſimùm de cauſſa elegit, eligíque ab eo Pater voluit, ut & nos eligamus?

XVI. Pacis quartum genus. In ea bonorum temporalium, ſive adſint, ſive abſint, recta æſtimatione, Chriſtus naſcens tertium genus pacis, id eſt Tranquillitatem voluntatis, ſtabilivit: & ſimul quartum genus, id eſt abundantiam bonorum omnium. Ab humili ac contempto infante, ab involuto panniculis paupere, à cubante in ſtramentis corpuſculo, bona fortunæ aut corporis exſpectari non debent: neque iſthæc vera bona eſſe jam edocti ſumus. Imò philoſophi occinunt, quomodò bona fortunæ bonis corporis ſubſerviant, ita bona corporis famulari animi bonis, quæ ſola id nominis mereantur. Animi autem bona præcipua virtutes ſunt: quarum chorum in Bethlemico ſtabulo cum Angelis ſuavi harmoniâ cantantem audio, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

XVII. Naſcitur cum Chriſto. Vis obedientiam, vis humilitatem, vis caſtitatem, vis modeſtiam, vis pietatem, vis fiduciam in Deum, vis ardentem caritatem? Omnia in Chriſto naſcente invenies: *Et hoc vobis ſignum, invenietis infantem pannis involutum, poſitum in præſepio:* infantem, ut virtutibus adoleſcamus; panniculis laceris ſemitectum, ut nos gratiis diteſcamus; duro fœno incumbentem, ut nos inter caritatis divinæ brachia quieſcamus. Sapiens de ſapientia loquens, *Venerunt,* inquit, *mihi bona omnia pariter cum illâ.* Et nobis cum incarnata Sapientia, in mundum prodeunte, pariter omnia bona provenêre. Auguſtinus de Symb. ad Catech. lib. 4. cap. 4. nativitatem Chriſti admirans: *Factor,* inquit, *omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera, regens ſidera: tacet, & Verbum eſt.* Miraris, Auguſtine, à matre portatum filium? Mirare nobis natum, nobis datum, nobis oblatum inexplicabili Dei liberalitate, & infinitâ erga miſeros & immeritos homunciones caritate: & in illo datum nobis pignus bonorum omnium ſpiritualium & æternorum. In hoc Tobia parvulo, filio noſtro, id eſt, Bono & Boni munere, omnia habentes, non debemus illum dimittere.

XVIII. Pax Chriſto per nos offerenda. Et quò magis ipſum nobis adſtringamus, ac validioribus vinculis colligemus, offerenti pacem demus & nos pacem, gratiſſimam ipſi ac commendatiſſimam; id eſt, mutuam inter fratres concordiam, ſublatis quæcumque perturbare illam aut minuere poſſint. Ad id hortabatur plebem ſuam Magnus Pontifex Leo, ſerm. 6. de Nativ. *Natalis Chriſti, natalis eſt pacis: ſinguli fideles offerant Patri pacificorum concordiam filiorum.* Et hîc aptiſſimè dicemus Chriſtianis omnibus quod Auguſtinus ſuis exclamantibus ad illud pſalm. 147. *Qui poſuit fines tuos pacem. Ecce hoc dico, ô filii dilecti, ô filii regni, ô cives Ieruſalem. Hanc quam nominatam ſic amatis & diligetis, ipſam ſectamini, ipſam deſiderate: ipſam in domo, ipſam in negotio, ipſam in uxoribus, ipſam in filiis, ipſam in ſervis, ipſam in amicis, ipſam in inimicis diligite.* Offenderit te frater tuus, contumeliam fecerit, formam carpſerit, honorem læſerit. An & tu Deum non læſeras? Hodie tamen Deus, ab homine læſus, veniam ac reconciliationem offert: tu homo homini tam ſancto die animitùs non condonas? Milites cæli, abjectis armis, pacem ultrò perduellibus offerant: tu vindictâ tuâ, litibus, odiis, rixis, ſimultatibus, cantui ſuperorum obſtrepes, bellumque inſonabis, dum ipſi pacem promulgant?

XIX. Reconciliatio cum inimicis. Non ſic Chriſti cultores, quibus tam ſanctæ diei memoria venerationi eſt. Non ſic D. Henricus Imperaror, qui Heriberto Colonienſi infenſus, & meritò, ut rebatur, anno tamen viceſimo ſupra milleſimum, pridie Natalis Chriſti, Heribertum acciri juſſit; venientémque arctè complexus rogavit; ut ſibi tam diuturnam averſionem condonaret. Nocte proximè ſequenti, quæ Chriſti Natalis erat, adivit ad Heriberti cubiculum, Clerico amico comite: orationibus vacantem in D. Joannis ſacello invênit, depoſitóque paludamento humi abjectus veniam petiit, deinde abſolutionem noxarum, pro poteſtate ſacerdotibus per Chriſtum collatâ: abſolutúſque ab ſancto Præſule homo bonæ voluntatis, domum reverſus eſt. Narrat Rupertus in vita D. Heriberti. O ſuavem harmoniam, quando feſto Natalis concinentibus pacem Angelis homines reſpondent! O dulcem caritatis ſonum, qui de cælo in terras allapſus, à terra in cælum refertur! Nulla tibi puerule JESU gratior cantio eſt, muſica nulla deliniendo tibi potentior: tu naſcens pacem voluntatis divinæ & humanæ reconciliâſti, tu libertatem à peccando attuliſti, tu bella cupiditatum ſopiviſti, tu bonorum omnium affluentiam invexiſti: & pro tot tantiſque donis in nos effuſis, mutuam à nobis pacem expoſtulas. Damus, ô Chriſte, pacis tuæ filii, & ad pedes tuos rixarum omnium, ſimultatum, averſionum materiam lubentes abjicimus. Tu pannis tuis & faſciis colliga omnium noſtrum voluntates: tu lacrymulis tuis macera pectorum noſtrorum duritiem: tu amabili ac tenello cordi tuo inſere, & in unum coge, corda Chriſtianorum omnium; ut neque à te, neque inter ſe, umquam diſſideant.

SECTIO SEPTIMA.

Pax à Simeone cantata.

I. Canticum pacis. IN ſacra ſupplicatione, ſeu hypapante, quâ Virgo & conjux, Chriſtum deferentes, Simeoni & Annæ, Chriſtum deſiderantibus & agnoſcêtibus, occurrerunt;

occurrerunt; bini binis, omnes amore accenſi; illi *lumen ad revelationem Gentium* præferentes; hi lumen adſpicientes, & cantantes. In ea igitur ſupplicatione, res nulla, nulla vox me magis tangit, quàm Canticum pacis. *Tantum eſt enim pacis bonum*, inquit Aug. 19. de Civit. cap. 11. *ut etiam in terrenis rebus atque mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius poſſit inveniri.* Videmus in templis aures erigi, vultus componi, corda mulceri, quando gratiſſimum nomen pacis in Cantico Simeonis auditur. Tam enim id Canticum Eccleſiæ placuit, ut ſingulis diebus ad veſperum, horâ quam Completorium vocamus, accini voluerit: non tantùm quia compoſitum à ſene vitam complente; ſed etiam quia claudi jucundiùs dies non poteſt, quàm optatâ pacis mentione. Cantica tria in Novo Teſtamento habemus: Benedictionem manè, Magnificationem à meridiè, Pacem ante ſomnum canimus.

II. Columba olivifera. Geneſis 8. cùm diluvio tellus omnis ſepulta dies aliquot manſiſſet; Noe, cujus nomen requiem & ceſſationem ſignificat, exploraturus an aquæ ſolum aliqua parte reliquiſſent, columbam ex arca emiſit. At illa poſtquam diu circumvolitarat, non invento ubi pes ejus requieſceret, ad dominum revolavit, nuntia nondum ſatis deminutæ inundationis. Iterum poſt aliquot dies emiſſa, retecto jam ſolo, viridi olivæ inſedit. Vis immenſarum aquarum, & tumentium fluctuum, quibus ſilvæ totæ radicitùs exſtirpatæ, diruta ædificia civitatèſque fuerant, arbori tamen invalidæ pepercerat, quia pacis ac miſericordiæ ſymbolum eſt. Ut intelligamus, etiam in ipſo iræ ac juſtitiæ divinæ diluvio, pacem ac miſericordiam, dum hîc vivitur, inveniri poſſe. Huic igitur olivæ amabilis columbula inſidens, roſtro ramuſculum carpſit: quod enim Vulgata dicit, *ramum olivæ virentibus foliis*, hoc Septuag. vocant φύλλον ἐλαίας κάρφος, *folium olivæ feſtucam*; & Chaldæus, *folium olivæ*. Ramuſculus itaque fuit, & quidem ad Noemum delatus *ad veſperam*, ſeu, ut Chaldæus habet, tempore veſpertino. Ex eo olivæ ramo, per volucrum ſimpliciſſimam & innocentiſſimam allato, didicit Noëmus, quietem jam & ceſſationem iræ divinæ indictam, longæque ſuæ navigationis, aut potius fluctuationis, finem adeſſe.

III. Figura Chriſti Simeoni oblati. Naſcente Chriſto malorum triſte diluvium terras ita inundârat, ut nîl ſpectaretur niſi cælum & undæ. Fluctuabat Synagogæ navis, rimas brevi actura, & aquas hauſtura. In ea navi ſenex vehebatur, *exſpectans conſolationem Iſraël*; ceſſationem malorum ac requiem, à nemine quàm à Meſſia obventuram, quotidianis votis ac ſuſpiriis invocans. Bono animo eſto, redivive Noëme. Non vides advolantem columbulam: eam dico, quæ ad Templum defert *par turturum, aut duos pullos columbarum?* Eam, de qua olim cantatum, *una eſt columba mea, perfecta mea?* Venit ad te ſub *veſperam* vitæ tuæ, & *vergente mundi veſpere*, devexâ ætate ſæculorum. Ramuſculum affert, & olivæ quidem: infantulum affert, qui, cùm ſuccreverit, caput attollet, *ſicut oliva fructifera in domo Dei*; nunc licèt divinitate immenſus, animâ tantus quantus umquam futurus eſt, infantili tamen corpuſculo arctatus, ramuſculum magis quàm arborem exhibet. Eum Simeon in manus accipi; intellectóque, jam iræ divinæ modum poſitum eſſe, & exoptatam requiem advenisſe, exclamat: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum, in pace.* Luc. 2.

IV. Varia pacis genera. At quænam iſta pax eſt, in qua ſe dimitti ait Simeon? Varia pacis genera enumerat Auguſtinus, lib. 19. de Civit. cap. 13. *Pax corporis, eſt ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actioniſque conſenſio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis, eſt Dei immortalis ordinata in fide ſub æternâ lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cæleſtis civitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & invicem in Deo.*

V. De horum nullo Simeon cecinit. Quod iſtorum genus Simeonem ceciniſſe dicamus, non video. Non primum; cùm ſenex eſſet, annoſque ageret, de quibus dixiſſe ex Eccleſiaſte potuit, *non mihi placent*, intemperati ſcilicet ac morbidi. Non alterum, quod animale ſolummodò ac brutum eſt; in appetitus infimi ſatietate poſitum. Non tertium: quandoquidem *corpus quod corrumpitur aggravet animam*, & impediat, ne actio cognitionem æquis paſſibus ſequatur. Non itidem quartum, deficiente vitâ, & temperie atque ordine partium, adeóque imminente conjunctorum diſſolutione. Quintum habuit quidem, & jam olim, atque ideò de illo canticum ejus intelligi non poteſt, cùm rem novam innuat. Sextum, ſeptimum, & octavum ab Hieroſolyma aberant, preſſâ exteri Regis tyrannide, ſævientibus ejus adminiſtris, dominantibus Romanis. Nonum pacis genus nondum adeptus erat Simeon, nec ſtatim à morte conſequi poterat; cælo nondum reſerato, piorum Manibus in limbo concluſis.

VI. Pacatus eſt, qui contentus eſt. Aliam ego pacem hoc loco intelligi non poſſe putaverim, quàm quietem voluntatis, in veri boni & benè deſiderati conſecutione. Idem eſt pacatum eſſe, & contentum: & quo quis contentua magis eſt, eò pacatior dici debet. Contentus autem nemo dici poteſt, quamdiu deſideriis tenditur: pendente velut extra centrum ſuum anxiâ, & anhelâ, voluntate. Eſto quis fælix Polycratis inſtar: cui numquam infortunium paſſo, & calamitatem experiri volenti, projectum ultrò in mare pretioſum annulum coquus ſuus retulit, in exenterato piſce repertum. Contineat alius tam ingentes auri argentíque ſummas, ut deficientibus ciſtis turres implendæ ſint: quod à Baſilio Orientis Imperatore factum volunt. Floreat alter gratiâ, favore, dignitate, & voluptatum copia non deſit, poſſitque moribundus cum Auguſto ex amicis ſciſcitari: Ecquid perſonam ſuam ſcitè egiſſe videatur? Amatus ille, & dives, & fælix, ſi contentus, & bono quidem contentus non eſt, ſed deſideriis fatigatur, pacem obtinere non poteſt.

VII. Lætitia & pax vera. Da contra pauperes & infælices: cujuſmodi ſunt conjuges, à quibus vides deferri *par turturum, aut duos pullos columbarum*, quia rei familiaris tenuitas agnello coemendo non ſuffecerat. Da ſenio exhauſtam, jejuniis confectam, marito ſolatióque omni humano viduatam: cujuſmodi eſt Anna filia Phanuelis. Nec viduitas, nec ſenium, nec paupertas, nec ſors quantumvis infælix impedient, ne pacem habeant, qui contenti ſunt. Quemadmodùm enim, quorum *filiæ compoſitæ* ſunt, *circumornatæ ſicut ſimilitudo templi, & promptuaria eorum plena*, &c. pſalm. 143. non tamen beati ſunt; quia Dominus non eſt eorum Deus. Ita qui apud eumdem Pſalmiſtam, pſalm. 4. habent, *lætitiam in corde*, ſimul *requieſcunt in pace in idipſum*: etſi à *fructu frumenti, vini, & olei ſui* non ſunt *multiplicati*:

VIII. Qualis Simeon? Hæc itaque pax eſt à Simeone cantata, lætitia cordis. Lætitiam habuit, quia contentus fuit. Contentus fuit, quia deſiderium ejus præcipuum expletum eſt, poſſeſſione Salvatoris. Id nobis apertè indicatur à Luca, conditiones ac qualitates venerandi ſenis indicante. In externis non moror, nobiliſne eſſet & literatus: & an doctiſſimorum Hebræorum Gamalielis, ac Jonathan paraphraſtæ Chaldæi condiſcipulus. Neque admodùm refert an Sacerdos fuerit: etſi quidam advertêre; ſub hoc tempus vixiſſe Simeonem quemdam, Hillelis filium, de quo Hebræi narrant quadraginta totis annis quibus in Templo miniſtravit, albatum ſenem ipſi apparuiſſe, ingredientem cum ipſo & egredientem: anno autem, quo mortuus eſt, apparuiſſe atratum, & affuiſſe ingredienti, non autem egredienti. Sed de iſtis conſule Salmeronem, & Barradium. Nihil eorum attigit Lucas, quia nihil faciunt, ad poſſeſſionem Salvatoris. Primo loco nomen *Simeonis* poſuit, nec ſine myſterio, cùm obedientem ſignificet. Subdit *juſtum* fuiſſe, quod inſignis virtutis elogium eſt: deinde *timoratum*, id eſt, religionis operibus addictum: tum *expectâſſe conſolationem Iſraël*: en deſideriorum metam: denique *Spiritum ſanctum in eo fuiſſe*, deſideriorum incentorem & promotorem, pro eo poſtulantem gemitibus inenarrabilibus.

IX. Deſiderium ejus expletum. Quàm ſuave eſt ſervire Domino, obſequia omnia noſtra, imò & deſideria cognoſcenti, & propensâ voluntate compenſanti! Vir deſideriorum Simeon attraxit in ſe ſpiritum, & oraculo didicit, *non viſurum ſe mortem, donec videret Chriſtum Domini*. Promptus promiſſor, fidus ac largus donator, non modò videndum præbet Chriſtum Domini, ſed etiam tangendum, ſtringendum amplexibus, applicandum labellis, fovendum ſuſpiriis, rigandum lacrymis. Vide matrem ingredientem in Templum, audi colloquia ſancti ſenis, ſpecta in ejus ulnis Deum infantem: aures cordis applica cordi utriuſque, quando *ſenex puerum portabat, puer autem ſenem regebat*. O quoties mihi audire videor voces, ſimiles iſtis Paullini epiſt. ad Aprum. *Sibi habeant literas ſuas oratores, ſibi ſapientiam ſuam philoſophi, ſibi divitias ſuas divites, ſibi regna ſua Reges. Nobis gloria, & poſſeſſio, & regnum Chriſtus eſt.*

X. Quanta lætitia. Tobiæ 11. Anna, ſenioris uxor, junioris mater, reditum filii exſpectans, eminùs quotidie proſpiciebat, ſi fortè videret adventantem. Ut vidit, protinùs ad maritum cucurrit bona nuntia, & mox præſentem filium complexa ait: *ἰδὼν σε παιδίον, ἀπὸ τοῦ νῦν ἀποθανοῦμαι*, ita Græca habent, *vidi te, fili, amodò moriar*. Pater verò, cui oculi ad viſum clauſi erant, non ad lacrymas, complexus arctè juvenem, ubertim flevit. En tibi Annæ prophetidis, & Simeonis noſtri Chriſtum tenentis, imaginem. Expreſſiorem exhibet Moſes, Gen. 46. noſtræque Evangelicæ hiſtoriæ applicandam eſſe ait Proſper lib. de præd. & prom. Dei, part. 1. c. 32. Monitus Jacob de Joſephi vita, quaſi de veterno excitatus, abit in Ægyptum; accurrentem filium amplexus, inter ſingultus & lacrymas, *jam lætus*, inquit, *moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo*. Ita *cygnus* noſter, ætate & innocentiâ candidus, *cantator funeris ipſe ſui*, corde magis quàm ulnis geſtans Joſephum noſtrum, Ægypti omnis, id eſt, totius univerſi Salvatorem: *Nunc dimittis*, inquit, *ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace*. Pacem corporis non habeo, quia ſenex ſum & infirmus annis. Pace exteriori careo, quia ſub Romanis & Herode patria gemit. Pacem cordis poſſideo, quia contentus ſum, & deſiderium meum explêſti; oſtendo Chriſto tun, quem ſuper omnia expectabam.

XI. Quæ ad illam via. Guſtemus hanc pacem, digeramus; atque in nos, ſi poteſt, transformemus. Pacem habet Simeon, quia contentus eſt. Contentus eſt, quia poſſidet Chriſtum. Vis & tu Chriſtiane poſſidere? Anna Simeonem comitatur, id eſt, gratia: eo & tu in comitatu pacem habebis, Chriſtum poſſidebis. Non audis Petrum in epiſtola diſertè præſcribentem: *Gratia vobis, & pax*. Non legis idem in capite epiſtolæ Paulli ad Romanos, & in epiſtola utraque ad Corint. Primum *gratia*, tum *pax*. At ubi gratiam inveniemus? Idem te Paullus manuducit ad Philip. 4. *De cætero fratres quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta . . . hæc cogitate . . . & Deus pacis erit vobiſcum.* Ab Evangelico noſtro ſene diſcedere non oportet. Anna illi adeſt, & gratia, & ipſe auctor gratiæ; quia *Simeon* eſt obediens; quia *juſtus*; quia *timoratus*; quia *exſpectat conſolationem Iſraël*.

XII. Conſcientiæ puritas. Ne fallamus noſmetipſos imaginariæ pacis fictione. Vera alia nulla eſt, quàm quæ ex conſcientiæ puritate naſcitur: cùm Purificata fuit Virgo, cùm Præſentatus Deo filius Virginis, tunc auditum eſt Canticum pacis. Neque antè nobis accinetur, quàm purificatâ mente Deo nos obtulerimus. Nonne David jam pridem præmonuit? Pſalm. 13. *Contritio & infælicitas in viis eorum. & viam pacis non cognoverunt.* Quare? quia dux ejus itineris abfuit: *non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Adeſt & Vates Evangelicus Iſaias, magnificè pariter & verè inſonans cap. 48. *Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris. Auditum facite hoc, & efferte illud uſque ad extrema terræ: Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Non tantùm pax non erit, ſed etiam *pax non eſt*. Impii æternâ pace carebunt, & hic etiam veram pacem habere non poſſunt: quia Dei inimicis non poteſt eſſe perfecta lætitia.

XIII. Et juſtitia. At, ô Deus, nonne Herodem video, efferum, rapacem, brevi ſacrilegas manus innocentium puerulorum ſanguine loturum; fælicem tamen, veſtibus Regiis nitentem, aſſeclarum exercitu ſtipatum, ſummis Principibus parem? Cave in externis hæreas, Chriſtiane, ad cor penetra, ibi bella ſunt: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* At, ô Deus, quot modò ſunt in urbe Hieroſolymitana æternorum negligentes, affluentiâ bonorum temporalium cumulati, fortunæ donis ebrii, *bibentes vinum in phialis, unguento optimo delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*: Joſephi inquam hujus, & Mariæ, cui poſt canticum pacis *gladius* denuntiatur *animam pertranſiturus*? Nec tu iſtos credas vera tranquillitate frui: fixum enim eſt divinum oraculum: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Accedat Auguſtinus interpres oraculorum divinorum, in illud pſalmi 84. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Poſtquam deſcripſit omnium mortalium deſideria pro pace obtinenda; in tabernis, in palatiis, in templis, in agris, in urbibus, ubique optari: ſine juſtitia haberi non poſſe: ſocias illas eſſe, nec ſeparari velle: à juſtitia vetari furta, detractiones, homicidia, commendari manſuetudinem, &c. Poſt iſthæc, quæ apud ipſum videre poteris, hæc ſubdit: *Inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica ſum juſtitiæ. Quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem? Fac juſtitiam.* Eſto *juſtus*, & *timoratus*, cum obediente Simeone, habe gratiam cum Anna, purificâre cum Maria, præſentâre cum Chriſto, & dimittêris in pace.

At

Digitized by Google

XIV. Virginis patrocinium efficax. At nihilne de patrocinio Virginis, ad pacem à Deo ipſis etiam peccatoribus impetrandam? Narratione unâ breviter abſolvo. Abhinc ſæcula quinque, ad annum 1143. in maximarum Europæ civitatum una, latè regnantibus vitiis injuſtitiâ præſertim, & avaritiâ, magni à Deo vindice terrores incumbuerunt. Sub horam matutinam nubes flammeæ toto ſe cælo intendêre, velut incendium urbi minitantes. Trepidatur, clamatur, ad templa & preces confugitur. In æde principe ſacerdos quidam probatæ virtutis, cui nomen Salomoni, dum codicem Sacrum ad cantum petit, exſiliente è nubibus fulmine, & in ædem irrumpente, exanimatus interiit. Diſcuſſa poſt eam occem primâ tempeſtate, altera eodem die ſub veſperam incubuit; nubibus, ſulphuris ardentis inſtar, cæruleum colorem referentibus: ſtetit tamen intra terrorem. Sub mediam noctem viſum rursùs ardere cælum: & jam omnes, congeminantibus horrorem tenebris, interitum exſpectabant: adeóque perculſos metu, & alienatos à ſenſibus fuiſſe quoſdam perhibent; ut ad aram ædis principis affixi, etiam dentes illi appreſſerint, hærentibus poſtmodùm notis. Nec tamen aliud ab hac tempeſtate malum fuit, quàm metus. Poſteâ nocte fulguriti Salomonis Manes ſacerdoti cuipiam, veteri amico, oranti ſeſe obtulêre: cumque hic ſubito viſu primùm conterritus, dein collecto ſpiritu petiiſſet; ob quam potiſſimùm culpam ſolum, è tantâ multitudine, interemiſſet tempeſtas? Tu verò, inquit Salomon, de me eſto ſecurus: neque alia de cauſſa venio, quàm ut civitatem omnem moneas, ut D. Virginis patrocinio incolumitatem impetratam feras: Filium iratum, & fulmina parantem, ab ea ter oratum, & tertiâ quidem vice poſitis genibus, oſtenſiſque uberibus.

XV. Obtinendæ paci. Cupis, Lector, ſcire, quæ ea fuerit civitas? Cui bono, cùm Leodium nominâro? Tua civitas, quælibet urbs idem ſentire poteſt, imò Europa univerſa. Quot tempeſtates incubuêre? O Mater puriſſima, ô columba pacifica, poſt tam longam bellorum inundationem; ades, oleæ ramuſculum defer, non oleaſtri: ſinceram Filii tui cultoribus pacem impetra.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

ARGUMENTUM.

Demetrium in Mediam, pro colligendo adverſus Tryphonem auxiliari milite, profectum, Parthorum dux victum ac captum Arſaci ſiſtit; apud quem in cuſtodiâ aſſervatur. Simone Principe, lætiſſimus eſt rei Iudaïcæ ſtatus. Spartiatæ ac Romani, ut pro ſocietatis jure Ionathæ necem ſenſerant, ita Simonis Sacerdotio ac Principatu gaudent: eiq́ ac populo aggratulantur, & amicitiam cum Iudæis confirmant. Simon per legatum Romam dono mittit clypeum, pendentem auri mnas mille, pignus ſocietatis. Totius populi Iudaïci voto ac conſenſu, ſummum Sacerdotium, ac Principatus, Simoni & poſteris confirmatur: literaq́ ea de re, cum præclaro elogio, æreis tabulis inciſæ, in Templo proponuntur: & earumdem exemplar in ærario reponitur, Simoni ac poſteris aſſervandum.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ANno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo congregavit Rex
Demetrius exercitum ſuum, & abiit in Mediam ad contra-
henda ſibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem. 2. Et audi-
vit Arſaces rex Perſidis & Mediæ, quia intravit Demetrius
confines ſuos, & miſit unum de principibus ſuis ut com-
prehenderet eum vivum, & adduceret eum ad ſe. 3. Et
abiit, & percuſſit caſtra Demetrii: & comprehendit eum,
& duxit eum ad Arſacen, & poſuit eum in cuſtodiam. 4. Et ſiluit omnis
terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæſivit bona genti ſuæ: & placuit illis
poteſtas ejus, & gloria ejus, omnibus diebus. 5. Et cum omni gloria ſua ac-
cepit Ioppen in portum, & fecit introitum in inſulis maris. 6. Et dilatavit
fines gentis ſuæ, & obtinuit regionem. 7. Et congregavit captivitatem mul-
tam, & dominatus eſt Gazaræ, & Bethſuræ, & arci: & abſtulit immunditias
ex ea, & non erat qui reſiſteret ei. 8. Et unuſquiſque colebat terram ſuam
cum pace: & terra Iuda dabat fructus ſuos: & ligna camporum fructum ſuum
9. Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & juvenes.
induebant ſe gloriam & ſtolas belli. 10. Et civitatibus tribuebat alimonias,
& conſtituebat eas ut eſſent vaſa munitionis, quoaduſque nominatum eſt
nomen gloriæ ejus uſque ad extremum terræ. 11. Fecit pacem ſuper terram,
& lætatus eſt Iſraël lætitia magna. 12. Et ſedit unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub
ficulnea ſua: & non erat qui eos terreret. 13. Defecit impugnans eos ſuper
terram: reges contriti ſunt in diebus illis. 14. Et confirmavit omnes humi-
les populi ſui, & legem exquiſivit, & abſtulit omnem iniquum & malum:

15. Sancta

15. Sanctaglorificavit, & multiplicavit vaſa ſanctorum. 16. Et auditum eſt
Romæ quia defunctus eſſet Ionathas, & uſque in Spartiatas: & contriſtati ſunt
valdè. 17. Ut audierunt autem quòd Simon frater ejus factus eſſet ſummus
Sacerdos loco ejus, & ipſe obtineret omnem regionem, & civitates in ea:
18. Scripſerunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias & ſocietatem,
quam fecerant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus ejus. 19. Et lectæ ſunt in
conſpectu Eccleſiæ in Ieruſalem. Et hoc exemplum epiſtolarum, quas Spartiatæ
miſerunt: 20. SPARTIANORUM principes, & civitates, Simoni Sacerdoti
magno, & ſenioribus, & ſacerdotibus, & reliquo populo Iudæorum, fratribus,
ſalutem. 21. Legati, qui miſſi ſunt ad populum noſtrum, nuntiaverunt nobis
de veſtra gloria, & honore, ac lætitia: & gaviſi ſumus in introitu eorum.
22. Et ſcripſimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, ſic: Numenius
Antiochi, & Antipater Iaſonis filius, legati Iudæorum, venerunt ad nos, renovantes
nobiſcum amicitiam priſtinam. 23. Et placuit populo excipere
viros glorioſè, & ponere exemplum ſermonum eorum in ſegregaris populi
libris, ut ſit ad memoriam populo Spartiarum. Exemplum autem horum
ſcripſimus Simoni magno ſacerdoti. 24. Poſt hæc autem miſit Simon Numenium
Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum
mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem. Cùm autem audiſſet populus Romanus
25. ſermones iſtos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus
Simoni, & filiis ejus? 26. Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnavit inimicos
Iſraël ab eis: & ſtatuerunt ei libertatem, & deſcripſerunt in tabulis æreis,
& poſuerunt in titulis in monte Sion. 27. Et hoc eſt exemplum ſcripturæ:
OCTAVA decima die menſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno
tertio ſub Simone ſacerdote magno in Aſaramel, 28. in conventu magno
ſacerdotum, & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis, nota facta
ſunt hæc: Quoniam frequenter facta ſunt prælia in regione noſtra. 29. Simon
autem Mathathiæ filius ex filiis Iarib, & fratres ejus dederunt ſe periculo, &
reſtiterunt adverſariis gentis ſuæ, ut ſtarent ſancta ipſorum, & lex: & gloria
magna glorificaverunt gentem ſuam. 30. Et congregavit Ionathas gentem
ſuam, & factus eſt illis ſacerdos magnus, & appoſitus eſt ad populum ſuum.
31. Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipſorum, & extendere
manus in ſancta eorum. 32. Tunc reſtitit Simon, & pugnavit pro
gente ſua, & erogavit pecunias multas, & armavit viros virtutis gentis ſuæ, &
dedit illis ſtipendia: 33. & munivit civitates Iudææ, & Bethſuram, quæ erat
in finibus Iudææ, ubi erant arma hoſtium anteà: & poſuit illic præſidium viros
Iudæos. 34. Et Ioppen munivit, quæ erat ad mare; & Gazaram, quæ eſt in
finibus Azoti, in qua hoſtes anteà habitabant, & collocavit illic Iudæos: &
quæcumque apta erant ad correptionem eorum, poſuit in eis. 35. Et vidit
populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti ſuæ, & poſuerunt
eum ducem ſuum, & principem ſacerdotum, eò quòd ipſe fecerat
hæc omnia, & juſtitiam, & fidem, quam conſervavit genti ſuæ, & exquiſivit
omni modo exaltare populum ſuum. 36. Et in diebus ejus proſperatum eſt
in manibus ejus, ut tollerentur gentes de regione ipſorum, & qui in civitate
David erant in Ieruſalem, in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia
quæ in circuitu ſanctorum ſunt, & inferebant plagam magnam caſtitati:
37. & collocavit in ea viros Iudæos ad tutamentum regionis, & civitatis, &
exaltavit muros Ieruſalem. 38. Et rex Demetrius ſtatuit illi ſummum Sacerdotium.
39. Secundùm hæc fecit eum amicum ſuum, & glorificavit eum

gloria

gloria magna. 40. Audivit enim quòd appellati ſunt Iudæi à Romanis amici, & ſocii, & fratres, & quia ſuſceperunt legatos Simonis glorioſè: 41. Et quia Iudæi, & ſacerdotes eorum conſenſerunt eum eſſe ducem ſuum, & ſummum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis: 42. Et ut ſit ſuper eos dux, & ut cura eſſet illi pro ſanctis, & ut conſtitueret præpoſitos ſuper opera eorum, & ſuper regionem, & ſuper arma, & ſuper præſidia: 43. Et cura ſit illi de ſanctis: & ut audiatur ab omnibus, & ſcribantur in nomine ejus omnes conſcriptiones in regione, & ut operiatur purpura, & auro: 44. Et ne liceat ulli ex populo, & ex ſacerdotibus, irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione ſine ipſo: & veſtiri purpurâ, & uti fibula aurea. 45. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. 46. Et complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundùm verba iſta. 47. Et ſuſcepit Simon, & placuit ei ut ſummo Sacerdotio fungeretur, & eſſet dux & princeps gentis Iudæorum, & ſacerdotum, & præeſſet omnibus. 48. Et ſcripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo Sanctorum, in loco celebri: 49. Exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon, & filii ejus.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Annus regni Græcorum.

℣. 1. ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SECUNDO CONGREGAVIT REX DEMETRIUS EXERCITUM SUUM, ET ABIIT IN MEDIAM, provinciam regni Aſiæ quidem; ſed jam recèns à Parthorum Regibus occupatam, uſis occaſione bellorum civilium inter Seleuci & Antiochi Epiphanis liberos, ac nepotes. Mox enim diſertè Arſaces dicitur, *Rex Perſidis & Mediæ.*

Cur in Mediam ierit Demetrius ad auxilia conquirenda?

Quo pacto igitur Demetrius in provinciam, à regno ſuo abſtractam, proficiſcitur, *ad contrahenda ſibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem?* Lucem aliquam huic affert Joſephus, qui libro 13. cap. 9. ſub finem, ait: per crebras legationes à Græcis & Macedonibus ſuperiorum ſatrapiarum ſolicitatum fuiſſe Demetrium, ut eò ſe transferret; fore ut ſeſe ipſi dederent, & auxilio eſſent, non ſolùm adverſùs Arſacem, ſed etiam adverſus Tryphonem. Nec longè abſcedit à Joſepho Juſtinus libro 36. *Demetrii adventum*, inquit, *non inviti Orientis populi vidêre, & propter Arſacidæ Regis Parthorum crudelitatem, & quòd veteri Macedonum imperio aſuêti, novi populi ſuperbiam indignè ferebant. Itaque cùm & Perſarum, & Elymæorum, Bactrianorumq́ue auxiliis juvaretur, multis prælius Parthos fudit. Ad extremum tamen pacis ſimulatione deceptus capitur, traductuſq́ue per ora civitatum, populis, qui deſciverant, in ludibrium favoris oſtenditur.*

Quis Arſaces?

℣. 2. 3. ET AUDIVIT ARSACES, quod nomen comune fuit omnibus Parthorum Regibus, ut Juſtinus agnoſcit lib. 41. & nos Prologomeni ſect. 1. num. 3. diximus. Oroſius lib. 5. c. 4. vocat hunc Arſacem Mithridatem, facitque ſextum à primo Arſace Parthici imperii conditore: Juſtinus autem dicit Arſacem tertium fuiſſe, nominatque Pompatium ſive Priapatium; filióſque ejus duos, qui poſtmodum Parthis imperarunt, Mithridatem, & Phrahatem. Dicitur autem à Scriptura *Rex Perſidis, & Mediæ*, non autem Parthorum: quia provinciæ iſtæ toto orbe illuſtriores, & Judæis longè notiores erant, quàm Parthia populus novus, ut modò Juſtinus loquebatur. *Confines*, ſeu fines regni Arſacis, Media vicinæque provinciæ vocantur, quas ſibi recèns Arſacidæ ſubjecerant.

Quomodò captus Demetrius?

ET MISIT ARSACES UNUM DE PRINCIPIBUS SUIS, UT COMPREHENDERET EUM VIVUM: intellige id factum, non primo ſtatim Demetrii Mediam ingreſſu, ſed poſt aliquot prælia Parthis adverſa. Ut vivus capi poſſet, non improbabile eſt quod ait Juſtinus, lactatum ſpe pacis, ac deinde, ut ex Scriptura conſtat, *percuſſa* ejus *caſtra*, ſubitâ ſcilicet & inexſpectatâ irruptione: quò etiam ſpectat Juſtinus, cùm libro 38. ait, repentè inſidiis circumventum, amiſſo exercitu, captum.

Quomodò cuſtoditus?

De *cuſtodia* Demetrii eumdem Juſtinum conſule lib. 38. & 39. quem tranſcripſit Rabanus in Commentariis ad caput 15. & Salianus in Annalibus ad plures deinceps annos illuſtrat. Conſtat quidem liberaliter habitum Demetrium, & Regio cultu, imò & datam ipſi in uxorem ab Arſace filiam Rhodogunam. Conſtat nihilominùs etiam cuſtoditum fuiſſe, arctiorique cuſtodiâ, poſtquam fugam bis irrito conatu tentârat, è fugâ retractus à Phrahate, qui Arſaci patri in regnum ſucceſſerat.

Cur ſervatus à Parthorum Regibus?

At cur eum vivum capi Arſaces voluit? Ob eamdem cauſſam, opinor, ob quam Phrahates eum è fuga reductum, licèt arctiùs cuſtodiri voluit, non deſiit tamen habere indulgenter. *Hanc*, inquit Juſtinus, *Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam, non miſericordia gentis faciebat, nec reſpectus cognationis: ſed quod Syriæ regnum affectabant; uſuri*

Demetrio

Demetrio adverſùs Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegiſſet. Vivam capere voluit Arſaces, uti per ſpeciem ejus adverſùs Tryphonem tyrannum defendendi, Aſiæ regnum invaderet; cujus jam multas & opulentiſſimas provincias, quæ ſuprà cap. 6. verſ. 1. *ſuperiores regiones* dicuntur, obtinebat. Vivum eum ſervavit Phrahates Arſacis filius: ut per ſpeciem regni ſororio ſuo Demetrio revindicandi, & Antiocho Sideti extorquendi, ipſe Rex fieret. Itaque omnis iſta clementiæ ſpecies ambitioni ſubſerviebat. Ita politicorum virtutes omnes, quia debito fine carent, umbram tantum virtutum habent, revera autem vitia ſunt. Qui enim, alieni regni uſurpandi gratiâ, miſericors eſt & clemens: non clemens dicendus eſt, ſed injuſtus & ambitioſus; quia actiones humanæ à ſcopo, ad quem diriguntur, formam accipiunt.

Pax à Simone parta.

℣. 4. uſque ad 16. Commendatur quies ac fælicitas Judæorum reliquo Simonis Principatu.

℣. 4. SILUIT OMNIS TERRA JUDA OMNIBUS DIEBUS SIMONIS; Græcè non habetur, *omnis terra Iuda;* ſed tantùm, *terra Iuda.* Intellige de propriè dicta Judæa, quæ nullo bello tentata amplius fuit vivo Simone. Nam Cendebæi excurſiones infra cap. 15. verſ. 40. cis fines Judææ videntur ſtetiſſe: licèt ibi dicatur cæpiſſe *conculcare Iudæam,* latiùs ſumpto nomine Judææ. Niſi malis hoc loco intelligere, terram Juda fuiſſe pacatam *omnibus diebus Simonis*, id eſt, fermè omnibus diebus.

Prolati fines.

℣. 6. DILATAVIT FINES GENTIS SUÆ, ET OBTINUIT REGIONEM; intellige de Palæſtinæ pleriſque locis, quæ in Judæorum antè poteſtate non fuerant. De Joppe capta, Bethſurâ, Gazarâ; arce, dictum locis ſuis.

Senum conſilium

℣. 9. SENIORES IN PLATEIS SEDEBANT OMNES, ET DE BONIS TERRÆ TRACTABANT: intelligi poſſet dupliciter: Primò, quòd ſenes in circulis ſolerent exaggerare fælicitatem præſentium temporum, forſan comparatione præteritorum, quæ viderant: ut ſolent ea ætate homines lubenter de præteritis loqui. Secundò, quòd ſeniores de reipublicæ Judaicæ bono ſtatu conſultare ſolerent: & hunc ſenſum ſuadet textus Græcus, qui ſic habet: *Seniores in plateis ſedebant: omnes de bonis loquebantur in communi*, ſeu *conſultabant in commune*, ἐκοινολογοῦντο. Senes deliberant, *& juvenes induebant ſe gloriam & ſtolas belli*, id eſt, glorioſas veſtes bellicas. Senum eſt conſultare, juvenum exequi: illorum prudentia eſt, horum vires.

In pace proviſum bellum.

℣. 10. CIVITATIBUS TRIBUEBAT ALIMONIAS; ET CONSTITUEBAT EAS, UT ESSENT VASA MUNITIONIS: id eſt, commeatu & armis inſtruebat; ut eſſent inſtar apothecarum ſimul, & armamentariorum ad caſus ſubitos. *Quoadusque nominatum eſt nomen gloria ejus uſque ad extremum:* id eſt: itaut nomen Simonis celebraretur etiam in tranſmarinis regionibus, ut infra de Romanis & Spartiatis patebit. Verſu 12. SEDERE SUB VITE ET FICULNEA SUA, periphraſis eſt pacati ſtatus Hebræis frequentata. Verſu 15. SANCTA GLORIFICAVIT, ET MULTIPLICAVIT VASA SANCTORUM, id eſt, Templum ornavit, & ditavit multis vaſis ſacris.

Abſoluti Principis exemplar. In amore erga populum.

In hiſce verſibus invenio planè abſolutum conſummati Principis exemplar: ut quod per varia ſparsêre, qui omnibus linguis de inſtitutione Principum libros compoſuerunt, in unico Simone velut compendio collectum videre ſit. Expono breviter per numeros, & in ordinem redigo. Primum eſt verſu 4. quòd *quæſivit bona genti ſuæ:* id eſt, cùm ſe ſciret Principem eſſe ad commune populi bonum, ei fini inſtitit, & ad illum ſcopum actiones ſuas publicè privatimque direxit. Id benè adminiſtrandæ reipublicæ præcipuum caput eſt: ut intelligat, qui eam regit, ſe ei datum eſſe, non eam ſibi. Hoc verum tyranni diſcrimen ac Principis: Ille ſibi in dominando bona quærit, iſte ſubditis: ille ſua commoda ſpectat, iſte populi. Apud Pollucem, & ex hoc apud Serarium, Regia epitetha ſunt, πατὴρ, ἤπιος, φροντιστὴς τῶν ἀρχομένων, σωτὴρ, ἐπιμελητὴς τῶν ὑπηκόων: *Pater, benignus, eorum quibus præeſt curator, ſalvator, ſubditorum cuſtos.* Iſthæc omnia nomina unum Simonis cognomen apud Joſephum, lib. 13. c. 11 complectitur: ὁ εὐεργέτης, *Evergetes*, beneficus: ſic dictus vera laude, non adulatoria, ut Reges quidam Ægyptii; & illi, qui, Chriſto teſte, poteſtatem exercentes *benefici* vocantur, plerumque falsò, etſi reipſa tales eſſe debeant. Simon autem, verus Evergetes ac beneficus, perpetuò quæſivit bona populi ſui: &, quod poſteà monuit Gregorius l. 26. Mor. c. 19. *ad largienda bona potentem ſe cognovit.*

Unde mutuus populi erga Principem amor.

Inde natus in optimum ac benevolentiſſimum Principem mutuus ſubditorum amor: nam *placuit illis poteſtas ejus, & gloria ejus omnibus diebus.* Ipſe ſalutem populi quærebat, populus ejus gloriam: ipſi placebat populi fælicitas, populo ejus poteſtas. En ſtabile benè regendæ reipublicæ fundamentum, amor Principis in populum, populi in Principem. Ubi ille adeſt, fons patet perpetuus bonorum omnium: ubi abeſt, fruſtra axiomatibus politicis ruinam publicam fulcire conaberis; murmura, ſeditiones, factiones, rebelliones denique apertas non impedies. Vide dicta cap. 12. ſub finem.

In ſtudio religionis.

Secundò. Poſito hoc fundamento boni principatus, ad deſtinatum finem adhibet media maximè neceſſaria, quorum primarium eſt cura religionis, uti oſtendimus Excurſu Morali ad cap. 7. ſect. 1. & 2. Id à Simone curatum habes verſu 15. *Sancta enim glorificavit, & multiplicavit vaſa Sanctorũ.* Eodem etiam refertur pars altera verſûs 14. *Legem exquiſivit, & abſtulit omnem iniquum & malum.* Legem enim exquirere, nihil aliud eſt quàm patria inſtituta, ritúſque ac cæremonias à Deo per Moſen indictas, ſervanda curare. Auferre autem omnem iniquum & malum, eſt pœnâ afficere omnes divinæ legis prævaricatores, nihilque pati religioni adverſum. Itaque Simon religioſiſſimus Princeps, cum quæreret bona genti ſuæ, eam ad bonorum fontem deduxit, pietatem in Deum: religionemque ipſam illibatam cuſtodire ſtuduit: tum locum ſacrum, id eſt, Templum religioni deſtinatum curavit: poſtremò & inſtrumenta ipſa divini cultus, & cætera, quæ ad ſplendorem religionis faciunt.

Ac juſtitiæ, & omnia partium.

Tertiò. Curam Religionis excipit cura Juſtitiæ, quæ ad rerumpublicarum ſalutem quàm ſit neceſſaria fusè demonſtravimus, Excurſu Morali eodem, ſect. 1. & 3. & rurſum dicemus Excurſu 1. ad cap. ult. Quanto autem ſtudio ea virtus à Simone culta fuerit, indicatur ab Hagiographo, verſu 14. *Et confirmavit omnes humiles populi ſui, & legem exquiſivit, & abſtulit omnem iniquum & malum.* In altera parte verſus continetur juſtitia Legalis, tum Vindicativa. Illius officium fuit *legem exquirere*, id eſt Dei per Moſen præcepta non ad religionem modò, ut jam diximus, ſed etiam ad politicam gubernationem ac civilem ſtatum ſpectantia, exactè ſervare. Vindicativæ Juſtitiæ munus eſt, *auferre iniquum & malum*, id eſt, culpas publico bono noxias plectere, & patria reipublicæ

membra

membra truncare. Prior pars pauciſſimis verbis complectitur, quæ ad Diſtributivam & Commutativam juſtitiam ſpectant: contra quas numquam ferè peccatur à Principe, niſi in potentium ac ditiorum gratiam, contra *humiles* & abjectos deplebe homines. Hinc ad labem tantam fugiendam, Simon omnes quidem ſibi ſubditos *confirmavit*, jus cuique ſuum fortiter aſſerendo; ſed maximè *humiles populi ſui*, ne quà aut favor, aut potentia, aut gratia, jus ſuum illis adimeret: fecitque, quod filio ſuo optabat David pſalm. 71. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam filio Regis*; cujus juſtitiæ præcipuum munus erit, *Judicare pauperes populi, & ſalvos facere filios pauperum, & humiliare calumniatorem*, atque oppreſſorem.

Concilium Principi neceſſarium.

Quartò. Bonæ fortunæ anima conſilium deeſſe non potuit viro conſilii: qui licèt acri à natura judicio præditus, & longo præterea rerum uſu per multas temporum varietates, conſummatiſſimæ prudentiæ eſſet, ſibi tamen ſoli in decernendo non fidebat, ſeniorum ſententias ſolitus exquirere. Significatur illud verſu 9. his verbis *Seniores de bonis terræ tractabant*, ſeu in commune conſultabant. Sciebat nimirum prudentiſſimus Princeps, uti neminem illo ſtultiorem eſſe, qui ſibi ſolus ſapiens videretur; ita ſapientiorem neminem, quàm qui aliena conſilia lubens audiret. Benè illum loqui, quem non puderet aliquando auditorem eſſe: benè docere, qui diſcere non erubeſceret: benè regere, qui regi, ubi uſus ſit, non dedignaretur: benè demum agere, qui benè conſultaret.

Bonorum cõſiliorum delectus.

Adverte etiam, illorum ab ipſo audita conſilia, qui *de bonis terræ tractabant*, non autem de bonis ſuis: qui publicæ utilitati ſtudebant, non autem ambitioni, vel avaritiæ: qui æquis ſententiis, & integris moribus, famam & amorem Principis ſui in populum aucturi eſſent; non autem qui meritò odioſi meritò amabilem Principem dehoneſtarent. Sedulò id Proceribus ex utroque ordine curandum, ut tales in amicitiam & conſilia adſciſcant, quorum dedecore non onerentur. Eugenio Papæ Bernardus lib. 4. de Conſ. ſcribebat, quod cæteris in excelſo gradu poſitis commune eſt: *Veniamus ad collaterales & coadjutores tuos. Hi ſeduli tibi, hi intimi ſunt. Quamobrem ſi boni ſunt, tibi potiſſimùm ſunt: ſi mali, æquè & plùs tibi. Ne te dixeris ſanum, dolentem latera: hoc eſt, ut te dixeris bonum malis nitentem.* De conſiliatorum delectu, & de conſilii utilitate diximus ad cap. 2. v. 65. ubi Simoni datum à Mathathia titulum expendimus, quod eſſet *vir conſilii*.

Fortitudo jungenda conſilio.

Quintò: Conſilium ſecuta fortitudo, judicium actio, quâ deſtitutus prudens, dici prudens non debet: vide cap. 2. verſ. 66. Compendio quæ fæliciter geſſit Simon, narrantur verſu 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. Urbes captæ ac munitæ; reges devicti aut compreſſi, in quibus Demetrius, Antiochus Alexandri, & Tryphon numerantur: dilatati Judææ fines: pax denique, ſecuritas, ac fælicitas genti Judaïcæ parta. In locis à Simone captis ac munitis quatuor nominantur, quia maximi momenti. Primo, Joppe portus, ad *introitum in inſulis maris*. Deinde Gazara ſeu Gaza urbs florentiſſima, non longè à mari ſita, ad finitimas civitates continendas. Tum Bethſura arx munitiſſima ad Hieroſolymæ viciniam tuendam. Arx denique ipſa Hieroſolymitana.

Fugienda nimia ſecuritas.

Sextò: Pace parta, Simeoni tamen ad ſubitos caſus cavendos providentia non defuit, nec ſocordiam attulit nimia ſecuritas. Hinc verſu 9. frequentata cum ſenioribus conſilia, & juvenes induti ſtolas belli, ad exercitamentum militiæ. Hinc verſu 10. apothecæ & armamentaria in urbibus poſita, ut ſi qua vis repentina ingrueret, commeatus & arma ubique præſto eſſent.

Domeſticus miles peregrino melior eſt, paribus cæteris.

In verſu 9. adverte, quod universâ Machabæorum hiſtoriâ ſpectare potuiſti: milite domeſtico recuperatam à Judæis libertatem ſuam, eodem ſtetiſſe. Certè civem armari, & ad bella inſtrui longè magis ex re ipſa expedit, quàm externum. Conciliat enim ea fiducia amorem erga Principem, concordiam firmat, auget affectum in patriam: quam etiam incolumem eſſe, ſalvamque, ac florentem, multò plus indigenarum intereſt, quàm alienigenarum. Si tamen civis, vel ſegnis eſt ad arma tractanda; vel ex ingenio, aut prava perſuaſione, aut veteribus recentibúsve offenſis, non ſatis fidus; vel ſi utiliùs in conſiliis, literis, negotiatione, artibus occupabitur: tunc externum militem oportebit adſciſcere. Sed eum, qui neque aviditate ſuâ, aut ſuperbiâ, civem abalienet; neque ambitione, aut potentiâ nimiâ, rempublicam turbet, invadat. Conducendus itaque aut evocandus fuerit ex nationibus inquieti minimè ingenii, maximè fidelis: quod quia Romani, inclinante imperio, non ſatis caverunt, periêre.

Unde tantæ opes Simoni?

Ad verſum 10. quærat aliquis, neque immeritò; unde tantæ, poſt tot Judaicæ reipublicæ clades, Simoni divitiæ: ut non modò mœnibus Hieroſolymitanis reparandis, ornandæ civitati, excitandis præſidiis, monumento exſtruendo, militibus in præſens alendis; ſed etiam comparcendo, & abundè in poſterum providendo commeatui bellico, annonæque ſufficeret? Dubitandum equidem non eſt, quin pecuniæ vim magnam ærario publico cæſæ hoſtiles copiæ, urbeſque occupatæ, per Judam primùm, tum per Jonatham ac Simonem ipſum, intulerint. Majorem tamen multò numerum collectum arbitror ex tributis, ac vectigalibus, quæ à Judæis pendebantur, non tantùm non invitis, ſed etiam lubentibus: quia juſtè imponi, moderatè exigi, fructuosè apud ſe impendi cernebant. Longè aliter, quàm nuper; cùm extero dominatu preſſi, per vim ac terrorem dare cogebantur, quæ extra Judææ fines evecta & impenſa, provinciam exhauſtam & exſanguem relinquerent.

Tributorũ ex mercimoniis proventus.

At unde, inquis, collecta potiſſimùm tributa? An ex pecoribus, frugibus, fructibus, ſale; ut per Syriæ Reges, ſuprà cap. 10. & 11.? Exiſtimem magis ex mercibus invehendis, & evehendis. Neque enim juſtius ferè aliud eſſe poterat tributorum genus, nec copioſius. Æquum eſt enim, ut plus pendant reipublicæ, qui plus itinerum operumque publicorum commodo ad quæſtum ſuum utuntur; ut negotiatores ſolent, ſeu domeſtici, ſeu peregrini. Æquum eſt item, ut cæteris ampliùs in ærarium conferant, qui opulentiores ſunt, & mercibus ad familiæ uſum aut ſplendorem magis indigent. Uberrimus autem ex ejuſmodi tributis proventus eſt in iis regionibus; ubi vel ferax ſolum, vel apta artibus ingenia, materiam mercimoniis ſubminiſtrant: & ubi vel navigabilia flumina, vel portuoſa maria, mercibus exportandis importandiſve oportuna ſunt.

Maris imperium.

Sic autem Judæam fuiſſe hac ætate conſtat: ex quo præſertim opulentæ urbes illius finibus acceſſerant, & commodiſſimi ad mare Mediterraneum portus. Quod enim ſuprà cap. 11. v. 8. de Ptolemæo diximus, idem Simoni conſilium fuit, mari imperare, ad importandas Judææ opes frequentatione commerciorum, ſubtrahendaſque vicinis & æmulis.

æmulis. Nec verò antehac umquam plus mari Judæos potuiſſe conſtat: cùm antè, quamvis per potentiſſimorum Regum tempora, vix paucos ad Mediterraneum portus tenuerint: jam oram omnem ab Ægypto ad Syriam uſque habeant vel ſubditam vel obnoxiam, atque adeò maris illic domini ſint.

Simon laudatur.

Habemus igitur Simonem bello & pace optimum Principem: in bello pro pace pugnantem; in pace ad bella non imparatum: religione, juſtitiâ, conſilio, armis, locis munitis, viris, opibus reipublicæ providentem, militiæque ducem, ac patrem Judaicæ plebis, religionis vindicem, aſſertorem libertatis, novum totius gentis fundatorem ac conditorem: cui antiquorum Iſraëlitici generis Ducum, aut Regum, vix ullus bello melior, & pace fælicior: ut armis, David alter; quiete publicâ difficillimis temporibus quæſitâ, alter Salomon dici meritò poſſit: Judæ fratri fortitudine ſuppar; Jonatha fortunâ ſuperior.

Simon Chriſti figura.

Operæ pretium eſt ſubtexere hoc loco, quæ Rabanus piè juxtà & ingenioſè, ſi uſquam aliàs, à Simone ad Chriſtum verum Simonem, patri uſque ad mortem crucis obedientem, ſummum Pontificem noſtrum ac principem, evergetam generis humani beneficentiſſimum traduxit. Tu longiùs extendere poteris, quæ paucis indicabo, partim Rabani verbis ac ſenſibus, partim meis. Sicut enim non difficulter addidi ad ipſius inventa: ita & tu facilè addes ad mea.

Pax Chriſti.

Siluit terra omnibus diebus Chriſti; quia Incarnatione ejus vera pax terræ parta eſt. *Quæſivit bona genti ſuæ*: quidquid enim boni Eccleſia habet, à Chriſto collatum eſt: & *placuit* Eccleſiæ *poteſtas ejus*: quia Chriſto ſoli ſervire omni tempore elegit. *Accepit Ioppen in portum*: Joppe pulcritudinem ſignificat: quid autem Eccleſia pulcrius, de qua Cant. 4. dicitur: *Quam pulcra es amica mea?* Inde *fecit introitum in inſulis maris*; quia totius orbis Gentibus Evangelium ab Eccleſia communicatum eſt.

Chriſti victoriæ.

Dilatavit fines gentis suæ, id eſt Eccleſiæ quaquaverſum diffuſæ: *& obtinuit regionem* totius mundi. *Congregavit captivitatem multam*, de qua ſcriptum, pſalm. 67. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem. Dominatus eſt Gazara, Bethſura, & arci*, quia mundi faſtum per Evangelium domuit. *Abſtulit immunditias* peccatorum per lavacrum regenerationis: *& non erat qui reſiſteret ei*, de quo ſcriptum eſt, Eſth. 13. *In ditione tuâ, Domine, univerſa ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.*

OperaChriſtianorum

Unusquisque colebat terram suam cum pace, corpus ſuum exercendo ad obſequia virtutum: *& terra Iuda dabat fructus ſuos*, caro ipſa fructus bonorum operum proferebat: *& ligna camporum*, homines viriditate fidei ſemper florentes, *fructum ſuum*, germina virtutum, producebant. *Seniores qui de bonis terræ tractabant* ii ſunt, qui auditores ſuos conſiliis juvant, & ſermonibus roborant: *juvenes* autem, cœtus fidelium, qui *gloria* confeſſionis Chriſti freti, induunt ſe armis virtutum. *Civitatibus tribuebat* Chriſtus *alimonias*, id eſt ſermones doctrinæ; adde, & cibum corporis ſui: *& vaſa belli*, arma ſapientiæ Chriſtianæ adversùs hoſtes ſpiritales.

Chriſti gloria.

Nominatum est nomen gloriæ ejus usque ad extremum terræ, quia in omnē terram exivit ſonus prædicationis Apoſtolorum, pſalm. 18. & *à finibus terræ laudes audivimus gloriam juſti*, Iſ. 24. *Fecit pacem ſuper terram*, qui naſcens, moriturus, & reſurgens pacem Apoſtolis impertiit.

Lætitia Chriſtianorum.

Lætatus est Israel lætitia magna, quia ipſe eſt verus noſter Iſaac, riſus & gaudium noſtrum. *Sedit unuſquiſque ſub vite ſuâ, & ſub ficulneâ ſua*, juxta Michææ vaticinium, cap. 4. v. 4. Hæc eſt vitis, quæ in Evangelio loquebatur Joa. 15. *Ego ſum vitis, & vos palmites.* Hujus fructus bibuntur, & comeduntur, & lætificant cor hominis, & inebriant amicos ſponſæ, & in regno Dei bibuntur novi quotidie. Sub ficu autem requieſcit, & nullas inſidias formidat qui dulcedine Spiritus ſancti fruitur, & illius fructibus ſaturatur, caritate, gaudio, pace, continentia, &c. de hujuſmodi plantatore dicitur, Proverb. 27. *Qui plantaverit ficum, comedet fructus ejus. Et confirmavit omnes humiles populi ſui*, Sanctos, quos pauperes ſpiritu appellat. *Legem exquiſivit*, ut non ambulent in vetuſtate literæ, ſed in novitate ſpiritûs. *Abſtulit omnem iniquum & malum*; cùm modò per ſanctos Doctores excommunicat Hæreticos atque Schiſmaticos, & in fine mundi per Angelos colliget omnia ſcandala. *Sancta glorificavit*, religionem Chriſtianam ordine pulcerrimo ornavit: *& multiplicavit vaſa ſanctorum*, id eſt, numerum credentium ac benè operantium, quia ipſi ſunt vaſa apta in miniſterium Dei, ad accipienda divina chariſmata, & dona Spiritus ſancti.

Ubi legati Judæorum audierint de Jonathæ morte?

℣. 16. uſque ad 19. Narratur fama Romam & Spartam perlata de morte Jonathæ, ac ſucceſſione Simonis in Principatum. Vatablus putat, legatos Judæorum, auditâ Romæ cæde Jonathæ, ibi moras traxiſſe, donec de ſucceſſore audirent; & tunc ejus etiam nomine amicitiam cum Romanis renovâſſe, ac poſtea ex itinere cum Spartianis. Salianus autem mavult, legatos, peractâ jam legatione Romanâ, Spartæ demum intellexiſſe de occiſo Jonatha, & ſuffecto Simone, nec putâſſe repetendum iter Romanum, niſi novis à Simone mandatis acceptis: unde factum, ut ſolæ ad Simonem Spartiatarum literæ hîc referantur. Etſi Vatablo favere videtur verſus 40. infrà: placet tamen mihi Saliani ſententia: eò magis, quòd cap. ſeq. verſ. 15. literæ demum Romanorum de Simone ad Reges ac populos, & eædem ad ipſum Simonem referantur, poſt alteram Numenii legationem, quâ Simonis juſſu functus eſt. Itaque quod hîc verſu 17. & 18. dicitur: *Vt audierunt quod Simon factus eſt ſummus Sacerdos, ſcripſerunt ad eum in tabulis æreis*: vel ad ſolos Spartiatas referendum eſt; vel ſi de Romanis etiam volueris intelligi, ſumendum erit per anticipationem, ut hîc narretur quod alteram Numenii ad Romanos legationem ſecutum eſt.

LiteræSpartiatarum ad Judæos.

℣. 19. uſque ad 24. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Jerusalem; id eſt, advocatâ populi concione recitatæ ſunt literæ Spartiatarum, quarum exemplar ſequitur in textu. Verſu 20. *Spartianorum civitates*, Græcè *civitas*: lectio tamen noſtra retineri poteſt, ut civitates, phraſi Scripturæ ſæpiùs hoc libro obſervatâ, intelligantur oppida territorio Lacedæmoniorum comprehenſa: neque omnia ipſis ſubtracta erant à Romanis, etſi etiam ipſi eorum imperio ſubjecti eſſent. Verſu 23. *in ſegregatis populi libris*, Græcè eſt, *in patentibus populo libris*: ut ſenſus ſit, legationis Judæorum ſummam Lacedæmone ſcriptam in monumentis publicis, eo loco poni ſolitis, ut à populò paſſim legi poſſent. Eodem verſu, *ſcripſimus*, Græcè eſt, *ſcripſerunt*, ſcilicet Spartiatæ: ut hæc poſtrema verba ſint non Spartarum, ſed auctoris Hagiographi, quomodò cap. ſequenti verſu 24. in ſimili habetur etiam, *ſcripſerunt*.

Legatio Romam à Simone miſſa.

℣. 24. Post hæc autem miſit Simon Numenium Romam: id eſt, poſt lectas publicè Spartianorum literas. Quorſum autem Numenius iterum miſſus fuerit Romam, ſubditur, *ad ſtatuendam cum eis ſocietatem.* Non erat igitur ante ſtatuta à Numenio, nomine Simonis, cum Romanis ſocietas; ut modò volebat Vatablus. Quanquam reſponderi poſſet remiſſum Numenium Romam, ut ſocietatem jam initam firmaret, allato inſigni munere, *clypeo aureo magno pondo mnarum mille.* Dona à ſociis Romam mitti ſolita habes cap. ſept. ſuprà ad quæſtionem octavam de Demetrio. Item ex Livii lib. 36. & 42. de Ptolemæo & Antiocho: & de aliis ex Cicerone Verrinâ ſextâ.

Et clypeus aureus minarum mille.

Minæ mille aureæ, ſi Atticas ſumpſeris, conficiunt ſummam centum millium aureorum, id eſt trecentorum millium florenorum ſeu francorum: ſin Hebraicas minas intellexeris, dupla erit ſumma; etſi alii aliter numerant. Præterea mnas aliquando inæqualis fuiſſe pretii, conſtare videtur ex Ezechielis, cap. 45. v. 12. Imò Tirinus prolegomeno de antiquis monetis exiſtimat, aliquando ſumi minæ ſeu mnæ nomen pro ſiclo. Si eo ſenſu hic intellexeris clypeus aureus erit circiter quatuor millium aureorum, ſeu duodecim millium florenorum.

Expenditur Vulgatæ textus.

℣. 25. Cùm autem audiſſet populus Romanus. Incipio hunc verſum ab iſtis verbis. In quibuſdam vulgatis mendosè inchoatur à voce *ſermones*, in aliis à voce *dixerũt*. Mendum etiam irrepſit in voce *Romanus*, quæ addita forſitan fuerat ab aliquo ſtudioſo, quaſi explicationis cauſſa, ad vocem *populus*; unde à librario in textum tranſlata eſt, continuato deinceps ab aliis errore. Mendum autem eſſe Vatablus, Salianus, Serarius exiſtimant.

Cur vox, Romanus, expurgãda?

Argumento eſt primùm, quòd vox illa *Romanus* abeſt ab omnibus Græcis, imò & Latinis, exceptâ Vulgatâ. Deinde, quòd reſponſio Romanorum habetur demum capite ſequenti: quare hæc ad eos non pertinet. Denique tota oratio Hebraica eſt; Judaicos mores ſapit: menſes, annos more Hebræorum numerat, quod numquam facturi erant Romani: conventûs Judaici, Sanctorum, arcis, prophetiæ, aliarumque rerum meminit, quas numquam tam exactè Romani ſcripſiſſent: legem ac decretum Judæis ſancit, Romani autem libero populo dictaturi leges non fuerant: alia præterea multa continet, quæ non niſi detortè ac violentè Romanis poſſunt aptari, ut Liranus ac Torniellus faciunt, Judæis autem apprimè conveniunt.

Gratitudo populi erga Simonem.

Expunctâ igitur voce iſtâ: *Populus* Judæorum *cum audiſſet ſermones iſtos*, non tantùm literas Spartiatarum, ſed etiam legationem ad Romanos inſtructam, imò & res geſtas Simonis, quæ omnia nomine ſermonum comprebenduntur, *dixerunt, quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis ejus?* Non contenti gratitudine erga Simonem ipſum, totam præterea ipſius poſteritatem honorare ſtatuunt. Vide infra verſu 41. ubi Principatus & Pontificatus, non Simoni ſoli, ſed etiam poſteris hæreditarius decernitur; id enim ſignificatur voce *in æternum.*

Cauſſa gratitudinis.

℣. 26. Restituit enim ipse fratres suos, et expugnavit inimicos Israel ab eis. Rationem reddunt Judæi, cur ad gratitudinem erga Simonem teneantur: ſcilicet, quòd *reſtituit ipſe fratres ſuos;* id eſt, Judæos avitæ religioni ac priſtinæ libertati reddidit, depulſis hoſtibus Iſraëlitici nominis. Hæc plena eſt textûs noſtri ſententia. In Græco autem ſic habetur ad verbum: *Firmavit enim*, id eſt, firmiter ſtetit, *ipſe, & fratres ejus, & domus patris ejus, & expugnarunt hoſtes Iſraël ab eis.* Unde Serarius putabat legendum, *Reſtituit enim ipſe, & fratres ejus, & domus patris ejus*, &c. voce *reſtituit* ſumpta pro voce *conſtabilivit.* Ego, ſi quid mutandum ſit, mallem ſupponi: *Reſtitit* ἔστη, *ipſe & fratres*, &c. ſed ut jam dixi, non video cur Vulgata noſtra mutetur, cùm ſenſus aptiſſimè conſtet.

Cui libertas hic ſtatuitur?

Quod ſequitur, *& ſtatuerunt ei libertatem*, totidem verbis habetur in Græco: ſed incertum eſt, ad quid referatur. An enim à Simone ac fratribus ſtatuta populo libertas? An verò à populo ſtatuta Simoni & liberis? At quæ, inquit Salianus, Simoni libertas detur, qui jampridem liber erat, imò & aliis immunitatem pepererat? Malo tamen cum Serario intelligere libertatem Simoni datam à populo; eo ſenſu, ut ipſe ſolus Princeps eſſet, pareret nulli; ſed ipſi parerent omnes ac ſubditi eſſent. Ad eoſdem igitur referendum erit verbum *ſtatuerunt*, ad quos, *deſcripſerunt, & poſuerunt*, Judæi ſcilicet: adeóque ante, *Et ſtatuerunt ei libertatem*, ponendum eſt punctum, ut ſit nova periodus, licèt Vulgata habeat tantùm puncta duo aut ſemicolon, & Græca habeant ſolùm comma.

Tabulæ de Simone.

℣. 27. uſque ad 48. Recitantur tabulæ publicæ Judæorum de Simone, in quibus, tum res ejus geſtæ ſummatim recenſentur, tum Regis Demetrii de eo judicium, ſecutum populi Romani ac Judæorum communem ſententiam. Verſu 27. Annus 172. Græcorum conſignatur tertio Simonis, reducitúrque in praxim, quod ſtatutum erat cap. ſup. v. 42.

Aſaramel quid ſignificet?

Asaramel vocem corruptam putabat Vatablus, reponendúmque, *Ieruſalem:* ſed Serarius ingeniosè explicat, *in principe eorum Deo*, quaſi dicatur, *ſub Simone Sacerdote magno, Dei gratia.* Græcè habetur *Saramel:* Latinus interpres renuit ה præpoſitionem ſignificantem *in.* Verſu 28. *nota facta ſunt*, Græca habent ἐγνώρισεν, *innotuit*, vel *notum fecit:* quaſi, inquit Serarius, Simon ipſe, ante hoc decretum condendum, verba fecerit in conventu Judæorum: ſed prudentiæ ac modeſtiæ Simonis magis convenit, ut alii nota fecerint facinora ejus, quàm ipſe: unde malo *innotuit.* Quæ aliis verſibus habentur, de Jonatha, Bethſura, Joppe diximus ſuis locis. De Gazara vide cap. ſuprà verſ. 54. Verſu 34. *correptionem*, Græcè eſt ἐπανόρθωσιν, id eſt, *correctionem ſeu inſtaurationem.* Itaque Sa, Vatablus, verſioneſque aliæ, & poſt eos Salianus, legendum putant *correctionem*, non *correptionem*, ut intelligantur iſta loca à Simone reſtituta. Verſu 35. pro, *actum Simonis*, Græca Regia habent πίστιν, fidem; Sixtina conſentiunt.

Arx Templo infeſta.

℣. 36. Inferebant plagam magnam castitati: id eſt, multùm nocebant munditiæ, Templum contaminabant præſidiarii arcis ex loco vicino, & imminente, quem deſcripſimus cap. ſup. Verſu 39. *Secundùm hæc*, in Græcis Regiis eſt *ſecundùm omnia.*

Judæi fratres Romanorum.

Verſu 40. Judæi appellantur *fratres* à Romanis, qui titulus habetur etiam in Græcis Sixtinis, etſi abſit à quibuſdam aliis. Poteris hinc fulcire, quod ſuprà cap. 12. diximus de fraternitate Laconum. Ita, inquit Serarius, à panegyriſte Conſtantini dicuntur Batavi fratres Romanorum: & apud Plutarchum in Mario, Teutones jactabant ſe fratres Romanorum. Verſu 41. *Propheta fidelis* quis ſit, diximus ad cap. 4. v. 46. Verſu 43. ut ſcribantur conſcriptiones in nomine ejus; id eſt, ut ſyngraphæ ac tabulæ conſignentur annis Simonis, quomodò hæc ipſa.

Verſu 44.

Cur ornamentis à Rege acceptis jam utitur Simon?

Verſu 44. De purpura, & fibula aurea dictum eſt ſuprà ſub finem Comment. ad cap. 10. Erant quidem iſthæc ornamenta amicorum Regiorum: Judæi tamen, etſi jugo Regio Aſiæ liberi, volunt Simonem ornatu à Demetrio conceſſo uti: tum ne contemnere videantur judicium Regis: tum quia habitus ille multum ad ſplendorem ac magnificentiam Simonis facturus videbatur. At enim ornatum à Rege accipere nonne quædam erat ſubjectionis profeſſio? Non magis quàm hodie à Galliæ Rege torquem ordinis, aut ab Hiſpano aureum vellus miſſum admittere. Inſignia enim illa non ad ſubditos ſolùm mittuntur, ſed etiam ad amicos Reges: qui cùm ea accipiunt, amicitiam non ſubmiſſionem profitentur; imò ſi rejiciant, hoſtili ſe, at ſaltem inurbano eſſe erga mittentem animo produnt.

Populi decretum ubi finiatur?

Seratius noſter putat decretum finiri verſu 45. Putârim tamen ad illud etiam pertinere verſus duos ſequentes, ubi commemoratur populi conſenſus, ad deferendum Simoni Principatum, & Sacerdotium, *ſecundum verba hæc*: deinde admiſſa à Simone dignitas. Delatum enim Simoni Principatum, & ab eo acceptatum conſtat tertio abhinc anno: quod factum, uti & alia antè relata, hîc recitatur, ratumque habetur publico ea de re decreto.

Nota clauſulæ.

℣. 48. 49. ET SCRIPTURAM ISTAM DIXERUNT PONERE IN TABULIS ÆREIS. Confirmatur, huc uſque extendi verba decreti. Quomodò enim verſu 27. præponuntur hæc verba: *Et hoc eſt exemplum ſcripturæ*, ut ſciamus incipere decretum: ita ut intelligamus finem eſſe, ſubjungit nunc Hagiographus, *Et ſcripturam iſtam*, &c. *Peribolus Sanctorum*, in quo eæ tabulæ palam propoſitæ ſunt, eſt murus qui Templum cingebat, quo etiam loco Regias Demetrii literas affixas credibile eſt, cap. 11. verſ. 37. Exemplar decreti reponitur *in ærario* pro Simone & filiis, quia cùm futuri eſſent Pontifices & Principes Judæorum, ærarii penès ipſos etiam cura futura erat; adeóque exemplar iſtud æquè erat ad manum, & tutiùs aſſervabatur in ærario publico, quàm in domo privata.

Amor ſubditorum in Principem.

Adverte autem, in toto decreto ſparſim haberi, quas ſuprà digeſſimus, boni Principis notas: nominatim verò apertè exprimi, ſubditorum ſincerum amorem, & ſtabilem gratitudinem erga bonum Principem. Privatis verbis non contenti, publica voce teſtantur, quantum Simoni debeant. Ne verborum memoria excidat; ea tabulis æreis inſculpunt. Ut poſteri ignorare non poſſint; ea proponunt in loco celeberrimo, ad quem Judæi omnes confluebant. Ne qua tabulæ illæ refigantur, aut deterantur; exemplar decreti in ærario inter Archi, ſeu tabularii publici, chartas aſſervari volunt. Denique Deus gratitudinem populi fidelis erga benè meritum Principem approbat, & ejus literas in ſcripturam ſuam recipit. Tabulas æreas de laude Simonis ætas detrivit, aut caſus abſtulit: ſed Hagiographi noſtri monimentum eſt ære perennius.

EXCURSUS MORALIS

Ad Cap. 14. *verſ.* 27. Sub Simone Sacerdote magno in Aſaramel.

Princeps populorum Deus.

SECTIO PRIMA.

Providentia divina rerumpublicarum ſuprema gubernatrix.

I.
Deus princeps populorum.

SUB obſcurâ voce *Aſaramel* ſive Haſaramel latentem clariſſimam veritatem accepimus à lucido Serarii ingenio. *Princeps eorum Deus* eſt, Judæorum, noſter, populorum omnium, in omnibus attendendus, ad eum in quibuſvis negotiis publicis recurrendum. Auguſtinus idcircò eum 3. de Trin. cap. 4. Imperatorem dixit; Univerſum, rempublicam: *Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inviſibili atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur: ſecundùm ineffabilem juſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam atque immenſa republica.*

II.
Providentia fit viſibilis ex operibus

Singulatim regna, provinciáque, & civitates, ac mutationes illorum, ortúsque, & interitus à Deo ordinari, tamquam ſummo politicorum ſtatuum magiſtratu, manifeſtius eſt quàm ut probetur. Si enim cum Infideli agendum, evincit ratio: ſi cum Fideli, divina eloquuntur oracula. Cui enim homini, quamvis bruto & impio, ſua mens non affirmat: Mentem aliquam eſſe immenſam & infinitorum capacem, cujus motu tota Univerſi moles agitetur, & partibus ſuis conſtet? Quemadmodùm, inquit Philo lib. 2. Allegoriarum, *ſi quis viderit domum affabrè factam & inſtructam, non putabit ſine arte & opifice extitiſſe*: & lib. 1. de Monarchia: *quomodò ex urbe benè ordinata infers ſapientem eſſe magiſtratum: ita cum rerum naturam adeò benè compoſitam intueris, de Numinis gubernatione dubitare non potes.*

III.
Etiam minima Deus regit.

Neque Univerſo ſolùm, ſed partibus ejus ſingulis Providentia divina invigilat: atque adeò res etiam minimas curâ ſuâ complectitur. Nam ſi has, quamvis exiguas & contemptas ſolicitudo creatoris desereret: id fieret, vel quia tam diverſa non complecteretur attentio; vel quia indignaretur majeſtas; vel quia aſpernaretur bonitas. Mentem autem infinitam infinitæ curæ non fatigant, nec

dividuot. Majeſtate conſervantis indignum non eſt, quod indignum non fuit majeſtate producentis. Bonitatem ſummam dedeceat, operum fœtuumque ſuorum curam & affectum projicere: quod vel ipſam animalium infimam bonitatem non deceret. *Semper*, inquit Philo lib. de mun. opifico, *auctor gerit curam operis ſui, & parentes progeniem alunt.* Etiam tygrides catulis ſuis immurmurant, & fœtus ſuos colubri non deſerunt.

IV. Quantò magis populos? Ex indubitatis iſtis fundamentis, quæ latiùs in tractatu de Bona Voluntate abhinc biennium diduximus, & mox redituri ſumus: quandoquidem tractatus ille iterum expectatur. Ex iſtis igitur principiis neceſſariò conſequitur: Providentiam divinam populis urbibuſque regendis intendere; cùm ne maximè quidem deſpicabiles Universi particulas otioſa vel deſignabunda adſpiciat. Sic lib. 5. de Civitat. rationabatur Auguſtinus: *Nullo modo credendum eſt, regna hominum, eorumq; dominationes, & ſervitutes, à Providentia ſua legibus alienas eſſe voluiſſe: qui nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium, ſine ſuarum partium convenientia, & veluti pace dereliquit.*

V. Et exercitus, regna, imperia? Ne paſſerculos quidem, imò nec capillos Sanctorum; ampliùs dixero, inquit Tertullianus, nec ſetas ipſas porcorum, infatigabilis illius mentis ſolicitudo deſtituit. Ecquis ergo tam brutus fuerit; ut nativitates, morbos, interitus provinciarum, ac civitatum; imperiorum ortus, fluctuationes, mortes; exercituum conflictus, profligationes, victorias, ab illa ſignari non arbitretur. Deus formicariis intendit, non intendat urbibus? Pervigil & omniſcius intellectus curat alvearia, regna non curet? Quem ne culices quidem & veſpæ fugiunt, agmina tota & numeroſas acies præteribit?

VI. Moſis ea de re pronuntiatum. Sic ſana ratio argumentabitur. Accedet quæ præcedere debuerat divina auctoritas, & *firmior ſermo propheticus*: primúſque Prophetis meritò loquetur venerandus ſenex annorum viginti ſupra centum, longâ rerum experientiâ edoctus; ſingulari Numinis providentiâ, ab ipſis cunis, per privatæ publicæque fortunæ aſcenſus omnes, ac deſcenſus, ad ætatem extremam deductus; & quod caput eſt, Deo ipſo uſus magiſtro, ad numeroſæ nationis gubernationem, & inſtitutionem. Is morti proximus, quo tempore, ex vicinæ æternitatis luce, clariora ſolent eſſe oracula, Canticum pronuntiavit Deut. 32. ubi vix quidquam continetur, quàm Dei de nationibus ſingulis cura, nominatim de Hebræorum populo. Videbis illic, dividi ab Altiſſimo gentes, ſeparari filios Adam, conſtitui terminos populorum: cuſtodiri quaſi pupillam oculi, & portari ab illo in humeris Hebraicam gentem: provocari Iſraelitas in eo qui non eſt populus, vaſtari, fugari, conſumi; quia *Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos*, cujus ſcilicet *perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia.*

VII. Vaticinium Balaami. Vix vaticinium ullum de populorum, regnorumque, in ſeram longè poſteritatem, illuſtrius, quàm Balaami, Num. 24. peſſimi hominis, optimi vatis. Adeò certum eſt, etſi Dei ſit futurorum ſcientiam Prophetis inſpirare, non omnes tamen Prophetas eſſe homines Dei. Prophetas enim intelligentia facit: homines Dei fiunt rectitudine voluntatis. Ille igitur *auditor ſermonum Dei, qui novit doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos*: poſtquam de Hebræis vaticinatus eſt, tum de finitimis gentibus, Moabitis, Idumæis, Amalecitis, Cinæis, Aſſyriis; additurus de Romanorum imperio, tot ſæculis ſemotoi

Heu, inquit, *quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus?* Ubi primùm advertere oportet: tantò antè prænuntiari eventura, ut dubitari nequeat, quin à ſummo Numine ſignificata ſint; cujus eſt præſcire, & annuntiare, quæ ventura ſunt in poſterum. Notandum prætereà non ad unicam Hæbræorum gentem, quam ille diris devoturus venerat, reſtrictum eſſe vaticinium: ſed ad diverſas nationes, earumque aliquas longè, uti temporibus, ita & locis diſſitas porrigi: ne quis forſan craſſior & hebetior ſuſpicetur, neglectis gentibus cæteris, uni privatim Hebrææ Providentiam vacâſſe, & curas impendiſſe, ideóque populum Dei appellatum. Ad extremum expendenda hæc verba ſunt: *quando iſta faciet Deus?* Non dicit proſpecturum modò Deum, aut, permiſſurum, quæ populis accident: ſed etiam facturum. Potuitne ſignificantiùs explicâſſe, quæ in populorum fortunis, regnorumque viciſſitudinibus, Providentiæ divinæ partes ſint?

Ejuſdem varietatis expreſſiſſima paſſim apud Iſaiam teſtimonia leguntur. Pro cunctis unum adduco, aut indico, caput 45. ubi Deus de Cyro Perſa, Babylonici imperii everſore, diſertè pronuntiat, toto ante ipſius exortum ſæculo: additque, futurum, ut apprehendat ejus dexteram, viresque & animos ſubminiſtret, ac ſubjiciat ante eum gentes, & dorſa Regum vertat: glorioſos terræ humiliet, portas æreas conterat, vectes ferreos confringat, det illi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum. *Ego*, inquit, *Dominus, & non eſt ampliùs: extra me non eſt Deus: accinxi te, & non cognoviſti me. Ut ſciant hi qui ab ortu Solis, & qui ab Occidente, quoniam abſque me non eſt. Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem* proſperitatis, *& creans tenebras* calamitatum publicarum: *faciens pacem, & creans malum*, bellum utique, paci contrarium. VIII. Iſaias propheta.

Apertè de Cyro apud Iſaiam Deus prælocutus eſt: apud Danielem per figuras imaginéſve elegantes non Babylonici ſolùm imperii aut Perſici fatum, ſed ſequentium etiam monarchiarum depinxit. Capite ſeptimo erumpunt monſtra quatuor è mari tempeſtatibus agitato: id eſt, monarchiæ totidem prodeunt de multitudine populorum bellis inquieta, velut ex undarum conflictu. Leæna aquilinis alis ferociam celeritatemque Aſſyriorum ſignificat. Urſo, cui terni dentium ordines ſunt, Perſicum imperium exprimitur, totidem barbaris nationibus conſtans. Pardus miræ velocitatis animal, aſpectu ſpecioſum, horrendum occurſu, Macedonicam Græcámve monarchiam exhibet. Monſtrum quartum cæteris diſſimile, dentibus ferreis metuendum, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, Romani ſunt. Præſidet illis mutationibus *antiquus dierum*, qui beſtiis tempora vitæ, poteſtatiſve, conſtituit *uſque ad tempus & tempus*. Subjunge his ejuſdem Prophetæ caput octavum, ubi de Perſico ac Macedonico imperio prædicitur, nominatim de Antiocho Epiphane poſt ſæculum à Daniele quartum, ut ſuis locis annotavimus. IX. Monarchiæ deſcriptæ apud Danielem.

Non alia celebrior apud Danielem figura, quàm cui intelligendæ Daniel Deum precatus cum ſociis, cap. 2. dixit: *Sit nomen Domini benedictum à ſæculis, & uſque in ſæculum. quia ſapientia & fortitudo ejus ſunt. Et ipſe mutat tempora, & ætates, transfert regna atque conſtituit.* Viſa fuerat Nabuchodonoſori ſtatua ingens, aureo capite, pectore ac brachiis argenteis, ventre æreo, cruribus ferreis, pedibus pars ferreis par fictilibus. Quam imaginem ſi ad mores transferre velimus, & in Excurſu digreſſionem non infructuoſam facere, aptè indicari X. Viſa Nabuchodonoſori ſtatua, & ejus explicatio ad mores.

poſſit

poſſit homo à bonis initiis ad pejora ſenſim deficiens. Sub cura parentum, aurum eſt: ſub magiſtris, qui in parentum locum non pari tamen affectu ſuccedunt, argentum: in academiis, adoleſcente pariter ætate ac licentiâ, æs: brevî pravis exemplis fit ferrum, & ad rixas proſilit: mox deſinit in pedes terreos, affectúſque viles ad res infimas: denique machina omnis ſubruitur; in timore Domini fundamentum non habuit.

XI. Moralis applicatio altera.

Pari imagine pingi poſſint pleraque Chriſtianæ vitæ inſtituta à principiis optimis paullatim in deterius deflectentia. Exempli cauſsâ: cælibatus ſæcularis, ſeu virginum ſtatus, primis Eccleſiæ ſæculis aureus, ab Tertulliano, Cypriano, Origene, Ambroſio, & quo non alio Patre commendatus. In eo Iphigeniæ, Theclæ, Petronillæ, Praxedes, Cæciliæ, Catharinæ, Agnetes, aliaque fermè omnia Divarum nomina, florentiſſimis Eccleſiæ ſæculis celebrata. En caput aureum, & argenteum. Nunc æs paſſim, & lutum, faciunt mali aliquarum mores, inſtitutum laudabile dehoneſtantes. Eumdem in modum de Eccleſiaſticis religioſiſque ordinibus, origini ſuæ comparatis, dicere poteris: quando fructus ex ea dictione, citra odium invidiámque, ſperabitur.

XII. Applicatio altera moralis.

Neque hæreſes hodiernæ, Calviniana præſertim, ei ſtatuæ abſimiles ſunt. Nihil ſonant niſi aurea Scripturæ verba, & reformationem morum: en caput aureum in ſpeciem, & quidem ex auro Ophir puriſſimo Puritanico, aut ex obrizo, ſive quid melius ac pretioſius eſt. Nec deſunt operum bonorum ſpecimina, caritatis præſertim erga pauperes, pleriſque iſtorum miſerorum commendatæ: atque utinam vel ſic peccata ſua cum Infideli Nabuchodonoſore eleëmoſynis redimant, & iniquitates ſuas miſericordiis pauperum, ac convertantur ad veram religionem. Cæterùm en pectus & brachia liberalia, ex ſonoro ac lucido argento. At venter ac crura, ærea & ferrea ſunt; inde factiones inquietæ, ſeditiones cruentæ, rebelliones injuſtæ paſſim; & quocumque novatio ejuſmodi perrumpit, exorta continuò ſeminaria bellorum. Ad extremum pedes fictiles ſunt: quia machina quantacumque figmentis humanis innititur, & ex luto compoſitis, id eſt ex luteoſa voluptate, vel terrea habendi creſcendive cupidine, quæ omnium fermè hæreſeon cauſſæ fuerunt. O ſi lapis, de rupe abſciſſus ſine manibus, Chriſtus de Virgine natus immaculatæ Eccleſiæ ſponſus, brevî ſomnialem illam ſtatuam, Babylone ad confundendos errores erectam ſubruat, atque in pulverem côminuat!

XIII. Hiſtorica ac vera explicatio.

Hiſtoricam ejus viſi, ac literalem, ut vocant, explicationem eſſe conſtat; de regnorum mutatione, ex Providentiæ divinæ adytis longè in futurum præmonſtratâ. Ita Daniel ipſe interpretatus, uti cap. 2. videre eſt. Secuti paſſim Patres & Commentatores: alii licèt aliter imperia recenſuerint, omnes fermè in pedibus ferreis ac fictilibus conveniunt, imperio videlicet Romano. Quod cùm Hieronymus, procœmio in librum octavum ad Ezechielem, ſcripſiſſet, multos inde adverſarios paſſus eſt. Unam pro omnibus Proſperi ſententiam attexo, de Promiſſ. & Prædictionibus Dei, parte 2. cap. 33. *Caput aureum, imperium ipſum eſſe Babylonicum Orientis*: adde, quod ibidem enarum eſt, & Babylonico continuatum ſucceſſit, Perſicum. *Pectus & brachia ejus argentea, Macedonicum Septentrionis. Ventrem & femora ærea, Punicum Meridiani. Crura & digitos pedum partim ferreos, partim fictiles, ultimum Romanum, videlicet Occidentis. Sicut & vir eruditiſſimus Oroſius hiſtoriographus poſuit.* Si quid ad Oroſium licet adjicere: ferrea Romani imperii crura interpreter, quidquid à monarchia civilibus bellis ſtabilita, & militum deinceps arbitrio gubernata, fluxit: pedes pars ferreos, pars fictiles, imperium idem in Orientem & Occidentem diviſum: cui in Oriente ſucceſſit ferreus Mahumetanorum dominatus; in Occidente Francicum, Germanicúmve imperium, ad Romani memoriam & imaginem, in Carolidis ac ſucceſſoribus ſubſtitutum eſt.

XIV. Figuræ aliæ

Si placuerit hoc argumentum protendere longiùs, & verò interdum expedit ad commendationem Providentiæ divinæ, cui rerum omnium cauſſæ, fines, ac tempora præcognita & præfinita ſunt: poterit figuris Danielis ſubjici non abſimilis ex Zachariæ, cap. 6. Currus quatuor, variis equis juncti, de medio montium duorum æneorum emittuntur, ut terram percurrant. Montes æneos, & ſinum inter illos interceptum, arcana & immutabilia æternæ Providentiæ decreta interpretare. Equis, bellicoſis animalibus, bella fundandis imperiis provincias perſultantia intellige. Currus quaterni, monarchiarum quatuor celebriorum ſymbola ſunt, & volubilibus rotis, id eſt inſtabili fortunæ varietate, feruntur. Eodem fermè recidunt equites quatuor Apoc. cap. 6. quos quintus ſequitur, equo albo vectus, exitque vincens ut vinceret, quia regni ejus non erit finis.

XV. Dominus Deus Sabaoth.

Quæ autem potiſſima ratio eſt, cur ſeſe toties Deus vocari voluerit, *Dominum Deum Sabaoth?* Afferre quidem me aliàs memini, quòd Angelorum ordines, quaſi cuneos quoſdam militares, diſpoſitos habeat ad exequenda imperia. Alteram cauſſam alii adducunt: quòd creatæ res omnes Deo militent, non *grando* ſolùm, *ignis, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*: ſed etiam inſecta viliſſima & minutiſſima, cœnomyiæ, ciniphes, ranæ, mures. Illis urbes, provinciæ, exercitus ingentes à Deo perdomiti. Tertia denique ejus tituli, nec minùs conveniens ratio eſt: quòd bellis præſideat; conſilium ducibus, fortitudinem militibus præſtet; ſtabilitas monarchias deſtruat; novas de cineribus aliarum exſuſcitet; ſuperbos populos provocet in eo, qui non eſt populus; barbaros à finibus orbis in media terrarum cieat; dominatum à gente alia in aliam transferat; victorias largiatur & victoriarum præmia, piis pro merito, impiis pro judicio, ut diximus in Comm. ad cap. 3. verſ. 21.

XVI. Deo ſerviendum ut ſerventur reſpublicæ.

Ex his inferamus, quod Chriſtus mendaciſſimo dæmoni, ſeſe regnorum omnium potentem mentienti, impegit: *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Vis ſtabilem eſſe rempublicam? A capite pendeat, cum illo aptè cohæreat: primum autem caput Deus eſt. Videat hanc veritatem Conſtantinus Magnus agens de Concilio cogendo Arelate, ad ſopiendas rixas Epiſcoporum Donatiſtarum, quos poſtmodùm exilio multavit. Ita enim ad Ablavium Præfectum Prætorio: *Tunc reverà & plenissimè potero eſſe ſecurus, & ſemper de promptiſſimâ benevolentia potentiſſimi Dei optima quæque; & proſperrima ſperare: cùm univerſos ſenſero, debito cultu ſanctiſſimæ religionis, ſanctiſſimum Deum, concordi obſervantia fraternitate venerari.* Conſule Baronium tomo 3 an. 314. Idem præceptum Valentiniano Ambroſius commendabat lib. 5. epiſt. 30. *Nihil majus eſt religione, nihil ſublimius fide. Aliter enim ſalus tuta eſſe non poterit niſi unuſquiſque Deum verum, hoc eſt, Deum Chriſtianorum, à quo cuncta reguntur, veraciter colat. Nam fides ſervabit imperium.* Sed nos de eo argumento fuſiùs ad cap. 7.

SECTIO SECUNDA.

Ad aſylum orationis confugiendum eſt, ubicumque publicæ calamitates ingruunt.

I. De remedio bellorum ſententia politica.

SI de remedio bellorum, quæ tamdiu & tam horrendè Europam laniavêre, conſilium ineamus: aliter alii ſentient. Politicus pronuntiabit interventore opus eſſe, auctoritatis ſummæ, ac medii & paterni affectûs in partium utramque. Qualem memorat Spondanus anno 1555. Marcellum ſecundum Pontificem: de quo meliùs pronontiari poſſit, quàm de alio Marcello olim declamârit Latinus poeta:

Oſtendent terris hunc tantùm fata.

Hic ſtatim ac Pontifex factus fuit, accitos Cæſaris & Galli Oratores monuit, ſcriberent ad dominos: profecturum ſe ad pacem inter ipſos conciliandam, non per Nuntios acturum; niſi inter ſeſe ipſi ultrò propediem convenirent.

II. Sententia militaris.

Miles cenſuerit, potentius nihil eſſe, ad redintegrandam inter Chriſtianos concordiam, quàm exterorum fidei hoſtium bella. Sic apud Baronium tomo 11. anno 1095. Urbanum II. cenſuiſſe in Concilio Claromontano: *Egredimini*, inquibat, *& Dominus erit vobiſcum: arma, quæ cæde mutuâ illicitè cruentatis, in hoſtes fidei, & Chriſtiani nominis convertite.* Eumdêm in modum Pius II. apud Spondanum anno 1453. Sperabat fore, ut Chriſtiani adversùs Turcas conſpirarent. Verba in Compendio de Remediis bellorum attulimus. Ita litigantes fratres inter ſe conveniunt adversùs tertium: &, uti vulgò dicitur, canes domeſtici inter ſe commordentes ubi peregrinum vidêre, omiſsâ rixâ, in eum involant. Addat miles: Si quem Principum Chriſtianorum communia Europæ pericula ab inferendo vicinis bello non abſtrahant, eum ab laceſſendis aliis revocandum ad ſua tutanda, immiſſo aliunde milite. Sic quondam ab Romano duce Pœnos ex Italia avocatos: & à Davide in mediam Syriam Sobal illata arma.

III. Philoſophica ſententia.

Philoſophi conſilium erit, quale Senecæ libro de Ira 3. Moderandas Principum & Chriſtianorum cupiditates, caducarumque rerum nimiam æſtimationem, quæ cunctorum ferè bellorum cauſſa ſit. Cùm enim res illæ jejunæ admodùm & exiles ſint, & ne unius quidem hominis appetitui exſatiando ſufficiant: quantò minùs ſuffecerint, ubi plures eamdem appetunt? Hinc invidiæ, iræ, rixæ, dum de adipiſcendo, poſſidendóve, aut retinendo contenditur. Ridemus ſæpè bajulorum aurigarumque clamoſa jurgia, ubi inter vicorum anguſtias alter in alterum impegêre, & de tranſitu altercantur. Rara in laxis compitis ejuſmodi altercatio eſt. *Iter anguſtum*, inquit Seneca, *iras tranſeuntium excitat: diffuſa, & latè patens, via ne populos quidem collidit. Iſta quæ appetitis, quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta transferri, eadem affectantibus iras & jurgia excitant.*

IV. Cupiditates moderandæ.

Idem aliâ, nec minùs eleganti imagine, divinus vates Iſaias pingebat cap. 28. *Coangustatum eſt ſtratum, itaut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt.* In diverſorio hoſpitibus pleno, pueri duo inquieti & iracundi, in lectum unum compacti, totum quietis tempus per mutuos impulſus & rixas agunt. Sic Principibus, de finium honoríſve brevi integumento, & arcto cubili, indignè concertantibus, uſuvenit. Per ipſum quieſcendi deſiderium, & conatum, inquieti ſunt: & habendi libidine pacem, quæ præcipuus habendi fructus eſt, amittunt. Belligerantibus itaque, ſi potes, perſuade, ut cupiditatibus modum ponant; & pacem feceris, ſublatáque cauſſa effectum ſuſtuleris. Qua de re vide Excurſum quartum ad cap. 1.

V. Remedia ſine Deo inutilia.

Conſiliis iſtis ad extremum Theologus adjiciet: fruſtra eſſe remedia omnia, niſi Deus efficaciam tribuerit. Abſque illo fruſtra cuſtodiri civitatem, uti Pſalmiſta loquitur, pſalm. 126. Dei eſſe *adjuvare & in fugam convertere*, quomodò propheta Regem Amaſiam monuit, 2. Paral. 25. Eum eſſe qui *mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit*, 1. Reg. 2. Illi Iſaiam dicere, cap. 26. *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis.* Aptiſſimè, apud eumdem prophetam, à Deo pacem appellari fructum labiorum, id eſt orationis, cap. 57. *Creavi fructum labiorum pacem.* Auguſtinum epiſt. 122. Victorino, aliiſque calamitates publicas plangentibus, id ſuaſiſſe: *Plangenda ſunt hæc, non miranda, & exclamandum ad Deum; ut non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum miſericordiam ſuam, à tantis malis liberet nos.* Exemplum deinde producit trium Hebræorum orantium, Danielis 3. Ac deinde ſubdit: *Hæc illis dicentibus, & ad Deum ingemiſcentibus, omninò Deus aderit, qui ſuis adeſſe conſuevit.*

VI. Ad Deum per orationes confugiendum.

Efficaciam orationis, in bonitate Dei, fidelitate ejus, & meritis Chriſti fundatam, oſtendimus Excurſu 2. ad cap. 3. Hic ſatis erit experientiâ demonſtraſſe, quantam in publicis periculis efficaciam habeat. Loca Scripturæ quædam indicabo. Geneſis cap. 14. Abraham hoſtes vincit *in valle Regis*. Ubi Septuag legunt, *in valle Regis Melchiſedech*. Erat autem Melchiſedech *ſacerdos*, ſeu ut Chaldæus vocat, *miniſter coram Deo excelſo*. Victoria disertè ſignatur in prælio ſacerdotis ſanctimoniâ inſignis: ut intelligas etiam ejus precibus impetratam: unde & decimas ipſi offert Abraham, qui nihil umquam ardui, niſi propitiato precibus Numine, aggreſſus eſt. Exodi c. 17. orante Moſe vincuntur Amalecitæ, & in memoriam erigitur altare, cui nomen factum *Dominus exaltatio mea*. Ubi non prætermittendum, Moſe manus elevante Iſraëlitas victores fuiſſe, demittente non item: ut vel inde intelligeretur, è cælo bona omnia publica deſcendere, & dari in hominum Deo conſtanter ſupplicantium manus. Samuel, 1. Reg. 12. in unum congerit varia exempla auxilii divini per preces impetrati: *Clamaverunt ad Dominum... Et miſit Dominus Jerobaal, & Badan*, ſeu Bedan, id eſt de Danitarum tribu oriundum Sampſonem, *& Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum veſtrorum per circuitum, & habitâſtis confidenter.*

VII. Varia Scripturæ loca indicantur.

Adde iſtis, quæ Áſa dixit, contra Zaram Æthiopem pugnaturus, 2. Paral. 14. Quod Joſaphatho contigit, imminentibus cum numeroſo exercitu finitimis nationibus, 2. Paral. 20. Quod Ezechiæ factum, Aſſyrios & Rabſacis minas metuenti, 4. Reg. 19. Quod Juditha *ingreſſa oratorium ſuum, proſternens ſe domino clamabat ad Dominum*, cap. 9. antequam eodem enſe Holofernis caput, Aſſyriorum fortunam demeteret. Quod Heſtheris cap. 13. *Mardochæus deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum ejus*: & *Heſther Regina*, cap. 14. *confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat*, & orando Sortium mutationem impetravit à Domino. Quod Machabæo ac fratribus, inter quotidiana

diſcrimina

diſcrimina orantibus, accidit toto hoc libro ac ſequenti paſſim. Conſule etiam tropologiam noſtram & Rabani ac caput nonum, verſu 33. & 62.

VIII. Eccleſiæ orationes pro publicis rebus. Meritò itaque Paullus, iſtis, aliiſque id genus ſacris hiſtoriis permotus, Chriſtianos monuit, ut orationes fierent pro omnibus hominibus, nominatim *pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt; ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*, 1. Tim. 2. Quod conſilium amplexi Catholici omnes quotieſcumque conveniebant, pro Cæſaribus, quamvis Ethnicis, aſſiduè oravêre, teſtibus omni exceptione majoribus Africanis duobus, Tertulliano in Apologetico ad Scapulam, & Arnobio libro 4. cont. Gentes. Hujus verba attexemus quia non hoc modò quod propoſuimus probant, ſed etiam orationes Eccleſiæ pro defunctis, quemadmodùm cum bono Deo fuſius ad 2. Mach. cap. 12. oſtendemus. *Nam noſtra quidem ſcripta*, inquit, *cur ignibus meruerint dari? Cur immaniter conventicula dirui? In quibus ſummus oratur Deus: pax cunctis, & venia poſtulatur, magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione.*

IX. Earum utilitas. Et eum in modum publicè cum fructu oratum, conſtat ex legionis Fulminatricis Chriſtianæ hiſtoriâ: quæ M. Antonio Imperatori, adversùs Marcomannos ducenti, imbrem pro ſitiente exercitu, fulmina in hoſtes impetravit. Qua de re vide Baronium anno 176. Si Fidelium militum preces Infideli Cæſari victoriam à Deo obtinuêre: quid mirum ſi eaſdem Conſtantino Chriſtianiſſimo Imperatori utiliſſimas fuiſſe aſſeramus? De eo narrat Euſebius lib. 4. de Vita Conſtant. cap. 20. quaquaversùm circumduxiſſe in tentorio ſacri cultus inſtrumenta, & Clericos, ut ſacris myſteriis operarentur, Deumque invocarent, quomodò in templis: hanc item orationem edoceri voluiſſe milites ſuos: *Te Deum unum, ſolúmque ſupremum Dominum, ô Deus, colimus: opem tuam imploramus: à te victoriæ noſtræ: potentiâ tuâ hoſtes noſtri ſuperati.*

X. Idem uberius demonſtratur. Ambroſii precibus Theodoſius de Maximo & Eugenio triumphavit, ventis tela in hoſtem regerentibus. Honorio Imperatore Rhadagiſus Gothus cum filiis occiſus, ſimul interfecta centum barbarorum millia, ut numerat Auguſtinus, quem numerum Oſorius duplicat. Florentiæ matronæ, pro ſalute imperii Deum pridie certaminis oranti, ut paſſim tunc omnes faciebant, apparens D. Ambroſius victoriam prædixerat. Idem Ambroſius, paullò pòſt mortem ſuam apparens Maſcezeli, Honorianarum in Africa partium duci, cum millibus omnino quinque adversùs Gildonem fratrem ſupra ſeptuaginta millia trahentem pugnaturo, animos addiderat, victoriamque impetrârat. Theodoſius junior, narrante ex variis Ribadeneira in Principe Chriſtiano lib. 2. cap. 42. Perſarum multitudinem innumeram in Aſia per ſuos confecit, merſis Euphrate facilè centum millibus: Ravennatem tyrannum per Aſparem domuit, traductis miraculo per paludes inacceſſas ductu Angelorum Romanis. Dubium fuit nemini, quin ea victoria D. Pulcheriæ precibus obtenta eſſet, dicique tunc poſſet illud Jud. cap. 5. *De cælo dimicatum eſt contra eos: Stellæ*, id eſt Pulcheria & Sanctum ejus gynæceum, *manentes in ordine & curſu ſuo* ad Deum per orationes aſſiduas, *pugnaverunt* ac vicerunt.

XI. Ex temporum noſtrorum memoria. Si ad propiora ætati noſtræ tempora animum lubebit advertere; inter multa Juſtitiæ divinæ Catholicos bellicis calamitatibus punientis exempla, ſublucebunt etiam illuſtria quædam ſuavis Providentiæ, orationibus propitiatæ, & fælicitatem publicam populo ſuo impertientis. Carolum Quintum ſpecta adversùs hæreticos in Germania pugnantem: quâ in pugna, vênit ipſe quidem ac vidit; ſed Deus vicit. Specta navalem pugnam ad Actium Lepantúmve: ubi fracta Lunæ cornua, non tam militum robore, quàm viribus orantium, nominatim ſanctiſſimi Pontificis ac verè Pii. Quid Ludovicum XIII. Galliæ Regem, hæreticos rebelles incredibili fælicitate ac celeritate domantem, adducam? Quid Ferdinandum II. Pragâ, ac Boëmiâ universâ, non ſine oſtentis faventiſque ſingulariter cæli indiciis, potitum? Quæ in eo genere uni Eburonum, Tongrorúmve, & Leudienſium genti, ex quo in leges Chriſtianas tranſiit, contigerunt, ſi enumerare aggrediar, tota mihi fermè pertexenda erit hiſtoria. Adeò apud nos denſa ſunt exempla ſingularis Providentiæ divinæ, in ſalute publica aut conſervanda, aut reſtituenda. Ut non temerè perſuaſum vulgò habeatur, miraculo magis quàm opibus conſiliisve humanis, toties de ruinis exſurrexiſſe florentiorem, tam ſæpè inter impulſus vicinorum ſtetiſſe inconcuſſam civitatem ac nationem Leodienſem.

XII. Verba Juſtiniani. Claudamus iſthæc verbis magni Imperatoris, & illuſtris Regis facinore. Juſtinianus, quo vix alius fælicior Imperator, victoriarum ſuarum fontem in Deo & orationibus deſignat, in Novell. de Epiſc. & Cler. *Nos omni providentiâ curam Eccleſiarum gerimus: per quas & imperium noſtrum ſuſtineri, & publicas res per clementiam Dei, & gratiam, muniri exiſtimamus.* Quod non meliùs dictum, quàm accuratiùs præſtitum fuiſſe à pio Imperatore; tum templum Sapientiæ divinæ Conſtantinopoli magnificentiâ incomparabili extructum, aliáque publicæ fovendæ & augendæ populorum religioni opera excitata demonſtrant: tum validis argumentis probant recentiores, qui ipſius memoriam adversùs iniquos cenſores tuendam ſuſcepêre.

XIII. Et Angliæ Regis. Henricus Richemondanus in Anglia Comes, à matre ſua, & Eliſabetha Regina Eduardi defuncti matre, quas Richardus regni uſurpator captivas tenebat, in auxilium vocatus, cum auxiliaribus Principum quorumdam copiis ex continenti in Angliam trajecit: ubique primùm exſcendit, in genua abjectus, Pſalmum recitavit, *Judica me Deus, diſcerne cauſſam meam*, &c. Dein terram oſculatus, & in pedes ſtans, crucis ſigno pectori impreſſo, animavit ſuos, & poſt paucos dies occurrentem cum longè potioribus copiis Richardum fudit, & occidit: Londinóque in poteſtatem redacto, & ductâ regni hærede, coronam ſibi aſſeruit, Henrici ſeptimi nomine. Perhibet Spondanus anno 1485. Oremus & nos in publicis malis, ut Deus ſuis adſit judex & auxiliator, qui ſperantibus in ſe numquam deeſt, & omnia tribuit precantibus.

SECTIO·TERTIA.

Miſericordia & Iuſtitia, Providentiæ divinæ comites, figurantur in Chriſti transfiguratione.

I. Deus nunc clementer regit, nunc ſeverè.

ERIT inſtar diverticuli non inamæni, neque inutilis, hæc ad Transfigurationem Chriſti ab ipſa digreſſinoe digreſſio. Unde tamen in viam brevì rediturì ſumus, ut Providentiæ divinæ mores in rebuſpublicis nunc clementer cuſtodiendis nunc ſeverè caſtigandis contemplemur. Miſericordiam & veritatem obviâſſe inter ſe ait Pſalmiſta*, Juſtitiam & Pacem oſculatas: idem eſt veritas quod juſtitia, idem miſericordia quod pax: his duobus pedibus præit Providentia Numinis ductum ſuum ſequentes populos: hiſce duobus brachiis ſervandos amplectitur. Zachariæ cap. 11. Deus, paſtoris formam indutus, pedis duobus ad regendum gregem utitur, ſuavitate & ſeveritate: id enim ſignificatur virgis duabus quas aſſumpſit, vocavitque unam funiculum, alteram decorem, pavitque gregem ſuum. Sed ad Transfigurationem veniamus.

II. Cur Chriſtus ante Paſſionem transfiguratus?

Facilè fuerit dicere, cur Chriſtus, qui miraculo paſſibilè corpus induerat, miraculum illud in Tranfiguratione tollere tantiſper voluerit, reſplenduerítque facies ejus ſicut Sol, & veſtimenta ejus facta ſint alba ſicut nix. *Per carnem*, ut inquit Auguſtinus lib. de Moribus Scripturæ 3. cap. 10. *divinitas*, addo cum eodem Auguſtino epiſt. ad Dioſcurum aliiſque locis, & beatitudo animæ, quæ ex rei natura in corpus conjunctum exundare jam antè, niſi miraculo retineretur, debuerat: *Per carnem* ergo *divinitas foris illuxit, & caro illuminata de divinitate per veſtimenta radiavit.*

III. Qua ratione Chriſti corpus reſplenduerit?

Quomodò, inquit Nazianzenus tractatu de Fide, Sol nube ſic interdum obtegitur, ut etſi lux appareat radii tamen cerni non poſſint: aliàs verò ita oppoſitam nubem radiis penetrat, ut trans illam videatur. Eumdem in modum divinitatis Chriſti & animæ beatitudo, annos triginta tres corpore, velut nube, obtecta, jam trans illud apparere incipit. Veſtimenta autem colorem non accipiunt, ſed videntur accepiſſe: quemadmodùm aqua, glareæ candidæ innatans, candidior videtur quàm antè, cùm ruſæ aut ſubnigræ ſuperfluebat; etſi reveta neque hîc, neque illic, vel colorem habeat vel mutet.

IV. Vera hiſtorica Trāſfigurationis cauſſa.

Conſenſu Patres omnes & Interpretes pronuntiant, id à Chriſto factum; ut diſcipuli ſui ex imminente Paſſione & morte occaſionem lapſus, & infidelitatis, non caperent. Eamdemque ob cauſſam eos diſcipulos teſtes adhibuit; qui & maximæ erant auctoritatis, & teſtes inchoandi in horto extremi certaminis deſtinabantur. Occaſio autem lapsûs, ſeu ſcandalum, ex Paſſione triplex ſumi potuit: ut vel improvidum Chriſtum fingerent, qui inimicorum conatus prævidere & vitare nequiſſet: vel impotentem, qui captus de eorum manibus evadere non valuiſſet: vel peccatorem, quem Deus tot tormentis cruciandum tradidiſſet. Iſtis autem omnibus infirmæ mentis humanæ ſuſpicionibus per Transfigurationem occurritur.

V. Antidotum ſcandali ex Paſſione orituri Transfiguratio.

Ne improvidum putaveris Chriſtum, aut inſcium futurorum: nam Moſen & Eliam comites ejus audis colloquentes, de exceſſu quem completurus erat in Jeruſalem. Ne ex impotentia paſſurum exiſtimes: beatus enim eſt animâ, & potuit beatitudinem eamdem corpori inducere, effunderéque in illud cum claritate impaſſibilitatem: ſed veſtimentis gloriæ ſummus Rex, ut pro te pateretur, ultrò ſe exuit, eáque re magis amorem ſuum erga homines demonſtravit, quàm ipſa Paſſione; cùm longè pluris ſit diuturna privatio beatitudinis iſtius etiam corporeæ, quàm privatio quorivis in hac vita honoris, imò & vitæ ipſius ad breve temporis ſpatium. Ne reputes eum quaſi leproſum, percuſſumque à Deo, & humiliatum, velut peccatorem: nam à Deo Patre audis verax teſtimonium de ipſius innocentia, & ſanctitate, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Mei quoque ſunt filii, qui ad ejus latera adſtant & colloquuntur, ſed filii adoptivi: hic naturâ eſt *Filius meus*, & meritò *dilectus* à me, qui peccatum amare non poſſum.

VI. Vanæ & veræ beatitudinis imago.

Huic veræ & hiſtoricæ Transfigurationis cauſſæ, ad mores aliæ non incommodè ſubnectantur. Prima ſit: Chriſtum, qui Crucem tollendam, & odium animæ ſuæ in hac vita diſcipulis commendârat, ut difficilem illam doctrinam ſuaviorem faceret, propoſuiſſe ipſis in Transfiguratione ſua figuram Vanæ beatitudinis temporalis, & Veræ beatitudinis æternæ. Inebriat, & ſenſum evertit, ſuíque immemores facit, proſperitas ſæculi: ſicut Petrus in monte Thabor, vix ſui compos, neſcit quid diceret. Miſta eſt curis & doloribus, & ad ima trahit abjicitque animum cælo natum: ſic Petrus ac ſocii in monte Thabor, audita voce de nube, timent, & cadunt proni in facies ſuas. Denique brevis eſt, & præterit figura hujus mundi, ſicut Transfiguratio Chriſti: *Subitque*, ut Seneca loquitur libro de Brevit. vitæ, *cum maximè exultantes anxia cogitatio: Hæc quamdiu?* Contrà, beatitudo vera conjuncta eſt impeccabilitati, audiet ſemper Beatus à Deo: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Nulli eſt commiſta miſeriæ: beatam animam lucida facies ſignificat, beatum corpus veſtis nivea. Æterna eſt, ſignificaturque per Moſen, & Eliam *candidatum æternitatis*, ut Tertullianus appellat. Ad hanc fælicem Transfigurationem ut venias, cave ames animam tuam in hoc mundo, & memento exceſſus Chriſti, quem complevit in Jeruſalem.

VII. Typus Peccati & Pœnitentiæ.

Præterea Pœnitentiam amplectere, eáque te in figuram Salvatoris reforma. Quemadmodùm enim qui ex probo ac pio peccator fit, miſerè transfiguratur, aut, ſi ſic loqui licèt, defiguratur: amiſsâ divinitatis imagine præcipuâ, quæ à caritate & gratia eſt, ſumptáque fœdiſſimâ belluæ, antellius qui ſe transfigurat interdum in Angelum lucis. Adde peccatorem deſcendere in profundum: comites habere tres, ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum: aſſeſſores binos, concupiſcentiam utramque animalem: mentem ejus obſcurari, privatam gratiæ lumine: veſtes, id eſt famam & exiſtimationem, ſordeſcere, audiri de cælo vocem: Hic eſt inimicus meus, cùm nihil mihi diſpliceat, niſi peccatum. Sic ex adverſo, qui de vitiis ad virtutem tranſeunt, ſerióque mores Chriſtianâ pœnitentiâ corrigunt, in melius transfigurantur. Invenio id etiam à Philoſopho annotatum, de ſemetipſo ſcribente, epiſt. 6. *Intelligo, Lucili, me non emendari tantùm, ſed transfigurari.*

VIII. Sancta mētis Transfiguratio.

Mutationis autem illius exemplum in Transfiguratione ſua Chriſtus, ſi partes omnes excutiantur, manifeſtè propoſuit. Vis emendare vitam, ô Chriſtiane, & transfigurari? *Aſcende in montem excelſum, & ſeorſum.* Quid præceptis Evangelicis ſublimius? Quid ab honoris, ambitionis, commodorum,

modorum, avaritiæ, voluptatum legibus magis ſemotum? *Ora Deum*: orans enim Chriſtus reſplenduit: & oratione bona omnia impetranda ſunt à patre luminum. *Reſplendeat facies tua*, non tantùm ex conſortio ſermonis Domini, ſed etiam prudentia & ſapientia ſupernaturali in rebus agendis. *Reſplendeat ſicut Sol*, qui conſtantiæ ſymbolum eſt; non ut Luna inconſtans accrementis decrementiſque perpetuis. Fiant *veſtimenta* tua *alba ſicut nix*: in exteriori verborum, operumque ſpecie, animi tui & cogitationum puritas eluceſcat. Sic merebeIris audire à Deo: *Hic eſt filius meus dilectus*, de filio diaboli factus filius Dei.

IX. *Cur Moſes & Elias cum Chriſto apparuerint.* Cauſſas cur Chriſtus transfiguratus, & ea quidem ratione transfiguratus fuerit, non difficulter intelleximus. At non tam expeditum erit ediſſerere, quamobrem in Transfiguratione Moſes potiſſimùm & Elias cum illo apparuerint. Si quis petat, cur ea nobis apparitio extra tempus ſuum in Quadrageſima prælegatur: obvia eſt reſponſio, ex eo quòd Elias unam quadragenam, uti Chriſtus jejunavit: Moſes duas totas; addunt & quidam tertiam, ex Deut. 9: Sed non quærimus, cur apparitio nunc prælegatur: quærimus, cur facta ſit? Si enim Chriſtus comites Sanctos habere voluit: quidni magis duos de tribus, quos Ezechiel, c. 14. verſ. 14. & 20. velut præcipuæ ſanctimoniæ commemorat, *Noë, Daniel, & Iob?* Si populi Judaici capita adſciſcere voluerat: quidni potiùs patres, Abrahamum patrem fidei, & Jacobum patrem tribuum duodecim? Si Prophetæ adeſſe debuerant: excut delecti non fuêre Iſaïas & David, qui tam apertè de ejus Paſſione ſunt vaticinati? Si denique Moſes placebat: quare non adjunctus frater ejus Aaron, ut ſimul deſignaretur Chriſtus Legiſlator & Pontifex? Si Elias adſtare debuerat: quidni ad dextrum ejus latus adſtitit Enoch ſperantium ductor, eodem quo Elias ſtatu & officio; ut Naturæ legem, quomodò Elias Judaicam, legi Gratiæ à Chriſto in monte latæ ancillantes exhiberent? Præſertim cùm probabilius ſit, Moſen in aſſumpto corpore apparuiſſe, non in vero ut Elias affuit, adeſſeque Enoch potuit. Mortuum enim Moſen, etſi Hilarius dubitârit, & Ambroſius, aliique, certo conſtat ex Scriptura. Non reſurrexiſſe autem verius eſt: quia, ut loquit D. Thomas de hoc ipſo argumento agens, miracula non neceſſaria fingi non debent, quando de illis Scriptura mentionem non facit. Apparuit igitur Moſes: quomodò anima Samuelis, ſi tamen ejus anima, viſa eſt Pythoniſſæ in corpore aſſumpto, 1. Reg. 28.

X. *De Moſe ratio Hiſtorica.* Ratio cur adſcitus fuerit à Chriſto Moſes eruitur ex cap. 20. Exodi, & Deuter. 18. ubi expendenda nominatim verba Dei ad Moſen: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum tuorum, ſimilem tui*, &c. Item illis reſpondentia Moſis verba ad populum, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, ut petiſti à Domino Deo tuo in Horeb*, &c. Quæ cùm ita ſint, adeſt Moſes Chriſto transfigurato, ut deſignet eum eſſe Prophetam, ſive Meſſiam, tantò antè ſibi prænuntiatum. Ideóque accidunt varia illis affinia, quæ tunc in monte Horeb evenere. Viſa tunc fulgura & lampades: nunc facies Chriſti fulget ut Sol. Tunc audita tonitrua: nunc vox de nube dicens, *Hic eſt filius meus dilectus*, ad cujus ſonum cadunt diſcipuli in facies ſuas. Eam rationem quare Moſes apparuerit, Tertullianus attigit lib. 4. cont. Marcionem. Addi poteſt ex cap. 33. Exodi poſtulanti, ut faciem Dei ſibi liceret aſpicere, dictum, *poſteriora mea videbis*; id eſt, ut plerique explicant, humanam meam naturam intueberis, cum eam aſſumpſero. Vide Auguſt. 2. de Trin. cap. 17.

XI. *Item de Elia.* Affuit Elias, teſte Chryſoſt. hom. 58. in Matth. & Juſtino Martyre, dialogo cont. Judæos; quia Judæi nolebant credere Chriſtum eſſe Meſſiam, eo quòd Eliam nondum vidiſſent. Haberi tamen ſciebant Malachiæ c. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Cæci ac miſeri unicum putabant fore adventum Meſſiæ, eumque glorioſum, cui Elias præcurreret. Hinc ab diſcipulis Chriſto proponitur quæſtio, Matth. 17. ſtatim poſt Transfigurationem: *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?* Chriſtus reſpondet: *Elias quidem veniet*, adventu meo ſecundo, *& reſtituet omnia: dico autem vobis*, pro hoc adventu primo, Elias jam vênit, id eſt Joannes Baptiſta, qui habebat ſpiritum & virtutem Eliæ. Nec modò Elias ille venit, ſive figura & imago Eliæ: ſed etiam ad ora maledicorum obturanda, & tollendam omnem dubitationem, ipſemet Elias nuper in monte ſpectantibus veſtrûm tribus affuit, & præſentiâ ſuâ, quandoquidem id Scribæ vobis dixerint, me deſignavit Meſſiam.

XII. *Ratio de utroque.* Communis pro Moſe ſimul & Elia ratio eſt, quod ille Legis ſcriptor, hic Propheta eximius fuit. UterqueChriſtum medium habent; ut intelligatur, Chriſtum à lege pariter ac Prophetis pro vero Meſſia agnoſci. *Quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ*, inquit Philippus, Joan. c. 1. *invenimus JESVM.* Ait Origenes Tract. 3. in Matth. & clariùs Cyrillus lib. 6. in Leviticum, ideò à Luca dici; Petrum neſciſſe quid diceret, quando petiit, an Chriſtus vellet fieri tria tabernacula, ſibi unum, Moſi alterum, Eliæ tertium. Neque enim tribus ſeparatis locis ſtare debuerant: ſed uno, eodemque. Moſes enim, id eſt Lex; & Elias, id eſt Prophetæ, ad unum Chriſtum referebantur: & ſacrificiorum ac cæremoniarum à Moſe præſcriptarum figuræ omnes, itemque vaticinia Prophetarum in Chriſto perficiebantur, ac finiebantur.

XIII. *Cauſſa ad mores applicata.* Aliam ego cauſſam ex utriuſque moribus, ad mores Providentiæ divinæ referendis, elicio. Moſen ſpectatiſſimæ fuiſſe manſuetudinis pro comperto eſt, ex Scripturæ certiſſimo teſtimonio, Num. 12. ubi vocatur, *Vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*: ſive ipſe divino impulſu hoc ſibi elogium dederit, quomodò Joannes Evangeliſta ſe veracem ſcripſit, & diſcipulum à JESU dilectum: ſeu quis alius, Deo jubente, ea verba ad laudem tanti viri Pentateucho ab ipſo ſcripto inſeruerit. Conſtat deinde ex geſtis ipſius, de iſta morum ſuavitate. Nam cauſsâ ſuâ vix unquam iratus fuiſſe legitur, licèt provocatus ſæpiſſimè: in cauſſa verò Dei ita ſe geſſit, ut ſuccedaneam ſeſe victimam, non tantùm fidejuſſorem interventorémve, pro populo peccatore obtulerit; Exodi 32. Eliam item indubitatum eſt, hominem fuiſſe auſterum ac ſeverum. Habitûs pellitus, crines intonſi, hirtum corpus, vox acris, verba fortia & vibrantia, id ſatis ſonant: ut devocatus de cælo ignis, 4. Reg. 1. nihil indicet, currúſque & equi ignei ad ejus emigrationem adhibiti.

XIV. *Chriſtus medius inter manſuetudinem & ſeveritatē.* Aptiſſima itaque Miſericordiæ ac Bonitatis figura ſit Moyſes: Elias percommodè exhibeat Juſtitiæ ac Vindictæ divinæ imaginem. Medius inter utrumque Chriſtus eſt, quis ex Juſtitia & Miſericordia contemperatus. Et quidem Moſes ad dextram non nihilo adſtat, Elias ad ſiniſtram. Chriſto enim carior eſt Miſericordia, quàm Juſtitia:

Juſtitia: atque adeò hooratiore loco, id eſt dextro ſtatuitur. Præterea ſæpiùs multo Chriſtus ex Miſericordia operatus eſt, quàm ex Juſtitia: quemadmodùm dexterâ frequentiùs utimur, quàm lævâ. De Chriſto, quà homo eſt, manſuetudine diximus Excurſu Morali ad cap. 11. ſect. 3. Talem eſſe oportuit, cui à Patre miſericordiarum & Deo totius conſolationis diceretur; *Hic eſt filius meus dilectus.* Verè filius, qui ipſa præfert patris ſui geoolna lineamenta, qui Miſericordiam habet ſimul & Juſtitiam, illius tamen amplius.

XV. Deus miſericors, & juſtus.

Utramque in Deo expertus vates Regius, pſalmo 100. *Miſericordiam*, inquit, *& judicium cantabo tibi Domine.* Judicium equidem laodabo, cùm æquiſſimum noo eſſe nequeat, adeóque optimum & laude digniſſimum: priùs tameo & clariùs concinam laudes miſericordiæ, quia & potiori loco opud te eſt, & lubentiùs ac frequentiùs exercetur. Idem indicare voluit Moſes in Cantico Exodi 15. cùm dixit Deo, *Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti.* Juſtitia quidem tua, ô Deus, eluxie in eo ducatu: ut decem plagas Ægyptiorum prætereamus, eti undecimam & maximam: merſos videmus cruentos hoſtes, & eorum, qui populi tui ſanguinem ſitiebant, innatantia mari rubro cadavera. Ideóque forſan ab Interpretibus Septuag. vertitur: *Dux fuiſti in juſtitia tua*, δικαιοσύνῃ σου, *populo quem redemiſti.* Miſericordia tamen magis elucet, quàm Juſtitia: cùm ne miſeros quidem illos, niſi ſæpè præmonitos, & velut iovitus punieris. Præmiſiſti enim minora mala damnáque majoribus, & gradatim à ſanguinolentis aquis per ranas, ſcioiphes, muſcas, jacturam animalium, puſtulas, graodioem, locuſtas, tenebras, ad primogeoitorum omnium necem, ac denique ad totius exercitus, freto refluente hauſti, exitium aſcendiſti.

XVI. Alternis agunt Miſericordia & Juſtitia.

Dux fuit Deus populo Iſraëlitarum in Miſericordia & Juſtitia, cùm Ægypto exeundum & mare Rubrum tranſeundum fuit. Eædem per ſolitudinis avia circuitúſque præiêre, in columna oubis per diem, & io columna ignis per noctem. Nubes æſtum & radios infringens, adumbravit Miſericordiam, ignis Juſtitiam. Exodi 24. viſus eminùs à populo Deus Iſraël, *& ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum, cùm ſerenum eſt.* Paulò poſt, Moyſe ad familiarius cum Deo, Angelóve Dei legato, colloquium progreſſo: *Erat ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, in conſpectu filiorum Iſraël.* Sapphiri, & cæli ſereni color, pacificæ Miſericordiæ ſymbolum fuit; Juſtitiæ, igneus & flammeus. Ad hæc, nunc peregrinantibus pluit manna, & mel de petra fluxit, oleumque de ſaxo duriſſimo: ounc peſtis graſſata eſt, & ſerpentes igniti momordêre: alternantis Miſericordiæ & Juſtitiæ ſigna & monumenta. Eodem exemplo cum cæteris populis, Chriſtianis præſertim, à Deo agitur: nunc nube, manna, aquis melleis; nunc igne, peſte, & ſerpentibus. Longè tamen ſpectabiliùs, Moſes adhibetur quàm Elias, plus ſemper eſt ſuavitatis quam ſeveritatis: adeóque ipſa erga electos populos non advocatur ſeveritas, niſi cauſſa ſuavitatis.

XVII. Calamitates publicæ ſunt opera Juſtitiæ.

Indubitatum quidem eſt, calamitates privatas ſæpè, publicas ſemper, ob peccata immitti, uti alias diſſeruimus; atque adeò opera eſſe Juſtitiæ. Sapiens cap. 12. *Cùm ergo*, inquit, *ſis juſtus, juſtè omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum aſtimas à tua virtute.* Accedit Auguſtinus, lib. 2. de lib. arbit. *Quid verius, quàm omne bonum ex Deo eſſe? Et omne juſtum bonum eſſe? Et peccantibus pœnam, rectéque facientibus præmium, juſtum eſſe?* Pœnitens vates ad calamitatum denuotiationem canebat, *Tibi peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicâris:* ex peccatis meis apparente ſupplicii juſtitia, etſi obmurmurare vellem. Eumdem in modum Innocentio IV. epiſtola ad D. Ludovicum poſt eladem Ægyptiacam, qua de aliàs: *Omnia*, inquit, *quæ feciſti nobis, Domine, in vero judicio feciſti, qui vincis per incommutabilem ſuæ juſtitiæ veritatem, cum à ſuperba cæcitatis ignorantia de injuſtitiâ judicaris.*

XVIII. Magis tamē opera Miſericordiæ.

Sed etiam certum eſt in hac vita omne illud Juſtitiæ opus ad Miſericordiam referri, κολάσιν eſſe caſtigationem amici, neque ad interitum, ſed ad correptionem & medicinam referri: uti Excurſu 2. ad cap. 4. ſect. 2. num. 7. 8. 9. & 11. ſcripſimus. Et patet ex bonis effectis calamitatum, quæ variis locis digeſta ſunt. Prorſùs ut aptiſſimè mala omnia, quæ hic ſentimus, virgæ Moſis comparentur: quæ io terram abjecta in ſerpentem horridum, aliiſque ſerpentibus formidandum, verſa eſt. At in Moſis manu miraculorum inſtrumentum fuit: mare populo Dei aperuit, campumque oſtendit germinantem de profuodo nimio: convertit rupes in ſtagna aquarum: panem de cælo devocavit. Virgam Juſtitiæ divinæ ſi in terra ſpectes, horrenda eſt: intuêre in Dei manu miſericordi, & ſuavium mutatiooum operatrice, amabilem judicabis, ſciesque verum illud Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Idem Eliæ indicatum, quando poſt turbinem, terræ-motum, & ignem, venit tenuis auræ ſibilus præſentiæ divinæ nuncius. Bellorum turbines, motus-terrarum, ignes calamitatum publicarum ſine ſuavi auræ divinæ halitu ooo præeunt; finem habent clementem & dulcem, ſi benè utimur.

XIX. Chriſtianus Moſen præferat Eliæ.

A Transfiguratione Chriſti cæptum ſermonem, eâdem claudamus. Chriſtianus transfiguratus Chriſtum imitetur, Moſen ad dexteram locet, Eliam ad ſiniſtram. Juſtitia quidem ac ſeveritas fidelibus commendatur: diſciplina coim publica & privata ſine illis ruet. At Miſericordiæ ac Bonitati plus tribuendum: ſit ad dexteram, eâ frequentiùs utamur, eam potiore & honoratiore loco habeamus. Paullus ſeverus interdum, ſed exemplo Chriſti longè ſæpiùs ſuavis, quàm id nobis epiſt. ad Coloſ. cap. 3. enixè & inſtanter commendat? *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adversùs aliquem habet querelam; ſicut & Chriſtus donavit vobis, ita & vos.* Non audis omoia ſuavitatis verba cougeſta? Ratio eſt: quia ſunt *electi Dei ſancti & dilecti.* Qui ſic animo comparatus eſt, à Deo miſericordiarum audire merebitur, *Hic eſt filius meus dilectus.*

BONA

BONA VOLUNTAS

OPTIMÆ CONSENTIENS.

PROOEMIUM.

Quæ ſit bona Voluntas?

I. Bonitas voluntatis ex natura.

NATURÆ conditor, qui omnia fecit non tantùm bona, ſed etiam bona valdè, bonum etiam inter illa corporeorum omnium dominum hominem condidit: bonam illi vitam donavit, quâ vegetaretur; bonos ſenſus, quibus uteretur; bonam mentem, quâ tum cætera regeret, tum ipſe ad Dei arbitrium regeretur. *Fecit* enim *Deus hominem rectum*, vel Salomone teſte, Eccl. 7. Nec primum modò hominem rectum fecit, ante quàm pluiſſet ſuper terram, puriſſimis primævæ juſtitiæ atque innocentiæ fontibus irrigatam: verùm poſt fœdos ac lutoſos peccati imbres, admiſsâ inobedientiæ maculâ, in univerſam Adami poſteritatem tranſiturâ, manſit tamen quædam naturæ humanæ rectitudo, menti perfectio, voluntati bonitas. Neque enim magiſtra humanæ mentis voluntas, etſi ex ſe poſt peccatum divinis præſidiis deſtituta, libertatis tamen jacturam fecit. Habet etiamnum optionem contrariorum, & ſui ſuorumque domina eſt. Poteſt ad arborem ſcientiæ boni ac mali manus intelligentiæ, vel appetentiæ, extendere, poteſt continere. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eccli. 15. Etſi conſtet, poſt peccatum ab arbore vitæ prohibitam eſſe voluntatem: quia bonum, abſque ſingulari Numinis auxilio, nec ſemper poteſt, nec diu, neque utiliter ad vitæ æternæ conſecutionem amplecti.

II. Vera voluntatis bonitas.

Noſtrum itaque eſt, cum propitio Numine, ejuſque auxiliante gratia, perficere quod naturæ deeſt: & bona volendo id aſſequi, ut voluntas noſtra non tantùm bona ſit & bona valdè, ſed etiam optima. Nam ſi omnium optimæ voluntati, id eſt divinæ, illam applicemus, ſumet inde pretium, & ex humana ſeſe transfigurabit in divinam. Diſertiſſimus Hebræorum Philo libro de Temulentia perhibet, Tarandum, animal bovis magnitudine capite cervino, id à natura accepiſſe, ut rerum omnium, quibus applicatur, colores fallendis venatoribus induat. Idem de Chamæleonte & vetuſtas tradidit, & recentiorum multi ſcripsêre: licèt Gaſſendus lib. 5. de vita Pereſquii Senatoris Aquenſis in Provincia, curioſiſſimi naturæ indagatoris, narret, Ipſum, nutritis de induſtria chamæleontibus, deprehendiſſe, non omnes ab illis colores indui; ſed nigredinem ſolummodò aliquam, qua parte ad Solem ignemque obverterentur. Verùm Tarando Philonis fidei, chamæleonte experientiæ relicto: hoc certum, quod de animalibus iſtis opinio vulgavit, hominum ſingulorum voluntati contingere; ut cunctarum rerum, ad quas amando deſiderandóve adjungitur, colores, formámque, aut deformitatem accipiat. Mala voluntas eſt, quæ ad malum fertur; peſſima, quæ ad peſſimum: bona eſt, quæ bono inhiat aut delectatur; optima, quæ optimo.

Ab hoc fonte manavit Epicteti, Ethnicorum Philoſophorum æquiſſimi & saniſſimi, breve ac celebre præceptum, ἀπέχου καὶ ἀνέχου, *Abſtine & ſuſtine.* Abſtine à vitiis, ne malus fias, mala volendo; Suſtine adverſa, ne malè ferendo, aut ferre nolendo, malus fias. In hæc duo verba ſummam Philoſophiæ univerſæ, & virtutem omnem contulit conſummati ſapientis. Quamquam nos hodie commodiùs in præcepta tria officium Bonæ voluntatis, & compendium ſanctimoniæ dividimus: *Age, Abſtine, Suſtine.* Cùm enim Optima Dei Voluntas imperet aliqua, vel ſuadeat; prohibeat quædam, alia permittat: bona hominis voluntas ad illam ſeſe accommodat, agendo ex ejus præceptis & conſiliis, abſtinendo à vetitis, tolerantiam ſuam aptando permiſſis. O nos fælices quibus & facienda, & cavenda, & patienda ex Dei arbitrio, manifeſtè cognita ſunt. A Moyſe olim Deut. cap. 4. Iſraëlitæ appellati *populus ſapiens, & intelligens, gens magna.* Dominus enim dux eis fuerat, *& cum eo Sanctorum millia, & in manu ejus ignea lex:* imò in ipſo caſtrorum motu ac mutatione *ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum: ad imperium Domini erigebant tentorium, & ad imperium illius deponebant.* Quantò beatior illis es, Chriſtiane; *quia, quæ placent Deo, manifeſta ſunt tibi,* longè clariùs, ex quo *loquens olim Patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in Filio.* Ex illo diviniſſimo doctore, in eo abſolutiſſimo exemplari, didiciſti, quid & quemadmodùm agas, fugias, patiare. III. Ejus officium.

In agendo eſt virtutum plurimarum exercitatio: in abſtinendo fuga plerorumque vitiorum. Qui utramque hanc officii ſui partem perſolvit, implêſſe illud videatur Regii vatis pſalmo 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Nondum tamen partes omnes collegit perfectæ voluntatis. Supereſt tertia, eáque difficillima: ut eventa quælibet, quantumvis reluctante naturâ, conformiter divinæ voluntati excipiat. Qua in re ingentibus animis ſæpiſſimè opus eſt: ut & mala, quæ abhorrebat, ingruentia fortiter toleret; & bona, quæ expetebat, abeuntia æquanimiter dimittat. Id ubi perfeceris: tum demum pronuntiabimus, conſummatum ab illo totum opus Domini. Chriſtus Dominus, Salvator noſter, qui didicit & docuit, ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam; exhauſto ad extremam uſque guttam calice Paſſionis, toleratis omnibus quæ divinum conſilium decreverat fieri, dixit denique moribundus: *Conſummatum eſt.* Egerat ſemper quæ placebant Patri, quia Unigenitus erat ex ſinu ejus: abſtinuerat ab omnibus, quæ illi diſplicebant, quia peccare non poterat: nec tamen potuit dicere, *Conſummatum*, donec omnia Dei voluntate conſtituta ſuſtinuiſſet. Conſummata enim virtus, & abſoluta perfectio, in Suſtinendo magis IV. Præcipuum eſt ſuſtinere.

eſt;

eſt, quàm in Agendo, vel in Abſtinendo.

V. Tolerantiæ neceſſitas. Ingeniorum ac morum perpetua mobilitas obique fermè frequentem componendi corporis mutationem ſolet inducere, alibi tamen atque alibi ſæpiùs. Si in publica ejuſmodi mutatione videas amicum novâ veſtium formâ indutum, aut capillitio ſibi diſpare, & ſciſcitêre, unde iſthoc: unum hoc reſpondebit, Jam moris eſt. At unde mos enatus? A Rege cæptus, ad aulicos emanavit: ex aula in plateas derivatus, ad officinas denique & caulas ipſas effluxit. Ita avorum noſtrorum memoriâ, cùm Galliæ Rex Franciſcus curando vulneri capillos poſuiſſet, certatim aulici exemplum ſecuti, & mox Galliâ univerſa comata eſſe deſiit, donec alio habitu Princeps incederet. Tanta ſunt imitandorum Regum ſtudia. Moris jam olim fuit ab orbe condito, ut viri boni adverſis exercerentur: nam, vel teſte generoſiſſimâ viduâ, *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt Fideles*, Judith. c. 8. At longè latiùs mos ille inolevit, ex quo Rex ipſe noſter per omnem vitam vili habitu indutus, *propoſito* quamvis *ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, confuſione contemptâ.* Ad ejus formam Chriſtianis patiendum eſt, ſi tamen Chriſtum induerunt, & Chriſto in carne paſſo, eâdem cogitatione armari volunt divinæ voluntatis. Ita Apoſtoli monuêre, & nos hortabimur: non ſic tamen, ut inter patiendum adimere velimus Chriſtiano, aut naturæ ſenſum, aut cogitationum ad naturam aptarum ſolatia.

VI. Inſenſibilitas non eſt patientia. Celebratiſſimum juxta & nobiliſſimum ante Chriſtum ſuſtinendi exemplar Jobus, quod priſca tempora ſpectârunt, omnia mirantur: ſic alias ex aliis calamitates irruentes, ac noviſſimè liberorum omnium interitum, excepit, ut vulnera ſentiret pariter & ferret. Nam, ut rectè monet Gregorius lib. 2. Moralium cap. 10. *Non eſt pondus virtutis, inſenſibilitas cordis:* contra verò, *qui dolorem verberum ultra quàm neceſſe eſt ſentit, virtutis cuſtodiam deſerit.* Quemadmodùm non ſatis ſana ſunt membra, quæ ſub ictibus aut ſtupent, aut nimis dolent. *Beatus itaque Iob veræ Philoſophiæ regulam tenuit:* ſciſſis enim veſtimentis, & tonſo capite, quod gentibus comam nutrientibus lugendi ſolenne erat, corruens in terram adoravit. *Nec omninò ergo non motus eſt, ne Deum ipſa inſenſibilitate contemneret: neque omninò motus eſt, ne nimis dolendo peccaret, . . . Vt dilectionem proximo exſolveret, impendit filiis luctum: ne dilectionem Dei deſereret, explevit inter gemitus orationem.* Naturæ lacrymas & mærorem dedit, ne hominem exuiſſe videretur: Deo ſubmiſſionem ac patientiam pro malis inflictis reddidit, ut ſe bonæ voluntatis hominem eſſe teſtaretur.

VII. Non reſpuendæ conſolationes humanæ. Expendens ibidem Gregorius cap. 11. & 12. dolentis & adorantis Jobi voces, advertit, primùm ſibi ex humanæ conditionis conſideratione ſolatium ſumere: deinde altiùs ad Providentiæ divinæ decreta erectam mentem corpore proſtrato attollere. *Nudus*, inquit, *egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Nudum me huc intrantem terra protulit: nudum me hinc exeuntem terra recipiet. Qui ergo accepta habui, ſed relinquenda perdidi, quid proprium amiſi?* Eatenus nihil ſupra naturam & communem rationem protulit, ad patientiæ ſuæ ſolatium. Tantumdem ex ore Stilpontis, Biantíſve, aut Epicteti audiremus: ſublatâ patriâ, amiſsâ libertate, caris omnibus pignoribus ereptis, generosè tamen ac magnificè dicentium; nihil ſuum fuiſſe quod extra ſe erat, omnia ſua manere integra, non factam propriæ rei jacturam. At Philoſophus noſter in meliore ſchola eruditus, ad confirmandam perficiendamque tolerantiam, fide divinâ ſupra rationem evehitur: nec Deum tantùm uti bonorum auctorem, ita pœnæ calamitatiſque omnis fontem, quod & iſti fecêre, agnoſcit: ſed omiſsâ de Sabæis Chaldæiſque prædonibus, ac de tempeſtatum injuriis querimoniâ, in primo rerum omnium motore mentem defigit, gratiáſque agit: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.*

VIII. Fidei & rationis amicitia. Tanti Herois exemplo non pigebit interdum cogitationes ex natura petitas ad miſerorum ſolatium adducere: audiemus aliquando rationem, & philoſophis non noſtris modò, ſed etiam alienigenis, ex ea diſputantibus ac decernentibus, lubentes auſcultabimus. Loquetur Seneca, adducetur Epictetus, proferentur magnanimè dicta factáque Infidelium Ethnicorum: nec Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorii eos ſocios indignabuntur, quibus nonnumquam & ipſi uſi ſunt. Imò non hos ſolùm, ſed & illos interdum, ad Scripturæ ſacræ oracula, fideique pronuntiata elucidanda, adhibebimus. Ab utriſque docebimur, ſuſtinenda æquanimiter adverſa, acquieſcendum Deo in eventis omnibus, Providentiæ divinæ ductum ubique intuendum: ſed ex noſtris ſolidiùs lubentiùſque diſcemus, non tantùm accipienda de manu Dei quæcumque accidunt, verùm agendas etiam gratias, confidendúmque illi, & cùm benefecerit nobis, & cùm malè feciſſe videbitur. Vetitum quidem olim Hebræis fuit diſparia jumenta ad idem jugum trahere, bovemque & aſinum jungere in arando: nec licuit lanæ linum in texendo veſtiendóque miſcere. At non prohibitum eſt ratiocinationem humanam divinis fidei Chriſtianæ documentis adjungere: modò ſubſequatur, ut famula; aut ad latus incedat, ut officioſa comes; non præcurrat, ut inquieta ancillula; aut ex æquo agere vel dominari appetat, ut inſolens ſocia.

IX. Laus Dei in adverſis. Refert Baronius ex Niceta anno 861. D. Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, religionis cauſsâ de ſolio & patria depulſum, in vicinam Byzantio inſulam conceſſiſſe. Ibi dum ærumnas exilii in cœnobio, inter pia familiarium conſortia & colloquia, ſolatur, Scythæ prædones occupatâ inſulâ Monaſterium invasêre, & egeſtis ſpoliis, patratíſque cædibus, nudum atque egenum reliquêre. Occiſi familiarium Ignatii duo ſupra viginti, & barbarâ immanitate, additis ſupra mortem ludibriis, membratim conciſi. Inter tot jacturas, & tam acerba cruentáque ſpectacula, Ignatius, ſublatis in cælum manibus & oculis, nihil conqueri auditus, Jobi ſolùm verba ex animo ingeminare, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* In ejuſdem ſcholæ diſciplina adoleverat Eliſabetha, Hungariæ Regis filia, Thuringii Principis uxor: quæ, nuntiatâ morte conjugis meritò dilectiſſimi, peregrè in Apulia, dum ad bellum ſacrum proficiſceretur, vivis erepti, tum relato ad ſe cadavere, ita naturæ dolorem perſolvit, & ſimul Providentiæ divinæ ſubmiſſionem exhibuit; ut inter lacrymas & ſuſpiria iteraret: *Gratias tibi, ô Deus, quòd corpus cariſſimi conjugis mihi reddideris. Scis nihil mihi illo in rebus mortalibus fuiſſe carius: nollem tamen vel unius capilli pretio eum ad vivos revocare, præter tuam voluntatem.* Eodem tempore per mariti fratrem ex ædibus proturbata, in ipſo noctis ſilentio, ad cauponam divertit, donec à Franciſcanis nocturnæ preces, quas Matutinas dicimus, inchoarentur. Tunc ex diverſorio in templum ingreſſa, orantes Franciſcanos rogavit, ut hymnum Te Deum concinerent, agendis Deo gratiis;

quòd

quòd ſe non viduam ſolùm, ſed etiam pauperem & extorrem eſſe voluiſſet. Ita Raderus narrat Bavariæ Sanctæ tomo 1.

X. *Fœlicitas laudantiū.* O verè homines bonæ voluntatis, quibus optima Dei voluntas, etiam cum mala hoſtium voluntate, adeò placuit, ut damnis laudes, verberibus gratias rependerint! Fælices animæ & Deo dignæ, quarum pacem non imminuerunt calamitates ſuæ, ſanctimoniam aliena vitia auxêre. Meritò illis, Deum per ærumnarum tenebras laudantibus, & noctu extollentibus manus in Sancta, accinant Angeli, cives pacificæ Jeruſalem, ſuum illud natalitiæ noctis & Chriſti infantis canticum, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecquis Chriſtianorum, res benè æſtimantium, ſuam illis ſortem non invideat? Quis non malit cum illis adverſâ fortunâ conflictari, Deum laudando; quàm proſperâ cum aliis frui, Deum obliviſcendo? Quicumque ita non ſentiat, neceſſe eſt, aut parum ſanum, aut non ſatis ſeriò eſſe Chriſtianum.

XI. *Opuſculi totius idea.* Hoc itaque præcipuè nunc agamus, ut mentes noſtras, ſolidâ Providentiæ divinæ contemplatione, ad quælibet eventa fortiter exſpectanda, pacatè toleranda, ſanctè ad originem ſuam referenda aſſuefaciamus. Eo fine terna primùm Fundamenta de moribus divinæ Providentiæ, in regendo Univerſo, partibusque ejus ſingulis, ac nominatim homine, periſtruenda erunt. Id prima Parte abſolvemus. Pars altera triplex Bonæ Voluntatis Officium complectetur, de excipiendis conformiter divino beneplacito quibuſlibet adverſis, de futurorum contingentium neutra parte deſtinatò deligenda, de fiducia inter calamitates in Deo collocanda. Ut facilior ſit eorum officiorum cognitio & exercitatio, tertiâ Parte Adjumenta terna proponentur, petita ex modo quo agit Providentia Dei, ex providentiæ humanæ vanitate, ex infælicitate eorum quibus Dei decreta non placent. Pars quarta trigeminum Bonæ Voluntatis Fructum explicabit, Dei in ſe & apud homines gloriam, hominis apud Deum meritum, animi denique tranquillitatem in Dei ſinu conquieſcentis. Iſta eſt dictorum ſumma & ſcribendorum. Utinam eorum veritatem experiendo malimus, quàm intelligendo cognoſcere: Chriſtianosque nos eſſe, magis profiteamur rectè vivendo, quàm rectè loquendo, ſive inter proſpera, ſive inter adverſa, prout Deo placitum fuerit.

PARS PRIMA.

Fundamenta bonæ voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Primum fundamentum, Providentiam divinam Univerſo regendo præſidere.

I. *Providentiam Dei negavit nemo.* MIHI jam olim perſuaſum eſt, tam impium aut ſtolidum inter homines extitiſſe neminem, cui de Providentia Numinis cognitio ſenſúsve defuerit. Quare cùm aliquos lego, vel audio, eò horrendæ brutæque impietatis veniſſe, ut Deum dixerint, motus Univerſi non curare, ſpectareque otioſum, & rebus quas condidit gubernandis abſiſtere; prorsùs exiſtimo iſthæc eos ex animi ſententia non locutos; ſed ita ſibi, reluctante quamvis conſcientia, perſuadere conatos, ut eò liberiùs effrænis cupiditatibus, Numinis metu ſoluti, indulgerent. Atque adeò ipſos ne nominandos quidem fuiſſe arbitror; ut in rerum natura fuiſſe neſcirentur, qui naturâ ſeſe indignos fecerunt, cùm tam execrandis vocibus illam cōtaminavêre, & affectavêre, vel ſimulavêre, ignorantiā manifeſtiſſimæ veritatis.

II. *Infideles prædicavêre.* Eo de argumento D. Paullinus Severo ſcribens epiſt. 2. *Nox,* inquit, *nocti indicat ſcientiam. Et vacare jubeor, ut te,* ô Deus, *Dominum eſſe videam, cùm hanc lucem etiam noctes ſciant, hoc eſt principes vel operarii tenebrarum?* Mens nulla tam obſcura eſt, ſi modò mens eſt; conſcientia nulla tam tenebroſa, ſi modò ſibimet ſui conſcia eſt, cui lux illa divinæ rationis, & intelligentiæ, ſeſe negaverit. In promptu eſt ſcire, quòd Deus rector omnium eſt; quandoquidem *in promptu eſt videre, quòd Deus eſt. Hoc omnis anima videt, ad hoc mens nulla caligat, hoc etiam Infidelium fides recipit.* Placétne Infidelium aliquos teſtes adducere, aut eorum teſtimonia recitare? De Græcis ſelectum unicum, unicum de Romanis eximium recitabo: quorſum enim pluribus teſtimoniis congerendis bibliothecas compilem? Ariſtotelem præſtantiſſimi ingenii fuiſſe, ambigit nemo; vitam non integerrimam egiſſe, affirmant multi; de Deo non rectiſſimè ſenſiſſe, ſuſpicantur quidam. Legitur tamen libro περὶ κόσμου apud Stobæum, appellaſſe Deum mundi κυβερνήτην, ἡνίοχον, κορυφαῖον, νόμον, ἡγεμόνα: *gubernatorem, aurigatorem, choragum, legem, Imperatorem: qui immotus, citraque ullum laborem regat omnia, & adminiſtret.* Ipſam ſententiam ex ejus verbis, eodem prorſus ſenſu expreſſam, reddo. *Quod in navi eſt gubernator, auriga in curru, coryphæus in choro, lex in urbe, in exercitu imperator: id Deus in mundo eſt. Præterquam quòd illis regere laborioſum eſt, multique motus ac curarum: huic verò nec dolorem affert nec laborem, corporeæ omnis infirmitatis experti.*

III. *Ejus imagines ex illis.* Quid ſublímius & magnificentius de Deo, ejusque Providentia, apud Philoſophos Chriſtianos audiamus? Finge tibi mundum navigii inſtar eſſe, æſtu fluctibusque temporum, ac ventis mutationum perpetuarum agitari: ad clavum hujus navigii ſedet intenta gubernando Providentia Numinis. Mundus quaternis anni tempeſtatibus, velut totidem rotis, inſiſtens, & perpetuò nunc ſurſum nunc deorſum circumvolutus, exhibeat imaginem currus Ezechieli objecti: eo curru vehitur majeſtas Dei, aurigante ejus Providentiâ. Fac mundum eſſe chorum Muſicum, partibus omnibus ſuis ſupremi opificis laudes cantantem; jam Lydio molli que ſono, tum Dorico ac Martio; modò voce læta ac celere, modò lenta languidaque, & ſuſpiriis ſingultibusque interciſa: harmoniæ artifex, choragusque, & modulorum deſignator Deus eſt. Eſto mundus populoſa urbs, civium, artium, negotiorum multimodâ varietate diſtincta: ejus æterna lex Deus vetat quædam, alia imperat; deinde pro meritis vel caſtigat, vel muneratur. Dic mundum inſtar habere numeroſiſſimi exercitus, cùm res omnes creatæ, quamvis inanimæ, eodem jure appellari poſſint militia mundi, quo aſtra Jeremias capite 19. nominavit militiam cæli: eum exercitum armat, exarmátve, & in ordines ſuos cogit ſummus Imperator Deus.

IV. *Et definitiones ex iiſdem.* Philoni adeò placuerunt Ariſtotelicæ iſtæ imagines, ut ternas mutuatus ſuis de Deo ſcriptis inſeruerit, binas libro de Abraham, tertiam libro de Monarchia. Nam ibi Deum nominat, τοῦ κόσμου ἡνίοχον καὶ κυβερνήτην, *Mundi aurigatorem & gubernatorem*: hîc ait, ex mundi motibus ordinatis Deū rectorem intelligi, quomodò ex civitate benè cōpoſita agnoſci ſapientem magiſtratum. Sed Infidelium potiùs alterum audiamus Senecam. Quamquā alii Chriſtianū fuiſſe velint: Chriſtianè equidem loquitur, maximè ubi agit de Providentia Numinis, cui librū totū inſcripſit, & ſparſim plurima & ſignificantiſſima operibus aliis intexuit. Aliquot

ſolùm verſus, ad ſpecimen, ex libris Naturalium quæſtionum tranſſcribam. Sub primi libri initium inter multa de Deo præclara hæc habet. *Quid eſt Deus? Mens Univerſi. Quid eſt Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, quâ nihil majus excogitari poteſt, ſi ſolus eſt omnia, opus ſuum intra & extra tenet. Quid ergo intereſt inter naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars animus eſt: in illo nulla pars extra animum, totus ratio eſt.* Audis Deum dici omniſcium, omnitenentem, omnia ratione adminiſtrantem, inviſibilem in ſe, viſibilem in ſuis, animam vegetatricem Univerſi. Ad hæc opinor, verba reſpexit Plinius lib. 2. cap. 7. luculentiſſimè de Deo locutus, utinam conſtantiùs: *Deus . . . totus eſt ſenſus, totus eſt viſus totus auditus, totus anima, totus animi, totus ſui.* Forſan & hæc Senecæ de illo meminerat lib. 2. Naturalium quæſtionum. *Vis illum fatum vocare? Non errabis: hic enim eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſſa cauſſarum. Vis illum Providentiam dicere? Rectè dices: eſt enim cujus conſilio huic mundo providetur, ut inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis: eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? Non falleris: ipſe eſt enim totum quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens vi ſua.*

V.
Animæ humanæ ſenſus de Providentia.

Quid autem miremur, illos priſcæ philoſophiæ gentos tam magnificè pronuntiâſſe, quandoquidem, uti Proſper, ſeu quis alius eſt ſcriptor Poëmatis de Providentia, cecinit, *Eſſe omnes ſenſere Deum, nec defuit ulli Auctorem natura docens*, necque auctorem modò, ſed & motorem ac rectorem perpetuum? Demonſtrare illud non poſſim efficaciùs ac potentiùs, quàm Tertulliani verbis in Apologetico ad Scapulam. *Deum Univerſo præſidere*, *vultis ex ejus operibus tot ac talibus, quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur, vultis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis preſſa, licet libidinibus & concupiſcentiis evigorata, licet falſis Diis exancillata, cùm tamen reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam patitur, Deum nominat. hoc ſolo proprie, quia hic unus Deus, bonus, & magnus. Et, quod Deus dederit, omnium vox eſt. Judicem quoque conteſtatur illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* Edidit idem ſcriptor aureum libellum de Teſtimonio animæ, ubi eam in medium advocat *ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam . . . illam ipſam de compito, de trivio, de textrina totam.* Sciſcitatuſque quid de Numine & ejus Providentia ſentiat, hæſitantem in reſponſo, ac cunctantem, ducit ad procelloſum mare, ſcaphæque impoſitam audit inter diſcrimina de Deo loqui, ejus auxilium implorare, ipſi vota facere. Ita nimirum cuilibet animæ inſitus eſt de Deo ſenſus Univerſi gubernatore, tempeſtatum elementorumque domino, bonorum ac malorum æquiſſimo diſpenſatore.

VI.
Trium mũdorum teſtimonia.

Nec tantùm ſecreto naturæ impulſu ex hominum quorumlibet ore erumpit illa veritatis confeſſio: ſed etiam ipſorum menti impreſſa eſt, ut ex adſpectu rerum creatarum, ex ſui cognitione, ex converſionibus fortunarum, Deum motorem ratiocinando cogantur agnoſcere. Tres itaque Providentiæ Divinæ demonſtratores & magiſtros habemus ſinguli, Mundum majorem, Mundum minorem, Mundum civilem. Mundum majorem vocamus, adſpectabile Univerſum ex plurimis partibus concorditer inter ſe diſcordibus compoſitum. Mundum minorem μικρόκοσμον olim philoſophi hominem vocavêre, quia corporis ſtructurâ, animique conditione, rerum cæterarum quoddam eſt compendium. Mundum civilem populorum ac nationum fortunam dicimus, per pœnas ac præmia, per proſpera & adverſa fluctuantem. Quiſquis intelligentiæ expers non eſt, ex ternis hiſce argumẽtis, Dei Potentiã conditricẽ, Providentiam rectricem, Benignitatem altricem non poteſt non agnoſcere.

VII.
Teſtimoniũ ab aſpectabili mundo.

Si concentum muſicum, lyræve ſcitè percuſſæ ſonum audieris, modulatorem licèt lyricinémve non intueare, ex cantu nihilominus intelliges. Si navem inter fluctus ferri videas; paſſis modò velis, modò contractis; nunc recto curſu, nunc ad vitandos ſcopulos deflexo, etſi gubernatorem aſpicere nequeas, regere tamen non dubites. Si civitatem pulchrè ordinatam, aciem in cuneos diſpoſitam ſpectes, ſtatim cognoſcas, magiſtratûs & Imperatoris opus eſſe, licèt operantes non videris. Phidias, aliúſve artifex ſculpendi eximius, quamvis abſens, ex ſuis cernitur operibus, inquit Athanaſius lib. 1. contra Gentes. Eumdem in modum Deus, ex ſe corporeis oculis inaſpectabilis, agnoſcitur tamen ac cernitur ex partium Univerſi diſpoſitione pulcherrima, ſapientiſſima agitatione, concentu elegantiſſimo. Quod de creatore rerum dixit D. Auguſtinus lib. 11. de Civitate cap. 4. idem de creaturum conſervatione dicendum eſt: *Exceptis propheticis vocibus, mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodò tacitus & factum ſe eſſe, & nonniſi à Deo ineffabiliter atque inviſibiliter magno, & ineffabiliter atque inviſibiliter pulchro, fieri ſe potuiſſe proclamat.* Inſonat undique auribus noſtris *vox clamantis* mundi: ingeruntur undique oculis radii divinæ lucis. Unde illæ Oratoris Chriſtiani voces, Minutii Fælicis in Octavio: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, tamq; perſpicuum, cùm oculos in cælum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra circaq; luſtraveris: quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſima mentis, quo omnis Natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur?*

VIII.
Deum homo agnoſcit ex ſe.

Jam ſi homo ab Univerſi contemplatione ad ſemetipſum cogitationes ſuas reflexerit; ſi corpus ſuum, animamque noſſe cœperit; ſi ſe eſſe, vivere, intelligereque intellexerit? Tum verò fieri nequit, ut gradum non faciat ad conditorem ſuum ac moderatorem Deum. Quo cognito, ſi non ſolùm bonæ intelligentiæ, ſed etiam bonæ voluntatis erit, conditoris ſui ac moderatoris mallet eſſe quàm ſuus, & ab illo in omnibus pendêre potiùs eliget quàm à ſe. Multis certè Infidelibus id contigiſſe reor, quod de ſe Hilarius, libros de Trinitate clauſurus, luculentis verbis profitetur, ut ex cognitione ſui Deum agnoſcerent, agnitum ſequi & amare conſtituerent. Apud D. Birgittam libro Revelationum 6. cap. 5. de muliere Ethnica narratur: quæ ex ſolius corpuſculi ſui ſtructura ita ratiocinata eſt, ut ſe dominam ſui ipſius non eſſe conficeret: neque enim, inquiebat, manus illæ tam expeditæ, oculi illi tam capaces ac celeres, illi tam affabrè coagmentati artus à me ſunt: ſi à me non ſunt, nec mei ſunt, ejus ſunt qui fecit: ſi ejus ſunt, qui fecit, ei magis quàm mihi debeo impendere, ei lubẽter reddere cùm repetet, ei obſequi, ad ejus arbitrium me meaque cõponere. Eum ferè in modũ Ethnica argumentabatur. Quid autẽ poſteaquam ad veræ religionis diẽ, ex tenebris ſuperſtitionũ, Deo ſenſim manuducẽte, emerſit? Quàm propenſa & firma voluntate ſeſe illi totã permiſit? Quàm ardente animo Providentiã illius vitæ deinceps omnis ducem amplexa eſt?

IX.
Et ex fortunis publicis.

Unici corpuſculi humani conſideratio tantùm profuit ad veritatis cognitionem: non plus poterunt quotidiana ſpectacula populorum, inter

proſpera

proſpera & adverſa mirabili viciſſitudine tranſeuntium, cum indubitata adminiſtrantis & judicantis providentiæ teſtificatione? Vident enim oculati omnes in publicis plurimis eventibus digito Dei ſcriptum, quod D. Auguſtinus annotavit lib. 3. de Trinitate cap. 4. *Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiore inviſibili atque intelligibili aulâ Summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur, ſecundùm ineffabilem juſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum atque retributionum, in illa totius creaturæ ampliſſimâ quadam immenſáq; republica.* Orbis totius diluvium, Sodomorum ignes, Ægyptiacas plagas, Nabuchodonoſoris emotam mentem, Baltaſſaris prænuntiatum interitum, aliaque ejuſmodi publica ſupplicia, ſacræ literæ Orbi univerſo promulgavêre. Quia palàm patrata, publicéque teſtata ſunt, etiam Infideles, quibus ea recitari contingit, fidem adhibent, nec dubitant quin divinitùs, & à Numine, res hominum ſciente ac curante, acciderint. Sed non omnibus iſta recitantur: neque enim ſacrarum literarum voces ubique adhuc auditæ ſunt. Non tamen defuêre ſua nationibus ſingulis, vel in imo barbariæ ſinu abſtruſis, propria de Providentiæ divinæ regimine teſtimonia, per manus à majoribus tradita, vel ex monumentis repetita. Americam toto Oceano à nobis, & ab animorum cultura ad ſæculum uſque proximè præcedens ſemotam, habitant populi numero plurimi, linguis diſtincti, ingenio inculti, moribus efferi. Apud illos in Peruano regno natus Ynca Garcilaſſus ſcribit, pro certo paſſim haberi, narrarique, de natione quadam conterminà, quæ cùm ſe criminibus Sodomitarum vulgò tota contaminaſſet, eodem ſupplicio abſumpta eſt, tactis de cælo exuſtiſque ad unum omnibus, ut nihil de polluta ac ſceleroſa ſtirpe præter memoriam ſupereſſet. Tam ſpectabili ad omnes exemplo, excitatum in Americanis gentibus, quem natura aperuerat, inquinati mores obfuſcârant, Numinis rectoris, judicis, vindicis ſenſum ac metum.

X. Elementorum ordo.

Tranſcendamus tantiſper obvias illas ingeniis, quamvis hebetibus & obtuſis, cogitationes: & philoſophicis oculis mundi partes præcipuas, ſtructuramque earum ac curſum intueamur. Terram pondus ſuum fixit, & centro circumligavit: cætera elementa pro ponderis ſui portione ordinem quæque ſuum obtinent, inter ſe mirabili conſonantia diſſona. Terra frigida frigidæ aquæ vicina eſt: aquam humidam humidus aër contingit: calido aëri ignis calidus ſuperfertur. Contra ſiccitas terræ humori aquæ oppoſita eſt: aquæ frigus aëris calori contrarium: humor aëris ſiccitati ignis inimicus. Si ex aliorum philoſophorum ſententiis placebit aliter de elementorum numero, ordinéve, aut qualitatibus diſſerere: ſic corpuſculorum, varios in ſitus figuraſque coagmentatorum, tria quatuórve genera in materiæ primæ & elementorum vicem ſubſtituere: manebunt nihilominùs adjuncta diſſimilibus ſimilia, mobilia quietis, cita tardis, dura liquidis. Quis tam aptè ſingula locis ſuis diſpoſuit? Quis diſcordibus indixit concordiam? Quis tam ordinatis inimicitiis concinniſſimam amicitiam temperavit? Quis legum ſuarum obſervantiam hactenùs ab illis exêgit, & deinceps exacturus eſt, niſi præſtantiſſima aliqua mens, rerum omnium facultates ad fines infatigabili intellectu complexa, quæ ipſe Deus eſt. Audio itaque reſpondentia undique corpora & elementa interrogationibus noſtris, idem quod mortalium omnium nomine Pſalmiſta canebat, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos: Ipſe regit nos, & non ipſi nos.*

XI. Firmamenti magnitudo.

Ab elementis tranſcendamus ad cælum, & omiſſo Solis planetarumque cæterorum, ut mirabiliter conſtante & compoſito, ita & ſatis cognito curſu, ſolam ſtelliferi cæli ſeu firmamenti magnitudinem, altitudinem, velocitatem ex celeberrimis Aſtrologis metiamur. Terram, quantacumque eſt, ſeu milliarium millia novemdecim leucarúmve horariarum millia ſex, ſeu eò plus ambitu complectitur: aſſerunt aſtrologi præ firmamento tam exiguam eſſe, ut ſi illic collocetur ne videri quidem poſſit. Stellarum enim notabilium minimas, quæ magnitudinis ſextæ appellantur, terram octodecim partibus excedere: quæ primæ magnitudinis ſunt ſepties ſupra centies terrâ majores eſſe. Numerari autem notabilium ſtellarum mille ac viginti duas: aliarum milliones ſeptuaginta & unum, ducenta & novem millia, ac ſexcentas. Unde confici facillimè poteſt, *quàm* ſit *magna domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus:* quàm vaſta & immenſa firmamenti ſpatia, tot ac tantas moles corporum diſtinctis locis continentia.

XII. Altitudo.

Inde etiam conſequens eſt, altitudinem firmamenti meritò Siracidæ mirabilem viſam, Eccleſ. cap. 43. quando tanta corpora hominibus è terra ſpectantibus tantilla appareant. Colligit cum Alphragano Clavius extimam cæli aſtriferi hinc diſtare, milliarium Italicorum millionibus centum ſexaginta & uno, octingentis octingenta quatuor millibus, nongentis quinquaginta tribus: id eſt millionibus circiter horariarum leucarum tribus ſupra quinquaginta. Itaque ſi illinc molaris devolveretur, etſi millia paſſuum ducenta in horas ſingulas impulſu naturali conficeret, ante nonageſimum tamen annum terram non attingeret. Ut vel ob hanc cauſſam accommodatiſſimè Deus in Sacris literis vocetur *Altiſſimus*, & Chriſtus dicatur *Filius Altiſſimi*, & ab Angelis *Gloria Deo in excelſis* cantata ſit, & Iſaias viderit *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.*

XIII. Celeritas.

De velocitate autem immenſæ illius machinæ vix ſine vertigine cogitari ſeriò queat. Stellas lineæ æquinoctialis, ſcribit Clavius in Sphæræ caput nonum, emetiri hora una milliarium milliones quadraginta duos, trecenta octoginta quatuor millia, quadringenta triginta ſeptem: id eſt, ut rectè colligit Richomius, horariarum leucarum milliones circiter quatuordecim. Quantum ſcilicet enim vix millibus annorum tribus conficiat: quantâ velocitate non feratur glans ferrea, tormento murali impulſa, ſi ſepties terram circumvolet, dum ſemel Salutatio Angelica percurritur. Quod celeritatis in tam vaſto corpore miraculum intellectus humanus, quàm velociſſima conceptione, ſequi non poteſt. Atque adeo quidam eo miraculo abſterriti, alium cælorum ſitum motumque deſcribere moliti ſunt; nec tamen, utcumque cogitârint, incogitabilem prorsùs pernicitatem orbium illorum evasêre. Itaque à Vate Regio veriſſimè dictum Pſalmo 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, ſermone muto illo quidem, ſed aperto ac velociter currente quotidianæ revolubilitatis. Et poſtquam Deum auctorem, motorem, gubernatorem mortalibus prædicavêre, docent illos exemplo ſuo debitam Supremi Numinis voluntati obſervantiam. Stellæ enim in cuſtodiis ſuis dicunt, cum Propheta Baruc, *adſumus*. & lucent ei qui fecit illas. Non ſibi lucent, ſed Deo: nec, ſi velle poſſint, aliud velint quàm Deus. Obſcuritatem, lumen, motum, molem ſuam amant, quia voluit Deus. Cuſtodiis quæque ſuis & ſtationibus fixæ ſunt, quia vult Deus. Trepidabunt, ſi trepidationis

motus in cælo eſt: in oppoſitum impulſui ſuo rapientur, extinguentur, corrumpentur, corruent, ſi volet Deus. Utinam Chriſtiani, quorum converſatio in cælis eſſe debet, diſcant loqui linguâ cælorum, & facere verbum Domini, nec præterire præceptum quod poſuit.

XIV. Hominis contemplatio.

Difficilis fortaſſis quibuſdam ea lingua videatur: familiariorem itaque audiamus, & domeſticam homani corporis. Sexcentos in illo muſculos medici deprehendêre, eorumque officia ſexies mille. Oſſa trecenta annomeravêre, alia aliis inſerta & infibulata: ſingulorumque officia quadraginta, id eſt univerſorum millia duodecim. Oſſeam compagem ſpecta, quod σκελετὸς dicimus, & cum medicorum principe eloquentiſſimum artificis ſui panegyricum fatebere. Adde illi arborem venarum ex hepate naſcentium, arteriarum è corde, nervorum è cerebro. Dein partes ſingulas ſcrutare, oculi fabricam, manuum ſtructuram, cæterorum membrorum diſpoſitionem, elementa quatuor in totidem humores corporis contracta, cæli ſitum & lumina in capite humano velut compendio exhibita, quaternas anni tempeſtates totidem homiois ætatibus expreſſas. Animæ facultates, & ſitum corporis, inter ſe compara, cum Philone libro 2. Allegoriarum legis. Vide rationem in ſummo capite ſedentem, Regis inſtar, ſtipatamque ſenſuum ſatellitio. Iraſcibilem animalis facultatem in pectore clauſam, ſeptamque oſſibus circùm, velut loricâ: Concupiſcibilem in infima regione, inſtar pediſſequæ poſitam. Adverte quàm admiranda celeritate voluntati tuæ oculi, palpebræ, lingua, manus obſequantur: ut arcana illa & ſtupenda luminum internorum, ex defæcatiſſimo ſanguine emicantium, quos ſpiritus animales dicimus, in imaginando, reminiſcendo, intelligentiæ ſubſerviendo, obſequia taceam. Diſce, quantam anima tua auctori ſuo obedientiam debeat, cùm imperanti animæ eum in modum corpus obtemperet.

XV. Harmonica Dei gubernatio.

Poſtquam te contemplatus fueris, ad integras nationes, & univerſum hominum genus, oculos circumfer. Linguæ diverſiſſimæ, ionumeris vocibus conſtaptes, partim inter ſe ſimilibus, partim diſſimilibus, iiſdem tamen ubique literis, non tibi manifeſtè Deum natiooes dividentem deſignabunt, etſi Babylonieam confuſionis turrim in ſacra Scriptura non legeris? Perſpice interiùs varia ingenia & mores nationum: attende ubique paupertatem divitiis oppoſitam, vitia virtuti, ſapientiam ſtultitiæ, vires infirmitati, proſpera adverſis, naſcentemque ex ea compognantia, velut ex contrariis vocibus, ſuavem harmoniam, proprium Dei opus. Conſidera ſubitas conuerſiones rerumpublicarum, mirificas fortunarum viciſſitudines, regnorum ſubitos ortus de nihilo, & præcipites occaſus in nihilum. Dubitare non poteris, quin iſthæc omnia à ſuprema mente diſpenſentur, ac regantur, licèt manum regentis non videas. Quemadmodùm enim io mundo viſibili, & in corpore humano, aptiſſima illa ſimilium, ac diſſimilium compoſitio Deum auctorem ac rectorem pronuntiat: ita & in civilis mundi partibos populorum, ingeniorum, fortunarum, parium diſpariumque, jucunda miſtura. Ut æquè de mundorum trium harmonica modulatione dici poſſit, quod apud D. Auguſtinum legitur tomo 4. in carmine alterius ſcriptoris de mundi pulchritudine: *Rapidum tardo, & rata currens hac & hac vaganti: Satisq́ moventia, denſis rara, magna parvis: Obſcuris flammiferata, nigra luminoſis: Intercidentia natis, nata naſcituris: Medium extremis, medio illa, ſicut ima ſummis, Concordant lege ſuperna, lege dico vers: Unum carmen modulantur, concinuntq́ in unum.*

XVI. Ambulandum coram Deo.

Stabiliſſimum hoc Providentiæ Divinæ fundamentum meliùs claudere non poſſumus, quàm D. Anſelmi verbis Proſologii capite 4. *Gratias tibi, bone Domine, quia quod credidi te donante, ſic intelligo te illuminante: ut ſi te eſſe nolim credere, non poſſim non intelligere.* Et ſi te meæ mundique omnis gubernationi perpetuò intendere, religio divina non perſuaſerit, ratiocinatio tamen humana evicerit. Anachoreta Ludovicum Bloſium, Lætienſis cœnobii Præſulem, de præceptis Chriſtianæ vitæ adire per intervalla ſolitus, hæc aliquando accepit Dei ad Abrahamum verba, Gen. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Ad tuguriolum reverſus, expendere primum illa ſummatim, deinde per varia excitandæ voluntati diducere: nunc intelligentias Deo ſervientes contemplari; nunc cælos, ac ſtellas coram Deo, id eſt ejus juſſu, ambulantes; nunc elementa ac meteora ipſius imperiis obſequentia; jam miſta omnia, jam corpus ſuum, jam gentium nomina & fata ex unius Domini nutu ſuſpenſa. Inter tot exempla undique oculis iogeſta, valdè indecorum & iniquum fore, ſi ipſe non ambulet coram Deo, & ad nutum illius agat quævis ac patiatur. Eum ferè in modum ſecum ipſe ratiocinando dies totos exigebat, ſui vix memor: donec Bloſius longè diutiùs ſolitò abeſſe miratus, ultrò adivit, ſciſcitatusque eſt, quid ſibi vellet tam diuturna abſentia. At ille: Quod enim, inquit, ex te documentum altius, fæcundiusque, & magis inexhauſtum accipiam, quàm ut cum rebus omnibus creatis ambulem coram Deo, in ejus voluntate defixus, & ad ejus manum atque impulſum ſemper intentus?

SECTIO SECUNDA.

Alterum fundamentum:

A Providentia Divina res etiam minimas, & fortuitas, curari.

I. Res nulla Deo indigna.

INdignè de Deo ſenſêre Infideles illi apud Minutium Fælicem in Octavio, qui extorquente veritatis teſtimonium naturâ, Providentiam Divinam Univerſo præſidere faſſi, indignam ejus ſolicitudine rerum minotarum ſolicitudinem exiſtimabant. Sed ſi indecora Deo non fuit vel minimorum creatio, cura etiam de minimis illum non dedecuit. Si tam vile & exiguum animalculum plantuláve non eſt, in cujus diſſectione ac partibus potentia & ſapientia creatoris non ſit admirationi: neque ullum eſt, in cujus conſervatione benignitas & cura non eluceſcat. Ejuſdem enim mentis eſt, producere quæ antè non fuerunt, & productis conſulere. Et quomodò nihil tam contemptum eſt, ut alium totius ſui auctorem habere, quàm Deum, potuerit: ita nec tam abjectum eſt, ut illum cooſervatorem, diſpenſatorémve habere non mereatur. Ad curam ſingulorum Deum trahit Bonitas ſua, & rerum Pulcritudo.

II. Quantumvis exigua & vilis.

Ille ſcilicet *nobis Deus eſt*, ut Seneca loquitur libro 4. de Beneficiis, *non qui paucas boves, ſed qui per totum orbem armenta dimiſit, qui gregibus ubique vagantibus pabulum præſtat, qui paſcua hibernis æſtiva ſubſtituit.* Ille Deus eſt, *qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum:* Pſalmo 146. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus;* Sapient. 6. Sine illo unus paſſerum, dopondio væneuntium,

non

non cadit ſuper terram, ut Chriſtus magni conſilii Angelus aſſerit, Matth. 10. *Poſſum dicere, porcorum quoque ſetas numeratas apud Deum fuiſſe*, cùm abſque Chriſti permiſſu tota dæmonum legio in illos auſa non eſt invadere: *nedum capillos Sanctorum*. Ita loquitur Tertullianus libro de fuga in perſecutione, ut intelligamus, Dei conſilia & curas quaquaverſum ad omnia protendi.

III. Nihil Deo improviſum.

Inde conſequitur neceſſaria bonæ voluntati formandæ veritas: fortuitum Providentiæ Divinæ nihil eſſe, caſuale aut contingens nihil, ſed proviſa & præmeditata omnia, cauſſaſque eorum ac fines. Hinc fortaſſe Auguſtinum pœnituit, fortunæ nomen aliquando uſurpaſſe. Chriſtiano enim, imò rationali, fortuna nulla: omnis de cœlo ab æterna mente deſtinantur. Improviſa quidem multa nobis, hebetis viſûs animalibus, neque in futurum, niſi per incertas conjecturarum umbras proſpicere valentibus, eveniunt. Eadem tamen præviſa & antè diſpoſita dici debent, ſi Deum attendimus. Prudens Imperator, occupando hoſtili præſidio, copias ex hibernis deducit. Aliæ alio itinere progredi jubentur, conſilii prorsùs inſciæ, nec de aliarum profectione commonefactæ. Conveniunt tamen omnes in locum eumdem tempore eodem. Fortè id fieri à militibus dicatur, cùm inter ſe non condixerint: fortè tamen non fit, quod ex præmeditato Imperatoris conſilio profectum eſt. Herus famulos duos, alterum alterius ignarum, mittit ad varia negotia, ob quæ inter ſe debent occurrere. Occurſus iſte famulis quidem fortuitus videatur: at non hero, qui ſic profectiones illorum diſpoſuit, ut ita eveniret. Eumdem ferè in modum ſe res habet, in iis, quos caſus, eventuſque, ac fortuitas cauſſarum hominúmve conjunctiones & concurſus vocamus.

IV. Exemplis litteris oſtenditur.

Geneſis cap. 15. Eliezer ab Abrahamo mittitur in Meſopotamiam Syriæ. Rebecca, quæ de illo ne per ſomnium quidem audierat, in ipſo tempore venit ad fontem: placet: Iſaaco ſponſa petitur. Quis iſta fortuitò agi non exiſtimet, ſi humana ſpectes? At Deus inexpectatos illos occurſus ad fines ſuos ſuaviter moderabatur. Ita improviſa fuit Jacobi & Rachelis obviatio ad puteum: deſtinata tamen divino conſilio. Joſepho in ciſternam veterem abdito, fortè tranſierunt Madianitæ mercatores: quod fortè ab illis fiebat, à Deo ad miros eventus diſponebatur. Moſen in fiſcella fluitantem aliud agens filia Pharaonis vidit, amavit, educavit: ſed hoc ipſum agebat Deus per inſciam Principem. Incidit Moſes commodè, cùm Madianitides virgines adverſus paſtores defendendæ erant: ita Deus iſthæc contemperârat, ut per iſtam occaſionem ſanctus nanciſceretur. Mittitur à patre Saül ad quærendas aſinas, & regnum reperit. Pugnante Achabo, 4. Reg. 22. & 2. Paral. 18. *accidit, ut unus è populo ſagittam in incertum jaceret*: ſed eam ad ſcopum ſuum dirigebat Dei Providentia. Non caſu Danielis ſapientia Regibus Babylonicis innotuit; non caſu Heſtheris pulchritudo Aſſuëro placuit: non caſu facies Nehemiæ Artaxerxi ſubtriſtia viſa eſt: non caſu hirundines nidulabantur, ubi obdormiit Tobias: non caſu junior Tobias pedes lavit in Tigri, & piſcem exhorruit: non caſu Jonam ventus & cetus excepêre.

V. Ex hiſtoriis Eccleſiaſticis.

Fortè Ravennam venerat Vitalis miles, cum Paullino judice. Ibi comprehenſum Chriſtianæ religionis cauſſa Urſicinum medicum, inter tormenta paullulùm vacillantem conſpicatus: Tu verò, inquit, medice Urſicine, qui alios curas, cave temet eneces. Exceptæ ab adſtantibus voces

Chriſtianum prodidêre, & Martyri comitem addidêre. Fortè id factum dicimus: factum tamen ex alto divinæ mentis conſilio, Martyrem ſibi tam fortuita occaſione præparantis. Captivi quidam in carceres eoſdem, quos Apoſtoli, detruduntur, aliis omninò de cauſſis: illi ob crimina, iſti ob virtutem. Quid magis improviſum hominibus? Quid magis Deo proviſum, qui ſic libertati filiorum, per Apoſtolorum verba & ſacri Fontis lavacrum, captivos præparabat? In Oneſimo id ſpectari vult Paullus: in Proceſſo & Martiniano Petrus idem fecit. Quotidianum fuiſſe Martyribus teſtatur Tertullianus: *Domus*, inquit, *diaboli eſt carcer ubi familiam ſuam continet: ſed vos idcircò in carcerem perveniſtis, ut eum in domo ſua conculcetis.*

VI. D. Auguſtini narratio de re.

Auguſtinus libro 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 43. narrat: Maximianum, Catholicum Epiſcopum Bagajæ in Africa, à Circumcellionibus hæreticis læſum letaliter in inguine. Cùm inde ſanguis totus efflueret, traheretúrque membris ex ea parte nudis, *pulvis exundantes venas latenter obſtruxit. Deinde præceps de excelſa turri datus noctu, ſubter cinerem ſtercoris molliter jacebat. Venit illuc pauper, exonerandi ventris cauſſa: vidit hominem, domum tulit, poſtea curatus eſt. Vivit: plures in ejus corpore cicatrices, quam membra, numerantur.* Non vereor, ne minuta nimis & vilia referre videar, quæ D. Auguſtino viſa ſunt relatu non indigna: ut ex unius hominis caſu intelligamus nîl caſu fieri. Neque enim caſu factum, ut pulvis venis vulnerati, ad ſiſtendum ſanguinem, velut medicamentum extemporaneum, admoveretur. Non caſu factum, ut ſterquilinio præcipitans incideret. Nec caſus fuit, quod in illum jacentem pauper ex vicino incurreret. Naturalium cauſſarum occurſus fortuitos ſic Deus diſpoſuit, ut vita Confeſſori ſuo ſervaretur.

VII. Alia ejuſdem.

De ſeipſo idem Auguſtinus Enchiridii ad Laurentium cap. 17. *Sunt quædam quæ neſcire, quàm ſcire, ſit melius. Itemq́; nonnullis errare profuit: ſed in via pedum, non in via morum. Nam nobis ipſis accidit, ut in quodam bivio falleremur, & non iremus per eum locum, ubi opperiens tranſitum noſtrum Donatiſtarum manus armata ſubſederat: atque ita factum eſt, ut eò quò tendebamus, per devium circuitum veniremus: cognitiſq́; inſidiis illorum, nos gratularemur erraſſe, atque inde gratias ageremus Deo.* Sapiens & ſanctus vir errorem ipſum ſuum, ex mera imprudentia ortum, providentiæ tamen divinæ, quælibet ad fines ſuos ordinanti, tribuit. Adeò certum eſt, nîl evenire fortuitum. Videri poteſt idem Doctor in libris de Ordine: ubi ſoricis ſtrepitum, quo ipſi domeſticique diſcipuli excitati fuêre, & murmur torrentis inter ſolis labentis & interſtrepentis, unde occaſionem diſputandi arripuerunt, caſu accidiſſe non exiſtimat.

VIII. Quotidiana in nobis experientia.

Quàm multa nobis quotidie incurrunt ejuſmodi, quorum rationes nunc non videmus: poſtmodùm agnituri, quando ex editâ æternitatis ſpecula retrò lapſorum annorum mutationes remetiemur? Tunc manifeſtè apparebit: nec caſum fuiſſe, quod ibi nati; nec fortuitum, quòd ſic educati; neque inconſultum, quòd ad ea ſtudia, artéſve admoti; nec ſine Numine, quòd illa conſortia conſuetudineſque ingreſſi. Deus in omnibus cauſſas ſuas habuit, eaſque optimas: etſi cæcis mortalibus iſta cæco impetu ferri videantur. Celebre eſt iſtud Apellis apud Plinium libro 35. cap. 10. Equum pinxerat, currentem, & anhelum: de ſpuma ad verum effingenda laborabat. Poſt multos

conatus, ſæpiusque appoſitos & inductos colores, cùm oculis ſuis ac judicio non ſatisfaceret, manui ſuæ & arti iratus, penicillum tabulæ impegit. Excuſſi colores ſpumam pulcerrimè expreſſerunt: fecitque caſus quod ars nequiverat. Exclamat hic Latinus poeta, *O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!* At nos, qui Dei oculos & manus ubique ſcimus intueri & operari, etiam in eo jactu, & colorum diſſilientium inexſpectata compoſitione, dicemus, non caſûs eſſe ingenium, ſed Dei, cui fortuitum nihil eſt.

IX. Etiam minima ad Deum referenda.

Et hinc in anteceſſum inferamus, quod poſtea fuſiùs dicendum erit, in eventis quibuſvis rerum humanarum, etiam minimis, aſſueſcendum, oculos ad Providentiæ divinæ ductum & rationes attollere. Documentum id eſt Epicteti cap. 13. *Ne poſtules ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri: ſed ſi ſapis, ita quæcumque velis fieri, ut fiunt.* Pluit? Pluere velis. Urit æſtas? æſtum velis. Incommoda ſunt tempora? Incommoda velis. Neque ideo tantùm velis, quia ſtulti ſit aliud optare, quàm quod fieri poteſt: fieri autem non poteſt, ut quod eſt non ſit. Sed ideò velis, quia quæcumque eveniunt, non niſi ex voluntate Dei eveniunt. Stoicorum prima doctrina erat de Fato: inde ipſis inter eventa omnia conſtans & tranquillus animus: neque ipſorum intererat, deſtinatione hominum conſilio, an fortuitò acciderent. Non conſilia rerum, aut imprudentiam attendebant: ſed fatum, à quo omnia definiebant proficiſci. Fatum autem quidam interpretantur rerum neceſſitatem: eamque neceſſitatem nonnulli forſan Stoici ita ſumpsêre, ut ne divinæ quidem, nedum humanæ libertati, locus eſſet. Verùm clariſſimus Philoſophorum Stoicorum Seneca nobis modò, ſectione proximè præcedente, ediſſeruit, fatum nil aliud eſſe, quàm Dei Providentiam, res omnes altiſſima ratione ordinantem ac ducentem: idemque toto de Providentia libro apertè exſequitur. En igitur nobiliſſimorum Stoicorum ἀπάθειαν, conſtantiamque invictam, inter quotidianas rerum mutationes: ex eo quòd in illis Dei ductum perpetuò attendere conſuêſſent.

X. Chriſtianorum ea de re doctrina.

Mavis à Chriſtianis id documentum haurire? Adi Dorotheum, inſignem aſcetices magiſtrum, integram tibi eâ de re concionem inculcabit, Doctrinâ ſeptimâ, quæ tota eſt *de omnibus contingentibus ad Deum referendis.* Invenies illic, de ſene quodam ægro conſueto ad Deum cuncta referre: cui, cùm miniſtri errore oleum pro pulmento infuſum eſſet, guſtatumque abſque ullo animi aut vultus motu ſepoſuiſſet, miniſtro errorem denique advertenti & excuſanti, nil quidquam dixit, niſi, Fili, ſic Deus voluit. Geneſis cap. 27. Iſaacus ævo gravis, & oculis præ ſenio captus, Jacobum percunctatus, unde ipſi tam citò præda, cùm hic reſpondiſſet, Dei voluntatem fuiſſe, ut citò occurreret, quod volebat: *Vox*, inquit, *vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſaü.* Vocem Jacobi agnoſcit, non tantùm quia lenior exibat, quàm ex ore aſperi & agreſtis venatoris: ſed quia ſonabat voluntatem Dei, cujus mentioni Jacob aſſueverat ad quotidiana eventa. Didicerat à Rebecca matre, cui caſus non fuit, ad puteum occurriſſe Eliezeri. Didicerat à Melchiſedecho Rege Salem ſeu Pacis, quando in ejus diſciplinam à parentibus datus vir ſimplex, & unum in omnibus Deum quærere aſſueſcens, habitabat in tabernaculis.

XI. Quanta inde tranquillitas.

Nec verò quidquam eſt potentius ad ſubitos animi motus componendos, pacemque animi inter fortuita incurrentia ſervandam, quàm ea non ut fortuita accipere, ſed ut à Deo deſtinata, qualiacumque ſint. Mirati ſunt parentes noſtri compoſitiſſimum Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis animum, & ne ſubitis quidem, atque improviſis tangi facilem. Ad majora ventura meditationibus comparamur, ideoque venientibus minùs percellimur: minora plerumque, quia præmeditati non ſumus, patientiam ſubito motu excutiunt. At Rex ille majoribus inconcuſſus, claſſium jacturam, provinciarum rebellionem, filiorum mores, & mortes, imperturbato vultu audire ſolitus, eamdem ad minuta contingentia, ut familiarium intimi notavêre, ac narravêre, tranquillitatem attulit. Manu ſua literas ad Pontificem Maximum exarârat: iis ſiccandis petitâ ab ephebo thecâ arenariâ, atramentariam accepit, & chartæ infudit. Ad hoc pallenti ac trementi ephebo, nil quidquam, niſi, Fili profer aliud chartæ folium. Eidem ocrearum unam induenti, calcar, quod imprudens famulus in imo reliquerat, plantæ pedis incuſſum eſt. Vix ſe quantúmvis compoſitæ mentis homo tenuiſſet, quin iraſceretur. Rex ita ſe compeſcuit, ut citra vel minimum indignationis ſignum, id ſolum dixerit, Eximatur quod in ocreis latet.

XII. Cauſſa tranquillitatis.

Qui ad eam animi pacem adſpirat, ſeſe aſſuefaciat intuendæ in obviis quibuſcumque caſibus Providentiæ Divinæ, & cum Sapiente cap. 14. identidem dicat, *Tua, Pater, providentia gubernat*, univerſa & ſingula, magna & minuta, neceſſaria & fortuita. Cùm autem Deus omnia regat, benè regere neceſſe eſt, & bene regenti acquieſcere oportet. Eſto, quem tibi finxeras rerum tuarum alienarúmve ordinem, ſubitis incurſibus interturbetur: manet tamen, ac fluit imperturbatè, longè illo melior & optabilior ordo à ſuprema mente ſtabilitus. Ad illum ubique adſpiciendum nos vocabat D. Thomas opuſculo 62. *Mos Dei eſt, quod omnia opera ſua in ſummo benè fecit. Opera quippe cœli & terræ, Angelorum & hominum, & aliarum creaturarum, adeò benè fecit, ut meliùs excogitari non poſſit.* Deinde ad minutiora deſcendens: *Sive ſit*, inquit, *ventus, ſive pluvia; ſive aura calida, ſive frigida; ſive ſicca ſit via, ſive madida; ſive fructus terra abundet, ſive pereat; pro illo tempore fieri meliùs non poteſt.* Breviùs cuncta Auguſtinus complectitur libro 3. de libero arbitrio cap. 36. *Deus id judicavit eſſe pulcerrimum, ut eſſet quidquid eſt, ſicuti eſt.* Quamvis enim in ſe pulcerrimum non foret, neque optimum: Deus tamen fecit pulcerrimum, ita judicando; & optimum, ita volendo.

SECTIO TERTIA.

Fundamentum bonæ voluntatis tertium ac præcipuum.

Cura Dei de homine, præſertim bono.

I. Deus eſt Dominus hominum ſingulariter.

Regius Vates Pſalmi octavi, qui totus eſt de peculiari Dei erga hominem cura, initium & finem fecit eodem verſu, *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.* In eo verſu ſimul poſuit & propoſitionem & concluſionem cantandorum. Quid paras de Deo dicere? Dicam eſſe dominum noſtrum. At quid in ea re novi? Nonne dominus univerſorum eſt? Proſus. Ita tamen, ut ſingulariter ſit hominum dominus. Ad experientiam te appello, & ipſam fidem tuam, ſi mihi fidem non habes. Contemplare Univerſum, expende terram, ſcrutare maria, vide piſces natantes, circumſpice

circumſpice aves volantes, intuere animalia paſcentia, ſpecta ſtellas lucentes, metire cælorum ingentia ſpatia. Iſthæc omnia cùm Dominus produxerit, dominus illorum eſt. Sed quandoquidem homini produxerit, nonne meritò etiam infantes & lactentes clament: *Domine, dominus noſter es, qui nos, & genus omne humanum, proprio quodam affectu curas, & ſolicitudine ſingulari complecteris?* Notavi aliquando, nec dubium quin & alii ante me, nuſquam in primo Geneſeos capite, ubi de rerum creatione agitur, poni nomen tetragrammaton, quod Latina verſio reddere *Dominum* ſolet, Græca *κύριον*, exprimiturque Hebraicè per vocem *Adonai*, iſtis reſpondentem. At verò in altero capite, ubi particulatim enarratur hominis creatio, rerumque aliarum ſubjectio ad ejus obſequia, paſſim nomen iſtud ineffabile occurrit; iteraturque frequentiſſimè appellatio *Domini Dei.* Ad commendandam utique Dei erga homines benevolentiam, qui ipſorum peculiariter *Dominus* eſſe velit, ſingularemque illis curam & amorem impendere.

II. Major cura qualiter ſit in Deo. Cùm autem dicitur, homines Deo magis eſſe cordi, quàm corporearum rerum cæteras: nemo tam ignarus ſit divinorum, ut ſibi perſuaſerit, Deum de re aliqua magis intentè aut frequentiùs cogitare quàm de alia, ſenſúſve de illa habere teneriores, aut vehementiores. Humanæ imbecillitatis & mutabilitatis officia iſta ſunt. Quia Joſephum Jacob præ cæteris filiis habebat in amoribus: idcircò erga illum teneriùs afficiebatur, & ſæpiùs eum verſabat in mente. Salomoni, quia liberorum cariſſimo, voluntatem & ſtudia magis impendebat David, quàm Adoniæ, vel Nathani. Chriſtum ipſum, quà hominem, plus de optima matre & dilecto Joanne, quàm de aliis, cogitare, æquum fuit, & naturæ conſentaneum. Sed abſit, ut Chriſtianus ullus, vel tenuiter eruditus, tam craſſam rudémve de Deo effingat imaginem; qui omnia intellectione una cogitat, quia totus eſt intellectus; & omnia volitione una amat, quia totus eſt voluntas; & totus eſt intellectio, ac volitio, quia totus eſt actus. Quamvis actus ille unicus ac ſimplex, perinde ſe habet, ac ſi plures eſſent; varietatesque ac vim actuum omnium in ſe, ob Divinæ naturæ eminentiam, complectitur. Deum ergo aliquid curare præ aliis, eſt plures producere & oſtendere, ad conſervationem illius ac perfectionem, ſolicitudinis & amoris effectus: ex unici tamen illius ac ſimpliciſſimi actûs, ſed pluribus æquivalentis, impulſu.

III. Declaratur. Explicando huic argumento, Theologi quidam duplicem Dei Providentiam poſuêre, Naturalem, & Moralem. Naturalem vocant, qua Deus res creatas curat, morum incapaces: moribus autem regi non poſſunt, quæ carent ratione, diſcernendis ac dijucandis moribus neceſſariâ. Moralem autem appellant, qua Deus utitur ad gubernandos Angelos & homines, qui ſoli intelligentia præditi ſunt, & moribus reguntur. Verùm ea diſtinctione omiſſa, D. Thomam audiamus prima parte, quæſtione 22. articulo 2. Poſtquam hoc generatim poſuit: *Omnia ſubſunt divinæ Providentiæ, ſed diverſimodè.* Particulatim deinde ſubjicit: *Bruta ſubduntur Providentiæ divinæ per ſe, & in ſingulari, ſed propter aliud*: propter hominem ſcilicet, cui ſerviunt. *Boni ſubduntur Providentiæ divinæ propter ſe: mali verò propter bonos tantùm, ut bruta.* Unde id conficitur, quod modò ex Davide diſcebamus, præcipuam Dei inter aſpectabilia ſua opera curam eſſe de homine. Magis enim curatur finis agendorum, quàm quæ ad eum finem ducunt, & media vocantur. Tantâ diligentiâ ac vigilantiâ cuſtodit ac ſervat Jacob Labani greges, ut numquam illi oſtendat captum à beſtiâ: at longè magis Racheli intendit, cujus cauſâ paſtor ovium eſt. Ita, cùm Deus bruta propter homines curet, plus multò ſolicitudinis in hos dicendus eſt, quàm in illa impendere. Ex eadem ratiocinatione conſequitur, potiſſimam Dei inter homines curam eſſe de probis: quandoquidem improbi ad proborum utilitatem ac profectum à Deo ordinentur, velut media ad finem.

Neque univerſo tantùm humano generi Deus præcipuè attendere credendus eſt, ſed etiam ſingulis paterna ſolicitudine conſulere. Nam ſi conſervatione ac ſalute generis contentus ſingulos negligeret, id faceret, quia illis providere vel nequiret, vel nollet. Poteſt autem, & vult. Poteſt, quia Deus eſt: vult, quia creator eſt. Adeóne *Domini eſt oculus hominis*, ut loquitur Zacharias cap. 9. Id eſt, ut ego quidem interpretor, hominem quemlibet, quantumvis abjectum ac deſpicabilem, ſingulari ſummum Numen Providentia reſpicit. Itaque veriſſimè dixit Auguſtinus lib. Conf. 3. cap. 11. *Sic curas, ô Deus, unumquemque noſtrûm, ac ſi ſolum cures; & ſic omnes, tamquam ſingulos.* Eodemque ſenſu Gregorius Moralium lib. 25. cap. 19. *Sic Deus intendit ſingulis, ac ſi vacet à cunctis: & ſic omnibus intendit, ac ſi vacet à ſingulis.* Hoc ipſo quo ſcribimus, legimúsve, aut dicimus momento, cælorum machinam rotat, Soli lumen ſufficit, diemque terris adminiſtrat, elementorum naturam ſuſtentat, me inter iſthæc, mihi creata ac conſervata, non negligit, corpori vires impertitur, cogitationi vim tribuit, manum ſcribentis ducit, linguam dicentis movet, aliaque mecum agit omnia, non ſecùs ac cum Adamo aut Noemo, ſub creati aut renovati mundi initia, quando univerſum genus humanum erant homines duo aut octo. — IV. Singulos homines Deus curat.

Abſit enim, ut vim potentiamque divinæ mentis infinitam ex infirmitate humani ingenii, vix paucis curis pari, metiamur. *Pluribus enim intentus minor eſt ad ſingula ſenſus* hominis, quantumvis intelligentis & exercitati. Idcircò Siracides ſapientiæ ſtudioſum monnit, *Fili ne in multis ſint actus tui*, Eccl. 11. Et Jethro Exodi cap. 18. Moſi genero ſuo, nimium ſatagenti, perſuadere volens, ut laboris ſocios aſſumeret, curaſque partiretur, dixit ſapienter, *Stulto labore conſumeris.* Nam oneri tam multiplici impares ſunt unius ingenii vires. Imò ut ingenium ſufficiat, delaſſatur tamen homo & exhauritur, etiam in admenſis ſibi laboribus: quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, & paullatim ipſa ſeſe agendi vivacitas exedit, & ardendo lucendoque velut cerei decreſcit atque conſumitur. Aliter longè res habet in Providentiæ divinæ curis. Neque enim multitudine diſtrahitur ac diſtenditur, nec longitudine aut difficultate fatigatur. Quemadmodùm creando labor nullus adhibitus eſt, vox unica ac voluntas ſuffecit: ita & conſervando velle ac dicere ſufficiet. Et quamvis Deus Angelorum hominumque miniſterio, ad generis humani gubernationem, utatur, vicarioſque habere, & eis obediri velit, ad rerum ordinem decentiorem: vicarii tamen nullius operâ indiget, & per ſe nihilominùs adminiſtrationem ſingulorum attingit. — V. Citra laborem.

Audiendus iterum Auguſtinus in Pſal. 148. *Fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & te. Parum dico te, paſſerem, locuſtam, vermiculum. Nihil horum non ille fecit, & cura eſt illi de omnibus. Noli ergo dicere, non pertineo ad Deum: pertinet ad* — IV. Hominis nobilitas.

Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum, quia Deus fecit animam tuam & corpus tuum. Non curaret Deua hominem quemlibet, cui etiam vermiculus curæ eſt, quia ab ipſo creatus eſt? Atqui nobiliſſima creatura eſt homo, etiamſi corpus ſolum attendas, cujus ſuprà deſcriptinnem attigimus. Quid ſi animum contemplêre, materiæ expertem, mortis neſcium, compotem ſui, capacem Dei? *Deus* enim, ut loquitur Lactantius lib. de Ira Dei cap. 4. *ſicut mundum propter hominem machinatus eſt, ita ipſum propter ſe tamquam divini templi antiſtitem, ſpectatorem operum rerumq; cæleſtium.* Quare Vates Regius Pſalmo 8. poſtquam petiit: *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum?* Reſpondet ipſe interrogationi ſuæ, & ejus dignationis rationem affert: *Minuiſti eum paullò minùs ab Angelis.* Non reputes, ô Deus, filium hominis, quem tu ad id honoris extuliſti, ut ſuppar incedat altis illis intelligentiis, quæ inacceſſæ tuæ lucis puriſſima ſunt ſpecula?

VII. A Deo amatur. Eamdem ob cauſſam Philoſopho cuipiam priſco, Platoni ni fallor, iſtam hominis dignitatem creatoriſque dignationem æſtimanti, *Deus οὐ φίλορνις οὐ φιλόθηρ, ἀλλὰ φιλάνθρωπος, non avium, ferarúmve, ſed hominum amator eſt.* Non quia non amet animalia cætera: ſed quia inter omnia divinum iſtud animal præcipuè habet in oculis & in delitiis. Quam etiam Dei humanitatem eodem ipſo φιλανθρωπίας nomine commendat Paullus ad Titum cap. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Ubi, quod Latinè eſt humanitas, Græcè eſt φιλανθρωπία. Nec mirum, tam humani erga hominem quemlibet affectus Deum eſſe, cùm talem talis condiderit, non indecorum partum optimus parens: qui quem tam amanter produxit, noo conſervare non poterit convenienter naturæ ſuæ, ſi conſervari ſe ſinet.

VIII. Paternus Dei affectus. Deum ipſum audiamus de ſe & de homine loquentem, tanto affectu, tam ſuavibus verbis, ut exprimi nihil poſſit ſignificantius. Quod oomen dulcius, quàm patris? An maternum? Ille fortiùs diligit, mater teneriùs. Patrem ſe & matrem fore Deua pollicetur, ut & fortiter amet, & tenerè: idque de populo promittit inquieto, infideli, rebelli; ſæpiſſimè monito, ſæpiſſimè obſtinato, & adhuc, cùm Deua ipſi loqueretur, idololatriam ſectante. *Si filius mihi honorabilis Ephraim*, inquit Jeremiæ 31. *ſi puer delicatus*: ſeu, ut alia verſio ſonat, *An non filius pretioſus Ephraim, an non puer ſolatiorum?* Ecquiſnam autem ille eſt Ephraim, ut Deua ipſo filio gaudere, & gloriari, imò quodammodò ſeſe jactare videatur? Ephraitica tribus eſt, Iſraëlitici regni caput, & nomen, populus contumax, proles optimo parenti Deo immorigera, meritaque abdicari. Ne tamen dubites, quin qualiſcumque tamdem filius Deo ſit *honorabilis, & pretioſus, & delicatus, & ſolatiorum*, ſubjicit: *Idcirco ex quo locutus ſum, commota ſunt viſcera mea ſuper eum.* Non tibi videtur Jacob de Joſepho ſuo loqui, aut de filio dexteræ Benjamino, quem ne nominari quidem audiat abſque ſenſu teneritudinis? Non eæ ſunt voces parentis amantiſſimi, commoda juxta & incommoda liberorum ita excipientis, ut propria? Quid exprimendæ paternæ Dei in homines dilectioni ſignificantius dici poterat, quàm illa viſcerum commotio, & agitatio cordis amore vehementi palpitantis?

IX. Materna ejusdem dilectio. Simili locutione uſus Iſaiæ 49. in exemplum matris, quæ liberos, præſertim immaturæ ætatis, & ex utero nuper profuſos, dulciùs amare ſolet, quàm pater. *Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui.* Vides materno affectui ſuum à Deo non conferri ſolùm, ſed etiam præferri, & meritò. Nam mater filium in utero geſtat menſes novem, Deus hominem toto vitæ tempore: *In ipſo* enim *vivimus, movemur, & ſumus*, velut intra materna viſcera: *Audite*, inquit Iſaiæ cap. 46. *domus Iacob, & omne reſiduum domûs Iſrael, qui portamini à meo utero.* Filium in lucem editum mater aliquando dat lactandum nutrici; ſi ipſa alit, brevì tamen ablactat, vel Sara ipſa ſuaviſſimum Iſaacum: Deus erga hominem ſemper fungitur nutricis officio, ideoque nomen Tſaddai ſibi tribui voluit, ut Mammoſus diceretur; & Sapientia ſeu Providentia divina, loquens inſtar Deo aſſiſtentia, de ſeipſa pronuntiat, *cum eo eram cuncta componens*, creans ac conſervans, ſeu, ut alia verſio habet, *cum eo eram velut nutrix* hominum præſertim, quibus cum verſari, ejus *deliciæ* ſunt. Denique mater filium ablactatum ſinu & brachiis geſtat, donec per ſe ingredi didicerit: Deus ſemper portat hominem verbo virtutis ſuæ, multò magis quàm cæteras partes Univerſi: *uſque ad ſenectam ego ipſe*, inquit per Iſaiam cap. 46. *& uſque ad canos ego portabo.*

X. Chriſti doctrina ea de re. Abire hinc oon poſſumus, quin indicemus argumenta quibus Chriſtus ipſe Matth. 6. curam illam Dei de hominibus pluſquam paternam commendat, & ſolicitudinem hominum nimiam de rebus temporalibus circumcîdit. Primùm, quia iſta ſolicitudo Deo contumeliam facit: de ipſo enim diffidit, quaſi providere vel neſciret, vel nequiret, vel nollet. Cùm tamen velit, quia *Pater* eſt, & animam dedit ac corpus, quæ pluris ſunt quàm alimenta: cùm poſſit, quia Creator eſt & Conſervator, quod *volatilia cæli* docebunt, & *lilia agri*: cùm ſciat, quia eſt *Pater cæleſtis*, & è ſpecula ſublimi æternitatis ſuæ ſingula contemplatur. Deinde, indigna eſt Chriſtiano ſolicitudo iſtiuſmodi: *hæc enim omnia gentes inquirunt.* Diſputent craſſi Judæi, *Numquid Deus panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?* At Chriſtianos poſt certam Providentiæ divinæ cognitionem, & caperientiam quotidianam, diffidere, prorsùs intolerandum eſt. Tertiò, cura eſt inutilis & ſupervacanea: *Quis enim cogitans poterit adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Quis æger ſanitatem promovet aſſiduè de illa meditando? Quis mercator navim anxiâ curâ in portum impellit? Quis pater-familias inquietis & importunis conſiliis rem domeſticam auget? Quis bellator, aut princeps, publicæ rei prodeſt tumultuoſis imminentium negotiorum, aut periculorum, præcogitationibus? Neque inutilis modò, ſed & plurimùm noxia eſt nimia ſolicitudo. Multi de veſtibus anxiè ſatagendo corpus exedêre: plures curâ ciborum ac ventris animam perdidêre: plurimi jacturam æternorum immodicis caducorum ſtudiis fecêre. *Nonne* tamen *anima plus eſt, quàm eſca; & corpus plus, quàm veſtimentum.* Nonne propter viam cauſſas vivendi perdere, infæliciſſimæ inſaniæ eſt?

XI. Deus ſingulariter amico curat. Ex affectu Dei ſingulari erga quoſvis homines, facilè eſt colligere peculiarem ipſius erga amicos ſuos providentiam, ut ejus exigit ordinatiſſima caritas. *Miſericordiam & veritatem diligit Deus*, inquit Regius Vates Pſal. 83. quod alii, valdè aptè ad argumentum noſtrum, vertêre ex Hebræo, *Sol & ſcutum Dominus.* Quemadmodùm enim Sol illuminans per omnia reſpicit, & oritur ſuper juſtos & injuſtos; influentiarum tamen arcana vi

Lunam,

Lunam, aurum, adamantem, corda animantium ſingulariter afficere dicitur. Et quomodò ſcuto, non pectus ſolùm ſicuti loricâ, aut caput veluti galeâ, ſed membra omnia quæ petuntur contegimus: illa tamen magis defendimus, quibus maximè vita continetur. Ita Sol Deus eſt ac ſcutum, quia omnibus quidem hominibus communicat lumen vultus ſui, omneſque tuetur ac protegit: communis tamen ille inſpector, ac defenſor, peculiari ſtudio amicos complectitur. *Providentiam aliis creaturis non negamus*, inquit Bernardus Serm. 68. in Cant. *curam ſponſa vendicat ſibi.* Eodem ſenſu Ambroſius lib. 4. in Lucam: *Dominus dormit tepidis, vigilat perfectis.* Quamdiu vigiles ſumus ad ipſi obſequendum, non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Sic nos Deus viſitat, ſicut illum colimus.

XII. Vitam eorum corporalem.

Vitas tres vivit amicus Dei; Corporalem, quæ ipſi cum animalibus cæteris communis eſt: Civilem, quæ ex bona exiſtimatione & judiciis hominum exiſtit: Spiritualem ac divinam, quæ in vera virtute, & arctâ cum ſupremo Numine per ſincerum cultum conjunctione poſita eſt. Infima Vitarum trium tanti tamen eſt, ut vel Caini, vel alterius cujuſvis perditi hominis vita pretio æſtimari non poſſit, & omnia quæ habet homo det pro anima ſua. Quanti ergo erit vita viri probi, qui Deo natus, & ſibi, Dei honorem ante commoda ſua ponere conſuevit? *Erit* nempe ejus *anima cuſtodita quaſi in faſciculo viventium ante Dominum*, quod de Davide prudens Abigail aſſerebat 1. Reg. 25. Si tibi hoc voles demonſtratum, ſpecta innatantem horrendæ terrarum omnium eluvioni Noëmicam navim. Abrahamum vide Dei cuſtodiâ ubique ſeptum, imò ejus uxorem ſecundariam Saræque ancillam Agarem. Jacobum ſequere quando illum Deus deduxit per vias rectas, & poſt peregrinationum pericula Joſephum ejus filium, fratribus longè aliud ſpectantibus, præmiſit in exteram regionem, ut annonam fami venturæ compararet. Comitare in ſolitudine populum Iſraëliticum univerſum, & quotidianum ciborum, quibus perpluitur & veſcitur, demenſum expende. De corvo Eliæ, de Eliſæi farina & tritico, de ignibus Babylonicis trium Hebræorum, de leonibus Daniëlis & pulmento Habacuc, de aliis innumeris ejuſmodi, quos Deus extraordinariâ providentiâ ſervavit à facie tempeſtatum famis, longum eſſet recenſere, & forſan recentius aliquid deſiderabis. Innovata fuêre hoc ipſo ſæculo priſca Iſraeliticæ plebis miracula in Guairanis Americæ neophytis. Rabiem hoſtium fugiebant capitum circiter millia duodecim. Præibat palantem gregem Joannes Ardenneſius Leodienſis, Sacerdos è Societate JESU, ductor paſtorque: etſi vix erat quo corpora paſceret. Sed Deus hanc paſtoris partem implere ſtatuerat. Conſumptis enim alimentis omnibus, vis ingens herbarum in vicino flumine, numquam antehac illic viſarum apparuit, alibilium, & boni ſaporis ac palato grati. Utque manifeſtius eſſet Dei beneficium, poſt collectam ſub ortum ſolis ſingulis familiis portionem, nil ſupererat; ſequenti verò manè ita excreverat repentina ſeges, ut abundè omnibus ſufficeret. Quotidianum prodigium ad meſſem uſque adultam perduravit: Deo tunc demum extra ordinem ac ſupra naturam operari deſinente, cùm ordo naturæ redierat. Ita ex Paraquaria ab ipſo populi iſtius ductore ſcriptum, anno hujus ſæculi triceſimo quinto.

XIII. Vitam item Civilem & Spiritualē.

Civilem autem ſuorum vitam, quæ apud cordatos corporali pluris eſt, & in honoris ac bonæ famæ, ex virtute naſcentis, præmio conſiſtit, ſervaturum ſe Deus nominatim pollicitus eſt, Regum 2. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Stetiſſe promiſſis infinita teſtantur: mendacem enim oſtendit, qui maculaverunt ſanctos ſuos: fecit, ut ab auditione mala non timerent, qui apud ipſum benè audiebant: voluit, ut quod ipſi fecerunt narretur in memoriam eorum, & dici poſſit, Nimis honorati ſunt amici tui Deus: ſi quid ipſis interim infamiæ ad exercitationem virtutis inuri paſſus eſt, multiplici honoris fœnore poſtmodùm compenſavit, ut in Sanctorum apud fideles gloria paſſim videre eſt. Si verò Civilem ac Corporalem amicorum vitam tam ſtudioſè Deus ſolet defendere, quid de ſpiritali dicemus, cujus vel minimum detrimentum univerſi mundi lucro ſarciri non poteſt? Lib. 1. Reg. cap. 2. de Deo concinuit Samuelis mater, *Pedes Sanctorum ſuorum ſervabit.* At cur pedes potiſſimùm memoras Prophetis ſapientiſſima? Quidni potiùs oculos, cor, caput, aliáve nobiliora membrorum? Omiſſis variis explicationibus, commodè Cajetanus dicit, pedum fieri mentionem, ut inde inferatur quanta ſit cura capitis, cùm viliſſima membra accuratè cuſtodiantur. Vidiſti quâ diligentiâ Deus corpora Sanctorum, & honorem, id eſt pedes, ſervet: ut vel hinc ſcias, quomodo animam tueatur, corque, & caput hominis in illum ex utero projecti, quem docet à juventute, & uſque in ſenectam & ſenium: quem, ut ait Laurentius Juſtinianus lib. de triumphali Chriſti agone cap. 25. *comitatur in negotiis, ne delinquat; in periculis, ne cadat; in proſperitatibus, ne ſe extollat; in laboribus, ne deficiat; in dubiis, ne erret; in hujus vitæ itineribus, ne æterna vitæ conſolationem amittat.*

PARS SECUNDA.

Officia bonæ Voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Primum Officium,

Acquieſcere Deo ſive ſeſe reſignare, in malis pœnæ quibuſlibet, etiam per malam hominum voluntatem inflictis.

QUISQUIS hoc firmiter crederet, & menti imprimeret: Mala quæ vel ſibi, vel neceſſitudine aliqua conjunctis, eveniunt, ex deſtinata ac ſpeciali Dei providentia evenire, non difficulter ſuam illi voluntatem quietè ac demiſſè conformaret. Sic enim ratiocinaretur. Deus hoc voluit: Deus bonus non poteſt niſi bonum velle: bonum ergo hoc eſt, quod accidit. Si bonus eſt, qui voluit; malus ego ſim, qui nolim. Si bonum eſt, quod Deus vult; ſtultus ego ſim, ſi nolim, quod bonum eſt. Ex tam bona cauſſa effectus non poteſt eſſe, niſi bonus. Vident Beatorum multi è cælo animas amicorum ſuorum apud inferos, Chriſtus Judam, Jonathas Saülem, David Abſalonem, tranquilli tamen ac læti vident: nobis idem accidet, cùm in cælo erimus. Unde ea ex tam triſti ſpectaculo tranquillitas? Sciunt à Deo eſſe, & malum eſſe damnatis, non tamen malum in ſe, quia *bonus eſt Dominus, & omnia, quæ vult bonus, bona ſint neceſſe eſt.* Animæ in Purgatoriis ignibus ſummâ propenſione feruntur ad videndum Deum, nollent tamen obſcuros illos carceres I. A bono non niſi bonum.

exire,

exire, niſi per ſe alióſve, juſtitiæ divinæ ad libellam ſatisfecerint: quia ſciunt Deum aliter nolle, & bonum eſſe ſciunt, quidquid Deus vult.

II. Calamitatum genera duo.

Idem nobis, ex ejuſdem veritatis cognitione, faciendum eſt in hujus vitæ calamitatibus. Earum duo ſunt genera: aliæ enim ab ipſo Deo immediatè, ut vulgò loquimur, accidunt; aliæ, mediatè. Immediatè à Deo proficiſci dicuntur, quæ per cauſſas naturales & neceſſarias fiunt, ut ab aëre, à ventis, ab anni tempeſtatibus, à beſtiis: cujuſmodi ferè ſunt peſtis, ſterilitas, paupertas, ægritudinum para magna, inundationes, fortuita à fulminibus incendia, corporum animorumque intemperies improviſa. Inter mala à Deo immediatè obvenientia etiam illa connumero, quæ per dæmonem ejúſve artes infliguntur. Cùm enim dæmonem non videamus, quod nobis per illum accidit, facilè velut à Deo ipſo accidat accipimus. Præterea ſcimus, dæmonis arbitrio non omnimodam ad nocendum libertatem à Deo permitti, ſed malam ejus voluntatem reſtringi, colligatamque attineri canis inſtar, qui non incurrit, niſi quatenus ab hero ſolvitur. Vel ex Matthæi capite 8. id patet, ubi dæmonum legio per Chriſtum in porcos ingredi ſinitur: tum ut porcinorum ingeniorum homines intelligamus eſſe diabolo gratiſſimam ſedem: tum ut Chriſti potentia ex damno ingratorum Geraſenorum, & ex dæmonum ſupplicibus poſtulatis, agnoſceretur: tum maximè, ut diſceretur, nihil dæmoni licere in vilia animalia, multò minùs in homines, niſi Dei permiſſu. Alterum calamitatum genus eſt ab hominum mala voluntate, ſeu noſtrâ, ſeu alienâ: ejuſmodi ſunt, bella ex conſiliis Achitophelis, calumniæ à ſenibus Suſannæ inſidiantibus, lites à mendaci meretricula filium contubernalis ſuffurata, incendia ſegetum ab Abſalonis emiſſariis, cædes fratrum ab Abimelecho, aliaque ejuſmodi quotidiana.

III. Conformatio voluntatis in priore malorum genere.

In priore malorum genere difficile non eſt, ſuam cum divina conformare voluntatem. Cùm enim ibi nil videamus, niſi Dei providentiam, non dubitamus quin à bono bonum profluxerit, etſi ratio nobis ſit ignota: occurritque tunc nobis idem, quod Auguſtino: *Quidquid accidit contra voluntatem noſtram, noveris non accidere niſi de voluntate Dei, de Providentia ipſius, de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius: &, ſi nos non intelligimus quid, quare fiat, demus hoc ipſius Providentiæ, quia non ſit ſine cauſſâ.* Explicat hoc Dorotheus familiari ſimilitudine. Nactus fuiſti amicum verum, ſincerum, non curiæ, ut aiunt, ſed cordis, Jonathan alterum, à quo tibi mali nihil umquam, boni plurimum accidit. Is fortè tibi incommodum aliquod in ſpeciem poſtmodùm creat: an ideò excandeſcas, obmurmures, inclames, peccatum eſſe contra amicitiæ leges? Nonne potiùs ſic tecum diſputes: notus mihi eſt amici mei animus experientiâ diuturnâ, & certâ: conſtat mihi, id ab ipſo malum profectum non eſſe malâ mente: eſt in ſpeciem incommodum, at certè ex ipſius benevolentia, non dubito, quin commodum meum ſpectârit. Ecquenam Chriſto amicum meliorem, conſtantiorem, bonorum ſuorum liberaliorem largitorem invenias? Poſtquam te donavit ſemetipſo, & ſimul tot naturæ ac gratiæ bonis, aliquid corpori tuo aut animo affert incommodi. Conquerariſne? Iraſcaris? Mentem triſtitiâ torqueas? Animum deſpondeas? Fiduciam amittas? Caveſis; imò dic cum D. Polycarpo, quando ad imprecationes adversùs Chriſtum provocabatur: Octoginta ſex annis ipſi ſervivi, & nihil mihi mali fecit, & ego ipſi maledicam? Ita omninò eſt, nihil umquam nobis mali fecit optimus parens: aut ſi quid mali intulit, ad bonum retulit, adeoque bonum fuit.

IV. Expenditur à Chryſoſtomo.

Luculentiſſimè hæc ratiocinatio tractatur à Chryſoſtomo, libris tribus de Providentiâ, ad Stagirium inſcriptis. Nobili loco natus, abdicata re familiari, & ſpe dignitatum, in domum religioſam ſe abdiderat: ſed ibi elangueſcente ſenſim ſtudio pietatis, non ſat religioſè vixerat. Pœnas negligentiæ commeritus, repentè Dei permiſſu à Dæmone inſidetur, cùm officium divinum publicè perſolventibus adeſſet. Simul inviſus hoſpes domicilium corporis invaſit, & funeſtæ nigrarum cogitationum catervæ animum occupavêre. Redibat in mentem præteriti temporis recordatio: torquebat futurorum præcogitatio: gravis erat conſpectus familiarium: obſervabatur animo mœror parentum, ſi quà ad ipſos rumor de eventu tam triſti perveniret: aliorum lætitia triſte pectus comparatione aſſiduâ vulnerabat: angor, pudor, metus, tædium vitæ, deſperatio meliorum, miſeri juvenis viſcera perpetuò laniabant. Ut tot malis mederetur Chryſoſtomus, ponit primùm, à Providentia Dei accidere omnia: deinde, niſi ejus permiſſu dæmoni tantum non licuiſſe, cui ne in porcos quidem quidquam Chriſti injuſſu licuerit: tertiò, mores eſſe Dei, ut, bonis exercendis, calamitates vel ultrò immittat ipſe, vel ab aliis ſinat inferri: quartò, ex ipſius Stagirii malo bona multa elici, quòd minùs ſit diſſolutus, quòd aliis exemplo præeat, quòd in humili modeſtia ſe contineat: denique, quod caput eſt, id malum, qualecumque ſit, profectum à bono, & ad bonum finem, adeoque adorandam ex imis viſceribus, & amandam, quantum fieri poteſt, divinam Providentiam.

V. Oſtenditur in exemplis.

Proponi ſolent pro exemplis, digito Dei deſcriptis, Job & Tobias. Hic per cauſſas neceſſarias amiſſo viſu, *Non eſt tamen contriſtatus, quòd plaga cæcitatis acciderit ei, ſed immobilis in Dei timore permanſit.* Ille rebus omnibus dæmonis invidiâ, per cauſſas partim neceſſarias, partim liberas, ſpoliatus numquam dixit, *Deus dedit, diabolus abſtulit*: Sed conſtanter iteravit, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum*: ut advertit D. Gregorius libro 2. Moral. cap. 12. Alter D. Gregorius libro de Gloria Confeſſorum c. 24. illuſtre aliud exemplum profert in D. Monegunde. Dederat ei Deus filias duas formæ exquiſitæ, & amabilis indolis. Mater, & filias, & ſpecioſiſſimas, & pulchrè moratas, amabat unicè: iis curandis, educandis, ornandis, producendis, ſtudium & horas impendebat. Diſplicuit Deo ſolicitudo nimia, & virtuti noxia. Velut bonæ ſegeti oneroſas ſteriles plantas eradicari voluit: &, quia difficile erat niſi materia ipſa tolleretur, filiabus vitam auferre ſtatuit, ut & ipſis meliorem daret, & matri ſanctiorem. Utramque morbus invadit, ſimul mœror ingens pectus maternum, auctus in immenſum poſtquam vis mali, eluſâ medicorum arte, ægras ad extrema deduxit, & matrem ad triſtia funera. Quis illam hoc articulo flere vetuerit? Quis gemitum ex imo ducere? Quis pullis ædes veſtire, vultui tenebras inducere, ut animi ſui noctem indicet, utroque lumine amiſſo? Iſta maximè agentem, & naturæ jura ſolventem, ſubiit Chriſtiana & ſancta cogitatio. Ecquidnam agimus? Flemus filias: amiſſas utique; & eò profectas, unde rediturae huc non ſunt. Irrecuperabilis jactura eſt, & ipſarum, & doloris mei, qui ſine ſpe fructûs impenditur. Quid autem doleo? Quod Deus

voluit:

voluit : quod bonus fecit. Benè ergo voluit, & bonum fecit, qui nec voluntate falli poteſt, nec facto errare. Abſtulit meas, imò repetiit ſuas. Præſcidit vitam, quam dederat : evocavit animas, quas miſerat : liberavit, quas incluſerat : innoxias adhuc, & peccare neſcias, aut graviorum ſaltem noxarum puras, eripuit occaſionibus peccandi. Quàm multis longa vita æternæ mortis fuit initium? Quidquid ejus rei ſit : certè filias meas mori Deus voluit, & bonus voluit, & benè voluit : & mala ſim ac mihi malè velim, niſi optimæ voluntatis ſapientiſſimæque rationis decretis acquieſcam. Dixit ſapienter, fecit fortiter. Exterſis lacrymis, præfocato dolore, in unam Dei voluntatem intenta, vale longum curis familiaribus fecit, quarum cauſſas amiſerat : cum ancillula unica ſe incluſit : reliquum vitæ ſanctè egit, & ſanctè mortua filias accepit, & ab ipſis recepta eſt eo loco, ubi ſola Dei voluntas regnat, & voluntates omnes Beatorum æternâ tranquillitate continet.

VI. Difficultèr Deus adſpicitur, ubi malitia humana intervenit.

Non difficile equidem, ais, ubi malitia hominum nulla intervenit, Deo ſtatuenti acquieſcere. At ubi peccata partes ſuas agunt, ubi nequitia intercurrit, hoc opus hic labor eſt. Inimici capitalis odia malum mihi creavêre : rivalis injuſti ambitio inquieta me de gradu deturbavit : invidia lividi æqualis ſperatam dignitatem de manibus meis extorſit : avaritia vicini lites mihi de finibus fecit : negligentia famuli amiſſæ ſunt ſegetes, arsêre villæ, periêre pecora : impotentes domini miſerum ſubditum depauperavêre, milites ſpoliavêre, latrones diripuêre : ipſe ego intemperantiâ meâ morbos mihi acceſſivi, peccatorum veterum novas quotidie pœnas à me invitus repeto. Inter tot peccantium voluntates quo pacto divinam voluntatem adſpiciam? Bona hæc ſit, & bonum velit, ac faciat : at hæ malæ ſunt, malumque volunt & faciunt. A Deo tu iſta eſſe dixeris, quæ peccata ſunt, & Deum mali auctorem feceris? Cur ergo Davidis illud laudatum : *Melius eſt mihi incidere in manus Dei, multæ enim miſericordiæ ejus ſunt, quàm in manus hominum?*

VII. Mali Culpæ, & Pœnæ.

Ut huic difficultati ſatisfiat, Theologi paſſim in peccato diſtinguunt mala duo, Culpæ unum, alterum Pœnæ. Culpæ malum, inquiunt, Deus directò & abſolutè velle non poteſt, permittit tantùm, & utique non permittit, niſi volens permittere. Malum pœnæ, cum culpa conjunctum, planè & directò vult. Geneſis cap. 4. Abel cum Caino prodit in agrum, poſtquam Deus reſpexit ſive inflammavit ſuper munera ejus, Cain invidiâ turbatus in Dei providentiam invehitur, ut narrat Hieroſolymitanus paraphraſtes. Contra loquente, ut oportuit, Abelo, jurgium enatum, & ferocior ac fortior primogenitus mactat ſecundogenitum, quem idcirco aiunt vocatum Martyrem Providentiæ divinæ. In eo Caini peccato ſpectanda duo ſunt : Primum, culpa homicidii, quam cæde fratris contraxit ; Deo, etſi poſſet impedire, nolente tamen : permittente itaque, & permiſſionem volente ob cauſſas juſtiſſimas. Alterum eſt pœnæ malum, quod ex Caini culpa tranſit in Abelem : diffractio capitis, vulnus, mors. Culpa manet in Caino : Pœna eſt in Abele. Hanc Deus omninò voluit, id eſt, damnatâ cauſsâ probavit effectum.

VIII. Voluntas Dei quas in peccato partes habeat.

Rem eamdem alii alio modo explicant. Tria conſiderant ex parte Dei, Voluntatem permittendi peccati, Cauſſam permittendi, Voluntatem cooperandi. Crimen ſine dubio vult Deus permittere : quia, ſi mallet impedire, multis viis poſſet. Habet cauſſam permittendi ob fines optimos, quos in Excurſu ad caput primum primi Machabæorum libri expendimus : neque enim optimus Deus de bono ſineret fieri malè, niſi omnipotens de malo facere poſſet benè. Denique accedit voluntas Dei cooperatrix : nam creatura ſine Deo neque intelligere poſſet, nec velle, nec ſe commovere, ut malè ageret. Ita Drexelius noſter explicat in Heliotropio : nos in hiſtoria D. Remigii rem planam fecimus. Coemerat frumenta, & horrea impleverat, ut pauperibus in fame ventura, quam Deo monente inſtar alterius Joſephi prævideraт, ſubvenire poſſet. Nebulones aliqui, ſenem avarum & ſuppreſſorem frumentorum increpantes, horrea incenderunt. Evocatus ad incendii nuntium D. Remigius, inſcenſo equo accurrit, ſed ſerò, exuſtis acervis omnibus, proſtratis igne horreorum culminibus, & humi ardentibus. Nihil ad tam fœdum ſpectaculum commotus, ut erat compoſitiſſimæ ad divinam voluntatem mentis, & lepidi etiam inter triſtia ingenii, exſcenſo equo, expanſiſque ad trabes ardentes manibus : calefaciamus, inquit, commodus enim eſt omni tempore ignis, ætati præſertim ſenili, & à craſſioribus lignis. Tantum incendiariorum crimen Deus permittere voluit : ſi noluiſſet, cogitationes eorum & conſilia aliò divertiſſet. Deinde cauſſam permittendi optimam habuit, exercitationem patientiæ, & tranquillitatis exemplum ſingulare in D. Remigio. Denique acceſſit voluntas cooperandi, citra quam incendiarii neque actum voluntatis elicuiſſent ; nec manus moviſſent, ad faces & paleam flamis miniſtrandam ; nec flamæ ipſæ vim urendi habuiſſent magis, quàm in fornace Babylonica. Totum itaque iſtud incendium à Deo fuit, licèt peccata intervenerint.

IX. Deus calamitatum omnium cauſſa prima.

Clariſſimè ad mentem meam, & ſolidiſſimè, partes Divinæ voluntatis in hominum peccatis, alteri nocentibus, demonſtrat noſter Theophilus Bernardinus libro 11. de Perſeverantia cap. 4. hunc ferè in modum. Cogitandum eos, qui quacumque nos ratione impetunt & offendunt, duas velut perſonas exhibere : unam, quà obeſſe nobis volunt ; alterã, quà obeſſe poſſunt. Quà injuſtè nocere volunt, hominũ perſonã gerunt, malorum, & peccantium, divinæque voluntati peccando contranitentium. Quà nocere poſſunt, inſtrumenta ſunt Dei, concurſum potentiæ ſuæ, ad noſtram caſtigationem vel exercitationem, perverſæ voluntati accommodantis. Itaque ipſi malorum noſtrorum ſunt ſolummodò cauſſa ſecundaria, &, ut loquimur, inſtrumentalis : Deus autem eſt cauſſa prima & motrix. Prorſus ut in pictoria artifex ſe habet erga penicillum, & in fabrili operarius erga malleum. Nec refert quod homo, qui peccato ſuo alius noxius eſt, utatur etiam voluntate ſua, ſponteque ac liberè noceat : nam & ipſam malam hominis peccantis voluntatem, etſi Deus prohibet ac damnat, permittit tamen, & permiſſam ad opus ſuum adhibet, inſtar inſtrumenti.

X. Ita Scripturæ loquuntur.

Majúsne umquam crimen Chriſticidio fuit? De Chriſti tamen Paſſione Deus ipſemet dicit Iſaiæ cap. 53. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Non dicit, percuſsère Sacerdotes invidiâ, percuſſit Cayphas conſilio, percuſſit Judas proditione, percuſsêre Judæi linguâ, percuſſit Pilatus injuſtâ ſententiâ, percuſsêre carnifices crudelitate : ſed ego *percuſſi eum.* Quia ſcilicet in Chriſti Paſſione Deus primus erat actor & motor, qui tot perverſas & impias hominum voluntates, velut optimæ & ſapientiſſimæ Providentiæ inſtrumenta

admovebat

admovebat ad Filii ſui cruciatum ſimul, & ad ſalutem Univerſi. Dubitari non poteſt, quin peccata plurima in bellis aut inchoandis, aut ducendis, partes ſuas agant. Bella tamen ſibi Deus tribuit, quaſi cauſſæ primariæ: quia quidquid in bellis agitur, ejus juſtitiæ ſervit in puniendis populorum criminibus, & miſericordiæ in corrigendis. Ambitio Chaldeos in Judæam immittit: eâ utitur vindex Deus ad caſtiganda Judæorum peccata, idque Ezechieli oſtenſum in curru, multiformibus animalibus juncto, cujus habenas vindicta divina moderabatur. Apertiùs id à Michæa pronuntiatum c.1. *Deſcendit malum à Domino in portam Ieruſalem.* Ain' tu à Domino veniſſe? Nonne ab injuſta potiùs Babyloniorum cupiditate profectum eſt? Imò & à Babyloniis venit malum, ut à cauſſa inſtrumentaria: ſed à Deo accidit, velut à cauſſa primaria. Eâdem ſententiâ Habacuc cap. 1. poſt longas de infælicitate populi ſui querimonias, & de Chaldaicæ gentis victoriis, velut ſibi ipſi reſpondens: *Domine*, inquit, *in judicium poſuiſti eum, & fortem* Chaldæum, *ut corriperes* Judæos, *fundaſti eum.* Eò ſemper reditur, hoſtes inſtrumenta Dei eſſe, juſtè & miſericorditer vindicantis: quia mala quidem voluntas nocendi ab ipſis eſt, at poteſtas nocendi non eſt niſi à Deo, illam concedente ob fines optimos, quia optimus eſt. Similem in modum cap. 2. deſcripta obſidione Babylonica per Darium & Cyrum, ubi latrocinia, homicidia, ſtupra, aliaque innumera flagitia contigêre, ait, *Numquid non hæc ſunt à Domino Deo exercituum?* Hæccine, inquis, à Deo? Tot mala ab optimo? Planè ab illo ſunt, non quà peccata, ſed quà noxia. Malæ & injuſtæ voluntates, ambitioſorum Regum, cruentorum ſatellitum, luxurioſorum militum, inſtrumenta fuêre optimæ ac juſtiſſimæ voluntatis.

XI. Dei manus in omnibus aſpicienda. Hinc ad uſum noſtrum colligamus; Primò, quidquid nobis eveniat negligentiâ, ignorantiâ, imprudentiâ, malevolentiâ alienâ vel noſtrâ, ſtatim convertendos ad Deum oculos, velut ad motorem primarium. Deus hoc permiſit, nec permiſit niſi volens permittere; eaque permiſſione ob juſtas cauſſas poſita, malo ipſo bonus ad bonum utitur: admovet errores meos & alienos ad utilitatem meam, velut artifex inſtrumenta operi perficiendo: ſinatur operatius ſapientiſſimus efficere quod cupit, & quibus videtur inſtrumentis. Nihil agent, niſi quatenus movebuntur à doctiſſima manu, & aliquid ſe dignum, nobis commodum, producturâ, niſi opus ipſum nodoſæ voluntatis obſtinatione reſiſtat opifici. Apud Theodoretum in Vitia Patrum cap. 21. Dæmoni plagas comminanti Jacobus Anachoreta, percute, inquit, ſi tibi permiſſum eſt, percute: lubens accipiam verbera, quia ab eo accipiam, qui feriri me permiſit. Si autem id tibi permiſſum non eſt, inſanias licèt, nunquam percuſſeris. Facilè id quidem, ut antè diximus, de dæmone intelligitur, nîl facere niſi Dei permiſſu. Sed, ſi attendimus, idem in aſſeclis dæmonum peccatoribus agitur: non nocent, niſi quomodò, & quatenus, à Deo ſinuntur. Eam ob cauſſam apud Paullum Diaconum lib. 23. Irene Imperatrix de ſolio per ſervum deturbata, identidem ingeminabat: Gratiæ Deo, quòd indignam me ad imperium evexerit, gratiæ etiam quòd me dejecerit: ab ipſius manu & hoc & illud fuit; illud immerenti collatum, hoc inflictum promeritæ. In omnibus autem bonis, & malis, Sit nomen Domini benedictum.

XII. Vindicta nō coquenda. Secundò, diſcamus non indignari adversùs inimicos, non vindictam coquere, non malum malo rependere. Si enim inſtrumenta Dei ſunt, tantumdem illis iraſcendo fecerimus, quantum ſtultus, qui virgis cæſus non appetit cædentem, ſed magnificè ſeſe ultum putat, ſi virgas admordeat & diffringat. Aut, quæ vulgaris ſimilitudo eſt, à Dorotheo ad rem noſtram adhibita, Doctrinâ ſept. canum inſtar erimus, qui lapidibus appetiti, omiſſo jaculatore, ad lapidem admordendum excurrunt. Sic miſer Saül à Deo deſtitutus, non adſpicit Dei juſtam manum, non oſculatur, non adorat: ſed nunc bilem ſuam egerit in Davidem, nunc in Jonathan, nunc in Achimelechum: prorsùs ut homo mergens obvia quæque apprehendere, & ſecum trahere ſolet. Sic etiam lib. Regum 4. cap. 6. Rex Samariæ, invaleſcente fame, non intuetur auctorem Deum, ſed in Eliſæum invehitur, juratque filio Saphath caput reciſum iri. Contrà ſapientiſſimè & ſanctiſſimè David lib. Reg. 2. cap. 16. ab homine maledico convitiis appetitus, *Dominus*, inquit, *præcepit, ut malediceret.* id eſt, malâ ejus voluntate ad pœnam meam utitur. Eumdem in modum Joſephus Geneſis cap. 45. fratribus ait, *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Non equidem neſciebat de ſe occidendo, in ciſternam demittendo, Madianitis negotiatoribus in Ægyptum tendentibus vendendo, conſultaſſe: ſed Deum etiam ſciebat eorum impia conſultatione uſum eſſe, tamquam malo inſtrumento bonum opificem. Explicatiùs loquitur cap. 50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Quando nocere voluiſtis, veſtro animo ſervîſtis: at cùm nocendi poteſtas acceſſit, non vobis ipſi ſervîſtis, ſed Deo, alios longè fines gloriæ ſuæ, virtutis meæ, utilitatis veſtræ, cogitanti.

XIII. Licet tamen denfenſio, & quatenus. Tertiò notandum: etſi vindicta non liceat homini Deum attendenti, juſtam tamen defenſionem licere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut ſcholæ loquuntur: id eſt, quatenùs neceſſe eſt, ut vitam bonáve tua, quæ injuſtè impetuntur, conſerves. Honorem tuum, famam, bona, vitam inimicus aggreditur: reſiſte, nec metue ne reſiſtendo contraeas voluntati Dei. Quemadmodùm enim, cùm ægrotas, medicos & medicamenta adhibes, quia ſcis Deum voluiſſe ut ægrotares, neſcis an te ſanari nolit. Ita in malis per hominem inflictis, ſcis Deum voluiſſe ut illa exciperes, neſcis an velit ut in illis perſeveres. Itaque defende te, quà juſtum eſt: poſteaquam id feceris, ſi malum perſeveret, tunc tibi conſtabit & hoc Deum velle, adeoque ejus voluntati acquieſces.

XIV. Solida afflicti conſolatio. Quia doctrina iſta maximi momenti eſt, ut uſus ſit clarior, fingamus adeſſe nos conſolatores calamitoſo alicui, cum utroque, quod notavimus, genere miſeriarum conflictanti. Æſtu febrem contraxit, quod malum à Deo immediatè eſſe diximus: falſis teſtimoniis de patrimonio deturbatus eſt, quale malum mediatè à Deo proficiſcitur. Poſt voces amoris & miſericordiæ teſtes, ſuaviter monemus, ut Deum attendat: à quo æſtus & hyems, ſanitas & ægritudo, vita & mors. Facilè, inquit, à Deo intelligo, morbum eveniſſe: nec mihi id tantopere dolet, quando ſummi Domini, juſtam & benignam manum, vel plectentem, vel exercentem adſpicio. At facultatibus meis peſſima hominum voluntate excidiſſe, id verò moleſtiſſimè fero. Atqui, mi homo, tam tibi à Deo paupertas hæc accidit, quàm ille morbus. Itane verò, inquit, à Deo juſtiſſimo & optimo juſtitia & peccatum acciderint? Peccatum, inquam, Deus non vult: ſed pœnam ex illo inflictam voluit. Inſtrumento malo uſus eſt, uſus tamen. Tu

inſtrumentum

inſtrumentum ne intueare, ſed manum artificis. Si quis te chirothecâ verberârit, trahâſne chirothecam in jus; an verberantem? Diſputa ergo & contende cum Deo, & de illo, ſi audes, conquerere. Equidem, inquit, de Deo non queror, ſed de hominis mala voluntate: ferre illam nequeo, non concoquere. O bone, hominem ſemper intueris: ego ad Deum oculos tuos avoco. Quid voluntas humana potuit? Undè? Quamobrem? Permiſſione divina, imò & cooperatione potuit: ſi divinâ, ergo optimâ, laudabiliſſimâ, amabiliſſimâ: ergo malè querimonias multiplicas, & excandeſcis, & vindictam coquis. Ut quidem loqueris, inquit, adversùs injuſtè rapientem, accuſantem, ferientem defendere me non liceat. Non hoc dico: Deus impeti te voluit, neſcis an ab impetente nolit te liberari: interim defendas te licet, ſed modeſtè, tranquillè, Chriſtianè, ſine ſtrepitu iræ, ſine conatu vindictæ, non ut malum inferas, ſed ut malum repellas, ſi Deus volet. Si autem Deus nolet, & defenſioni tuæ negabit efficaciam, conquieſce, & illud apud te recole, damnando cum Auguſtino injuſtam voluntatem, glorificando juſtam permiſſionem: *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertet illud in bonum*: &: *Quis eſt, qui nobis noceat, ſi boni æmulatores fuerimus?*

SECTIO SECUNDA.

Alterum bonæ voluntatis officium, *Fidere Providentiæ divinæ in malis quibuſlibet.*

I. *Fiducia quando habenda.* Reſignatio in Dei voluntate, ut jam loquimur, aliud nil eſt, quàm tranquilla & obediens acceptatio omnium eventuum, qui à divina Providentia contingunt, ſive perfecta conformatio voluntatis noſtræ cum divina in rebus omnibus, quæ vel nobis ipſis, vel ſanguine amicitiáve conjunctis accidunt. Etſi ea virtus etiam in bonis de manu Dei accipiendis exercetur: quia tamen id difficile non eſt, & impii ipſi divinæ voluntati ſe conformant, confitenturque illi cùm benefecerit eis: ideo Reſignatio ſeu Confirmatio tunc propriè ſpectari ſolet, cùm calamitatibus à Deo, per ſe vel per homines illatis, acquieſcimus. Eodem modo hîc loquimur de Fiducia, quàm Providentiæ divinæ debemus. Semper illi fidendum, ſive in proſperis ſimus, ſive in adverſis: cogitandumque, à paterno ipſius affectu & hæc, & illa ad utilitatem noſtram proficiſci. Sed quia ſpes læto tempore facilis eſt, triſti difficilis, de iſta nunc tantummodò agemus, alibi de alia.

II. *Periclitatur in tempeſtate.* Apud Marcum cap. 6. Apoſtoli tempeſtate jactati vident Chriſtum ambulantem ſuper aquas, & rati phantaſma eſſe, præ timore exclamant. Itane verò, tam probè cognitum, & familiarem vobis Dominum pro phantaſmate haberi? Neſcitis morti imperaſſe? Non interfuiſtis modò mirandis panum multiplicatorum epulis? Qui naturæ & morti imperârit, imperare fluctibus non poſſit? Sed nox erat, & tempeſtas: inde turbato & obtenebrato judicio, Chriſtus phantaſmatis inſtar viſus eſt. Eumdem in modum Chriſtianis ſæpiſſimè accidit. Vident Chriſtum, & agnoſcunt, quamdiu tempeſtas non eſt. At poſtquam tenebræ ſeſe intendêre, & procellis quaſſa eſt navicula, tunc ſimul fiducia concutitur: nigra phantaſmata, dejectio animi, deſperatio meliorum, aliæque tenebroſæ cogitationes mergunt judicium, & voluntari naufragium minantur. Quid autem timidi eſtis

modicæ fidei homines? Quia extrema rerum facies mutavit, Deum ſimul mutaſſe arbitramini? Neſcitis, procelloſo cælo pariter ac ſereno, Deum eſſe ſemper ſuorum patrem, ſemper bonum? Amovendæ igitur diffidentiæ omni inter quantaſlibet miſerias, Chriſtiana mens, peccati gravis ſibi non conſcia, hæc ſolùm perpendat certiſſimæ veritatis argumenta: Deus pater eſt, ergo non caſtigat niſi ad bonum filii: Deus pater eſt, ergo non recuſabit, quod rogabitur, ſi eſt ad bonum filii.

Perpendi illud volebat Auguſtinus in Pſalmum 54. *Gaudes? Agnoſce patrem blandientem. Tribularis? Agnoſce emendantem. Sive blanditur, ſive emendat, eum erudit cui parat hæreditatem.* Abſit ut illum carnificis inſtar habeas, cui ſolum officium eſt, reos torquere: aut malis noſtris ipſum gaudere exiſtimes, velut Adonibeſecum præſectis captivorum manibus oculos paſcentem, Neronémve ad incendiorum ſpectacula plaudentem, aut alia tyrannorum monſtra, quibus voluptas ex alieno malo quærebatur. Cùm puer eſſes, ſi patrem animi paterni habuiſti, expertus es, quod ait Auguſtinus, nunc blandum, nunc ſeverum, prout utilitas tua poſtulabat. Laudavit te, muneratus eſt, extulit, ut ad benè faciendum animaret. Reprehendit, caſtigavit, depreſſit, non ut malo tuo lætaretur, ſed ut à malo te avocaret. Narrat Epiſcopus Barbaſtenſis Nuza Tomi 1. tractatu altero, parte 2. viſum à ſe Illuſtriſſimum Comitem, qui à filio graviter offenſus, quia ille jam magno natu erat, & pueriles caſtigationes emerſerat, ut tamen teſtaretur quid commeritus eſſet, ipſius effigiem, præſentis ac ſpectantis, laceravit. Ita optimus Pater cæleſtis agit cum filiis immorigeris: ut animam errantem officii ſui moneat, & ſervet, effigiem lacerat, id eſt valetudinem, facultates, honorem. Quid enim iſta ſunt, quàm, quod Tertullianus de corpore dicebat, *Statua titulo hominis inciſa?* — III. *Paterna caſtigatio.*

Moſes de Joſepho, Salvatoris noſtri & parentis optimi expreſſiſſimâ figurâ, loquens Deuteronomii cap. 33. hunc in multis titulum habet: *Cornua rhinocerotis, cornua illius.* Ubi advertendum, rhinoceroti cornu ſitum eſſe infra oculos, non ſupra ut tauro: ideoque non ex cæco impetu ferire, ſed ex deſtinato, videreque quid petat. Notandum item, rhinocerotis cornui vim medicam ineſſe adversùs venena ac peſtes: quod enim monoceroti tribuitur id rhinoceroti dandum, cùm alius non ſit monoceros. Cornua Dei cornua ſunt rhinocerotis. Videt quem feriat, ubi percutiat, quorſum vulneret. Fortuita plaga non eſt, cæco more non infertur, ex deſtinato & altiſſimo conſilio accidunt omnia. Quod caput eſt, cornua Chriſti medicâ vi pollent, & plurimum proſunt rectè utentibus. — IV. *Oculata & medica.*

At quæ bona, inquis, ea calamitate oriantur? Totidem quot à cornu rhinocerotis, purgatio venenorum, & exinde valetudinis conſervatio: ut prætermittam, quæ alibi expono. Breviter illa comprehendit Auguſtinus libro 1. de Civit. eleganti ſententiâ. *Habet familia veri Dei conſolationes ſuas non fallaces: bonis terrenis tamquam peregrina utitur, non capitur: malis verò aut probatur, aut emendatur.* Notiſſimâ ſimilitudine ad eam expurgationem, emendationemque ſignificandam utitur Sapiens cap. 3. *Tamquam aurum in fornace probavit illos*; id eſt, electos ſuos Dominus malorum ſenſu, ſicut aurifex ignibus metalla, excoquit. Addit deinde aliam non minùs congruam imaginem: *Et quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* In proſperitate probus homo offert ſe Deo quidem, ſed ferè velut hoſtiam pacificorum, partem ſui ſervans ſibi, — V. *Bona ex malis.*

commodis ſimul ſuis & obſequiis divinis intentus. At in adverſitate holocauſta ſumus, & omnia Deo dare conſueſcimus, eò faciliùs, quòd nobis amareſcunt, quæ antè ſapuêre. Oſee cap. 5. dicit Deus, *Effundam quaſi aquam iram meam.* At numquid ſignificantiùs Ira divina fulmini, tempeſtative, aut incendio, quàm aquæ comparetur? Caſtigationem paternam hîc intellige, inquit Rupertus: *quia ſicut aqua viſibilis mundare ſolet ſordes corporeas, ita illa captivitas* Hebræorum per Aſſyrios *mundavit populi peccata.*

VI. Magiſtra virtutis calamitas.

Ephraim, id eſt frugifer, cùm in poſſeſſionibus ſuis quietus habitaret, boniſque afflueret, à Deo receſſit. *Ephraim,* inquit Oſee cap. 9. *quaſi avis avolavit.* At verò captus ab hoſtibus, extorris, paupertie & ignominioſa ſervitute oppreſſus, ad ſaniorem mentem reverſus eſt, Jeremia teſte cap. 31. *Audiens audivi Ephraim tranſmigrantem: caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus.* Juvenculi laſcivientis, & avis avolantis, columbæque ſeductæ inſtar erat Prodigus Evangelicus, quem pauperies & fames jugo aſſueſecêre, & ad paternam domum reduxêre. Exituris ex Ægypto Iſraëlitis non modò mare miraculo patuit, ſed etiam viſus maris alveus exhibere hortum floriferum: ita Sapiens innuit cap. 19. *In mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* quod forſan naturaliter factum cùm maria multis locis plantas plurimas alant. Hæsêre nihilominus Iſraelitæ dubii, an tale invitamentum ſequerentur, ut notat Gloſſa in Pſalmum 105. *Et irritaverunt aſcendentes in mare rubrum.* Donec à tergo incubuit Pharao, & terrore impulit dubitantes. Proſperitate invitat ſuos Deus ad terram promiſſam: ſed hærentes, & Ægypti adhuc memores, imminente & irruente à tergo Pharaone, id eſt, calamitate aliqua repentina urgentur, relictoque vitio tranſeunt ad virtutem. Ita Auguſtinus libro 1. contra Academicos ait, Romanianum Licentii patrem, cùm fœlix eſſet, non auditurum fuiſſe, ſi quis eum ad æterna invitaſſet: nunc ad illa ultrò adſpirare, miſerias expertum.

VII. Idem declaratur.

Chryſoſtomus homilia 62. ad populum Antiochenum, ex illa Eccleſiaſtæ ſententiâ cap. ſept. *Melius eſt ire in domum luctus, quàm in domum convivii,* domos duas deſcribit; unam, ubi nuptiæ celebrantur, alteram, ubi exequiæ. In illa ingluviem, intemperantiam, inſana tripudia, verba laſciva, aliaque ejuſmodi regnare: neque enim ubicumque nuptiæ fiunt, adeſt ſemper D. Virgo, cum filio & diſcipulis ejus. In hac contrà ſpectari ſobrietatem, ſeveritatem, modeſtiam, verba compoſita, orationem, aliaſque virtutes, quarum docendarum artifex optima eſt adverſa fortuna. Daniel cap. 11. Hebræis impendentia plurima mala vaticinans: *Cadent,* inquit, *in gladio, & in flama, & in captivitate, & in rapina dierum.* Quo autem fine? *Vt conflentur, & eligantur, & dealbentur uſque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.* Itaque meritò intrepidus inter minas Lucifer Calaritanus, libro de non parcendo in Deum delinquentibus ad Conſtantium: *Si torques,* inquit, *magis curamur: ſi crucias, magis reficimur: ſi interficis, magis vivemus.* Erigat potiùs Chriſtianum, quàm abjiciat calamitas, ut ait Cyprianus libro ad Demetrianum Proconſulem: *Ille mæret & deflet, ſi ſibi male ſit in hoc ſæculo, cui benè non poteſt eſſe poſt hoc ſæculum.*

VIII. Alterna fortuna.

An ergo in calamitoſos meliorem fortunam deſiderare ac poſtulare vetueris, ſi tantum ex malis bonorum eſt? Non equidem id velim. Imò eos damno, quibus infortunia animos dejiciunt, & omnem de melioribus cogitationem præfocant: homines modicæ fidei, ignarique alternarum viarum, per quas ſapientia divina ſuos ad alta virtutum ſolet perducere. Non neſciebat Sara Raguelis filia, cùm Tobiæ cap. 3. ſupplicabunda Deo diceret: *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Experta erat Anna Samuelis mater 1. Regum 2. quando concinuit Dominum mortificare primùm, dein vivificare. Origenes homilia 1. in illud Jeremiæ c. 1. *Conſtitui te, ut evellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes: Obſervavimus,* inquit, *in Scripturis ſacris, ſemper ea quæ videntur triſtia antè nominari, deinde quæ lætiora.* Idem notat Baſilius in illud Pſalmi 29. *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* Ubi primùm iram audis, tum vitam: primùm indignationem, dein voluntatem, id eſt benignum ac pronum benefici Numinis affectum.

Itaque iram Dei ſentis? Clementiam exſpecta & vitam. In bello es? Cogita morem Providentiæ divinæ, & ad pacem aſpira. Humiliaris? Cogita exaltationem. Ægrotas? Spera ſanitatem: *Spera in eo, & ipſe faciet:* & tum quidem maximè faciet, cùm minimè fieri poſſe videbitur; ut numquam magis quàm rebus deſperatis ſperandum ſit, quod alibi oſtendimus. Non audis ipſummet invitantem Pſalmo 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Neſcis quod Chryſoſtomus ait in hunc verſum Pſalmi 114. *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi?* Quemadmodùm mater infantulum, longiùs recedentem, exterret, aut exterrendum curat, ut revocet: ita Deum calamitate uti, ad vocandos in ſinum ſuum homines, alioquin ad rerum inanium ludibria pueriliter ſectanda aberraturos. Non meminiſti Ezechiæ lib. 4. cap. 18. & 19. quomodò ad Deum recurrat, & coram illo literas hoſtiles, & ſimul orationem ſuam expandat, iſtud ſemper in animo fovens, *in Domino Deo noſtro habemus fiduciam?* Non ſuccurrit tibi exemplum Chriſti in horto, & in Cruce orantis, Patremque blandiſſima appellatione invocantis, non autem Judicem aut Dominum: licèt ipſe peccatoris perſonam exhiberet, ideoque ſupplicia noſtra exſolveret, iraſque & pœnas Domini contra ſe militantes undique contueretur. IX. Recurrendum ad Deum.

Oravi, inquis, & in eodem luto ſemper hæreo. Quieſce itaque, & mane ſecurus, ubi te Deus poſuit. Cave ejus providentiæ obmurmures. Dic cum Auguſtino in Pſalmum 102. *Sæviat quantum vult, pater eſt. Sed afflixit nos, ſed contrivit nos, pater eſt.* Benevolè ſævit, miſericorditer affligit, amanter conterit. Illuſtriſſimum in eo genere eſt, quod D. Joanni Eleëmoſynario, & civi cuipiam Alexandrino accidit. Dederat hic illi ſeptem auri libras & dimidiam, ut filium ſuum annorum quindecim, cum mercibus navigaturum, Deo commendaret. Poſt dies triginta nuntiatur mors filii, & mercium jactura. Perculit Joannem triſte nuntium: & cum patris orbati vultum non ſuſtineret, ex domeſticis ſuis unum mittit, qui ſoletur. Sed ſolatia omnia reſpuebat doloris atrocitas. Donec viſus illi in ſomnis Joannes, monuit, ut fletum deſineret: vitam enim filii deſideraſſe, qui jam vitam viveret immortalem. Tam læto nuntio exterſa parenti mæſtitia omnis: & poſtridie manè ad Joannem adiit, gratiaſque impensè egit. Iſtud in Vita D. Joannis fuſiùs narratum invenies, & exſcriptum apud Drexelium ſub finem Gymnaſii Patientiæ. X. Recuſat ut det.

Pſalmo

XI. Calamitas ventilabrũ & torcular.

Pſalmo 43. ubi nos legimus, *Dediſti nos tamquam oves eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos*, Symmachus & Aquila vertunt, *Et in gentibus ventilaſti nos.* Ponderat ibi hanc vocem Ambroſius: *Sicut triticum ſi ventilatur, & à paleis ſeparatur, mundum eſt; ſi autem ventilatum non fuerit, mundum eſſe non poterit. Ita homo niſi fuerit tentationibus ventilatus, fragilia quæque, veluti paleas, à ſe non poteſt ſeparare.* Eamdem ob cauſſam D. Joannes Matthæi cap. 3. Chriſtum agricolæ vannum tenenti & agitanti comparat, *cujus ventilabrum ejus in manu ejus.* David de ſe & de Chriſto loquens Pſalmo 55. *Conculcavit me homo*, inquit, *tota die impugnans tribulavit me.* Ubi id factum? In Geth urbe Palæſtinæ, ut patet ex titulo Pſalmi: Geth autem torcular ſignificat. Unde piè more ſuo Auguſtious: *Tenetur in torculari corpus Chriſti. Quid eſt in torculari? In preſſuris. Sed in torculari fructuoſa preſſura eſt. Uva in vite integra eſt, preſſuram non ſentit, ſed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, injuria videtur fieri uvæ: ſed iſta injuria ſterilis non eſt: imò ſi nulla injuria fieret, ſterilis remaneret.* Verùm de calamitatum fructibus tum alii multi tractavêre, tum nos ipſi alibi agimus ex profeſſo. Et verò experientia quotidiana plurimos oſtendit, quibus ad meliorem ac ſanctiorem vitam fruſtra fuerant cætera, niſi malorum incumbentium ſenſus acceſſiſſet, impuliſſetque tergiverſantes.

XII. Exemplo oſtenditur.

Unum de multis produco, quem Spondanus exhibet ad annum 1402. Hominum nemo Roberti Scotiæ Regis filium Davidem virtute informare potuerat. Voluptatum amator, prodigus, honeſti omnis negligens, inverecundus vitiorum jactator, minis juxta ac blanditiis flecti neſcius, monitorum omnium contemptor, verbo ſcurra purpuratus, ſpem omnem mentis melioris amiſerat, niſi ingenium malis molleſceret, & annis miteſceret. Itaque parens, deſperatâ curatione, eum longè à ſe ablegat ad patruum, propè Caledonios montes in arce ſemota habitantem, commendatque, ut ſeverè cohibeatur, donec ætas animum fortè mutaverit. Patruo jucunda fuit occaſio tam prompta, & obvia, explendæ ambitionis ſuæ, quâ regnum jampridem devorârat, obſtanteſque ſibi filios fratris tollere aliquâ de medio ſtatuerat. Eum igitur in arctam validamque turrim compingit, ſecluſo famulitio omni, appoſitiſque circùm ad portas cuſtodibus, qui acceſſum prohiberent, caverentque, ne cibi potuſque quidquam penetraret: ſublato primogenito, fratruelium aliorum cædem ſibi facilem fore, paratumque regnum, arbitratus. Ita fame enectus adoleſcens brevì vitam amiſit: alimentorum quidquam inferre auſo nemine, præter fœminas duas, puellam unam, alteram nutricem ruſticanam. Illam ferunt filiam fuiſſe unius ex tyranni domeſticis, & panis fruſta, inter reticulum capitis ac crines abdita furtim ex contiguo horto, per ſpiramenta, in carcerem demiſiſſe. Hæc, viâ eâdem, è mamillis lac per tubulum diſtillabat in os captivi. Sed utraque, paucis diebus deprehenſa, extremo ſupplicio luit, barbarâ caritatis mercede. Deſtitutum auxilio omni regium Principem miſerrimè periiſſe diceres. Sed auxilio divino carebat, niſi humano caruiſſet: perditus erat, niſi ſic periiſſet. Compedito, ſqualido, languenti, ſordibus obſito, tenebris obruto, numen affuit, lumen in pectus infudit, vincula quibus animus tenebatur oſtendit, vitæ anteactæ horrorem dedit, captivo corpore animam liberavit. Adeoque ſua illi calamitas profuit, ut teſtandæ ſanctimoniæ poſt mortem plurima miracula ad ejus tumulum, nam hunc patruus non inviderat, patrata perhibeantur: neque antè deſiſſe, quàm Jacobus Scotiæ Rex, minor natu frater, movit in patruum parricidam, pœnaſque de facinore expetiit. Numquid tibi de eo Principe dici poſſe videntur verba Paullini de Melania, viduâ ſimul & orbâ, epiſt. 10. *Miſer factus eſt, ut efficeretur beatus; percuſſus eſt, ut ſanaretur?* Ita ſunt filiorum Dei infortunia: ſeminatur calamitas, ut metatur fœlicitas: infliguntur vulnera, ut firmetur ſanitas.

SECTIO TERTIA.

Tertium bonæ Voluntatis officium,

A Providentia Divina in futurum pendére, ſeu indifferentem eſſe.

I. Quid ſit indifferentia.

INdifferentiam vocamus, animi comparationem ſeu ſtatum talem, ut non magis deſideret divitias paupertate, nobilitatem ignobilitate, pulcritudinem deformitate, ſanitatem morbo, vitam longam brevi, laudes contemptu, magnas dotes exiguis, illuſtres occupationes obſcuris, excelſum gradum infimo. Locus hic præ altero non placeat: fœlix ſucceſſus negotii ante infælicem non ponatur: genus unum vitæ non eligatur præ alio, donec de Dei voluntate conſtiterit. Qui ſic conſtituti ſunt aptè ab Hieremia cap. 18. conferentur cum luto inter manus figuli. Et verò homines, è limo facti, in factoris arbitrio eſſe debent, uti argilla in manu fictoris. Iſaias cap. 60. confert illos cum nubibus, quæ in aëre libratæ non aliò feruntur, quàm quò ventus impellit: *qui ſunt hi, qui ut nubes volant?* Similes ſunt inſtrumento, quod operi admovetur, quieſcit, deteritur, ſitu rubiginem contrahit, prout viſum opifici. Jumento ſimiles, cujus non refert, qualem ſarcinam geſtet, aureámne an plumbeam: *ut jumentum ego ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Similes ovi, cujus propenſio ad paſcua pendet à ductu paſtoris, qui regit & nihil deerit. Similes Evangelicis vinitoribus, quorum nihil intererat, foderéntne, an paſtinarent, putarêntve, aut ſulcirent vites, vel rigarent: ad quidvis parati, dum conductori ſuo ſatisfieret.

II. Gratiſſima hominibus.

Gratiſſimam Deo eſſe hujuſmodi indifferentiam, facilè ex nobis ipſis intelligemus. Hero cuipiam ſervi duo ſunt. Unus ceſſare neſcius, in omnia familiæ commoda intentus, nec diligentiæ parcens, nec labori: at ubi ab hero aliquid præter mentem ſuam facere jubetur, vix temperat ab obmurmuratione, difficulter ſaltem & obnitens obtemperat. Alter non adeò velox eſt in opere ſuo, neque ultrò ad heri obſequium tam multa aggreditur: at ubi mentem ipſius intellexit, eò protinùs advolat abſque ulla tergiverſatione. Uter eorum ſervorum hero gratior eſt? Dubitari, inquis, non poteſt: dominis enim ex eorum voluntate, non ſuâ, famulandum eſt, figereque ſibi hanc legem debet quiſquis in famulatum concedit, arbitrio deinceps herili vivendum eſſe. Ita & inter milites res habet: ubi non is pluris fit, qui ſæpiùs in hoſtē excurrit & pugnat, ſed qui ſtationem ſibi deſignatam tuetur, & à ducis ſui imperiis perpetuò pendet: uti Evangelicus ille miles ac ſervus, cui cùm dicitur *vade, vadit; fac hoc, facit.* Indoctus eques laudabit equum generoſum, teneri ac quieſcere neſcium, qui ubi tuba inſonuerit evolare geſtit, &, ſi prohibetur, impatiens moræ fræna ferox ſpumantia mādit: qualē ferè habes deſcriptum

Digitized by Google

Jobi cap. 39. At doctus domitor qualemcumque equum non magni faciet, donec noo calcari modò aut virgæ, ſed & ſibilo ac poppyſmo obtemperet: dooec ad minimum ſeſſoris nutum eat, recedat, excurrat, ſubſultet, tranſiliat, io omnem ſeſe motum agitationemque efformet.

III. Et Deo. Tales ſibi Deus homioes expetit, quibus obedientiæ ſecurus dicere poſſit: *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi.* Quos in navim conjiciat, & *claudat à foris oſtium*, quomodò factum Noëmo, ut à Dei voluntate totus pendêret, ingreſſusque ipſius juſſu, egredi injuſſu nequiret. Fulgurum emiſſiones poëtica paraphraſi deſcribens Deus, Jobi cap. 38. *Nonne*, ait, *mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent, Adſumus?* Ita viri boni eant, ſed nonniſi quò mittuntur, dicantque, *Ecce ego, mitte me.* Pingi ſolent Seraphini, extentis utrimque alis, velut ad evolandum parati, quò juſſerit Dominus. Sic amantes divini obſequii homines non evolent, ſed volare parati ſiot, quando Deus voluerit. Hoc, opinor, Franciſcus Sales Gebennenſis Epiſcopus de ſe ſcribebat ſub vitæ finem, *Pauca volo, & quod volo, parum volo.*

IV. Perfectio virtutis inde pendet. Joannis cap. 24. dicebat Chriſtus Petro: *Cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem ſenueris, alius cinget te.* Minus in virtute provecti, quò volunt, ad bona opera ambulant: at provectiores & perfectiores ea faciuot & patiuntur, quæ Deus vult. P. Jacobus Laines, vir magnus è Societate noſtra, aliquando cum D. Ignatio, cui in cura Societatis totius ſucceſſit, familiariter colloquens, faſſus eſt ingenuè, magna ſibi eſſe deſideria profectionis in Indias, ad converſionem Infidelium, & propaganduo Chriſti nomen. Cui Ignatius: at ego, inquit, ſi iſtiuſmodi propenſiones ſentirem, non antè deſiſterem, quàm penitùs extirpatæ eſſent, & voluntas mea penderet bilancis inſtar in æquilibrio. Architectus peritus in area laxa facillimè deſignârit inſigne domicilium: at ubi intra anguſtias arctatur, neque aream capacem nactus eſt, ſpatium noo habet explicandæ arti & magnificentiæ. Statuarius ſculptor, ſi rectum & inoode lignum habet, quamlibet illi figuram facilè daturus eſt; ſecùs ſi nodoſum & curvum. Ita ſi pectus humaoum privatis cupiditatibus non arctetur, ſi oodoſis deſideriis oon obdureſcat, gratiæque architectanti & ſculpenti oon reſiſtat, exiſtet inſigne domicilium virtutum, & perfecta divinæ ſanctimoniæ imago.

V. Neceſſitas ejus ſtatus. Peremptoria ratio, cur eò indifferentiæ venire debeamus, eſt neceſſitas eligendæ ad ſalutem viæ & adminiculorum. Ignorantes autem ſumus rerum ipſi noſtrarum, oec ſatis diſpicimus, quid in præſens futurúmve, nobis expediat. Itaque ſi deſideria noſtra ſequamur, cæcum ſequemur: *cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Hinc illud celebre Matth. cap. 20. dictum à Chriſto filiis Zebedæi, plerumque filiis hominum multa concupiſcentibus, vana molientibus, aptari poteſt: *Neſcitis, quid petatis.* B. Franciſcus Borgia, ægrotante Leonorâ lectiſſimâ fæminâ, conjuge ſuâ, quicum annos totos octodecim in ſumma conjunctione vixerat, ad precandum Deum converſus, toto animo ſanitatem ipſius poſtulabat. Cùm ecce viſus ſibi audire iotus dicentem Deum: ſi quidem velle pergis, ut uxor convaleſcat, mox fecero, ſed tibi non expedit. Ad eam cogitationem, repreſſo ſtatim deſiderio uxoris cooſervandæ, totum ſe divinæ voluntati, repetitis iterum atque iterum reſignationis actibus, permiſit, his ferè verbis: *Quis enim rectiùs novit, quid è re mea ſit, quàm tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Ait vitæ ſcriptor, ootatum, ab ea reſignatione ægram ſenſim ad extrema delapſam, & paullò pòſt mortuam, marito libertatem amplectendæ perfectioris vitæ reliquiſſe: cùm antè, ſanitatem ejus petente Borgia, morbus dubio exitu pendêret.

O quot modò reperiantur, quibus inter vota ſua & deſideria dici queat: *Tibi non expedit?* Digni- VI. Exercitium.
tates exoptas, favores ambis, tibi noo expedit. Divitiarum avidus es, poſſeſſiooes & amplam familiam cupis, tibi non expedit. Deo te permitte ſi ſapis, omnia ſcienti, bona volenti. Dic cum Borgia: *Quis enim meliùs novit, quid è re mea ſit, quàm tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Dic piè cum Lanſpergio in Enchiridio militis Chriſtiani: *Miſericordiſſime JESV, optime Domine, non poteſt quod tu vis eſſe malum, ſed ordinatiſſimum ſit neceſſe eſt, quidquid à te procedit. Si me vis habere infirmum, ſit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis habere ſanum, ſit æquè nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis mori, ſit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis vivere, ſit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua.* Scribe, & dic ſæpiùs, quod ſingulis diebus manè & veſpere iterabat Epiſcopi Gebennenſis Franciſci diſcipula, Philothea Fremiota, primâ parte Vitæ cap. 23. *Domine, nolo mihi deinceps optionem ullam: percute quamlibet chordam lyra mea ſemper, & in æternum; non alia, quàm tetigeris, reſonabit. Ita Domine IESV: ſine ſi, ſine ſed, ſine exceptione ulla, fiat voluntas tua, de patre meo, de liberis, de omnibus rebus, & de meipſa.*

Siccine verò, inquis, ego loqui ex animo poſ- VII. Modus eò veniendi.
ſim? Hominem exuiſſe oporteat, corpore exiſſe, naturam mutaſſe. Non horream dura magis, quàm mollia? Non averſer potiùs dedecoroſa, quàm honorifica? Non appetam ardentiùs jucunda, quàm amara? Id Angeli faciant, expertes materiæ: quamquam & ipſis ſua ad gloriam magis, quàm ad dedecus, propenſio fuit. Quid enim dedecoris fugiendi metu fecereot, qui majoris gloriæ quàm oportuit, cupiditate peccarunt? Homines vis eſſe ad omnia indifferentes, cùm id etiam Angelis difficillimum fuerit? Aogelos dicis, quos malos Dæmones dicere debueras: ideò malos Dæmones, quia propriæ voluotati, noo divinæ, obſecuti ſunt. Iſtud eſt, quod ex Bernardo toties occinitur: *Tolle voluntatem propriam, & infernus non erit.* Sed ad eam, quam exaggeras, difficultatem, aut tollendam penitùs, aut maxima ſui parte minuendam, conare, quod intelligenti difficile non erit, bona caduca & mala ipſis oppoſita contemnere. Non dubito, quin experiare, quotieſcumque libripendem voluntatis deorſum aliquid trahit, proficiſci vel ex immodica cupiditate bonorum, vel à oimio metu malorum.

Quid autem habent caducæ bona dignum amo- VIII. Fugacitas bonorum temporalium.
ribus noſtris? Tenuia inſtar umbræ, levia inſtar venti, fugacis inſtar diei: nomen pictæ non veræ fælicitatis. Vitro eleganter comparabat Publius Mimus: *Fortuna vitrea eſt, tunc, cùm ſplendet, frangitur.* Placuit hæc ſimilitudo D. Auguſtino, eam variis locis repetenti. Quamquam homilia 28, oſtendit fragiliorem vel ipſo vitro eſſe fortunam: aliquando enim nepotes & pronepotes in avorum & proavorum calicibus bibere, cùm tamen avorum & proavorum fortuna perierit. Aptiſſimè ſomniis comparabat Philo libro de Joſeph, ubi dicit; *hominem* ſapientem, ſeu ut ipſe loquitur, *civilem eſſe debere ſomniorum interpretem, id eſt maximi*

&

Digitized by Google

& perpetui ſomnii humana vita: & quomodò ridendus ſit, qui ſomniorum ſuorum viſis aut turbetur aut exhilareſcat: ita vanum eſſe, quem fugacia mala bonave contrariis motibus nimiùm exagitent. Eodem ſenſu, breviter ac ſcitè, vocatur eſt Guilielmo Pariſienſi, libro de legibus cap. 8. fortuna omnis humana, *Felicitas ſomnialis*: ab alio, *bracteata felicitas*. A Sapiente, *Faſcinatio nugacitatis*, Sapien. cap. 4. A D. Joanne Apoc. 14. *poma deſiderii*, manum fallentia, & hiantis os ſubito diſceſſu deludentia.

IX. Vilitas.

Evaporata momenta libidinum eleganter Seneca dicebat: eodem modò dicas momenta favorum, momenta opum, momenta dignitatum. Libro Regum 4. cap. 9. ungitur Jehu in Regem: proceres circumſtantes, cùm ludibrio id fieri putarent, mox tamen, mutatâ cælitùs voluntate, ludum in ſerium vertêre, & Regem acclamavêre, ſubſtraveruntque ipſi pallia ſua, *in ſimilitudinem tribunalis*. Chaldæus habet, *ad gradum horarum*: id eſt, propè ſolare horologium; cujus umbrâ ſcilicet Rex novus admoneretur, horariam eſſe ac momentaneam fælicitatem ſuam. Adde & vilem ac terream, cùm ad gradum ſolo imminentem, non autem in loco eminenti, collocetur: ut abjectiſſimo cuique, & impiiſſimo, atque inſipientiſſimo illuc aſpirare liceat; & probos plerumque, ac ſapientes, opibus, favore, dignitatibus prævenire. Id ipſum coturnicibus, in avidorum Iſraëlitarum caſtra involantibus, adumbratum, putat Drogo Oſtienſis, ſic Deum orans: *Ne pluas ſuper nos coturnices, Domine, deſideria carnis noſtra, quæ nonniſi duobus cubitis levantur à terra, quia non attingunt dona Spiritus Sancti.* Imò non tantùm non levantur à terra ſupra cubitos duos, ſed etiam in terram incumbunt: ut fælicitatis temporalis benedictio videatur eadem eſſe, ac maledictio ſerpentis, Geneſis cap. 3. *Super pectus gradieris, & terram comedes.* Certè eò reſpexiſſe videtur D. Baſilius, cùm, epiſtulâ ad Monachum lapſum vocavit honores, adulationem, aliaque frivola, χαμαιπετὲς δοξάριον, Humirêpam gloriolam, & ad ima vergentem. Auguſtinus libro Conf. 1. cap. 9. confert ludis puerilibus, ob quos ſe vapulaſſe puerum narrat, ridente patre: *majorum nugæ negotia vocantur, puerorum autem talia cùm ſint, puniuntur a majoribus, & nemo miſeratur pueros, vel illos, vel utroſque.*

X. Voluntatis æquilibriũ.

Iſthæc, aliaque in eamdem ſententiam, paſſim experientiæ & cogitationi quotidianæ occurrentia, cùm expenderis, facillimum tibi fuerit, immodicum erga res tam caducas & viles amorem præſcindere. Quod ſi feceris, eâdem operâ voluntatem tuam ad æquilibrium reduxeris, & conſtitueris in ſtatu indifferentiæ. *Amor enim tuus, pondus tuum.* Hoc pondere preſſa bilanx vergit in eam partem, quò amor fertur. Præterea, cùm bonorum temporalium amori modum adhibuêris, ſimul malorum timorem immoderatum repreſſeris. Neque enim mala niſi eatenus formidantur, quatenus bonis amatis oppoſita ſunt. Mortem nimiùm extimeſcis? Vitam ſcilicet immoderatè amas. Exhorres ad infamiæ, paupertatis, inimicitiarum imaginem? Quia videlicet famæ, opum, favoris nimium appetens es. Hecatonis illud, à Seneca celebratum, veriſſimum eſt: *Deſines timere, cùm ſperare deſieris*, & concupiſcere.

XI. Aliud ad illam ſubſidium indicatur.

Poſſet addi & aliud indifferentiæ comparandæ ſubſidium, ex malorum, quæcumque humanæ conditioni occurrere poſſunt, ſeriâ & forti præcogitatione, *Niſi enim quidquid fieri poteſt pro futuro habes, das in te vires rebus adverſis, quas infregit, qui prior vidit.* Quomodò aiunt, crocodilo adversùs audacter occurentes animum non eſſe, cùm in fugientes ferociſſimè incurrat. Hinc Chriſtus ſæpè diſcipulos de Paſſione ſua præmonere ſolitus, ut venientem eò minùs horrerent, quò ſæpiùs cogitaſſent venturam. Sed tum alii ea de præmeditatione multa dixerunt: tum nos etiam aliquid in Machabæorum geſtis, ubi Eleazari ultrò elephantem Regium incurrentis, & Jonathæ ad hoſtem laceſſendum tranſvadantis, aut tranantis potiùs, egregia facinora narrantur. Nunc poſt expoſitas tres virtutes, quas Providentiæ divinæ debemus, totidem illis excolendis & firmandis adjumenta proponenda ſunt.

PARS TERTIA.

Adjumenta bonæ Voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Adjumentum primum,

Conſideratio modi, quo agit Providentia, ut noſtra omnia illi permittamus.

I. Quid Providentia?

SUBTILIOR Theologia, quæ res divinas, quantum mortali fas eſt, comparatione cum rebus noſtris aſſequi conatur, inter alias de Providentia divina quæſtiones & hanc proponit: in quonam actu propriè ſita ſit, Intellectûs, an Voluntatis? Voluntatem mavult Damaſcenus, quia Providentia cura eſt: benevolentia autem imperat curam, & ſatagit. Si ergo cura eſt à voluntate, & Providentia cura eſt, Providentia utique eſt fœtus voluntatis. Intellectum mavult Angelicus Doctor, ex definitione communi, quòd Providentia ſit *Ratio ordinis in finem*: ratio autem eſt in intellectu, ipſéve intellectus. Recepta paſſim ſententia decidit, utrumque actum comprehendi: intelligentiam tamen præcipuè, quia Providentia eſt ſcientia practica, diciturque velut Providentia, & eſt pars prudentiæ. Sed omiſſa iſta diſceptatione, quæ ad Providentiam generatim ſpectat: poſſumus de Providentia divina particulatim, & magis ad vulgi captum dicere; aliud nîl eſſe, quàm Bonitatem & Juſtitiam omnia ſcientem, & Potentiâ infinitâ utentem ad fines ſuos.

II. Quatuor ejus vultus, ac primum bonitas.

En igitur quatuor velut vultus Providentiæ divinæ, quos qui attentè inſpexerit, non difficulter Reſignationem, ac Fiduciam, & Indifferentiam amplectetur. Miſericordiæ & Bonitatis argumenta certiſſima ab ipſis hujus tractatûs fundamentis vidimus, eruta ex ſinu divinitatis, ac naturâ ſummi boni, quod neceſſe eſt, ut bonum & benè velit. Conſequens eſto: quidquid nobis inde acciderit, exoſculandam ejus manum, velut medici ſalutarem, aut benigniſſimam patris. Ne ſimus ex eorum cœtu, de quibus Proſper conqueritur libro de Providentia,

Cumq́, Deus medicam à cælo demittere curam
Dignatur, penituſq́, putres abſcindere fibras:
Incuſamus opem tenteri, & tabeſcere morbo
Malumus, antidoti quàm vim tolerare ſeveri.
Non igitur mala ſunt, quia nos mala ducimus, & cùm
Vlceribus diris non parcit dextra Tonantis,
Amplectenda manus, non exacuenda querela eſt.

In eamdem ſententiam Auguſtinus epiſt. 50. ad Boniſ. *Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo: ſed ambo diligendo.* De hac paterna Dei bonitate intuenda, pluſculum aliquid dicemus ad calcem ſectionis.

Juſtitiæ

III. *Altera ejus facies Juſtitiæ.* Juſtitiæ divinæ ſeverior quidem, non tamen minùs aſpectabilis facies eſt. Conſtat enim, cùm juſtus ſit, juſtè ab illo omnia diſponi, ut loquitur Sapiens cap. 12. ac juſtificari illum in ſermonibus ſuis,& vincere cùm judicatur, appareréque æquiſſimas ſuppliciorum quorumvis rationes, ut canebat Pſalmiſta pœnitens Pſal. 50. Unde neceſſariò conſequitur, Juſtitiæ divinæ in quibuſvis eventis acquieſcendum. Nam citra injuſtitiam juſtitiæ obmurmurari non poteſt: eſtque certiſſima impietatis nota, & damnationis præjudicium, quæ Deus fecit non probare. Ita diſputat Auguſtinus, de vera religione cap. 22. *Univerſitatis hujus conditio, atque adminiſtratio, ſolis impiis animis, damnatiſq; non placet: ſed etiam omnibus ſanctis cum miſeria earum, multiſq; vel in terra victricibus, vel in cælo ſine periculo ſpectantibus, placet. Nihil enim juſtum diſplicet juſto.*

IV. *Juſtus Deus, etiam utens injuſtis.* Nec dicas, Juſtum quidem Deum eſſe, ſed inſtrumenta quibus utitur injuſta: adeoque non poſſe te acquieſcere ſuppliciis, manu illorum illatis. Si enim compeſcendæ iſti querimoniæ antè à nobis dicta non ſufficiunt: occurret Auguſtinus libro de Civit. Dei 22. cap. 102. *Multa fiunt à malis quidem contra voluntatem Dei: ſed tanta eſt ille ſapientia, tantaq; virtute, ut in eos exitus ſive fines, quos bonos & juſtos ille præſcivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adverſa.* Et diſertiùs atque expreſſiùs quæſtione 79. in Exodum: *In uno eodemq; facto, & Deus de occultâ æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur.* Item in Pſalmum 61. *Vide quid tibi fecerit iniquus, quid juſtus. Ille voluit, iſte permiſit. Ille injuſte voluit, iſte juſtè permiſit. Voluntas injuſta damnetur, permiſſio juſta glorificetur.* Deus per moribundum Moſen Deut. 32. minas intentans populo ſuo, ob peccata prævisa & certò futura: *Congregabo*, inquit, *ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* Ita ergo nos agit: poſuit nos velut ſcopum ſagittationi ſuæ, arcum tetendit & paravit illum, ſagittas ſuas ardentibus hominum malevolorum odiis effecit. Deus ſagittarius eſt, arcus juſtitia, miſſile verba factáve injuſta, ab hominibus malæ voluntatis profecta. Quid plagæ indignamur, quid conquerimur de miſſili, & mittentem non intuemur? Aprorum hoc eſt, in ſagittas & venabula cuti ſuæ infixa frendentium, & deſpumantium, dexteram venatoris tela vibrantis non adſpicientium. Quis ſapiens reus altercetur, & ſæviat in carnificem, ſententiæ Judicis exactè obtemperantem? Quin illi potius pecuniam numerari jubeat, ut D. Cyprianum ſecuri feriendum lictori ſuo feciſſe, Pontius refert. Carnifices noſtri ſint malæ hominum voluntates, famam lanient, honorem concîdant, opes concerpant, nos & noſtra quà poſſunt excarnificent: bilis tamen in illos evomenda non eſt: quandoquidem nil agere poſſint, niſi ea ſupremi Judicis præſcripto.

V. *Ei Juſtitiæ acquieſcendum.* De Dei manu adſpicienda, etiam ubi manibus improborum utitur, ſatis diximus Partis alterius Sectione prima. Interim ad eventa quælibet, ſeu Saül invideat, ſive Abſalon rebellet, ſeu Semei convitietur, aſſueſcamus dicere cum Davide Pſalmo 118. *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Quæ verba identidem repetebant Hippone obſeſſi per Vandalos Epiſcopi Africani cum Auguſtino, uti narrat Poſſidius cap. 28. Vitæ D. Auguſtini. Eadem in ore habuit Mauritius Imperator, à Phoca gregario nuper milite captus, ſpectaréque coactus carnificinam liberorum, conſtantiâ in tam tætro ſpectaculo prorsùs admirabili, apud Baronium anno 602. Neque abſimilia iteravit Pharao prodigiis conterritus, & plagis tantiſper edomitus Exodi cap. 9. *Peccavi etiam nunc: Dominus juſtus, ego & populus meus impii.* Sed quia cogitationi iſti, ac confeſſioni, ſeriam pœnitentiam non adjunxit, fruſtra fuêre voces in ſpeciem piæ. Nos & agnoſcamus Juſtitiam divinam, & ſuppliciis acquieſcamus, & clementiam pœnitendo demereamur.

VI. *Potentiam tuus Providentiæ divinæ vultus.* Nec difficulter Juſtitiæ divinæ decernenti ſtabit, qui decreta ſua efficaciſſimè exequentem contemplabitur, potentiamque ejus agnoſcet & expendet. Neque enim ignorabit, ſeſe velut reum convictum & damnatum eſſe inter ſatellitum manus, quas ſi ſequi nolueris, invitus ac renitens trahetur. Chriſtiano ſufficiunt hæc verba ex cap. 49. Iſaiæ: *Ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus . . . Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Item illa cap. 14. *Hoc conſilium quod cogitavi ſuper omnem terram, & hæc manus extenta ſuper omnes Gentes. Dominus enim exercituum decrevit, & quis poteſt infirmare? Et manus ejus extenta, & quis avertet eam?* Adde tamen iſta Auguſtini cap. 102. Enchiridii. *Quantalibet ſint voluntates vel Angelorum, vel hominum; vel bonorum, vel malorum; vel illud quod vult Deus, vel aliud volentes quàm Deus, Omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt.* Expende etiam iſthæc Senecæ planè Chriſtiana, libro de Vita beata: *Ad hoc Sacramentum adacti ſumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus, Deo parere libertas eſt.* Inſaniat, qui navi ad ſcopulum religata, funem trahendo & contendendo exiſtimet fore, ut ſcopulum adducat ad navim, navim potiùs alliſurus ad ſcopulum. Immobilem & invictam Dei potentiam ad te, ô homo, trahere non potes; duci te ſine: &, quod Publius Mimus non mimicè pronuntiavit, *Feras, non culpes, quod vitari non poteſt:* nec ventis ac fluctibus iraſcere, cùm navigas. Peſſimus ſcriptor Lucianus, non malè tamen, Anthologiæ Epigr. lib. 1.

> Ε'ι τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανακτεῖς,
> Καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

Latinè reddi tam eleganter non poteſt: ſententia tamen hæc eſt. *Si fatum*, quod utique aliud non eſt quàm divina Providentia, uti aliàs diximus: *Si ergo fatum te fert, feras, & patiare ut feraris. Si autem indignaris, ipſe tibi moleſtus es, & fatum nihilominus te rapiet.*

VII. *Quid Domino debeamus.* Neceſſitatem hanc obſequendi divinæ Potentiæ, & humiliandi nos ſub potenti manu Dei, novâ imagine pingamus. Poteſt Providentia divina cogitari & adſpici, ut Dominus ſupremus, qui nobis imperet: aut velut Sapiens ductor, qui nobis præeat: aut ſicut optimus Pater-familias, qui domum regat. Ergo ipſi reſiſtere non poſſumus, quia dominus eſt: neque, ut poſſemus & fas foret, reſiſtere tamen debemus, quia dux & pater eſt. Dominica & Regia edicta in variis regionibus claudi verbis hiſce, aut ſimilibus, ſolent: *Sic placet: Ea voluntas noſtra eſt.* Quæ verba ubi fidelis ſubditus boni Principis legit, protinùs acquieſcit, nec de ratione legum edictorúmve quærenda ſolicitus eſt: non neſcius conſilium & imperium Domini rem eſſe, obſequium & obedientiam ſubditi. Monet Eccleſiaſticus cap. 4. *Noli reſiſtere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Quid enim adverſo torrenti te opponens lucrabere, quàm laborem, & ſpumeam aſperginem, forſan & ſubmerſionis periculum? Jehu, libro Regum 4. cap. 10. Rex Iſraelis creatus, rem à Samaritis duriſſimam poſtulat: reſponſum tamen, *Servi tui ſumus, quæcumque juſſeris faciemus, quæcumque tibi placent fac.* Aſtyagen Medum narrant, noxæ neſcio cui

barbarico

barbarico more puniendæ, epulandas Harpalo filii carnes appoſuiſſe, & benè paſto inferri juſſiſſe caput, ac petiiſſe, ecquid ipſi carnes filii ſapuiſſent? Harpalum fœdâ adulatione dixiſſe; Quidquid facit Rex, illud mihi perplacet. Adeóne te hominem & patrem oblitus es, ut humanos ipſiusque filii tui artus, viſceribus tuis ingeſtos cum ſtomacho luctari diſſimules, in lupi illius ac tygridis gratiam? Sed an tu, inquit, neſcis qualemcumque illum, Regem tamen meum & dominum eſſe, nec mihi quidquam adversùs illum licere?

VIII. Poteſtati cedendum.

Regulis iſtis terrarum quæ poteſtas, præ omnipotentia illius, *cui*, ut Theodoretus ait Oratione prima de Providentia, *non ſervorum calamitas, ſed natura ipſa dominium dedit?* Quem non favor ſubditorum, non fortunæ viciſſitudo, non armorum vis extulit: ſed ipſa naturæ ſuæ magnitudinisque neceſſitas, ut ſi omnia non creâſſet, dominus tamen omnium eſſet, ob infinitatis ſuæ ſupra res omnes eminentiam. Quidni ergo *omnia, quæcumque voluit, faciat in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis?* Quidni dicamus ipſi ex animo: *Servi tui ſumus, quæcumque juſſeris, faciemus, quæcumque tibi placent, fac?* Ingrederis fortè in benè ordinatam aliquam viri principis domum, ubi famuli œconomo, œconomus hero, ut par eſt, obtemperare conſueverint. Vides in aula luculentum ignem, œconomumque audis famulo dicentem: Heus tu an bos hodie aſſandus eſt, quòd tantum ligni exuritur? At, inquit famulus, ita hero placitum. Audito heri nomine, protinùs prudens & moriger œconomus conticet. Quotidianum iſtud eſt, etiam in privatis domibus: ubi ſapientes matronæ ancillularum & liberorum facta reprehendere non audent, etſi in ſpeciem mala, quia ſic maritus juſſit, ut in ſimili argumento notat Drexelius. Intras in domum Univerſi, ſub Patrefamilias Deo ordinatiſſimam: oculis objiciuntur incendia urbium & provinciarum, bellis, aliisque publicis calamitatibus ardentium: ſpectas proſtratos lue horrendâ populos, grandine obrutas ſegetes, fame ſemineces nationes. Interrogare velis bellum, famem, tempeſtatem, quid hic agitis? Famuli, inquiunt, & ancillulæ ſumus, hero noſtro Deo obtemperamus: tu mi homo ſaltem æquè deferas Deo, ut œconomus hero, aut uxor marito. Illuſtriſſima ſunt, in ea dominatûs divini conſideratione, verba Heli, libro Reg. 1. cap. 3. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* Pondera ſingula verba, in quibus ſumma reſignationis, & cauſſa, motivúmve continetur. Et ut magis mirêre, attende, quâ occaſione prolata ſint: quando mors liberorum, familiæque univerſæ æternum dedecus, cum acerbiſſima exprobratione denuntiabatur. Perpendi etiam poterunt iſta Pſalmiſtæ pſ. 38. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti:* Tu Domine univerſorum, tu Potentia ineluctabilis, cui nec poteſt reſiſti, nec debet.

IX. Dei Sapientia, vultus Providentiæ quantus.

Tu Sapientia immenſa, quæ in conſiliorum tuorum diſpoſitione aberrare nequis, & de qua ratione decretorum ſuorum exquirere inſaniſſimum foret. *Conſilium Deo tribuamus,* inquit Auguſtinus epiſt. 49. ad Deogratias, ad quæſtionem ſecundam, *nobis obedientiam teneamus.* Dediſti te in diſciplinam magni alicujus viri: certus, opinor, ipſius monitis audiens eſſe, ſtare conſiliis, juſſis obſequi. Ita nobiliſſimus adoleſcens Lambertus ſub Divorum Landoaldi & Theodardi ductu meliorem vitam auſpicatus eſt. Suaſêre, ut ſcientias divinas potiùs, quàm humanas excoleret: oſtendêre iter ad virtutem excelſius, in abdicatione largarum opum, & dignitatum ſeſe ultrò ingerentium. Statim acquievit, quia id apud ſe ſtatuerat, à ſapientiſſimis viris, & divinarum rerum conſultis regi ſe ſinere. Incedis fortè per viam ignotam, per Alpes aut Pyrenæum: ſi ſapis, ducem adſciſcis gnarum itinerum quempiam, de cujus probitate non dubites. Ducat te hic per calles anguſtos & ſalebroſos, per tortuoſos anfractus, per horrida rupium cacumina, è quibus nubes deſpectes, & profundarum vallium tenebroſas voragines. Veniat tibi forſan in mentem dicere ductori: O bone, per quas ſemitas circumducimur? Nonne ad dexteram prata video? Nonne ad ſiniſtram planiores & rectiores viæ apparent? Sed cùm tibi ductor reſponderit: ſine tantiſper, centies hæc itinera emenſus ſum, nullum mihi diverticulum non cognitum eſt. Si ad iſthæc prata divertamus, placétne tibi in latronum gladios incurrere? Si ad lævam deflectamus, velisne in præcipitia ruere? Simul hæc à ductore audieris, acquieſces, damnabisque ipſe cogitationes tuas: aut, ſi obgannire perges, meritò ductui tuo ſolus relinquêris. Ductori probo & perito fidendum eſt, non fidetur ducenti Deo? Non dicetur cum Jeremia Propheta cap. 17. *Non ſum turbatus, te paſtorem ſequens?*

X. Deus, choragus.

Audivimus Partis 1. ſect. 1. ex Philoſopho, Deum choragi inſtar eſſe, Imperatorisve, aut Navarchi. Idithun, Aſaph, Heman, pſaltæ Davidici, muſicam ſcribant, diſtribuantque partes ſuas cantoribus ſingulis: horum nemo, opinor, tam erit amûſus & inſulſus, ut magiſtri compoſitionem reprehendat. Si quis audeat, ut è choro non ejiciatur, hoc ſaltem audire merebitur: canta puer, nec de harmonia ex unius parte judica: tu quod tuum eſt præſtiteris, & alii pariter, non poterit non ſuaviſſimus concentus exſiſtere. In hodierno publicarum ac privatarum rerum concentu dubitari non debet, quin toni non pauci duriuſculi ſint, multis ut vocamus ſuſpiriis interrupti, multis dieſibus fracti, multis notarum nigrarum colligationibus fuſi. Hîc Dorico tono, illic Jonico, alibi Lydio locus ſuus eſt. Numerus nunc citatus, nunc lentus; ſeu menſura nunc tripla, nunc communis, percutitur. Tu tamen, quiſquis es, cave obmurmures: canta ſolùm, aut tace, ubi muſicæ magiſter volucrit: dulciſſimam harmoniam ſi nondum capis, aliquando tamen intelliges.

XI. Imperator, & navarchus.

Gregario militi ſub Imperatore Machabæo numquam in mentem veniſſet inquirere, cur in fronte cohortes illæ collocarentur, cur aliæ in cornibus, aliæ in auxiliis: aut cogitationi naſcenti ſtatim ipſe occurriſſet, dixiſſetque ſibi, ſub ſapientiſſimo & expertiſſimo duce militamus: diſponat ipſe, nos ſequamur: ſi milites officio non deſint, ſpes victoriæ certa eſt. Vectorum impudentium foret, ſcienti ac probo navarcho obloqui, & nunc expanſa vela, nunc contracta, reprehendere: nunc obliquam navigationem, nunc rectam incuſare: de velocitate modò, modò de tarditate conqueri. Novit ille ſinus & ſcopulos, ac vada latentia, & quâ arte vitentur: vectori acquieſcendum eſt. Quid de Imperatore & Navarcho loquimur? Pictorem in officina ſua, imò fabrum ferrarium, reprehendere auſit oculatus nemò: & tu audeas *reprehendere in hoc mundo Deum?* Horret animus cùm ſacrilegas voces, ſi tamen voces, meminit, aſtronomi & Regis, nominari indigni, quando ſic locutus eſt. Spondanus Annalium Eccleſiaſticorum Continuator, ad annum 1282. perhibet, ſæpiùs auditum dicere: ſi à Deo adhibitus fuiſſet, ad Univerſi creandi conſilium, futurum fuiſſe, ut nonnulla meliùs

ordinatiusque conderentur. Quis ad horrenda illa non verba, ſed murmura, non exclamet, quod Hilarius libro contra Conſtantium Auguſtum, in re non longè abſimili: *O miſeras aures meas, quæ tam funeſtæ vocis ſonum audierunt! Hæc de Deo ab homine dici?* Túne capaciſſimæ illi, & illuminatiſſimæ, & omniſciæ menti, præfidens ingeniolo tuo animula, obloquare? Tu ſummi artificis opus carpere aut ſugillare audeas? *Quis enim*, non jam animalculorum & homuncionum humi repentium, ſed Cherubinorum & Seraphinorum ſupra cælos evolantium, *cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?*

XII. A Deo non petendum, Cur? Serpentinum & diabolicum vocabulum eſt *Cur*, à Satana uſurpatum, quando homicida fuit ab initio. *Cur*, inquit Geneſis cap. 3. *præcepit vobis Deus?* Petiiſſet ſaltem, Cur de ligni iſtius fructu non comeditis? In promptu erat reſponſum, non comedimus, quia prohibitum nobis eſt: ſed interrogare maluit mandati cauſam, *cur Deus præceperit*, cur ita conſtitutum, quæ denique ratio vetandi? Sapuerant fœmina & maritus, ſi reſpondiſſent: de Deo petendum non eſt, Cur aliquid faciat, cur permittat? Cur hic pauper, ille dives? Cur mali bonis permiſti? Cur mali floreant, boni laborent? Decretorum iſtorum divinorum rationes etſi aliquas ſcimus, & locis ſuis reddere conamur, edemusque Deo propitio in Commentariis ad Machabæorum libros: ultima tamen ratio hæc eſt, nullam à ſumma Sapientia rationem peti debere. *Non* enim *eſt*, ut inquit Sapiens Proverb. cap. 21. *ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Sapientis pater libro 3. Regum cap. 16. expulſus è civitate Regia, &, ad infortunii cumulum, probris ac maledictis ab impurente homine proſciſſus, hac una cogitatione ſeſe ſolabatur, à Deo eam ſibi pœnam, quamvis improborum miniſterio, infligi, *Et quis audeat dicere, Quare ſic fecerit?* Idem nos ad ſingula eventa ingeminare conſueſcamus.

XIII. Petendum, quod Deus vult. D. Auguſtinus jam ſenex & occupatiſſimus, cùm rogatus eſſet à Quod-vult-Deo Diacono Carthaginenſi, ut librum de Hæreſibus ſcriberet, ſic eum in Præfatione ſua alloquitur: *In ipſa moleſta inſtantia tua, etiam tuum nomen attendi, & dixi: Aggrediar, & faciam, quod vult Deus.* Faciamus & nos, & patiamur quod vult Deus: quia Dominus eſt, cui rebellare refractarii eſt: quia ſapientiſſimus ductor, quem ſequi nolle extremæ dementiæ eſt: maximè, quia ſuaviſſimus pater, cui non acquieſcere, alienum à natura eſt. Patrem cogitabat Chryſoſtomus, cùm, quam habuit concionem proficiſcens in exilium, ab his vocibus cæpit, *Benedictus Deus*: ab iiſdem vocibus orſus, quam dixit rediens ab exilio. Ab eadem cogitatione Bernardus omnes fermè Sermones in Cantica hâc formulâ clauſit, *Benedictus Dominus.*

XIV. Standum ut medico, & patri. Quoties viſi pueruli medicamenta horrere, quando ab ancilla propinabantur: Sorbere eadem generosè à mano patris, aut matris? Faciamus, cum B. Franciſco Saleſio Epiſcopo Gebennenſi, ægrotantem expertiſſimi medici filiam unicam. Cariſſimus pater optionem dat medicinæ cujuſlibet, & curationis: artem omnem ſuam, & induſtriam, propenſioni infirmitatíve ejus paratus accommodare, ſi voluerit. At ægra, quâ par eſt erga patrem & medicum obſervantiâ & fiduciâ: enimverò, inquit, eligere meum non eſt; ſumere, quod dederis, meum eſt: neque enim neſcio quis ſis, quantum experientiâ valeas, quantum me ames. Ab ingenio iſto, & manu, nihil niſi ſalutare exſpecto. Decerne itaque, ut voles, nihil enim aliud quidquam mihi velle ſtatutum eſt. Eumdem in modum de optima & miſericordiſſima Dei manu, in adverſis juxtà ac proſperis, cuivis homini cordato ſentiendum ac loquendum.

XV. Ejus cogitationis ſuavitas. Qui Dei ſapientiam event omnia diſponentem attendit, ac reveretur, diſcipuli inſtar eſt ſapienti doctori contradicere non audentis, & Pythagoræo ſilentio magiſtri ſcita ſententiasque venerantis. Qui Potentiam agentem contemplatur, & ducentem trahentémve ſubſequitur, velut dominum habet, contra quem hiſcere tutum non eſt. Qui Juſtitiæ acquieſcit, intuetur ſicut Judicem reus confitens, ac tremens dicit, quod Elu à Jobo volebat exprimere cap. 33. *Peccavi, & verè deliqui, & ut dignus eram non recepi.* At qui Miſericordiam & Bonitatem Dei adſpicit, habet illum inſtar amabiliſſimi patris, & cum Seneca epiſt. 98. damnis, vulneribus, morbibus incurrentibus, amat Providentiam divinam, ſibique ipſe identidem ingeminat: *Non pareo, ſed aſſentior: ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor.* Quid Chriſtianum magis, quid ſanctius ac ſublimius, rationique ſimul ac fidei magis conſonum, ex ore Chriſtiani ullius audiamus?

XVI. Et ſanctitas. Ezechias Rex ſanctiſſimus, libro 4. Regum cap. 20. ad triſtem Iſaiæ, de poſterorum ſuorum dedecoroſa captivitate, denuntiationem: *Bonus*, inquit, *ſermo Domini, quem locutus eſt.* Sic D. Catharina Genuenſis ad malorum quorumvis ſenſum ſolita iterare, *Grata venerit calamitas ab amabili Dei manu.* Ita D. Joſephus, teſte D. Birgittâ, ubique ac ſemper ingeminare conſuêrat: *fiat quod Deo placuerit.* Sic fideliſſima & obedientiſſima ancilla Domini, filiaque, & mater D. Virgo, in Annuntiatione Dominicæ gloria, & Paſſionis ignominioſæ tormentis, pariter ex animi ſententia pronuntiavit, ô Deus, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Sic Chriſtus, Matthæi cap. 11. de reprobatione quorumdam, quos tamen, ut homines ad Dei imaginem conditos non amare nequibat, Deum laudans: *Ita*, inquit, *Pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Non utitur appellatione Judicis, æquiſſimam in ea reprobatione pro meritis ferentis ſententiam: non domini, de re ſua liberè & cum poteſtate ſtatuentis: non magiſtri prudentiſſimi, arcana ſua prout videbitur exponentis; ſed ſuaviſſimam adhibet appellationem Patris, ut eò facilior ſit ac jucundior, in re quamvis triſti, humanæ voluntatis cum divina conformitas. Eamdem ob cauſſam non alio quàm Patris dulciſſimo nomine uſus eſt, in horto Olivarum, quando ipſi fæculentus calix, amariſſimusque, ac peccatorum omnium horrore, & pœnarum imminentium acerbitate plenus, propinabatur.

SECTIO SECUNDA.

Alterum Adjumentum,

Conſideratio providentiæ humanæ.

I. Providentiæ divinæ lampas. ZAchariæ Prophetæ objicitur cap. 4. videndum *candelabrum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput ejus: & duæ olivæ ſuper illud, una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris ejus.* Deſcribitur candelabrum aureum ſepticeps in templo Hieroſolymitano ardere ſolitum, eâ ferè formâ, qua Exodi cap. 25. in tabernaculo collocandum. Aptiſſima figura Providentiæ divinæ, quæ aurea tota eſt, & pervigil, oleumque, ac lumen lucernis aliis, ſuorum decretorum adminiſtris, communicat. Eo lumine colluſtrantur præſertim olivæ duæ, operi pacis, ædificando Hieroſolymitano

templo,

templo, ſtudentes, id eſt Zorobabel, & Jeſus filius Joſedechi: & quicumque eorum exemplo aggrediuntur agenda, freti auxilio potentiæ ac miſericordiæ divinæ, non autem viribus ſuis. Hanc explicationem ab Angelo accipe ibidem: *Hoc eſt verbum Domini ad Zorobabel, dicens: non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum. Quis tu mons magne*, congeries impedimentorum redintegrandi templi, ab æmulis excitatorum, *coram Zorobabel? In planum:* mox Dei auxilio obices omnes ſubruentur, & aſpera fient in vias planas. Adverte animum præſertim ad illa verba: *non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus.*

II. Qui eam non cernunt.

An ergo memet mihi fidere nôlis, non divitiis, non dignitatibus, non amicis, non robori membrorum, non viribus animi, non eloquentiæ, non prudentiæ? Planè volo fidere, ſed intra modum ac fines. Damnandi, qui nullo ad Deum reſpectu, fide Providentiæ divinæ nullâ, ſolis ſibimet, aut alienis hominum amicorum auxiliis incumbunt. Talis fuerit apud Dionem M. Antonius, qui matri, pecuniam à plebe ac Senatu extortam, & tam citò profuſam, conquerenti, reſpondit, aurum ſibi non defore, quamdiu ferrum non deeſſet. Cum iſto homine ſi Carneades aliquis, aut Philoſophorum ejus ævi alius de Providentia divina diſputaſſet, ſuam ipſe Providentiam oſtentaſſet, admota ad gladii capulum manu. Ab hac bellua motuatus forſan Nazarius Conſtantini panegyriſtes, probroſum illud, & Chriſtianis temporibus intolerabile, *ſua cuique prudentia Deus eſt.* Non longè ab impiis illis abſunt, qui de Providentia quidem divina fidem habent, ad eam tamen in agendis patiendíſve non attendunt, ſed ad ſe tantùm mortaléſve alios. Sic Rex Aſa, libro Paralipomenon 2. cap. 16. æger *non in Domino, ſed magis in medicorum arte confidit*, non infidelis, ſed immemor. Ita mercatores, Jacobi cap. 4. de annis & lucris conſtituunt, omiſsâ neceſſariâ illâ in futurum conditione, *ſi Deus voluerit.* Sciunt ſanè à Deo regi omnia, & eventûs omnes ejus arbitrio contemperari, neque experientiam ſuam, ingeniúmve, aut fortunam, aliud eſſe, quàm ſupremi gubernatoris inſtrumentum: ſed quod ſciunt, non adſpiciunt, eodemque modo agunt, ac ſi neſcirent, vel non crederent.

III. Dei bonitas confertur cum creata.

Ut de hoc altero hominum genere non ſimus, nam de primo abſit ut ullus vel tenuiter pius cogitet, firmiter hanc veritatem menti infigamus: Mortalium nulli, aut aliarum intelligibilium creaturarum, ne nobis quidem ipſis, tam bonam erga nos eſſe voluntatem, quàm Deo, ut bonum velimus: nec tantam ſapientiam, ut eligamus media ad finem: nec tantam potentiam, ut poſſimus exequi quod deſtinavimus. Ergò meliùs multò à Deo nos regi, quàm à nobis ipſis, aut ab hominibus ingeniisve aliis, niſi Deus illis ad nos ducendos utatur. Demus ſatis te habere bonitatis ut tibi benè velis, quomodò oportet. Negârint enim hoc multi. Negavit certè D. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 6. multos à ſemetipſis verè amari, quia cùm *in homine ſint duo, ſcilicet natura ſpiritualis, & natura corporalis: per hoc homo dicitur diligere ſeipſum, quòd diligat ſe ſecundùm naturam rationalem.* Qui autem ita ſe non diligunt, odêre. Accedit Divo Thomæ Chriſti ſententia, Matth. cap. 10. ubi ait, ab iis perdi animam ſuam, qui eam amant, videlicet, non quà æterna eſt & ſpiritualis, ſed quà immerſa in corpus & carnem. Accedit Sapiens c. 17. Sapien. ubi de hominibus loquens ſemetipſos ſequentibus, & odioſè amantibus, Indiſciplinatas appellat animas, & fugitivas Providentiæ. Accedit experientia quotidiana hominum ſponte ſuâ pereuntium: nam, ut Sapient. cap. 1. dicitur, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: ſed impii manibus & verbis accerſiverunt illam.* Demus tamen verè te amari à teipſo. Demus & illos, quibus fidis, ſatis habere bonitatis, ut te ament. Dubitârint enim ea de re Philoſophi, qui veram amicitiam vix uſpiam reperiri exiſtimant, regnare paſſim amorem concupiſcentiæ. Chriſtus ampliùs dicit: *Cavete ab hominibus: Inimici hominis domeſtici ejus: tradet frater fratrem.* Oſtendit experientia fraudes, inconſtantias, proditiones inter conjunctiſſimos, qui ut neceſſitudinis & amicitiæ exempla ſpectabantur. Eſto tamen Auguſtino Alipius, Baſilio Magno Nazianzenus, Paullino Sulpitius, Chryſoſtomo Baſilius Seleucienſis, Davidi Jonathas, Eliæ Eliſæus, tibi fidus & conſtans animus. Sed eorum benevolentia comparandáne divinæ? Amántne te æquè ac Deus? Si dubitas, revoca ad calculos, ut gratitudo ſolet, eorum pro te ſtudia & opera: vide an pro te mundum creârint, pro te infame crucis ſupplicium ſubierint? Dicebat D. Tereſiæ Chriſtus: ſi mundum non creaſſem, tibi crearem. Innocens, ſancta, amabilis illa fuit: at non talis apoſtata ille perfidus, de quo Chriſtus, cum Carpo agens apud Dionyſium affirmavit, pro perdito illo etiamnum crucem ſeſe libenter paſſurum, ſi paſſus non eſſet. Quis amicorum pro te id faciat? Imò, quis pro ſe? Illi tamen amico, aut tibi ipſi, plus fidas quàm Deo?

IV. Sapientia humana qualis?

Sed faciamus, bonitati ac voluntati tuæ, & tuorum, prorsùs te poſſe confidere. An verò ſapientiæ innitêris, contra Sapientis iterata toties præcepta: *ne ſis ſapiens apud temetipſum: ne innitaris prudentiæ tuæ: qui confidit in cogitationibus ſuis impie agit?* Velim mihi bona omnia, & ſolidè bona: velint etiam alii. At modóſne eò veniendi pervidemus? Penetramúſne ac perſpicimus commoda univerſa, incommoda, auxilia, obſtacula, difficultates? Veriſſimè Sapiens dixit cap. 9. Sapient. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* D. Bernardo, Sermone de fallacia vitæ præſentis, inventa, & commenta ingenii humani ſimilia ſunt igni, ac luci, lampadis exiguæ, aut parvuli cerei. Vix allucet ad paſſus duos, & quidem fumo obſcuratur, ac lucendo conſumitur. *Accenditur cereus, non parum lumen eſt, ſed lucerna: ſi quidem ignis ipſe propria fomenta conſumit, nec niſi ipsâ conſumptione fovetur.* Sic ſunt ingenia noſtra: parum lucent, & maxima pars eorum quæ ſcimus, non eſt minima eorum quæ neſcimus. Intelligentiam, ex ſe ſatis obſcuram, obnubilant paſſiones & affectus fumoſi: unde nata Philoſophi ac Poëtæ Chriſtiani querimonia,

Heu quàm præcipiti merſa profundo
Mens hebet, & propriâ luce relictâ,
Tendit in externas ire tenebras.

Denique ingenio agente, corpus patitur: corpore patiente, ingenium langueſcit, ipſaque ſibi vivacitas ingenii mors eſt. Id expertus Eccleſiaſtes cap. 12. dicit: *Frequens meditatio, carnis afflictio eſt.* Et Sapiens cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Idem forſan innuebat Jobus cap. 17. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum*, & corpus meum, meque exedendo exedentes ſeipſas.

V. A Deo deſtruuntur.

Adde, quod Deus ſæpè iſtorum apud ſemetipſos ſapientium conſilia diſturbat, & infatuat, ſicut Achitopheli contigit, & ſapientibus conſiliariis Pharaonis. Judæis etiam, Iſaia teſte cap. 30.

Væ

Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum. Joſephum fratres ſui vendunt, ne adorent, ut Gregorius notat Mor. l. 6. c. 12. *Sed qui venditus fuerat, ne adoraretur; ideò eſt adoratus, quia venditus.* Pharao, Exodi cap. 1. conſilium init de perdenda Hebraica natione: fitque alter Moſis, per quem perdentur, qui Hebræos in aquis perituros putaverant. Saül, ut Davidem in exitium præcipitaret, cum Philiſtinis commiſit: ſed *supernâ Providentiâ in ſapientia ſua conſilio eſt deprehenſus, & creſcentis militis gloriam cumulavit*, ut ibidem advertit Gregorius. Libro 3. Regum cap. 12. & 14. *Excogitato conſilio* facit Jeroboam vitulos aureos, ne ſui ad Regem Juda, verum Dominum, redeant: idcirco à multis ad Roboami partes tranſeuntibus deſeritur: & iſta denique ipſa excogitatio Iſraëlitis eſt cauſſa exitii. Oſee Propheta cauſſam aſſignat cap. 8. *Ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi*: id eſt, ſic ſe ipſi geſſerunt, quaſi non noſſem. *Argentum & aurum fecerunt ſibi idola, ut interirent. Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ: quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent.* Reges Juda, deliniendo populo, Baalis & aliorum deorum inanium ſimulacra adorant: ob id conſilium, Deus ſcrutatur Jeruſalem in lucernis, & viſitat *ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, qui dicunt, non faciet Dominus benè, & non faciet malè.* Sophon. cap. 1. Laudata Caiphæ prudentia à Judæis, Joannis cap. 11. quando dixit, *Expedit unum hominem mori pro populo, ut non tota gens pereat.* Mortuus eſt homo unus: tota nihilominùs gens periit, captusque eſt aſtutus in aſtutia ſua. Cæſares Romani, cædibus in Eccleſiam naſcentem graſſati, ipſo opprimendi conſilio eam multiplicavêre: Dominus diſſipavit conſilia Principum, & reprobavit cogitationes populorum.

VI.
Malè eligit.

Sæpiſſimè, cùm nobis relinquimur, idem nobis uſuvenit, quod Sigiſmundi Imperatoris aulico apud Peucerum, & ex illo apud Drexelium in Heliotropio. Res ferè ſic habet. Querebatur aulicus obſequiorum mercedem ſibi non donari, obſcurè quidem & ſubtimidè: non ita tamen, ut Sigiſmundus non audierit: longæ enim ſunt, & manus, & aures Principum. Itaque ut amœni erat ingenii, aulæ ſuæ riſum daturus, pyxides duas formæ, materiæ, magnitudinis ejuſdem, gemellas planè, jubet impleri, plumbo unam, auro alteram: ſic tamen ut neutra præponderaret, indicioque nullo deprehendi poſſet, in utra lateret paupertas benè veſtita. Vocatur querulus aulicus, & ne ampliùs de Cæſaria benevolentia expoſtulet, jubetur ipſe ſibi mercedem optare, è pyxidibus iſtis alteram: plumbum uni ineſſe, aurum alteri. Tergiverſanti, excuſantique, & mercedis ſuæ tempus atque electionem permittenti tandem, quod antè oportuerat, arbitrio Cæſaris, pyxides dantur in manus. Incipit invitus agere libripendem: verſat identidem & reverſat utramque, nunc dextrâ, nunc ſiniſtrâ; circumſpicit, explorat, pertentat, quacumque poteſt, & cùm indicii nihil deprehenderet per ſe, ex vultu Cæſaris & ſpectatorum quærere conatur. Anxius aliquamdiu ſortes miſcuerat, cùm tandem, ſeu ne longiore mora tædium crearet, ſeu quia aliqua rectè eligendi conjectura videbatur: hanc, inquit, mihi pyxidem opto, & ſimul eam ambabus manibus comprehendit, velut poſſeſſionem capturus. Aperitur: & ecce tibi plumbea gaza apparuit, queruloque optatori verecundiam incuſſit, aulæ univerſæ riſum excuſſit. Poſtquàm deſiti cachinni, Sigiſmundus ad eum converſus: Tu ergo, inquit, deinceps imputa tibi fortunam tuam, non mihi: quippe ſic ipſemet elegiſti.

VII.
Non fidendum ingenio.

O quoties ſimilia nobis contingunt! Fortunæ dicam impingimus & litem facimus, nova deſideramus, ignota petimus, eligimus pejora, amittimus meliora, affectibus cœci, & à Deo nobis relicti, quia eo duce & electore contenti non ſumus. Auctor Soliloquiorum cap. 16. ſic inducit loquentem Auguſtinum: *Credebam me ſufficere per me, nec perſpiciebam quoniam tu regebas me, donec aliquantulum elongaſti à me, & cecidi ſtatim in me, & vidi, & cognovi.* Verè de illo Monicæ à Simpliciano dictum, *Fidere ipſum nimis ingenio ſuo*: ideoque permiſſus ſibi à Deo, plumbum præ auro elegerat, hæreſin præ Catholica fide, luxuriæ ſordes præ continentiæ luce: donec ſuimet pertæſus, Deo ſe credidit. Philo, libro 2. Allegoriarum legis, de inanibus hominum conſiliis & ingeniis agens: *Audis*, inquit, *interdum medicum dicentem, ego his medicamentis, & alimentis, ægrum meum perſanabo. Sed ſæpe natura ſine iſtis ſanavit ægrum, & cum iſtis interemit.* Agricola ait: Seram, plantabo, apta eſt tempeſtas, culta tellus, ſelecta ſementis: paullò pòſt imber, aut æſtus, aut miles ſpem vanam auferunt. Proinde optimum eſt, poſtquam quod induſtriæ tuæ eſt feceris, eventum Deo credere; neque incertis cogitationibus conjecturiſque fallacibus nimis inniti.

VIII.
Neque arti aut induſtriæ.

Opus Samſone non eſt, ut prudentiæ noſtræ palatia ſubruantur: febricula una non ſolùm ſanitatem & formam auferet, ſed etiam eloquentiæ & ſapientiæ ſilentium indicet. Multos catharrus unicus de prudentiſſimis ſtultiſſimos fecit, de diſertiſſimis elingues. Morbus Maximo Oratori ita memoriam omnem abſterſit, ut ne nominis quidem ſui meminiſſet. Videmus verno tempore hirundinum artem in nidulis concinnandis. Alâ utrâque commadefactâ, aquæ guttulas pulveri inſpergunt, indeque lutum conficiunt, quod roſtris ad domunculam ponendam deferunt. Poſtquam mirâ avium ſagacitate luteum opus perfectum eſt, momento unico diſturbabitur à muliercula, garrulitatis ſuæ æmulas hirundines non amante. Arte maximâ domum tibi conſtruxeris, familiam fundâris, famam labore & intelligentiâ feceris, divitias induſtriâ comparâris: lutea ſunt iſthæc, levi ictu diffringentur; incendio domum, bello familiam, invidiâ honorem, injuſtitiâ opes amittes. *Perdix*, inquit Jeremias cap. 17. *fovit quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio, in medio dierum ſuorum derelinquet eas.* Quod de opibus ille, hoc de creatis omnibus bonis, induſtriâ humanâ comparatis, dicendum: ova eſſe aliena, quæ à perdice incubantur, pullis excluſis ad veræ matris clamorem abituris, & novercam relicturis.

IX.
Non innitendum hominibus.

Demus nihilominùs induſtriam nobis & ſapientiam, quâ regamur, non deeſſe: ſed quid poſſumus, folia quæ vento rapiuntur, tenuiſque pulviſculus minimo flatu avolaturus? Fidis tibi, fidis alteri cuilibet, quicumque ille ſit tandem, homini fidis, qui affectu mutabilis eſt, conditione inſtabilis, corpore fragilis, animo imbecillis, ad extremum mortalis. Fidis illi, quem, uti Pharaonem, ranæ & culices ſubigent; uti Nabuchodonoſorem, inſomnia terrebunt; uti Holofernem, mulierculæ manus auferet: quibus dici poteſt, quod Iſaiæ cap. 1. *Erit fortitudo veſtra, ut favilla ſtupæ*: aut quod apud eumdem cap. 36. *Ecce confidis ſuper baculum arundineum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Poetæ Græci & Latini celebre nobis exemplum, vaniſſimæ & infirmiſſimæ illius potentiæ,

oſtendunt

oſtendunt in Priamo, cui *Quinquaginta intus thalami, ſpes tanta nepotum*, ruentem familiam noo ſuſtulſêre. Illuſtrius longè habes in Gedeonis filiis ſexaginta novem, Judicum cap. 9. & ſeptuaginta Achabi liberis, libro 4. Reg. cap. 10. quos una dies abſtulit, ſpemque poſteritatis præcîdit. Sæculo proximè præterito, Margareta Lotharioga, Alcoſonia Dux, patre, fratribus, marito, liberis idnixa, ante triceſimum ætatis annum luxit quinies & decies funera ſuorum, & dolore ſuo didicit, ſpes in fragili & lubrico non ponendas. Itaque poſtquam toties attata inceſſerat, pro ſymbolo deinceps ſumpſit Eccleſiaſtæ iotercalaria verba, *Vanitas vanitatum*, ſive, ut Auguſtinus legebat, *Vanitas vanitantium*. Sæculo noſtro, Joanna Franciſca Fremiota, cui Director optimus B. Franciſcus Saleſius nomen Philotheæ fecit, poſt mariti Chantalii toparchæ mortem, patris, ſoceri, generi, filii, filiæ, aliorumque affinium funera ſpectata, aut audita, noviſſimè ipſum animi ſui cariſſimum patrem abſens amiſit, vixitque vitæ ſuæ ſuperſtes, ut uni Providentiæ divinæ, quod avebat, inniti aſſueſceret, noſque exemplo ſuo doceret.

X.
Vana refugia.

Pſalmo 30. Vates Regius, *Odiſti*, inquit, *obſervantes vanitates*, id eſt idola, *ſupervacue*, abſque ratione & utilitate ullâ. Auguſtinus in eum Pſalmum, hæc verba ad inanitatem humanæ fiduciæ trahens: *Speras*, inquit, *in pecunia? Obſervas vanitatem. Speras in honore & ſublimitate aliqua poteſtatis humanæ? Obſervas vanitatem. In his omnibus cùm ſperas, aut eu exſpiras, & ea hic dimittis: aut cùm vivis, omnia pereunt, & in ſpe tua deficis.* Idem in Pſalmum 46. explicans hæc verba: *Deus noſter, refugium & virtus, adjutor in tribulationibus: Sunt*, inquit, *quædam refugia, quò quiſque cùm fugerit, magis infirmatur, quàm confirmatur. Confugis, verbi gratiâ, ad aliquem in ſæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur. . . Multi cùm ad talia refugia confugiſſent, cadentibus illis, ad quos confugerant, & ipſi quæſiti ſunt, quos nemo quæreret, niſi ad talia confugiſſent. Non eſt refugium noſtrum tale: ſed refugium noſtrum virtus eſt: cùm illuc confugerimus, firmi erimus.* Stultitiam Philiſtinorum quis non miretur, libro Regum 1. cap. 5. idolum ſuum Dagonis ſæpiùs dejectum, ac fermè comminutum, toties tamen reſtituentium loco ſuo & adorantium? Sic ſunt, qui humanæ prudentiæ, mortaliſque poteſtatis idola, quotidie collabentia, & in partes diſſilientia, pergunt tamen vanæ fiduciæ ſuffiu, & adſpiratione, venerari.

XI.
Arbores nutantes; & umbræ.

Hinc tam altè inſonat Jeremias, cap. 17. utinam ſic ut ab omnibus exaudiatur: *Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*, &c. Origenes illud explicans, *Maledictus qui pendet in ligno*, idem ait ſibi videri, ac, *Maledictus, qui confidit in homine.* Ingenioſè dictum, & verè. Homo enim quilibet, cui confidimus, à quo pendemus, cui incumbimus, lignum eſt ſemiputre, ſaucium, ſic reciſum qootidiana iofirmitate, ut vix cortice hæreat. Aiunt elephantem à veoatoribus capi, notatâ arbore ad quam acclinare ſe ſoler, ut interquieſcat, aut dormiat. Stantem enim dormire, quia poplites flectere vix poſſit, aut ne vix quidem. Arboris autem illius truncum ſecari medium ad corticem uſque, itant vix hæreat, & mole incumbentis animalis ſolo afflicta, illud ſecum trahat. Ita belluam per venatores, rei exitum in inſidiis præſtolantes, occupari, quia ſemel collapſa difficillimè exſurgat. Verúmne id ſit, non diſquiro: cùm à pleriſque olim traditum, hodierni Scriptores teſtes oculati pernegent. Certiſſimum tamen, ea imagine, hominum plurimos ruere & intercipi. Principem Eccleſiæ vident, aut magnatum aliquem divitiis, amicis, honoribus florentem: cedrus Libani ipſis videtur, aut firmiſſima quercus. Incumbunt trunco, quem infortunia aut morbi mox partim ſuccîdent: ita cum proruente ruituri, nec ſurrecturi, niſi ad ludibrium. *Multi*, inquit Auguſtinus in Pſalmum 131. *de amicis potentioribus præſumpſerunt: ceciderunt illi de quibus præſumpſerant, & involverunt illos qui de illis præſumpſerant.* Truncos & arbores vocavi, nimis dixi: umbras dixiſſe debueram, cum Iſaia cap. 30. *Habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Numquam ſpectaſti Jonam ſub umbra cucurbitæ, aut hederæ, lætantem, mox mutaturum, cùm *vermis aſcenſu diluculi* hederam percuſſerit? Sic ſunt gaudia & ſpes mortalium, umbra futilis, verme infirmior, diluculo fugacior, triſtitiam lætitiæ eodem momento admiſtura, & confuſura. Nos in umbra illius qui deſiderandus eſt, ſedeamus, ſub ejus providentia quieſcamus.

XII.
Quatenùs creaturis fidendum.

Sed audio rurſus obmurmurantem humanam prudentiam. Ecquinam enim fæliciores ſunt in hac vita, quàm qui vel ſibi ipſis facere fortunam poſſunt, vel ab amicis accipere? Quid humanâ ſocietate fiet, ſine fiducia? Nolis igitur patri filium inniti, ægrum medico, pauperem liberali, pœnitentem Confeſſario, ſubditum ſuperiori, ſtudioſum ingenio, divitem opibus, ducem militi, Regem potentiæ? Reſpondeat tibi D. Thomas 2. 2. quæſt 17. art. 4. & te moneat, ut iſthæc omnia adſpicias, velut inſtrumenta agentis Providentiæ divinæ. Statuam ſi interroges, perfectionémne ſuam ab inſtrumento, an verò ab artifice exſpectet: ſi reſpondere poſſit, artificem ſtatim nominet. Ita tu à Deo bona omnia exſpecta: artifex eſt: cætera ejus inſtrumenta ſunt. Sic Ezechias de Iſaia judicet: ſic Eſther de forma ſua, Aſſuero placitâ: ſic Rachel de mariti Jacobi caſtis amoribus: ſic Joſephus de genio ſuo & fælicitate: ſic Salomon de opibus: ſic Samſon de viribus: ſic David de fortibus bellatoribus: ſic Judæi de Juda Machabæo: ſic Machabæus de fratris Simonis prudentia: ſic Moſes de Jethro ſocero & conſiliatore: ſic de Moſe Aaron. Inſtrumenta Dei ſunt: fide illis tamquam inſtrumentis, quæ, ſine opificis manu, nihil penitùs queunt efficere. Damnandi itaque, qui, Deum obliti, ſeſe aut alios tantummodò ſpectant io rebus agendis, ſperandiſve, ut ſuprà monuimus.

XIII.
Et Deo.

Objicit ſibi deinde cor fiduciæ neſcium. Feci qood mones: Deum adſpexi, ad ipſum recurri ſæpiùs: maneo interim Saülis inſtar, libro 1 Regum cap. 28. *Qui conſuluit Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Quid mihi ſupereſt, niſi anxii animi triſtis ægrimonia, ut dicam cum Saüle, *Coarctor nimis, ſiquidem Philiſthiim pugnant adversùs me, & Dominus receſſit à me.* Homo infælix, Deus à te non receſſit, niſi ab ipſo priùs receſſeris: providentia ipſius te non deſtituit, niſi eam antè deſerueris, prudentiæ aut tuæ aut externæ nimis confiſus. Sequere Abrahami exemplum Geneſis cap. 22. in re maximi momenti, ubi de unici cæde agebatur, Iſaaco dicentis: *Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* Sequere Suſannam, *quæ*, Danielis cap. 13. in ſummis famæ vitæque anguſtiis, *flens ſuſpexit in cælum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Audi monitum Siracidæ, Eccli. cap. 2. *Suſtine ſuſtentationes Dei: conjungere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua.* Ad increpandam diffidentiam tuam expende verba Auguſtini in Pſal. 145. *Dicatur homini in afflictione aliqua conſtituto: eſt quidam homo magnus per quem poſſis liberari: arridet, gaudet, erigitur. Quod ſi dicatur illi,*

illi, liberat te Deus: quaſi deſperatione frigeſcit. Promittitur auxilium mortalis, & gaudes: promittitur immortalis, & triſtis es? Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus, & tamquam aliqua magno auxilio exultas: promittitur ille liberator, qui liberatore non indiget, & quaſi ad fabellam deſperas? Væ talibus cogitationibus, longè peregrinantur: verè miſera & magna mors eſt in eis.

SECTIO. TERTIA.

Tertium Adjumentum,

Conſideratio inſaniæ & infælicitatis illorum, qui à Providentiâ divinâ ſeſe regi non ſinunt.

I. Calamitas ubique.

PRopheta Zacharias c.5. *Converſus ſum*, inquit, *& levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans.* Græcus textus habet δρέπανον πετόμενον *falcem volantem*: ſed ex Hebræo מגלה Meghillah, aptiùs intelligitur, quomodò & Chaldæus expreſſit, volumen, id eſt membrana ſeu charta volubilis. *Et dixit ad me* Angelus: *Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum.* Area capax deſcribendis Hebræorum omnium meritis & pœnis. Rabbini obſervant ejuſdem prorsùs menſuræ fuiſſe templi Hieroſolymitani portam: videri itaque inde volumen illud exſiliſſe. Ut nempe intelligamus, à Deo deſignatas ac diſtributas fuiſſe Judæis ſingulis calamitates ſuas. *Et dixit ad me* Angelus: *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem univerſæ terræ... Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, &c...* Membrana illa volubilis aptiſſimè, meo judicio, ſignificet, non calamitatem tantùm publicam, quâ Judæi per Babylonios oppreſſi fuêre: ſed quamlibet à Providentia divina hominibus ſingulis deſcriptam, & decretam, fixóque tempore ad quaſvis domos, ex æterni templi adytis, advolantem. Fruſtra portas objeceris, ſeras obſtruxeris, peſſulum obduxeris: nulla non domus afflictioni pervia eſt: laborare debet virtus, ut exerceatur; vitium, ut plectatur.

II. Non benè ubique excipitur.

Id aliàs in Commentariis oſteodemus: & ſimul non omnes, qui laborant, pari tamen ſorte & fructu laborare. Quod Auguſtinus, libro 1. de Civit. eximiè dixit: *Manet diſſimilitudo paſſorum, etiam in ſimilitudine paſſionum: & licèt ſub eodem tormento, non eſt tamen idem virtus, & vitium. Nam ſicut ſub uno igne aurum rutilat, & palea fumat; & ſub eadem tribula ſtipula comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideò oleum cum amurca confunditur, quia eodem prali pondere exprimitur. Ita una eademq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vaſtat, damnat, & exterminat. Unde in eâdem afflictione mali Deum deteſtantur atque blaſphemant: boni autem precantur & laudant. Tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & fragrat ſuaviter unguentum.* Eumdem in ſenſum Bernardus Epiſt. 32. ad Abbatem S. Nicaſii Rhemenſem: *Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit. Ne ergo hæc te tam horrenda, quod Deus avertat, demergat tempeſtas aquæ, &c.* Tum ſubdit hortationem ad patientiam. Nos eodem fine deſcribamus infælicem ac deplorabilem ſtatum impatientium, ut, ex oppoſitione contrarii, virtus, quam commendamus, eluceſcat, & ad ſui amorem nos potentiùs alliciat.

III. Prima impatientium infælicitas.

Ac primùm ex eo miſeri ſunt, quòd quantumvis miſeriis obluctentur, & ægrè ferant incurrentia, ferre tamen inviti cogantur. Cleanthis hac de re verbum ſapiens eſt, à Seneca Latinè factum, ep. 107.

Duc me parens, ſummiq; moderator poli
Quocumque libuit, nulla parendi eſt mora,
Adſum impiger. Fac nolle, comitabor gemens:
Malusq; patiar, facere quod licuit bono.

Meliùs eſt ab Auguſtino monitum audire, in Pſalmum 99. *Noli ſervire cum murmure. Non enim id agunt murmura tua, ut non ſervias, ſed ut malus ſervus ſervias. Servus es Domini, libertus es Domini: non ſic quæras manumitti, ut recedas à domo manumiſſoris tui.* Fruſtra enim exire de domo ejus & manibus quæres, cùm undique compedibus potentiæ ipſius vinctus tenearis, quibus, quantumvis reluctans, trahêris. *Videtis*, inquit idem Auguſtinus in Pſalmum 32. *quanti diſputant contra Dominum. Cùm enim facere voluerit contra voluntatem hominum, quia Dominus eſt, & novit quid faciat, nec tam attendit noſtram voluntatem, quàm utilitatem: illi, qui malunt ſuam potiùs voluntatem impleri, quàm Dei, volunt ad ſuam voluntatem flectere Deum, non ſuam corrigere ad Deum.* De infælici iſtorum conditione prænotata ſunt quædam, partis hujus ſect. 1. numero 6.

IV. Altera.

Nec modò non exeunt malis ſuis, qui obluctantur, ſed ea per ipſam obluctationem augent: & impatientiam, quæ triſtitiæ genus eſt, cordique dolorem imprimit, aliis doloribus ſuperadjiciunt. Febricitans, quantumlibet ſeſe in lecto convolvat, febrim non excutiet, imò agitatione magis accendet. Latro à ſatellitibus comprehenſus, ſi obſiſtit, manicas præterea patietur, & pedibus pulſabitur, & nodoſos ſtipites ſentiet. *Laqueos*, loquit Seneca libro de Conſol. ad Helviam, *fera, dum jactat aſtringit. Aves viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum jugum eſt, quod non minùs lædat ducentem, quàm repugnantem.* Aiunt medici, cùm venenum ab animali epotum eſt, cor, quod illo maximè petitur, intumeſcere, agitari, poros calore diſtendere, ut ſe defendat: & ea ipſa defenſione venenum citiùs ad ſe trahere, atque intrò ſuſcipere. Ita impatientes, nimiâ adversùs dolorem repugnantiâ, & commotione, plus doloris concipiunt, aditumque illi ad cordis intima aperiunt. Narrant, Ageſilao Spartanorum Regi, arthritide vexato, Carneadem Philoſophum aſſuiſſe, &, ne moleſtus eſſet, ſermonem abrumpere, & abire voluiſſe: at illum oſtenſis manibus ac pedibus primùm, dein cordis ſede, dixiſſe malum illic eſſe, huc autem nondum penetrâſſe: itaque aſſideret, & confabularetur. Longè aliter cum impatientibus agitur, quibus majus malum à mali odio, quàm ab ipſo malo eſt: & qui optimè dicere de ſe poſſint, quod aliâ ſententiâ Tobias, *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Quid lætitiæ illis erit, qui Dei providentiam, per calamitates ad æterna ducentem, non adſpiciunt?

V. Tertia.

Creſcit infortunatorum hominum infælicitas ex eo, quod ingentem theſaurum meritorum impatientiâ ſuâ miſerè prodigi perdant. Quantum miles inter vulnera, aulicus inter indignitates quotidianas, ancillæ & ſervi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in ſuis calamitatibus, lucri cum Deo facere potuerant ſi toleranter ferre incommoda ingruentia voluiſſent. Sed heu! *Viri divitiarum dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Struthio, craſſum & ſtupidum animal, alas habet, ſed non ſubvolat. Habuêre iſti alas,

Digitized by Google

alas, quibus in cælum evolarent: in ſabulo ac cœno hærere maluerunt. Hoc Infidelibus exprobrabat Auguſtinus lib. 1. de Civitate: *Perdidiſtis utilitatem calamitatis, & miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis.* Salvianus, libro 7. de Providentia, idem de ætatis ſuæ hominibus conquerebatur: *Quid hoc mali eſt? Iumenta & pecudes ſectione curantur: nos nec cauterii aduſtione, nec ferri deſectione curamur, imò, quod pejus eſt, curâ ipſa deteriores ſumus.*

VI. Quarta. Inde ſenſim ad majus longè infortunium delabuntur, ut quemadmodùm à medico ægri inſanabiles, ita ipſi à Deo deſerantur, & dimittantur ſecundùm deſideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus ſuis. Doctus ſeſſor equo domando frænos, camos, calcaria, virgas, compedes, quidlibet denique adhibuit incaſſum: quid ſupereſt, niſi ut præcipitem abire patiatur, aut à ſe ſaltem ablegetad nautas & aurigas? Pueris efformandis quantam oporteat adhibere diligentiam, nôrunt parentes & magiſtri: clamandum, inſtandum, nunc minis, nunc promiſſis, nunc honoris invitamento, nunc metûs ſtimulo. Poſteaquam incaſſum infrunito adoleſcentulo impenſa ſunt omnia: magiſter denique, aut parens, operam perdere deſinet, & immorigerum relinquet ſibi. Eum in modum Deus acturum ſe affirmat, Jeremiæ cap. 2. *Super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem... Fruſtra percuſſi filios, diſciplinam non receperunt.* Simili cauſsâ & formulâ, Ezechielis cap. 16. Deus ait futurum, ut ultrà non iraſcatur. Famulum neque imperiis, nec probris, nec verberibus obtemperantem herus domo ejiciet, nec recipiet ampliùs, niſi deſipiet. Eodem modo cum Judæis Deum egiſſe, dicit Cyprianus, Oratione 3. contra Judæos. Apud Amos Prophetam cap. 7. Locuſtæ famem, Ignis peſtem, Trulla bellum, flagella tria, aliud ex alio Iſraëlitis immiſſa, indicant. Cæmentarius deinde, de inducendo muro deſperans, *Ponam,* inquit, *trullam in medio populi mei Iſraël, non addam ut ſuperinducam eum.* Cur autem de populi iſtius emendatione deſperatur? Cauſſam habes cap. 6. ubi tempore peſtis nolunt ſibi de Providentia Dei fieri mentionem: *Tace,* inquiunt, *& non recorderis nominis Domini.* Depoſita eſt illorum curatio, qui curari à Deo nolunt.

VII. Ultimum exitium. Quid autem de ejuſmodi hominibus, à Deo deſertis, exſpectandum eſt, niſi extrema pernicies? *Væ eis,* inquit Deus, Oſee cap. 9. *cùm receſſero ab eis.* Recedente ſalute, ſalus ſperari non poteſt. Luce vitaque abeunte, nîl præter mortis umbram & caliginem exſpectari debet. Deſeri à Deo homines, proſperitate & bonis caducis immodicè abutentes, non equidem ita dolendum eſt: receperint bona in vita ſua; in altera crucientur. At infælicitatem tam infæliciter à quibuſdam hominibus excipi, ut ideò divina ope deſtitui mereantur, quis ſatis lugeat? Damnetur Cainus invidiâ, Gigantes ante diluvium injuſtitiâ, Nembrothus homicidiis, Her & Onam infanda mollitie, Sodomitæ infamibus vitiis, Pharao obduratâ contumaciâ, Abiron ſuperbiâ, Core rebellione, Abſalon ambitione, Saul inobedientiâ, Holofernes ebrietate, Jezabel impietate, Antiochus ſacrilegis latrociniis & cædibus, Alcimus infami proditione, Dives Epulo immiſericordi erga pauperes crudelitate, Virgines fatuæ vecordi negligentia, Caiphas politico conſilio, Judas avaritiâ, Pilatus inſano metu diſplicendi. Sed damnari morbis ſuis Jobum, captivitate Joſephum, exilio Jeremiam, cæcitate Tobiam, tormentis ſeptē matris Hebrææ liberos, carcere Joannem, paupertate Lazarum, quis non lamentaretur? Nonne iſthæc foret omnium maximè deploranda infælicitas: hujus vitæ miſeriis æternarum miſeriarum experimentum & præjudicium antecapere; ex Purgatorio tēporali ad inferos deſcendere: cùm alioqui ex Purgatorio ad cælum apertus, facilisque trames compendio duceret?

VIII. Peſſimum impatientium genus. Túne verò, inquis, impatientes omnes eò miſeriarum devenire exiſtimas? Atqui quotumquemque invenies, perfectæ in malis tolerantiæ? Quota ergo hominum pars à Deo non deſeretur, ſi impatientes omnes merentur deſtitui? Ne trepida. Non omnes eodem gradu impatientes ſunt. Primus gradus Impietatis eſt, alter Injuſtitiæ, Stultitiæ tertius, quartus Puerilitatis. De infimo & peſſimo hîc loquimur. Ii ſunt, qui vel apertè Deo obloquuntur, vel apud ſe ſaltem contra ejus decreta obmurmurare audent. Cujuſmodi fuit peſſima, ſi tamen peſſima permanſit, viri optimi uxor, quæ ſub doloribus fatiſcenti inculcabat, *Benedic Deo, & morere,* id eſt, blaſphemam aliquam vocem adversùs Deum evome, ut cæteris tuis calamitatibus mortem adjiciat, harum calamitatum finem, & principium ſcilicet æternarum. Tales fuêre, qui apud Malachiam cap. 3. increpabant claris vocibus, vanum eſſe hominem, qui Deo ſerviret, cùm piis juxta & impiis mala incurrerent. Conſimilia plurima apud Prophetas alios miſerorum Iſraëlitarum, ac Judæorum, verba reperire eſt.

IX. Intoleranda eorum impudentia. *Væ,* inquit Iſaias cap. 45. *qui contradicit factori ſuo, teſta de Samiis terra.* *Ecce,* inquit Jeremiæ calamo Deus cap. 18. *ſicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea:* & tu Baruc, fide ſecretorum meorum depoſitarie, lutum es: & tu Sobna, quantumcumque inter primores emineas, aut eminere videaris, coram Deo lutum es: & tu Rex Sedecia, ſceptro, diademate, purpurâ ornatum lutum es: & vos filiæ Sion, amictæ auro primo & gemmis ſplendidæ, lutum eſtis: & tu Regina, in cultu Perſico & luxu Babylonico, lutum es. Luto ſuo facit figulus quod vult: Deus ſuo, quod volet, non faciat? Aquâ figulus lutum macerat: Deus vult, ut afflictionum aquæ intrent uſque ad animam noſtram. Pinſit lutum figulus: calamitoſos conculcat homo, tota die impugnans tribulat. Figulus manibus lutum effigiat: Deus in homine calamitoſo vertit & convertit manum ſuam. Dirumpit figulus lagenam aut vaſculum ſuum, quando collibuerit, contritione prævalida: Deus confringet ad numerum dentes noſtros, quando fuerit collibitum, & ſicut vas figuli confringet nos. Sapientis erit dicere cum Michæa cap. 7. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei:* aut cum Jobo, *Peccavi, & verè deliqui: & ſicut dignus eram non recepi:* vel, verbis Machabæi noſtri, amantiùs & ſuaviùs, *ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Sin obmurmuret, & conqueratur teſta de Samiis terræ, quis impudentem inſaniam non execretur? Interrogabat Corinthios Paullus 1. epiſt. cap. 9. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Indignetur ſcilicet vitis, uvam à vinitore decerpi & exprimi: non patiatur ovis à paſtore ſe tonderi. Iraſcatur homo, quod à Deo in torculari dolorum ponatur, & bonis caducis velut lanâ ſpolietur: cùm tamen longè magis proprium ſit Dei peculium, quàm vinea vinitoris, aut vervex paſtoris. Mactabitur itaque pecus inutile: vitis obdurata & infrugifera reſecabitur, ut flammis pabulum fiat: & homines tam inſanè & impudenter impatientes, ſicut oves in inferno ponentur, mors depaſcet eos.

X. Genus alterum. Alterum impatientium genus, Deo quidem parcit, at non ſibi: id eſt adversùs Providentiam divinam directò non pugnat, ſed indirectè, & per ſuum ipſorum latus. Iſti ſimul infortunium haud exſpectatum incurrere, attoniti hærent, velut quos fulmen perculit: mox projecto animo, depoſitâ omni de Deo fiduciâ, à ſolitis pietatis exercitiis ceſſant. Quibus optimè Bernardus ſuum illud, epiſtolæ 256. ad Eugenium Papam, accinuerit: *Numquid ideò debet homo facere quod non debet, quia Deus facit quod vult?* Pejori loco erunt, & ad primum impatientium genus accedent, ſi, ut calamitates exeant, ad malas artes confugient, nec tantùm bona debita omittent, ſed etiam mala vetita committent. Eum in modum Saül, ingruentium hoſtium metu percitus, poſteaquam reſponſum à Deo nec per ſacrificia, nec per vaticinia, nec per ſomnia ſignáve accepit, ad pythoniſſam conſulendam profectus eſt. Ita Judæi, ab Aſſyriis ſibi metuentes, ad umbram Ægypti, vetante nequidquam Deo, refugerunt, &, ut biberent aquam fluminis, dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

XI. Tertium. Frequentiores multò ſunt impatientes tertii gradûs: qui nec Deum apertè impetunt, nec ſemetipſos tam craſsè lædunt, ſed de rebus, temporibúsve, cum indignatione conqueruntur. Immeritò tamen, cùm ſcire debeant, res omnes, ac tempora, Providentiæ divinæ ſamulari: & noctes ac dies, frigus & æſtatem, creata quælibet magna ac puſilla, benedicere Domino, quia faciunt verbum ejus. Obmurmurabat aliquando Maria Diazia, in Vita P. Baltaſſaris Alvarez, de frigoris hiberni inclementia: cùm illicò vocem intùs monentis audiit: ego frigus iſtud feci, tu de illo, quaſi nimium eſſet, ſubmurmuras? Ad eamdem claſſem pertinent, qui opere, itinere, conſilio, ex ſententia non ſuccedente, bilem in animalia aut inſtrumenta inanima, exonerant. Hi cum Balaamo, aſinam percutiente, mereantur habere correctorem inſipientiæ ſuæ ſubjugale mutum animal.

XII. Quartum genus. Quartus gradus eſt pueriliter impatientium, querulorum ad omnia, perpetuò gementium, cuilibet mala ſua aperientium, ad inanem conſolationem aut miſericordiam captandam. Prorsùs, quemadmodùm dicere ſolitus B. Franciſcus Saleſius, ſicut pueruli, qui ubi ſummum fortè digitum aduſsêre, matri oſtendunt, tum patri, dein ſororibus, dein obviis quibuſcumque notis, neque antè lamentari ceſſant, donec omnes inſufflârint, aut inſpuerint. Rectè de hoc puſilli animi vitio Seneca, libro de Conſolatione ad Polybium; *Non ſentire mala ſua non eſt hominis; non ferre non eſt viri.* Ingemiſcet aliquando vir fortis, infortuniis percuſſus, amicoque uni atque alteri, ad leniendum doloris ſenſum, ſeſe aperiet. Neque enim fortiorem ego Chriſto Chriſtianum eſſe voluerim. Ingemuit, triſtis eſſe voluit, diſcipulis non omnibus, ſed tribus, animi ſui mærorem detexit: neque iſthæc gravitati & fortitudini ſuæ indecora eſſe judicavit. Sic agat æger, pauper, mæſtus Chriſtianus, per me licet. At ubi naturæ iſtud dederit, conetur eodem Chriſti exemplo ſeſe erigere, nec malis cedere, ſed contra ire audentior; certus, quæcumque à Dei voluntate eveniunt, videri potiùs mala, quàm eſſe.

PARS QUARTA.

Fructus bonæ Voluntatis.

SECTIO PRIMA.

Primus conformatæ cum Divina voluntatis fructus, *Gloria Dei.*

I. Exoluntata bonæ voluntatis. PRÆSTRUCTIS ternis conformandæ humanæ voluntatis cum divina fundamentis: explicatis actibus tribus, quos divinæ debet voluntati humana: ternis item ad illos faciliùs ac procliviùs producendos adjumentis monſtratis: ſupereſt, ut ad faſtigium ædificii imponendum fructus ternos, ex eo exercitio orituros, exponamus. Angeli Chriſto naſcente concinuêre, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, id eſt, ut quidam explicant, Pax hominibus, quibus benè vult Deus. Alii eos intelligunt homines bonæ voluntatis, qui bonam in ſe habent voluntatem, & conjunctam cum omnium voluntatum optima: neque enim bona eſſe voluntas poteſt, niſi divinæ hæreat. Qui ſic ſunt comparati, ut exemplo Chriſti naſcentis velint quod Deus vult, dant Deo gloriam, quanta hîc dari poteſt. Sibi pacem comparant, id eſt abundantiam bonorum ſpiritualium, quam pacis nomine apud Hebræos ſignificari ſolitam, notum eſt, & nos alibi dicemus. Tranquillitatem denique internam & quietem animi poſſident, quanta uſquam in hac mortalitate obtineri poteſt.

II. Gloria Dei duplex. Duplex Gloria Dei eſt: una naturæ ejus inſita, & coæva: altera extrinſecùs & cum temporum fluxu adveniens: ſive, ut modò loquimur, Eſſentialis una, & interior: Accidentalis altera, & exterior. Eſſentialis & interior eſt, quam Deus dat ipſe ſibi, ſeſe intimè ac perfectè cognoſcendo, & tanti faciendo, quanti eſt: eſtque hæc gloria æqualis ejus merito, quia infinitus infinitum comprehendit, claramque habet ſui cum laude amoréve notitiam. Accidentalis & exterior eſt, quæ Deo à creaturis intelligibilibus defertur, cùm Deum cognoſcunt, cognitumque honorant, actibus vel internis tantùm, vel etiam externis. Nihil autem per iſtam extrinſecùs advenientem gloriam Deo accedere, manifeſtum eſt: cùm ante creationem intelligibilium mentium, æquè ac modò, magnitudinis omnis ſummæque gloriæ compos fuerit. Cognoſcebatur enim ab intellectu infinito, & amabatur ab infinita voluntate, id eſt à ſeipſo: cui cognitioni & dilectioni quidquid addatur, nihil tamen addetur, quia finitum additum infinito non facit majus. Et hac ſententiâ intelligendum iſtud Pſalmi 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Dominus ideò verè Deus eſt, quia ſibi ſufficit ſolus, re nulla indiget extra ſe, αὐτάρκης & ſeipſo contentus.

III. Vult Deus gloriam. Gloriam nihilominùs ſibi à nobis dari vult, non quia indiget, ſed quia nequit nō exigere, poſtquam nos creavit. Itaque per Iſaiam, cap. 42. denuntiat, *Gloriam meā alteri non dabo.* Et Vates Regius, divinæ voluntatis conſcius, monet Pſalmo 28. & 95. ut afferamus Domino gloriam & honorem, afferamus Domino gloriā nomini ejus. Angeli denique, præcones & choraulæ Dominici, canunt, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volūtatis.* Ubi audis gloriā Deo tāquā propriā aſſignari, pacē hominibus proponi: quēadmodùm piè notat Bernardus, addiſque homines, qui, pace nō contenti, gloriā Deo debitā invadunt, & pacē perdere & gloriā.

Quod

Digitized by Google

Quod autem diximus, Deum non poſſe ab hominibus gloriæ tributum non exigere: cauſſa hæc eſt. Quiſquis ex ratione agit, propter finem aliquem operetur neceſſe eſt. Finis autem ultimus propter quem agit, debet operante eſſe nobilior, vel æquè nobilis: quia laborare alicul, ſive ejus gratiâ nemo poteſt, quin eâdem operâ ſeſe illi aliquo modo ſubmittat. In quotidianis actionibus id facile ootatu eſt: quando ita hominis alicujus cauſsâ agimus, ut in ejus obſequio tamquam fine de ſe primario, extrinſecùs ſaltem ita ſe habente, ſiſtatur. Moſes ovibus ſoceri ſui Jethronis curandis præeſt: cùm id cauſſa ſoceri faciat, ei ſe hoc pacto ſubjicit. Joſephus ad domeſticas res Putipharis, in ejus gratiam & obſequium, attendit: adeoq́ue hac ratione Putiphari fatetur ſe ſubeſſe. Ruth, alendæ ſocrui, ſpicilegium facit, eiq́ue, id faciendo, ſubmiſſionem profitetur. Deus, qui cùm ſummus ſit intellectus intelligentiſſimè agit, in rebus creatis producendis, conſervandis, concurſu ſuo ad operationem admovendis, finem aliquem ultimum ſpectare debet: non alium utique, quàm ſeipſum, quia nihil illi æquale eſt, cui ſe ſubmittere poſſit, ejus gratiâ velut ultimi finis laborando. *Omnia* ergo *propter ſemetipſum*, id eſt ad gloriam ſuam, neque enim ad commodum vel ad voluptatem, *operatus eſt Dominus*, Proverb. cap. 16. *Et gentes creavit in laudem, & nomen, & gloriam ſuam*, Deuteron. cap. 26. Unde neceſſariò conficitur, Deum debitæ ſibi ab hominibus gloriæ renuntiare non poſſe: niſi, quod fieri nequit, finem ipſe ſuum aſſequi non vult, ac deſtituit.

IV. Dei glorificatio qualis? Id nunc agimus, ut demonſtremus, à mortalium nemine tributum iſtud meliùs exſolvi, quàm qui voluntatem ſuam divinæ in rebus omnibus ſtudeat conjungere. Geminus enim modus eſt gloriæ Deo tribuendæ, ut vel ipſe Deum laudes, vel aliis materiam laudandi de te præbeas: id eſt ſcholaſticis verbis, ut vel Efficienter, vel Objectivè glorifices. Hoc ſolùm modo inanima, & rationis expertia, Deum laudant, intelligentibus creaturis argumenta laudum ſubminiſtrando: ideoq́ue in Pſalmis ad eum benedicendum invitantur. Rationis autem compotes creaturæ utroque modo ſummi opificis honorem amplificare debent. *Videant*, inquit Chriſtus diſcipulis ſuis Matth. cap. 5. *opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Et D. Petrus epiſtolæ 1. cap. 2. hortatur Chriſtianos ad virtutum exercitationem, ut Infideles, ex bonis operibus eos conſiderantes, glorificent Deum. En laudandi rationem objectivam. Efficienter glorificamus, vel internis actibus adorationis, ſubmiſſionis, donationis: vel externis, voce aut geſtu formatis, quò præſertim pertinent cantus ſacri & cæremoniæ Eccleſiaſticæ.

V. Sita in cōjunctione cum voluntate Dei. Externa glorificatio vim omnem ac pretium ſumit ab interna. Fruſtra enim lingua laudat, ſi mens non commendat. Itaque de illa hîc non agimus, cùm à malis peræquè adhiberi poſſit, quàm à bonis. Confitetur enim Deo impius, cùm benefecerit ei. At bonus Deum laudat, quidquid ei evenerit: laudat, inquam, voce interdum, ſemper corde, vocaliſſimo & ſuaviſſimo glorificationis divinæ inſtrumento. Cor enim ipſius rectum eſt cum corde Dei: vult fieri, quod Deus facit: fieri non vult, quod non facit Deus. Atqui conſtat, quidquid Deus facit, ab eo ad ſuam gloriam referri. Eſſe igitur nequit, quin Dei gloriam velit, qui vult quod vult Deus. Ampliùs dico, non gloriam Dei ſolùm ſpectari ab ejus mentis homine, ſed etiam majorem gloriam. Dubitare enim non poſſum, quin Deus non gloriam modò ſuam, verùm & majorem gloriam intueatur in agendo: ejusq́ue minùs ſtudioſus non ſit, quàm Sanctorum multi, quibus non honor Dei qualiſcumque, ſed ſummus ſemper ac perfectiſſimus pro fine propoſitus fuit. Illuc reſpexêre Divi Auguſtinus & Thomas, cùm dixerunt, optimum ſemper in omnibus à Deo fieri, ut partis 1. ſect. 2. ad calcem adduximus. Idem, opinor, intuebatur, & expenderat, Henricus Suſo apud Bloſium in dictis Patrum, cùm pro virtutis conſummatæ ſtabiliſſimo fundamento poſuit: *Vitam eminentem, quâ Deus maximè glorificaretur, non in eo poſitam, ut quis affluat ſenſis divinis, & ſolatiis, ſed ut evenire velit omnia, ſicut à Deo eveniunt, & voluntatem ſuam in quibuſlibet rebus divinæ ſubmittat.*

VI. Velis eſſe, quod es. Quare ubicumque tandem te poſuerit, qualemcumque te fecerit, quo te cumque officio donârit, eſto contentus. Si enim contentus non es, jam tibi ſatis non eſt, quod Deo ſatis eſt, qui tamen omnia ad gloriam ſuam refert, cùm propter ſe neceſſariò laboret. Potuit tibi Deus ingenium dare per omnes ſcientias agile, quale D. Auguſtino: ſacrarum literarum intelligentiam, qualem D. Hieronymo: claritatem Angelicam, qualem D. Thomæ Aquinati: melleam & lacteam ſuavitatem, qualē DD. Ambroſio & Bernardo: linguam eruditam, ut poſſes ſolari eos qui confracti ſunt corde, qualem D. Chryſoſtomo. Non dedit tibi, quia dare noluit, & noluit intuitu gloriæ ſuæ, quam in rebus ſingulis ſpectat: velis & tu iſtud, & voles Dei gloriam: majorem dicere potueram, ſed omiſſa illa majoris gloriæ quæſtione, quæ aliquam forſan diſputandi occaſionem præberet, id ſolummodò dicamus quod indubitatum eſt; fore ut gloriam Dei velis, quotieſcumque voles eſſe quod es. Potuerat tibi eximium zelum animarum inſpirâſſe: ut maria enavigares, ſolitudines emetireris, ſaluti humanæ procurandæ; & illîc piſcator hominum fieres, hîc venator, Apoſtolorum, Apoſtolicorumq́ue hominum exemplo. Potuerat illuſtres generoſa nobilitate parentes deſtinâſſe: ut in excelſo loco virtutes tuæ illuſtriùs emicarent. Potuerat mentem ſcientiis civilibus implêſſe, ſagacitate acuiſſe, judicio firmâſſe, moribus perpoliſſe: ut intelligentia eſſes urbium ac provinciarum, & Reges ac regna regeres. Potuerat opes in ſinum tuum congeſſiſſe, quantas largiſſima caritas in egenos numquam exhauriret. Potuerat tibi corpus efformaſſe laborum, vigiliarum, jejuniorum, dolorum tam patiens: ut Eliæ, Antonio, Hilarioni, Romualdo par, infligendis tibi ultrò ſuppliciis, incederes. Noluit iſtorum quidquam: rudem te fecit, & ignobilem, & pauperem, & infirmum: fecit, quia voluit: voluit, quia ad gloriam ſuam conducebat, neque enim aliter velle poteſt. Velis igitur eſſe quod es, & quod Deus vult, eaq́ue ratione voles ejus gloriam: ſin minùs, tantum ab ejus gloria aberras, quantum ab ejus voluntate, etſi tibi de fine bono blandiaris. Eliciet quidem Dei ſapientia ex ipſis erroribus tuis gloriæ ſuæ fructum, ſed tu illum non produxeris: producturus tamen, ſi is eſſe maluiſſes, quem te deſtinârat, quàm quem te fingebas.

VII. Ita Beati agunt. Inter beatos Angelos & homines magna eſt, quemadmodùm meritorum, ita & graduum ac beatitudinis inæqualitas. Summus Seraphinorum longè perfectiùs Deum cognoſcit & amat, adeoq́ue & perfectiùs laudat, quàm ejuſdem ordinis medius: & hic perfectiùs infimo, ac ſic deinceps. In hac varietate non tantùm nulla eſt invidia, quia unum volunt, unum nolunt, unitas eſt mentium: ſed neque ullum eſt deſiderium, alio gradu aut ratione Deum glorificandi, quàm ſinguli locis ſuis faciant. Incidat fortè hæc cogitatio: nonne ſi in altiori ſim beatitudinis

beatitudinis dignitate, in clariori lumine, plus Deum laudem, quàm ounc? Illicò ſibimet reſponderit Beatus: Deus hîc me eſſe voluit: vult autem Deus gloriam ſuam: ergo ex ejus gloria eſt, ſic me eſſe. Eâdem cogitatione Beatus non modò nollet eſſe major, ſed neque vellet peccata ſua neſciri, erroresque, quorum cauſsâ amplior ipſi merces donata non eſt: quia ex eorum notitia Dei miſericordis hooor exiſtit. Imò licèt peccata, cùm aliena, tum ſua oderit, quia odit Deus: permiſſionem tamen illorum amat, & vult, quia voluit Deus, nec velle potuit, niſi ad optimos fines. Adeoque mala omnia, non modò bonis naturæ adverſa, ſed etiam bonis gratiæ inimica, Beatum noo angunt, quia unam Dei gloriam & voluntatem intuetur. Ut jam mirum non ſit, Angelis perinde eſſe, quid in Univerſi rerumve ſingularium gubernatione agant, dum id agant, quod Deus vult. Tanti eſt Cuſtodi genio infantis pauperculi curam gerere, quanti cælum inexplicabili pernicitate rotare, exercitus ducere aut fundere, populis & imperiis cuſtodiendis præeſſe. Cùm enim unam Dei gloriam ſpectent, eamque in Dei voluntate ſitam eſſe ſciant, nil aliud velle debent, quàm Deus velit.

VIII. Sacrificium voluntatis. Si ea conſideratio, quamvis fundatiſſima, nimis ad Theologiam myſticam videtur pertinere, & altioris eſſe indaginis: familiarem magis & obviam ſuggero. Ille Deum maximè glorificat, qui nobiliſſimum ipſi offert ſacrificiorum omnium. Nil autem eſt in homine nobilius voluntate, nil altius, nil liberius, nil vaſtum magis & capax. Domina eſt facultatum omnium, eique intellectus ipſe, nedum potentiæ aliæ, anteambolonis inſtar facem prælucẽtis, famulatur. Sui autem ipſa juris eſt, nec cogi ab ullo poteſt: vi quantavis externa flecti, opprimive neſcit; ſolis cedit ſuavibus invitamentis, & rapi ſe ſinit, quia gaudet. Denique immenſi ſinûs eſt, & inexpleti, ſemperque ac ſemper nova deſiderat, donec infinito ſatietur: omninò enim vult infinitum bonum, idque amat, & ejus capax eſt. Intelligentiæ vim mirabatur Gregorius Nyſſenus, quòd momento uno in cælos è terris ſubvolet, & immeola ſpatia cogitatione unica emetiatur ac complectatur. Plus tamen longè licet voluntati, quàm intelligentiæ: & multò aliter appetere ac deſiderare poſſumus, quàm perſpicere. Etſi enim voluntas non fertur in incognitum, non antè tamen neceſſe eſt perfectè rem intelligi, comprehendive, quàm perfectè deſideretur, ſufficitque, ad hoc, ut vel tenuiter & ex umbra appareat. Itaque non in eo ſolùm voluntas intelligentiæ antecellit, quòd hera eſt ac regina, & ſui in agendo arbitrii, ſed etiam quòd agendo longiùs ſeſe, latiusque, poteſt extendere.

IX. Nobiliſſimum omnium. Verſa te in quamcumque partem, & perpende, quid Deo ſacrifices; quid hoſtiæ euchariſticæ, aut holocauſti loco, deferas. Pecuniam, aliaque extra te quælibet, fruſtra obtuleris, ſi tui ipſius nihil addideris. Neque enim tua petit Deus, ſed te. Offer ſanè illi linguam tuam, ejus majeſtatem prædicando; oculos, mirabilia ejus legendo ac ſpectando; aures, de ipſius laudibus audiendo; intelligentiam, arcana divinitatis contemplando: ſed ante omnia cedò voluntatèm, ſine qua ſacrificium perfectum non eſt. Ita Paullus, ad Hebr. cap. 10. Chriſtum inducit loquentem: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata, & pro peccato non tibi placuerant, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Nullum holocautoma ſuavioris eſt odoris Domino, quàm immolatio propriæ voluntatis. *Nihil gratius,* inquit Auguſtinus in Pſalmum 131. *Deo poſſumus offerre, quam ut dicamus, quod dicitur in Iſaia, Poſſide nos,* & nobis utere velut re tua, in omnibus. Iſaias c. 62. mentem juſti pingens ſub civitatis Hieroſolymitanæ imagine: *Vocabitur,* inquit, *tibi nomen novum, quod os Domini nominabit, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata: ſed vocaberis, Voluntas mea in ea.* Appelletur paſſim nobiliſſima illa civitas, *Ieruſalem*, id eſt, *Viſio pacis:* indigetetur à Baruc cap. 5. *Pax juſtitiæ, & honor pietatis:* nomen ejus ſit apud Ezechielem cap. ult. *Dominus ibidem:* vocetur à Zacharia cap. 8. *civitas veritatis.* Altiſſimum inter omnia & excellentiſſimum civitatis Dei, & Chriſtianæ mentis, elogium eſt, *Voluntas Dei in ea.* Heroibus noſtris & Heroinis Chriſtianis, ex admiratione virtutum varios titulos fecit pia poſteritas. Theologos vocamus, Nectareos, Eleemoſynarios, Seraphicos, Angelicos, Malleos hæreticorum, Magnos, Magiſtros orbis. Doctores gentium, Dilectos diſcipulos, Amicos ſponſi, Columnas fidei, Petras Eccleſiæ, Viros ſecundùm cor Dei, Patres fidelium, Homines juſtos atque perfectos in Scripturis legimus. Congerantur licèt in unum nomina id genus omnia, præ cunctis hoc erit, *Voluntas Dei in ea.* Prorſus ut de homine ſic comparato Deus glorietur, velut de corona gloriæ, aut diademate regni.

X. Admirationi eſt patiens. Neque enim homo ejuſmodi in ſe ſolùm, & efficienter Deum laudat, ſed etiam in aliis ſeu objectivè, ipſos virtutis ſuæ contemplatione & admiratione ad Dei laudem excitando. Eccli. c. 45. Siracides de veſtimentis Pontificiis Aaronis loquens, *Sic pulcra,* inquit, *ante ipſum talia non fuerunt uſque ad originem,* ita ut mererentur nominari, *deſideria oculorum ornata.* In illis maximè notandum, quòd vice fimbriarum circumpenderent tintinnabula trecenta ſexaginta ſex, ad numerum dierum anni unius. Factum id primùm, ut ſummus Sacerdos, aliique per ipſum monerentur, Deum non ſolùm ſingulis anni tempeſtatibus, menſibúsve, aut hebdomadis, ſed etiam diebus omnibus, eſſe laudandum. Deinde, ut ad tot tintinnabulorum ſonitum excitatus populus, ſummum Sacerdotem in templum ingredientem ſpectaret: ipſe interim, omnibus in ſe intentis, in unum Deum intenderet, eoque fine appenſum in fronte ſuper oculos geſtaret tetragrammaton nomen. Ita cum illo agitur, qui quotidianum voluntatis ſuæ holocauſtum, in templo divinæ gloriæ, ſummò Numini immolatum venit. Huc verſùs oculos & admirationem cuncti conjiciunt, ut ſpectent hominem æquali vultu, ex Dei arbitrio, bona malaque fortunæ eventa excipientem, &, quacumque incedat, in unam Dei voluntatem defixum. *Ita affecti ſumus,* inquit Seneca libro de Conſolat. ad Helviam, *ut nihil apud nos æquè magnam admirationem occupet, quàm homo fortiter miſer:* quantò magis, apud nos, homo Chriſtianè miſer?

XI. Et exemplo. Nec ſterili ſolummodò admirationi eſt, ſed etiam incitamento ad virtutem. Unde putas mundus ita repentè ad Chriſtianam legem, naturæ difficilem, intelligentiæ arduam, ſuperbiæ deſpicabilem, inolitæ populorum conſuetudini contrariam, vitiis inter mores imò & inter numina repoſitis inimicam, converſus eſt? Patientia Apoſtolorum plus potuit, quàm vel miracula, vel verba: *ibant enim gaudentes à conſpectu concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Poſt ætatem Apoſtolorũ Martyres & Doctores floruêre: utriſque incrementũ ſuum debet Eccleſia, plus tamẽ illis, quàm iſtis. Spectabantur ab Infidelibus pueri & puellæ, ſupra ſexum & ætatem

fortes,

fortes, calcatis voluptatibus, irriſis minis, in tormenta & mortem involantes, & caducis omnibus altiores. Attonitis ad ſpectaculi novitatem ſuccurrebat cogitatio, Deum quem Martyres colerent, præ quo vitam contemnerent, quem inter ipſa tormenta laudarent, magnum omninò eſſe & amabilem. Inde, ut Tertullianus loquitur in Apologetico, *Semen erat ſanguis Chriſtianorum*: aut, ut ex Tertulliano Hieronymus tranſtulit, *Sanguis Martyrum, ſemen Chriſtianorum*. Stobæo narrante, ſoliti Perſæ in jus à Rege vocati, & ejus juſſu flagellati, gratias agere, quòd ſui meminiſſet. Ecquis ad iſtud ſpectaculi non dicat: En ſubditos mirandi in Regem ſuum affectus, aut reverentiæ: læſi non tantùm non queruntur, ſed etiam gratias agunt? Contemplare Tobiam, non contriſtatum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei, ſed gratias agentem omnibus diebus vitæ ſuæ: audi Laurentium de ſe dicentem, *Ad ignem applicatus te Dominum IESVM confeſſus ſum, aſſatus gratias ago*: quid de ſervis illis, à Domino percuſſis, & Dominum laudantibus, cenſebis?

XII. Nobis ipſis. Ex nobis ipſis æſtimemus, quàm verum ſit illud Divi Leonis: *Ad erudiendum populum Chriſtianum nulla eſt aptior forma*, id eſt, non eſt potentius quidquam *Martyrum eloquentiâ*. Adeamus cum Epiſcopis Palladio, Dioſcoro, Evagrio, octogenarium anachoretam, poſt ſanatos aliorum morbos omnigenos, hydrope inſanabili tumidum, & inter ægritudinis moleſtias lætiorem, quàm aliàs umquam. Introſpiciamus in alio tuguriolo anachoretam Stephanum, inter chirurgi manus, putria membra reſecantis, ab opere ſtorearum texendarum non ceſſantem, & gementibus, atque horrentibus cæteris, dicentem: Filii, quidquid Deus facit, ad bonum finem facit, ſit benedictus. Ecquis noſtrûm à tali ſpectaculo non redeat animoſior, & divinæ voluntati conjunctior, iteretque centies, Deus ſit ubique & in omnibus benedictus? Ecquiſnam, ſi quid Chriſtianum ac divinum ſapit, non lubens iter benè longum emetiatur, ut ejuſmodi ſpectaculo paſcat animum, & ſupra metus ac dolores erigat?

XIII. Deo jucundum ſpectaculum. Præſertim cùm Deus ipſe amet ac gaudeat illud contemplari, & veluti gloriæ ſuæ favens, ſibimet inde applaudat. *Quàm pulcrum*, inquit Minutius Fælix in Octavio, *ſpectaculum Deo! Cum Chriſtianus cum dolore congreditur: cùm adversùs minas, & ſupplicia, & tormenta componitur: cùm ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens, inſultat: cùm libertatem ſuam adversùs Reges & Principes erigit, ſoli Deo, cujus eſt, cedit.* D. Stephanus, *operarius victoriæ Dei*, ut Tertullianus de Jobo loquitur, Corona Dei, & à Deo coronandus, cùm eſſet agni inſtar inter lupos, *intendens in cælum vidit gloriam Dei*: nil aliud inter patiendum ſcilicet intuebatur, quàm quod vidit. In eo tota ipſius mens defixa erat, ut honor Domini creſceret, quibuſvis honoris ſui ac vitæ diſpendiis. Et ecce tibi JESUM ſtantem à dextris virtutis Dei: ſtantem, inquam, non auxilii tantùm, patrociniive, aut honoris cauſsâ: ſed etiam, ut eò pleniùs, & commodiùs, jucundo ſibi ſpectaculo fruatur, famuli ſui cum doloribus & morte congredientis. Solemus enim ad magna & repentina ſpectacula, ut ea meliùs oculis capiamus, exſurgere. Nec ſoli Stephano id contigiſſe, verùm & Martyribus aliis, ait Cyprianus, epiſtolâ ad Martyres & Confeſſores: *Vidit admirans præſentium multitudo cæleſte certamen... O quale illud fuit ſpectaculum Domino, quàm ſublime, quàm magnum, quàm Dei oculis, Sacramento ac devotione militis ejus, acceptum! Quàm lætus illic Chriſtus fuit! Quàm libens in talibus ſervis ſuis pugnavit, & vicit!*

XIV. Et honorificum. Legimus ſæpè hiſtoriam Jobi, ſæpiùs legi dignam, cùm digito Dei ſcripta ſit, & quidem primo inter ſacros libros loco, & à Moſe, ut plerique exiſtimant, ad ſolatium Iſraelitarum, Ægyptiaca tyrannide afflictorum. Nonne capite 2. videatur, benè attendentibus Scripturæ verba, gloriari de Jobo Deus, & quaſi applauſum & gratulationem flagitare, quòd eum habeat ſervum, tam fidelem conſtantemque, ut in quibuſvis calamitatibus iteret, *ſit nomen Domini benedictum? Conſideraſti*, inquit, *ſervum meum Iob*, quàm ſimplex & rectus ſit, & poſt tanta mala *adhuc retinens innocentiam ſuam?* Id expendens Tertullianus, libro de Patientia, magnificè more ſuo ait: *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo exſtruxit! Quale vexillum de inimico ſuo extulit! Cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore exprimeret, quam, Deo gratias... Quid? Ridebat Deus. Quid? Diſſecabatur malus. Cùm Iob immundam ulceris ſui redundantiam magnâ æquanimitate diſtringeret: cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus, & paſtus, foraminoſæ carnis ludendo revocaret.* Accidit in illo mirandæ tolerantiæ Heroe, quod deſignabat Seneca, libro de Providentia: *Nobis interdum voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit, ſi leonis incurſum imperterritus pertulit, tantoq; ſpectaculum eſt gratius, quantò id honeſtior fecit... Ecce ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis, cum malâ fortunâ compoſitus, utique ſi & provocavit.*

Adeò gratum eſſe Deo ſpectaculum Seneca exiſtimat, congredientis cum calamitate viri fortis, ut illam non excipi modò, ſed etiam ultrò laceſſiri & provocari velit: paullò aliter quàm ſcripſerat epiſtolâ 67. *Non ſum tam demens, ut ægrotare cupiam: ſed ſi ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effeminatè faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt, ſed virtus, quâ perferuntur incommoda.* Sic tunc Seneca ſentiebat. At Chriſtianus, imò verò, inquiet, ipſa incommoda optabilia ſunt virtuti perficiendæ, & gloriæ gaudioque Dei, ſi ſic loqui fas eſt, augendo. Deſideravit Chriſtus, cùm dixit ſe coarctari, id eſt votis affectibusque urgeri, & ſtringi, donec baptiſmus ſuus, ſic Paſſionem vocabat, perficeretur. Deſideravit Virgo, quæ, ut moriente filio plus doloris ex conſpectu hauriret, *ſtabat juxta Crucem*, &, quod de Chriſto Tertullianus dixit, *ſaginari volebat, voluptate patientiæ*. XV. Mala an optabilia.

XVI. Sancti deſideravêre. Deſideravit exemplo utriuſque Catharina Genuenſis, quæ c. 50. Vitæ, inter extremos & acerbiſſimos dolores dicebat: ſunt anni ſex ſupra triginta, ex quo me amor illuminaſti, ab illo tempore nihil deſideravi, niſi pati intùs & foris. Deſideravit Catharina Senenſis, quæ roſis neglectis ſpinas elegit. Deſideravit Tereſa, cui familiariſſima vox erat, & intercalare in ipſis cantibus verbum, *aut pati, aut mori*. Deſideravit Petrus de Alcantara, cujus apud Deum fermè quotidiana fuit petitio, ut ſine afflictione aliqua numquam eſſe ſineretur. Deſideravit Alexander Luzzagus, D. Carolo Borromæo inter intimos amicorum, cui conſuetum unico ſæpè calami ductu ſcribere ter, Pati, pati, pati. Deſiderarent Beati genii, ſi qua in beatitudinem poſſet irrumpere patiendi occaſio: quandoquidem, ut B. Franciſcus Saleſius cenſuit libro 5. epiſt. 38. niſi invidere nequirent, proculdubiò inviderent homini, pro quo pati Deus voluit, & qui pro Deo pati poteſt. Deſiderari vult ab omnibus eximiæ perfectionis ſtudioſis D. Ignatius, cùm in tribus ſanctimoniæ, ſeu humilitatis ut ipſe loquitur, gradibus, illum ſupremo loco ponit: infimum eſſe, horrorem quorumvis peccatorum, quantumvis veniabilium, præ morte ipſa: medium, Indifferentiam

indifferentiam mentis ad eventa quævis aſpera aut ſuavia, prout bonor Dei exigeret: tertium, propenſionem majorem ad aſpera quàm ad ſuavia, quamvia inde ad gloriam Dei nil aliud accederet, quàm imitatio Chriſti. Si nobis nondum ſatis animorum eſt, ot illuc aſpiremus, conſiſtamus ſaltem in altero gradu, & in quamvis partem Deo placuerit, parati ſimus: Davidis exemplo, libri Regum 2. cap. 15. generosè proountiantis, & ex animi ſententia. *Si autem dixerit* Deus, *non places, preſtò ſum, faciat, quod bonum eſt coram ſe.*

SECTIO SECUNDA.

Fructus alter,

Meritorum, ſeges ampliſſima.

I. Gloria hominis ex Dei voluntate. GLoriam Deo accedere diximus, ex viri boni, Deo ſeſe ubique aptantis, ſpectaculo: nunc etiam ipſi viro bono maximam inde gloriam oaſci oſtendemus; gloriam, inquam, veram ac germanam. Admirationi ſit apud homines vir fortiter calamitoſus, laudetur, memoretur, etiam loogè ad ſeram poſteritatem: glorioſum id aliquis laudum aucupator putaverit. At nos illam omninò gloriam ponderamus, quam apud Deum meretur voluntas bona. *Gloria,* inquit Siracides Eccli. cap. 23. *magna eſt ſequi Dominum,* ducentem quacumque lubuerit, per amæna, per lutoſa; per plana, per ſalebroſa; per mollia, per aſpera. Gloria certè magna hæc eſt: cùm excelſius nihil homini poſſit contingere, quàm placere Deo, ejus approbationem mereri, favoremque, ac gratiam ſibi conciliare. Eâdem itaque operâ homo & ſuæ gloriæ laborat, & divinæ. Qua de re eleganter Auguſtinus libro 1. de Moribus Eccleſiæ Cath. c. 13. explicans iſtud ad Rom. cap. 13. *Ipſi gloria,* &c. *Quid eſt,* inquit, *ipſi gloria, niſi ipſi optima, & ſumma, & latè patens fama? Quantò enim meliùs atque diffuſiùs diffamatur, tantò diligitur & amatur ardentiùs. Quod cùm ſit, nihil aliud ab humano genere, quàm certo & conſtanti gradu in optimam vitam & beatiſſimam pergitur.*

II. Et utilitas. Multa ſunt, cur agere ac pati in Dei cauſſa longè conſultius & optabilius ſit, quàm in hominum quorumcumque, quantumvia potentium, gratiam. Ex præcipuis capitibus unum eſt, quòd hi plerumque non ſubditorum commodum intuentur, cùm illis pericula imperant, ſed ſibi ſolummodò conſulunt. Ita Davidem Saul, Uriam David diſcriminibus objecêre. Deus verò ſubditis ſuis in hac vita oihil quidquam imperat, patiendùmve offert, quin illorum utilitas gloriæ ſuæ conjuncta ſit: ut quiſquis Deo ſervit, ſimul ſerviat ſibi: & qui gloriæ divinæ patitur, commodo ſuo patiatur. Amabili Dei bonitate id factum: qui cùm homines ad obſequia ſua citra ullam mercedem, aot ſpem utilitatis, potuerit obſtringere; ita tamen omnia contemperare maluit, ut quod Deo booorificom eſt, ſimul ſit homini ſalutiferum: quemadmodùm Eucherius ſapienter ac piè epiſtolâ ad Valerianum expendit.

III. Societas Dei & hominis. Initur frequenter inter mercatores ſocietas negotiationis, cujus regulas Arithmetici tradunt, ot pro portiooe collatæ vel pecuniæ, vel operæ, quod exſiſtet lucri inter ſocios dividatur. Eò reſpexiſſe Joannem quidam exiſtimant 1. epiſt. cap. 1, ubi dicit: *Si in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem.* Negotiandi conſortium cum Deo mortales omnes, quotquot amici ejus ſunt, intêre. Noo Deus ſolus, non homo ſolus laborat: qui enim te, ô homo, fecit ſine te, non ſalvabit te ſine te, Confert Deus impenſas omoes io oegotiationem, *operans,* gratiis tum excitantibos, tum comitantibus, *in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate,* ad Philip. 2. Homo iodustriæ aliquid commodat, gratiis utitur, talentis ſibi donatis alia ſuperlucrari conatur. Negotiationis totios fructû partiuntur inter ſe ſocii: Deus qui plus multò in commune contulit, gloriâ ſolâ contentus, lucrum omne & commodum homini relinquit, id eſt, omne beatitudinis æternæ meritum. Agnoſcat homo ſeſe facultatea omnea animi & corporis, & rectè illis utendi gratiam à Deo accepiſſe, nihil attuliſſe de ſuo, quàm tenuem liberi arbitrii flexum; hoc gratitudinis & gloriæ tributo illi ſatisfecerit; cætera emolumenta, à liberaliſſimo & optimo domino ac ſocio conceſſa, ſui juris faciat.

At verò quodnam negotiationis genus utillimum eſt? Neque enim omnia ſunt æqualiter quæſtuoſa: plurimumque intereſt mercatoris ſcire ad lucrum, obi operam fructuoſiùs collocet. Facillimè tibi indicavero: in promptu eſt, paſſim oota & expoſita utillima negotiationum omoium. Artes noſtras non abdimus, uti mercatores faciunt, ne alii in lucra ſua viis iiſdem invadant. Nihil ad mercimooium ſpiritale, & ad comparanda lucra meritorum, compendioſius uſquam invenies, quàm conformatiooem voluntatia humanæ cum divina in eventis omnibus, præſertim obi adverſa ingruuot. *Alia eſt claritas Solis, alia lunæ, alia ſtellarum, & ſtella à ſtella differt in claritate,* teſte D. Paullo 1. ad Corin. cap. 15. Varii ſunt beatitudinis gradus: varii utique & meritorum, quibua beatitudo reſpondet. Placet Deo maceratio corporis, accepta eſt oratio, jucunda eleemoſyna: meretur mercedem temperans, compenſabitur juſtus, vir obediens loquetur victorias: magis tamen placebit merebitúrve nullus, quàm qui ad ſingula acquieſcere Deo, & gratias agere conſuêrit. Jobus fuerat oculus cæco, buccellam ſolus noo comederat, viduæ oculoa exſpectare noo fecerat, miſericordia cum illo de ventre matris egreſſa fuerat, plus tamen quàm umquam Deo placuit paucis iſtis voculis, inter perpeſſu aſpera emiſſis, *ſit nomen Domini benedictum.* Id non timidè affirmo, quandoquidem in excelſo cooſiſtunt patientiæ gradu, qui Deum etiam in malis laudare conſueverunt. De patientia verò generatim pronuntiavit Bonaventura, libro de gradibus virtutum cap. 24. *Perfectius eſt adverſa tolerare patienter, quàm bonis operibus inſudare.* Et Bloſius Inſtitutionum ſpirit. cap. 8. *Etiam exigua moleſtia, propter Deum tolerata, incomparabiliter præſtantior eſt, quàm ſint multa & grandia bonorum operum exercitia.* — IV. Conformitas cum Dei voluntate quæſtuoſiſſima.

Interpretetur forſan quiſpiam, iſthæc dicta cum exaggeratione, ut nonnumquam aſcetici & pii ſcriptores ſolent. Auctoritati itaque eatenus fidem triboamus, quatenus rationes evicerint. Primam hanc ſtatuo. Eò merita actionum majora ſunt, quò à perfectiore voluntate proficiſcuntur. Eò autem voluntas creata perfectior eſt, quò magis ad voluntatem increatam accedit, eique ſeſe applicat & accommodat, id volendo quod Deua vult, eóque fine quo vult Deus, id eſt propter Ipſum. Quemadmodùm enim intellectus divinus veritatis omnis regula eſt, ſic voluotas divina bonitatis: quomodò falſum eſſe nequit, quod illi conforme eſt, ita nec malum qood ad hanc dirigitur. Imò ſicut eò quidlibet verius eſt, quò propiùs ſummæ veritati conjungitur: ſic tantò melius eſt, quantò viciniùs ad bonitatem Infinitam admovetur. Quàm ſimillimum prototypo exemplar, abſolutiſſimum eſt: murus, ſi exactiſſimè perpendiculo reſpondet, rectiſſimus: pavimentum quò ad normam aptius, eò planius. Quæ planiſſima, rectiſſima, cooſummatiſſima voluntas, oiſi quæ prototypo, amuſſique, ac normæ accuratiſſimè conformatur? — V. Quæ voluntas perfectiſſima?

Ita

Ita meritò cenſuit Auguſtinus ad illa Pſalmi 32. verba, *Rectos decet collaudatio. Quid eſt rectis? Ut nihil illis diſpliceat, quod fecerit Deus: poſſint & in adverſis Deum laudare, & dicere, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Tales rectos decet collaudatio, non primò laudaturos, poſtea vituperaturos. Diſcite gratias agere Deo, & in proſperitatibus, & in adverſitatibus. Diſcite habere in corde, quod omnis homo habet in lingua, Quod vult Deus.*

VI. Subjecta Deo voluntas.

Altera ratio, ad priorem accedens, ex Doctoris Angelici doctrina elicitur 1.ª 2.æ quæſt. 92. art. 1, in corp. *Cujuſlibet ſubditi virtus eſt, ut benè ſubdatur ei, à quo gubernatur. Sicut virtus Iraſcibilis & Concupiſcibilis in hoc conſiſtit, quòd ſint benè obedientes rationi. Et per hunc modum virtus cujuſlibet ſubjecti eſt, ut benè ſubjiciatur principanti.* Et 2.ª 2.æ quæſt. 8. art. 7. in corp. *Qualibet res perficitur per hoc, quòd ſubjicitur ſuo ſuperiori, ſicut corpus per hoc quòd vivificatur ab anima, & aer per hoc quòd illuminatur à Sole.* Quam D. Thomæ doctrinam ſic intelligo, ut inferius, ſubditúmve, eo ipſo quòd imperanti, & ſuperiori ſuo, ſubjicitur; tum ſe demonſtret perfectionis aliquid habere in ſuo genere; tum perfectionis incrementum à ſuperioris imperio vel operatione accipiat. Nam vis facultasque, ac perfectio ipſa ſuperioris, eò amplius ſeſe ſubdito infundit ac communicat, quò minùs illius actioni & influxui ab hoc reſiſtitur. Appetitum inferiorem ejusque affectiones, ſi in rationis poteſtate ſunt, & ad ejus nutum obedienter moventur, jam tunc ex ſe ad perfectionem accedere ſentimus, & in dies obedientiâ perfici. Corpus eò magis ſanum & abſolutum eſſe agnoſcimus, quò animi functionibus & imperiis obſequentius eſt: eiſdemque obſequiis exerceri artus, firmarique, experimur. Aërem tantò puriorem eſſe, & ſimpliciorem, ac magis ſuum intelligimus, quantò lucem excipit apertiùs, tranſmittitque faciliùs: eademque luce videmus puritatem ejus non conſervari tantùm, ſed etiam augeri. Iſtis, quæ exempli cauſſa à D. Thoma adducuntur, adde quotidiana in artefactis experimenta. Eò machinarum rotæ ſecundariæ & adminiſtræ finem ſuum meliùs aſſequuntur, quò ad primæ motum ſeſe promptiùs volvunt: eò habilior currus eſt, quò temoni obſequentior: eò melior navis, quò ad gubernaculi velique flexum velocior. Ita in homine ejusque voluntate, erga Deum voluntatemque divinam, res habet. Tantò enim perfectior homo eſt, magisque ac magis perficitur, quantò veriùs & cordatiùs ubique, & ad omnia, pronuntiare potuerit illud Pſalmi 61. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Dum enim ſe ſubjiciet; tum ſanitatem ſuam ipſa obediendi promptitudine teſtabitur; tum vim perfectionemque gubernantis, ſimul cum ejus motu & impulſu in ſe tranſfuſam, excipiet.

VII. Maxima Caritas.

Adde rationem tertiam, prioribus affinem, iisque connexam: ibi plus eſſe perfectionis ac meriti, ubi plus eſt caritatis & amoris divini. Quemadmodùm enim, ſi caritas abeſt, ne excelſiſſima quidem virtutum heroïcarum opera proſunt quidquam: ita, ſi adeſt, contactu ſuo inaurat omnia, & meritoria facit, etiam minutas indifferentesque actiones. Atqui nullum eſt conſummatæ caritatis certius argumentum, quàm voluntatum conjunctio. *Nam eadem velle, & eadem nolle,* inquit Hieronymus, *hæc demum firma amicitia eſt.* Si eadem ſcilicet velis ac nolis in amici gratiam, non in commodum tuum; ſive, ut vulgò loquimur, ſi amicitiæ amore movêris, non concupiſcentiæ. Deſideras intelligere, quàm à vidua Ruth ſocrus ſua Noëmi amaretur? Audi dicentem cap. 1. v. 16. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparaverit.* Sic Eliæ adhæreſcebat Eliſæus lib. 4. Regum cap. 2. *Vivit Dominus, non derelinquam te.* Judicavêre Joſaphatum intimè ac ſincerè Joramo conjunctum, qui has ejus voces excepêre lib. 4. Regum cap. 3. *Qui meus eſt, tuus eſt: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui.* Utatur Chriſtianus ex animo erga Deum ſimilibus loquendi formulis; dubitârit nemo, quin maximè Deum diligat; &, quia ex caritate meriti pretium maximè augeſcit, quin plurimùm mereatur: etſi meritum non quærit; quia non ſe ſpectat, ſed Deum.

VIII. Canticum Canticorum.

Bernardus ſerm. 1. in Cantica, titulum illum expendens *Cantica Canticorum*: primùm ad literam dicit, ſic vocari eximiè ac ſuperlativè præ aliis ſcripturæ Canticis: quæ nudè ac ſimpliciter, ſine comparatione vel prælatione ullâ, Cantica ſolummodò nominantur, uti Canticum Moſis, Annæ, Debboræ, Iſraëlitarum. Morali deinde ſenſu ſubjicit: in Vita ſpirituali & Chriſtianâ, genera Canticorum eſſe varia: Canticum pœnitentium, Canticum ad vina debellata, Canticum ad comparatas virtutes, Canticum ad actiones ſingulas ex virtute factas, nam *cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*: iſthæc vocari poſſe Cantica graduum. *Sed eſt*, inquit, *Canticum, quod ex ſui ſingulari dignitate & ſuavitate meritò cunctis, quæ memoravimus, & ſi quæ ſunt alia, antecellit: & jure hoc appellaverim Canticum Canticorum.. Experti recognoſcant, inexperti inardeſcant, deſiderio, non tam cognoſcendi, quàm experiendi. Non enim eſt ſtrepitus oris, ſed jubilus cordis: non ſonus labiorum, ſed motus gaudiorum: voluntatum, non vocum conſonantia. Non auditur foris, neque enim in publico perſonat. Sola quæ cantat audit, & cui cantat, id eſt ſponſus & ſponſa. Eſt quippe nuptiale carmen, exprimens caſtos jucundosq; complexus animorum, morum concordiam, affectuum conſenſionem.*

IX. Quantum patientiæ meritum.

Theologia quartam ſuggerit rationem, aut ſi voles additamentum aliarum. Communis in ſcholis ſententia eſt, ubi par eſt voluntas, ſeu propoſitum, aut intentio, actu exteriori meritum valdè augeri. Exempli cauſſâ, de duobus, ex æquali caritatis actu inæqualem eleëmoſynam largientibus, plus apud Deum mercedis habiturum, qui plus dederit: de duobus, pro pœna culpis debita ſatisfacere ſatagentibus, jejunantem unum, altero non jejunante, plus facere. Atqui inter opera externa nihil augendo merito accommodatius, quàm advenientes nobis extrinſecùs calamitates, & aſpera quævis, voluntati noſtræ aut propenſioni adverſa. Primùm enim ex eo ipſo quia adverſa ſunt, difficilia ſunt, contraque niti oportet. Deinde ex optione noſtra non veniunt, nihilque habent amoris proprii, quo pleraque operum noſtrorum vitiantur, admiſtum. Hinc Bernardi veriſſima vox eſt, epiſt. 7. *Vera patientia eſt, facere quod non libeat: pati, vel agere, contra quod libeat.*

X. Quanti pretii adverſa.

Etiamſi ex illis rationibus benè ponderatis pretium toleratorum pro Chriſto adverſorum ſatis intelligi poſſit: ſupervacuum tamen non fuerit, æſtimatorum peritorum judicia exquiſiiſſe. Qui Caroli Audacis miſerè interempti gemmatum annulum, provinciæ ut aiunt integræ pretio contrà æſtimabilem, repererat, argenteo imperiali aut circiter divendidit, quia rem ſuam nec nôrat ipſe, neque ab intelligente didicerat. Ne ſpiritualis mercimonii res nimis parvi fiant, & prodigè diſtrahantur, indicatio illarum à ſpirituali homine, qui omnia dijudicat, petenda eſt. Ejuſmodi fuit, avorum noſtrorum memoriâ, Ludovicus Bloſius, qui, in libello de Conſol. Puſillanimorum, moribundum inſtruens, quo ſe pacto ad mortem comparet, poſt propoſitam patientiæ Chriſti conſiderationem, D. Virginis patrocinium, aliaque id genus, ſubjicit exercitium Reſignationis

cum hac maximæ ſuavitatis ſententia: *Si æger ſeſe ex pura dilectione, cum perfecta ſui reſignatione, ad omnem pœnam, pro honore divinæ juſtitiæ tolerandam, animo ſpontaneo obtulerit, ipſo neque infernum, neque Purgatorium ſubibit, etiamſi ſolus omnia totius mundi peccata commiſiſſet.*

XI. Æſtimatores pœnæ. Si cui nimium dixiſſe Bloſius videbitur, comparet & expendat cum ejus verbis iſta Paulli, 2. ad Corint. cap. 4. *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Brevius aliquid dixiſſe *momentaneo* non potuit, addit tamen *& leve*, ne de graviſſimis malis agi exiſtimes. Levi tamen iſti malo *pondus gloriæ* decernitur: momentaneo *æternum* rependitur: & id quidem *ſupra modum in ſublimitate*, excedens omnem cogitationis vim magnitudine ſua, ac duratione. Æſtima itaque, quanti ſit pretii quamvis exigua patientiæ materia, cui compenſandæ vix tota ipſa ſuffectura eſt æternitas. Argento & auro, metallorum nobiliſſimis, virtutes in Scriptura adumbrari notiſſimum eſt, auro nominatim caritatem. Idcirco in Salomonis templo, præſertim in Sanctuarii adytis, quibus conſummatiſſima virtus ſignificabatur, aurea omnia: & civitatis cæleſtis, ubi perfecta caritas regnatura eſt, *plateæ* omnes ſunt *aurum mundum, ſicut vitrum pellucidum.* Quid auro, inquis, pretioſius? Quid caritate locupletius? Demonſtravit Paullus, *momentaneum & leve tribulationis.* Oſtendit Hieronymus, in cap. 1. Ezechielis, ad illa verba, *de medio ignis, quaſi ſpecies electri. In medio ignis*, inquit, *& tormentorum fit electri ſimilitudo, quod eſt auro argentoq́; pretioſius: ut poſt judicium atque tormenta, quæ patientibus triſtia videntur ac dura, pretioſus electri fulgor appareat, dum Providentiâ Dei omnia gubernantur, &, quæ putatur pœna, medicina eſt.*

XII. Pro omnibus virtutibus eſt conformitas. Audio objicientem: verum quidem, ab adverſis conformiter voluntati divinæ toleratis meriti multum eſſe: at multum etiam meriti decedere, cùm virtutum aliarum exercendarum materia, occaſióve, ſubtrahitur. Pauper, caret eleēmoſynæ pretio: æger, orare nequit, jejunare non valet: tenuis ingenii & auctoritatis nullius homo, præſidio oppreſſis eſſe non poteſt, non erigit abjectos, non ſolatur mæſtos, non docet ignaros inſtruitve conſiliis, quæ tamen caritatis exercitia maximi apud Deum eſſe momenti, indubitatum eſt. Iſthæc objicienti, & quantum poteſt ejus generis opera multiplicanti, & exaggeranti, ad ſingula reſpondero: velle poteſt pauper quod Deus vult, plus eſt quàm ſtipem largiri: velle poteſt æger quod Deus vult, plus eſt quàm orare & jejunare: velle poteſt idiota quod vult Deus, plus eſt quàm Apoſtolicum munus fungi, & ſe in proximi obſequia impendere ac ſuperimpendere. Nulla enim voluntas perfectior, quàm quæ Dei voluntati conformior, eique magis ſubjecta: amoris in Deum & ſubmiſſionis teſtificatio nulla expreſſior, quàm idem velle. Quæ diximus probationi ſufficiunt. Addere tamen poſſis, quod Cæſarius libro 10. cap. 6. narrat, & ex eo Drexelius, Heliotropii lib. 3. cap. 1. De religioſo quopiam miraculorum patratore, eò mirando magis, quòd nîl eximiæ virtutis oſtenderet. Rogatus à Superiore quid hoc ſibi vellet, & ipſe mirari ſe dixit: aperuit tamen denique, ſtudere ſe conformandæ in omnibus voluntati ſuæ cum divina: eoq́ue interrogationibus perductus eſt, ut ad incendia, latrocinia, aliaq́ue infælicia eventa ſeſe vix commoveri fateretur: imò de futuris rebus adeò parum angi, ut ne de infælici quidem æternitate eſſet ſolicitus. Si enim eò damnandus foret, aliud nihil ſeſe poſtulaturum à Deo, quàm ut de ſe fieret æternitate tota, quidquid voluntas divina decreviſſet: tantum ipſi hoc daretur, ut æternitate tota conſtaret ipſi eadem voluntas, quæ modò, ex Dei voluntate ſuſpenſa, & in ea conquieſcens. Intellecto illo perfectæ voluntatis ac conſummatæ virtutis miraculo, deſiit interrogator mirari miraculorum patratorem.

SECTIO TERTIA.

Fructus tertius,

Excelſa tranquillitas animi.

I. Pax animi beatitudo ſumma. FErunt Alfonſum, Neapolis & Aragonum Regem, interrogatum, quæ ſumma ſit mortalis hujus vitæ fælicitas, reſpondiſſe: non aliam videri majorem, quàm ſi quis ſemel ex animo Dei manibus ſeſe permiſerit, & ab eo eventa ſingula vitæ mortalia excipiat. Rectiſſimè iſtud quidem. Tranquillior enim ejuſmodi homine ac quietior nemo eſt, cùm in ipſo fine omnium ac ſuo conquieſcat, & ſtabili nixus ſtabilitatem, quanta hic haberi poteſt, adipiſcatur. Major autem tranquillitate, quiete, ſtabilitate, quæ omnia voce unicâ Pacem animi nominamus, fælicitas hic nulla eſt. Quamobrem D. Paullus, poſteaquam Philippenſibus commendavit, ut ſemper in Domino gaudeant, ſubjicit, *Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra*: quaſi dicat, quidquid vobis gaudiorum optavi, in pace ſitum eſt: nîl illâ ſerenius, nîl inter humana optabilius: ſumma eſt illa votorum meorum, & exquiſitiſſima hujus vitæ beatitudo.

II. Intus eſt. Quis autem pacem hanc beatam poſſidet, niſi qui non turbatur? *Pacem*, inquit Chriſtus, Joannis c. 14. *relinquo vobis*, ô diſcipuli cariſſimi, iſtud vitæ hujus patrimonium à me accipite, interimdum pacis æternæ hæreditatem exſpectatis: *pacem meam do vobis.* At quomodò illam teneamus inter fluctuationes perpetuas, inter viſu aſpera, perpeſſu horrida, quæ nobis vaticinatus es? *Non quomodò mundus dat, ego do vobis*: non in externis hæret: intus eſt, in mente eſt: tumultuentur circa vos humana, bona auferantur, ingerantur mala: pax nihilominùs vobis conſtabit, modò *non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Ecquis verò turbationem inter medias turbas non admittat; quis inter pavenda non timeat? Quiſquis bona vitæ hujus non amabit, niſi quatenus Deus voluerit: qui uni divinæ voluntati affixus, cætera ut ex illâ ſuſpenſa intuebitur, accipere dimitteréve paratus, quando illi placuerit.

III. Turba à vanis deſideriis. Dicta hæc tibi à Chriſto, Chriſtiane. Pacem habebis, ſi non turbetur cor tuum. Non turbabitur cor tuum, ſi vanam formidinem, aut, quæ formidini affinis eſt, triſtitiam excutias: utramque proculcabis, ſi inania deſideria, & ſpei humanæ frivola, vel penitùs ex animo abjeceris, vel parvi, ut ſunt, feceris. Originem tranquillitatis ut deprehendas, ſcrutare inquietudinis ſcaturiginem: *Contrariorum enim contraria eſt ratio.* Non dubitâris ex tuâ ipſius experientiâ, ni fallor, non aliam eſſe tibi metuendi cauſſam, niſi quia nimis deſideras: non aliam mærendi, niſi quia malè amas. Auguſtinus ſermone 2. de verbis Apoſtoli, exponens illud ad Eph. c. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt*: *Dies*, inquit, *malos duæ res faciunt, malitia & miſeria.* ... *Cui autem moleſta ſunt tempora, ſi homines ſibi non ſint moleſti?* Prorsùs ita eſt: nihil homini moleſtius ſeipſo: cùm ſe turbidis cupiditatibus vexat, aut inquietis affectibus torquet. *Quantò enim quis magis terrena diligit, tantò privari eis vehementius pertimeſcit*, ut inquit Greg. 31. Mor. c. 8. *Et quæ ardenter diligimus habita, graviter ſuſpiramus ablata.* Neque intereſt, exiguáne an magna ſint,

ſint, quæ nimiùm vel expetuntur vel diliguntur. Poſſit anachoreta ligneo vaſculo vehementiùs affici, quàm D. Severinus ſupellectili ſericæ & argenteæ, uti in hujus Vita apud Surium narratur. Poſſit puella delicata, aut puellus comptulus ſpecillo vel pulviſculo magis capi, quàm Heſther mundo omni muliebri & ornatu Regio, quemadmodùm ipſa de ſe apud Deum cap. 14. profitetur. Quantula ergo cumque res fuerit qua tenêris, ſi nimium tenêris, turbarum tibi domeſtica & aſſidua occaſio eſt. Quàm multa intercurrere poſſunt, quæ deſiderium vel anteveniant, vel deludant, vel fruſtrentur, vel fraudent, vel ſuffocent? Quanti inde metûs ac triſtitia, & illorum cognata turma invidiæ, iræ, ſpes, deſperatio, angor, ægræ mentis fluctuatio, aliíque inteſtini carnifices? *Non poteſt labor finiri, niſi hoc quiſque diligat, quod invito non poteſt auferri*, ut Auguſtinus monuit in Pſalmum 7. Torrente, quamdiu nihil obicis occurrit, vix placidior rivulus eſt: at ubi eluctandum eſt per ſaxa obſtantia, furias fremitu & ſpumis egurgitat.

IV. Voluntati hominis Deo conjuncti non reſiſtitur.

Itaque perpetuâ pace frui nequit, niſi qui vel deſideria habet in poteſtate, vel cujus deſideriis objici impedimentum non poteſt. Sic autem ſolus ille eſt, qui id ſtatuit & didicit unicè velle, quod Deus vult, ſive præſentia ſentit, ſeu præterita meminit, ſive futura proſpicit. In ciſternam à fratribus cum Joſepho demittendus, deprecabitur quidem: ſed ſi nihil proficiet, ipſe ſibi quietus dicet, Deum ſic voluiſſe. Ægrotante filio, vota pro ejus ſalute faciet, ad Davidis exemplum: at, eo demortuo, ſiccabit lacrymas, quia conſtitutum ipſi eſt, nihil deſiderare extra Dei voluntatem, de qua jam ex eventu conſtat. Mittet cum Joſaphatn claſſes in mare, & ſalvas eſſe volet: ſic tamen, ut quando confractæ fuerint in Aſiongaber, à Deo id eveniſſe intelligat, accinatque tam pacatus, quàm poſt victoriam, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Militem inſtruet, ordines diſponet, omnia boni ducis implebit officia: ſed ſic, ut de ſucceſſu ſecurus dicat cum Machabæo, *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Quidquid vult homo, in eum modum animo comparatus, ſemper accidit: id enim evenit, quod Deus vult: ille autem nihil vult, niſi quod vult Deus. Vult quod fit, vult quod eſt, vult quod erit, vult quod alii ſunt, eruntque, vult omnia præter peccatum: imò cùm peccatum Deus permittat, nec permittat, niſi aliquomodo volens ob fines optimos, & ipſe ſe aptat permittentis voluntati, ſinitque ab aliis fieri, quod prohibere non poteſt. Hunc cupiditati ac voluntati modum ratio poſuit, religio firmavit; ut quod in nobis eſt, feriò cum Deo velimus; quod in nobis non eſt, quietè à Deo excipiamus, vel exſpectemus. Sic fuit cantatiſſimus ille mendicus, qui, ex Tauleri narratione multorumque aliorum deinceps, malum nullum unquam ſibi diem obtigiſſe affirmabat, propterea quòd dies omnes eos voluerat, quomodò evenerant. Tales illi ſunt, de quibus Salvianus loquebatur libro 1. de Provid. *Humiles ſunt? Hoc volunt. Pauperes ſunt? Paupertate delectantur. Itaque quidquid acciderit eis, qui verò religioſi ſunt, beati eſſe dicendi ſunt: quia inter quantumvis aſpera, nulli ſunt lætiores, quàm qui hoc ſunt quod volunt.*

V. Inde tranquillitas.

Antè diximus, Hieroſolymitanæ civitati honorificentiſſimam appellationem dari ab Iſaia cap. 62. *Voluntas mea in ea.* Mens humana, cui titulus idem adſcribi potuerit, *Voluntas mea in ea*, verè *Jeruſalem* eſt, & *viſio pacis*: poſuit Deus fines ejus pacem, & confortavit feras portarum ejus. Conquerebatur Seneca, initio libri ad fratrem Gallionem de Vita Beata: Vivere omnes beatè velle, ſed ad perviden-dum quid ſit, quod beatam vitam efficiat, caligare. Caligent alii ad iter beatitudinis: at certè quiſquis Dei voluntatem intuetur & amat, in ipſa beatitudine eſt, quantam mortalis vita capere poteſt. Non tu fortunâ ipsâ fæliciorem exiſtimes, qui hunc in modum animitus loqui poſſit? *Deum precor, ut mihi det omni paſſionum tyrannide liberum, ita ut ipſi ſincerè dicere valeam: O Deus, unquámne de conſiliis tuis queſtus ſum: unquámne auſus aliquid reprehendere à te profectorum? Ægrotavi, quia voluiſti: ægrotavêre & alii: ego quidem lubens ac volens. Ad pauperiem devêni te volente: paupertate lætatus ſum. Aliis non imperavi, non eminui: méne idcircò vidiſti triſtiorem? Nonne læto vultu & alacri mente coram te ſemper inceſſi, juſſis omnibus tuis obtemperare paratus? Vis modò, ut à conſeſſu & corona diſcedam: abeo lætus, gratiaſq; ago, quòd me ad operum tuorum ſpectaculum admiſeris, aliquámque gubernationis & adminiſtrationis tuæ cognitionem dederis. Utinam hæc me cogitantem, ſcribentem, legentem mors occupet.*

VI. Etiam in ſubitis caſibus.

Si ubi nondum in mentem venit, aut in memoriam rediit, cujus illa ſuaviſſimæ ac generoſiſſimæ voces ſint; rogo te, diſquire apud te, à quo profectas eſſe conjicias. An à Franciſco forſan Saleſio Genevenſi Epiſcopo, quem nuntius de cariſſimi parentis morte, in ipſo ad ſuggeſtum & concionem aſcenſu, nil penitùs commovit: cui dilectiſſimi fratris inexſpectatus obitus hæc verba ſolùm expreſſit, *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti?* An à D. Carolo Borromæo, quem, inter graviſſimos caſus, perpetua quies animi, & vultûs æqualitas adeò comitata eſt: ut fidiſſimi amicorum, ac domeſticorum intimi, nullum umquam vel minimi motûs indicium notârint: niſi quòd interdum, ubi atrocia quædam nuntiabantur, indice naſum paulliſper confricaret? An eæ voces Chriſtiani ſaltem cujuſpiam tibi videantur, de Providentia divina ad ſingulos caſus cogitare edocti? Ab Epicteto profectæ ſunt, apud Arianum, diſſertationum l. 3. cap. 3. Ut ab illo, quamvis Pagano, diſcere poſſimus, veriſſimè dictum à Salomone, *Proverb. cap. 8. Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.*

VII. Quàm excelſa.

Iſta eſt, quam Seneca libro de Tranquillitate dicebat, *Alta ſecuritas*; non in labiis tantùm eſfloreſcens, & ad aures facta; non in genis ſolùm picta, & oculis blandiens: ſed in intimis animi ſita, in corde nata adultaque, & inde ad faciem promicans, compoſitæ mentis indicium. Qui eam habet, *iſte*, ex Iſaiæ ſententia cap. 33. *in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Magnitudine animi, quæ D. Thomæ 1. 2. quæſt. 66. art. 4. ad 3. & 2. 2. quæſt. 129. art. 4. ad 3. *eſt ornamentum virtutum omnium*: eâ ergo animi magnitudine ſupra omnia mutabilia elatus, & ſub pedibus non modò meteororum regionem, & tempeſtatum, tonitruumque, ac fulminum officinas deſpiciens, ſed cælos ipſos ac ſidera, nihilque habens ſupra ſe niſi Deum, in vivis en loco eſt, quò poſt mortem abiſſe fingebatur poëticus ille opilio, *Sub pedibuſq; videns cælos, ac ſidera Daphnis.* Quare, *ſi fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ*: imò ne ferient quidem, cùm excelſitate mentis ad divinam voluntatem applicatæ, ſeſe ſupra ruitura, adeoque ſupra ruinas, extulerit. Altiúſne evehi poſſit, ut caducorum lapſus non ſentiat, quàm ſi in ipſa Dei facie, non in ſinu tantùm, collocetur? Ibi poſitos eſſe viros probos ſacer Vates affirmat, Pſalmo 30. *Abſcondes eos, ô Deus, in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, à contradictione linguarum.* In abſcondito faciei divinæ ſunt, quam eventa nulla lædunt, nulla mutant, quia ipſe ſibi Deus ſufficiens eſt, nec rebus indiget, neque à locis

pendet

pendet, nec temporibus rotatur, idem ſemper & immotus. Ita quibus Deus ejuſque voluntas ſufficit, faciem eum Stephano Angelicam, imò divinam induêre, nec rerum viciſſitudinibus ſervientem, nec mutationibus obnoxiam, quia ab immutabili colorem ſuum trahit, ſtatumque.

VIII. *Non tamen infrequens.* Specioſa, inquis, iſta ſunt & magnificè dicta: at quis in eâ naturæ infirmitate, & rerum affectuumque aſſidua viciſſitudine, eò veniat quietis, & æquabilitatis? Venerat Regius Pſaltes, cùm de ſe caneret Pſalmo 4. *Cùm invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.* Non dicit, ut vigilanter advertit Chryſoſtomus, tribulationem ſuſtuliſti: ſed in ipſa tribulatione latum, ſecurum, tranquillum cor dediſti: eum quidem in modum, ut, quod de ipſo ſcripſit Hilarius in Pſal. 53. *Profligatus oret, periclitans pſallat, patiens odia gratuletur.* Eò venêre Apoſtnli, quos jam antè Chriſtus præmonuerat, *Videte ne turbemini, nolite terreri, oportet enim hæc fieri*: itaque *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Venêre illuc Martyres, inter minas ſecuri, inter metus intrepidi, inter tormenta doloresque læti: de quibus ſuum iſtud, in libro de Mortalitate, ingeminet Cyprianus, *Quanta ſublimitas, inter ruinas generis humani ſtare erectum!* Eò vênit D. Martinus, qui cùm in latronum turmam incidiſſet, tam illic quietus ſtetit, quàm in cœtu monachorum, aut cuneo prophetarum: quia, ut ipſemet ea de re interrogatus reſpondit, hoc apud ſe firmiſſimè ſtatuerat, pati quidquid Deus vellet. Eò vênit D. Trudo Abbas, ſanctimoniâ, quàm vetuſti Saliorum generis laude, nobilior: qui equo ſuo per itineris comitem abacto, *nihil motus*, ſic Vitæ ſcriptor loquitur, *magis autem inter damna hilarior: Patientiâ, ait, opus eſt, magiſq́; peccatum deflendum, quàm damnum. Aut cur quis queratur de vehiculo, cùm æquè omnia in manu Domini ſint, ut jumentum, ita & homo?*

IX. *Etiam in aulis.* Ad idem faſtigium aſcenderat, inter aulæ delicias natus & educatus, D. Elzearius Ariaoenſis Comes, qui Neapoli in Provinciam Phocæenſem navigans, periclitante per fœdiſſimam tempeſtatem navigio, attonitis & emortuis metu cæteris, ſolus ipſe immobilis orare perſeveravit. Rogatuſque ab uxore, poſtquam venô poſuerant, an in eo terrore homo eſſe deſiiſſet: non equidem, inquit, ſed me voluntati divinæ tradideram, paratus, vicem vectorum omnium, hauriri fluctibus, ſi vitæ noſtræ domino placuiſſet. Eódem tranquillitatis pervenerat, aulicorum togatorum exemplar, Thomas Morus: cùm ad nuncium abſumpti incendio horrei frumentorumque reconditorum, uxorem ſtatim per literas monuit, ita Deum voluiſſe, iret cum familia ad templum actura gratias. Cùm autem juſſu impii Regis captivus teneretur, cariſſimæ filiæ Margaretæ ſuadenti, ut, ad obtinendam libertatem, Regi aliquid & gratiæ daret, timendum enim ne nimia conſtantia malis denique obrueretur: graviſſimè reſpondit: Contingere nil poſſe, quod Deus nolit: quidquid autem ille vult, utcumque malum nobis videatur, optimum tamen revera eſſe: inter calamitatum quarumvis impulſus, de auxilio Dei nolle diffidere, quantumcumque imbecillem ſeſe ſentiret: etiamſi animum ſuum conſternari procellarum horrore contingeret, memorem tamen illius fore, qui cùm mergi cœpiſſet, clamavit, *Domine ſalvum me fac.* In eâdem animi quiete nuper conſiſtebat Chriſtianæ nobilitatis ſpeculum, Gaſto Rentiacus, ex intimo animi ſenſu dicere ſolitus, accidere nihil poſſe quod nollet, & quo turbaretur. Nec fortiùs dicere ſolitus, quàm facere: cùm graves jacturas, moleſtiſſimas lites, frequentes morbos, ſubita incendia, aliaque triſtium eventorum, æquali ſemper vultu, & eodem quo lætitiam ac fælicitatem aſpexerit, ex quo ad excelſam virtutem à Deo vocatus, ejus voluntatem in omnibus cœpit intueri.

X. *Fidendum Deo.* Quid aliquos commemoro? Eò pertigerunt omnes, qui Providentiæ Dei totos ſeſe permiſêre, &, ut id facerent, fiduciam de forti illius ac ſuavi ductu habuêre. Supra petram hanc fundati, inundationibus procelliſque obſiſtunt, dum arenaria ædificia flatibus & aquis ſubruuntur. Qui enim confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur, etſi aliorum montium cacumina terræmotibus vacillent, hient latera, tremant fundamenta. Nec mirum, cùm Sionis habitator & protector ſit Dominus, & mentes Sioni ſimiles præſidii ſui ſpe certa, contra incurrentia omnia, ſtabiliat. Rex Iſraëlitarum Jehu, libro Regum 4. cap. 10. Jonadabo ſibi occurrenti: *Numquid*, inquit, *eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo?* Cùm eſſe Jonadabus reſpondiſſet: *Si eſt*, inquit, *da manum tuam. At ille levavit ad ſe in currum, dixitq́; ei, veni mecum.* Ita nobiſcum agit Deus. Si cor noſtrum rectum eſt cum corde ejus, ſi voluntas noſtra rectiſſimæ ejus voluntati aptè reſpondet: manu auxilii ſui manum infirmitatis noſtræ apprehendit, levat nos ad ſe, curru gratiæ ſuæ vehit nos, jungit ſe nobis, & nos ſibi, aitque, quod Patriarchæ Iſaaco Geneſ. cap. 26. *Noli timere, quia ego tecum ſum.* Et verò, ut monet Auguſtinus in Pſal. 36. *Protegitur Imperator ſcutatis, & non timet: protegitur mortalis à mortalibus, & ſecurus eſt: protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit?* Nautæ inter procellas trepidanti fiduciam dedit vox illa temerarii Imperatoris: Quid times? Cæſaris fortunam vehis. Quid tu, homo Deo credens & credite, in mediis licèt naufragiis & mortibus timeas, qui non hominis unius fortunam vehis, ſed ab ipſa Dei tui providentia veheris, & in ejus gloriæ rate, velut in Noëmi arca, navigas?

XI. *Securitas fiduciam ſequitur.* Ex generoſiſſimis magnanimi Apoſtoli vocibus hæc una eſt, ad Philipp. cap. 4. *Scio humiliari, ſcio & abundare: ubique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Tantæ æquanimitatis & tranquillitatis, per tam varios eventus, cauſſa eſt, quia *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Ei me permitto, ei fido, in eum me projicio, qui numquam derelinquit ſperantes in ſe, nec ſe ſubtrahit innitentibus ſibi. Chriſtus poſteaquam Apoſtolis dixit, *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet: audiſtis*, inquit, *quia dixi vobis, vado, & venio ad vos.* Quaſi diceret: præſentia meâ ac protectio vanos vobis omnes terrores excutiat: adſum, etſi non conſpiciar; juvo, licèt non ſentiar; non diſcedo, quamvis diſceſſum minari videar. Eleganter Iſaias cap. 7. Regi Juda, Reges duos Hieroſolymæ cum validis copiis imminentes metuenti, ait: *Vide, ut ſileas, noli timere à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum.* Quid omnia ſunt hujus vitæ terriculamenta, quàm fumoſi titiones, uno difflandi ſpiritu, uno pedis impulſu proterendi, unius guttulæ aſpergine extinguendi, cùm Deus voluerit? Idcircò idem Vates monuit, ut ſperemus in Domino Deo ſuo in perpetuum: nulla nos hora, momentum nullum, fiduciâ ſuaviſſimæ ac fortiſſimæ providentiæ deſtitutos inveniat.

XII. *Ex ſanitate animæ.* Fontes duos attigimus beatæ tranquillitatis: primus profluit intrinſecùs, alter affluit extrinſecùs: ille exiſtit ex deſideriorum moderatione ad

regulam

Digitized by Google

regulam divinæ voluntatis: hic oritur ex fiducia protectionis divinæ, quæ hominibus, ſeſe Deo permittentibus, deeſſe non poteſt. Siracides, Eccl. c. 30. dicebat, *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Sanitate corporis bonum inter corporea majus nullum eſt. *Valde vellet*, inquit Auguſtinus ſerm. 12. *dives lectum argenteum mutare cum pauperis cilicio, ſi ægritudo poſſet migrare cum lecto.* Et ſerm. 1. de diverſis: *Quando hanc habet, quid deeſt pauperi? Quando iſtam non habet, quidquid habet quid prodeſt diviti?* Quid tamen iſta ſanitas, communis homini etiam cum *draconibus & vermiculis*, ut ibidem ait Auguſtinus, præ gaudio cordis animique ſanitate? Corporis ſanitas in recta humorum temperie, & membrorum conſonantiâ, ſita eſt: animi valetudo conſiſtit in contemperatione affectuum, & diſpoſitione voluntatis Deo obtemperantis, appetitui imperantis. Hoc autem ipſum eſt, hominem eſſe bonæ voluntatis. Itaque iſtiuſmodi hominibus proprium peculium eſt gaudium cordis, ſanitas animi, tranquillitas mentis. Vel nuſquam in hac mortali vita pax vera inveniri poteſt: vel ab illis in ſolidum atque imperturbatè poſſidetur: ab aliis tam fruſtra quæritur, quàm piſces in ſilvis, in mari feræ, ut Boëthius aiebat.

XIII. Brevis perturbatio pro nulla eſt. Pergat objicere quiſpiam, iſtorum inexpertus: perpetuam illam pacem, & æquabilitatem animi, longè eſſe miſerâ infirmæ mortalitatis ſorte ſuperiorem. Etiam Jobo, quali tamen in aptanda Numinis decretis mente heroi, hæc verba excidiſſe, *Tædet animam meam vitæ meæ.* Etiam Eliam, Deus bone quantum virum! vi mœroris oppreſſum dixiſſe: *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, nec enim ſum melior, quàm patres mei.* Imò & generoſum Paulli, ignei Apoſtoli, pectus eò adductum, ut *tæderet etiam vivere.* Ad iſta reſpondero: non ideò corpus ſanum non eſſe, quia levi interdum catarrho ſeſe caput exonerat, aut ſubitâ febriculæ ſuſpicione arteria ſuccutitur: neque animum ideò tranquillum non eſſe, quia aliquando leviculâ vel momentaneâ commotione agitatur, mox poſiturâ, ſimul ſeſe ad Dei voluntatem converterit. Eidem objectioni Ambroſius ſimili formâ reſpondit, Officiorum lib. 3. cap. 5. *Eſto in illis*, hoc eſt in laboribus, *aliquid acerbitatis. Quem virtus animi non abſcondit dolorem? Neque enim profundum mare negaverim, quia vadoſa ſunt litora: neque cælum lucidum, quia interdum obtegitur nubibus: neque terram fæcundam, quia aliquibus locis jejuna glarea eſt: aut lætas ſegetes, quia intermiſtam habere ſolent ſterilem avenam. Similiter puta, beatæ meſſem conſcientiæ interpellari acerbo aliquo dolore: tamen manipulis vitæ beatæ, ſi quid fortè accidit adverſi atque amaritudinis, tamquam ſterilis avena abſconditur, aut tamquam lolii amaritudo frumenti ſuavitate obducitur.* Dixeriſne pulcrum non eſſe corpus, quod unicâ verruculâ nævóve notatum eſt, ſi partes omnes aptè inter ſe, cum grata coloris miſtura, reſpondent? Negaveriſne illimem eſſe fontem, etſi aliquando ex imo arenulæ pauxillum, cum limpida ſcatutigine, ebulliat? Diémne ſerenum non fuiſſe affirmes, ſi vel uno tantùm, ut vocant, minuto Sol, cætera lucidus, ſeſe oculis tuis ſubduxerit? Neque inficias ieris, animi Deo conjuncti ſerenitatem, ac tranquillitatem, conſtantem perpetuamque dici oportere: etſi breve interdum tædium ſubrepat, aut puſillanimitas momentanea ſeſe inſinuet, aut mæror illicò deſiturus mordeat, aut metus ſtatim diſſipandus concutiat. Quare, ô homo bonæ voluntatis, ut Eliphaz Jobum ſapienter monebat cap. 22. *Acquieſce Domino, & habeto pacem.*

EPILOGUS

Dicta omnia recenſentur.

I. Summa dictorum. MATERIAM omnem Bonæ Voluntatis attigimus, Fundamenta, Uſum, Adjumenta, Effecta: &, ordini commendando, ac juvandæ memoriæ, ternario ſingula comprehendimus. Fundamenta ſunt: res creatas ſingulas à providentia divina gubernari: etiam minutiſſimorum curam illi eſſe, adeoque fortuitum nihil accidere, ſed omnia ex deſtinato fieri: peculiarem tamen de homine, præſertim probo, inter omnia Dei curam eſſe. Hinc conſequitur: acquieſcendum Deo ejuſque juſtiſſimæ miſericordiæ, in eventis quibuſlibet, etiam malis, etiam illis quæ à mala hominum voluntate proficiſcuntur: cùm in calamitates incidimus, fidendum, fore ut vel illis liberemur, vel ut nobis utiles ſint, ſi maneant: in omnem partem ad ventura quævis paratos eſſe nos debere, & à divinæ Providentiæ nutu ſuſpenſos. Quò ſit nobis facilius tam arduæ virtutis exercitium, conſideremus, Providentiam divinam nil aliud eſſe, quàm Optimam Æquitatem Sapientiſſimè Potentiâ inluctabili utentem ad fines ſuos: contrà, providentiam humanam cæcam eſſe, malignamque, & infirmam: denique infeliciſſimos eſſe mortalium, qui obluctari Deo conantur. Iis autem, qui ſeſe ad arbitrium aptant ſupremi moderatoris, pulcerrimos fructus matureſcere, Dei gloriam, plurimum meriti, ſecuriſſimam pacem.

II. Fundamenta reſignationis. Si credimus, quod neſcire nos ratio non ſinit, & oracula divina prædicant, omnia in menſura, & numero, & pondere à Deo diſpoſita: non poſſumus etiam ignorare, ad eum pertinere vel minimorum curam, ſignatoſque caſus omnes à pervigili illa, & in partes omnes infatigabiliter intenta ratione. Deliciæ tamen illius ſunt eſſe cum filiis hominum, quorum cauſsâ rerum corporearum cætera, & omnis ille ſpectabilis Univerſi apparatus, atque ornatus, prodiêre. Familiaritas autem præcipua inter filios hominum illi eſt, cum his, qui uſi ſunt poteſtate ſibi data, ut Filii Dei fierent. Oculi quidem Domini contemplantur bonos & malos: ſed etiam ſingulariter oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Videas aliquando à bono patre ad excipiendum filium Prodigum epulas inſtrui: at primogenito dicitur, *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Juſtis Dei nomine dicit D. Paullus 1. Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

III. Manus Dei adſpicienda. Chriſtiana mens, certiſſimis illis cogitationibus munita, placidè eventa quælibet de Numinis manu excipiet, tamquam benigni patris, potentis domini, ſapientiſſimi doctoris, æquiſſimi judicis. Et quamvis interdum malæ hominum voluntates intercurrant, ſciet tamen, quod Auguſtinus monuit Enchirid. cap. 96. Nihil fieri *niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo:* & cap. 100. *Deus quaſdam voluntates, utique bonas, ita implet per malorum hominum voluntates malas, ſicut per Judæos malevolos, bonâ voluntate Patris, Chriſtus pro nobis occiſus eſt.* Non carnificem plectentem adſpicit, ſed Judicem pronuntiantem: non iter ſalebroſum, ſed Ducem præeuntem: non nuntium mandata deferentem, ſed dominum imperantem: non

virgam

Digitized by Google

virgam pungentem, ſed patrem ex amore ſerientem: & ad omnia, bona juxtà ac mala, aſſueſcit dicere cum Joſephi fratribus, Geneſis cap. 42. *Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Deus?* Latro fecit, fecit Deus: calumniator fecit, fecit Deus: ſuſurro fecit, fecit Deus: vitilitigator fecit, fecit Deus: homicida fecit, fecit Deus: perduellis fecit, fecit Deus. Fecit malum pœnæ, non malum culpæ: fecit quod in alieno peccato nobis eſt moleſtum, etſi peccatum non fecit.

IV. Gratiæ cum fiducia, Deo agendæ: Indifferentia ſervanda.

Imò ad ſingula *Deo gratias* dicere aſſueſcet: quas voces ut in ore ſæpè habeamus, ſuadet Auguſtinus in Pſalmum 132. & Cleriens ſuos ac monachos ſic inſtituerat, ut ad occurſum mutuum eas pronuntiarent. Quandocumque Deus nobis occurrit, ſive abblandiens, ſeu minabundus, dicamus illi, *Deo gratias*: nec dubitemus, malum qualecumque beneficio mutatum iri, ſi poſtquam ipſum oraverimus, & quæ liceāt remedia adhibuerimus, malum non tollat. Ob cauſſam eamdem in futurum, quamdiu de Dei voluntate nobis non conſtat, libranda voluntas noſtra eſt, & in neutram partem, quantum fieri poteſt, flectenda. Qua de re benè Bernardus, ſermone, Quomodò voluntas noſtra divinæ ſubjici debeat: *Rogo vos*, inquit, *diligenter attendite, quia nihil occurrit, quod utiliùs poſſitis audire. Ubi certa eſt voluntas Dei, etiam noſtra ſequatur. In his verò rebus, in quibus nihil certi poſſumus invenire, nihil certum voluntas noſtra definiat, pendeat inter utrumque, aut ſaltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans ſemper, ne fortè altera pars magis Deo placeat.*

V. Quomodò agat Dei Providentia.

Ut ad tam ſublime faſtigium humana mens enitatur, frequenter quaternos contempletur divinæ Providentiæ vultus: Sapientiam, ſuaviter omnia diſponentem: Potentiam, attingentem fortiter ad finem à fine: Juſtitiam, ſumma æquitate mala infligentem: Bonitatem, ad optimos fines ſingula referentem. Hanc potiſſimum ſpectari volebat Hieronymus, epiſtolâ ad Paullam de obitu Blæſillæ: *Bonus eſt Dominus, & omnia, quæ facit bonus, bona ſint neceſſe eſt. Mariti orbitas irrogatur? Plango quod accidit: ſed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo. Unicus raptus eſt filius? Durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille, qui dederat... Sanus ſum? Gratias refero creatori. Langueo? Et in hoc laudo Domini voluntatem.* In morbis, in orbitate, in viduitate, in quibuſvis humanæ vitæ caſibus, æquanimis eſt vir bonæ voluntatis, quia id revolvit in animo: *Bonus eſt Dominus, & omnia quæ facit bonus, bona ſint neceſſe eſt.*

VI. Inſania & infælicitas fortunam ſibi fingentium.

Sed & hoc novit: inſanos eſſe, qui ſuam ſibi fortunam fingere & componere malunt, quàm à Deo accipere: quaſi vel ſe ament, quantum amantur à Deo; vel ſapiant & pervideant utilia ac juſta, ut Deus; vel Dei inſtar, cogitata ad effectum poſſint perducere. Neque inſani modò ſunt, ſed etiam miſerrimi, cùm id cogantur eſſe, quod nolunt. Dicebat Cyprianus libro de Pudicitia: *Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet, qualis eſt.* Idem de homine quolibet, in quavis fortuna conſtituto, dixeris: miſer eſt, qualiſcumque & ubicumque ſit, qui ſibi non placet. Itaque qui ſemetipſum cruciare non vult, eſſeque ſibi tortor equuleúſve aſſiduus, faciat, quod à Seneca monetur, epiſtolâ 107. *Hyems frigora adducit, algendum eſt. Æſtas calores refert, æſtuandum eſt. Intemperies cæli valetudinem tentat, ægrotandum eſt. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus. Alium aqua, alium ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non poſſumus. Id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita feramus, & naturæ conſentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubila ſerena ſuccedunt: turbantur maria, cùm quieverunt: flant invicem venti: noctem dies ſequitur: pars cæli conſurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas conſtat. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt: hanc ſequatur, huic pareat, & quæcumque fiunt fieri debuiſſe putet, nec velit objurgare naturam. Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis: & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur.... Hic eſt magnus, qui ſe Deo tradidit.* Velis, nolis, ferendum eſt: cave onus exaggeres, ferre nolendo: &, quod longè gravius erit, cave ne tibi ſuppliciorum alterius vitæ pondus imponas, levia hujus pati recuſando.

VII. Præveniendа futura mala præſentium patientia.

Quantò prudentiùs pœnæ illæ forti præſentium calamitatum tolerantiâ anteveniantur, ac redimantur? Quod præſtitit Orientis Imperator Romanus Diogenes, apud Baronium, ex Curopalatæ narratione, anno Chriſti 1071. Viciſſitudine fortunæ admirabili ad ima dejectus, inde ad ſumma evectus, rurſum de ſummis ad infima deturbatus, in hoc lamentabili caſu ita ſe geſſit, ut Tobiam ſimul & Jobum exhibuerit, bina priſcorum ſæculorum maxima in patiendo exempla, tantò in homine uno ſpectabiliora, quantò fuerat excelſior. Perduellionis damnatus à Cæſare, lenitâ criminis pœnâ, aliquamdiu exulavit. Ab exilio revocatus, militiæ, ad tuendum adversùs barbaricas irruptiones imperium, præfuit. Imperatore demortuo, à vidua Imperatrice in thalami ſimul & dignitatis conſortium adſcitus, quadriennio fermè rexit imperium. Adversùs Aſanum denique, Turcarum dominum Sultanúmve, cum copiis progreſſus, pace, quam ultrò barbarus offerebat, recuſatâ, poſt forte certamen à ſuis, fanatico terrore perculſis, repentè deſertus, in hoſtium poteſtatem vênit. Honorificè ab Aſano habitus, & honeſtâ pace fœdereque icto, dimiſſus ac deductus, in itinere per Andronicum captus eſt, Michaëlis Imperatoris juſſu, quem mobilia Græcorum ingenia, ad cladis nuntium, Imperatorem ſalutârant. Inde Conſtantinopolim in mulo, & in pullâ veſte, ad triumphi ludibrium invectus, & effoſſis oculis ad perpetuas tenebras damnatus, id ſaltem ex cæcitate miſerandi commodi habuit, ut ludibria non videret. Audiebat tamen convitia, quibus aures ab inſolente plebe vapulabant: fœtorem putreſcentium abſque medicina vulnerum hauriebat naribus; ſentiebat ebullientium inde vermium eroſiones, & quamvis non cerneret, ſeſe pro oſtento ac monſtro ſpectari ſciebat. Inter tot probra, doloribus acerbiſſimis cumulata, numquam de ullo conqueri auditus eſt, nedum probra rependere, imprecationéſve in noxia capita effundere: id ſolum ferè in ore habebat, Deo gratiæ. Ita conſtanter ad mortem uſque perſeveravit: inſigne humanæ conditionis, ex altiſſimo gradu ad infælicitatis infima devolutæ, ſpectaculum: ſed longè illuſtrius æquanimitatis Chriſtianæ, in malorum quorumlibet ſenſu Dei paternam manum aſpicientis, & deoſculantis, exemplum.

Luſciniam

Digitized by Google

VIII. *De laus ex cõſonantia voluntatum.* Luſciniam ferunt, aliàs numquam clariori voce, ſuavioriſque, cantum modulari, quàm ubi acantho ſpinæve inſederit. Verúmne id ſit, viderint, qui narrant. Hoc certum, à canora cæli volucre virtute Christiana, numquam gratiùs ac modulatiùs Dei laudes concini, quàm divinæ humanæque voluntatis conſonantiâ, in acantho calamitatum & ſpinis adverſorum. Canticorum Canticum illud eſt, jucundiſſimum auribus ſponſi, ejuſque ſodalibus: longè latéque reſonans ex monte myrrhæ, & ex colle thuris, atque inde per valles & agros multiplicato ſono diffuſum. Quidni autem Chriſtianorum aures delicat iſtius cantûs dulcedine mulceantur, quo Infidelium etiam ipſorum, & barbarorum, mentes rapiuntur in admirationem? Quis, putas, fuit ſpectantium & audientium quorumcumque ſenſus, quando D. Theodotus Martyr, cujus anniverſaria die hæc me commodùm ſcribere contigit, ungulis excarnificatus, dum coſtæ nudarentur, lætus canebat, *Benedicam Dominum in omni tempore?* Quando in rogum ardentem injectus, uſtulatúſque, ad extremum uſque ſpiritum in divinis laudibus perſeverabat, non ſecùs ac juvenes Hebræi inter innoxias fornacis Babyloniæ flamas? Quis non Chriſtianorum ex eo ſpectaculo dignos ſanctiſſima noſtra religione animos concepit? Quis non cæterorum miratus eſt militem, non jam hoſtibus ſolùm, ſed etiam ſemetipſo fortiorem? Cui adſtantium, vel invito, tacitæ laudis teſtimonium non expreſſit tam excelſus ſuper omnia horrenda animus, in vulneribus gaudens, in incendiis alacer, in morte vegetus? Cùm nos, tot ſæculis à cruento Maximiani ævo diſſiti, ad ſolam adeò generoſæ patientiæ cogitationem erigamus animos, & nobis ipſis de exemplo gratulemur.

IX. *Magni nobis ſuturum.* Si enim vel Paganis, imò & barbaris, nihil eſt ſupra hominem fortiter miſerum, quantò magis Chriſtianis, virtutum pretia edoctis? Qui non Dei tantùm gloriam ex ejuſmodi tolerantia exiſtere noverunt, ſed & plurimum apud Deum meriti ac gratiæ comparari. Nam *veriſſima devotio*, ut Bloſius in dictis Patrum cap. 10. affirmat, *in humillima ſui reſignatione ſita eſt: quando videlicet homo non ſolùm in abundantia, ſed etiam in penuria & mœrore, & aliis quibuſcumque caſibus atque eventibus, in ſanctiſſima Dei voluntate pleniſſimè acquieſcit.* Meritum eſt ab obſequio: obſequium à voluntatis ſubjectione perpetua. Ob eas cauſſas, ſolitæ heroicæ animæ non excipere tantùm mala incurrentia patienter, verùm etiam prompto animo, obviáque voluntate. Petrus Faber, primus Divi noſtri Ignatii ſocius, vir in agendo, patiendóque ſecundùm Deum, apprimè verſatus, tria eſſe dicebat Chriſtianorum non malorum genera, calamitates variè excipientium. Primos ſtatim ad Deum Divoſque confugere non alio fine, quàm ut inde eximantur. Alios idem, ſed meliùs, poſtulare: addere enim petitioni, ut Deus patientiam largiatur, ſi patiendi materiam non tollere conſtituit. Tertios in ſummum virtutis gradum eniti, peteréque à Deo, ut, ſi ex ejus voluntate ſit, plura patiantur, paratos ſe, & ad omnia compoſitos, tamque ex animo dicturos, Ecce ego, dejice me, cæde me; quàm Ecce ego mitte me, erige me.

X. *Lætitia perpetua.* Fructus ex iſta animi præparatione tertius enaſcitur, tranquillitas animi inconcuſſa, id eſt ſumma mortalis vitæ fælicitas. Commendabat Eccleſiaſtes cap. 9. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non recedat.* Quod aliis verbis, ſententiâ eâdem, diſcipulis ſuis commendare ſolitus Gebennenſis Epiſcopus, compoſitiſſimæ mentis homo: ut læti ſemper eſſent, ſemper contenti. Ita ne verò ſemper? Et patre amiſſo? Et perditis rebus? Et diſcedentibus amicis? Et per publicos tumultus? Et in ipſo triſtitiæ ſino inter gementes undique ac flentes in hac lacrymarum valle? Omninò ſemper, & modum oſtendo. Lætus eſſe non deſinet qui non deſinet habere quod volet, velle quod habebit. Id autem continget nemini, niſi voluntatem ſuam conjungenti cum divina, quæ ſemper invicta eſt. Pulcrè Auguſtinus libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 3. *Beatè omnes vivere volunt, neque quiſquam eſt in hominum genere, qui non huic ſententiæ, antequam planè ſit emiſſa, conſentiat. Beatus autem, quantum exiſtimo, neque ille dici poteſt, qui non habet, quod amat, qualecumque ſit: neque, qui habet, quod amat, ſi noxium ſit. neque, qui quod habet, non amat, etſi optimum ſit. Nam & qui appetit, quod adipiſci non poteſt, cruciatur: & qui adeptus eſt, quod appetendum non eſt, fallitur: & qui non appetit, quod appetendum eſt, ægrotat .... Quartum reſtat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cùm id quod eſt hominis optimum, amatur, & habetur.*

XI. *Et Beatitudo.* Hominis autem optimum eſt, velle quod Deus vult. Apud Auguſtinum lib. 13. de Trinitate c. 3. *Illa cujuſdam faceti ſſimi mimi prædicatur urbanitas: qui cùm ſe promiſiſſet in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis eſſe dicturum, atque ad diem conſtitutum ingenti exſpectatione major multitudo confluxiſſet, ſuſpenſis & ſilentibus omnibus, dixiſſe perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto leviſſimi ſcenici omnes tamen conſcientias invenerunt ſuas, eique vera, ante oculos omnium conſtituta, & tamen improviſa, dicenti, admirabili favore plauſerunt.... At ſi dixiſſet, omnes beati eſſe vultis, miſeri eſſe non vultis, dixiſſet aliquid, quod nullus in ſua non agnoſceret voluntate.* Tam perfecta eſt ſcilicet, ut ibidem capite octavo loquitur Auguſtinus, *tam examinata, tam eliquata, tam certa ſententia, Beatos eſſe omnes homines velle.* Quis verò mortalium beatus eſſe dicendus eſt? Ab eodem Auguſtino iterum audiamus cap. 5. & cap. 8. *Beatus non eſt, niſi qui omnia habet quæ vult. Non vivit beatè, cui non adeſt quod vult.* Neque habet quæcumque velit, niſi qui nihil vehementer deſiderare conſueſcit, quàm quod ille voluerit, cujus voluntati numquam reſiſtitur. Præterquam quod homo, in ea mentis diſpoſitione, Dei auxilio ac ſingulari protectione deſtitui non poteſt. Quid autem illi malorum eveniet, qui in immenſæ bonitatis ac potentiæ clientelam conceſſerit? Aut ſi quæ mala accidant, quodnam eorum in bonum non evadet? Moſes, Deuteronomii cap. 33. Tribui Aſer, quod nomen beatitudinem ſignificat, benè precaturus: *Benedictus*, inquit, *in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis, & tingat in oleo pedem ſuum. Ferrum & æs calceamentum ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & ſenectus tua .... Non eſt Deus alius, ut Deus rectiſſimi: aſcenſor cæli auxiliator tuus. Magnificentia ejus diſcurrunt nubes, habitaculum ejus ſurſum, & ſubter brachia ſempiterna: ejiciet à facie tua inimicum, dicétque: Conterere.* Unde Aſer, id eſt fælicitas, unde oleum lætitiæ, unde ferreum æreumque robur, unde florens ætas & juvenilis animus, unde perpetuæ de hoſtibus quibuſvis victoriæ, niſi à Dei auxilio? Ubi Dei auxilium, niſi ubi fiducia in Deum? Ubi conſtans in Deum fiducia, niſi cùm ſeſe homo in Dei manus ad omnia permiſerit? *Non enim eſt alius Deus, ut Deus rectiſſimi:* rectior autem nullus eſt, quàm qui ſe ſummæ inflexæq; rectitudini adaptavit.

XII. Acgeminus Paradiſus. Dici ſolet, nec longè à vero: nam ut ait Auguſtinus in Pſalmum 32. *Lingua popularis plerumque eſt doctrina ſalutaris.* Dici itaque ſolet, Paradiſum in hac vita primùm, deinde in altera, nemini contingere: atque adeò, qui placent Deo, per multas tribulationes tranſiiſſe fideles. Verum iſtud quidem; ſed & hoc, ni fallor, veriſſimum: Eſſe, qui & hìc, & in altera vita, inferos habeant; contrà eſſe, qui & hìc & ibi, Paradiſum inveniant. Inferos utrobique habent, qui calamitatum impatientes moriuntur. Paradiſum utrobique inveniunt, qui ſe divinæ voluntati in eventis omnibus adjungunt. Quid enim in cælis agunt Beati, quid iſti in terris? Et hi laudant Deum, & illi. Et hi Deo placent, & illi: quodque illi ampliùs non poſſunt, hi, quia Deo placent, incrementum gratiæ promerentur. Illi in loco pacis ſecuri ſunt, hi etiam in bellorum ſede tranquilli. Itaque, ô homo, ſi & hìc pariter & æternùm beatus eſſe vis, *Vide directionem, quâ dirigit te Deus:* verbis Auguſtini te alloquor, in fine concionis primæ in Pſalmum 36. *ut omnia, quæ vult, velis & ipſe: ipſe enim eſt directio.* Tunc demum alternis vocibus concines lucidiſſimæ noctis, Sole animarum noſtrarum exorto, in diem converſæ, ſuaviſſimum Canticum, cum multitudine militiæ cæleſtis, laudantium Deum, ac dicentium: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

XIII. Summaria bonæ voluntatis deſcriptio. Epilogum ipſum claudamus brevi epilogo, ex dimetrorum pedeſtrium ternariis aliquot, quibus dictorum præcipua recenſeantur. Avaris opes ſuas ſæpè ad calculos revocare jucundum eſt: nec nobis grave fuerit, divitiarum noſtrarum cæleſtium numeros frequenter meminiſſe.

Quæris, bona voluntas quid eſt?
Beatitudo ipſiſſima eſt,
Quanta eſſe ſub cælo poteſt.

In ipſo enim ſinu Dei eſt,
Quia ſemper illi ſubdita eſt,
Et ſponte, non gemens, ſubeſt.

Nihil ejus ubi ſit intereſt,
Nec temporum metu anxia eſt;
Quia nuſpiam & numquam ſua eſt.

Quodcumque non vult, non adeſt;
Pariterque quod vult, non abeſt;
Quia illud unum vult, quod eſt.

Sic conſtitutæ nil obeſt,
Nihil deeſt, imò ſupereſt,
Regente qui cunctis præeſt.

Tota ex Deo, tota ad Deum eſt;
Tota in Deo, quia ſub eo eſt,
Principium ei idem & finis eſt.

Per illam homo totus Dei eſt,
Et, penè dixero, Deus eſt.
Cujus voluntas optima eſt.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

ARGVMENTVM.

Ab Antiocho Sidete, Demetrii Nicanoris fratre, literæ perhumanæ ad Simonem dantur: libertas Iudæis conceſſa firmatur: Tryphon à ſuis deſertus, Doræ magnis copiis circumſidetur. Numenius Simonis legatus Roma affert exemplar literarum, à Lucio Conſule ſcriptarum ad Reges & provincias; ne quis in Iudæos, Romanorum amicos, quidquam tentaret. Doram Antiochus iterum obſidet: ſubmiſſos à Simone auxiliares & munera reſpuit: Ioppen, Gazam, arcem Hieroſolymitanam per legatum repetit; aut magnum pro illis, & pro damnorum compenſatione, pecuniæ numerum. Reſpondet Simon, aliena ſe non occupâſſe, avitam poſſeſſionem Iudæis aſſeruiſſe: Ioppen & Gazaram invadere injuriis coactum, daturum pro iis argenti talenta centum. Siluit ad hæc legatus, reſponſúmque ad Regem retulit; qui tam liberas voces non ferens, bellum adversùs Iudæos Cedebæo mandat. Tryphon interim Dorâ profugit Orthoſiadem: dumq; eum Antiochus inſequitur, Cendebæus magno ſtudio bellum in Iudæos urget.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET miſit Rex Antiochus filius Demetrii epiſtolas ab inſulis maris Simoni Sacerdoti, & Principi gentis Iudæorum, & univerſæ genti: 2. & erant continentes hunc modum: Rex Antiochus Simoni Sacerdoti magno, & genti Iudæorum, ſalutem. 3. Quoniam quidem peſtilentes obtinuerunt regnum patrum noſtrorum, volo autem vendicare regnum, & reſtituere illud ſicut erat anteà: & electam feci multitudinem exercitus, & feci naves bellicas. 4. Volo autem procedere per regionem, ut ulciſcar in eos qui corruperunt regionem noſtram, & qui deſolaverunt civitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo ſtatuo tibi omnes oblationes, quas remiſerunt tibi ante me omnes reges, & quæcumque alia dona remiſerunt tibi: 6. & permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua: 7. Ieruſalem autem ſanctam eſſe, & liberam: & omnia arma quæ fabricata ſunt, & præſidia quæ conſtruxit, quæ tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum regis, quæ futura ſunt regi, ex hoc & in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cùm autem tenuerimus regnum noſtrum, glorificabimus te, & gentem tuam, & Templum gloria magna, ita ut manifeſtetur gloria veſtra in univerſa terra. 10. Anno centeſimo ſeptuageſimo

quarto exiit Antiochus in terram patrum ſuorum, & convenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti eſſent cum Tryphone. 11. Et inſecutus eſt eum Antiochus Rex, & venit Dotam fugiens per maritimam. 12. Sciebat enim quòd congregata ſunt mala in eum, & reliquit eum exercitus. 13. Et applicuit Antiochus ſuper Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum: 14. & circuivit civitatem, & naves à mari acceſſerunt: & vexabant civitatem à terra & mari, & neminem ſinebant ingredi vel egredi. 15. Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epiſtolas regibus & regionibus ſcriptas, in quibus continebantur hæc: 16. Lucius conſul Romanorum, Ptolemæo Regi ſalutem. 17. Legati Iudæorum venerunt ad nos amici noſtri, renovantes priſtinam amicitiam & ſocietatem, miſſi à Simone principe Sacerdotum, & populo Iudæorum. 18. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille. 19. Placuit itaque nobis ſcribere regibus, & regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, & civitates eorum, & regiones eorum: & ut non ferant auxilium pugnantibus adverſus eos. 20. Viſum autem eſt nobis accipere ab eis clypeum. 21. Si qui ergo peſtilentes refugerunt de regione ipſorum ad vos, tradite eos Simoni principi Sacerdotum, ut vindicet in eos ſecundùm legem ſuam. 22. Hæc eadem ſcripta ſunt Demetrio Regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arſaci, 23. & in omnes regiones: & Lampſaco, & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in Alicarnaſſum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaſelidem, & in Gortynam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenen. 24. Exemplum autem eorum ſcripſerunt Simoni principi Sacerdotum, & populo Iudæorum. 25. Antiochus autem Rex applicuit caſtra in Doram ſecundò, admovens ei ſemper manus, & machinas faciens: & concluſit Tryphonem, ne procederet, 26. & miſit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, & argentum, & aurum, & vaſa copioſa: 27. & noluit ea accipere, ſed rupit omnia, quæ pactus eſt cum eo antea, & alienavit ſe ab eo. 28. Et miſit ad eum Athenobium unum de amicis ſuis, ut tractaret cum ipſo, dicens: *Vos tenetis Ioppen, & Gazaram, & arcem quæ eſt in Ieruſalem, civitates regni mei: 29. fines eorum deſolaſtis, & feciſtis plagam magnam in terra, & dominati eſtis per loca multa in regno meo. 30. Nunc ergo tradite civitates, quas occupaſtis, & tributa locorum, in quibus dominati eſtis extra fines Iudææ. 31. Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, & exterminii, quod exterminaſtis, & tributorum civitatum alia talenta quingenta: ſin autem, veniemus, & expugnabimus vos.* 32. Et venit Athenobius amicus regis in Ieruſalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro & argento, & apparatum copioſum: & obſtupuit: & retulit ei verba Regis. 33. Et reſpondit ei Simon, & dixit ei: *Neque alienam terram ſumpſimus, neque alia detinemus: ſed hereditatem patrum noſtrorum, quæ injuſtè ab inimicis noſtris aliquo tempore poſſeſſa eſt. 34. Nos verò tempus habentes, vindicamus hæreditatem patrum noſtrorum. 35. Nam de Ioppe & Gazara quæ expoſtulas, ipſi faciebant in populo plagam magnam, & in regione noſtra: horum damus talenta centum.* Et non reſpondit ei Athenobius verbum. 36. Reverſus autem cum ira ad Regem, renuntiavit ei verba iſta, & gloriam Simonis, & univerſa quæ vidit: & iratus eſt Rex ira magna. 37. Tryphon autem fugit navi in Orthoſiada. 38. Et conſtituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum

& equitum

&equitum dedit illi. 39. Et mandavit illi movere caſtra contra faciem Iu-
dææ: & mandavit ei ædificare Gedorem, & obſtruere portas civitatis, & debel-
lare populum. Rex autem perſequebatur Tryphonem. 40. Et pervenit
Cendebæus Iamniam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Iudæam, & ca-
ptivare populum, & interficere, & ædificare Gedorem. 41. Et collocavit
illic equites, & exercitum: ut egreſſi perambularent viam Iudææ, ſicut con-
ſtituit ei Rex.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Antiochus cujus Demetrii filius? An Rex jam nunc?

℣. 1. ET MISIT REX ANTIOCHUS FILIUS DEMETRII Soteris, frater Nicanoris Demetrii, non autem filius, ut malè Liranus. In Græco Antiochus non dicitur *Rex*, ſed, *filius Demetrii Regis*. Retinenda tamen noſtra lectio, vocans eum Regem per anticipationem: quia jam tum à Cleopatra fratris uxore ad matrimonium & ſpem regni, vocabatur: & ipſemet infrà verſu 3. apertè indicat, ſibi deliberatum, Aſiæ coronam armis vindicare. Cùm id conſtituiſſet, ſciretque Judæos tunc potentes eſſe, eorumque amicitiam ſibi eſſe utilem, *miſit epiſtolas*, ſeu varia exemplaria, ut fit, ejuſdem epiſtolæ, *Simoni Sacerdoti, & Principi gentis Iudæorum, & univerſæ genti.*

Unde Iudæis ſcripſerit?

Quod autem dicitur eas miſiſſe *ab inſulis maris*: intellige Rhodum, ubi audivit de captivitate fratris ſui apud Parthos. Intelligi etiam poſſit Creta; quò cum fratre miſſus fuerat à parente, ante bellum cum Alexandro Bala.

Quod Antiocho cognomen, & unde Sidetes?

Hunc Antiochum Joſephus *Soterem* nominat, aitque etiam εὐσεβῆ, *Pium*, cognominatum fuiſſe. *Sidetem* vocat Euſebius: quod vocabulum immutant, qui *Sedetem* aut *Aſidetem* appellatum volunt. At unde id cognominis? Serarius dicit, primò ſic dici potuiſſe à *pietate*, voce ex Hebræo deflexâ: quomodò Aſſidæi vocantur cap. 2. verſ. 42. Placeret etymologia ſi *Aſidetes* appellaretur, quaſi dicas *Pius*. Aliam itaque etymologiam affert idem Serarius, à *Side*, id eſt malo punico: σίδη, enim fructum Punicæ mali ſignificat, imò arborem ipſam. Addit tertiam, quæ Saliano poſt Pontacum probata eſt: derivatum *Sidetis* cognomen à *Side* Pamphyliæ urbe, alii Ciliciæ dicunt: nominaturque ea urbs infrà verſ. 23. Eum in modum apud Hieronymum, lib. 2. cont. Jovin. Marcellus quidam dicitur *Sidetes*: & compendii Cedreniani initio habetur Theodorus ὁ σίδης, *Sides*. Forſan Antiochus iſte in ea urbe natus, aut partem pueritiæ egit. Quid ſi iſta urbs à patre fuit ipſi attributa: quomodò hodieque Regum filiis ab urbibus, aut provinciis, appellatio dari ſolet?

Quando à Simone cœpta percuti moneta?

℣. 2. uſque ad 10. Recitatur exemplar epiſtolæ ad Simonem, in quâ duplici argumento ejus benevolentia conciliatur: primùm communicatione conſilii, de extorquendo regno è manibus Tryphonis: ſecundò confirmatione libertatis, cæterorumque à ſuperioribus Regibus Simoni ac Judæis conceſſorum: quibus addit, ut poſſit Simon *facere percuſſuram proprii numiſmatis*. In Græcis tamen Regiis habetur in plurali, quod Sixtina convenienter Vulgatæ habent in ſingulari: καὶ ἐπιτρέψαν σοι ποιῆσαι: *& permiſerunt tibi facere*, &c. Quaſi anteriores reges etiam Simoni poteſtatem dederint cudendæ monetæ: neque id improbabile eſt, quandoquidem liberos, & ſui juris Judæos eſſe voluiſſent; præcipuum autem libertatis perfectæ & ſupremi dominii ſignum eſt, monetæ cudendæ poteſtas.

Quando cudere monetam Iudæi deſierint?

Ablata ea poteſtas fuerat Judæis, ex quo ab Aſſyriis vaſtatâ Hieroſolymâ, deinde in Perſarum, tum in Macedonum imperium ceſſerant. Reſtituta nunc, ad id tempus uſque duraſſe videtur, cùm Archelao Herodis Aſcalonitæ filio mortuo, Judæa, & caput ejus Hieroſolyma, provinciarum more per præſides Romanos gubernati cœpit. Nam tunc moneta Romana videtur in uſum inducta, & argumento eſt illud Evangelicum Matth. c. 22. *Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?* Itaque numi Judaici, quorum hodieque varii circumferuntur, vel Simonis Principatu poſterorumque ejus cuſi fuêre, vel ad vetuſtiora Regum tempora referendi ſunt. Medio enim inter Reges & Aſamonæos tempore, Aſſyriâ, Perſicâ, & Macedonicâ monetâ Judæi uſi fuêre: poſt Aſamonæos autem & Herodem, Romanâ.

Siclus Iſraëliticus.

Habet Villalpandus noſter, ſecundâ Apparatus parte, lib. 2. c. 21. varias numorum Iſraëliticorum figuras. In his unus eſt, cujus ectypa multa habeo; ad ſeſqui-pollicis fermè diametrum exteoſus; ad decimam circiter pollicis craſſus: hinc oleæ ut apparet ramo; inde cratere, velut fumante, ſignatus: quâ parte crater eſt, inſcriptus literis ab Eſdra, ut ferunt, inventis, id eſt hodiernis, *ſekel* ſeu *ſiclus Iſrael*: quâ parte ramus eſt, eodem charactere hanc inſcriptionem habet, *Jeruſalem hakadoſcha*, id eſt *ſancta*.

Numus à Simone cuſus.

Mirum planè, ſi denarius ille ad tempora Simonis non pertinet: cratere, ſacrarum libationum inſtrumento, Sacerdotium indicante: oleâ ſignificante pacem, ac beneficum Principatum. Adde epitheton, *Sancta*, quod ipſum Hieroſolymæ tribuitur ab Antiocho Sidete verſ. 7. arbitrorque eo non indicari ſolùm ſanctitatem Templi, ſed etiam aſyli jus concedi aut firmari.

Regum numi.

Numi autem alii, qui literis duabus notati ſunt, aut ש & מ *Salim & Mem*; aut ד & מ *Daleth & Mem*; Salomonem Regem, Davidem Regem, ſignificant: percuſſique eorum regno videntur; niſi characterum novitas aliud ſuadet. At unde, inquis, tamdiu conſervari ea moneta potuerit? Si verum eſt, ex ſepulcro Davidis ab Hircano effoſſos theſauros, ibi à Salomone repoſitos: quod Joſephus aſſerit lib. 13. Antiq. c. 16. & lib. 16. c. 11. dicit ab Herode tentatum: non magis mirum erit,

pecuniam iſtam ad nos uſque perveniſſe, quàm Philippi Imperatoris, cujus integerrimum ex argento nummum, Cennaci Leodica Condroſorom urbe, anoo circiter hujus ſæculi quadrageſimo ſeptimo erutum, mihique ab amico donatum, miſi ad Collegii oostri Bruxellenſis bibliothecam, obi unicum iſtud ex priſcorum Cæſarum Romanorum numiſmatibus deeſſe dicebatur.

Stratagema Tryphonis fugientis.

℣. 10. uſque ad 15. Poſt ſcriptas ad Simonem epiſtolas, tranſmittit Antiochus cum ſuis in Aſiam: ad eum confluitur: trepidus Tryphoo *venit Doram, fugiens per maritimam*, id eſt ſecundùm litus maris continuatâ fugâ: Græca Regia habent fugiſſe ἐπὶ τῆς θαλάσσης, quod Interpres Regius vertit *per mare*, ſed æquè commodè vertere poterat *ſecus mare*. Sixtina habêt δῶρα τὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης: *Doram, quæ eſt ad mare*. In hac fuga contigiſſe reor, quod Frontinus lib 2. cap. 13. narrat: *Trypho Rex Syriæ victus, per totum iter fugiens pecuniam ſparſit, eaque ſectatores Antiochi equites moratus effugit.* Intelligo humi ſparſiſſe, quomodò Hippomenes aurea poma ad morandam Atalantam, apud poetas. Nam ſi ſparſiſſet ſolùm in equitum manus illis corrumpendis, ut vult Salianus; quod, quæſo, ea in re eſſet ſtratagema oovum & memorabile?

Dora ubi ſita.

Aſſecutus Tryphonem Antiochus, Doræ arcta obſidione cingit, terrâ marique. Erat enim urbs ad Mediterraneum mare, portu & commerciis celebris, in dimidia tribu Manaſſę Ciſjordanina, propè Carmelum montem, milliari nono ab Cæſarea Palæſtinæ, à Ptolemaide horis decem diſſita. Dirutam ac deſertam ævo ſuo fuiſſe, ait D. Hieronymus in locis Hebraicis. Planè diverſam eſſe ab Ador, de qua cap. 13. v. 20. opinamur.

Legatus Româ reverſus.

℣. 15. uſque ad 25. Numenius ſuperiore cap. verſ. 24. miſſus Romam cum clypeo aureo, Hieroſolymam revertitur, biennio fermè poſtquam inierat legationem. Anno enim centeſimo ſeptuageſimo ſecundo miſſus, revertitur anno centeſimo ſeptuageſimo quarto. Quamquam dici poteſt, vertente anno profectus, ineunte regreſſus, adeóque non multò plus anno uoo in ea legatione conſumpſiſſe. Fructus legationis ejus fuit amicitiæ cum Romanis renovatio: item literæ à Romano Conſule datæ ad Reges, ac populos; quibus commendatur, ne quid adverſus Judæos tentetur, imò dedantur Simooi ſummo Pontifici perturbatores reipublicæ Judaicæ, ſi qoi iſthuc refugerint. Socios enim Romanorum eſſe Judæos.

Menda varia Græci textus Regii.

In Græcis Regiis verſ. 18. habetur, clypeum aureum fuiſſe *minarum quinque millium*, mendo manifeſto: ut patet ex utroque textu capitis ſuperioris, verſu 24. ubi diſertè habetur fuiſſe *minarum mille*. Mendum item manifeſtum eſt verſ. 22. ubi pro, *eadem ſcripta ſunt Demetrio Regi*, habetur, *Et hæc ſcripſit Demetrius Regi*. Eodem verſu mendum eſt *Arathe*, pro *Ariarathi*. Verſu 23. ubi in Vulgata habemus *Lampſaco*, Græcè eſt etiam in Sixtinis, unde alia menda abſunt, *Sampſame*: Sampſamam retinet Serarius, putatque eamdem eſſe atque Heliopolin Syriæ, quia Arabibus Sampſa Sol eſt. Lampſacum retinet Salianus cum correctâ vulgatâ editione; urbem Aſiæ claram ac nobilem in Myſia ad Helleſpontum, quæque agmen inter regiooes ac populos infraſcriptos non incongruè ducat.

Quis Lucius Conſul?

Quæres primò, quis iſte verſ. 16. *Lucius Conſul Romanorum?* Græca habent Λεύκιος *Leucius*: unde conjicit Serarius pro *Lucius* forſan legendum *Cajus*, aut *Lepidus*, facili literarum mutatione. Et hinc conficit, literas haſce forſan ſcriptas à Marco Æmilio Lepido: qui, inquit, conſul fuit anno Urbis conditæ ſexcenteſimo decimo-ſexto, incurrente in centeſimum ſeptuageſimum quartum Græcorum.

An Æmilius Lepidus?

Sed anno toto aberrâſſe videtur Serarius: annus enim 174. Græcorum reſpoodet 615. Urbis conditæ, ſecundùm probatiſſimos Chrooologos, adeóque Æmilius Lepidus literas iſtas ſcribere non potuit. Reſpondeat forſan quis pro Serario; finem anni iſtius Græcorum cum bona parte anni ſequentis Romanorum coocurriſſe, adeóque literas ab Æmilio Lepido ſcribi potuiſſe. Conſtat enim ante Julianam reformationem, Romanos annos vagos fuiſſe, & plerumque ab æquinoctio Autumnali inchoatos: unde fieri potuit, ut anous hic centeſimus ſeptuageſimus quartus Græcorum, partim cum 615. partim cum 616. Urbis conditæ coocurrerit. Ut hoc admittamus, & verò admitti poteſt, cùm gratis non dicatur: quid ad textum noſtrum reſpondebitur, ubi tam expreſsè, tamque conſtanter habetur *Lucius*, nullo *Lepidi* veſtigio, niſi ex tenui iſta Græci textus conjecturâ?

An Lucius Furius?

Ipſe itaque Serarius, priori ſuæ conjecturæ non auſus inſiſtere, ſubdit, *Lucium Furium* proximum à Marco Æmil. Lepido Conſulem fuiſſe, de quo Offic. 3. & in Bruto Tullius. Cujus conſulatus cùm incidat in finem anni 174. ipſum eſſe, qui de Judæis ſcribat, conſentaneum eſt. Verùm & hic aberravit à ſcopo vir doctiſſimus. Nam Lucius Furius Philus cum Atilio Serrano Conſul fuit anno Urbis 617. qui 176. Græcorum ex veriore chronologiâ reſpondere debet, non autem 174. Atque adeò Lucius iſte huic loco nullatenus convenit.

An Lucius Metellus?

Recurrunt aliqui, apud Salianum, ad Lucium Cæcilium Metellum Conſulem, cum Q. Fabio Maximo Serviliano ad annum Urbis 612. ſed cùm is annus ſit Græcorum 170. primus Simonis: qui quæſo fieri potuit, ut ejus anni Conſul meminerit clypei aurei, miſſi à Simone per Numenium biennio pòſt? Adde, Numenium revertiſſe in Judæam anno ceoteſimo ſeptuageſimo quarto, cum literis Conſulis ut patet ex hujus capitis ſerie: quid ergo egit interim totum biennium poſt Conſulatum Metelli? Ubi delituit? Quorſum ad Simonem non rediit, exponendo ſucceſſui legationis ſuæ?

Videtur fuiſſe Lucius Piſo.

Supereſt *Lucius Calphurnius Piſo* Cooſul cum M. Popilio Lænate, anoo Urbis 614. Græcorum 173. *Lucium* eum vocat diſertè Valerius Maximus lib. 1. cap. 4 ubi Prætoris edictum de Chaldæis ex Italia pellendis memorat, iis Conſulibus factum. Nec movere quemquam debent Pighiani faſti, ubi non *Lucius* ſed *Cnæus* dicitur: hoc enim pro iſto prænomen nullo auctore, & parum conſideratè, Pighius ſubſtituit. Advertere enim debuerat, nuſquam aliter apud Valerium legi: Sigonium, Genebrardum, Grellium, alióſque Valerii auctoritatem ſecutos, Lucium Calphurnium Piſonem nominare. Hujus itaque Lucii literas eſſe de Judæis exiſtimat Salianus: & ego ambigendum non arbitror. Præter nomen, convenit tempus. Anno 172. miſſus Romam Numenius, eò appulit, quo tempore Lucius Calphurnius Piſo iniit Conſulatum: auditus, expoſitâ legatione, dato clypeo; dum exſpectat reſponſum, dum literæ ſcribuntur, annus fermè, ut fit, abiit. Aberat M. Popilius Lænas collega Caphurnii, in Hiſpaniam profectus: unde Lucii Conſulis nomine, & ſolius quidem, literæ ſcriptæ. Dum revertitur cum literis Numenius, & ex itinere Spartiatas ſalutat, alioſque forſan populos, ad quos exemplaria literarum Conſulis mittebantur, exceſſit conſulatu Lucius, &

annus

annus fuit Græcorum centeſimus ſeptuageſimus quartus.

Cur Ptolemæo de Judæis ſcriptum?

Quæres ſecundò: cur Ptolemæo Regi de Judæis ſcriptum, cùm ad ejus regnum Judæa non ſpectaret? Factum id: tum quia multi in Ægypto Judæi habitabant, & in iis apoſtatæ non pauci, qui forſan verſu 21. nomine *peſtilentium* ſignificantur: tum quia Ægypto contermina erat Judæa, atque adeò expediebat amicitiam utrimque coaleſcere: tum denique, quia Syriæ regno Ægyptii Reges inhiabant, cujus appendix eſſe Judæa videbatur. Erat hic Ptolemæus Phiſcon, qui & Evergetes dictus, frater Philometoris, à quo Aſiæ diadema ſumptum vidimus ſuprà cap. 11. verſ. 13. cujuſque filia Cleopatra jam erat Aſiæ regina.

Cur Demetrio ſcriptū, non Antiocho?

Quæres tertiò: cur ad Demetrium Aſiæ Regem icribunt Romani, non ad Antiochum Sidetem, cùm ille jam captivus eſſet, hic regnaret? Nondum Romæ auditum erat Demetrium à Parthis captum, cùm ex literæ datæ fuerunt. Tenuit enim aliquamdiu expeditio Demetrii adversùs Parthos, inchoata anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, & benè primùm ceſſit: tum converſa repente fortuna. Quod cùm in Oriente gereretur, mirum non eſt, tardè auditum Romæ ob longitudinem itinerum; imò & tardè creditum ob rei magnitudinem: præſertim cùm proſpera ejus prælia antè nuntiata eſſent.

Cur ad alios Reges datæ literæ?

Quæres quartò: cur præter hoſce duos Reges, eodem exemplo ad alios tres literæ ſcribantur? Videntur ſanè ii parum ad Judæos ſpectare. Erat enim Attalus Rex Pergami, Ariarathes Cappadociæ, Arſaces Parthorum: quid autem iſti ad Judæam aut Judæos? Reſpondeo primùm, Judæos eâ ætate per iſta regna ſparſos fuiſſe, & in variis Aſiæ atque Orientis urbibus habitâſſe: expediebat igitur Regibus, quibus ſuberant, notam eſſe Judaicæ gentis cum Romanis amicitiam, ut eò clementiùs cum ſubditis agerent. Secundò: mercatoribus Judæis, paſſim negotiantibus per iſtorum regnorum provincias, utilis erat futura ad ſecuritatem ſocietatis illius commemoratio, ob reverentiam Romani nominis: fecerat enim Simon c. 14. verſ. 5. introitum in inſulis maris, ad commercia ubique frequentanda. Denique *peſtilentes* & impii apoſtatæ Judæi, quos expediebat ad publicum exemplum puniri, poterant ad iſthæc regna confugiſſe ſupplicio vitando. Si enim Jaſon Lacedæmonem ſeſe recepit, lib. 2. cap. 5. v. 9. quid mirum, ſi perfidi Judæorum, Jaſoni ſimiles, in Pergamenum regnum, aut Cappadociam, vel Parthiam refugerãt? Scribunt ergo ad Reges Romani, ut dedant ejuſmodi homines, ſi fortè à Simone repetantur ad pœnam.

Ad quas urbes ſcriptū, & cur?

Quæres quintò: quorſum tot urbium & provinciarum oomina congerantur, ad quas à Romanis literæ eædem, mutatâ tantùm inſcriptione, miſſæ ſint? Item an ad alias regiones ſcriptum non ſit, quandoquidem verſu 23. dicatur, hæc eadem ſcripta, *in omnes regiones?* Ego certè exiſtimârim ad alias etiam regiones ſcriptum à Romanis: has tamen potiſſimum commemorari, quia magis ad Judæos attinebant: vel affinitate ac ſocietate; quomodò Spartani: vel ratione commercii, ut inſulæ maris Mediterranei & urbes maritimæ: vel quòd in eis habitarent frequentes Judæi, quomodò Cyrenis, unde Act. 6. Cyrenenſium Judæorum ſynagoga celebratur. *Sparta* notiſſima Græciæ urbs in Peloponneſo, ubi etiam *Sicyon* fuit: hæ ſolùm duæ urbes ſitæ in continenti Græciæ commemorantur. Inſulæ maris Mediterranei ſunt *Delus*, malo enim hoc nomine inſulam ſignificari, *Samus*, *Cos*, *Rhodus*, *Cyprus*, Aradus ſive Arados proximè continentem Syriæ ad oſtium Eleutheri fluvii. Adde *Gortynam* Cretæ inſulæ urbem; *Gnidum* ſeu *Cnidum* in extremo Cariæ promontorio ſitam, inſulis aut ſaltem perinſulis annumero. Accedit & Myndus, maritimum item ac celebre Cariæ oppidum, eoque nomine dignum quod ſeparatim memoraretur; etſi poſtmodum Cariæ provinciæ mentio fiat. *Lampſacum*, *Alicarnaſſus*, *Sides*, *Phaſelis*, urbes ſunt in Aſia. *Caria*, *Pamphylia*, *Lycia*, finitimæ ſunt inter ſe in Aſia provinciæ. *Cyrene* ampliſſima eſt Africæ provincia, quæ tum Ægyptiis Regibus parebat, & Philometore Ptolemæo in Ægypto regnante, Phiſcon Ptolemæos, ad quem hoc loco ſcribunt Romani, in hac ipſa provincia regnârat.

Cur exemplum literarū miſſum Simoni?

Quæres ſextò: cur *exemplum eorum ſcripſerunt* Romani *Simoni & populo?* Primùm, ut eis conſtaret de amicitia & Societate, bonâ fide initâ. Deinde, ut ſcirent quæ de ſe ad Reges ac populos ſcriberentur, exigerentque, ubi uſus ferret, eorum obſervationem: &, ſi contra ea peccaretur, expoſtulare poſſent apud Romanos, quorum erat vindictam ſumere de læſis ſociis. Ad extremum, ut earum literarum exempla commeantibus, ac negotiantibus per varias provincias, dari poſſent; eſſentque ipſi inſtar literarum ad ſecuritatem datarum, quibus in Romanorum fidem reciperentur, & ob horum potentiam ſacroſancti atque inviolabiles eſſent.

Quomodò Antiochus ſecundò Doram obſedit?

℣. 25. Antiochus autem Rex applicuit castra in Doram secundò. Quid hoc eſt *ſecundò?* An ergo cæptam ſemel obſidionem deſeruerat? Ita cenſuit Liranus. Sed nullum ſolutæ obſidionis in Scriptura veſtigium; imò potiùs contrarium colligitur ex his verbis, *admovens ei ſemper manus:* ſi enim deſeruit cæpta Antiochus, nou *ſemper* admovit manus. Quidam opinantur dici, *ſecundò* admota Doræ caſtra, ooo quòd deſita fuerit oppugnatio; ſed quòd operum molitiones paulùm intermiſſæ, jam fuerint reſumptæ, aut ſaltem acriùs excitatæ: idque forſan innuitur his verbis, *& machinas faciens*; atque etiam iſtis, *& concluſit Tryphonem ne procederet;* antè quidem concluſum verſu 14. jam preſſit vehementiùs.

An partem urbis ſecundam?

Græcus textus pro *ſecundò*, habet ἐν τῇ δευτέρᾳ; *in ſecunda:* ſubintelligunt aliqui apud Salianum, ἡμέρᾳ *die*, quaſi ita Antiochus urſerit obſidionem, ut alterâ die penitùs eſſet concluſus Tryphon. Poteſt etiam ſubaudiri μερίδι *parte*, ut intelligatur, captâ priore parte civitatis, Antiochus promoviſſe caſtra ad Doram *ſecundò*, id eſt, *ad ſecundam partem* urbis. Placet iſta explicatio Saliano, & mihi perplacet. Primùm, quia veriſimile eſt in tanto obſidentium numero brevi tempore partẽ aliquam urbis captam: quâ amiſsâ, Tryphon refugerit in aliam, ut ſe ibi tueretur. Deinde, quia video etiam Hieroſolymis olim fuiſſe partem urbis, quæ *ſecunda* diceretur, uti 4. Regum c. 22. *Holda* prophetis *habitabat in Ieruſalem, in ſecunda.*

Simonis dona, & auxilia Antiochus reſpuit.

℣. 26. 27. Et misit ao eum Antiochum Simon duo millia virorum electorum, in auxilium, et argentum et aurum, et vasa copiosa: ſeu nomine *vaſorum* intelligas pretioſam ſupellectilem, quâ Reges Aſiatici, non domi ſolùm, ſed & militiæ uti ſoliti: ſeu *vaſa* ſint inſtrumenta bellica & machinæ oppugnationibus utiles; quales ipſe Simon in Gazenſi obſidione fabricârat cap. 13. verſ. 44. Neque incredibile eſt, quod addit Joſephus, miſſum præterea

commeatum, tantæ multitudini, quam ſecum Rex traxerat, neceſſarium. Sed falſum omninò, quod idem Joſephus commentus eſt, grata fuiſſe Antiocho munera, Simonemque apud eum aliquandiu in flagranti gratia fuiſſe: neque amicitiæ renuntiatum, niſi occiſo Simone. Manifeſtè enim iſthæc Scripturæ repugnant, quæ ſubjicit: *& noluit ea accipere, ſed rupit omnia, quæ pactus eſt cum eo anteà*, literis ſupra recitatis initio capitis, *& alienatus eſt ab eo.*

Unde ſubita Antiochi à Simone alienatio?

At unde orta ſubita illa mutatio? An forſan ob tardiùs miſſa auxilia? Sed non poſtulârat, neque indigebat. Nam centum viginti octo millibus armatorum ſtipatus, plus longè militum habebat, quàm ad expeditionem eam opus foret; nec neceſſe habebat Judaica auxilia reſpicere. Nec verò aliud à Simone petierat, quàm ne tranſitu per Judæam ad perſequendum hoſtem neceſſario prohiberetur: quò ſpectant verba illa verſûs 4. *volo procedere per regionem*, ſcilicet tibi, ô Simon, ſubditam, idque nolo facere, niſi te præmonito.

Amicitiæ ex utilitate.

Vera itaque cauſſa, cur ſubitò Antiochus à Simone alienatus ſit, ea fuit, quâ omnes vulgi & pſeudopoliticorum amicitiæ & inimicitiæ conſtant, utilitas. Utile ipſi erat, ante aſſequendum Tryphonem, cùm Judæis amicitiam colere, ne iter ſuum impediretur, & vires gemino hoſte diſtraherentur. Nunc autem arctato Tryphone, cùm propè eſſe arbitraretur, ut cum illo debellaret, utiliores putavit ſibi fore cum Judæis inimicitias; ut Judæam totam à regno Aſiæ avulſam recuperaret: quod facile facturum ſe ſperabat, tam florenti exercitu, & Judææ finibus imminente. Poſtpoſuit itaque, quod iſtis ſolenne eſt, Antiochus honeſtum utili; & contra fas, ſua ipſius pacta, & aliena à ſe comprobata, reſcidit.

Sincera amicitiæ & iræ profeſſio.

In hoc tamen viri mali facinore deprehendo aliquod viri boni officium: quòd idem Antiochus, ante bellum Simoni inferendum, cum eo expoſtulat, & amicitiam obnuntiat, miſſo Athenobio, ut mox dicemus. Morem illum olim receptum fuiſſe obſervat Lipſius ad librum 4. Annalium Taciti, ubi Germanicus *componit epiſtolas, quis amicitiam* Piſoni *renuntiabat.* Publicè id fieri ſolitum: ex Livio lib. 36. ubi conſulti feciales, *num prius Ætolis renuntianda amicitia eſſet, quàm bellum denuntiandum:* & lib. 43. *miſſi legati Perſeo amicitiam renuntiarunt.* Privatim idem celebratum, ex Senecæ epiſt. 77. ubi agitur de *inimicitiis denuntiandis*, & lib. 3. de Ira, ubi *iræ indici* dicuntur: ex Tacito l. 6. Ann. ubi ait, *morem fuiſſe majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumq; finem gratiæ ponere.* Meritò hîc invehamur in hodiernos mores, à quibus longè abeſt ſincera iſta & aperta amicitiæ aut inimicitiarum profeſſio: fucata fermè omnia & fallacia, ut amicum ab inimico vix diſcreveris; niſi quod hic ſæpè blandior, & quò odit magis, eò plus videri vult amare, ut faciliùs noceat. Plures modò ſunt Tryphoni ſimiles, quàm Sideti Antiocho: ille alumnum occidit, dum ſimulat ſe regnum ei aſſerere velle: hic injuſtè quidem, ſed apertè inimicitias incipit cum Simone.

Athenobius ab Antiocho de repetundis miſſus ad Simonem.

℣. 28. uſque ad 37. Athenobius mittitur ab Antiocho ad Simonem, qui repetat Joppen, Gazaram, arcem Hieroſolymitanam, quæ inter *civitates* numeratur, quòd eſſet magna urbis inſtar, & ſita in civitate David: item repetat tributa à Judæis exacta extra fines Judææ in locis, quæ vel ipſi ceperant, vel ipſis attributa fuerant à ſuperioribus Regibus, vide cap. 10. verſ. 29. & cap. 11. verſ. 28. Si locis illis cedere nolint Judæi, dependant pro illis *talenta quingenta:* & alia *quingenta exterminii*, quod exterminârunt, id eſt, ad compenſationem damnorum illatorum, item ad compenſationem *tributorum* extra Judæam exactorum. Mille talenta, ſi Attica intelligas, ſunt circiter mille & quingenta millia florenorum, ſeu ſeſquimillia argenti: Hebraica talenta duplam ſummam conficiunt, id eſt, tres argenti milliones, aut auri unum, vel circiter: paullò enim aliter alii numerant, & in his Salianus.

Excipitur à Simone.

Cum hiſce mandatis venit Athenobius ad Simonem, verſu 32. videt *ejus gloriam*, id eſt magnificentiam, de induſtria forſan à Simone oſtentatam; ſperans Antiochum, cognitis ſuis divitiis ac potentiâ, cogitationes de bello depoſiturum. *Claritatem* Græcè eſt *κυλικεῖον, calicinum*, id eſt abacum exponendis calicibus, pateris, vaſiſque aliis aureis & argenteis. Salianus putat lectum ab Interprete noſtro *κυδικεῖον* à *κῦδος* gloria, indéque vertiſſe *claritatem.* *Apparatum* Græcè eſt *παράςασιν*, quod etiam ad famulitium referri poteſt. In reſponſo Simonis duo ſunt, quibus juſtè à ſe poſſideri oſtendit, quæ ab Antiocho repetuntur: vel enim ſua olim fuiſſe, adeóque paternam hæreditatem rectè à filiis vindicatam: vel aliena quidem, ſed infeſta, idcircò etiam hæc juſtè capta jure belli. De Joppitarum in Judæos ſcelere privatim narratur lib. 2. cap. 12. De Gazenſibus nihil ſingulare habetur hiſce libris: non poteſt tamen dubitari, quin moleſti fuerint Judæis, quomodò & omnes conterminæ nationes inſtaurato Templo cap. 5. mox Juda occiſo, tum Jonatha, cap. 9. & cap. 13.

Diſcedit offenſus.

Nihilominùs Simon, etſi juſtè ſe poſſidere omnia aſſerat, offert velut offam Cerbero ad redimendam vexationem, *talenta centum*, quæ prout ſuprà numerabamus, ſi Attica ſint, ſunt centum quinquaginta millia florenorum, ſin Hebræa, duplum. Reſponſo Athenobius offenſus, iram ſilentio oſtendit: *iratus* item *Rex ira magnâ*, & de bello in Judæos deliberatum.

Quæ Orthoſias, quò elapſus Tryphon?

℣. 37. TRYPHON AUTEM FUGIT NAVI IN ORTHOSIADA: feſellitque obſidentes, etſi arctiſſimè terra marique ab Antiocho cinctus. Eam urbem Phœniciæ fuiſſe non longè à Tripoli, hodieque Tortoſam vocari exiſtimat Adrichomius, & pro ſe adducit Guilielmum Tyrium ac Ptolemæum. Accedit affinitas nominum Tortoſæ & Orthoſiæ ſeu Orthoſiadis. Addunt aliqui, eamdem urbem dictam Antaradum, quaſi in promontorio ſitam oppoſito inſulæ Arado. Quamquam Plinius lib. 5. cap. 20. Orthoſiada non eamdem Antarado facit, ſed vicinam: & Ptolemæus lib. 5. Geog. cap. 15. Orthoſiam collocat in Phœnicia, Antaradum in Syria Caſſiotide. Maneat itaque Orthoſiada urbem fuiſſe maritimam, cùm eò navi fugerit Tryphon: fuiſſe in Phœniciâ, ut Ptolemæus docet: eamdémque hodie nominari Tortoſam, ut vel ipſa cognatione nominis indicatur.

Juſtitia divina vindex injuſtitiæ publicæ.

Obſerva hîc non obſcurum divinæ Juſtitiæ exemplum. Arctiſſimè preſſum Tryphonem tenebat Antiochus, & velut feram indagine clauſam. Supervacuam itaque bello iſto jam confecto exiſtimat Judæorum amicitiam, eamque injuſtè renuntiat. Injuſtitiæ vindex Deus adeſt, & præter ſpem omnem Tryphoni viam ad effugium aperit. Injuſtus Aſiatici regni invaſor, injuſto Judææ invaſori de manibus elabitur, juſtiſſimo Dei judicio. Debuit Antiochus eam Dei Providentiam advertere, & cum Judæis redire in gratiam. Sed cæcus homo, & majorum ſuorum exemplo omnia utilitate metiens, non deſiit nihilominùs Judæos

poſtmodùm

poſtmodùm inceſſere. Hiſce aliiſque ejuſmodi injuſtitiæ exemplis irritatus Deus, miſcuit in Aſia ſpiritum vertiginis, infælicique monarchiæ finem induxit. Impura fæmina Cleopatra, Demetrii conjux, Antiocho ejus fratri deoupſit, vivo & captivo priore coojuge; ex utroque matrimonio nati liberi, inde nepotes, diſcordiarum ſemina, quibus regnum diſcerptum funditùs interiit. Adeò verum eſt illud Sapientis, *Juſtitia firmari ſolium*, Prov. 16.& 29. oec ſuſcipienda temerè ac ſine jure bella, neque amicitiis citra cauſſam publicè renuntiandum, neque honeſtum poſthabendum utili; aliáſque eſſe Providentiæ divinæ leges, quàm quas miſera ſibi ars gubernandi inter homines confioxit. De Juſtitia nos multa ſatis Excurſu Morali ad caput 7.

Tryphone quid factū? An Apameæ occiſus?

Scire cupis, quid tamdem Tryphone factum, fædifrago homine, & patricidâ? Scripturâ nihil addit, quàm verſu 39. *Rex autem perſequebatur Tryphonem*, motis ſtatim à Dora caſtris, ubi ſenſit evaſiſſe. At ubi illum aſſecutus eſt? Joſephus ait Apameam profugiſſe, eam opioor, quæ ad Orontem ſupra Antiochiam ſita eſt, caput Apamenes provinciæ: eâ urbe vi captâ, interfectum. Quis verò Joſepho auctor? Salianus putat, oon aliam ob rationem à Joſepho delectam Apameam ad Tryphonis necem, quàm quòd Secoaois caſtello Apameeoſium natus, Apameæ educatus foret, videreturque oon abſonum ibi vitam finiſſe, ubi cæpiſſet. Strabo libro 14. dicit, Tryphooem, ab Antiocbo Demetrii fratre concluſum intra caſtellum quoddam, ſibi manus attuliſſe. Id caſtellum Salianus interpretatur Orthoſiada: mihi tamen videtur alius locus intelligendus, ſi Strabonem ſequimur, qui Orthoſiadem, orbem non ignobilem, caſtellum ſeu χωρίον appellare noloiſſet: valetque idem argumentum, ut Apameæ concluſum non credamus. Exiſtimârim Dorâ elapſum, navi in Orthoſiada veniſſe: cumque ſibi illic tutò conſiſtere noo liceret, ob imminentem ea vicino terrâ marique Antiochum, longiùs in continentem citatis equis profugiſſe, & ſe in munitum aliquod caſtrum concluſiſſe. Quid ſi in Secoanam ſive Coſſianam natalem locum? Quid ſi in Coraceſium Ciliciæ Caſtellum, in petrâ præruptâ ſitum? Quâ arce belli uſum Tryphonem aſſerit Strabo lib. 14. qui tamen eum locum nominaturus fuiſſe videtur in ejus morte, ſi ibi obiiſſet.

Fabula de ejus morte.

Non omittenda fabula ab Athenæo narrata de Tryphonis morte, quam etiam refert Salianus ad annum Græcorum 176. Ait ex Stoico Poſidonio: Tryphooem Apameenſem, qui regnum Syriæ invaſit, Sarpedooe Demetrii exercitus duce ad Ptolemaidem victo, ac pulſo in Mediterranea, ſecùs mare cum copiis ſuis ambulantem, elato in ſublime immenſo maris fluctu, atque in terras eaundante, ſubitò cum ſuis omnibus oppreſſum: & reſorbénte fluctum mari evecta cadavere, tum refluentibus undis in litus ejecta, cum magnâ vi piſcium. Intellecta re, Sarpendonem reverſum cadaveribus hoſtilibus pepercisse, piſces collegiſſe, templumque ſuburbanum condidiſſe Averſori Neptono. Nihil in ea narratione vides ad verum accedere, præterquam iter Tryphonis maritimum. Cætera, de fluctu exundante, abſorpto exercitu, ejecta in litus prædâ, ad aliquam imaginem Ægyptiacæ in mari rubro eladis efficta.

Anni Tryphonis.

Annos regni Tryphoni dedimus tres omninò: totidem aſſignat Joſephus, ſed malè, quòd tertio anno occiſum dicat. Cùm enim ante annum 170. Græcorum occiſus ſit Jonathas, mox Antiochus puer ut ex Scripturâ conſtat; Antiochus verò Sidetes anno demum 174. Græcorum de repetendo regno patrio cogitârit: quî fieri poteſt, ut Tryphon interfectus ſit triennio poſtquam regno potitus fuerat? Obiit igitur ſexto demum, vel ſeptimo anno, poſtquam regnum invaſit. Triennio nihilominùs regnum ejus definimus: quia non oumeramus anoos, quibus ſub nomine pupilli Antiochi regnavit; neque illos quibus, Antiocho Sidete regnum patrium repetente, partim vagus, partim obſeſſus egit.

Cendebæi præfectura.

ỷ. 38. ad finem. Quædam, quæ in textu noſtro obſcuriora ſunt, ex Græco illuſtrabimus. *Conſtituit Rex Cendebaum ducem maritimum*, id eſt præfecit oræ maritimæ, patet ex Græco, τῆς παραλίας, id eſt *maritima*.

Quæ Gedor ſeu Cedron, & ubi ſita?

Quam urbem verſu 39. & 40. noſter vocat *Gedorem*, in Græco eſt κεδρίον *Cedrou*: Adrichomius, & poſt eum Saliaous, eamdem eſſe aſſerit, quæ Gedor Joſue c.15. verſ. 58. & Gador 1. Par. 4. v. 39. nominatur, ubi & narratur, quomodò à Simeonitis fuerit occupata. Collocat eam Adrichomius in tribu Danitica noo longè à Modin; &, quamvis Booſrerius in Onomaſtico nunapprobet, mihi tamen videtur valdè probabile. Nam capite ſequenti verſu 4. & 5. Judæi dormiunt in Modin, & inde progreſſi occurrunt hoſtibus, eoſque perſequuntur. *Cedronem* uſque, ſive *Gedorem*: eadem enim urbs eſt, levi ioſleaiooe literarum mutato nomine *Gedor*, ſeu *Gedro*, io *Cedro* ſeu *Cedron*.

An appellata à torrente Cedron?

Suſpicatur Salianus torrentem Cedron ex valle, in qua ea orbs ſita eſt, initium ſumere, & iode ei promiſcuum nomen Gedoris & Cedronis adhæſiſſe. Multas equidem urbes hodiéque ſcimus à præterfluentibus, non fluviis modò, ſed rivulis ac funibus, nomina mutuari. Sed hanc urbem à torrente Cedron appellaoonem ſortiri non credent qui Hieroſolymam & vicina loca luſtravêre ae deſcripsêre.

Torrentis origo, & fluxus.

Aiunt enim torrentem illum ex mootibos circum Hieroſolymam naſci, aquiſque ad Orientalem plagam, quia humilior eſt, defluentibus auctum, per vallem Joſaphat inter montem Oliver; & civitatem ferri, uode reflexus, longo tractu in mare mortuum evolvitur.

Urbs binomia.

Conſtat tamen unam eſſe eamdemque hoe loco urbem *Gedorem* & *Cedronem*; habeturque Cedronis nomen in Græcis omnibus, olimque etiam habebatur in omnibus Latinis. Cave tamen exiſtimes, Cedronem hanc ſic dictam, quòd à Cendebæo ad torrentem Cedron propè Hieroſolymam fuerit ædificata; ut docere videtur Liranus, imò & Rabanus. Induxit forſan illos in errorem, quòd verſu 39. juſſus Cendebæus *ædificare Gedorem* ſeu *Cedronem*, moa jubetur *obſtruere portas civitatis*.

Obſtrui portas Cedronis, id eſt muniri, jubet Antiochus.

Putes primâ fronte ſignificari Hieroſolymam urhem, cujus portas obſtrui, id eſt, eaitus impediri velit Aotiochus ædificato propè mænia munimento. Verùm non eò redacta erat res Judaica, Simooe Principe; ut hoſtibus liceret conſidere tutis ad portas civitatis Hieroſolymitanæ. Deinde indubitatum eſt ea cap. ſequenti, Gedorem ſeu Cedronem noo longè à Modin & Azoto abſuiſſe. Præterea maritimæ oræ præfectus, cùm Jamniam pervênit, eacurſionibúſque Judæam fatigare cæpit, ſimul Gedorem ædificavit, ut habetur verſ. 40. Non ergo longè diſtabat à Jamnia. Adde Gedore collocatos equites verſ. 41. qui perambularent viam Judææ, id eſt io Judæam eacurrerent, ubi oulla Hieroſolymæ mentio, quæ tamen præterita non fuiſſet.

fuiſſet. Denique civitas, cujus *portas obſtruere* jubetur Cendebæus, alia non eſt, quàm ipſa Gedor ſeu Cedron; ut ex Græco textu manifeſtè colligitur: ſic enim habet ad verbum; *& præcepit ipſi ædificare Cedronem, & munire portas:* non alias certè portas, quam Cedronis ipſius, quam muniri volebat Antiochus, ut inde ex propinquo ſui per Judæam volitare poſſent, & prædas eò recipere.

Infeſtationes dæmonis adverſus pios.

Recrudeſcunt bella Infidelium adverſus Judæos: ita numquam nobis dum hic vivimus quies perfecta. Cendebæus maritimæ oræ præfectus, cui de vexandis Judæis mandata dantur, mundi rectores & aëreas poteſtates ſignificat: quid enim ſimilius mari quàm mundus? Excurſiones & deprædationes per Judæam factæ Cendebæi ductu, inſtar ſunt infeſtationum continuarum, quibus dæmon quamvis fortes ac conſtantes Fideles vexare non deſinit. Etſi enim in interiora non penetrat, id eſt voluntatem ad prava non inflectit; neque accedit ad Hieroſolymam, id eſt intellectum lumine gratiæ quaſi viſione pacis, illuſtratum: irrumpit tamen in fines, ſenſus aggreditur, imaginationem vexat, paſſiones ſolicitat, partemque ſaltem animi inferiorem inquietare conatur.

Tentatio ex utraque fortuna.

Ad id Gedorem ſive Cedronem exſtruit, munitque operibus ac præſidio. Gedor à lætitia, & fælicitate dicta videtur; Cedro à nigredine ſive triſtitia: innuitur utriuſque fortunæ, quæ militiam noſtram exercet, varietas: nunc proſperitate tentamur, nunc miſeriis. His concutere piorum conſtantiam dæmon nititur, illâ diſſipare modeſtiam. Jobum ac Tobiam, Cedrone egreſſus dæmon, nigrâ ac triſti calamitate aggreditur: Davidem cùm ad numerandum populum impellit, Ezechiam ad oſtentandas opes Babyloniis legatis, Gedore erumpit, id eſt fælicitate. Felix cui adversùs iſtas irruptiones animus conſtat. Ea demum probata ac firma virtus eſt, quam nec inflant proſpera, nec frangunt adverſa. Galbæ Piſonem adoptantis, lib. 1. hiſt. apud Tacitum, vox eſt: *Fortunam adhuc tantùm adverſam tuliſti. Secundæ res acrioribus ſtimulis animum, explorant: quia miſeria toleramur, fælicitate corrumpimur.*

Fortuna utraque rè virtutis indicium.

Deum aiunt poſt Dion. Areopagitam, ſeu quis alius auctor eſt libri de divin. nominib. cognoſci per affirmationem & negationem; & hoc quidem poſteriori modo meliùs. Sic dixero, abſit tantùm comparationi temeritas, virum probum affirmatione cognoſci, & negatione. Si affluant ipſi temporalia bona, neque inſoleſcat: ſi tollantur omnia, & ſibi ſolus relinquatur, neque animum deſpondeat. Affirma virum divitem eſſe, honoratum, amicitiis cultum, favore ſuffultum, modeſtum tamen & intra fines humilitatis: probum pronuntio. Eumdem dic pauperem, ignobilem, ſpretum, abjectum, magnanimum tamen & non immemorem ſui: probitatis & hæc certa nota eſt. Affirma de illo, nega; adjice quidvis, detrahe: ſuus tamen ſemper eſt, ſua ſe virtute involvit, Deo ac ſe contentus vivit: alia omnia, ſive adſint, ſeu deſint, extra ſe poſita exiſtimat; tam benè illis utitur, cùm habet; quàm facilè caret, cùm auferuntur; iſtiuſmodi homo Deo dignus eſt. Ad hoc argumentum addemus nonnulla Excurſus ad cap. ſeptimum libri ſecundi ſectione tertia numero 1. & 2.

EXCUR-

EXCURSUS I. MORALIS

Ad Cap. 15. *verſ.* 40. Cendebæus cæpit conculcare Iudæam.

Peccata Fidelium citiùs Menſuram ſuam implent, quàm peccata Infidelium ſuam.

I. Frequentes Judæorum calamitates

SCIENTI, bella numquam populis, niſi Dei nutu incumbere, populumque fidelem Simonis ævo fuiſſe nullum præter Judaïcum, mirum videri poſſit; qui ergo factum, ut toties tantillo intervallo bellis conflictaretur? Ante Mathathiam oppreſſus, ab Mathathia liberari cæptus, aſſertorem habuit Judam; & hoc brevî ſublato, Jonathan; hoc quoque interempto, Simonem. Quàm paucis annis, quot prælia, populationes, cædes numerabuntur? Si ante Machabæorum ætatem retroacta Judaicæ reipublicæ ſæcula inſpiciamus: eodem ſemper modo cum illâ Deum exercituum egiſſe comperiemus, aliáque ex aliis bella Fidelibus ſuis immiſiſſe, plura longè quàm quibus Infideles populi vexabantur. Longum ſit vel ſola hoſtium nomina recenſere undique pullulantium: Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Madianitas, Sobæos, Philiſthæos, Syros, Ægyptios, Æthiopas, Aſſyrios, quidquid denique nationum in vicino erat.

II. Item Catholicorum.

Idem Chriſtianis populis, quod Judaïco, contingere, ignorat nemo, qui hiſtorias attigerit. Frequentiùs multò calamitates bellicas patiuntur, quàm provinciæ à verâ religione alienæ. Italiam quàm Aſiam, Hiſpaniam quàm Mauritaniam, Galliam quàm Sueciam, Poloniam quàm Tartariam ſæpiùs ab hoſtibus vexatam novimus. Quid de Catholicis Belgii Germaniæque provinciis loquar? Quid de Leodienſi noſtra ditione, quàm paucis abhinc annis præter inteſtinas factiones, anniverſaria externorum militum colluvies, priſcorum Madianitarum inſtar, omnia erodentium, toties laceravit? Siccine, ô Deus, ſervos tuos tractare ſolitus es: ut pace Infideles fruantur, vel victoriis potiantur, dum gemunt ipſi jugo hoſtico preſſi aut populationibus exinaniti? Hæc religionis tuæ, quàm ſoli veram profitemur, in præſenti merces eſt?

III. Vera ejus judicii divini ratio.

Nodo huic ſolvendo, donec ad Providentiæ ſecreta admiſſi, ingreſſique in Sanctuarium Dei, intelligamus in noviſſimis eorum, nulla interim ſolida veráque ratio occurrit, quàm quod peccata Fidelium citiùs Menſuram compleant; quâ cumulatâ, ut ad caput ſequens demonſtratur, reſpublicas generali aliquâ calamitate juſtiſſimus omnium arbiter punire ſolet. Menſuram autem Fidelium citiùs impleri, inde conficio, quòd ipſorum crimina longè graviora ſint peccatis Infidelium. Faciamus tantumdem ab Mahometanis Hæreticisve peccari, quantum à Catholicis, id enim ultrò lubensque conceſſero. At quæ ab Catholicis patrantur: eadem licèt ſint, nec numeroſiora quàm ab aliis, majorem tamen multò fœditatem concipiunt ex conditione peccantium.

IV. Abominatio deſolationis in loco Sancto.

Abominatio deſolationis in loco Sancto, ab Daniele prædicta capitibus 9. 11. 12. ab hiſtorico noſtro repetita cap. 1. verſ. 57. uti eo loco monuimus: à Chriſto inculcata Matth. c. 24. & cum emphaſi, ut *qui legit intelligat*, varias habet interpretationes. Conſtans interpretatio Daniëlis hodie eſt, capite nono agi de Templi per Romanos excidio, capitibus aliis de Antichriſto ac figura ejus Antiocho. In Machabæorum hiſtoriâ, idolum Antiochi juſſu in Templo erectum ſignificari, indubitatum eſt. At non æquè facilè expediri poteſt, quid Chriſtus ea deſcriptione innuere voluerit. Etſi enim ad Romana tempora cum Daniele capite nono reſpiciat, idque ex eo colligatur, quòd Lucas Evangeliſta Chriſti ſententiam his verbis exprimat; *Cùm videritis ab exercitu circumdari Ieruſalem:* nondum tamen inde habemus, quid ſingulariter eo tempore, intelligendum fuerit, abominationis ac deſolationis nomine.

V. Senſus varii tanguntur.

Multi, quia verbis iiſdem Græcis à Matthæo, Daniele, & Hiſtorico ſacro ea nomina exprimuntur, ubique enim legitur βδέλυγμα ἐρημώσεως, de idolo quopiam agi exiſtimant. Si quid idoli fuerit, quæras, in variarum ſententiarum ſectiones diverſi abeunt. Hier. ac Theodoretus ſigna militaria Romanorum, imaginem Tiberii exhibentia intellexêre, in Templo collocari juſſa: Clemens Alexand. ſtatuam ab Nerone ibidem poſitam: Theodoretus & Euthymius effigiem Titi: alii Jovis imaginem ab Caligula per Petronium miſſam: Hieronymus iterum, ſtatuam equeſtrem Ælii Adriani in Sanctuarii loco erectam, Adonidis in Calvaria, Veneris, aut ſi cujus alterius, in Bethleem, Porci ad ſummam portam Æliæ, ſic Hieroſolyma tunc vocabatur. Alii caput porcinum Templo injectum aiunt. Cometam quidam, enſis formâ ante excidium Hieroſolymis incumbentem, interpretantur. Ambroſius, & rurſum Hieronymus, de Antichriſto explicant, *eò quòd ſacrilegus mentium interiora contaminet.* Abulenſis hypocritas ſacerdotes, virtutum ſpecie vitia velantes, vult perſtringi: aut Zelotarum factionem, quæ ingentere Judaïca Templum invaſêre, & polluêre?

Quam

Quàm de Zelotis explicationem Maldonato placuiſſe video, Baronioque ad annum Chriſti 68. & Tirino, aliuſque. Etſi Salmeron, apud quem tomo 4. parte 3. Tract. 39. hæc fusè tractantur, magis probet, exercitum ipſum Romanorum, ut Lucas cap. 21. innuit, intelligenduum.

VI. Peccatum in Chriſtiano. Abominatio Deſolationis in loco Sãcto.

Omiſſis diſceptationibus, quæ loci hujus non ſunt, eorum nemo, opinor, qui tam varias interprêt tiones adduxêre, negaverit, Peccatum in Chriſtiano eſſe Abominationis Deſolationis in loco Sancto. Hieronymus in Commentariis ad Ezechielem, quos Divæ Euſtochio virgini, Deo dicatæ, & Bethlemi habitanti, inſcripſit, expendens verba illa capitis 43. *Qui fabricati ſunt limen ſuum juxta limen meum;* *Audiant hæc*, inquit, *mulier cula onerata peccatis .... non vicinitatem Eccleſiarum, & habitationem proximam, Dei in ſe provocare clementiam, quin potius indignationem Dei commoveri, quando in conſecrato Deo loco indignus habitator eſt.* Et paullò pòſt: *Quid prodeſt habitationis vicinia, & medius inter cellulam noſtram, & altare Dei, paries: cùm in his quæ ſecretò facimus, & quæ turpe eſt & dicere, contaminetur & polluatur nomen Domini?* Hoc de paucis Bethlemi incolis, aut advenis, dixit Hieronymus: nos de omnibus, qui in Eccleſia Catholica, id eſt domo Dei vivi, in Sanctuario Domini exercituum, imò in mente ſua, quæ locus ſanctus eſt & Dei ſedes, peccatum ſtatuunt, quod veriſſima eſt Abominatio & Deſolatio.

VII. Eccleſia locus Sanctus.

Domicilium ſanctimoniæ, & virtutum omnium ſchola, Eccleſia eſt; ſi dominum ac doctorem, ſi præcepta & doctrinam, ſi domeſticos ac diſcipulos attendamus. Gen. 28. à Jacobo locus ubi indormierat appellatur, *terribilis, & domus Dei, & porta cæli;* quia illic in ſomnis viſæ ſcalæ à terra in cælum ſurrectæ. Exod. cap. 3. Moſes ab Angelo Deum exhibente audit: *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt.* Quæ verò erit ejus loci religio, ubi magni conſilii Angelus, legatus ad nos perpetuus æterni Patris, fons, & origo puritatis, ſanctificator animarum nobiſcum eſt, uſque ad conſummationem ſæculi? Ubi legem caritatis perfectiſſimam, præcepta immaculata, doctrinam luce ipſa nitidiorem per ſe ipſe protulit? Ubi tot ipſum audivêre olim, hodiéque audiunt, qui veteri appellatione non *Credentes* modò, & *Fideles*, & *Fratres*, ſed & *Sancti* dici mereantur? Qui eo in loco peccet, an non fulmine illo percelli timeat? *In terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini*, Iſa. 26.

VIII. Mens Chriſtiani locus Sanctus.

Jam verò ſi Eccleſia ſancta eſt, quantò ſanctior anima Chriſtiani, propter quam ſervandam Eccleſia à Chriſto inſtituta eſt? De illâ enim dici id poteſt, quod de Templo ſacer Hiſtoricus, 2. Machab. 5. *Non enim propter locum, gentem; ſed propter gentem, locum elegit.* Quid anima ſacratius, cui Sacramenta omnia impenduntur? *Caro*, inquit Tertull. de Reſurrect. carnis, *abluitur, ut anima emundetur: caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur: caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Quid caſtius ac purius animâ Chriſtianâ, cui adnatæ debent eſſe virtutes omnes, earumque exercitatio aſſidua emicare, tituli inſtar, aut indicii? *Quid enim*, inquit idem Tertull. lib. adv. Nationes, *inſigne præferimus? Niſi primùm Sapientiam, quâ frivola humana manus opera non adoramus: abſtinentiam, quâ ab alieno temperamus: pudicitiam, quam nec oculis contaminamus: miſericordiam, quâ ſuper indigentes flectimur, &c.* *Qui vult intelligere, quid ſint Chriſtiani, iſtis indicibus utatur neceſſe eſt.*

IX. Abominatio peccatum Chriſtiani.

Peccatum omne abominatio Deo eſt, imò nihil Deo abominationi eſt, niſi peccatum. Nihil enim odit eorum quæ fecit, & omnia fecit, præter peccatum. At in anima Chriſtianâ monſtrum ejuſmodi, ſumma eſt abominationum omnium: præ qua neque Adonidis ſimulacra in Calvaria, nec Jovis Olympii in Templo, nec ſacrificia impia intra Sanctuarium, nec cædes ac latrocinia in Templo ab Zelotis patrata, abominandæ rei nomen merentur. Sanè Deus Jerem. 32. de Judæorum & Iſraelitarum criminibus loquens: *Erant*, inquit, *filii Iſrael, & filii Iuda, jugiter facientes malum:* Septuaginta addunt μόνοι, *ſoli*. At nonne Aſſyrii, Perſæ, Sidonii, Arabes, circumjectæque aliæ Infidelium nationes, & ipſæ jugiter faciebant malum? Solos tamen Judæos & Iſraëlitas Deus accuſat, quod in illorum comparatione alii vix peccare dicendi ſint.

X. Ratio ex ingratitudine, & deliberatione majori.

Cauſſa autem, cur adeò culpæ Fidelium exaggerentur, prima eſt à beneficiis acceptis cognitioneque agendorum, quæ peccantes contemnunt: atque hinc deliberatione certiori, inde majori ingratitudine peccant, quàm Infideles. Chriſtianus quid hominis eſt? Dei filius, quem Chriſtus ſanguine ſuo efformavit, doloribus in Cruce parturivit, Corpore ſuo aluit, verè Benoni ſimul & Benjamin, doloris filius & dexteræ. Dei diſcipulus eſt, in ejus ſchola educatus, qui multifariàm multiſque modis olim locutus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in Filio, qui omnia quæ accepit à Patre nota fecit nobis, ut de nobis dici queat, ex Deuter. c. 4. *En populus ſapiens, & intelligens, gens magna:* quia, ut Iſa. c. 11. *repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Dei miles eſt, Sacramento in ejus verba conſtrictus, ſtipendii vice regnum æternum accepturus, ſi militet bonam militiam. Dei ſervus eſt, in ejus familiam adlectus, maximaſque dignitates adepturus, ſi fidem ſervârit. Quid verò hominis eſt Chriſtianus peccator? Filius degener patrique optimo alienus; in eorum numero, de quibus conquerebatur Iſa. c. 1. *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Diſcipulus impudens & infrunitus, qui ſtipitis inſtar ad documenta omnia obduruit, imò docentem ludificatur cum populo inſipiente, qui nomen Dei incitavit. Miles proditor & transfuga, ad exemplum infidorum, qui *averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum, quemadmodum patres eorum converſi ſunt in arcum pravum*, pſalm. 77. Servus obmurmurator & immoriger, qui non præcepta modò non audit, ſed etiam herilem domum infamat. *Quis cæcus, niſi ſervus meus? aut quis ſurdus, niſi ad quem nuntios miſi?* Iſa. c. 42.

XI. Altera cauſſa ab ſcandalo.

Et hæc altera eſt additio & acceſſio onerosa ad peccata Chriſtisnorum; quòd ex illis religioni omni, Chriſtóque ejus auctori, ac Deo, dedecus inuritur. Auguſt. in pſalm. 133. *Attenditur vita tua, & dicitur: Ecce Chriſtianus.* Ab uno deinde ad cæteros fit illatio: *Ecce quales ſunt Chriſtiani.* In Chriſtum denique ipſum maledicæ linguæ incurrunt: *Blaſphematur propter te Chriſtus.* Quod argumentum conſuetâ vehementiâ urget Salv. lib. 4. de Provid. cùm Ethnicos hunc in modum loquentes inducit. *Ubi eſt Catholica lex, quam credunt? Ubi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici ſunt: Apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequuntur, & rapiunt. vitam improbam agunt, & probam legem habere ſe dicunt. Talis profectò ſecta eſt, quales ſunt ſectatores.*

Hoc

Hoc ſunt abſque dubio, quod docentur .... Sancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet, &c. Meritò igitur Paullus Rom. 2. ex Iſa. 52. inculcet: *Nomen Dei per vos blaſphematur inter Gentes*: adeoque culpæ veſtræ maximè inter cæteras abominandæ ſunt.

XII. (Ideò etiam eſt Deſolatio.) Unde conſequens eſt, fontes eſſe ingentis deſolationis. Non ſolùm quia mens Chriſtiana peccato gratiam, caritatem, dona ſupernaturalia illam comitanoa, præſidium Virginis, Angelorum, Divorum illuſtrationes impulſuſque ad bonum frequentes amittit, ſola in eo ſpei ſcintillâ manente, ac fidei præmortuæ velut exſucco cadavere. Sed etiam quia ejuſmodi culpæ celeriorem, & graviorem poſt ſe ab irato Numine vindictam trahunt. Quò mihi ſpectâſſe viſus eſt Paullus, Rom. 2. *Ira & indignatio omni animæ operanti malum, Iudæo primum*, id eſt Fideli, quales erant Judæi ad quos ſcribit, *& Græco*, id eſt, deinde Infideli. Quaſi dicat, quod poſtmodùm Tertull. lib. de Pœn. *Plus eſt perdidiſſe, quàm omninò non accepiſſe*: & quod Salv. lib. 4. de Prov. *Fœdior eſt inebriator, ſobrietatem fronte prætendens*: atque idcircò vindictam majorem promptioremque meretur. Apertiſſimè id Chriſtus ediſſerit Luc. 12. in parabolâ ſervorum duorum, quorum hic neſcius præceptorum domini, ille voluntatis conſcius, peccant: ille, inique *ſciens voluntatem domini ſui, & faciens digna plagis, vapulat multis*. Quis Jonathæ non miſereatur, guſtato melle de vitâ periclitantis, 1. Reg. 14. ob paternæ adjuraoonis ignorantiam? Quis Joabum non execretur, Davidici præcepti conſcium, eóque contempto, 2. Reg. 18. manus contaminantem cæde penduli Abſalonis?

XIII. (Mirum non eſt ſæpè Catholicos puniri.) Ad caput redeamus, nec jam ampliùs demiremur frequentiora Catholicorum ab Deo vindice ſupplicia. *Omnis* enim *Chriſtianorum culpa*, ut Salvianus inculcat, *divinitatis injuria eſt. Atrociùs ſub ſancti nominis profeſſione peccatur. Ipſa errores noſtros religio, quam profitemur, accuſat.* Atqui Juſtitia divina caſtigationes gravitati criminum contemperat. Hinc Judæis, cum Fideles eſſent, plures miſeriæ incubuêre, nec diu dilata errorum pœna. Adverterat Achior Ammonitarum dux, Judith. 5. cujus ad Holoférnem verba ſunt de Bethulienſibus: *Mi domine, perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum*, &c. Simile Regis Slavorum dictum apud Baron. tom. 8. an. 640. Dagobertus Rex mittit, qui repetant Gallicas merces, ab ejus ſubditis captas. Barbarus reſpondet: ſe percupere amicitiam cum Dagoberto. Legato ferociter reſpoodente, Catholicis & canibus ſocietatem eſſe non poſſe: Ego, iuquit barbarus, Deus nos pro canibus in vos immittit, quando vos improborum ſervorum inſtar agitis. Eundem in modum ratiocinatur Selymus apud Spond. ann. 1518. captâ Syriâ & Ægypto, de Europâ Catholicâ armis occupandâ cogitans. Sibi enim eam deberi, ut Conſtantini ſucceſſori: nec defore ſibi opem cæleſtem adversùs Catholicos pugnanti, qui legis ſuæ ſanctimoniam quotidie moribus dehoneſtarent.

XIV. (Catholici ne ſibi blandiantur.) Quare ne nobis de Catholico nomine blandiamur, audiamuſque Jeremiam cap. 7. idem nobis intonantem, quod Judæis: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt.* Verba mendacii vocat, non quod verum non foret, Templum Domini Hieroſolymis eſſe: ſed quod inde meodax illatio conficeretur; nil timendum, Dei vindictam quamvis peccantibus loci reſpectu condonaturam. Chriſtiane, in vera Dei Eccleſia es; in Templo ejus, in Sanctuario, in ſinu vivis: ſed ut tibi hoc proſit, *bonas fac vias tuas*, ut Jeremias monet, *& ſtudia tua*. Alioqui, *nihil prodeſt*, Salviano teſte lib. 3. de Prov. *nomen ſanctum habere ſine moribus: quia vita à profeſſione diſcordans abrogat illuſtris tituli honorem.* Imò non tantùm nihil prodeſt, ſed etiam *hoc ipſo magis per ſacratiſſimum nomen rei ſumus, quod à titulo diſcrepamus*: inſtar pyxidum medicarum remedii nomen præferimus, venenum claudimus. *Cui plus datum eſt, plus repetetur ab eo.*

EXCURSUS II. MORALIS

Ad eumdem verſum.

Effecta bellorum.

SECTIO PRIMA.

Bellicarum calamitatum mala effecta.

I. (Conſiderandi belli effecta.) VIDES iterum Judæam conculcari à Cendebæo, captivos abduci, cædes ſpargi, malorum omne genus cum bello invehi. Cauſſas belli tum Excurſu præcedente, tum aliis, prout occaſio tulit, conſideravimus: nunc ad effecta progrediemur. Medico ſatis non eſt morbi cauſas didiciſſe: longiùs procedit ad conſideranda quæ ex illo ſequi indiciáque eſſe ſolent. Sic enim cauſſas ipſas perfectiùs novit: ſecuriúſque de remediis deliberat, adhibendáne ſint, & quomodò, ac qualia. Bella morbos eſſe generis humani non incommodè dixerimus: inſtar paralyſis vires provinciarum diſſolvunt: phlegmones inſtar, aut febrium ardentium, urbes & regna excurrunt: peſtis inſtar contagio ad vicina vulgantur: velut phreneſis, aut rabies, Chriſtianos populos ad membrorum ſuorum dilaniationem impellunt.

II. (Inde cauſſarum & remediorum cognitio.) Ut tam vario ac periculoſo morbo medicinam faciamus, ad medicorum exemplum effecta rimemur. Ex illis enim & cauſſas & remedia malorum faciliùs inveniemus. Quomodò enim qui cauſſas perfectè novit, ſimul ſcit quid efficiant: ita quibus effecta perſpecta ſunt, cauſſas eâdē operâ didicêre.

Et quemadmodùm medendi initium eſt cognitio cauſarum: ita & effectorum ſcieotia remediis viam aperit. Imò interdum ipſa effectorum notitia remedii loco eſt: quando in illis nil magnopere formidandum, forſan & optabilia quædam eſſe, deprehendimus. Timidos æquales territant pueri larvati: at non audentiores, quibus ſatis animi eſt, ut conſiſtant, & intueantur quid ſub larva lateat. Horribilis certè eſt belli ſpecies, & furialem aſpectum habet ingreſſumque: conculcat, captivos facit, coecat. Audeamus tamen, ſubductâ larvâ, ioſpicere quid tegatur, quid ex bello malorum bonorúmve oriatur: aſſueſcemus opinor paullatim, & ipſi tamdem timores noſtros fanaticos ac gemitus inanes damnabimus, ablegabimúſque ad vana puerulorum terriculamenta.

III.
Duplicia effecta ſunt.

Neque enim unius generis effecta ſunt, quemadmodùm neque ex morbis pleriſque. Dolet æger, inquietus eſt, æſtuat, tremit: hi ægritudinis primi fructus ſuot. Sed mane tantiſper, & animum obfirma adverſus dolorem, experière poſtmodum ſalutarem fuiſſe: & vel ſemina coosumpſiſſe morbi periculoſiora imminentis; vel pravum quempiam corporis affectum emendâſſe, anteà arte nullâ curabilem. Vidi ego hominem, cui tinnitu perpetuo aures ac cerebrum verberabantur; poſtquam febricitavit; longâ illâ moleſtiâ liberatum. Stulòs etiam nonnullis mens ſana ex vehementi morbo rediit. De Clementis VI. memoria tenaciſſima, vuloeris beneficio, narrat Spond. an. 1342. & nos alibi indicavimus. Eumdem in modum rea in bellis habet. Audis exclamantem Mathathiam, 1. Machab. 2. *Væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei!* En dolorem, & inquietudinem. Finem expecta, & videbis, expurgandæ majoribus malis Judææ mala iſthæc profuiſſe: nec Judææ modò, ſed & oobis. Ferunt ſolitum dicere D. Thomam Aquinatem, pluris ſibi eſſe homilias aliquot D. Joannis Chryſoſtomi, quàm urbem omnem Pariſienſem. Quidoi & nos dixerimus, pluris eſſe nobis Machabæorum libros quàm Judæam uoiverſam: & bellis iſtis reduni debuiſſe documenta, quæ ſcriptores ſacri ad poſteros tranſmiſêre? Verùm nos de iſtis poſtmodùm: nunc mala effecta particulatim enomeremus, & ſcrutemur; ne quis doloris ſui fautor quidquam ſe eſſe celatum conqueri poſſit.

IV.
Belli ſpecies prima etiam fortes terret.

Tam acerba certè ac terribilis primâ fronte ſpecies occurrit, ut vel generoſiſſimis homioibus metum incutiat, & triſtitiam ingerat: nedum ioſirmis ac querulis. Quis tibi videtur fuiſſe D. Ambroſius? Fortitudinem ejus Ariani ſensêre, tum tyranni, Cæſar denique ipſe Theodoſius. Oratione tamen de obitu fratris Satyri hæc habet: *Raptus eſt, ne totius orbis excidia, mundi finem, propinquorum funera, civium mortes, ne poſtremò ſanctarum virginum ac viduarum colluvionem videret. Ego verò te, frater, cùm vita tua flore, tum mortis commoditate beatum arbitror. Non enim nobis ereptus es, ſed periculis: non vitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbitatum formidine caruiſti.* Nihildum viderat Ambroſius malorum, quæ barbaricæ copiæ in Italiam poſtmodùm invexerunt. Imminebat ſolummodò metus à tyrannis: quoa à Mediolano editus atque arduus Alpium agger & murus, & quanta fermè eſt Gallia, velut foſſæ ingentis latitudo, ſecreverat. Diceres tamen, ex bellicarum calamitatum, non ſeoſu ſed proſpectu, non dolore ſed metu, fratri fatis functo invidere maturæ mortis fælicitatem. Quis jam Gregorio Pontifici vitio vertat animi infirmitatem? Cùm obſeſſâ à Longobardis Româ cives multi quotidie vulnerati, aut cæſorum corpora, referrentur, ipſe ad plebem dicere pro concione ampliùs non ſuſtinuit. Ita enim loquitur homil. 22. rogans, ne quis ipſum reprehendat, ſi deinceps tacuerit: *Cui vivere non licet, de Scriptura ſacra ſenſibus loqui myſtica qualiter libet? Et qui quotidie cogor amara bibere, quando poſſum dulcia propinare?* Ita & Hieronymus, epiſtolâ ad Marcellinum & Anapſychiam, quæ legitur 27. inter epiſtolas Auguſtini: *Ezechielis volumen olim aggredi volui, & ſponſionem creberrimam ſtudioſis lectoribus reddere. Sed in ipſo dictandi exordio, ita animus meus Occidentalium provinciarum, & maximè urbis Romanæ vaſtatione confuſus eſt, ut juxta vulgare proverbium, proprium quoque ignorarem vocabulum.* Similia habet procœmio ad Euſtochium in commentarios ad Ezechielem.

V.
Ex bello pauperes.

Viros tantos imbecillitatis nimiæ arguere nolim. Excuſandi potiùs calamitatum bellicarum varietate & magnitudine, quæ quidquid fermè malorum eſt, comprehendit. Si opes amas, & paupertatem exhorres: quanta tibi hinc gemendi materia? Dirutæ domus, agri deſerti, ioc enſa caſtra, provinciæ deſolatæ, interrupta commercia, artes omiſſæ, ſummis infimiſque pariter detractæ opes, imò & neceſſaria ad vitam. Hieronymus in Ezechielis cap. 7. *Præſentibus*, inquit, *malis didicimus, multos divites inter ſericum, gemmas, & auri argentiq; pondera, habuiſſe exitum mendicantium.* Idem procœmio in 3. librum Commem. ad Ezech. *Quis crederet, ut totius orbis exſtructa victoriis Roma corrueret, ipſa populis ſuis, & mater fieret, & ſepulcrum.... Vt quotidie ſancta Bethleem nobiles quondam utriuſque ſexus, atque omnibus divitiis affluentes, ſuſciperes mendicantes?* Idem narrat, & fuſiùs procœmio in lib. 7. Comm. ad eamdem virginem Euſtochiom. Theodoretus epiſt. 29. dicit, Carthagine captâ per Vaodalos, totum fermè Conſilium & Senatum urbis oberrâſſe, victum quærentes: inter alios commendat Cæleſtianum ſenatorem, cum uxore & liberis. Epiſtolâ 52. commendat Cyprianum Epiſcopum, Epiſt 100. commendat nobiliſſimam puellam Africanam, cum ancilla propria pro mancipio ſervientem. Baronius tom. 7. an 547. ex Procopio lib. 3. refert: urbe Româ per Totilam captâ, Ruſticianam Boëthii viduam, filiam Symmachi, ſervilibus iodutam veſtibus, circumiſſe ad panem ab hoſtibus mendicandum. Idem feciſſe Romanorum primores, amiſſis aut venditis omnibus tempore obſidionis, ob maximam famem. Quot ejuſmodi ſpectacula ſæculo noſtro viſa, per bellorum noſtrorum miſerias? Quæ bella aptè à nobis ſtulta vocentur, quomodò bellum Principum contra Ludovicum XI. apud Spondanum anoo 1487. Quid enim ſtultius, quàm inter ſe ſævire tam certo utrinque damoo, tam incerto fructo?

VI.
Ex paupertate jactura honoris.

Bellis multi depauperantur: adcóque honorem ac dignitatem amittunt. Equidem ſcio multa ex paupertate bona oriri, ſi patienter toleretur. Alioqui enim, ut verbum Arabum habet: *Pauper ſine patientia, lampas ſine oleo.* Paoentem & lætam paupertatem, non à Chriſtianis modò poſt conſilia Evangelica laudari, ſed etiam à philoſophia prædicari audio. Apud Senecam epiſt. 2. Epicuro, *Honeſta res eſt, læta paupertas.* Eidem Epicuro apud eumdem epiſt. 27. *Divitiæ ſunt, ad legem naturæ compoſita paupertas.* Petronio Arbitro, *Bona mentis ſoror eſt paupertas.* Secundo Philoſopho: *Quid eſt paupertas? Bonum odioſum, mater ſanitatis, impedimentum voluptatum, vita ſine curis, tuta poſſeſſio, magiſtra cogitationum, ſapientiæ repertrix, res abſque invidiâ, opes ſecura ab exploratoribus, mercatura ſine*

dam ni

damnis periculo, divitiæ non ſupputandæ calculis. Vera iſthæc rectè rem æſtimanti. Opinione tamen vulgi, quâ honor ac dignitas maximè conſtat, paupertate nihil vilius eſt, ac contemptius. *Ex capite orphani diſcit chirurgus*, ut aiunt Arabes. Et verè Satyricus:

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quàm quod ridiculos homines facit:

hominem enim æſtimamus *involutum*, ut Sen. ep. 80. loquitur: nec dignitatem animo, imò nec corpori, ſed extrinſecùs adjectis tribuimus.

VII. A divitiis dignitas. Quare exiſtimas Hebraica phraſi ſæpè in Scriptura divitias appellari honeſtatem, honeſtare poni pro locupletare? Ita *per manus* ſapientiæ dicitur veniſſe *innumerabilis honeſtas*: & *facile in conſpectu Dei ſubito honeſtare*, id eſt ditare, *pauperem*. Honeſtum ſcilicet & honorabilem eſſe, idem fermè eſt atque eſſe opulentum: quia *pecuniæ obedıunt omnia, annuunt omnia, reſpondent omnia*, quomodò variæ verſiones habent Eccl. cap. 10: & Aaronis vitulus aureus, ac Nabuchodonoſoris ſtatua aurea, & Jeroboami aureæ vaccæ, ubique adorantur. Apud Romanos, teſte Juvenale Satyr. 1. erat

Sanctiſſima divitiarum majeſtas.

Et Satyr. 4. primæ diviti in menſa deferuntur:

Vis frater ab illis
Ilibus? ô numi, vobis hunc præſtat honorem,
Vos eſtis fratres.

Apud Chriſtianos ipſos ita perſuaſum fuiſſe teſtatur Salv. lib. 2. de Prov. *Tanta eſt miſeria hujus temporis, ut nullus habeatur magis nobilis, quàm qui eſt plurimum dives.* Et Auguſtinus lib. de diſc. Chriſt. ait, ætate ſua fuiſſe verbum vulgare: *Quantum habebis, tantus eris: Frange Lunam, fac fortunam.* Hodie iiſdem opinionibus vivitur: adeóque quibus bona periêre, honor etiam ac dignitas concidit, ſubruto fulcimento.

VIII. Abjectio honoratorum per bella. Quid priſtinæ dignitatis manebat Judæis filiis Sion, nuper inclytis & amictis auro primo: cùm reputabantur in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Quid illis qui facti ſunt velut arietes non invenientes paſcua, & abierunt ſine fortitudine ante faciem ſubſequentis? Quid illis, qui nutriebantur in croceis, & amplexati ſunt ſtercora? Adulto vere videmus erucas per brachia arborum repentes, variâ colorum picturâ, neque inelegante pro vili animalculo. Dum ſecuræ folia arrodunt: hortulanus valido impulſu arborem ſuccutit, aut forcipe ramum, quem depaſcuntur, incidit. Delabuntur erucæ, colorum aut magnitudinis nullo diſcrimine, & ne in papiliones poſtmodùm mutatæ, ſeminent poſteritatem malè fœcundam, plantis obteruntur. Ea fit belli imago, quod hortulani inſtar, repentes per fortunæ arborem homulos, multicolores & multiformes, impetu uno decutit, paréſque pauperibus divites, & ſummos infimis, facit.

IX. Mors frequens. Addo, quod tertium malorum genus eſt, pleroſque illorum indiſcriminatim proterit. Quot nobis undique ingeſta funera, longis Chriſtianorum inter ſe diſſidiis? Occiſos in bellis exercitus totos, ſepultas familias, urbes, provinciáſque, exhauſtas, undique conſpicimus. Scripsêre aliqui in unico Galliæ regno, poſt biennium quàm diſcordia cum Hiſpanis eruperat, centum facilè viduarum millia lugere. Quid in Germania univerſa, quæ tot annis ſedem certantibus præbuit? Quid in Italiâ, Hiſpaniáque, & Polonia. Jam præter illos, quos gladii abſtulêre, quanta multitudo fame, triſtitiâ, morbis novis, colluvione & contagio invectis, confecta eſt. Gregorius lib. 12. epiſt. 14. ad Dacianum Epiſcopum, de ætate ſua ſcribebat, quod aptiſſimè nos de noſtra: *Quis enim in hac terra non lugeat, quæ Barbarorum gladiis tradita, pænè jam non habet qui in ea vivat, & habet tamen quotidie, qui moriantur?*

Vix, opinor, ullus eſt, cui aliquot, vel ſanguine, vel neceſſitudinis alio genere conjuncti per hæc tempora non perierint. X. Boni publici jactura. Afflicta ſaltem pleriſque patria ſua; cujus tantam caritatem eſſe decet, quantò commune bonum privato anteponendum eſt. Proſperum, non ignarum quid illi deberet, hæc boni communis jactura altè tangebat. Ita enim prologo in carmen de Provid.

Cumq; animum patriæ ſubiit fumantis imago,
Et ſtetit ante oculos quidquid ubique perit:
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus,
Dumque pios agimus, vertimur in querulos.

Ut patria multis non fumârit: at vaſtata eſt, at depauperata eſt, at civibus nudata, at pace orbata, quod ſummum eſt reipublicæ bonum. Artium nutrix eſt, ſcientiarum parens, pietatis altrix: adeóque, eâ perditâ, neque opes nec dignitas conſtant, nec religioni cultus ſuus eſt.

Hinc miſera templorum facies in agris; deſtituta viris, virginibus ſacris, cœnobia; ruſticana plebs orba paſtoribus; XI. Item gloriæ divinæ, & animarum. pueri divinorum ignati petiêre panem verbi divini, & non erat qui frangeret eis; ſenes abſque ullo Chriſtianorum myſteriorum ſolatio obiêre. De plurimis vicis & oppidis verè dicamus, quod Dan. 3. Azarias in fornace: *non eſt lex, nec ſacerdos, nec propheta.* Ubi laudes divinæ canebantur, equi ſtabulati: ubi auguſtiſſima Sacrificia fiebant, ſacrilegæ voces auditæ, manus impiæ injectæ, flagitia, quæ aures memoriáque exhorrent, perpetrata. Mala hæc potiſſimùm Dei ſervis, quos tabeſcere facit zelus ſuus, lugenda ſunt. Ea deflebat Mathathias, l. 1. Mach. cap. 2. Sic etiam Auguſtinus paullò ante mortem, apud Poſſidium in fine Vitæ ejus. Eadem fuit potiſſima Proſperi querimonia, prologo in carmen de Provid.

Quare templa Dei licuit popularier igni?
Cur violata ſacri vaſa miniſterii?
Non honor innuptas devotæ virginitatis:
Non texit viduas religionis amor.
Ipſi deſertis qui vitam ducere in antris
Suerant, laudantes nocte diéque Deum:
Non aliam ſubiêre necem, quàm quiſque prophanus:
Idem turbo bonos ſuſtulit, atque malos.
Nulla ſacerdotes reverentia nominis alti,
Diſcrevit miſeri ſuppliciis populi.
Tu quoq; pulvereum, plauſtra inter & arma Getarũ,
Carpebas duram, non ſine faſce, viam.

Adjungit alia ejuſmodi, tum in Prologo, tum in Carmine: quæ adeò plerîſque Chriſtianis regionibus per hæc bella convenêre, ut de illis ſcripta videantur.

Mala bellorum effecta omnia in ſummam congeſſimus: XII. Aliquid boni inter tot mala. ut eò mirabilior ſit Providentiæ divinæ ratio, quæ ex illis bona novit ac poteſt elicere. Suſpirant ſapientes, gemunt ſanctiſſimi, neque immeritò, ſi naturam attendamus. Dandum eſt aliquid miſericordiæ erga inopes, pietati erga patriam, tenero erga religionem affectui. At poſtquam ſenſui lacrymas dedimus, ab ratione ac fide ſolatia capiamus. Perſicam malum dicunt in nativo ſolo, unde appellationem accepit, venenatam fuiſſe: apud nos, frigida licèt, innoxia tamen ſunt poma, niſi nimis multa ingerantur. Imò plantas aliquas aiunt medici tranſplantatione, vel inſitione, non modò virus poſuiſſe, ſed etiam ſalubrem ac

medicum ſucrum induiſſe. Venenoſum ſit ac letiferum opibus, honori, vitæ, patriæ, religioni bellum: id ex ſe quidem eſt, & quà ab hominum diſſidiis exoritur. At quà ex Deo ejusque decretis promanat, ſalutare eſt benè utentibus, tantum abeſt, ut peſtilens aliquid trahat.

SECTIO SECUNDA.

Bona belli effecta generatim proponuntur.

I. Rubus ardens incombuſtus.

LEGISLATORUM præcipuus, quem caſus ex Ægypto ad Madianitas expulerat, & de domo filiæ Pharaonis ad gubernandum gregem ablegârat: dum in paſtoritia vita regendi Judaïci populi experimentum capit, rubum ardentem incombuſtum in monte Horeb conſpicatus: *Vadam*, inquit, *& videbo viſionem hanc.* Quid ſibi rubus ille flamis circumſeptus & inviolatus voluerit, diſputant Interpretes. Quidam myſterium Verbi incarnati intelligunt; ubi humana natura igne divinitatis illuminata, circumamicta, & infuſa, nihil tamen integritatis ſuæ amiſit, ut idem ſit Deus & homo, non tamen natura eadem: quomodò ignis cum rubo unum conſtituere videbatur, diſtinctis tamen naturis. Alii de D. Virgine interpretantur, humili rubo præ aliis principum fæminarum cedris & abietibus Libani: eam puellulam inſedit ignis divinus, id eſt Spiritus ſanctus obumbravit, cùm Verbum divinum incarnatum eſt, intactâ matris virginitate. Uique explicationi favet vetus inſcriptio, Chaldaïco veteri charactere inſculpta in lapide ad radices montis Horeb. Quam Kirckerus noſter, ab Novatino, ut ipſe narrat Prodromi Coptici cap. 8. acceptam explicavit Romæ, cum doctorum omnium approbatione, hoc modo: *Deus virginem concipere faciet.* Auguſtinus ſerm. de hoc argumento putat, Rubo, qui ex maledicta terra naſcitur ſignificari improbos: eos igne id eſt caritate divinâ ac beneficiis circumveſtiri, nec tamen ardere, rebelles amori Dei.

II. Calamitas ignis eſt.

Quid ſi dicamus, ardente rubo ſignificatos pauperes contemptos, ſpinoſam vitam degentes: in iis loqui ac ſplendere Deum? Ita Moſes ex filio nobilis Levitæ, infans naufragus: ex infante fluitante inter carecta, filius filiæ Pharaonis: ex Principe adoptivo, fugitivus & exul: ex fugitivo, rector populi & Deus Pharaonis. Accedit ad hanc interpretationem, ea quam nonnullis hiſtoricam ac literalem videri ſcio: intacto inter flamas rubo indicatum Moſi populum Hebræorum, ad cujus gubernationem vocabatur. Rubi enim inſtar erat contempti ac ſpinoſi; & flamis calamitatum inſeſſi & obſeſſi: inter eas tamen ita illæſi, ut non modò non conſumeretur, ſed etiam creſceret. Eſt ergo ignis figura calamitatum. De qua eleganter Aug. lib. 12. de Civit. cap. 4. *Quid eſt igne flamante, vigente, atque lucente pulcrius? Quid calefaciente, curante, coquente utilius? Quamvis nil ſit urente moleſtius.* Ad eam imaginem calamitates ait eſſe moleſtas ſentientibus, pulcras tamen & utiles. Hæc gemina ſunt illorum effecta, quorum prima experimur; altera, quia ſupra ſenſum ſunt, ratione debemus attingere.

III. Utilitas ejus in poſterum.

Sumus, inquit Bell. conc. 4. de Tribulatione puerorum inſtar. Amans pater ad ludum literarium ablegat, didaſcalo commendat, urget, inſtat. Inaſſuetum diſciplinæ cruciat aſſiduitas quotidiana: cum æqualibus aut ſupparibus mallet oſcilla tractare, aut trochos volvere. Sed exſpecta, heus puer, annos aliquot, & videbis ſcientiæ radices amaras eſſe, fructum verò dulcem. Eamdem fermè comparationem affert Philo, lib. quod deterius potiori inſidietur: *Nonne meliori loco ſunt, qui à pædagogis educantur aut magiſtris, quàm qui cùm peccant nullos habent caſtigatores? An plus proficiunt, qui ſine curatore agunt, quàm qui ſub cura parentum aut tutorum?* Tertullianus in Scorpiaco, agens de feralibus idololatrarum adversùs Chriſtianos inimicitiis, eas confert cum curatione ægri per chirurgum. Confracta ſit vaſto ictu calvaria: terebrare eam ſummo læſi dolore medicus debet. Diſruptum ſit os tibiæ: rejungendæ ſunt partes, & obligandæ non ſine acerbiſſimo ſenſo. Gangræna coxendicem invaſerit, arte nullâ curabilis niſi ad vivum reſecetur, osque ipſum ſerrâ dividatur. Quot ſuſpiria ac clamores, inter ſecantium manus, homini miſero exprimentur? Neque enim tam fortes omnes ſunt, quàm Guiſius Dux, cui ne gemitus quidem aut vox excidit, cùm lanceæ ferrum in obſidione Caleteñſi infixum cerebro eximeretur. Nec multi Epictetum imitabuntur, philoſophantem ac diſputantem, cùm tibia ſerraretur: Ignatiumve noſtrum, qui ante melioris vitæ initia, quòd os ex vulnere prominens ocreæ concinnitatem impediret, ſcindi illud ultrò voluit. Sed gemat quantumlibet infælix æger, crudelemque medicum inclamet, & ad conſpectum ejus exhorreſcat: brevi, poſtquam conſaneſcere vulnus ſenſerit, ultrò evocabit morantem; hortabitur, ut non pareat; rogabit, ut dictorum immemor, quæ ſibi impatientia nuper expreſſerat, luculentam mercedem ſperet; patrem, ſervatoremque vitæ ſuæ, appellabit. *Eſt planè*, inquit Tertullianus, calamitas ſcilicet illa publica perſecutionis in Chriſtianos, *quaſi ſævitia medicina de ſcalpello, de cauterio, de ſinapis incendio. Non tamen ſecari, & uri, & extendi malum eſt, quia dolores utiles affert. Horrorem operis fructus excuſat. Ululans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, poſtmodùm eaſdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & ſævas jam negabit.*

Ecquis auditâ hac Jeremiæ ſententiâ cap. 50. *Dominus aperuit theſauros ſuos*, ſi reliqua ſuſpendantur, & vim ejus vocis Latinæ attendat, non ſibi continuò fingat, à Deo ex theſauris ſuis depromi pretioſiſſima quæque, magnique apud mortales fieri ſolita? Cujuſmodi ſunt opes publicæ, pax communis, victoria de hoſtibus. Sed audi quod ſubtexitur: *Et protulit vaſa iræ ſuæ*, id eſt inſtrumenta vindictæ ſuæ. Quænam illa ſunt? Chaldæorum exercitus, ſtrages Judææ, ruina Hieroſolymæ, Templi incendium. Iſtâne repoſita erant in Dei theſauris? Hæccine nobis inde apparatu tanto educenda fuerat ſupellex pretioſa? Mi homo, cave judicium præceps: pretium ejus ſupellectilis intelliges, quando videris, quantæ ſub illa lateant virtutum divitiæ, & quæ bona cæleſtia ejus permutatione comparari poſſint. Prudentes mercatores ſæpè videmus, ubi multi pretii merces periculoſo itinere vehendæ ſunt, eas fœno ſcruisve vilibus abdere, ut prædones avidos fallant. Ita plerumque Deus opes ac bona, quæ mortalibus parat, rebus vilibus aut malis in ſpeciem condit & contegit. Hoc eâdem nobis imagine Hieronymus pingit, quâ Tertullianus. Explicans illud Ezech. cap. 7. ubi de bellis Judaicis ſermo eſt: *Non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor. Quaſi*, inquit, *clementiſſimus medicus incidere cupiens putridas carnes, & carioſa vulnera adurere cauterio; non parcit, ut* IV. Calamitates publicæ ſūt Dei theſauri.

pateat;

Digitized by Google

parcat: non miſeretur, ut magis miſereatur, ne quid putridum, viciniaſque carnes viciniâ corrupturum permaneat in corpore.

V. Quis Dei ludus? Non incommodè priſci, mutationes rerum humanarum, præſertim publicarum contemplati, eas appellabant Fortunæ ludum:

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax.

Meliùs ingenioſus poeta, cui ingenium ſuum exitio fuiſſe dicitur:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Idem expreſſit Philo eleganter in fine libri, Quòd Deus ſit immutabilis: enumeratis Monarchiarum mutationibus: *Ratio divina*, inquit, *choreas in orbem ducit*, χορεύει ἐν κύκλῳ ὁ Θεῖος λόγος. Excerpſiſſe eam ſententiam videtur ex Prov. 8. ubi de ſe ac de Deo agens Sapientia: *cum eo*, inquit, *eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Ludit, non clam, quomodò ſit luſibus vetitis, ſed palàm in oculis Dei omnia ſpectantis & providentis. Ludit non in aula aut cubiculo cum paucis, ſed in Orbe univerſo communem mortalibus omnibus luſum.

VI. Jacturam facere, lucrari eſt. Eo in luſu hi perdunt, lucrantur illi. Huic opes, honor, ſanitas tolluntur: ad illum bona omnia tranſeunt, & momento quidem; quemadmodùm fritillo aut taxillis jactus unicus, inter prodigos luſores, de ſumma ingente decidit. Triſtis diſcedit ex aleæ ludo, qui perdidit: Túne etiam ex fortunæ, aut meliùs ex rationis Sapientiæque divinæ ludo, mæſtus exibis, quia jacturam feciſti? Cave ſis: perdendo enim lucratus es. Eò ipſo plurimum tibi acceſſit, quia Deo colluſore plurima tibi videntur periiſſe? Non audiſti Θεῖον λόγον, Rationem & Verbum divinum, id Filium Dei dicentem: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam: Qui reliquerit domum, aut agros, aut alia, propter nomen meum, centuplum accipiet?* Nonne propter Chriſtum & nomen ejus perdi animam, agros ac domum relinqui, rectiſſimè dixerimus, quando jactura illorum patienter ex Dei voluntate toleratur, & quia ſic ipſi placitum fuit? Quando reluctante quamvis naturâ, rationi divinæ ſeſe conformat humana ratio?

VII. Nil perdens, omnia perdit. Novitius quidam aſceta, ſub D. Bernardo tirocinium vitæ melioris ponens, cùm ex moleſta conſuetudine pruriginem ludendi ſentiret, ſibiq́ue nondum ſatis imperaret, ab D. Bernardo expreſſit, ut ſibi centum aureos in luſum numerari juberet. Lætus ſummâ obtentâ, ſperanſq́ue multùm, ut nuper, ſe lucri facturum, adit colluſores, attonitiſque rei novitate, ſibi ait indultum à moderatore brevem priſtinæ vitæ guſtum. Colluditur: centum aurei pereunt. Mæſtus adoleſcens ad D. Bernardum reverſus: *Pater*, inquit, *omnia perdidi.* Imò, inquit Bernardus, *fili nihil perdidiſti: ſi nil perdidiſſes, omnia perdideras*: quia ſcilicet lucro ineſcatus, iterum atque iterum inſtitiſſes, apud me pro repetendis luſibus, quos ſi conceſſiſſem, à priſtinis luſibus ad priſtina vitia rediturus eras, & periturus. Quàm multi per bella, aliáſque publicas calamitates, bonorum jacturam fecêre: qui ſi nihil perdidiſſent, in morte dicturi erant cum infeliciſſimo Henrico VIII. *Amici, omnia perdidimus.* Luſimus, lucrati videbamur, voluptati indulſeramus, corpus curaveramus, plebem ſpoliaveramus ut ditaremur, ipſum Pontificis Maximi titulum invaſeramus. Inter tot lucra, ô amici, omnia tamen perdidimus: quia animæ ac vitæ æternæ jactura omnium inſtar eſt.

R. P. Sylloni Comment. in Machab. Tom. I.

Vis diſcere, quantum ex damno compendii, quid ex miſeriis nobis eſſe commodi poſſit? Non *animalis homo* nobis interrogandus eſt; neſcit enim, quæ ſunt ſpiritus Dei. Ne ipſos quidem ſapientes Paganos adiero; licèt nobis ſæpè multa eo in genere præclara ediſſeruerint. Noſtros ſapientes adeamus, Hilariumq́ue inprimis D. Martini præceptorem, audiamuſq́ue de ſe loquentem lib. 1. de Trin. *Vitam autem hujus corporis ſui, non modò non moleſtam ſibi aut ægram arbitrabatur: ſed etiam eam, quod pueritiæ literas, quod ægris medicinam, quod naufragis natatum, quod adoleſcentibus diſciplinam, quod militiam eſſe crederet imperaturis: rerum ſcilicet præſentium tolerantiam ad præmium beatæ æternitatis proficientem.* Doceat nos Minutius Felix in Octavio: *Quod corporis humana vitia ſentimus, & patimur, non eſt pœna, militia eſt. Fortitudo enim in infirmitatibus roboratur: & calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt.* Doctores virtutis libri, exempla, concionatores ſunt: at nullum diſciplinæ doctrinæve genus calamitate potentius eſt, ad perſuadendas virtutes. Flue ut Chryſoſtomus, diſputa ut Auguſtinus, ſtringe ut Baſilius, delecta ut Nazianzenus, urge ut Athanaſius, proba ut Ambroſius: non tamen ita efficaciter auditorum pleriſque rectum perſuaſeris, quomodò repentina aliqua ac publica calamitas. — VIII. Laudes calamitatum.

Pacianus Barcinonenſis hac de cauſſa ſcitè miſerias appellavit, *inventarium virtutum, & repertorium divinorum.* Ita quidam ex ipſo adducunt: quamquam ego in ejus ſcriptis, quæ Bibliotheca Patrum continet, non invenerim. A quocumque tamen, ingenioſè tamen & verè dictum eſt. Mortuo marito decoctore, vidua, æris alieni onus metuens, poſtulat beneficium inventarii: ex eo creditoribus ſatisfit, abſque facultatum omnium ruina: quemadmodùm ab Margaretæ Flandriæ Comite lactum aiunt, cùm mortuo marito claves in ipſius tumulo depoſuit, poſtulati inventarii, abdicatæq́ue hæreditatis ac debitorum, indicium. Repertorium ſemilatinâ voce appellabant olim indicem librorum, quo adjuti lectores faciliimè quidvis in libris digeſtum reperirent. Ita, opinor, Pacianus de miſeriis ſenſit: inventarium eas eſſe, quo debitis Deo ob culpas prætcritas abſolvamur: & repertorium, quo virtutes gratiamq́ue divinam, nobis ante inter proſpera inventu difficilem, reperiamus. — IX. Multiplicia commoda illarum.

Illud nobis in Melania, nobiliſſima muliere Romanâ, exhibet Paullinus epiſt. 10. ad Severum: *Nuptias*, inquit, *paſſa, & brevi mater: ſed eâ felicitate mortalium non longum poſita, ne diu terrena diligeret.* Tum ſubjicit, quomodò filios duos & maritum anno eodem amiſerit, vidua ſimul & orba. Tanto damno omnia ipſi diceres periiſſe, ſed omnia acceſſerunt. *Nam de malorum noſtrorum ſeminibus cauſſas bonorum cæleſtium Domino providente, pietatem divinam per humanæ pietatis damna concepit. Miſera facta eſt, ut efficeretur beata. percuſſa eſt, ut ſanaretur.* Peregrinationem illius Hieroſolymitanam, reditum in urbem Romanam, habitum vilem, cæteráque virtutis illuſtris indicia apud Paullinum leges, aliosq́ue, qui Divæ illius ſanctimoniam poſtmodùm deſcripsêre. Mihi ſatis indicâſſe, quo illam magiſtro didicerit. Judicum cap. 3. recenſentur gentes Hæbræis inimicæ, & ſubditur: *Hæ ſunt, quas dereliquit Dominus, ut erudiret in illis Iſraelem.* Erudiret verò? Imò vexaret & contunderet. Sed, heus tu, nondum intellexiſti, vexatione erudiri mortales: optimum eſſe calamitatis magiſterium? — X. Spectata in exemplo.

XI. *Conſolatio miſerorum.* Accedant modò ad me miſeri conditionis cujuſvis, & de infortuniis ſuis conquerantur: parata eſt ſingulis ex futuræ utilitatis ſpe efficax medicina. Vidua lacrymabunda & ejulans amiſſum flet maritum. Solare, ô Paulline, & dic illi in aurem: Bono eſto animo, non omnia quæ mala videntur continuò mala ſunt: *Miſera facta es, ut efficereris beata: percuſſa es, ut ſanareris.* Luget vir quiſpiam infælix ſanitatem amiſſam, libertatem oppreſſam, conculcatum honorem: & hujus animo Paulline fac medicinam iterando tuum illud, *Miſer factus es, ut efficereris beatus: percuſſus es, ut ſanareris.* En peccatorem pœnitentem conſcientiæ aculeis agitatum, inquietum dolore præteritorum, præſentium faſtidio, metu futurorum: & huic perſuade Paulline, & inculca: *Miſer factus es*, &c. Affluit undique mæſta plebs ruſticana & urbana, bellis afflicta, tributis attrita, cladibus, cædibus, incendiis exhauſta, viduata, depauperata: quod illis omnibus ſolatium potentius, quàm à Paullino, mutuemur? *Miſeri facti eſtis, ut efficeremini beati: percuſſi eſtis, ut ſanaremini.* Addat auctarii vice Gregorius ſuum illud de Jobo Præfat. in lib. Moral. cap. 2. *Unguenta niſi commota redolere latius neſciunt. Aromata fragrantiam ſuam, nonniſi cùm incenduntur, extendunt.... Granum ſinapis niſi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoſcitur.*

XII. *Effecta malorum gemina Nilo flumine expreſſa.* Ad caput redeamus, conficiamúſque, miſeriis omnibus, publicis præſertim, duplicia eſſe effecta: quæ prima ſunt, & propinqua, ad ſenſum mala videntur: at ſecunda ac remotiora, ſi rationem ac fidem ſequimur, utilitatis plurimum afferunt. Nilo flumini non abſimilem eſſe calamitatem dixero. Incerta olim erat ejus origo. Narrat Seneca lib. 6. cap. 8. natur. quæſt. miſſos à Nerone centuriones duos, inveſtigando ejus fluminis fonti, ad petras duas devenisse, unde cum fragore decurreret. Eum à quibuſdam fontem putari: dubitari tamen ab aliis, an non ulterior eſſet. Conſule etiam, ſi lubet, Plinium lib. 31. cap. 4. & 5. Hodie paullò certiora didicimus, ex quo Patres Societatis Æthiopiam, quæ Abyſſina dicitur, luſtravêre. Eorum enim unus, qui à primis fontibus Nilum, ipſi Abyſſinorum Imperatori comes, ſpectavit, literis ea de peregrinatione ſcriptis perhibet; oriri illum in montibus Lunæ, qui Abyſſinam à Monomotapa dividunt: inde trans lacum ingentem perfluere, tum per prata paludoſa fontibúſque multis exſudantia proruere: de hinc inter montes ita condi, ut vix conſpici poſſit. Elapſus ex montium anguſtiis deinceps per prona ac plana in Ægyptum decurrit, eamque ſtato anni tempore inundat, non ſine indigenarum incommodo ac damno, ſed magnis utilitatibus compenſato. Eluvies enim illa agros oblimat, eóque uberiorem agricolis meſſem affert, quò latiùs & altiùs ſuperfuſa eſt. Itaque Ægyptii damnum compendioſum optant, votáque faciunt, ut ne annua jactura, copioſi lucri ſemen, deſinat. Hunc in modum calamitas publica regionibus Chriſtianis eluvii horrendæ inſtar superincumbens, cum diſpendio, incolarum fertilem bonorum futurorum ſegetem, ſi benè uti voluerimus, pollicetur. Aliis Excurſibus Moralibus oſtendimus calamitate purgari mortalium animos, virtutes exerceri, cælum patefieri: adeóque eadem nobis inde bona provenire, quæ à gratia, cujus eſt animum mundare, virtutes excolere, cælum aperire. Id ſolum intereſt, quòd gratia Dei nobiſcum operatur, eáque bona producit, ut cauſſa potior: calamitas autem illis proferendis auxiliatur, ut occaſio præſens, & potenter movens.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

ARGUMENTUM.

Iudas & Ioannes à Simone patre, annis jam gravi, bello adverſùs Cendebæum gerendo præficiuntur: prælio commiſſo eum fugant: Iuda ob vulnus acceptum ſubſiſtere coacto, Ioannes fugientes hoſtes inſequitur: turres, in quas refugerant, ſuccendit: duobus eorum millibus interfectis, in Iudæam revertitur. Simon Iudæam luſtrans, à Ptolemæo genero ambitioſo homine invitatus, & liberaliter habitus, obtruncatur, unà cum filiis Iuda & Mathathia. Patrato facinore Ptolemæus mittit ad Antiochum, qui rem narrent, auxilium petant; Iudæam totam ſeſe Regi vindicaturum. Deſtinat etiam, qui Ioannem cumulato ſcelere patri & fratribus adjungant, & qui Hieroſolymam ac Templum occupent. Sed de omnibus ab homine fido monitus Ioannes, ſubmiſſos ad ſe ſicarios occidit; ſummumq́ Sacerdotium ac Principatum adeptus, multa præclarè geſſit: quibus ſtrictim indicatis, primus liber concluditur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ET aſcendit Ioannes de Gazaris, & nuntiavit Simoni patri
ſuo quæ fecit Cendebæus in populo ipſorum. 2. Et vo-
cavit Simon duos filios ſeniores: Iudam & Ioannem, &
ait illis: Ego, & frattes mei, & domus patris mei, expu-
gnavimus hoſtes Iſraël ab adoleſcentia uſque in hunc
diem: & proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſraël
aliquoties. 3. Nunc autem ſenui, ſed eſtote loco meo,
& frattis mei, & egreſſi pugnate pro gente noſtra: auxilium verò de cælo vo-
biſcum ſit. 4. Et elegit de regione viginti millia vitorum belligeratorum, &
equites, & profecti ſunt ad Cendebæum: & dormierunt in Modin. 5. Et ſur-
rexerunt manè & abierunt in campum: & ecce exercitus copioſus in obviàm
illis peditum, & equitum, & fluvius torrens erat inter medium ipſorum.
6. Et admovit caſtra contra faciem eorum ipſe, & populus ejus, & vidit
populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretavit primus:
& viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum. 7. Et diviſit populum, &
equites in medio peditum: erat autem equitatus adverſariorum copioſus nimis.
8. Et exclamaverunt ſacris tubis, & in fugam converſus eſt Cendebæus, &
caſtra ejus: & ceciderunt ex eis multi vulnerati: reſidui autem in munitio-
nem fugerunt. 9. Tunc vulneratus eſt Iudas frater Ioannis: Ioannes autem
inſecutus eſt eos, donec venit Cedronem, quam ædificavit: 10. & fugerunt

uſque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & ſuccendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reverſus eſt in Iudæam in pace. 11. Et Ptolemæus filius Abobi conſtitutus erat dux in campo Iericho, & habebat argentum & aurum multum. 12. Erat enim gener ſummi Sacerdotis. 13. Et exaltatum eſt cor ejus, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adverſus Simonem, & filios ejus, ut tolleret eos. 14. Simon autem, perambulans civitates quæ erant in regione Iudææ, & ſolicitudinem gerens earum, deſcendit in Iericho ipſe, & Mathathias filius ejus, & Iudas, anno centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe undecimo: hic eſt menſis Sabath. 15. Et ſuſcepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: & fecit eis convivium magnum, & abſcondit illic viros. 16. Et cùm inebriatus eſſet Simon, & filii ejus, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intraverunt in convivium: & occiderunt eum, & duos filios ejus, & quoſdam pueros ejus: 17. Et fecit deceptionem magnam in Iſraël, & reddidit mala pro bonis. 18. Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit Regi, ut mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & civitates eorum, & tributa. 19. Et miſit alios in Gazaram tollere Ioannem: & tribunis miſit epiſtolas, ut venirent ad ſe, & daret eis argentum & aurum, & dona. 20. Et alios miſit occupare Ieruſalem, & montem Templi. 21. Et præcurrens quidam, nuntiavit Ioanni in Gazara, quia periit pater ejus, & fratres ejus, & quia miſit te quoque interfici: 22. Ut audivit autem, vehementer expavit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere. 23. Et cetera ſermonum Ioannis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & ædificii murorum, quos extruxit, & rerum geſtarum ejus: 24. Ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum ſacerdotii ejus, ex quo factus eſt princeps ſacerdotum poſt patrem ſuum.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Joannes ad Simonem venit?

ET ASCENDIT JOANNES DE GAZARIS, ubi collocatus fuerat in præſidio à patre ſuo Simone c. 13. verſ. 54. ET NUNTIAVIT SIMONI PATRI SUO. QUÆ FECIT, ſeu, ut Græcè eſt, *perficiebat* CENDEBÆUS, juſſo Antiochi, IN POPULO IPSORUM. Hæc poſtrema particula abeſt in Græco, ſed ſatis intelligitur, *in populo ipſorum*, id eſt Judæorum, à Cendebæo patrata, quæ nuntiat Joannes.

Cur non potiùs miſit?

Quæres, quorſum Joannes, qui conſtitutus erat à Simone dux virtutum univerſarum, ad eum recurrat, ut nuntiet hoſtilia molimina & facta Cendebæi? Adeóne reſtricta erat ejus in ſuo ducatu poteſtas, ut pugnare ſine patris auctoritate non poſſet? Non exiſtimo; ſed ad Simonem virum conſilii juvenis, ad patrem filius, pro novi belli ineundâ ratione prudentiſſimè venit. Videbat enim magnam imminere molem, nec temerè aggrediendum quidquam. Eadem cauſſa eſt, cur ipſe ad Simonem venerit, non per nuntios: quia meliùs, ac tutiùs, coram de ſummâ talium rerum conſultatur, quàm per internuntios, aut per literas, præſertim cùm infeſta eſſent excurſionibus hoſtilibus itinera.

Exhortatio Simonis ad liberos.

℣. 2. ET VOCAVIT SIMON DUOS FILIOS SENIORES JUDAM ET JOANNEM, quibus bellum mandare volebat, retento apud ſe Mathathia, ſeu ob teneram ætatem, ſeu ad ſolatium ſenectutis, ut Benjaminum Jacob: *& ait illi, ego, & fratres mei*, phraſi Hebræa ſynonymorum amante idem ſignificatur, quod antè per *fratres*; niſi per vocem *fratres* velis intelligi fratres propriè dictos, per *domum patris* indicari cognationem totam paternam, è qua multi erant Aſſidæi: *expugnavimus hoſtes Iſraël ab adoleſcentiâ uſque in hunc diem*, ſumenda *adoleſcentia* latiùs pro juventute & robuſtâ ætate, Græcè eſt νεότηϛ, quæ vox ſæpe etiam pro juventute accipitur: *& proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſraël aliquoties*, ſeu *ſæpè*, ut Græca habent.

Quomodò à Deo victoriæ ſpirituales?

Phraſis iſta, *proſperatum eſt in manibus noſtris*, Hebraica quidem eſt: indicat nihilominùs fidem & gratitudinem Simonis erga Deum auctorem victoriarum, cujus ipſe ac fratres inſtrumentum fuerunt, neque tam ipſi proſperârunt, quam proſperati ſunt. Hoc dicat quilibet Chriſtianus de ſpiritalibus victoriis: in quibus etſi liberè voluntas agat, & gratiæ cooperetur, neque ſit in gratiæ manibus, inſtrumenti mortui, aut neceſſariò agentis inſtar:

inſtar: præcipua tamen pars ac laus boni operis eſt à gratia: inde celebre Paolli dictum, 1. Cor. 15. *Non ego ſed gratia Dei;* non tamen ſola, ſed *mecum.*

Uter Simonis primogenitus, Judas, an Joannes?

Quæres, uter de duobus filiis Simonis primogeturus fuerit, Judas, an Joannes? Joannem exiſtimat Serarius, quia ipſe ſummus expeditionis dux conſtituitur, & de eo ſemper intelliguntur iſta verba, *elegit*, *admovit*, *transfretavit.* Adde dicta ad cap. 13. verſ. 54. Verùm ea ratio infirma eſt, ut advertimus in ſimili ad cap. 2. v. 2. Neque enim ea erant Judaica tempora, ut primogenitus admoveri deberet rebus gerendis, ſed qui maximè fortis eſſet, & negotiis idoneus, qualem fuiſſe Joannem patet ex fine cap. 13. Malim igitur Judam primogenitum fuiſſe, Joannem ſecundo-genitum: cur enim alioqui hoc loco Judas ab Hagiographo ante Joannem nominetur, niſi ob prærogativam primogenituræ?

An Simon prudenter juniorem filium provectioni prætulerit?

At inquis, prudentérne Simoo minorem majori prætulerit, cum periculo diſcordiæ & inimicitiarum inter fratres? Reſponderi poſſit, primùm; noo eam fuiſſe inter filios Simonis ambitionem, quæ fuit poſtmodùm inter nepotes: habebant enim ob oculos recentia concordiæ, & mutuæ ſubmiſſionis, inter patrem ac patruos exempla. Deinde ſuſpicor, Simoni in animo fuiſſe Summum Pontificatum in Judam primogenitum transferre: Principatum autem ac Ducatum copiarum Joanni viro magis militari donare. Avertit tamen Deus exitum conſilii morte Judæ: eâdemque ſuſtulit ſemina omnia invidiæ ac diſcordiarum, quæ inter fratres enaſci potuerunt.

Exhortatio Simonis ad liberos.

℣. 3. Nunc autem senui. Subditur in Græco textu, quod in Latino omiſſum eſt, & ſatis intelligitur: καὶ ὑμεῖς δὲ ἐν τῷ ἐλέει ἱκανοί ἐστε ἐν τοῖς ἔτεσι: *& vos verò in miſericordia ſufficientes eſtis in annis*, Hebraiſmus eſt, quo per *miſericordiam* ſignificatur affluentia cujuſque boni, nobis utique miſericordiâ divinâ collati: idem ergo eſt, ac ſi dicat, *vos autem, Deo gratias, adultâ jam eſtis ætate.* Ex ſua ſenectute, & liberorum ætate, infert Simon, eos jam debere adhiberi ad res gerendas: *Sed vos eſtote loco meo, & fratris mei,* non autem, *fratres mei,* ut errore librariorum irrepſit in quædam Biblia correcta. Certum autem eſt debere reponi *fratris mei;* tum ex Græco, ubi habetur, *& fratris mei,* Jonathæ ſcilicet ac Judæ; tum ex ſenſu. Quid enim, quæſo, ſignificaret iſtud dictum Simonis ad filios *eſtote fratres mei?* Sequitur, *& egreſſi pugnate pro gente noſtra;* ubi & iſtud *egreſſi* manifeſtus eſt Hebraiſmus, pro quo nos dicamus, *exite in aciem,* vel *prodite in pugnam.* Concludit hortatiunculam ſanctus Heros fiduciâ auxilii divini: quod ſæpè cum fratribus expertus, etiam liberis vovet: *auxilium verò de cælo vobiſcum ſit.* Initio propoſuit paterna & avita fortitudinis exempla, in fine Dei præſidium: iſtud nobilibus animis, hoc Fidelibus, potentiſſimum ad generoſitatem argumentum.

Adminicula Principis, liberi.

Sapientiam Simonis hîc obſerva: duos filios alloquitur, non unum, eoſque vicarios ſuos creat, *quò pluribus munimentis inſiſteret,* ut de Auguſto Tacitus loquitur lib. 1. Ann. Sunt enim liberi Principibus, *ſubſidia aulæ*, ut Suetonius ait; *adminicula,* ut Seneca. Placuit Tacito ſuum *munimenti* vocabulum. Nam Hiſt. 4. ſic facit loquentem cum parente Veſpaſiano Titum: *Non legiones, non claſſes, perinde firma imperii munimenta, quàm numerum liberorum.* Boni hortulani eſt ſtirpem ſeneſcentibus arboribus, antequam recidantur, ſubſtituere. Ita Simon naturæ ſibi ſobolem ſubſtituit: neque præpoſterâ ambitione, invidit utilitati communi. Si ſapiens non fuiſſet, & rempublicam non amâſſet, facturus erat, quod Principes quidam; qui ingraveſcente licèt ætate ad munia publica impares, vicarium tamen noluêre, ne de liberis quidem ſuis: adeò auctoritatis reſiſtentes erant, & conſortis impatientes.

Joannes cū Cendebæo cōgreditur, & vincit.

℣. 4. uſque ad 11. Conſilium prudens ſequitur prompta executio. Hinc ſtatim ſubditur: *Elegit de regione viginti millia bellatorum, & equites.* Obvio ſenſu intelligi poſſit facta ea per Simonem electio. Sed, ſi attendas quæ ſequuntur, de eodem capiendum verbum *elegit*, de quo verſu 6. *admovit*, tum, *transfretavit primus*, & verſu 7. *diviſit populum*; ſcilicet Joannes Simonis filius, pro poteſtate ſibi jam ante datâ à patre. Erat enim dux exercitus, cujus eſt eligere, ducere, dividere copias. Neque audiendus Joſephus, qui huic prælio Simonem ipſum air interfuiſſe, & benè à Saliano rejicitur, cùm hujus rei nullum ſit in Scriptura veſtigium. Verſu 8. dicuntur Judæi exclamâſſe *tubis ſacris:* etſi vox *ſacris* non habetur in Græco, tamen intelligenda eſt; agitur enim de tubis quæ cap 4. verſ. 40. dicuntur tubæ ſignorum. Eodem verſu, munitio, in quam refugiunt reſidui ex Cendebæi copiis, eſt Cedor, de qua cap. ſup. ad v. 38. quæ mox verſu 9. vocatur *Cedron, quam ædificavit*, ſupple Cendebæus.

Peccaritne Joannes utendo equitibus?

Quæres primò: licueritne Joanni equites ſecum educere in aciem, quomodò tamen factum habetur verſ. 4. & 7? Ratio dubitandi eſt, quòd Deut. 17. prohibetur ne Rex Iſraelitarum equos ſibi multiplicet. Item Ioſue c. 11. jubentur equi hoſtium ſubnervari, ne Iſraelitæ eis uti poſſint, & ne equites pugnent, ſed pedites tantùm. Quod etiam obſervatum accuratè à Judicibus pleriſque, ac Davide, & noviſſimè à patre ac patruis Joannis, in quorum militiâ nuſquam equitum mentio. Reſpondeo, videri Joannem non peccâſſe, & præceptum divinum pro tempore interpretari potuiſſe. Et verò videtur tacita conditio ſubintelligenda. Tunc enim Iſraelitis datum erat, cùm pugnatum ibant adversùs gentes, quibus nullus erat aut rarus uſus equorum, & eo tempore, cùm pauperi populo de ſuiſmet alimentis laboranti, oneroſa erat futura equorum multitudo, magnis expenſis nutrienda. Nunc verò florenti Judaico ſtatu, & equis abundante provinciâ, tum per priora prælia captis, tum per commercia invectis, Joannes prudenter ſibi perſuadet, non eſſe vetitum modò equitatûs uſum: præſertim cùm in hoſtem proficiſcatur equite abundantem, ut diſertè notat Hagiographus verſu 7. quaſi ut rationem reddat, cur Joannes equitatum ad pugnam adhibuerit.

Cur equitem locet in acie mediâ?

Quæres ſecundò: cur Joannes in medio equitem locet, ad alas peditem, contra quàm fieri ſolitum: equiti enim alæ, media acies pediti aſſignari ſolent? Reſpondeo, cauſſam ſic diſpoſiti exercitus innui eodem verſu 7. *Erat enim equitatus adverſariorum copioſus nimis*, ſeu σφόδρα, *valde*: atque ideò equitem ſuum numero longè imparem opponere noluit Joannes; ſed in medio exercitu continuit: ut repentè & ex improviſo effunderet in hoſtem, jam cœpto prælio, & ordinibus impreſſione peditum turbatis, aut concuſſis.

Cur in Judæam victor reverſus?

Quæres tertiò: cur Joannes poſt victoriam reverſus eſt in Judæam in pace? An ergo Gazaram ſeu Gazam, ubi collocatus erat à patre, deſeruit? Reſpondeo, planum eſſe ex ſequentibus, Gazaræ etiam poſthac habitâſſe Joannem. Eò enim Ptolemæus verſu 19. ſubmittit ſicarios, ad ipſum tollendum. Revertitur ergo jam in Judæam, ad

reducendas

reducendas copias; ad viſendum fratrem Judam, qui ex vulneribus ſubſtiterat cis Gedorem; ad ſolatium Simonis; ad agendas Deo Hieroſolymæ gratias; ad augendam communem ſuorum lætitiam, conſpectu victoris cum duce ſuo exercitus. Reliquerat proculdubio interim præſidium validum Gazæ, & in aliis urbibus; quò & ipſe mox, peractis ſolennibus lætitiæ publicæ, reverſus eſt.

Quis torrẽs, quem Joannes primus tranſiit?

Ad verſ. 6. & 8. ubi torrentem, qui Judæorum caſtra ab hoſtilibus dividebat, primus tranſit Joannes, & ejus exemplum reliqui ſecuti tubarum clangore animantur. Quem torrentem hîc Salianus iterum Cedronem eſſe exiſtimat: nos cap. 15 v. 39. non probavimus. Fuerit potiùs torrens inter Modin & Gedorem interjectus; &, campo Sephelâ interſecto, ſeſe ad Accaronem exonerans in mare Mediterraneum: ſicque in noſtra Judææ tabula expreſſus fuiſſe debuerat; oſtio ad Auſtrale latus urbis Modin, non autem ad Boreale, poſito.

Exempla Prælatorum.

Ad ejus ergo torrentis tranſitum Rabanus non incongruâ tropologiâ: *Quod dux*, inquit, *ipſe cum videret populum trepidantem ad tranſfretandum torrentem, tranſfretaverat primus, oſtendit; quòd qui magiſtrorum loco & Doctoru officio in Eccleſia funguntur, timiditatem ſubjectorum ſub fide, atque conſtantiæ exemplo confortare debent, ac ſacris tubis, hoc eſt dogmatibus divinis, in acitm contra hoſtes exacuere. Sicq; Cendebæus ſpiritalis, & caſtra ejus fugantur, & cadunt ex eis vulnerati: quia divinæ majeſtatis virtutem tandem ſentiunt timore concoſſi.* Exemplo ac voce ſubditos, ad fortiter pro Chriſti & ſalutis ſuæ cauſſa agendum, hortari, eſt dare hortationi ſuæ vocem virtutis. Ejuſmodi Dux erat Paullus, qui fidenter ſuis edixit: *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Talis Imperator Chriſtus, qui ante Chriſtianorum aciem primus adversùs formidabilem malorum omnium exercitum, progreſſus eſt, tranſito torrente Cedron: à cujus origine forſan urbs Gedor nomen Cedronis mutuata eſt, etſi non ex noſtra, ex Saliani tamen ſententia. Tranſgreſſum Ducem Chriſtum numeroſiſſima generoſorum Chriſtianorum acies ſecuta, clangentibus ſacris tubis, id eſt, exhortationibus ſapientum ac ſanctorum hominum, qui in eodem exercitu & eidem Imperatori militant.

Ptolemæus gener Simonis, ejus vitę imminet.

℣. 11. 12. 13. Ptolemæus filius Abobi, quem ineptiſſimè Gorionides Ægypti Regem, eumdemque Antiochi ſubditum facit, mendacio duplici, *conſtitutus erat dux in campo Iericho*, à ſocero ſcilicet ſuo, Simone Principe ac Pontifice præfectus Jerichuntinæ regioni: *& habebat argentum & aurum multum: erat enim gener ſummi Sacerdotis.* Iſtud *enim*, cùm opulentiæ cauſſam indicet, planè mihi videtur ſignificare locupletatum à ſocero Simone. Unde deteſtabilius ejus parricidium; quòd non ſocerum modò, ſed & beneficum, ingratus & impius occiderit. Notatur ejus ingratitudo nominatim verſu 17. Is ergo opibus & ditione ſuperbus, ut eſt inſatiabilis omnis ambitio & avaritia, *volebat obtinere regionem* totam Judaicam: quod quia ſuperſtite ſocero ac liberis non audebat ſperare, *cogitabat dolum adverſus Simonem, & filios ejus, ut tolleret eos.*

Diſcipuli ingrati, & hypocritæ.

In hoc Ptolemæo Rabanus agnoſcit figuram diſcipulorum hypocritarum; qui fictis virtutibus magiſtrorum gratiam demeriti, & ab ipſis ad dignitates Eccleſiaſticas evecti, poſtmodùm eis exitio ſunt. In his numerat Simonem magum à Philippo baptizatum; & inter Clericos adlectum apoſtatam Julianum; additque etiam ætate ſuâ nonnullos fuiſſe, *qui licet magiſtros ſuos non occidant gladio, tamen invidiâ atque odio perſequi non ceſſant.* Ejuſmodi fuiſſe perhibetur aliquando ſanctus Brixius erga S. Martinum. Similes habuiſſe diſcipulos S. Benedictum conſtat ex ejus vitâ. Nec diſſimiles S. Bernardo contigiſſe patet ex ejus ſerm. 29. in Cantica ad illud Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

Cædes Simonis & liberorum.

℣. 14. uſque ad 23. Narratur cædes Simonis, ac filiorum duorum, & ſervorum, perfidiâ Ptolemæi, qui cùm idem de Joanne pararet, ejus celeritate ac prudentiâ eluſus eſt. Verſu 14. Mathathias filius Simonis præponitur Judæ; non quòd ætate antecederet, minimum enim natu fuiſſe vidimus ſuprà verſ. 2. ſed quòd hoc loco non neceſſarius eſſet ordo, neque ageretur de re, ubi notanda eſſet prærogativa ætatis, de quali re verſu 2. agebatur.

Doch ubi?

℣. 15. Munitio *Doch* à Ptolemæo ædificata, illuſtris cæde magni Herois, Græcè vocatur *Δὼκ Doc*, à Joſepho Dagon dicta; proculdubio fuit in Hierichuntinâ regione, cujus erat præfectus Ptolemæus. Statuitur ab Adrichomio ſupra Hierichuntina, ad Jordanem in edito monte, unde latè terra cis & trans Jordanem pateat amœniſſimo proſpectui.

Ptolemæi proditio.

℣. 18. Scripsit hæc Ptolemæus Regi, ut mitteret ei Ptolemæo exercitum: unde benè colligit Salianus, cædem non inſcio Rege patratam: *& traderet ei*, Regi Antiocho Ptolemæus, *regionem & civitates eorum* Judæorum, *& tributa*: de tributis abeſt in Græco, ſed facit ad intelligentiam, ut ſciatur Ptolemæum eò ambitionis veniſſe, ut libertatem patriæ prodere voluerit, dignitatis ſtudio. Verſu 19. de *tribunis* militiæ Judaicæ intelligendum videtur, quos idem parricida ad partes ſuas ſpecioſis pollicitationibus conatur pertrahere. Cætera clara ſunt.

Nimia credulitas cavenda.

In Joanne, qui audito patris ac fratrum caſu, ſibi cavet, Rabanus advertit, quid facere debeat *quilibet ex Fidelium numero Dei gratiâ ſalvatus, providus ac ſolicitus de ſuâ ſalute ſervandâ, auditâ deceptione aliorum. hoſtium enim inſidias præcavere, ac machinationes eorum perverſas conterere ſtudet. Non ſolum ſimplicitas cuique ſufficit ad ſalutem ſervandam, ſed cum ſimplicitate pariter debet eſſe prudentia. Unde Salvator in Evangelio ait diſcipulis ſuis: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Et Apoſtolus ait: Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote. Debet ergo ſimplicitas a nobis haberi, ut nemini noceamus: debet & prudentia, ne decipiamur ab aliis. Nec multum diſtat inter decipere quemlibet, & decipi poſſe.* Vide dicta à nobis in ſimili de Jonathæ nimia credulitate ad cap. 12. ſub finem.

Quid Ptolemæo factũ ex Joſephi narratione?

Quæres primò, quid factum impio parricidæ Ptolemæo? Ejus exitus, in Scriptura non narratus, attingitur à Joſepho, qui ait, repulſum ab urbe Hieroſolymitana per armatam plebem, cum Joanne Simonis filio conſpirantem: ab eodem deinde Joanne, in Principatum ac Pontificatum patris ſuffecto, concluſum intra caſtrum Doch arctiſſima obſidione. Ubi, quoties Judæi ad arcem capiendam impetum faciebant, ipſe expoſitâ ad feneſtras ſocru ſua, Simonis quondam uxore nunc viduâ, quem captivam tenebat cum filiis, & in oculis Joannis laceratâ; Joannem, materni doloris ac dedecoris miſericordiâ, cogebat ab oppugnatione deſiſtere. Quamquam generoſa mater, oblita ſui, filium hortabatur, ut cœpta conſtanter urgeret, nullo ſuæ contumeliæ ac periculi reſpectu, & perfidum ſicarium dignis ſuppliciis afficeret. Sed

Joannes

Joannes veritus denique, ne Ptolemæus, deſperato effugio, ad extrema deſcenderet, & matrem ac fratres ex arce daret præcipites, nam & hoc minabatur, ita lentè urſit obſidionem, ut veniente anno Sabbathico eam ſolvere coactus fuerit. Unde patefacto ad fugam egreſſu Ptolemæus, ad Arabas ſe recepit. Ita Joſephus.

Ea narratio expenditur.

Quamquam in hac narratione quædam meritò ſuſpectæ fidei eſſe, exiſtimat Salianus. Scriptura enim, ubi de adventu Simonis Jerichuntem, & in munitionem Doch, agit verſ. 4. & 15. Solos illi comites adjungit filios Mathathiam & Judam, nullâ uxoris factâ mentione, quam tamen prætermiſſura fuiſſe non videtur. Quî ergo factum, ut Ptolemæus eam habuerit captivam, ſi comes marito non erat? Deinde ex Scriptura conſtat, duos filios una cum Simone occiſos, neque aliter explicari poteſt verſus 16. ubi à ſicariis unâ operâ narrantur Simon, ac duo filii, & quidam ſervi interfecti. Quo igitur modo potuit fratres captivos ex feneſtris arcis Joanni oſtentare, & eis præcipitium minari, ſi urgeretur obſidio? Nec Joſephum juvare poteſt effugium Serarii, exiſtimantis, alios præter Judam, ac Mathathiam, & Joannem, liberos Simoni fuiſſe, eóſque Joanni oſtentari potuiſſe. Nam ut demus, alios Simoni liberos fuiſſe, neque improbabile eſt, quandoquidem ipſe Joſephus narret, Antiocho Sideti, in obſidione Hieroſolymitanâ, datos ab Joanne Hircano obſides fratres ſuos. Ut ergo id demus: at certè in Scriptura aliorum liberorum Simonis in munitionem Doch inductorum mentio nulla, quàm Judæ & Mathathiæ; qui ſimul cum patre occiſi, utique in vivis ſervati non ſunt.

An à Deo punitus?

Quid verò ad extremum Ptolemæo apud Arabas factum, nuſquam invenio, neque arbitror à quoquam tangi. Conjicere tamen liceat ex re nata, & divinæ juſtitiæ conſuetudine, non indultam ei fuiſſe Ptolemæo impietatem ſuam. Abſalone ambitioſior ac crudelior, ſocerum ſuum, qui ei patris inſtar eſſe debuerat, non Principatu modò conatur expellere, ſed vitâ privat, violatis hoſpitii juribus, adjectis patri liberis duobus; conatus & alios addere, ac denique patriam totam ſub exterum jugum mittere. Monſtrum hominis ex tot teterrimis vitiis conſutum, ambitione, parricidio, violatione hoſpitii, fratricidiis, patriæ proditione, Deus, etiam in hac vita enormia ſcelera ad exemplum publicum punire ſolitus, non ſiverit mori impunitum. Minimum ſanè ipſi evenerit, quod ſacrilego Jaſoni, 2. Mach. 5. v. 7. 8. 9. 10. Joanne Hircano Principe ac Pontifice ad patriam aſpirare ne eminùs quidem auſus, extorris, inviſus omnibus, miſer, vagus, illamentatus perierit:

An Simon peccârit nimiâ credulitate?

Quæres ſecundò: an Simon nimiâ credulitate peccârit, cùm ſe liberoſque ſuos tam ſecurò credidit fidei ſcelerati hominis? Fuerit in Jonatha credulitatis error aliquis, cùm Tryphoni externo homini, Græculo ac Syro, & jam mali animi noto, ſeſe parùm prudenter commiſit, maximâ ſuorum parte nudatum. Poterat enim ſaltem tenuibus aliquibus conjecturis perveniſſe ad inſidiarum ſuſpicionem, & ab iis ſibi ſapientiùs caviſſe. At in Simone quis error aut imprudentia, cùm de genero ſuo nihil ſuſpicatur: quem de tot Judæis filiæ delegerat; quem ſatis fidum adhuc expertus fuerat, ut ei Hierichuntinam præfecturam crederet? Dubitandum non eſt, quin perfidiſſimus mortalium inſigni ſimulatione virtutem finxerit, ut in affinitatem ſummi Pontificis ſeſe inſinuaret: ac deinde ſcelerata conſilia tam perplexis artibus & tam altè abdiderit, electis ſibi ſimilibus ſociis ad horrendum facinus perpetrandum; ut ne per rimam quidem ad inſpiciendum penetrare Simon potuerit. Diſcamus hinc: quàm difficile ſit de hominum animis judicare; quamque non temerè externæ ſpeciei credendum. Non ineptè, pro perſona ſua, queſtus apud Lucianum Momus; in opificio humani corporis non appoſitas ad pectus crates, ut cordis motus pervideri poſſent. Sunt quidem os & oculi animorum feneſtræ; ſed non ſatis perlucidæ, & plerumque hypocriſeos ac ſimulationis velo obductæ, ut nihil interiorum aſpicientibus pateat.

An peccârint ebrietate Simon ac filii?

Quæres tertiò: peccarintne Simon ac filii ebrietate? Ebrios enim fuiſſe videtur inſinuare Script. verſu 16. *Cùm eſſet inebriatus Simon, & filii ejus.* Reſpondet Serarius, duo in ebrietate ſpectari poſſe: primum, potandi abundantiam; deinde, potionis exuperantiam. Exuperantiâ veram ebrietatem effici. Abundantiam eſſe poſſe abſque omni propriè dictâ ebrietate, quæ mentem adimat, rationiſque uſum obturbet. Vocari nihilominùs abundantiam iſtam interdum ebrietatem: quomodò Gen. 43. quia fratribus Joſephi nihil defuit, largitérque biberunt, dicuntur *inebriati cum eo. Ebrios*, inquit Nonius, *non vinolentos, aut vinoſos, ſed expletos qualibet re poſſumus dicere.* Et in eamdem ſententiam Auguſtinus, quæſt. 144. ad ſupradicta verba Geneſis. *Hoc*, inquit, *inebriandi verbum & pro ſatietate ſolere poni in Scripturis, qui diligẽter adverterit, multis in locis inveniet. Unde eſt illud pſal. 64. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti ditare eam: eò quòd in laude benedictionis hoc poſitum eſt, & donum Dei commemoratur; apparet hanc ebrietatem, ſaturitatem ſignificare. Nam ita inebriare, ut inebriantur ebrioſi, nec ipſi terræ utile eſt, quoniam majori, quàm ſatietati ſufficit, humore corrumpitur: ſicut vita ebrioſorum, qui non ſatietate ſe replent, ſed mergunt diluvio.* Eodem modo arbitratur Serarius hîc dici, inebriatum Simonem, id eſt ad ſatietatem bibiſſe; non tamen ad propriè dictam ebrietatem; ſive ad abundantiam potatum, non ad exſuperantiam.

Omninò ebrii fuêre.

Excuſationem hanc Serarii etſi non rejicio, Salianus amplectitur, nec diſſentire videtur apud Salianum Vatablus: longè credibilius reor, inebriatum omninò fuiſſe Simonem, ac liberos; prorsùs ut ſui vix, aut ne vix quidem, compotes eſſent, ad ebrietatis abſolutæ gradum. Perſuadet id mihi Ptolemæi conſilium, qui non antè eos aggredi auſus eſt, quàm cùm inebriati eſſent. Ut enim omne ſcelus timidum eſt, verebatur nefarius carnifex, ne ſi ſobrios aggrederetur, ſenex magnanimus, generoſi juvenes, fideles ſervi non inulti caderent, forſan & evaderent. Eamdem ob cauſſam, neque eos voluerit invadere, poſt liberalem potum, qui hominibus etiam timidis animos addere ſolet: ſed expectare maluerit, dum protracto diu convivio, & illapsâ ſenſim ebrietate, ipſis nec ratio nec vires ad ſe defendendum conſtarent, & citra ullum aggredientis periculum ſecurè ab immiſſis ſicariis obtruncarentur. Sic 3. Regum 16. verſ. 9. 10. Ela Iſraelitarum Regi factum. Idque ipſum Scriptura videtur indicari: *cùm inebriatus eſſet Simon & filii ejus, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus, & quoſdam pueros ejus.* Vides exſpectatum de induſtria à Ptolemæo, ad opportunitatem facinoris, tempus iſtud, *cùm inebriatus eſſet Simon*: ſi autem perfectam ebrietatem exſpectare nolebat, quorſum antè in triclinio conclusum non confecerat?

Fuerint

Ebrietas nõ eſt grave peccatum ſi inſcius irrepſit.

Fuerint itaque verè ebrii, & rationis ex potu impotes, Simon ac filii: non ideò tamen graviter pecâſſe cenſendum eſt. Nam primùm potuit neſsrius homo Ptolemæus, ad ebrietatem citiùs conciliandam, & maturandum facinus, vioo pharmacum aliquod miſcuiſſe, rationi perturbandæ idoneum. Cujuſmodi herbæ ſunt, quas cerevisiſrii quidam coctores, damnandâ prorſus conſuetudine, ad commendandam ebrietate potorum hordeacei ſui liquoris præſtantiam, incoquunt in illo, aut macerant: quod & vinariis quibuſdam mercatoribus aiunt non eſſe inſolens. Ut id Ptolemæus non fecerit: accidiſſe tamen potuit, quomodò in hilarioribus conviviis & inter familiares aſſolet; ut nec ſentientibus ebrietas irrepſerit, inſtante poculis parricida, aliiſque certatim ex condicto urgentibus. Quis autem, vel auſteriſſimorum Theologorum, criminis damnet hominem potu ſuperstum, nec volentem, neque advertentem? Condemnentur qui fallunt & orgent, non qui inſcii in fraudem inducuntur.

Item ſi ex Juſta cauſſa.

Adde, quamvis faceremus conſcios ebrietatis ſuæ: noo idcircò tameo conſequens erit, gravitee peccâſſe. Nam ebrietas, ut ad grave peccatum impotetur, duo habere debet; primum, quaſi materiam, potûs exceſſum talem qui uſu rationis privet; alterum, quaſi formam, iſtius potationis finem voluptatis cauſâ. Cùm enim ebrietas ſit vioum temperantiæ oppoſitum; & temperantiæ officium ſit voluptates moderari: conſequens eſt, ebrietatis formam eſſe in immoderata voluptate. Eorum igitur unum ſi abſit; ut vel potûs exſuperantia cis rationis privationem conſiſtat; vel ſine alio juſto ac laudabili potaöo fiat, quàm voluptatis, ebrietas de ſe crimini oon vertetur.

An eſſe poſſint juſtæ ebrietatis cauſſæ?

Hinc Theologis celebratæ quæſtiones, de iis qui ſanitatis cauſſa ſeſe inebriant; qui vitandi gravis incommodi, aut periculi: ne favorem aut amicitiam magni momenò perdant, oe graves rixas creent ſi paribus poculis noo reſpondeant, aliáque ejuſmodi, malis omnioò & corrigeodis moribus in aulas ipſas inducta, ſed moribus. Quos tamen tali occaſione ebrios graviorem noxam admiſiſſe, quamvis ſeveri ceoſores noo judicent. Imò Joannes Major in 4. diſt. 17. quæſt. 8. ad finem, ait: *qui temulentiam incurrat ſcienter, pro aliqua rationabili cauſſa, quæ evenire poteſt, non eſt peccatum, ſed propriè loquendo eſt actus ſobrietatis: quia à dictamine prudentiali regulatus, & per conſequens actus moraliter bonus.* Idem fermè, tantò ante Majorem, pronuntiavit doctiſſimus Hebræorum Philo lib. de plant. Noe, ſub finem. Et ſapientiſſima Lamuelis mater, Proverb. ult. Regibus ac Principibus vinum dari prohibet; ſed iis, qui *amaro ſunt corde* vult præberi, ad oblivionem uſque mæſtitiæ: à quo exemplo conſimilia quædam duci poſſunt; ubi horaria ratioois jactura majoris boni cooſecuöone, vel majoris mali vitatione, compenſetur. Vide Hier. de Angeſto, lib. 1. Mor. cap. 6.

An talem Simon habuerit?

Talem aliquam Simoni cauſſam accipiendæ ebrietatis dederit importunitas Ptolemæi, metus offenſæ, aliæve iſtiuſmodi rationes. Nam quis ſuſpicari sudeat, gravem adeò ac ſapicotem virum, & hæredes paternæ virtutis juvenes, perpotâſſe tam largè, ut ſenſus obruerent, ac raoönem mergerent voluptatis ſolius gratiâ, tam ſordidæ, ac porcinæ? Aut, quod voluptati iſti proximum eſt, ad inſanam oſtentationem virium facultatiſque potandi; & laudabilis in dolio, oon in homine, capacitatis?

An ſaltem leviter non peccârit?

Ad exoemum tamen Simooem, ac liberos, à levi ſaltem aliqus culpa non excusârim: ſive irrepſerit non ſenöentibus ebrietas; ſive advenerit conſciis, & tunc ob juſtam cauſſam licere judicanöbus. Videntur enim tam ſibi præſentes eſſe debuiſſe, ut vel ſeſe ſentirent in ebrietatem prolabi, vel incurrere iſto articulo non oporiere cenſerent. Atque adeò non tam ebrietatis, quàm imprudentiæ aut nimiæ lætitiæ vioum fuit: quod tamen ſecuta funera, & ſuprema fermè Judaicæ libertatis pernicies, meritò illuſtribus ad ſugiendam ebrietatem exemplis adjiciunt; quemadmodùm à nobis factum Excurſ. 3. ad cap. 1. ſect. 3. num. 7. Utinam ſeciò advertant Chriſtiani Principes, ſi qui Aſſuero Perſa inſipientiores & iotemperantiores, non perpotant tantùm ipſi, ſed alios cogunt ad bibeodum. Potuerant exemplo ſuo perniciosam æqualium hauſtuum provocationem ſuſtuliſſe: contrà tamen exemplo ſuo roborant, & toties peccant, quoties eorum imitaöone vel auctoritate peccatur. Præterquam quod non ſine publico damno vexant soimi ſui ſanitatem, momeotis omnibus oeceſſariam.

Hebraicè ſcriptus hic liber.

℣. 23. 24. CÆTERA AUTEM SERMONUM JOANNIS.... NONNE HÆC SCRIPTA, &c. Ex hac libri conclusione collige, quod ſæpiùs inculcavimus, ſcriptum fuiſſe Hebraico ſermone. Similem enim clauſulam ſæpiùs repetitam invenies io libris Regum paſſim, ut libro 3. cap. 14. v. 19. de Jeroboam: eodem capite, verſ. 29. de Roboam: cap. 15. v. 31. de Nadab: cap. 16. v. 20. de Zambri: eodem capite verſ. 27. de Amri. Denique perpetua fermè hiſtoriæ ſacræ Hebraica phraſis ea eſt, quâ Hagiographus noſtee utitur: ut à phraſi Hebræâ inchoatus liber, io ſimilem deſinat, pateatque, quâ primum linguâ dictatus ſit; etſi modò interciderit arcanâ Dei Providentiâ.

Qui Joannis ſermones?

Quæres primo, quæ ſint *cætera ſermonum Joannis?* Græcè eſt λόγων: utraque vox, tum Latina, tum Græca; per Hebraiſmum non pro dictis tantùm ſumitur, verùm & pro factis. Poſſit itaque hîc ea vox ſumi abſolutè pro rebus geſtis Joannis; quomodò etiam ſumitur locis ſupra citatis vox *verborum*, &, *ſermonum*: ot idem ſit *cætera ſermonum Joannis*, ac cæteræ res ejus geſtæ. Noo abſurdè tamen quidam iſtum locum interpretati ſunt, de ſermonibus propriè dictis; id eſt, ſententiis & apophthegmatibus à Joanne Hircano pronũtiatis: eorum inſtar quæ à Salomone dicta, & in libros Proverbiorum, aliosque relata ſunt. Eſt enim veroſimile, partâ in Judæâ pace, Hircanum Pontificem curâſſe, ut ſapientiæ ſtuderent cives Hieroſolymitani, ac cæteri Judæorum, ipſumque eis præiviſſe: ac ſubditos ejus ſcitè dicta ſubnotâſſe, quomodò ſapientum Principum ſententiis fieri ſolet.

Quæ Joannis bella?

Quæres ſecundò, quæ *bella* illa ſint à Joanne geſta, *& virtutes bonæ*, ſive præclara facinora, id enim ſonat vox ἀνδραγαθιῶν, quæ habetur in textu Græco? Reſpondeo, primum fuiſſe bellum adversùs parricidam Ptolemæum; quod ſupra perſtrinximus, quæſtione primâ ad oecem Simooïs.

Bellum cum Antiocho Sidete.

Secundum fuit cum Antiocho Sidete, qui ingenti exercitu Hieroſolymâ obſeſsâ, cùm Scenopegiorum diebus induciæ à Joanne peterentur pro feſto celebrando, eas oon conceſſit modò, ſed etiam victimas auratis cornibus, odores, aromata, aliáque munera ad ſacrificia ſubmiſit; narrantibus Joſepho lib. 13. cap. 16. & Plutarcho io apophthegmatibus Regum. Ut meritò, vel ob hoc factum, Pii titulus ei apud poſteros adhæſerit. Tum verò Joannes aperto Davidis ſepulcro, ſublatiſque ex eo ter mille talentis, Regi trecenta dedit,

obſidionem-

obſidiooémque, ac libertátem redemit: reliqua pecuniâ cæpit ξενολογεῖν, inquit Joſeph. ibidem, id eſt, non xenodochia ſeu peregrinorum hoſpitalia inſtituere, quomodò quidam perperàm intellexerunt, ſed peregrinum militem alere? Verùm ea de theſauro effoſſo hiſtoria ſabellam mihi ſemper ſapere viſa eſt. Quis enim credat, poſt tot Judææ ab Regibus exteris excidia, cùm ne vaſis quidem ſacris abſtinuit avaritia victorum, non violata mortuorum monumenta, & erutos, ſi qui latebant, theſauros.

Expeditio in Parthos. Sed quidquid ejus rei ſit, poſt initam cum Antiocho Pio ſocietatem Joannes eum ad expeditionem Parthicam pro amicitia comitatus eſt, cum delectis auxiliaribus. Ubi & hoc inſigne accidit, commendandæ Regis exteri adversùs legem Judaicam pietati: ut inter iter faciendum, cùm Sabbathi diem Pentecoſtes ſeſtum proximè ſequeretur, Joannes biduum ad ceſſandum petierit, qood ſibi iter Sabbathis facere non liceret: quod Antiochus lubens conceſſit, & reliqui exercitûs iter ſic diſpoſuit, ut Hircano ferias agere commodè liceret.

Unde illi nomen Hircani? In hac expeditione Joanni nomen Hircani adhæſit; ob illuſtria facinora adversùs eam gentem, Parthis ſubditam, patrata. Unde vis aliter umquam eum apellatum invenies, quàm Joannem Hircanum; imò & plerumque Joſepbo Hircanum tantùm, omiſſo Joannis nomine.

Aliæ ejus expeditiones. A Parthico bello in patriam reverſus, Syriæ urbes multas cepit, Samaritas vicit, Garizitanum templum evertit, Idumæos domuit, ad circumciſionem & Judaicam legem adduxit, ad renovandam ſocietatem legatos Romam miſit, qui in comitio auditi, & votorum compotes facti. Plura ſi voles, conſule Joſephum, & Scriptores annalium: hæc enim ad explicationem verborum Scripturæ ſufficiunt.

Qui muri ab Hircano ſtructi? Quæres tertiò, quid ſit illud *ædificium murorum, quos exſtruxit* Hircanus? Reſpondeo, agi de mœnibus urbis Hieroſolymitanæ, quorum ædificationem à Jonatha deſtinatam & cæptam c. 12. v. 36. 37. Simon cap. 13. v. 10. perfecit. At inquies, ſi parens ædificavit omnia mœnia Jeruſalem, & munivit eam in gyro, quid filio in illis exſtruendum ſuperfuit? Reſpondeo, feſtinatam admodùm fuiſſe ædificationem Simonis; diſertè enim habetur loco citato, *acceleravit conſummare muros*; & verò urgebat metus à Triphone, capto Jonatha: unde nil mirum, ſi in ea feſtinatione multæ mœniom partes minùs accuratæ fuerint, ab Hircano poſtmodùm abſolvendæ per otium, & ſummam temporum ſuorum fælicitatem.

Inſtandum deceſſorum conſiliis. Adverte obiter, quod etiam in ipſius parente advertimus, cap. 13. longè illum abfuiſſe à ſtolidâ quorumdam ſuperiorum vanitate, quibus nihil eorum placet, quæ deceſſores ſui fecerint, putantque de ſuo honore diminutum iri, ſi alienis benè cæptis inædificent. Longè aliud Principum, bono communi ſtudentium, conſilium eſt: alienis operibus benè inchoatis æquè inſtant, atque ſi ipſi cæpiſſent: nihil enim intereſſe putant, à ſe an ab alio inventa ſint, ſciuntque ſe non ſibi, ſed reipublicæ laborare debere.

Quis liber ſacerdotii Joannis? Quæres quartò, quis *liber dierum ſacerdotii ejus, ex quo factus eſt Princeps ſacerdotum poſt patrem ſuum?* Prolegomeno in Commentarios noſtros ſect. 2. num. 3. diximus, quemdam librum eſſe prænotatum titulo *Quarti Machabæorum*, in quo pleraque rerum geſtarum Hircani continentur. Sed quia is liber, ut ſect. 3. n. 1. monuimus, nullo modo ſanctitatem Scripturæ ſapit, de eo non poteſt intelligi hîc Scripturæ locus; qui tantam *libro dierum Sacerdotii* ejus Joannis Hircani auctoritatem tribuit, ut ad illum amandet lectorem, pro cognoſcendis particulatim omnibus ſummariè hîc perſtrictis. Exiſtimârim, illam de Hircano hiſtoriam ab aliquo è primariis ſacerdotibus, ipſo mortuo, conſcriptam, ut fieri ſolitum obſervavimus prolegomeni ſect. 2. num. 3. Et, ſi modò ſupereſſet, inter libros Canonicos futuram, aut ſaltem non longè ab eorum auctoritate: quandoquidem ab auctore libri Canonici citetur tam ſeriò, & cum commendatione apertâ veritatis. Interiiſſe autem penitùs, quemadmodùm & alios plures Canonicos libros, quorum mentio fit paſſim in Scripturâ: quales ſunt qui locis ad verſ. 23. & 24. citatis indicantur.

Qui hiſtoriam ejus ſcripſerint? Scripsêre etiam Joſephi duo, Mathathiæ, ac Gorinis filii, hiſtoriam Joannis. Hanc nec vidi, nec videre deſideravi; quia inſulſiſſima & mendaciis perpetuis conſuta ejus fragmenta, quæ tum Gloſſæ ordinariæ concinnator, tum alii exhibent, mihi operis totius dedêre faſtidium. Illa in manibus omnium verſatur, & libro 13. Antiquitatum de noſtro Joanne Hircano fusè narrat, multáque habet lectu jucunda & utilia: plus longè utilitatis afferret, ſi plus haberet fidei ac veritatis, quam nimis ſæpè mancam ac fluxam deprehendimus, ubi occaſio tulit.

Veteris Teſtamenti finis. Hic itaque in Scriptura finis eſt hiſtoriarum reipublicæ Judaicæ: cætera deinceps, ad Chriſtiana uſque tempora, ex Joſepho, aliiſque profanis auctoribus, repetenda ſunt. Ne tamen hinc diſcedas, non cognitâ poſterorum Simonis & Aſamonaicæ familiæ fortunâ, eam tibi breviter hîc ponam ſub oculos.

Fortuna filiorum Joannis Hircani. Joannes Hircanus, Simonis filius, annis uno ac triginta Princeps ac Pontifex Judæorum Regio nomine abſtinuit. Sumpſit id Ariſtobulus, filius Hircani, Simonis nepos, homo ſceleratus, ſanguine matris ac minimi fratrum contaminatus: quíque tres alios fratres in vinculis habuit, quamdiu regnavit, id eſt annum omninò unum. Succeſſit Ariſtobulo, in matrimonium ſimul & regnum; Alexander Janoæus, ejus frater, è vinculis eductus: ab eo fratrum alter inter res novandas oppreſſus, alter in privata vita toleratus: idem inviſus ſubditis, eorum in ſe odium ultus eſt, cæde non minùs quinquaginta millium Judæorum, vix toto ſexénio. Per magnam fortunæ varietatem regnum tamen auxit, ac tenuit, annos ſeptem ac viginti. Alexandro defuncto, Salome uxor regnum annos novem adminiſtravit, Pontificem agente Hircano, majore natu è liberis.

Item nepotum. Mortuâ matre, Ariſtobulus minor natu, regni avidus, bellum fratri intulit: pax inter fratres compoſita, eâ lege, ut Pontificatus Hircano, regnum Ariſtobulo cederet. Sed paullò pòſt bellum recruduit, artibus Antipatri Idumæi: qui Hircano perſuaſit, ut ad Regem Arabum Aretam confugeret, ab eóque peteret auxilia. Per hos fraternos tumultus, Judæam Pompeius invaſit, Hieroſolyma cepit, Ariſtobulum cum liberis Romam captivum abduxit. Hircanum priori fortunæ redditum, mox ab Alexandro Ariſtobuli primogenito Româ elapſo depulſum, iterum à Romanis reſtitutum, Antigonus alter Ariſtobuli filius auxilio Parthorum captum, & auribus mutilatum, eiſdem Parthis abducendum dedit. Hæc annos triginta ſeptem ab Alexandri Jannæi morte tenuerunt.

Herodes inſitus familiæ Aſſamonææ, & regno.

Herodes Antipatri filius, dum Parthi ab Antigono exciti in Judæa graſſantur, ad M. Antonium profugus, ejus commendatione à Senatu Romano Rex Judææ præter ſpem creatur. Regnavit annos triginta ſeptem, & in Aſſamonæorum familiam per Mariamnes matrimonium adoptatus, ſævitiâ in ſuos omnes, ac præſertim nobiliſſimos Aſſamonæorum crlebris. Tranſlato itaque ad exterum homioem Judææ Principatu, cæptisque per Romanos mutati Judæorum magiſtratibus, & inſtitutis, vênit denique *Exſpectatio gentium*, juxta vaticinium moribundi Jacobi Gen. 49.

Aſſamonæorum Principatus quamdiu durârit?

Joſephus ait Aſſamonæorum Principatum deſiiſſe, poſt annum eentesſimum viceſimum ſextum, quàm cæperat. Eam cbronotaxim approbat Petavius: ſi à Judæ Machabæi Principatu initium ducatur, & finis aſſignetur anno quo Herodes, jam antè triennium à Senatu Rex Judææ dictus, Hieroſolyma cepit, & in iis æmulum ſuum Antigonum Ariſtobuli filium, quem ſecuri percuſſit.

Stemma Aſſamonæorum.

En tibi ſtemma totius Aſſamonæorum familiæ

Aaron.
Eleazar.
Phinees.
.
.
.
Joarib.
.
.
.
Aſſamonæi.
Simeon.
Joannes
Mathathias.

Joannes *Gadis.*	Simon *Thaſi.*	Judas *Machabæus.*	Eleazarus *Abaron.*	Jonathas *Apphus.*

De trium Mathathiæ liberorum Joannis, Judæ, Eleazari poſteris nulla fit in Scriptura mentio.

Jonathæ liberi, unà cum patre, fraude Tryphonis circumventi, & cæſi ſunt, 1. Mach. 12. & 13. Filiam ejus Joſephus abavi ſui uxorem facit, initio vitæ ſuæ.

Solus itaque ſupereſt Simon, qui illuſtriſſimam familiam continuet uſque ad Chriſti adventum: ſed per nepotes, ac pronepotes, multùm ab avita virtute degeneres.

Simon Princeps, ac Pontifex.

Judas cum patre occiſus, 1. Mach. c. 16.	Joannes *Hircanus.*	Mathathias cum patre occiſus, 1. Mach. c. 16.

Judas *Ariſtobulus* anno regnū tenuit.	N. ab Alexandro fratre occiſus.	Alexander *Jannæus.*	N. privatā vitam egit otioſus.	Antigonus ab Ariſtobulo fratre occiſus.

Hircanus octogenarius ab Herode occiſus.	Ariſtobulus.

Hircanus octogenarius ab Herode occiſus:

Alexandra Hircani finia.

Ariſtobulus juſſu Herodis occiſus.	Mariamne Herodis uxor, ab eo interfecta.

Ariſtobulus:

- Alexander ſecuri percuſſus, Pompeii juſſu.
- Antigonus item ſecuri percuſſ', juſſu Herodis.
- Filiæ duæ cum patre ac fratribus Romam à Pompeio abductæ.

Hujus ſtemmatis partim ex Scriptura, partim ex Joſepho accepi. Jorib, cujus prima ſors eſt inter familias ſacerdotales, 1. Paral. 24. eſſe de Aaronis ſtirpe, manifeſtum eſt. Eſſe item de ſtirpe primogeniii Eleazari, non antem Ithamaris ſecundogeniti, colligitur ex 1. Mach. c. 2. v. 54. ubi Mathathias Phineen, Eleazari filinm, vocat patrem ſuum. A Phinee ad Joaribum hiatus eſt in Scriptura: uti & à Joaribo ad Simeonem avum Mathathiæ. Simeonis patrem, Mathathiæ proavum, Joſephus Aſſamonæum vocat, ſive Aſamonæum: unde poſteritati gentilitium agnomen, titulúſque Aſſamonææ familiæ, poſt Davidicam inter Judaicas celeberrimæ ac nobiliſſimæ. Quamquam non deſunt, qui Aſſamonæi agnomen Simeoni Mathathiæ avo tribuant; alibi etiam vetuſtiori è majoribus cuipiam.. Et ſunt qui Hebræis nomen *Haſmonim* affirment ſignificare viros principes: indéque ab Iſraelicis Judæis Cardinales *Haſmonim* appellari, quia ſunt primores Eccleſiæ Chriſtianæ. Cùm ergo Joaribæa ſacerdotum familia poſt Pontifices ſummos primaria eſſet: potuit illi eamobrem adhæſiſſe oomen Aſſamonæorum, ſive Aſamonæorum, aut Haſamonæorum, vel Haſmonæorum; alii enim aliter ſcribunt.

Unde orta iſta familiæ appellatio?

EXCUR-

EXCURSUS I. MORALIS

*Ad C.*16. *v.*13. Ptolemæus volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adverſùs Simonem, &c.

Quadripartitæ juſtitiæ quina vulnera, ſeu multiformes injuſtitiæ, deteguntur.

SECTIO PRIMA.

Peccata contra juſtitiam Diſtributivam.

I. Occaſio dicendorum.

ETsi paſſim in Machabæorum hiſtoria occurrant fœdiſſima injuſtitiæ omnigenæ exempla, tum à Syro-Macedonibus, tum à Judæis apoſtatis patrata: nuſquam tamen adhuc fœdius ingeſtum eſt, quàm hoc capite. Calumnias infames alibi audimus: deturbatam de dignitate virtutem ſpectamus: ambitionem in altum evectam cernere cogimur: homicidia impunè committuntur: leges patriæ proculcantur: fraudes, doli, furta, proditiones, ſcelera omnia pro ludo & artibus habentur. Hic Judæus in Judæum, gener in ſocerum, hoſpes in hoſpitem, ingratiſſimus homo in benefactorem, ſubditus in Principem Pontificémque invadit, proculcato jure omni, ſolius ambitionis impulſu. Eâ occaſione de injuſtitiæ variis generibus particulatim, & quà privatos tangunt, prout ad populi Chriſtiani inſtitutionem expedit, tractare viſum eſt. Generatim, & prout ad reſpublicas potiſſimùm pertinent, diximus ad cap. 1.

II. Quid ſit juſtitia.

Vix ullus reperiri poteſt tam projecti animi, & tam deſperatæ conſcientiæ, qui juſtitiam non amet, juſtique nomen & recti non maximi faciat: adeò virtus illa rationi impreſſa, & naturæ amica eſt. Scivêre jam olim homines omnibus ante Ulpianum ſæculis quid rei eſſet; quodque celeberrimus ille Juriſconſultorum l. Juſtitiæ ff. de Juſtitia & jure, docuit, ſine magiſtro didicere, *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Interroga Hebræum, Græcum, Romanum, Chinenſem, Japonem, barbarum quemlibet, quid ea virtus ſit, aliter reſpondebit nemo: etſi verbis forſan aliis utetur, idem tamen omnino ſignificantibus. Neque Ariſtoteli aliud viſum, etſi loquatur obſcuriùs 5. Ethic. c. 5. cùm dicit, *Juſtitia eſt habitus ſecundum quem aliquis dicitur operativus juſti ſecundùm electionem.* Et licèt Angelicus Doctor cum 2.2.q. 58. a.1. dicat eam Ulpiani definitionem in ſolam actualem juſtitiam cadere videri ſi verba ſpectentur; ideóque ad habitualem juſtitiam complectendam ſic definiat, *Juſtitia eſt habitus ſecundùm quem aliquis conſtanti & perpetua voluntate jus ſuum cuique tribuit.* Si tamen benè ponderentur Ulpiani verba, nihil addere neceſſe erit, cùm conſtans & perpetua voluntas Latino ſcriptori non volitionem tantùm actualem, ſed volendi habitum & conſuetudinem, in voluntate radicatam, ſignificarit: quod poſt alios multos advertit noſter Theophilus Raynaudus, in erudita de hoc argumento, ut de omnibus ſolet, diſputatione.

III. Quam multiplex.

Nec minùs homini cuilibet rectè ratione utenti notum eſt, multiplicem eſſe juſtitiam; quandoquidem multiplex jus ſit quod cuique tribui debeat. Habere enim quis poteſt jus ad bona oneráve communia, adeóque hoc ipſi tribui, juſtitiæ eſt, negare fraudaréve injuſtitiæ. Habere item poteſt jus rem ſuam retinendi, alienámve viis licitis adipiſcendi. Eſt in republica jus ad ſcelera coërcenda, ac punienda, ut ſe ſuoſque indemnes conſervet. Eidem reipublicæ eamdem ob cauſſam jus competit, ad legum ſuarum obſervantiam imperandam, & exigendam. En itaque quatuor Juſtitiæ membra, de quorum appellationibus, & an inter ſe exactè diſtinguantur, ſintque Juſtitiæ ſpecies propriè & in rigore ut vocant, longæ ſunt in ſcholis diſputationes, & nos aliquid locis ſuis attingemus aut indicabimus.

IV. Diſtributiva quid ſit?

Primum juſtitiæ membrum poſuimus, quod reſpicit jus cujuſque ad bona oneráve communia, & Diſtributiva juſtitia vocatur: meritò prima, quæ ſupra modum aliarum evecta divini aliquid habet: ideóque magiſtratibus, judicibus, Regibus, Pontificibus, cæteriſque Dei in imperando & benefaciendo vicariis, propria eſt. Cuique enim, quod commune eſt, partitur ex æquo; pro meritorum, aliarúmve neceſſariarum conditionum portione: ut qui plus meretur, cuíve magis ad commune bonum expedit, plus accipiat. In ipſa itaque inæqualitate pulcerrimam ſervat æqualitatem: adeóque commodo ſenſu definiri poteſt, *Communio cum æqualitate.* Quam juſtitiæ definitionem poſuit Epiphanes Carpocratis Hæreſiarchæ filius, apud Clementem Alex. lib. 5. Stromatum: etſi inde infamis argumentator inferebat; non luminis tantùm & elementorum communionem, ſed etiam propriarum omnium rerum, imò & matrimoniorum, faciendam. At longè aliter æqualitas in juſtitia intelligi debet: & in Diſtributiva quidem non ea ſpectanda eſt, quæ Arithmetica dicitur, rémque admetitur rei: verùm ea, cui Geometricæ nomen eſt, attenditque rerum cum muniis ac meritis

convenientiam. Ita Deus gratias pro munerum varietate diverſas ſolet impertiri, & gloriæ gradus varios inæqualitati meritorum aſſignat, eóque ipſo æquiſſimus eſt, quòd inæqualiter tribuit. Eumdem in modum, ſi maximis minima licet componere, juſtus ille eſt, qui de bonis pauperum communibus ſingulas veſtes pauperibus ſingulis curat pro ſuæ ſtaturæ modo, majores proceris, parvis minores: etſi enim parvi minùs proceris accipiant, tantum tamen quantum debetur accipiunt, pro conditione corporis, cujus ratio in ea diſtributione attenditur.

V. Quid ſit perſonarum acceptio?

Naturam ejus juſtitiæ ac modum planè ac perfectè perſpiciemus ex vitio illi oppoſito. *Qui volunt aurum quærere*, inquit Ambr. præf. in pſal. 35. *prius luto ſe obliniunt*, eumdem in modum ut Juſtitiæ forma cognoſcatur, Injuſtitiæ lutoſam & monſtroſam effigiem cognoſci debere, atque ita præſcripſiſſe Platonem. Acceptio perſonarum unicum eſt vitium Diſtributivæ oppoſitum. Quid autem illa eſt? Ex nemine meliùs didicerimus, quàm ex D. Thoma, & ex Auguſtino. Ille 2. 2. q. 63. a. 1. quærit, *Utrùm acceptio perſonarum ſit peccatum?* Et poſtquam ſtatuit ita eſſe ex Deut. 1. *Non accipietis perſonam cujuſquam*; ſic deinceps definit: *Si quis conſideret proprietatem perſonæ propter quam aliquid, quod ei confertur, eſt ei debitum, non eſt acceptio perſonæ, ſed cauſſæ: . . , ad perſonam autem refertur* (id eſt ad acceptionem perſonæ) *quæcumque conditio non faciens ad cauſſam, propter quam ſit dignus hoc dono.* D. Auguſtinus lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 7. idem aliis verbis dicit, acceptionem perſonarum admitti cùm in diſtributione facienda aliquid extraneum attenditur, *relicto cauſſæ merito.* Verba ejus ſunt: *Acceptio perſonarum ibi rectè dicitur, ubi ille qui judicat, relinquens cauſſæ meritum, de qua judicat, alteri contra alterum ſuffragatur, quia invenit aliquid in perſona, quod honore, vel miſeratione ſit dignum.* Et infrà: allatâ parabolâ Evangelicâ patrisfamilias vinitoris: *Nulla eſt acceptio perſonarum, quia ſic aliquis gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur.* Res meliùs particulatim ex ſingulis, in quibus peccari ſolet, materiis, & ex cauſſis peccandi innoteſcet. Materias quinque, cauſſas totidem deprehendo, velut quintuplicata juſtitiæ vulnera.

VI. Acceptio perſonarum in rebus merè ſpiritualibus.

Primo inter omnes loco, tamquam fœdiſſimam labem, meritò conſtituerim inæqualitatem in miniſtrandis rebus merè ſpiritualibus: quarum Chriſtus œconomus fecit cùm dixit: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. *Quodcumque ſolveritis*, &c. Itaque Paullus ſeriò monuit: *Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Eò conſtat D. Jacobum reſpexiſſe cap. 2. ubi ait, *Si introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida: introierit autem pauper in ſordido habitu: & intendatis in eum*, &c. Certè dubium non eſt, quin in conſeſſibus, non civilibus modò, ſed etiam ſacris & Eccleſiaſticis, dignitati tribuendum ſit aliquid: adeóque nec dubium eſt, id civilitatis & honoris debiti officium ab Apoſtolo non reprehendi. Sed ſi quis poſthabita proximi neceſſitate ſpirituali, aut ejus utilitate privatâ vel publicâ: quæ ſolæ cauſſæ in adminiſtrandis Sacramentis, & gratiis legum vinculorúmve faciendis, quas à rectè diſpenſando Diſpenſationes optimè vocamus, attendendæ. Si ergo quis relicto illarum cauſſarum meritò, Sacramenta gratiáſque legum diſpenſet largiùs, & proniùs, hominibus in veſte candida, quàm pauperibus: ille Jacobo Apoſtolo vocabitur *Iudex cogitationum iniquarum*; nobis, iniquus planè acceptor perſonarum. Ea de re non inelegantem Raullini de Confeſſariis apologum retulimus Excurſu 2. ad cap. 1.

VII. In dignitatibus & Beneficiis Eccleſiaſticis.

Proximè iſtam labem ſequitur injuſta dignitatum Eccleſiaſticarum & Beneficiorum partitio, quando in prorſus indignos, neque Eccleſiæ bonóve communi idoneos conjiciuntur. Diſputat de illa luculentè D. Thom. art. 2. quæſtionis ſup. cit. ubi petit: *Utrùm in diſpenſatione ſpiritualium locum habeat perſonarum acceptio?* Reſpondet in corpore articuli: *Quantò in majoribus aliquis juſtitiam tranſgreditur, tantò gravius peccat. Unde cùm ſpiritualia ſint temporalibus potiora, gravius peccatum eſt perſonas accipere in diſpenſatione ſpiritualium, quàm in diſpenſatione temporalium.* Et verò cùm vates Regius pſal. 100. tantam affirmet à ſeſe curam adhibitam, ne quem in familiam ſuam malè moratum admitteret: ſuperbos, avaros, prævaricatores, pravicordes, injuſtos exoſos ſibi fuiſſe; detractores maximè præ omnibus: oculos ſuos fuiſſe ad fideles terræ, ut ſederent cum ipſo, ambulantem in via immaculata ipſi miniſtrâſſe. Si tanto ſtudio proviſum ne vitioſi in familiam Regiam irrumperent, quanto curandum eſt ne in ſacram & divinam, ubi nos debet exiſtimare homo ſicut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei? Altè id menti infixerat D. Ludovicus, apud Spond. anno 1254. pro beneficiis quæ ad ejus patronatum aut collationem ſpectabant. Solitus undique dignos conquirere, diceréque, ſibi ſat eſſe oneris in diſtributione temporalium. Idem ſeriò de legato ſuo queſtus; quod Roma ſibi attuliſſet poteſtatem Paſtores nominandi.

VIII. In dignitatibus profanis, bonis pauperum, oneribus publicis.

Tertium Diſtributivæ vulnus infertur in dignitatum profanarum prava collatione, præſertim earum, quibus judicia & populi gubernatio commiſſa eſt. Aliquid ea de re monuimus Excurſ. ad cap. 7. ſect. 3. num. 6. quanto cum reipublicæ diſcrimine, imò & pernicie præponantur, quibus vel ab intellectu, vel à voluntate facultas deeſt; id eſt vel à ſcientia, vel à conſcientia. Nec dubitandum, quin quicumque inidoneos ejuſmodi promovet, de damnis omnibus, tum reipublicæ, tum privatis teneatur. Viderat hoc Joſaphatus, quando 2. Paral. 19. ſummam in deligendis ad judicandum idoneis diligentiam poſuit. Sed de judicum officio, unde electionis iſtius ratio pendet, ſuus brevî erit dicendi locus. Quarta male diſtribuentium claſſis verſatur in pauperum bonis communibus: xenodochia intelligo, & ptochodochia: noſocomia item ad Betheſdæ imaginem. Si quæ in verè egenos dividenda erant, ad alios derivantur, præter donatorum aut fundatorum mentem, & rei exigentiam: ſi res pauperum in convivia, ſumptúſve ſupervacuos, inſumantur: ſi à curatoribus poſſeſſiones leviori, quàm deberent, pretio elocentur, indéque in eorum menſas ac penus capi vináve, ut loquendi hodie mos eſt, inferantur, fraudenturque pauperes. Iſtæ culpæ tam apertæ ſunt, & tam neceſſariò ad reſtitutionem obligant, an ex Diſtributivæ, an verò ex Commutativæ Juſtitiæ capite, parum intereſt: ut fruſtra hîc verba conſumpſerimus. Ultima peccati in diſtribuendo materia, ſunt onera publica. Etſi enim propriè loquendo jus in privatis non ſit, ut onerentur; nemo enim id juris ambiat: jus tamen illis eſt, ne plus æquo onerentur: adeóque ſi aliquibus ſupra dignitatem, gradum, merita, bonúmque commune reipublicæ, immunibus & exemptis; pars alia populi ſupra ratam gravetur, indubitatum eſt ipſi injuriam fieri, etiam reſtitutione reparandam,

per eos,

per eos, qui ſcientes volentéſque commiſerint. Intellexerat id apud Duplexium præfectus Gallicæ claſſis Ludovicus Gravillius: qui moriens, appoſitis ad teſtamentum codicillis, Ludovicum XII. Galliæ Regem rogavit, ut octoginta librarum millia, ſibi ex mutuo per Regem debita, in egentiores vicinarum præfecturatum partiretur: illas enim tributis onuſtas olim per Carolum VIII. fuiſſe, à quo dona multa, ex iſtis forſan tributis parum æquis, accepiſſet.

IX. *Prima peccati hujus cauſſa à carne & ſanguine.* Cauſſarum, cur in partitionibus peccetur, primam, non tamen peſſimam, pono, ſanguinis amorem immoderatum. Immoderatum, inquam: nam moderatus & prudens ipſi Angelico Doctori, in dignitatum præſertim conſortio, non diſplicet, art. 2. ſuprà citato; ubi hæc verba benè notanda ſunt: *Contingit quandoque, ut ille qui eſt minùs ſanctus, & minùs ſciens, poſſit magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel induſtriam ſæcularem, vel aliquid ejuſmodi. Et quia diſpenſationes ſpiritualium ordinantur principaliùs ad utilitatem communem.... ideò ſine acceptione perſonarum quandoque illi, qui ſunt ſimpliciter minùs boni, melioribus præferuntur.... Quandoque conſanguinei ſunt æquè digni ac alii: & ſic licitè poteſt Prælatus abſque perſonarum acceptione conſanguineos ſuos præferre, quia ſaltem magis in hoc præeminent, quòd de illis magis confidere poteſt*, &c. Eum in modum Saül, cùm recens unctus ſpiritu divino regeretur, Abnerem conſanguineum habuit militiæ præfectum: David etiam Joabum agnatum, & Abiſai, & Amaſam. Joſeph item Benjamino fratri uterino portionem duplicem dedit, duplicatúmque affectum impendit. Ne tamen nimio carnis affectu Diſtributor abripiatur in tranſverſum, proponat ſibi frequenter exempla eorum, qui præ bono communi omnem conſanguineorum amorem protulcavêre. Illuſtriſſimum eſt inſcriptum Act. 1. ubi Joſeph & is quidem Juſtus, fratres duos habens Apoſtolos, agnatos duos, ipſius D. Virginis agnatus, Mathiæ non præponitur. In hiſtoria Eccleſiaſtica exhibet Spōdanus an. 1265. Clementem IV. qui filium fratris juſſit de tribus Canonicatibus unicum retinere: Anno 1335. Benedictum XII. uſurpare ſolitum in hunc ſenſum verba Pſalmiſtæ, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, quæ Paullus III. moriens in ore etiam habuiſſe dicitur: Hadrianum VI. anno 1523. dicentem, ſe nolle ædificare Sion in ſanguinibus, & homines dare velle beneficiis, non contrà, unde etiam ſuorum nullum promovit. Margareta Hiſpaniarum Regina Philippi III. uxor in eo genere omninò Chriſtianè egit, quando maritum rogavit, ut fratri ſuo donatum Epiſcopatum ob ſuam commendationem, transferret in alium, quem longè digniorem eſſe didicerat. Ita in ejus vita Guſinannus,

X. *Altera, à vana propenſione.* Alterum iſto majus vitium eſt, ab affectu futili & vano ſympathiæ aut familiaritatis, citra meritum. Sic à Roboamo peccatum, 3. Reg. 12. quando uti maluit illis quibuſcum adoleverat, quàm qui in parentis obſequiis ſenuerant. Eóque fædius id vitium eſt, quò vitioſior fuit propenſionis iſtius affectuſque radix & occaſio. Non omnem tamen univerſim familiaritatis ac ſympathiæ reſpectum ſemper proſcribi debere, diſco ex Angelica D. Thom. doctrina, art. 2. ad quartum. Objecerat ſibi: *Secundùm ſtatuta Eccleſiæ eligendus eſt aliquis de gremio Eccleſiæ: ſed hoc videtur ad acceptionem perſonarum pertinere, quia quandoque ſufficientiores alibi invenirentur.* Reſpondet: *Illum, qui de gremio aſſumitur, ut in pluribus conſueviſſe eſſe utiliorem, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam in qua eſt nutritus. Et propter hoc etiam mandatur, Deut. 17. Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus.*

XI. *Tertia, à commendationibus.* Peccant tertiò, qui commendationibus nimium obſequuntur; notos & dignos non extollunt aut munerantur, quia hominem non habent: parum notos, forſan & indignos, ideò tantùm extollunt, quia commendantem non audent offendere, miſera placendi hominibus mancipia. Utinam Bernardum auſcultarent epiſt. 124. ubi præcipua ipſi commendatio eſt *Morum atteſtatio*: & epiſt. 248. ubi eum commendat, *qui bonis placet, & malis diſplicet.* Utinam eundem ſequerentur epiſt. 271. Theobaldo Campaniæ Comiti; à quo rogatus fuerat, ut Gulielmum filium ſuum, adhuc puerum, commendaret ad dignitatem Eccleſiaſticam: hæc ſcribentem, *Sanè Wilelmulo noſtro cupio benè per omnia, ſed ante omnia Deum. Hinc eſt quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod ſi alius ſecus voluerit, nolo per me habeat, ne & ego perdam Deum.* Propoſuerat Pius IV. filium Coſmi Medicæi Ducis Hetruſci ad Cardinalatum: aſſensêre omnes, uno Alexandrino Cardinali diſſentiente. Fuit is poſtmodum Pius V. Promoto nihilominus Hetruſco, duodenni ſcilicet puerulo, legatus patris obibat Cardinalium domos, gratias de commendatione acturus. Ubi ad Alexandrinum venit: Ego, inquit, non commendavi. Coſmo id relatum, mirè placuit, ut factum dictúmque Chriſtianæ libertatis. Narrat ſcriptor vitæ.

XII. *Aliæ, à ſuperbia & avaritia.* Cauſſa quarta, in fibris ipſis malè diſtribuentis inſita, eſt à vana ſuiipſius æſtimatione, ſuperbiáque. Ut ſi ſe publicæ rei, privatorúmve commodis neceſſarium vel utilem, præ omnibus aliis exiſtimet, viderive velit: adeóque ut ſe in eo, quem habet gradu defigat immobilem, idoneos removeat, obnoxios ſibi quantumvis ineptos extollat, muneretur, commendet. Id ab Amano factum, ut Aſſueri pectus obſideret ſolus, & Perſicas res ſumma ſub Rege poteſtate abſque æmuli metu adminiſtraret. Sed quia peſtis illa ad ambitionem pertinet, ſuam illi mox tractationem honorificam parabimus. Quintus ac poſtremus ad injuſtè diſpertiendum impulſus, iſque communiſſimus, uti & viliſſimus, adeóque odioſiſſimus, eſt ab inſano amore pecuniæ, & avaritiæ pondere. Gratitudinem non damnabo, cùm ingratitudo turpiſſima ſit, indignaríque ſoleamus, cùm legimus de languido Joan. 5. neſciiſſe *quis eſſet*, à quo ſanatus fuerat. Laudo itaque gratitudinem: ſed avaritiam inſector, ad privatum commodum, citra aliam cauſſam juſtam, injuſtè bona publica partientem. Ita oneribus publicis immunes multos fecit, cum aliorum detrimento, ſecreta largitio: quod citra latrocinium merum, & affinem peculatui culpam, fieri non poſſe, nemo non fateri debet. Ita de pauperum bonis iniquè recuperant, qui ad magiſteria illorum ſeu curationes, per penuarii horreive gradus, epulas donáve præbendo, aſcenderunt. Ita ad dignitates profanas intratur *per portam ſpecioſam*, Act. 3. neque illis ampliùs datur aditus, qui dicant, *Argentum & aurum non eſt mihi.* Ita aliquando in ſacris dignitatibus collocati indigni, & Beneficia in prorſus immerentes ſparſa: atque ex inauribus aureis, quia de compendio ingeſta ſpes ac ſecuritas, facti vituli aurei quos populus adoraret. Ita denique in ipſa divinorum Sacramentorum adminiſtratione peccatum, quia viri fæminæve accedebant cum *annulo aureo.*

XIII. Quid autem iſthæc, inquis, ad hunc locum, & ad mores hodiernos? Dicta fuiſſent olim Zenonis Imperatoris ætate, quando Sebaſtianus aulicorum intimus munia omnia, velut in foro, caüponabatur; imò & redimebat, ut cariùs venderet: teſte æternæ iſtius infamiæ apud Baronium Suida anno 485. Dicta fuiſſent quondam hoc ipſo loco à ſæculis quinque, quando vivebat is cujus memoriæ epitaphium illud ſcriptum eſt:

Hoc in ſarcophago, cunctorum dira vorago,
Clauditur Albertus, Gazâ dum vixit apertus.

Dicerentur apud illos, ubi proſtant univerſa, jus, fas, leges: ubi poſtpoſito boni communis reſpectu, quæ certiſſima bonorum communium diſtribuendorum regula eſt, *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ* JESU *Chriſti.* At hîc, ubi tanta paſſim in templis Sacramentorum miniſtrandorum diligentia: ubi tot virtutis ac pietatis in Eccleſiaſticis beneficiis ac dignitatibus exempla: ubi incorrupta in multis tribunalibus æquitas, & exculta ſcientia, odioſique, ſi quibus facultas deeſt aut voluntas: ubi in pauperum bona ſeveri inſpectores invigilant, & de ſuo tribuere malunt, quàm capere de alieno: ubi correcti in onerum publicorum partitionibus errores, ſi qui irrepſerant. Hoc itaque in loco, quorſum de Diſtributiva juſtitia ediſſerere? Præſertim cùm id argumentum ad paucos pertineat, cæteri dimittantur jejuni, alienumque officium edocti, non ſuum, adeóque parati de diſtributionibus quibuſvis pronuntiare judicia.

XIV. *Diſtributio juſta ſingulis neceſſaria.* Parce, quæſo, querimoniis quiſquis es, & tibi etiam dictum puta, quidquid jam diſputatum eſt. Ut de primoribus non ſis, nihilque curandum habeas in publica re, ſacra, aut profana: at nonne pater matérve familias es? Nonne ſaltem homo es? Habet etiam in familiis juſta diſtributio locum: reipublicæ inſtar ſunt. magiſtratus ſunt parentes, heri, domini; turba cætera, ſunt ſubditi. Si parens, herúsve, citra verum & apertum meritum, plùs uni favoris gratiæve impendat, quàm alteri; quia pulcrior eſt, adulator magis, delaturam exercet: quanta inde ſeges invidiæ, & diſſenſionum? In Joſepho aliàs indicavimus, Exc. ad cap. 7. ſect. 3. In Salomone item ſpectatum: quando 3. Reg. c. 1. ipſum, quamvis promeritum, aptúmque, David regni, quod bis armis quæſierat & tenuerat, pleno jure potens, Adoniæ prætulit. Atque utinam quotidiana ejuſmodi exempla non ſpectemus tranſmiſſarum ad poſteros ſimultatum, ob Diſtributivæ juſtitiæ regulas à parentibus, vel vivis, vel morientibus, non ſervatas. Si patris-familias cura ad te non pertinet, habes ſaltem tui ipſius curam. Quanta autem hîc rectè partiendi materia? Animo dare debes, quod ſuum eſt: corpori, quod ſuum. Proximo, tibi, Deo partes ſuas bonorum communium, tibi commiſſorum, ex æquo & bono oportet dividere. Nam ſi, ut Caino Deus ex verſione Septuag. Gen. 4. *rectè offers, & non rectè dividis, peccaſti.* Tempore quod bonum eſt communius? Omnibus datur, benè utendum. Suaſerint Philoſophi, Theologi, Aſcetici, omnes denique, ut qui ſapienter vult vivere, tempus ipſe ſuum diſtributum habeat, in ſtatas fixáſque actiones: id rectè agendo plurimùm conferre: tranquillitati item animi, & ſanitati corporis maximè conducere. Tantum quieti & corpori, tantum amicis, tantum mihi, tantum Deo tribuam. Opportuniſſimum ſanè conſilium. Sed & hoc addo, quidquid in ea diſtributione temporis damus, Deo dandum eſſe. In dandis uni bonis communibus ſpectatur etiam Diſtributiva juſtitia. Deo tempus omnes demus: ſive corpori ſerviendum, id fiat, quia Deo placet: ſive amicis, ſive ignotis, ſeu publicè ſeu privatim commodamus, ad Deum omnia referantur, quia ex ejus præſcripto facienda ſunt. Iſta verè Chriſtiana eſt diſtributio ſæpiùs nobis à Paullo commendata, cùm vult *omnia in gloriam Dei* fieri: hoc maximè tempore Quadrageſimæ, quando eſt *tempus acceptabile*, & *dies ſalutis*; monemurque ab Iſaia, *Quærere Dominum dum inveniri poteſt.*

SECTIO SECUNDA.

Corruptrix Iuſtitiæ Diſtributivæ ambitio.

I. *Ambitio mala.* SI Menelai, Jaſones, Simones, aliique Judæorum ambitioſi defuiſſent, Diſtributiva juſtitia in partiendis ſacris profaniſque dignitatibus non adeo malè habita fuiſſet à Seleucidarum Regum propudio Antiocho Epiphane. Avaritia ſola parum adverſus virtutem illam poterat, niſi pariter conſpiraſſet ambitio: virium aliquid ad propulſandam unius injuriam ſupererat; utrique conjuratæ, & hinc atque hinc incurrenti, ſuccubuit. Corrupta eſt avaritia, corrupit ambitio, juſtitia concidit: emersêre profani Pontifices, cæci judices, magiſtratus venales, & ſus deque omnia permiſturi. Expugnanda nobis hæc peſtis, ſi ſalvam volumus Diſtributivam juſtitiam: maximè, cùm non in eo ſolùm, cui diſtribuitur, ſæpiſſimè ſeſe prodat; ſed etiam in eo, qui diſtribuit frequenter graſſetur. Sunt enim, qui ut gradus dignitatéſve ſuas tueantur, vel laudem & gloriam ſuam ſine occupatione extollant, eos tantùm evehi altiùs patiantur, quos ſibi inferiores ſemper fore exiſtimant. Alios, à quorum ſibi virtute, ingenio, fælicitate metuunt, nunc honoris ſpecie aliò ablegandos curant, nunc apertis calumniis deprimunt, nunc ſecretis infamationibus amovent, arcemque.

II. *[illegible] ambitio.* Quia monſtrum iſtud plerumque larvâ ſpecioſâ ſe contegit: quia peſtis iſta non raro ſanitatem mentitur: quia virus illud ſæpiſſimè in cibo & potu propinatur: *Ambitio*, enim, ut inquit Bernard. epiſt. 126. ad Epiſcopos Aquitaniæ cont. Gerardum Exgoliſm. *ſpurcum vitium, in imo jacet, videt tamen omne ſublime, ſed ipſa videri refugit.* Detegamus inſidias: peſtem rimemur, larvam aperiamus. Quid ergo vitii eſt? Quæ ejus conditiones & qualitates? Si à D. Leone petamus quid ſit: *cupiditas eminendi*, inquit ſerm. 12. de Quadr. *quæ vel ſtirpi ſuæ enixa, vel ſoboli, nunc prolem habet ſuperbiam, nunc parentem.* Gregor. Nyſſ. orat. Catech. cap. 23. aut φιλαρχίαν eſſe μήτηρα τῆς λοιπῆς κακίας, *matrem cæterorum vitiorum.* Baſilius cap. 9. Conſt. ἐφίεσθαι προεδρίας, διαβολικὸν νόσημα, *appetere prælationem diabolicus eſt morbus.* Procopius in illud Iſaiæ, *Dies Domini ſuper omnem cedrum excelſam*, δαιμονιῶδες πᾶν ἔπαρμα, *dæmoniaca eſt omnis elatio.* Cyrillus Alex. in Habacuc cap. 3. ἐν φαυλότητι πάντως ἡ ὑπεροχὴ, *Eminentia omninò in malo eſt.* Bern. lib. 3. de Conſid. *O ambitio ambientium crux, quomodò omnes torquens, omnibus places?* Eſt velut patibulum commune, ex quo omnes fermè pendent, & reſpirare non ſinuntur: ſupplicium tamen ſuum amant. *Ambitio*, inquit idem Bern. ſerm. de Quadr. *ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans.*

Sine

Sine ambitione beata prorſus forent reſpublicæ, inquit Plato polit. l. 1. Lues eſt certiſſima ſocietatis omnis civilis. Quid autem Platonem accerſo, quid Patres?

III. Definitur. Longiſſimi ſimus in atrio, & portam majorem domo ſtruamus, ſi omnia velimus congerere, quæ ad deſcribendam ambitionem afferuntur. Sed iſtæ ſunt deſcriptiones tantùm: nos veram definitionem petimus, ad vitii naturam penitùs internoſcendam. Sic ego quidem, & aptiſſimè ut arbitror, definiero, ut omnes partes comprehendat. Ambitio eſt immoderata appetentia bonorum, quæ ab alieno judicio aut voluntate pendent. Quinque autem ſunt genera bonorum ab alieno judicio ac voluntate pendentia, Dignitas, Gloria, Fama, Honor, Laus: quæ omnia ad exiſtimationem & excellentiam referuntur, ſuntque alieni de nobis judicii & voluntatis teſtimonia. Dignitas confertur Joſepho à Pharaone, quia vult eum evehere, & judicat dignum. Glorioſi ſunt apud rectè ſentientes & volentes Sancti Dei. Famam bonam apud externos quæſierat Abraham, bona eorum voluntate & judicio. Torque aurea honoratum videmus à Nabuchodonoſore & Baltaſſare Danielem, ex exiſtimatione virtutis, & ſpiritus prophetici. Laudat Davidem Jonathas apud Saülem, quia ipſi benè volebat, & ejus indolem præclaram noverat. Etiámne ergò inanem gloriam, quæ appetentia eſt famæ, laudis, gloriæ ad ambitionem refers? Prorſus, non tantùm quia vitia affinia, ex eodem fonte naſcentia, eodem modo agentia, ad eum finem quem ſuperbia præfigit, id eſt excellentiam tendentia; ſed etiam, quia ſic loquitur Scriptura. Etſi non neſcio ambitionem à D. Th. 2. 2. q. 131. a. 2. reſtringi ad immoderatum appetitum honoris: ab aliis reſtringi ad appetitum dignitatũ extra modum; unde etiam, vitium quo dignitates ſic expetuntur, tantopere ab omnibus ſacris profaniſque ſcriptoribus damnatum, vocatur ambitus. De quo eſt illa ſalutaris Conſtitutio in Codice Theodoſiano ad l. Juliam l. 1. *Si quis ad illuſtrem palatii noſtri ambierit dignitatem, atque ad eos honores aſcendere ambitione tentaverit, qui non niſi probatis viris noſtro judicio deferuntur: cujuſlibet ille ſit loci, ordinis, dignitatis, amiſſis bonis, & fiſco noſtro protinus vindicatis, deportationis mulctetur exilio.*

IV. In quibus rebus ſit ambitio. Ambitionem tamen ego latiùs extendo, & ob rationem allatam, & ob Scripturæ uſum. Addere poſſim uſum ipſorum profanorum ſcriptorum, uti Ariſtotelis, qui ambitionem dicit *appetitum gloriæ*, 2. Eth. c. 7. qui utique eſt aliud quàm honor: ſed nobis ſufficit uſus Scripturæ. Loca tria habemus illuſtria. Primum, 2. Paral. c. 16. ubi in Regis Aſæ funere dicuntur arſiſſe aromata & unguenta, *ambitione nimia*. Alterum, 1. Mach. c. 9. ubi Jambriæ dicuntur duxiſſe ſponſam *cum ambitione magna*. Tertium, Act. c. 25. ubi narrantur Agrippa & Bernice introiſſe prætorium *cum multa ambitione*. Quid autem ambiêre iſti funeris regis procuratores? Nihil utique domino ſuo, niſi commemorationem, famam, honorem: ſibi nihil niſi laudem culta Regiæ ac dominicæ memoriæ, & poſt mortem etiam conſervatæ. Is ſcilicet fuit ambitioſæ iſtius pompæ funereæ finis, qui hodiernarum; ut in oculos incurrant, ut evocent ad ſpectandum; ut admirationem concieant, ut ſermones creent, & famam faciant. Hæc tot ſumptibus, plerumque inanibus, ambiuntur. Neque aliud ambiêre Rex & Regina cultu magnifico, ſplendido comitatu, præeuntibus tubis, ſtipantibus militibus, quàm ut in ſe ora multorum verterentur, digiti intenderentur, & diceretur: Hi ſunt. Captabant admirationem eamdem & laudem, quam hiſtrionici quidam juvenes comatuli & pompatuli, invehendis in urbes ſuas novis veſtium formis, eo tantum fine, ut aſpiciantur velut aves peregrinæ, & rumores de ſe excitent. Qua ambitione neſcio an inanius quidquam fuerit. Laudem quæris, unde? Ex materia? Quæ nimirum vermis opus eſt, aut ovis ſpolium, aut herbæ excrementum. Ex forma? Quæ ſartoris ſcilicet induſtria eſt ex ideis, non Platonicis, ſed ſomniatricis alicujus, aut ſomniatoris nova in dies procudentis. Proximi iſtis ſunt, qui ſeſe ambitioſis titulis induunt, & venditant, ut famam ſibi vel illinc ſaltem faciant, ſi virtute non poſſunt; ad Bernices & Agrippæ aulam relegandi.

Habemus ambitionis materiam quintuplicem: Forma illius & anima eſt immoderatio. Si enim moderata ſit appetentia dignitatum, rerumque aliarum affinium, ambitio certè vocanda non eſt, aut culpari non debet. Atqui poteſt eſſe moderata. Alioqui à D. Paullo tam diſertè pronuntiatum non foret. 1. Tim. c. 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Nec 1. Reg. c. 1. Nathan propheta Berſabee, pudicam ut & ſapientem mulierem, ad ambiendum pro Salomone filio regnum impelleret: ut excluderetur Adonias, non optimorum morum juvenis vindictæ avidus, nec ſanis ſanctiſve conſiliis uſurus, & reipublicæ perniciem creaturus aut ingens periculum. Nec Mardochæus, vir integerrimus, Heſtherem neptem ſuam bonis artibus & cultu corporis idoneo ita evexiſſet, ut ad Aſſueri connubium pro Judaicæ nationis conſervatione eligi poſſet. Nec laudarentur Mathathiæ filii, quòd ad ſummum Sacerdotium adſpirârint, illudque etiam armis vindicârint, ne Jaſones, Menelai, Alcimi, aliáque reipublicæ Judaicæ carcinomata eo potirentur. Neque excuſabilis foret Sigiſmundus Imperator, apud Spond. anno 1410. quando in comitiis Electorum rogatus ut primo loco, tamquam Rex Hungariæ & ſimul Marchio Brandeburgenſis, ſuffragium ferret, pro ſe tulit; cum hoc dicto: de ſua ſibi ad bonum Eccleſiæ & imperii procurandum voluntate conſtare. Quam libertatem mirati Electores cæteri aſſenſerunt: ejuſque veritatem probavit eventus, ut patet ex Actis Concilii Conſtantienſis. Nec S. Fulconis, Epiſcopi Placentini primùm, deinde Ticinenſis ſeu Papienſis, factum cum laude memoraretur: quando adoleſcens mendicus & ſtudioſus ſtipem ab ancilla divitis ea lege datam, ut numquam Epiſcopatum admitteret, protinùs intellecta conditione reſpuit. V. Poſſunt ſine ambitione appeti dignitates.

Patet ergo dignitatem non excuſabiliter tantùm, ſed etiam laudabiliter, ambiri poſſe ad finem bonum: imò & in ſe, intra modum, ut indicavimus cap. 9. ad verſ. 10. Eadem in Gloria aliiſque ejus affinibus Fama, Honore, Laude, ratio eſt. Nam ſi id non foret: non ultrò ſeſe David ſingulari contra Goliathum certamini obtuliſſet, 1. Reg. 17. ante ſciſcitatus quid præmii & gloriæ victori decretum eſſet. Quod licèt frater ipſius Elial tribuerit ambitioni, & ſuperbiæ; conſtat tamen bono fine ſuſceptum, & ſpem gloriæ aſcitam tantùm pro cote fortitudinis, incentivo auxiliari virtutis. Eodem modo ſapientiſſimus ſenex Mathathias, 1. Mach. 2. moribundus, hortatur liberos, ſe dignos, ut viriliter agant in lege, quia in ipſa glorioſi erunt, & acquirent gloriam magnam & nomen æternum. Utique nolebat à liberis gloriam pro fine ultimo attendi: abſit hoc ab animo Herois, & ad VI. Item res dignitatum affines.

 immorta-

immortalitatem in ipſa morte properantis. Sed eam proponebat, velut auctarii loco, ad incitamentum defendendæ religionis ac ſanctimoniæ, unde exiſtit ſincera laus & gloria perennatura. Sic Sapientem audivimus Proverb. 22. dicentem: *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*; & Eccl. c. 7. *Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa.* Ita D. Paullus, de ſe & viris Apoſtolicis dicit, 2. Cor. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo. Odor* autem *bonus*, inquit D. Aug. lib. 3. de Doct. Chriſt. c. 12. *bona fama eſt.* Et Philippenſes cap. 4. admonet, ut cogitent, *quæ ſunt bonæ famæ.* Et 2. Cor. c. 6. vult præcones Evangelicos ita vivere, *ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Et 1. Tim. c. 4. ſancto illi Pontifici dicit, *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*: totidémque fermè verbis Tito dicit c. 2. *Nemo te contemnat.* Potuítne humillimus ille Apoſtolus, & verè Paullus, id eſt parvus modeſtiæ virtute, ac minimum Apoſtolorum vocare ſe ſolitus, diſertioribus verbis diſtinctioribúſque ſententiis commendare Gloriam, Famam, Honorem, Laudem? Ideò benè, quia ſine bono. Quem etiam ſibi præfixerat Rupefucaldius Cardinalis, Galliæ ac ſæculi hujus lumen, quando juniorem Cardinalem officii cauſſa reviſens, eo per famulos ſignificante ſe aſſore, manere diutiùs noluit, ut ille deinceps honoris ſenio debiti meminiſſet: adeò retinens erat dignitatis Eccleſiaſticæ. Uti & fecit, cùm Dediguerio Magiſtro Equitum cedere noluit: quod & decreto pro Cardinalibus firmatum.

VII. Quæ ſit immoderata appetentia? Sed unde modus agnoſcetur, & immoderatio? Primùm ex fine. Si enim in ſplendore dignitatis aut nominis conquieſcat animus, nec tendat ulteriùs, idem fecerit quod Seron, de quo in Comm. ad cap. 3. verſ. 14. Idem quod Sophiſtæ illi potiùs, quàm philoſophi à Tertulliano eleganter appellati, *Famæ negotiatores, & animalia gloriæ.* Ii ſunt quos ἀνθρωπαρέσκους vocat divina Script. pſal. 52. *Dominus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent*: qui, ut loquitur D. Auguſtinus ep. 81. *jactantiæ faſtu corrupti, atque conſumpti, in favillam fumúmque vaneſcunt.* Deinde, immoderatio ex ipſa dignitatum, aliarúmve rerum cum candidatis comparatione, inſpicitur: ſi quis longè ſupra meritum, ſupra vires animi, ſupra corporis robur, ſupra ipſos crumenæ nervos ambit, præſumptionem jungit ambitioni, ut advertit D. Thom. 2. 2. q. 131. Iſti à profanis Scriptoribus Icaro & Phaëtonti paſſim collati: à ſacris, Nembrotho turris Babylonicæ ſtructori, Arphaxado Ecbatanorum conditori, Nabuchodonoſori de civitatis Babylonicæ ornamentis glorianti; æquiparantur. Quibus rectè iſtud ſapientis monitum prælegatur, *Altiora te ne quæſieris*, ne vertigo te occupet nimis altè ſubvectum: & iſtud philoſophi, *debet plus eſſe virium in ferente quàm in onere*, ne ferens ſuccumbat & opprimatur miſerè, vel dedecoroſè abjiciat. Tertia immoderatio petitur, ex aſpirandi & adipiſcendi modo, ſi per vias eatur illicitas, & injuſtas. *Difficile eſt* enim, ut Cicero loquebatur, 1. Offic. *cùm præſtare cæteris concupieris, ſervare æquitatem.* & ibid. *Facillimè ad res injuſtas impellitur, ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupido*: & 3. Off. *Complures ſe ſcelere contaminârunt imperii cupiditate.* Plena eſt exemplis profana hiſtoria, ad avorum uſque ætatem, quando Chronicon illud celebratum, *FILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.* Fœdiſſimis quibuſdam ſparſa eſt hiſtoria ſacra: ubi adeò proculcatum ab ambitione fas omne exhibetur, ut nec fraternus affectus, nec filialis, ne maternus quidem, à ſceleratiſſimis conſpirationibus cohibuerit præcipites ad alta animos, Abimelechi fratricidæ, Ptolemæi qui ſocerum interfecit, Athaliæ filiorum interemptricis.

Monſtra iſta ſunt, & propudia generis humani, longè à moribus noſtris. Sed longéne à moribus noſtris, alienas laudes invadere? Sibi tribuere, quod alter fecerit? Saxis & parietibus falſa inſcribere, aut pati per adulatores inſcripta? Vetuſtatem ſibi arrogare, vetuſtioribus novitatem impingere? Rivales ſuffoſſis cuniculis evertere? Ad dignitates per fraudes, minásve eniti? Minora, inquis, iſta, & quotidiana non ſunt. Majus aliquid & propius ad conſuetudinem avemus intelligere: Utrúmnam injuſtum ſit, aut ſaltem ex alio quàm injuſtitiæ capite illicitum, viam argenteam ad dignitates ſternere; & excelſos gradus, judiciarios præſertim, coëmere? Non quæro, conſultúmne ſit. Occurrant enim ſtatim undique Juriſconſulti, nedum Theologi, adversùs ejuſmodi licitationem & venditionem diſputantes. Accedat Syneſius Orat. de regno: *Videtur non facilè in injuſtitiam proſecuturus odio, nedum pecunias contempturus, aut prætorium minimè venalium judiciorum forum redditurus. Si quidem credibile non eſt, eum ſublato vultu, torvis ac rigidis oculis aurum ex adverſo intueri poſſe.* Inclamabit de ævi ſui corruptelis Salv. 4. de Provid. ex illo Eccleſ. 13. *Venatio leonis onager in eremo: ſic paſcua ſunt divitum pauperes... Ad hoc honor à paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione ſolvatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia, quas non emunt: commercium neſciunt; & ſolutionem ſciunt.* Adducetur ſubſidiarius philoſophus Seneca 1. de Beneſ. cap. 9. *Provincias ſpoliari, & nummarium tribunal, audita utrinque licitatione alteri addici, non mirum: quando, quæ emeris, vendere, gentium jus eſt.*

VIII. An emere liceat dignitates?

IX. Licet, certis conditionibus. Sepoſita igitur illa quæſtione, ſepoſito item periculo venalium judiciorum, imò & ſepoſito periculo augendorum ſupra jus & ſupra pretium laboris ſalariorum: ne id contingat, quod Pariſiis non pridem, ubi poſt palatii incendium, luſu neque inficeto, neque à veritate alieno, dictum: Juſtitiæ palatum arſiſſe, ob aromata nimis multa vorata. Quod Gallicè optimè ſonat, *A Paris la Dame Juſtice, pour avoir mangé trop d'eſpice, s'eſt brûlé le palais.* Aromata vocant eo idiomate judicum ſalaria. Palatium, & palatum eodem modo Gallicè efferuntur. Sepoſitis ergo illis incommodis & periculis, Quæritur an de ſe, ſive ex natura rei, illicitum ſit dignitates, etiam judiciarias emere? Expectent forſan multi, ut cum vulgo pronuntiem, non licere. Et favere videatur ratio aliqua, quòd ſint bona communia: bona autem communia, ex juſtitia Diſtributiva, partitionem poſtulant pro meritis. Sed omninò temerarius ſim, ſi id damnem, quod damnare noluit D. Tho. opuſc. 21. q. 5. Quod ipſe D. Auguſtinus damnare noluit ſerm. 94. de temp. habito ad menſem S. Cypriani. Verba ejus ſunt: *Iudex eſſe vis? Potes meritis, vel pecunia: nondum reprehendo. Fortaſſe enim cupis prodeſſe rebus humanis, & emis ut proſis: ut ſervias juſtitiæ, non parcis pecuniæ. Prius propter te eſto judex in te: prius judica de te, ut de penetrali conſcientiæ ſecurus procedas ad alterum.* Quis damnare audeat, quod Auguſtinus, & D. Thomas, ſine cenſura præteriêre? Quod paſſim apud Chriſtianos fieri videmus? Et verò, cùm dignitas ſit res prètio æſtimabilis, & quamvis ſit bonum commune, ſive ad bonum commune, non exigat tamen ut pluribus dividatur: quænam, obſecro, ſit ratio damnandi? Hoc idcircò dixero, quod pluribus tractant Theologi, ut vulgus moneatur, ne tam facilè condemnet ejuſmodi

Google

ejuſmodi mercatus dignitatum, niſi alicujus extrinſeci & adventitii mali contagione afficiantur.

X. Stultitia ambitioſa. Cæterùm ambitio poſtquam modum exceſſit, uti in objecta quinque impetu inordinato fertur, ita plerumque quinis fœdis affectibus laborat. Stulta eſt, vilis, inconſtans, inſatiabilis, exitioſa & in ruinam præceps. Stultitiam agnovit David 2. Reg. 24. poſtquam ambitioſa gloriæ cupiditate, & ut ſibi plauderet de regni amplitudine ac numero ſubditorum, cenſendas curavit tribus Iſraeliticas. Monitus enim à Propheta de errato dixit: *Peccavi valdè, ſtultè egi nimis.* Poſt patratum adulterium & homicidium tanto graviora crimina, hoc ſolum dixit, *Peccavi Domine*: deinde miſericordiam Dei pſalmo imploravit. Hic in longè minore culpa, *Peccavi*, inquit, *valdè, ſtultè egi nimis.* Et verò quid ſtultius homini, nedum fideli bona ventura edocto, & deſideranti, & quàm de vanis, &, ut tardiſſimè, cum vita tranſituri vel anxiè nimis cogitare, vel ſupervacuè laborare, vel immaniter torqueri, vel inaniter gloriari & inflari? Quicumque id fecerit, meritò dicat cum Davide, *Peccavi valdè, ſtultè egi nimis*, quòd tanti fecerim tamilla, & pro captanda umbra panem amiſerim, ut canis Æſopicus. Ammianus Marcellinus, lib. 27. cap. 2. memorat *Lampadium* quemdam Præfectum urbis, *qui indignanter admodum ſuſtinebat, ſi etiam cum ſpueret, non laudaretur, ut id quoque prudenter præter alios faciens.* Quis inſanam ambitionem laudis in illo non rideat? Quàm multi ſi ſe introſpiciant, non longè abeſſe ſe vident.

XI. Vilitas. Eò prætereà ſtulta eſt ambitio, quòd ſe abjicit ad indigna, & ne vilis ſit vilem ſe facit. Pingit eam Ambr. lib. 4. in Lucam: *Blanda eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere, fecit ambitio criminoſos. Habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum, &, ut dominetur aliis, prius ſervit: curvatur obſequio, ut honore donetur: & dum vult eſſe ſublimior, fit demiſſior.* Nec minus eleganter abjectam iſtam ſubmiſſionem pinxit Chryſologus, *Ambitio ſimia quædam eſt caritatis: caritas enim patiens eſt pro æternis: ambitio patitur omnia pro caducis. Caritas benigna eſt pauperibus, ambitio divitibus. Caritas omnia ſuffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia ſperat, ſed longè diſſimili modo.* Spectabile hoc eſt in Abſalone, 2. Reg. 15. Quid iſte agit ad civitatis portam Regius Princeps? Quorſum circuit, & ambit vicos Hieroſolymitanos, & ad portas civitatis obvios quoſque prenſat, vel infimæ ſortis? Quò illa tendunt officia & obſequiorum oblatio. In quem finem tantopere ſeſe demittit altorum ſpirituum juvenis, brevî ne parentem quidem paſſurus ſuperiorem? Hoc ipſum agitur; ut patris invadat ſolium, ſub ſoleis etiam ruſticanorum proſternitur. Plurea oſtendit Orator Romanus pro Milone: quot olim fuêre candidati qui ambiendis & circumeundis tributim plebis turmis, unde ambitûs nomen, dignitates quærebant. *Timida eſt ambitio, & ſolicita cupiditas magiſtratus. Omnia, non modò quæ reprehendi palàm, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, timemus. Rumorem, fabulam fictam, falſam, perhorreſcimus: ora omnium atque oculos intuemur.*

XII. Inſtabilitas. Et quod inde conſequitur inconſtantiſſimi ſumus, & vertimur ad flatum auræ mutabilis. Scribebat id Paullinus Licentio, expertus experturo,

Nunc tibi falſa placent bona, nunc rapit omnibus auris
Ambitum, & vitreo fert cava fama ſinu.

Quàm beoè auras, & omnes quidem, perflare dicit in ambitione! Quàm verè cavam vocat famam, nihil ſolidi habentem, ſimilemque umbris illis mortuorum, quas Virgilius cavas appellat imagines! Quàm eleganter vitreus famæ ſinus dicitur, qui vel minimo linguæ malæ impulſu diſſiliat! Quod de fortuna dicebat ſapiens Mimus: *Fortuna vitrea eſt, tunc cùm ſplendet, frangitur.* Eamdem inſtabilitatem elegantibus verbis pinxit D. Auguſt. lib. 4. Conf. cap. 4. *Sicut auræ linguarum flaverint à pectoribus opinantium, ita fertur & vertitur, torquetur ac retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas.* Nec verò aliter fieri poteſt, quàm ut perpetuò mutet, qui appetit inordinatè bona, ab aliorum judicio & voluntatè pendentia. Cùm enim nil ſit inconſtantius & variabilius hominum judiciis, & voluntatibus; neceſſe eſt ut qui illis affixi ſunt ſimul fluctuent. Notavit hoc Innocentius III. de vilitate conditionis humanæ: *Ambitioſus, promptus & fervidus, ubi placere cognoverit: remiſſus & tepidus, ubi putaverit diſplicere. Improbat mala, deteſtatur iniqua: ſed alia cum aliis probat, & improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur. ... Colludunt ad invicem mater & filia, iniquitas & ambitio: hæc vendicat ſibi publicum, illa ſecretum.* Non vides Jaſonem Judaizantem, quamdiu ex ea regione ſpes dignitatum: Græcizantem, & inſtituta Paganica amplectentem, quando ſic Antiocho placitum? Nonne & Simon & Alcimus, & Menelaüs in omnes ſeſe formas, infælices Protëi & Vertumni, ſeſe induêre, poſthabito omni juſtitiæ & religionis reſpectu; placerent modò & eveherentur?

Quid verò, poſtquam adepti ſunt, quæ tot malefanis artibus quæſiere? Brevî tam jejuna & famelica erit voluntas, quàm ſi nihil accepiſſet. XIII. Inſatiabilitas, & ruina. Idem illis accidet, quod qui ventrem ſiliquis inflantibus diſtendêre: non alimentum ſumpsêre, ſed eſuriei miſerum lenimentum, quod brevî famem magis acuet, quò magis alvum dilatârit. Itaque ſapienter monuit amicum Sen. epiſt. 86. *Graviſſimum genus egeſtatis, in divitiis inopia. Relinque ambitionem, timida res eſt, vana, ventoſa, nullum habens terminum: tam ſolicita ne quemquam ante ſe videat, quàm de ſe ne laboret invidiâ.* Et epiſt. 74. *Nullum habet majus malum cupiditas, quàm quod ingrata eſt. Nemo quos vincit, ſed à quibus vincatur, attendit. Et illi non tam jucundum eſt videre multos poſt ſe, quàm grave aliquem ante ſe.* Ejuſmodi hominem, inſanâ gloriæ appetentiâ laborantem, eóque veluti morbo, quem bulimiam medici vocant, ardentem exhibet Valerius Max. libro 1. Alexandrum Macedonem, quando narrat, ſuſpirâſſe, quod ne uno quidem mundo potiretur, cùm de pluribus diſputaretur. Monſtrat nobis & illum liber Machab. 1. cap. 1. ſed jacentem; ſed regna ſua ſpargentem & partientem, brevî moriturus non moltò pòſt ruitura. Eò denique recidunt omnes ambitioſorum conatus; malè parta, diu retineri non poſſunt; durabilia non ſunt, quæ nimis altè evehuntur. Monuit Sapiens Prov. 17. *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam.* Atque utinam tantùm ſequeretur ruina rerum temporalium, non animi pernicies, non æternitatis jactura. Sed heu, quàm multa exempla eorum, qui juſtitiam, conſcientiam, fidem ipſam ex ambitione amiſêre, paſſim in ſacris Hiſtoriis occurrunt, & nos alibi forſan producemus, ad illod Chriſti, *qui ſe exaltat humiliabitur.* Sufficiat modò iſtud exemplum horribile planè, credentibus & conſiderantibus, à Chriſto propoſitum diſcipulis, qui parum modeſtè de miraculorum poteſtate gloriabantur, Lucæ 10.

Videbam

Videbam Satanam, ſicut fulgur de cælo cadentem. Unde cecidit? De cælo. Cur? Ob ambitionem. Quam citò. Ut fulgur. Quis? Angelus. Quò? Ubi ex Angelo Satanas æternùm.

XIV. Quæ Ambitio laudabilis? Iſtæ ſunt Ambitioni congenitæ conditiones, ſupra vires & viis malis ad alta, velut cupiditatum finem, enitentia. Alioqui ſi quis ſeſe ſuóſve, licito modo, nec ſupra meritum & pluſquam deberet, extollit, ſéque ac ſuoa in ſtatu eminentiori collocare ſtudet, ambitioſus non eſt: ſed rem ex ſe indifferentem facit. Quod repetendum eſt; ne culpas affricemus, ubi revera nulla eſt. Imò interdum evenit, ut non modò excuſabilis ſit ejuſmodi cupiditas, ſed etiam neceſſaria, nedum laudabilis: ut ſi malo homini excludendo, aut deprimendo, melior exſurgat, & locum laudémve occupet. Cavendum tamen, ne noa judicium de nobis noſtrum, & amor proprius fallat, ſpecie boni communis: & ſerpens primorum parentum deceptor, lateat ſub foliia floribúſque ac fructibus arboria prohibitæ. Verè bona, omnibúſque commendanda ambitio eſt, quam Chriſtus ejúſque diſcipuli exemplis ſuis ac monitis ad alta cælorum nitendo oſtendêre. Alium Meſſiam non ſpectamus: aliud Evangelium uolumus. Ab illo didicimua, *Regnum cælorum vim pati:* viribus omnibus ad Regiam iſtam dignitatem contendendum, ubi gloria æterna, ubi fama in Eccleſia Sanctorum, ubi honorati nimis amici Dei, ubi laus unicuique à Deo, ubi æternùm lætare.

SECTIO TERTIA.

De Iuſtitia Commutativa, vitiiſque oppoſitis, nominatim Detractione.

I. Commutativa Juſtitia quid ſit? COMMUTATIVÆ Juſtitiæ nomen obſcurum pleriſque eſt, res notiſſima. Ea enim eſt, quæ non rem meritis perſonarum, ut Diſtributiva, ſed res rebus exæquat, ſpectato earum pretio, ſecundùm prudentem æſtimationem & uſum. Ea eſt, quæ non in bonis communibus, ut per Diſtributivam fit, partiendis verſatur, ſed in privatia cuique ſervandis; quomodò in rerum commutationibus, commerciiſque, per emptiones, contractua, donationes, permutationea, unde illi Commutativæ appellatio. Cùm autem cuique homini bona privata quinque generum eſſe poſſint, animi primùm, deinde corporis, tum famæ, poſt honoris, denique fortunæ ut vulgò nominamus: etſi fortunæ nomen neque Auguſtino, nec Chriſtiano optimè ſonat, ſed cum multis loquendum eſt. Eam ob cauſſam rectè oppoſita bonis iſtis vitiorum genera quinque velot totidem juſtitiæ vulnera numerabimus. Aut enim bona animi, qualia ſunt vel naturalia ut ingenium, vel ſupranaturalia ut virtutes Chriſtianæ, injuſtè violantur; vel in corpore, membrorum integritas, valetudo, vita impetuntur; vel famæ nitor conſpurcatur; vel honor debitus minuitur; vel fortunis damnum infertur.

II. Bona animi ut violētur. De violandis injuſtè naturalibus animi bonis hoc dicere ſufficiat. In culpa injuſtitiæ illum eſſe, qui alterum ex officio ad ſcientiam verbi cauſſa comparandam juvare debet, nec juvat: item qui temperiem corporis, organorúmve, à quibus mentis functiones pendent, malè afficit, unde artes ſcientiæve jam comparatæ obliterantur, aut comparandæ impediuntur. De ſupernaturalibua animi bonis, licèt homini invito extorqueri non poſſint, ex juſtitia tamen tenebitur, qui gravi metu incuſſo, aut fraude alium ad peccandum impulerit: libertatem enim illius injuſtè preſſit, & diminuit. At qui alium ſuaſione tantùm, vel exemplo ſcandalóve ad peccandum inducit, ex juſtitia de bonia animi ablatia non tenetur; quandoquidem ſalvam ipſi integramque libertatem ſuam reliquerit, nec metum incuſſerit deceptionémve obtulerit, quæ præter voluntatem ſuam ad inferendum ſibimetipſi damnum adigeretur. Quamquam & in hoc caſu pius nemo negaverit, malum exemplum bono reparari debere: debere, inquam, ex caritate, non autem ex juſtitia; inter quæ debita plurimùm intereſt; & benè advertant oportet, qui temerè jugum reparationia quibuſlibet peccatoribus ad meliora converſia imponunt, etſi alios exemplo tantùm aut ſuaſione ad peccandum adduxerint, ſcandalóve fuerint.

Bonis corporia quia multa ſunt, moltæ poſſunt inferri injuriæ. Si pudicitia iniquè contrectatur; quò adulteria, oppreſſiones, ſtupra, raptus, aliáque monſtra criminum pertinent. Si membrorum integritas per vulnera, aut mutilationes, minuitur. Si ſanitas pharmacis, injuſtis laboribus, alitérve tentatur. Si vita tollitur immerenti, viiſve indebitis. De pudicitiæ violationibus, ſufficiat quod generatim de luxuria dictum eſt Excurſ. 3. ad c. 1. quantum honeſtatia fines ſinebant, & quantum poſtulabat argumentum ab aliis ſat fusè tractatum. De membrorum, & ſanitatis violatione, ac de homicidio, occaſio aliqua erit dicendi, quando de Razia agemus libri ſecundi cap. 14. quæremuſque an homo vitæ ipſe ſuæ ac membrorum ſit dominus: ſi autem vitæ ipſe ſuæ dominus non eſt, quantò minùs alienæ. III. Quomodò lædantur bona corporis.

Bona famæ impeti poſſunt modis duobus, temerario Judicio, & Detractione. De illo in Commentariis aliquid poterimua diſſerere ad lib. ſecundi cap. 12. v. 41. ubi de Dei judicio agitur. De detractione, neceſſario planè ad plebem argumento, hic agemus, quæſtioneſque omninò duas ediſſeremus: primam, Peccatúmne ſit? Alteram: An qui de aliena fama detraxerunt, eam reſarcire debeant, quà poſſunt, ſive an ad reſtitutionem teneantur? An peccatum ſit, inquis: quænam verò iſthæc quæſtio eſt? Quis umquam ea de re, non Chriſtianus modò, ſed ſanus dubitârit? Ain' tu rationem non eſſe dubitandi: poſtquam ita paſſim pervulgatum eſt de aliis obloqui, ut rara ſit invenire conſortia, ubi iſtiuſmodi ſermonum floſculi non plenis buccis eventilentur, non patulo aurium ſinu excipiantur? Si Luciani tantùm aliqui, caninæ linguæ homines, & meritò à canibus ſtrangulati, quòd eorum officium, quoſlibet homines commordendo & lacerando, invaderent: ſi ejuſmodi tantùm propudia de aliorum fama detraherent, equidem non mirarer. Si unus interdum Simon Oniam Pontificem apud Antiochum, Aman Mardochæum apud Aſſuërum, Satrapæ Babylonii Danielem apud Darium, perjuri ſenes Suſannam ad populum calumniarentur, exempla paucorum à multis ad imitationem trahi non deberent. At modò, cùm idiotæ non pauci ſint, de quibus dici illud Davidis poſſit, *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum:* cùm indocti ſapientéſque in ſpeciem non impari numero inveniantur, quibus ab eodem Davide occini poſſit, *Filii hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus:* cùm non immeritò detractorum frequentia ramis Ægyptiacis comparetur, quæ in domos omnes privatas, publicas, ſacras, IV. Famæ hoſtis Detractio, quàm pervulgata.

profanas

profanas penetrabant, in ipſáſque adeo Pharaonis & Sacerdotum menſas, obique coaxantes, & contactu ſuo omnia contaminantes: cùm rectiſſimè D. Chryſoſt. ſerm. 2. de prophetiarum obſcuritate, & ante hunc Baſilius hom. 11. & ante iſtum Juſtinus dialogo cum Tryph. detractores cum muſcis contulerint, quolibet penetrantibus, ulcera & ſordes amantibus, & poſtquam illis inſiderint cætera inficientibus, & perdentibus ſuavitatem unguenti: cùm res ita ſe inter ipſos Chriſtianorum primores habeat, nonne jure ſuſpicer, detractionem pro peccato à Chriſtianis non duci?

V. *Quintuplex detractionis materia.*

Quis enim me ſic argumentari vetet? Quod paſſim fit apud Fideles, neque illos de vulgo & craſſos, ſed iſtos de primis ſubſellus & eruditos, imò & apud ſapientiam & virtutem profeſſos; licere videtur. Atqui id detractioni contingit. Unde non incongruè, quod ſuſpicabar, conſequitur. Eſto enim non multi ad primum, peſſimúmque, ac prorſus deteſtandum detrahendi genus adſpicent, ut calumniatores ſint, id eſt, falſum alteri crimen affingant: relinquenda hæc palma Simonibus, Amanibus, ſatrapis Medis, ſenibus Babyloniis, ſatanæ, qui eſt accuſator fratrum & pater mendacii. Eſto ergo pauci ſint calumniatores, neque opus ſit, ut modò exclamemus cum Davide: *Redime me à calumniis hominum ut cuſtodiam mandata tua.* At quàm multos eſſe exiſtimes, qui ſatis ſciant aut ſcire velint, verum alterius crimen & defectum, ſeu moralem, ſeu naturalem propalari non poſſe, nec de ſecreto fieri publicum, niſi gravibus rariſque de cauſſis, quas mox tangemus? Jam quam frequens eſt, defectum alterius, verum quidem ac notum, acervare additamentis aliquibus, & in majus extullere? Etiam frequentiùs, de bonis aliorum laudibúſque minuitur, ſeu ipſa benè facta elevando, ſeu mentem finéſque alíorſum detorquendo. Nec rariùs deteritur de alienis laudibus, ſuſpenſo judicio, interpoſito frigido Sed, preſſa voce & dubium ſignificante ſilentio.

VI. *Detractio à Christo damnata.*

Tot formulæ infamationum, toties ab omnigenis hominibus, vel voce, vel ſcriptis, vel nutibus, ſigniſve aliis recutitæ, cuilibet facilè perſuaſiſſent, nil quidquam iſtis peccari: niſi in contrarium niterentur & Chriſti præcepta, & ſacrarum literarum oracula, & rationis lumen, & ſapientum auctoritas, & Theologiæ decreta. Chriſtum inprimis, quandoquidem eſt ipſe filius Patris dilectus quem audire debemus, audio monentem Matth. 7. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Lex ea eſt æquiſſima & caritatis, & juſtitiæ: cui ratio nulla non aſſentiri non poteſt. Velímne meas laudes ſilentio, correctionéve tacita, aut pendente judicio jacere? Velímne elevari benefacta mea, aut de mente mea malè judicari? Velímne augeri nota malefacta, aut quod pejus eſt ſecreta eventilari, quodque peſſimum eſt falſa confingi? Hæ quinque infamationis materiæ ſunt, hæc quinque bonæ famæ vulnera, quorum unum cor petit, id eſt calumnia, alia pedes manúſque configunt. Modos autem duos, quibus uti detractores ſolent, graphicè ſub oculos poſuit D. Bernard. ſerm. 24. in Cant. Alios enim apertè detrahere, & ſicut ſcarabæos & porcos in luto volutari: Alios occultè, ſicut, *cùm ſerpens mordet in ſilentio.* Verba Bernardi audiamus: *Sunt ſpecies peſtis hujus, dum alii quidem nudè atque irreverenter, uti in buccam venerit virus evòmunt detractionis. Alii quodam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicq; quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæſto, demiſſis ſuperciliis, & verè plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur, ab his qui audiunt, corde invito & magis condolentis affectu, quàm malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quòd diligo eum ſatis, & numquam potuè de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me numquam innotuiſſet. At quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum: dolens dico, revera ita eſt. Et addit: grande damnum: nam aliàs quidem multum valet, cæterùm in hac parte, ut verum fateamur, excuſari minimè poteſt.* En deſcriptum hominem de quo Pſalmiſta: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.*

VII. *A Scripturis.*

Sed ante Patrum ſententias oracula Scripturarum audiamus. Prætereo quòd unus eorum, qui fuerunt cum dilecto filio Dei in monte ſancto, Moſes dixit, Lev. 9. *Non maledices ſurdo*, quod detractioni applicat Gregor. quia per illam malè de abſente & non audiente dicitur. Prætereo ab Elia cæſos Baalis pſeudo-prophetas clamoſos, & in ſemetipſos cultris ſævientes, veriſſimas detractorum figuras, aliis moleſtos, ſibi crudeliſſimos. Nec D. Petri, nec D. Joannis verba produco, ubi tam efficaciter mutua Chriſtianis caritas inculcatur, quam ſcilicet æquè ac juſtitiam violat detractio. Nec teſtem advoco Paullum, ad Gal. 5. *Si invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini.* Etſi D. Chryſoſt. hom. 3. ad pop. *habita per dies jejunii* ea de detractione interpretatur: per quam, inquit, non carni proximi, ſed animæ, dentes infiguntur. Etſi D. Clemens B. Petri diſcipulus, apud Collectorem ſimilitudinem D. Anſelmi, dicat: *Tria ſunt genera homicidii, quæ pari pœna plectuntur, Interfectio fratrum, Odium, Detractio, de qua etiam Paullus dicit, Si invicem mordetis, &c. Comedit namque alter alterum, & quaſi morſum in eum facit, quotieſcumque quis aliquem malè loquendo viliorem efficit.* Sileo quod Pſalmiſta tam graviter pſalm. 100. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar:* non edebam cum ſuperbo, at detrahentem perſequebar. Nec ſapientis auctoritatem adduco: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam detrahentem noli audire:* tantùm abeſt, ut tu eloquare. Unus pro omnibus ſit D. Jacobus, qui epiſtolæ Canonicæ cap. 2. de linguæ veneno, incendio, graſſatione luculentiſſimè diſputat, haud dubium quin de detractionis præſertim vitio: & cap. 4. diſertè, *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, & judicat fratrem, detrahit legi*, Deo nimirum ipſi qui lex æterna eſt, *& judicat legem.* Quæ verba Chryſoſt. inſigniter expendit ad illud pſalm. 100. *Detrahentem ſecretò*, &c. Poſtquam dixit detractionem eſſe *Turbulentum dæmonem*, innumera ex eo mala oriri, ſuſpiciones, jurgia, ſimultates, odia, cædes, domuum ruinas, urbium excidia: profert denique iſtud Jacobi, & concludit, *Cernisne, cariſſime, quantum ſit detractionis pondus?*

VIII. *A rationis lumine.*

Cerno planè, & quamvis iſtis carerem fidei divinæ radiis, tam clarum tamen eſt rationis lumen, ut veritatem illam non poſſim non intueri. Manifeſtum eſt tantò majorem homini inferri injuriam, quantò majus bonum illi vel tollitur, vel minuitur, vel læditur. Cujus autem pretii eſt fama, quam detractio vulnerat? Non eſt neceſſe ab Auguſtino diſcamus, qui ſerm. 49. de diverſis *crudelem* vocat hominem famæ ſuæ negligentem, ſolique ſuæ conſcientiæ confiſum; cùm tamen fama nobis propter alios neceſſaria ſit. Neque Iſidorum Peluſiotam adeamus, lib. 3. epiſt. 142. aſſeverantem, famæ

conferri

conferri non poſſe omnes Crœſi theſauros, teſte Salomone, Prov. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ: ſuper aurum & argentum gratia bona.* Ethnicos ſolo rationis lumine uſos audiamus. Opibus omnibus famam præponderare aſſerit Iſocrates orat. de reg. Rem propè divinam eſſe ait Æſchines in Timàrchum. Beatiſſimum illa hominem effici canit Pindarus Olymp. Ode 7. Optimis quibuſque ingenitum eſſe à natura magnum famæ ſtudium in ſeram longè poſteritatem, indeque colligi ſenſum mortuis ſupereſſe; ſi priſci illi in vitam redeant, magis etiam, quàm antehac, pro fama laboraturos: ſcribit Plato ep. 2. Cùm itaque tam immenſi pretii res detrahendo lædatur, quis ambigat quin graviſſimum ſit peccatum: quando grave admodùm peccatum eſt ſummam aliquam pecuniæ notabilem alteri ſurripere, bonæ utique famæ nullatenus æquiparandam?

IX. A Patribus. Hinc tam multa non ſparſim, ſed totis ſermonibus & libris, per ſanctiſſimos & eloquentiſſimos quoſque Patres de atrocitate iſtius culpæ dicta veriſſimè, quamvis exaggerata. Unum pro omnibus Bernardum produco ſerm. de tripl. cuſt. Poſtquam dixit plerumque *non ſolùm tempus vitæ, ſed etiam vitam amitti in verbis;* neque à loquente tantùm amitti, ſed etiam adimi illi quicum eſt ſermo, quia illi tollitur vita caritatis erga illum de quo detrahitur: adimi eamdem caritatis vitam tertio de quo detrahitur, quando ſermo per multorum ora volans ad eum pervenerit, cujus ſpectat offenſam. Iſtis poſitis ſic colligit juſtitiæ & caritatis amantiſſimus pater: *Numquid non vipera eſt lingua iſta? Ferociſſima planè, nimirum quæ tam letaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea eſt iſta lingua? Profectò & acutiſſima, quæ tres penetrat ictu uno.* Lingua, inquit, *eorum gladius acutus: gladius quidem anceps, imò triceps eſt lingua detractoris. Nec verò ejuſmodi linguam ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit. Sed & clavis ferreis, quos ſanctiſſimis illis manibus & pedibus conſummatio Iudaica iniquitatis infixit. Niſi enim hujus, quod nunc pungitur, & transfoditur, corporis ſui vitam illius vitæ corporis prætuliſſet, numquam illud pro iſto mortis injuria, crucis ignominiæ tradidiſſet. Et dicimus, levis eſt ſermo. Tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis. quis ſapiens magni pendat? Levis quidem eſt ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat. Leviter tranſit, ſed graviter urit. Leviter penetrat animum, ſed non leviter exit. Profertur leviter, ſed non leviter revocatur. Facilè volat, atque adeò facilè violat caritatem.*

X. Quinque detractionis ſcaturigines. Gravius nihil dici de detractione poterat, quàm ut quinque Chriſti vulneribus compararetur. Quem numerum plagarum in ipſis cauſſis, maledicas linguas ad infamandum impellentibus, deprehendo. Vel enim prava conſuetudo præcipitat, cujuſmodi linguas D. Auguſt. epiſtola ad plebem Hipponenſem falci comparabat, ex omni herbarum genere fœnum metenti. Vel iracundia vehemens inflammat: *prima* enim ut inquit Salv. lib. 3. de Provid. *irarum tela maledicta ſunt.* Vel, quod pejus eſt, odium aut vindicta ſtimulat, & ex abundantia cordis os loquitur. Vel quod non minus odio malum eſt, invidia foràs protruditur, &, cantharidum moſcarum inſtar, pulcerrimis quibuſque roſis inſidet; meliùs ad cauteriorum pus, ac venenum, cum cantharidibus emortuis damnanda. Vel denique deteſtabile ſuſurronum, ad ſeminandam diſcordiam, artificium delationibus, detractionibúſque reciprocis utitur, & maledicti nomen ſupra ſcelerum maxima à Sapiente promeretur, Proverb. 6. Certè ſi adſtet inter nos viſendus Chriſtus quomodò in monte Thabor, & à nobis interrogetur de exceſſu, quem complevit in Jeruſalem, an clavorum plagæ & lanceæ impactio crudelior ipſi viſa fuerit, quàm vel minimum quinque vitiorum unde prodit detractio; non dubito, quin pro D. Bernardi ſententia pronuntiaturus ſit.

XI. Quid Theologia vera judicet? Ne tamen quis oratoriè magis nos loqui, quàm Theologicè, exiſtimet: pronuntiatum ſcholarum omnium audiamus, ex fidei rationibúſque dictamine indubitatò affirmantium, cum D. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2. *Auferre alicui famam valdè grave eſt: & ideò detractio, per ſe loquendo, eſt peccatum mortale.* De ſe, inquit, id eſt ex genere ſuo, ſi materia infamationis rés ſit notabilis; quam menſuram quilibet de ſe ſumere poteſt, & ex reſpecto ad ſtatum ejus de quo detrahitur. Itáne verò mortale ſemper fuerit peccatum, de alterius defectu, ad gravem ejus infamiam vergente, diſſerere? Quid ergo ſi publicus ſit, & paſſim notus, cognoſcive facillimè poſſit, vel ex facto ipſo, vel ex ſententia aliqua pronuntiata, aut aliter? Nolim tibi laqueos injicere, peccata fingere, ubi non ſunt. Detrahi non poteſt, quod non habetur: famam non habet, cujus publicus eſt defectus. Quid verò, ſi ſecretum alterius defectum prodam, ad meum dicentis bonum, vel ut obrutum mœrore ob alienas injurias animum exonerem, in conjuncti alicujus & prudentis animi ſinum; vel ut ab amico ſuper iiſdem conſilium exquiram; vel ad extremum, quia ſic oportet, ut famam ipſe meam tuear adversùs injuſtum invaſorem? Non magis peccas, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, quàm ſi vitæ tuæ defendendæ alterum cogaris vulnerare. Ita non peccavit Heſther, Amani peccatum aperiendo, ut ſe ſuoſque ſervaret. Quid ſi manifeſtem ad ipſius, de quo loquor, utilitatem? Modò ea utilitas procurari aliter non poſſit, non magis peccas quàm Joſeph, qui Gen. 37. eodem fine *accuſavit fratres ſuos* apud patrem *crimine peſſimo.* Qua de re etiam D. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 8. ad 4. Quid ſi in bonum tertii innoxii, cujus alioqui, vel fama, vel virtus, vel alia bona periclitabuntur? Non magis offendes, quàm Mardochæus, qui Aſſuero ſecretam Eunochorum conſpirationem aperuit. Quid ſi ratio boni publici id poſtulet? Et hoc multo magis: eamque ob cauſſam in ſacris ipſis Literis vitia multorum, quæ jampridem oblivio deleviſſet, tranſmiſſa ſunt ad poſteros.

XII. Obligatio reſtitutionis. Extra hos caſus planè conſtat detractionem non tantùm in gravi materia mortale peccatum eſſe, ſed etiam ad reſtitutionem famæ obligare, reparationémve integram injuriæ proximo illatæ. Neque enim caritas tantùm, ſed & juſtitia detrahendo, ut diximus, violatur: adeóque manet certiſſima obligatio reſtitutionis, imò & ſarciendorum damnorum, ſi quæ inde emerſerunt, abſolutione nulla generali, particularíve delebilis. Nec rationes ullæ excuſant; niſi, quod de furto dicitur, impoſſibilitas reſtituendi, etiam cum propriæ famæ detrimento, imò aliquando & vitæ. Fruſtra latæ ſententiæ conquirentur, ut nova iſtud excutiatur. Fruſtra recitabimr neſcio quis dicens, non teneri ad reſtitutionem, qui ex alterius narratione alterius defectum notabilem recitat: eò enim magis tenetur, quòd rem adducto auctore aut teſte facit credibiliorem. Niſi ergo reſtituatur ablatum, non

dimittitur

dimittitur furtum: & valet moltò magis in majoris boni violatione, quod de minore bono ablato pronuntiavit Auguſtinus epiſt. 54. & expendemus ſect. 5. Eccleſiaſtæ ſanctiſſimi & doctiſſimi ſententiam pro omnibus unam audire operæpretium eſt. Dicebat ad populum D. Vincentius Ferrerius Domin. in Albis de hoc argumento: inter alia ſic ait: *Sicut fur tenetur ad reſtitutionem, ſic qui furatur famam proximi ex malitia: etiamſi ſit verum quod dixit, & erat ſecretum, tenetur ad reſtitutionem famæ, aliàs non poterit intrare paradiſum. Sed quæritis, quomodò reſtituet? Reſpondeo, quod coram omnibus coram quibus eſtis malè locuti, tenemini revocare dicendo, quod non credant.... etſi ille, qui eſt diffamatus ſcit hoc, oportet etiam ab eo petere veniam. Et multi damnantur ex iſtis diffamationibus, quia verbum tranſit, deinde non curant, nec confitentur, nec inde ſibi faciunt conſcientiam.* Addit deinde, ſi quis reſtitutâ famâ alicujus præmoriatur ante petitam ab infamato veniam, aliquando à Deo adigi ad id præſtandum poſt mortem: idque probat eventu rei ſibi notiſſimæ. Duo alterius famam graviter violârant, & unus quidem eorum, uti & is cujus fama eſt læſa adhuc in vivis ſunt. Alter mortuus, aliquanto tempore in purgatoriis flammis expiatus eſt: unde liber, non illicò evolavit in cælum, ſed ante veniam juſſus eſt petere ab infamato. *Et ego ſcio,* inquit Vincentius, *illud eſſe verum, quòd anima redut; quia ego ipſe fui diffamatus, & à me veniam petiit.* Iſtud tantæ auctoritatis monitum & exemplum, etſi à Drexelio cap. 16. de detractione etiam relatum, præterire hoc loco non debui.

XIII. Sapientes vel umbram Detractionis timent.

Sapientiſſimè itaque viri verè Chriſtiani, caritatis & juſtitiæ cultores, & judiciorum Dei metuentes, ſic ſe & ſuos inſtituunt, ut non tantùm falſa de aliis mala confingere exhorreſcant: ſed etiam vera, ſi ſecreta ſunt, & à multis aut paucis ſciuntur, numquam propalent; niſi neceſſe omninò ſit, uti diximus, ad bonum dicentis, vel bonum ejus de quo dicitur, vel bonum tertii innocentis, vel bonum commune. Sciunt enim, quomodò infamia creſcere & extendi ſoleat, circulorum inſtar in aqua ad lapidis jactum creſcentium: adeóque quàm ſit difficile, famam alteri ablatam reſarcire. Imò ita à detractione abhorrent, ut etiam, quod tamen detractionis non eſt, ipſa publica mala parciſſimè vel ipſi narrent, niſi ad eoſdem fines, vel lubenter audiant, quandoquidem abundè ſuppetat alia & melior loquendi materia. Sin autem erumpat aliquando vel inadvertentibus, vel verum notumque eſſe cenſentibus, narratio aliqua, cujus poſteà vel falſitatem vel ſecretum deprehendant, non antè conquieſcunt, quàm, ſi fieri commodè poteſt, eos qui audiêre commoneant. Quod ſolitum facere ætate noſtra Card. Rupefucaldium, ſi quando aliquos urbis rumores vanè retulerat, auctor eſt qui vitam ejus ſcripſit. Nimirum, *Abominatio hominum detractor*, Prov. 24. Nec hominum ſolùm, ſed & Dei: nam *detractores Deo odibiles*, Rom. 1. Et ideò, *Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Prov. 21.

SECTIO QUARTA.

Contumeliæ natura expenditur.

I. Contumelia quomodò differat

ACCIDIT aliquando ut ejuſdem matris liberi tam ſimiles ſint, ut vix internoſci niſi à curioſis poſſint, imò & aliquando ſint ipſis gratus parentibus error. Duæ valdè malæ filiæ ex mala matre Injuſtitia, obſtetricantibus vel mala conſuetudine, vel ira, vel odio, vel vindicta, vel invidia progenitæ Contumelia & Detractio adeò lineamentis inter ſe reſpondent, ut non homines ſolùm de vulgo, ſed etiam Theologi illas inter ſe vix diſtinguant: præſertim quando detractio pervenit ad infamatum; tunc enim induit etiam naturam contumeliæ: & quando contumelia latè ſpargitur, fitque coram pluribus, tunc enim induit naturam detractionis. Iis itaque caſibus, non tantùm ſunt ſimiles, ſed & conjunctæ, ſicut monſtra hominum bicipitum aut bicorporum. D. tamen Thomas more ſuo clariſſimè utramque diſtinguit, 2.2. q.73.a.1. Poſtquam dixit, ut percuſſione & furto poteſt quis lædi dupliciter, manifeſtè ſcilicet & occultè, ita & verbo: *Unde*, inquit, *patet, quòd detractio differt à contumelia dupliciter. Uno modo, quantum ad modum proponendi verba, quia ſcilicet contra aliquem manifeſtè loquitur: detractor autem occultè. Alio modo quantum ad finem intentum, ſive quantum ad nocumentum illatum: quia ſcilicet contumelioſus derogat honori, detractor famæ.* Quid autem eſt honor, quid fama? Quomodò diſtinguuntur? Fama eſt exiſtimatio communis de aliquo. Honor eſt teſtificatio exterior boni, quod in aliquo agnoſcitur: non dico exhibitio reverentiæ, poteſt enim quis honorare quem non reveretur, ut Deus amicos ſuos, Rex ſubditos. Omnis itaque reverentia honor eſt, non contrà.

à detractione.

II. Contumelia eſt Realis aut Verbalis.

Hinc habemus, quid propriè ſit detractio, quam D. Thomas definivit denigrationem alienæ famæ per verba occulta: generaliùs definiri poſſit, eſſe quidquid alteri parit injuſtam infamiam, vel bonæ famæ, in cujus poſſeſſione eſt, diminutionem. Contumelia verò, eſt detrimentum illatum honori alterius per contemptum injuſtum, unde etiam dicunt contumeliæ nomen ortum à contemnendo. Quæramus duo de hoc injuſtitiæ genere contra quartum proximi bonum: primùm, an ſit grave peccatum? Alterum, an gravius detractione? An grave, quis dubitet, ſi Chriſti verba attendat Matth. c. 5. & ipſam rei naturam. At, ô bone, inquit aliquis, videſis quid pronunties. Peccatum mortale ſit contumelia, res tam frequentata? Appellabitur à ſententia tua. Ad cujus autem tribunal appelletur? Ad D. Thomæ judicium? Mox audies. Ad rationem? Et illa loquitur. Ad Chriſtum? Sed legiſlator ipſe eſt, & interpres legis adversùs contumeliam ſcriptæ. Examinemus tamen preſſiùs & particulariùs, ut ſe iſta habeant. Statuitur vulgò duplex contumeliæ genus, Realis, & Verbalis. Realem vocant, quando fit aliquid vergens in alterius contemptum: percutitur Michæas propheta à Sedecia pſeudo-propheta, Paullus à ſatellite juſſu Pontificis: decurtatis veſtibus dimittuntur per Ammonitas ſervi Davidis: David ipſe lapidibus appetitur per Semei: Chriſto tota Paſſio fuit in iſto genere contumeliæ atrociſſima. Verbalem vocant, quando quis appetitur verbis deſpicientiam ſonantibus, vel ſignis vice verborum, quales ſint nutus, ſubſannationes, ſcripta, libri impreſſi. Et hoc poſtremum genus conſtat eſſe tantò acerbius, quantò latius contemptus & infamia diſpergitur. Tanti certè id crimen olim fuit: ut apud Romanos capite lueretur. Teſtis eſt Arnobius lib. 4. cont. Gent. *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impunè.* Explicatiùs Auguſtinus lib. 2. de Civit. cap. 29. verbis Tullii ex 4. de Rep. *Noſtra contrà duodecim tabulæ,*

cùm res perpaucas capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis occentaviſſet (id eſt, Feſto explicante, ſi clarè convitium aliquod occinuiſſet, quod dicimus, *chanter pouilles*) *ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret flagitiúmve alteri.*

III. Triplex cõtumelia verbalis. Convitiũ quintuplex.

Iſthæc peccata gravia fuerint. Sed de contumelia verbali, quid dicemus? Ea tamen contumeliæ nomine potiſſimùm intelligitur, ex ipſius D. Thomæ ſententia, 2.2. q. 72. art. 1. in corp. *Contumelia propriè loquendo in verbis conſiſtit.* Unde Iſidorus dicit in lib. Etym. *quòd contumelioſus aliquis dicitur, quia velox eſt & tumet verbis injuriæ.* Sic ſumendo, ſpecies rurſum tres aliqui numerant, an accidentariè tantùm, an ſpecificè diſtinctas, parum ad nos. Prima eſt Convitium, quo alteri defectus ſeu naturales ſeu morales objiciuntur. Altera Improperium, quo ingratitudo exprobratur. Tertia Maledictum, quo imprecatio in aliquem jacitur, conjuncta cum contemptu: quà enim malum optatur alteri, imprecatio eſt contra caritatem: quà contemptus imprecatione ſignificatur, eſt contra juſtitiam. Sit gravis culpa maledictum, quia duplex: ſit improperium, cùm ad diſſolvendas amicitias nîl potentius videatur judicaſſe Siracides cap. 22. *Excepto convitio & improperio*, id eſt, convitioſo improperio. At ſimpléxne convitium omne ſit peccatum mortale? Quintuplex ſtatuere poſſimus, iiſdem planè gradibus & materiis quibus detractionem. Aut enim falſus cuipiam defectus ſeu moralis, ſeu naturalis, in os ingeritur: aut verus, ſed ſecretus: aut publicus & notus, ſed cum denotatione impingitur: aut bonum, propter quod honorari deberet, elevatur: aut obſcura tantùm dictione, vel interrogatione, judicium ſuſpenditur. En quinque contumeliæ formulas, eodem prorsùs ordine quo detractionis. Repetamus & examinemus ſingulas, ab ultima ſurſum redeundo.

IV. Contumelioſæ interrogationes.

Quinta eſt, cùm quis nec defectum apertè objicit, nec boni, quod in alio eſt, diminutionem indicat manifeſtis verbis: ſed dubia ſolùm interrogatione, cum certi accentus ac pronuntiationis nota, deſpicientiam innuit. Ita Eccli. 13. *Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & manus ori ſuo imponent. Pauper locutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic?* Pauperi non objicitur paupertas ſua & vilitas; indicatur tamen ſatis; & hoc etiam pacto, *Exprobratur factori ejus.* Ejus generis contumelia fuit, cùm Phariſæi tentantes ſignum à Chriſto quærebant de cælo. Neque enim iſti objiciebant, quod alii, magica ipſum ſigna facere: nec de miraculis quidquam diſertè minuebant: obſcurè tantùm ſignificabant iſta quæſtione, ſeſe de miraculis dubitare. Ita apud Annam Pontificem interrogatio ipſa de diſcipulis & doctrina Chriſti, quia dubitationem innuebat, plena fuit contumeliæ, etſi apertè nihil exprobraretur. Et eò quidem interdum acerbior eſt iſtiuſmodi interrogatio, aut ſuſpenſa dictio, quòd plus longè relinquit cogitandum, quàm ſi diſertis verbis convitium aliquod exprimeret. Impingatur alicui hoc ſolum: Quem ergo te cenſes? Ecquis tu es? Neſcitur, quis ſis? Jam in ambiguo relinquitur, an defectus aliquis naturalis intelligatur, an moralis; verúſne, an falſus: atque adeò undique petitur honor, quia ex parte nulla deſtinata petitur. Prorſus ut in detractione accidit: quando frigidum illud, *Sed*, in laudes alienas inſeritur; vel, ubi loquendum ad commendationem fuerat, obſtinatè ſiletur; vel generatim dicitur de homine tamen non ignoto, Quis ille ſit, parum ad me: Per me ſit qualis vult: Sine ſibi ipſum: Quem putatis? Similibus loquendi formulis fama longè graviùs interdum læditur, quàm ſingulari aliquâ & denotatâ detractione: quia per illas vaga relinquitur audientibus libertas, quidvis ſibi fingendi, & ſuſpicandi.

V. Laudes Contumelioſæ.

Altera formula eſt, quando in os alteri honorificum aliquid opponitur, ſed eo accentu, vel nutu, ut cordatus non difficulter deſpicientiam intelligat. Ita Phariſæi, ante petendum à Chriſto ſignum, præmittunt honorificam ac veriſſimam appellationem, *Magiſter.* Sed quia malo id animo dicebant, à Chriſto audire merentur, *Generatio prava & adultera.* Aliàs magno cum verborum ambitu dicunt veriſſimè, *Magiſter, ſcimus quia verax es*, &c. Ad quas appellationes redditum à Chriſto contrà verum ſed acerbum elogium, pro ipſorum meritis: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Quamquam aliqui forſan dicere poſſint, in iſtis Chriſti titulis magis ſimulationem latuiſſe, quàm contumeliam: ideóque pravos, adulteros, hypocritas à Chriſto nominatos laudatores. Manifeſta fuit cum laude contumelia quando miſſi ab Achabo ad Eliam pentacontarchi *Virum Dei* appellarunt, ſed contemptim: ideóque ignis de cælo devocatus devoravit quinquagenarios cum ſuis. Ejuſdem generis eſt convitium, quando ſtatus aliquis laudabilis probri loco objicitur; uti olim, ob philoſophos aliquos vitioſos, omnes ſapientiæ amatores in contemptum vocati; etſi ob aliquos malos fabros, non omnes continuo fabri vapularent, ut conqueritur Epictetus apud Arianum l. 4. cap. 6. Ita Helvidius omnes promiſcuè virgines inſectatus, quia aliquæ erant tabernariæ: cui Hieron. reſpondet, in calce opuſculi, *Numquid virginitatis eſt culpa, ſi ſimulator virginitatis in crimine eſt?*

VI. Objectio contumelioſa verorum & publicorum defectuum.

Communiſſimus convitiandi modus ille eſt, quem tertio loco propoſuimus, quando mala vulgò nota alicui objiciuntur, quæ nihilominus acriter pungunt: non quia non vera ſint, aut non publica, ſed quia objiciuntur cum contemptu; cujus hominum quilibet impatiens eſt, extremæ quamvis conditionis, & fortunæ. Paupertatem objice pauperi tamquam probrum, acerbè ſentiet. Quid verius, quàm Chriſtum fuiſſe filium Mariæ, fabrum, fabri filium ſive alumnum? Exprobratur tamen ab invidia, tamquam dedecoroſum. Quid certius, quàm Roboamum fuiſſe nepotem Davidis, pronepotem Iſai? Contumelioſa tamen Iſraëlitarum plebs illo telo utitur, ad animum ipſius vulnerandum, 3. Reg. 12. Eliſæum nemo non videbat calvo capite eſſe: notum tamen quid pueris contemptim eum appellantibus acciderit, 4. Reg. 2. Sterilitas Annæ notiſſima erat, ideóque impingebatur à Phenenna, cũ acerbiſſimo dolore percuſſæ, 1. Reg. 1. Non poterat non videri ex D. Paulli ſermonibus, ipſum linguæ Græcæ peritiſſimum non eſſe: neque ideò non peccabant Athenienſes, qui contemptim eum vocabant *Semini-verbium:* & Paullus ipſe de Corinthiis queritur, quòd præſentiam corporis infirmam ipſi objicerent. Mulierem in civitate peccatricem omnes ſciebant: Publicanum pro ejus ætatis conſuetudine fæneratorem eſſe, ne ipſe quidem à longè ſtans diffitebatur. Peccavit nihilominus Simon peccatricem denotando, & Phariſæus publicanum raptorem nominando: quamvis aliquid ipſis ad contumeliæ rationem defuit. Maximè autem acerba ſunt iſta convitia, ſi per ludibrium fiunt, & cum ſarcaſmis; quorum morſus tanto altiùs imprimitur, quantò leviùs videtur infigi. Tertull. 1. adv. nat. *Contemptus honeſtior eſt habens quamdam ſuperbiæ gloriam: venit enim etiam*

aliquando

aliquando de fiducia vel conſcientia ſecuritate, vel naturali ſublimitate animi. Deriſus verò quantò laſcivior, tantò denotatior ad contumelia modum. Ratio vera ex rei natura eſt, quòd irriſin de ſe ex majori enntemptu procedat, & magia ex deſtinato; adeóque magis habeat naturam peccati à conſilio, magiſque naturam contumeliæ ex deſpicientia.

VII. Objectio verorum, ſed ſecretorum. Plurimum creſcet magnitudo injuriæ, ſi verus quidem defectus ſed occultus ingeratur, quod proximè ad Detractionem accedit, impactionémve ſecretorum defectuum. Quis ſcire potuerat præter Saülem, quod ipſe Jonathæ de matre ejus uxnre ſua objecit, *Fili mulieris virum ultrò rapientis*; & paullò pòſt in opprobrium tuum *& ignominioſa matris tuæ?* Quibus verbis, & comminatinne ſubſecuta, percuſſus ita fuit animus Jonathæ fortiſſimi juvenis, ut ea die non comederet panem. Moſes zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam, coocitus Ægyptium Iſraëlitæ inſultantem occiderat, conſcio quidem, ut rebatur nemine, niſi eo qui periclitabatur: rixantium Iſraëlitarum unus, cùm rixæ intercedere ille voluiſſet, bnmicidium ipſi objecit. Quantum inde animo Moſis vulnus infixum, quantumque diſcrimen, ob quod voluntario ſeſe multorum annorum exilio damnavit?

VIII. Objectio falſorum. Duriſſima omnium contumelia eſt, cùm falſa ingeruntur: quod hominum nemn niſi deſperatæ & projectæ conſcientiæ facere ſolet. Alias ſæpè mala coofuetudo protrudet. Sæpè etiam hominibus bilioſis, incivilibus, & duri oris ſubitus iræ motus excutiet: & tempeſtatem faciet, in cacabo, in re admodùm levi. Aliquando odium, aut vindicta, aut fraternæ caritatis invidentia per iſtas voces erumpent. At hoc genus contumeliæ, quomodò & calumniam peſſimum detractionis genus, numquam procudit niſi animus veneno plenus, & conſummatæ nequitiæ voluntas. Ejus ferè generis fuerunt contumeliæ omnes Chriſtn impactæ, *In Belzebub princ. dæm.* &c. Tob. 3. Sara vocatur ab ancilla *interfectrix virorum*; quantus inde tumultus in illius mente? Nabal 1. Reg. 26. vir durus & peſſimus Davidem non in os, ſed coram ſuis, vocat ſervum fugitivum. Quid inde periculi, à manſuetiſſimo licèt homine? Neque arma potentiora dæmon invênit, ut Jobi patientiam vulneraret, quàm ut ipſum percuteret *ulcere peſſimo*, quaſi ex peccatis proveniente: & amicos ſtimularet ad objicienda afflicto & innocenti peccata, unde iſtæ Jobi voces, cap. 19. *Quare affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus?* Nimirum ut ait Arn. l. 4. com. Gent. *Majoris contumelia res eſt, falſis quemquam notare atque inſignire criminibus, quàm vera ingerere atque objectare delicta. Quod enim ſis dici, & quod eſſe te ſentias, morſum habet minorem, teſtimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud verò acerbiſſimè vulnerat, quod muris innoxios.*

IX. Cõtumelia eſt peccatũ mortale. Redeamus ad caput. Iſtáne omnia convitia ſint peccata mortalia? Falſum facilè conceſſero: forſan & verum, ſi ſecretum. Sed an cætera? Si ſententiam nimis duram pronuntiâſſe videar, cùm dixi de ſe contumeliam omnem eſſe gravem, id eſt mortalem: D. Thomam potiùs audiamus, 2. 2. q. 72. art. 2. ubi quærit, *Utrum contumelia, ſeu convitium, ſit peccatum mortale?* Verba ejus annumero in corp. art. *Cùm convitium, & contumelia de ſui ratione importet quamdam dehonorationem, ſi intentio proferentis ad hoc fertur, ut aliquis per verba quæ profert alterius honorem auferat, hoc propriè, & per ſe, eſt dicere convitium aut contumeliam, & hoc eſt peccatum mortale, non minùs quàm furtum vel rapina. Non enim homo minùs amat ſuum honorem, quàm rem*

poſſeſſam. En rationem, ut vocant, ab antecedenti, ſive ex ipſa rei cauſſa, & natura. Rationem ex conſequenti, ſed etiam planè peremptoriam attulerat paullò antè, Argumento ſed contrà: *Nihil meretur pœnam æternam inferni, niſi peccatum mortale. Sed convitium vel contumelia meretur pœnam inferni, ſecundùm illud Chriſti Matth. 5. Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.*

At verò, inquis, quàm multi peccent mortaliter, ſi omnia cjuſmodi verba graviſſimis culpis accenſenda ſunt? Non jam de iis loquor, qui ex odio, aut invidia, aut vindicta, aut aliquo ejuſmodi corrupti animi vitio, contemptum evomunt. X. Quando liceat. Quis enim ſapiens id non concedat, eâdem ratiocinatione quâ D. Thomas uſus eſt? Sed illos, qui vel ex iræ ſubito motu rationis ductum occupante, vel levi aliqua ludificatione, vel etiam animo vitium alterius corrigendi, vel ad propriam defenſionem, tertiíve innocentis, aut boni communis, quibus etiam caſibus excuſatur detractio, contumelioſum aliquid proferant, an protinùs ſevera illa denuntiatione & damnatione feriemus? D. Joannem audio Phariſæos denotantem hoc acerbo titulo, *Genimina* viperarum. Chriſtus ipſe, caritatis ac juſtitiæ ſupremus Doctor & exemplar, quoties acerbis verbis in eoſdem eſt uſus? Ut ipſi conqueſti ſint, *Magiſter, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.* Angelicus Dnctor eam objectionem prævidit, & ut aſſolet dubium prævênit. Verba ipſius rurſum accenſeo. *Si aliquis verbum convitii, vel contumeliæ, alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, ſed fortè propter correctionem vel propter aliquid hujuſmodi, non dicit convitium vel contumeliam formaliter & per ſe, ſed per accidens & materialiter, in quantum ſcilicet dicit id quod poteſt eſſe convitium vel contumelia. Unde hoc poteſt eſſe quandoque peccatum veniale, quandoque autem abſque omni peccato. In quo tamen neceſſaria eſt diſcretio, ut moderatè homo talibus verbis utatur, quia poſſet eſſe ita grave convitium, quòd per incautelam prolatum auferret honorem ejus, contra quem proferretur, & tunc poſſet homo peccare mortaliter, etiamſi non intenderet dehonorationem alterius. Sicut etiam ſi aliquis incautè alium ex ludo percutiens graviter lædat, culpâ non caret.* Diſcretio autem illa quam commendat D. Thom. eſt regula aurea Chriſti, *Quodcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quàm velles honorem tuum ab aliis reverenter, aut amicè tractari? Velles falſum etiam joco impingi? &c. Idem eſto erga alios.

Veræ & formalis contumeliæ gravitas multis ex capitibus creſcere poteſt. Ex parte proferentis. XI. Gravitas peccati augetur. Si perſona conjuncta eſt; nam *ſi inimicus maledixiſſet, ſuſtinuiſſem utique*: ſed quia homo unanimis id fecit, ideò *conturbatum eſt cor meum & dereliquit me virtus mea*, pſalm. 37. Si perſona gravis, & in bona exiſtimatione: magis enim ferit contemptus à tali profectus, quia magis notatur: aculei apum magis pungunt, quàm veſparum. Ex parte ejus qui læditur. Si perſona eſt honore prorſus digna, ex vita, ſcientia, dignitate: ſi Eccleſiaſtico, ſi patri, ſi magiſtratui quis contumeliam facit, manifeſtum eſt proportione dignitatis creſcere. Si afflicto fit convitium, res etiam duriſſima eſt, quia additur afflicto afflictio prorſus inhumana: &, ſicut loquitur Chryſoſt. hom. 1. de Anna, ſicut acerba vulnera ne contactum quidem ferunt, ita homo jam afflictus, & conturbatus, vel leviſſimo verbo mordetur. Itaque pſalmo 68. horribilis maledictio proponitur, iis qui *ſuper dolorem vulnerum addiderunt*, ſeu ut Septuag. legunt, *narraverunt*: & Abdias monet: *Non magnificabis os tuum in die anguſtiæ, quoniam ſicut*

feciſti, fiet tibi. Ex parte item eorum coram quibus ſit cuntumelia: ſi honorati ſunt, ſi magnus eſt conſeſſus, ſi ulteriùs ſunt divulgaturi; ut contemptus tranſeat in infamiam, & contumelia veneno ſuo non depoſito virus ſimul detractionis aſſumat, ſitque ſimul vipera & regulus. Sed iſtis omiſſis, quæ facilè à quolibet æſtmari poſſunt ex ſemetipſo: quætamus potius, Utrum ſit majus peccatum detractio an contumelia.

XII. An ſit gravius peccatum detractione?

Certum eſt detractionem eſſe contumeliâ periculoſiorem; quia illa occultè & per cuniculos, hæc aperto Marte impetit: illa eſt, ſicut ſi mordeat coluber in ſilentio; hæc ſicut, ſi cui occurrat leo vel urſus. Faciliùs autem caventur aperta mala, quàm occulta: & optabilius eſt hoſtem nôſſe, quàm neſcire. Certum item eſt detractionem eſſe pervulgatiorem, quia ſine metu profertur; & ad hoc quivis, quantumvis timidus & ſtupidus, ſufficit. Contumelia autem, ut plus habet interdum præcipitationis, & bruti affectus, ita & audaciæ. Certum item eſt, eſſe apud viros probos & honeſtos odioſiorem. Etſi enim vix ullus lubenter verſatur cum hominibus contumelioſis, qui aſſueti in verbis improperii, in omnibus diebus vitæ ſuæ nun erudientur, ut Siracides monet cap. 23. Tamen minùs læduntur aures proborum alienâ contumeliâ, quàm detractione ſecreta: ut Sapiens monuerit de detractione, non autem de contumelia, *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam detrahentem noli audire.* Dixi eſſe odioſiorem bonis: nam improbis, & invidis, & odii veneno tumentibus, ac ſuperbis, qui alieno malo gaudent & amant ulcera ſicut muſcæ: illis non minùs gratus eſt detractor quàm contumelioſus. Quærimus ergo, utrùm detractio in ſe ex natura ſua, & ſecluſis circumſtantiis, ſit peccatum contumeliâ gravius? Pendet reſponſio à magnitudine boni, quod per utrumvis peccatum tollitur. Famam aufert illa, hæc honorem. Eſtné fama bonum majus honore? Sic videtur, quia diffuſius, durabilius, honore anterius, cui inſtar fundamenti ſubſternitur, ſine quo eſſe poteſt; cùm honor ſine fama bona vix eſſe, aut diu non poſſit. Tamen plerumque contumelia pejor eſt detractione, quia detractionis mater: adeóque non tantùm obligat ad ſatisfactionem, ſed etiam ad reſtitutionem famæ, atque ad reparationem damnorum omnium, ex contemptu & infamia apud quoſvis ortorum.

XIII. Remedium adversùs verba.

Claudamus haſce duas ſectiones brevi monito ad eos qui detractionibus vel contumeliis appetuntur. Non diſcedo à ſententia mea: curam honoris & famæ non abjicio; modò juſtè, non ex vindicta, exigatur reparatio, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, & modò ea ſit injuria, ut ſit operæ pretium reparationem exigere. Alioqui de rebus parvis ſerere lites, idem eſt ac medicamenta vehementia ſumere ad levis catarrhi ſuſpicionem. Si ergo grave malum eſt, urgeatur reparatio. Auctor unus pro omnibus accedat Auguſt. lib. de bon. viduit. cap. 22. *Quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra.* Ut non tantùm poſſit quis juſtè reparationem urgere, ſed etiam interdum debeat, ſi inde pendet utilitas plurium. At verò cùm iſtud periculum abeſt, longè magis expedit contemnere contemptas, & contemnentes, nec manus ſuas collutulare, cœnum quod in nos conjecêre contrectando. Auguſtini conſilium eſt ibidem: *Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planéque etiam gaudium, quia merces noſtra magna eſt in cœlis.* Ad iſtam conſiderationem addat, ſi lubet, & hanc humanam, ex eodem Auguſt. in pſalm. 34. plus ſibi nocere obtrectatorem vel convitiatorem, quàm alteri. *Nemo malus, qui non ſibi priùs noceat. Sic enim eſſe putate malitiam, quomodò ignem. Incendere vis aliquid aliud: illud quod admoves priùs ardet. Niſi ardeat, non incendit. Facula eſt, hanc faculam apponis, ut aliquid incendat. Nunquid non ipſa facula, quam apponis, prior ardet, ut aliquid poſſit incendere?* Ita prorſus res habet: exurit ſe, qui alium verbis vult urere: famam ſuam urit apud cordatos: animam ſuam urit apud Deum. De cordatis omnibus dicit Chryſoſt. hom. 3. ad pop. *Habes, quod laudes? Aures aperio: unguenta infunde. Si male vis dicere, cœnum & lutum non recipio.* De Deo dicit Propheta pſal. 50. agens de detractorum, calumniatorum, convitiatorum exemplari Doëg: *Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa. Propterea Deus deſtruet te:* ſi non jam in ipſo peccati articulo, at intra annum: ſi non tunc, at intra aliquot annos: ſi non in hac vita, at æternitate. Citò, an ſerò, peccatum à Deo non erit impunitum.

SECTIO QUINTA.

De injuriis in bona fortunæ.

I. Opes cur vocentur bona.

ADEÒ corrupta ſunt vulgò hominum judicia de bono, ut non boni tantùm ſed etiam bonorum nomen dederint infimis omnium bonis, & quæ appellationem iſtam ex ſe non merentur. Bona vocant divitias: poſſideri ab eo multa bona dicunt, qui latifundia tenet; latè negotiatur; in arca multum auri & argenti claudit, velut in carcere; nomina plurima ſcribit in codicibus, lautam ſupellectilem, pretioſam veſtem, domus ornatas & multas habet. Itáne, ô cæci, illa vos bona vocatis, etiam poſteaquam à Chriſto audiſtis deſcriptum infælicem divitem Luc. 12. qui ſecum ratiocinabatur, *Anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos?* Cur autem ita appellatis? Eo quòd forſan in ſe talia ſunt? Nequaquam: non enim de ſe iſta bona ſunt; ſed tantùm, quia ad aliud referuntur. Juvant opes ad honorem comparandum: *Aurea nunc verè ſunt ſæcula, plurimus auro Venit honos.* Famæ tuendæ utiles ſunt: vitæ ſuſtentandæ, ſanitati firmandæ aut recuperandæ ſubſerviunt. Ad ſcientias etiam comparandas conducunt: imò & ad virtutes nonnihil valent, eo ſaltem ſine à Deo donantur; etſi mala hominum voluntate vertantur in muſcipulas pedibus inſipientium.

II. Quintupliciter in illa peccatur.

Bona itaque infima ſunt, nec bona niſi quia utilia: atque adeò injuriarum, quibus violantur, gravitas, ex ſolius utilitatis violatione petenda eſt. Ut ſi cui damnum in re magnopere utili feceris, graviter peccâris; ſecus ſi in re vel prorſus inutili vel parum utili. Sed ante pronuntiandam ſententiam inſpiciamus 1. Quot modis adverſus illa bona peccetur. 2. Quintuplicem efficacem conſiderationem adhibeamus, ad odium peccatorum incutiendum. Triplex peccati nominati genus in ſcholis numerant, ſub quibus innumeræ fermè injuriarum ſpecies colliguntur: primum, nominant Furtum: alterum, Rapinam: tertium, Damnum. His adde alia duo innominata genera: primum, quod pertinet ad juſtos contractus non impletos, vel ad prætermiſſam teſtamentorum executionem:

alterum,

alterum, quod ſpectat ad non exſoluta, quæ ex juſto præcepto debebantur, ot trihuta & decimas. Quare etiam in hac materia, uti & in aliis, quinque juſtitiæ plagas deprebendemus, & idoneis medicamentis curare conabimur, ſolveréque *colligationes impietatis*, ut ineunte Quadrageſima oos Eccleſia monuit ex Iſa. cap. 1.

III. Furtum quid? In ea amplitudine materiæ, vix alind poſſumus, quàm obiter ſingula perſtringere: & verò cum ſcientibus loquor. Quis enim, etſi etymologiam nominis à fraude, vel à ferendo, vel furto & nigro, ut traditur l. 1. ff. de Furtis: quis inquam iſtud neſcit D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 3. *Furtum eſt occulta acceptio rei alienæ?* Quis item neſcit neceſſarium iſtud additamentum Theologorum, quod etiam D. Thomas iotellexit, *invito rationabiliter domino?* Si enim invitus non eſt, jam non eſt alienæ rei acceptio: aut ſi invitus eſſe non deberet, quia qui capit vel extrema neceſſitate preſſus id facit, vel tacita injuriæ, ad eam proportionem ſibi certò illatæ, compenſatione. Sic Rachel, Geo. 31. furata eſt idola patris ſui: à quo, per injuſtiſſimam oppreſſionem, Jacob maritus debita laborum mercede fruſtratus fuerat. Ita Excurſ. 12. Iſraelitæ à vicinis Ægyptiis vaſa plurima mutuari, ea retinuêre, tamquam rem ſuam: non tantùm quòd ſupremus rerum omnium dominus ita juſſiſſet; ſed etiam, quia Ægyptii compeoſationem de injuſtè oppreſſis Iſraelitis debebaot, nec perſolverant.

IV. Variæ ſpecies. Quid autem jam varias furtorum diſſectiones annumeremus? Primam à tempore petitam: ut ſi quis interdum furetur, aut noctu: inter quæ furta lex tam multùm diſtare voluit, ut fur nocturnus impunè occidatur; diurnus non, niſi telo ſe tueatur. Alteram ſumptam ex loco: nam profana, quæ in profano capiuntur, ſimplicis furti materia ſunt: etiam profana, ſi io ſacro loco ubi depoſita & credita ſunt capiuntur, ſacrilegium conſtituunt, uti 2. Mach. 3. quamquam ibi non furtum proprè fuit, ſed rapina. Tertiam ex ipſa materia: ſi enim res ſacra, etiam in profano loco, ſubripitur, ſacrilegium eſt: ſi publica res, ad ærarium commune aut fiſcum pertioens, capitur, peculatus eſt: ſi pecora abiguntur, abigeatui nomeo factum: ſi mancipium domino auffertur, aut filius, plagium vocatur, à plaga quam infert. Nomina tantùm recenſeo. Adde illis ſecreta alia & larvata furtorum genera, quæ difficillimum ſit in claſſes ſuas digerere, cùm etiam deprehendere difficile ſit. Hinc vulgaris ille apologus enatus: Dæmonem ex injuſtitia matre tres filias ſuſcepiſſe, quas, cùm adoleviſſent, & elocare in matrimonium nequiret, quod monſtroſæ eſſent, pigmentis aliquid formæ illis dare conatum. Inde Furto datam Artis & Ioduſtriæ imaginem: Simoniam Gratitudinis ac Penſionis habitu veſtitam: Uſuram ſpecie Lucri ceſſantis, aut Damni emergentis, pulcrè indutam. Sic amatores & procos innumeros undique advolâſſe, ad tam opulentarum, neque ut fama ferebat deformium ac monſtroſarum amicarum, connubia certatim ambienda: paſſimque editos ex iis nuptiis liberos vagari, & injurias pulcra appellatione tectas circumferre.

V. Rapina quantum peccatum. Rapina tam aperta & fæda eſt, ut arte nulla dæmon fæditatem illius contegere potuerit. Habet enim quidquid in furto turpe eſt, rei ſcilicet alienæ acceptionem: cui accedit nova injuria, vis illata patieoti rapinam; ſive ea vis inferatur ſioe armis, & privata appelletur; ſive arma adhibeantur, ideóque ſit publica. Duplex igitur homini per rapinam fit injuria, prima fortunis, altera vitæ, aut libertati, aut honori: vitæ ſaltem inchoativè, ſi læditur; libertati, ſi injuſtus metus iocutitur; honori, ſi contemptus indicatur. Et hinc rapinæ crimen ſimplice furto longè gravius eſt, ut benè Chryſoſtomus ſuis inculcabat homil. 10. in 1. ad Theſſ. *Facilius quis mille talenta ſponte dabit, & nihil ſe paſſum eſſe putabit, quàm ut tres obolos præter animi ſententiam* (id eſt, vi illata) *abreptos, manſuetè ferat. . . . Qui dolo & clam quid patitur, dolet quidem: verumtamen habet conſolationem non modicam, quòd etiam ab eo metuitur, per quem injuriâ læditur. Qui verò præterquam quòd malis afficitur, contemnitur etiam, ne violentiam quidem ferre poterit. Eſt enim major irriſio. Dic mihi, ſi quis adulterium cum muliere clanculum perpetraret; alius verò illud etiam viro vidente faceret, uter viro majorem moleſtiam & triſtitiam afferret? Hic certè ad peccatum, adderet etiam contemptum. Ille nil quidem boni faceret; malum tamen cum metu viri à ſe patrari oſtenderet. Ita in pecuniis agitur. Hic quidem occultè auferens, hoc ipſo quod clam auffert, læſum non contemnit, imò velut honorat: ille vere manifeſtè, ac publicè, cum damno ſimul & contemptum infert. Ceſſemus igitur, quæ ſunt aliorum, rapere, tam pauperes, quàm divites.* Benè divites & potentes Chryſoſtoious monet, oon pauperes tantùm: horum enim ſunt ferè furta, quia magis metuunt: illorum ſunt rapinæ, quia leges non timent. Inde illa publicorum prædonum ac latronum, veriùs quàm Principum, ac Regum, nomina in ſacris Literis, aliiſque hiſtoriis relata, in provincias alienas ac poſſeſſiones pro libidioe involantium. Inde Senecæ de ævo ſuo querimonia, lib. 7. de Benef. utinam & de noſtri ævi moribus, pleriſque ſaltem in locis, vera non foret: *Si tibi vitæ noſtræ vera imago ſuccurret, videberis tibi videre captæ cum maximè civitatis faciem, in qua, omiſſo pudoris rectique reſpectu, vires in conſilio ſunt, velut ſigno ad permiſcenda omnia dato. Non igni, non ferro abſtinetur. Soluta legibus ſcelera ſunt. Nec religio quidem inter arma hoſtilia ſupplices texit: nullum impedimentum eſt ruentium in prædam. Hic ex profano, hic ex publico, hic ex ſacro rapit: hic effringit, hic tranſilit; hic, non contentus anguſto itinere, ipſa quibus arcetur evertit, & in lucrum ruinâ venit. Hic, ſine cæde populatur, hic ſpolia cruenta manu portat. Nemo non fert aliquid ex altero.*

Etſi rapina adeo flagitioſa ſit, haud ſcio tamen, an Damnum, alteri ſine injuſta acceptione datum, illâ non ſit ſcelecatius. In Rapina enim commodum ſaltem rei, quæ rapta eſt, non perit utrique: in damno autem neuter commodo fruitur. Inhumaniſſimum autem eſt alteri nocere, ut ſolo nocumenti gaudio, ſine alio fructu & utilitate, perfruaris: uti ſi quis ex mera vindicta meſſem alienam corrumpit: Si quis ex invidia arborem cædat, vitem ſuccidat, pecus ioficiat. Io ea claſſe numerandus Abſalon, cùm Joabi ſegetes exurendas curavit: quamquam id ſpectavit hoc incendio, ut Joabum ad ſe venire recuſantem damno evocaret. Accenſendus etiam fuerat Samſon, quando, Jud. 15. vulpium exercitum ignes circumferentium immiſit in maturas Philiſtinorum meſſes: quamquam & hoc juſtè factum ex publica in hoſtes ultione. Injuſtè autem Rex Babylonicus Templum ſuccendit, ne Judæi uterentur. Injuſtè Aotiochus Epiphanes, & ejus emiſſarii, domos Hieroſolymitanas, evertêre, portas Templi ſuccendêre, muros civitatis diruêre, non alio jure quàm tyrannorum. Injuſtiſſimè & inhumaniſſimè Nero domibus civium ſuorum flamas immiſit, noo alio emolumento quàm crudelis in eo ſpectando voluptatis. VI. Damnum datum directò.

VII. Indirectè.

Directa iſta ſunt damna, ut aiunt : indirecta & ex obliqoo venientia tot ſunt, quot emergunt ex injuria in animum, aut corpus, aut famam, aut honorem proximi. Vi aut minis aliquis ad peccandum inducitur, aut ſcientia non excolitut cùm debeat: inde neque ipſe ſibi de vitæ ſobſidiis providere poteſt, neque ab aliis accipere: damnum igitur tantum illatum eſt, quantum ex ea cauſſa de vitæ ſubſidiia decedit. In vitam alterius, aut membra, involatut : fortunarum inde multa diſpendia, ſi familia ab occiſi induſtria pendebat, ſi ob vulnus impenſæ in medicos faciendæ, ſi ad laborem vires non ſufficient conſanato, ſi tempus & occaſio lucrorum perit. Famâ integritatis, fidelitatis, ſcientiæ, aliáve injuſtè læsâ, excluditur quis à dignitate, gradu exuitur, retatdatur ac diſtinetur, domo pellitur, in famulatum dare ſeſe ampliùs non poteſt : fluxit omne iſtud damnorum genus ex uno fonte infamiæ. Contemptu per cootumeliam illato, cogitur quis ad vitæ periculum, amicis ſpoliatur, in lites & tribunalia multùm pecuniæ debet conſumere : quidquid, & quantum eſt, iſtud detrimentorum à contumelioſo provênit, Fruſtra autem tum hìc, tum alibi, excuſaverint, ſeriem illam à ſe non prævisam, cùm ptævidere & debuerint & potuerint. Quò etiam ſpectant damnum quod infectum vocant, pendetque ſolùm & minatur, adeóque ipſa comminatione injuſtum eſt: multò magis, ſi is cui minatur mooeat, quod etſi non moneret, alteri tamen proſpiciendum foret.

VIII. Alia duo genera injuriarum in bona fortunæ.

Quod autem attinet ad injurias bonis alienis illatas, contractua juſtos non implendo, tam vaſtum id eſt, quanta contractuum numeroſitas; nominatorum, ionominatorum, inter conjunctos, diſſitos, civea, advenas, privatos, rempublicam: quàm latè patere poſſunt vis, fraus, metus, dolus, negligentia, infidelitas. Vix enumerare ſuffecero promiſſa fraudata, donationes neglectas, depoſita contrectata, malè commodata, elocatioonm fraudes, vendirionum circumvenriones, mutui lucra ſupra periculum aut detrimentum, tranſactionom & arbitriorum revocationes, monopolia & conventiones negotiatorum & opificum, mercedis fraudationes, laboris deductiones, aliáque iſtiuſmodi infinita. Utinam apud Chriſtianos tanta eſſet in cavendis voluntas, quanta in cognoſcendis intelligentia. Ad ſcbolas opus non eſt mittere, ut diſcantur : io foro, in tabernis, in officinis, in agris, in carrucis, in navibus, in ſilvia ipſis & antris, artium illarum magiſtra avaritia diſcurſat : obloquente tamen ubique conſcientiâ, aut tacitè ſaltem ſubmurmurante illud, ex rationis numquam muto præcepto : *Quod tibi ab altero fieri non vis, alteri ne feceris.* De fraudatione debitorum ex juſto præcepto, qualia ſunt tributa & decimæ, conſtat laxiorum quorumdam Theologorum ſententias perperam à quibuſdam iotelligi, & longè pejus ab aliquibus in ptaxin deduci. Citra injuſtitiam enim reipublicæ negari nequit, ſine quo nec ptofana adminiſtrare poteſt, nec ſacra curate, nec debitis oneribúſque communibus ſerendis par eſſe. Itaque in ſacria literis commendatur, ut reddant Chriſtiani *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Rom.13. & æquum omninò eſſe, ut metant carnalia, id eſt temporalia, qui ſpiritualia miniſtrant.

IX. Culpæ illæ omnes noxiæ ſunt rebuſpublicis, & familiis.

Iſtis pro te nata ſufficienter iodicatis, injuſtitiæ remedia quinque profero, petita ex malis, quæ alienarum fortunarum injuſtam violationem ſequuntur. Primom eſt reipublicæ totius. Diu enim illa ſtare non poteſt, ſi paſſim juſtitia, potiſſimum civilis ſocietatis firmamentum, concutitur. Sufficiunt quæ ſuper ea re diſputavimus Excurſu ad c. 7. ſect. 1. & 3. hujus præſertim num. 1. 2. 3. Sed quia plerumque avidi alienorum homines parum communi clade tanguntur, magis privatâ : pro certo habeat, quiſquis ejuſmodi eſt, nihil ſtabiliendæ familiæ magis eſſe contrarium, quàm rerum alienarum cum ſuia per malas artes commiſtionem, & confuſionem. Levit. 11. prohibetur Hebræis uſua avium immundarum, aquilæ nominatim, & aliarum avium ex aquilino genere, milvi, gryphi, accipitris, halieæti, &c. Quærunt Interpretes ejus præcepti rationem, & duplicem aſſignant: inter illos D. Th. 1. 2. quæſt. 102. a. 2. Prima ex ſanitate petitur, cui animalium iſtorum carnes noxiæ ſunt: quare Deus, ut optimus parens & medicus, filiis ſuis eorum eſu interdixit, ut intelligeremus, ipſi curam eſſe de corporibus noſtris, nedum de animabus. Altera ratio paſſim à Patribus commendata, & poſt illos à D. Thoma, eſt ſymbolica, ad furtorum fugam, & abſtinentiam à rapina. Aves enim illæ rixis vivunt, & furtis : adeo ot ex iis accipitres, ut notat Ambr. 5. Hexam. cap. 18. *Intermittant ſtudia nutriendi, ut in uſus rapiendi audere compellant*, pullos vix benè plumatos, & vix dum volatum edoctos. Aquilæ verò ita ſunt rapaces, ut etiam ipſarum pennæ, cum aliarum avium plumis repoſitæ, eas dicantur conſumere. Prorſus ſic evenit in alienorum rapina: plumæ ſunt aquilarum rapacium, quæ etiam benè parta, quando illis permiſcentur, exedunt. Attulimus Excurſ. ſupra cit. ſect. 3. n. 12. Sententiam Eccl. cap. 21. & Jerem. c. 22. Quibus addi poſſunt illæ populares, ſed planè divinæ voces : *Non gaudet tertius heres : Malè parta malè dilabuntur : Ad tympani ſonum pereunt, quæſita ad ſonitum fiſtula : Orta ex aquis in aqua recidunt*, &c. Accedit quotidiana experientia : cujua jam olim illuſtre documentum in Achabo, ejuſque familia univerſa ſpectatum, 3. Reg. 21. & 4. Reg. 9.

Ad rerum temporalium jacturam, famæ plerumque detrimentum adjungitur : *Damnum* autem *appellandum eſt, cum mala fama lucrum.* Pudorem omnem exuiſſe oportet, ut macula & nomen furis, rapacis, uſurarii, latronia, peculatoris, non ſit horrori. Hortabatur D. Petrus 1. ep. 4. Fideles ad tolerantiam contumeliarum & probrorum, efficaciſſimo Chriſti exemplo ob oculos poſito. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine ejus, beati eritis,* &c. Mox tamen ne proſtituere Fidelium famam videatur : *Nemo autem veſtrûm*, inquit, *patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor : Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Ad patientiam excitas, ô Apoſtole, & dicis, *Nemo patiatur?* Quæ iſta hortandi formula? Horror equidem, ſed non ad omne infamiæ genus tolerandum, quovis modo. Fideles non tantùm benè vivere, ſed etiam benè audire oportet, ut & ſibi proſint, & aliis. Quomodò autem benè audient, ſi fœdiſſimam injuſtitiæ maculam admittant? Maximè, cùm non in fure ſolo hæreat, ſed ad poſteritatem longè tranſmittatur, cui turpiſſimum eſt filios, nepotes, pronepotes, furis, raptoris, uſurarii appellari. Quid ſi ad dedecus propalandum accedat publicum ſupplicium? Quid ſi & mors ipſa? Etſi enim Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. lit. H. ſcripſerit, ob quantumvis furtum non licere homini vitam eripere : quia cùm Deus ſit vitæ dominus, non licet citra ejus conceſſionem ulli vitam auferre : conceſſum autem à Deo, ut vita furibus

X. Et famæ.

tollatur,

tollatur, neque ex Scripturis patet, neque ex bulla ſuper hoc deſcendente de cælo. Quia tamen argumentum illud fruſtra eſt; cùm magiſtratus ac judex, qui non ſine cauſſa gladium portat, non habeat reſtrictam poteſtatem vitæ & mortis, ad ſolos caſus in jure divino nominatim expreſſos: ſententia iſta ſingularis omnium nationum conſenſu rejicitur, puniunturque fures pœna mortis, ad exemplum cæterorum, ac publicam ſecuritatem. Quomodò Valencenis factum à Guilielmo Hannoniæ & Hollandiæ Comite. Villicum ſeu prætorem vici cujuſdam in Hollandia, ob ereptam injuſtè pauperi ruſtico vaccam, captum, juſſit vaccam reddere, & prætereà aureos centum, ad exemplum pœnæ furtis ſtatutæ, Num. 5. v. 7. & Exod. 22. v. 1. Rogato deinde ruſtico, an ſibi ſatisfactum putaret, reſpondentéque, ſatisfactum: at mihi non item, inquit, & juſtitiæ: & cum dicto gladium ipſe ſuum dedit carnifici, ut illo caput Prætoris amputaret. Narrat hoc Spondanus anno 1326. Hiſtoria Valencenenſis refert ad annum 1336. atque, in memorabilis illius ſupplicii memoriam, manſiſſe vaccæ imaginem, albo lapidi inſculptam, in domo civica Valencenenſi, ad annum uſque hujus ſæculi undecimum.

XI. Animæ periculum exinde.

Sed faciamus, ſecretiſſima eſſe furta, larvis artibúſque obvoluta, ut juſta videantur; conſcio nullo patrata, ut vindex hominum manus timeri non debeat. Faciamus prætereà, nullum eſſe familiaris rei à Deo juſto vindice periculum. Quid autem de animæ diſcrimine duplici, primùm ex culpa quæ contrahitur, deinde ex horribili illo onere reſtituendi? Ergóne, inquis, gravem culpam quis contrahat, bona illa caduca furando? Damnetur animæ immortalitas ad æterna damna, & incendia, ob ejuſmodi culpam? Eodémne loco ſint fures, quo detractores, contumelioſi, invidi, vindictæ avidi, incæſti? Quæris an fieri poſſit: quære potius an factum non ſit. Qui D. Elizabethæ Turingiæ vitam ſcripsêre, ſocero ejus æternam notam inurere auſi non fuiſſent, ſi publica & certa non foret. Atqui affirmant, Ludovicum Thuringiæ Principem, Ludovici Elizabethæ mariti patrem, ad inferos devolutum, idque viſis plurimis conſtitiſſe: quia res alienas, & in iis Eccleſiaſticas aliquas rapuerat, monitúſque de reſtituendo, iterare ſolebat: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Ita immortuus, & cucullato corpore elatus, dum anima tremens ſententiam maledictionis excipiebat. Itaque ſancta Princeps, nihil de ſoceri bonis guſtare voluit, dotéque ſolùm ſua familiam, non ſine ingentibus incommodis, aluit, dum Ludovicus paternorum bonorum, at non vitiorum, hæres de reſtituendo caviſſet.

XII. In ſacris Literis & Patribus expreſſum.

Hiſtoria illa Eccleſiaſtica eſt: mavelis forſan ex Scriptura. D. Chryſ. hom. 64. in Matth. ubi verba illa Chriſti expendit, *Dives difficile intrabit in regnum cælorum: Si divites*, inquit, *difficilè ſalvantur, quid facient rapientes?* Idem concione 2. de Lazaro, chaos illud inter Epulonem & Abrahamum ait firmatum, non quòd Lazarum ſpoliârit, ſed quod non donârit: unde infert optimè: *Si is qui non impertivit, habet accuſatorem, quam veniam conſequetur, qui aliena quoque rapuerit?* Similis eſt D. Auguſtini argumentatio, ſerm. 21. de verb. Apoſt. ad illud Luc. 12. diviti dictum, *Stulte, hac nocte repetent animam tuam. Si ſtultus eſt*, inquit, *qui recondit ſua, vos invenite nomen ejus, qui tollit aliena. Si ſordidus eſt reconditor ſuorum, ulceroſus eſt raptor alienorum.* Horribilis eſt illa vox ſupremi Judicis cap. Mat. 25. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Ratio ſententiæ mox redditur: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Unde rurſus ſimili formula efficaciter argumentatur Auguſt. lib. de fide & operibus, cap. 15. *An fortè ibunt in ignem æternum, qui opera miſericordiæ non fecerunt, & non ibunt, qui aliena rapuerunt?*

XIII. Onus reſtituendi.

Et hinc apertè conſequitur reſtituendi neceſſitas. Quamdiu enim quis non reſtituit, cùm poteſt & debet, alienum retinet, invito rationabiliter domino: quamdiu autem retinet alienum, fur eſt. Similiter de damno dicendum, quamdiu injuſtè illatum non compenſat, ratum illud habet & facere pergit. Ratiocinatio eſt D. Auguſtini à nobis etiam adducta Excurſ. ad cap. 7. & digna, quæ ſæpiùs adducatur, ex epiſt. 54. ad Maced. *Si res aliena propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur; non agitur pœnitentia, ſed fingitur.* Unde illud infert, notum naturæ lumine, & relatum etiam cap. Si res, 14. q. 6. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Reſtituatur, inquam, cui debetur; non alteri, quod Græci hodierni fatuè prorſus & hæreticè faciunt, cùm partem ablatorum dant Sacerdoti, & inuncti ab eo ſimplici oleo, ſolutos ſe rentur obligatione reſtituendi. Longè ſapientiùs veri Fideles, quibus hoc fixum; alieni nihil quantumvis parvum, nec rapere, nec retinere, nec donatum etiam ab aliis accipere: de quo aliqua retulimus Excurſu ad c. 7. ſect. 3. n. 13. 14. 15. Addo ad illic dicta inſigne unum juſtæ reſtitutionis exemplum ex Baronio an. 1047. in Henrico II. Cæſare. Equum furtivum neſciens emerat. Agnovit miles equi dominus, Cæſare inſidente, & libera voce: O Rex, inquit, tu juſtitiæ præſes alienam rem, & furtivam poſſides. Cui Cæſar, ſi tuus, inquit, equus eſt, eum accipe cum ipſo ſeſſore: &, cum dicto, juſſit ſe domum duci à milite, non ſine ſumma omnium admiratione: effuſis ad ſpectaculum undique, non mortalibus tantùm, ſed & immortalibus, ipſóque Rege cælorum Chriſto ſibi plaudente quod tam illuſtri facto ſanciretur ſuum illud, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

SECTIO SEXTA.

Perſtringuntur injuſta litium.

I. Juſtitia in foris vexata.

ENIMVERÒ perſtringam, non ediſſeram: quo enim pacto in haſce anguſtias poſſim compingere, quod ſæcula occupet? Etſi enim de omnibus fermè civitatibus, & civitatum partibus, dici poſſit cum Pſalm. 54. *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injuſtitia, & non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.* Vulgò tamen perſuaſum, nuſquam magis dominari injuſtitiam quàm in tribunalibus foriſque litium: nuſquam ferociùs graſſari, frequentiùs & apertiùs prodi, impunè tranſire. Illic ferè proſtare, quidquid Diſtributivæ contrarium eſt: illic Vindicativam conſtringi, ne conſtringat: illic Legalem diſſolvi, ne alliget: illic Commutativæ vultum Chamæleontis inſtar verti, ne æquum videat & faciat. Sequemur hanc vulgi opinionem, non tamen vulgi more, indiſcriminatim in omnes invehentis, artique tribuentis, quod artificum, non artis eſt vitium. Tribunalia eſſe neceſſe eſt, ut reſpublica conſtet: judices eſſe neceſſe eſt, ut tribunalia regantur: cauſidicos eſſe neceſſe eſt, ut judicibus materia offeratur. Non itaque in univerſum

damnetur res bona, quia malis permiſta: nec ſagena abjiciatur, quia corruptos piſces includit cum ſanis: neque argento, auróve, prerium detrahatur, ob ſcoriam.

II. Judicum culpa prima, acceptio perſonarum. Expectatur proculdubio ot de judicum culpis potiſſimùm tractemus. Quid autem ſi dicam cauſſidicos plerumque longè plus judicibus peccare? Quid ſi actorum partes eſſe potiſſimas, aut reorum ſeu malè defendentium? Quid ſi & teſtes in jus vocemus, & damnemus proſtitutæ & proculcatæ æquitatis? A judicibus tamen, primo inter iſta quinque hominum genera gradu, incipiendum eſt. Quinque omnino culpæ in pronuntiandis ſententiis admitti poſſunt, eæque omnes graviſſimæ; quia in re tanta numquam niſi graviſſimè erratur. Prima eſt acceptio perſonarum. De ea quærit D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 4. *Utrum in judicio locum habeat acceptio perſonarum?* Et poſt prolatam Sapientis ſententiam, Proverb. 18. *Accipere perſonam in judicio non eſt bonum;* decidit in corpore, acceptionem ejuſmodi intervenire in judiciis, quando judex attribuit alicui perſonæ præter proportionem ſuam. Quod ut melius intelligatur, omiſsâ ſupervacuâ hoc loco quæſtione, *an* hæc culpa in Diſtributivam juſtitiam pugnet, an verò in Commutativam: ponamus caſum, ut vocant pro amico, quem peſſimè non Juriſconſulti modò, ſed & Theologi aliqui laxi, & planè, ut audietis, damnandi poſuere. Eſt cauſſa inter partes ambigua: utraque ſententia eſt probabilis æquè, vel parum intereſt: potéſtne judex pronuntiare abſolutè pro altera, vel tantùm æquè probabili vel minùs probabili? Occlament, & obmurmureot neſcio qui de trivio: ingerantur mihi libri in contrarium, & ſi voles bibliothecæ integræ: pronontio tamen tamquam certum, & extra omnem diſputationis ambiguitatem, non licere citra culpam acceptionis perſonarum.

III. Cùm ſupra cauſſæ meritum judicatur. Et ne id meum eſſe quis exiſtimet, revideat quid Auguſtinus ſcripſerit de judice pronuntiante, *quia, relicto cauſſa merito, invenit aliquid in perſona dignum:* ſupra ſect. 1. num. 5. Eſto tamen anctoritatem Auguſtini non habeamus: ratio ſine auctoritate ulla, apertiſſima eſt. Judex ex cauſſæ meritis debet pronuntiare, & pro juris portione utrique parti adjudicare: atqui jus utrimque æquè probabile eſt, debet ergo utrique æqualiter tribuere; alioqui non ſervat æqualitatem, adeóque lædit juſtitiam, quæ conſiſtit in præſtanda æqualitate. Similiter ſi alterius jus magis probabile eſt, plus illi adjudicet; & alterum, qui jus etiam habeat ſed minus probabile, compenſatione aliqua aſpergat pro menſura juris ſui. Si aliter pronuntiat, non ſequitur meritum cauſſæ, adeóque non poteſt evadere noxam acceptionis perſonarum. Præponit enim æqualem, vel inferiorem, aut quia conſanguineus eſt: quod Thomas Morus non feciſſet, qui generum ipſum coram ſe litigantem monuit, ut à lite deſiſteret, non obtemperantem mox condemnavit. Aut quia vel ipſe eſt potens, vel potentes & gratioſas habuit commendationes: quas Pius V. Pontifex proſcripſiſſet, cùm ſeverè domeſticis omnibus ſuis prohibuerit, ne quam judicibus cauſſam commendarent: & verò commendationes vel importunæ ſunt, ſi fruſtra adhibentur; vel injurioſæ, ſi pondus addunt cauſſæ merito. Aut quia alter eſt judicis inimicus: quod Ariſtides Ethnicus non feciſſet, qui accuſatori identidem repetenti reum ejus inimicum eſſe, dixit de cauſſa diceret: nedum Gratianus, qui mulierem mariti delatricem eodem modo juſſit de cauſſa ſola agere.

IV. Altera donorum acceptio. Aut denique ideò cauſſa inæqualis, vel æqualis præponderat, quia juſtitiæ bilanci aurum, aliáve dona, aut eorum ſpes injecta ſunt. Quod filiis Samuëlis factum, 1. Reg. 8. cum prompta à Deo vindicta ob populi juſtas querimonias; & cum æterna nominis infamia ipſo Dei digito ſcriptâ. Indigni filii optimo parente, qui 1. Reg. 12. tam liberè populum omnem innocentiæ & incorruptionis teſtem vocavit. Tales optabat Judices Joſaphatus, 2. Paral. 19. quando *conſtituit judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per ſingula loca, & præcipiens judicibus: Videte ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcumque judicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Tales voluit Innocentius VI. apud Spond. anno 1353. quando Auditoribus rotæ ſalaria conſtituit, ne per largitiones depravarentur, dicens: famelicos non facile ab alieno cibo abſtinere, quacunque formâ oblato. Tales habere ſtatuerat Carolus VIII. Galliæ Rex, apud Duplexium in ejus vita: cùm in toto regno cogitaret ſtipendia ſufficientia judicibus omnibus addicere, ne litigantes ſalariis gravarentur: deberi enim à ſe gratuitam juſtitiæ adminiſtrationem ſubditis, quomodò ab illis ſibi obedientiam. Talis fuit avorum memoria Thomas Morus, ab æmulo apud Henricum VIII. accuſatus, de cratere aureo accepto à vidua: quem quidem acceperat, & laudârat, ſed deinde, infuſo vino & viduæ propinato, in ejus manibus reliquit. Tales fuere Ottonis Imperatoris ævo, poſtquam ut Petrus Damianus narrat 7. epiſt. 11. Comitibus tribus judiciorum corruptoribus, raptoribusque alienorum, eruit oculos, toti imperio lumen reddidit.

V. Aliæ duæ, longitudo, præcipitatio. Incorruptos judices nacti ſumus, & qui *fræna ori* non admittant, quomodò munera vocat Siracides cap. 20. v. 31. in textu Græco, ὡς φιμὸς ἐν στόματι. Cavendæ tamen ſunt & ipſis culpæ aliæ duæ, non quidem forſan pares prioribus; magnæ tamen, & quæ reſtitutionis onus intolerabile, læſo faciendæ, ſecum trahunt. Si nimis longi ſint, & diſpendia partibus creent, vel quia ex mera negligentia procraſtinant, vel quia aliis ſeſe negotiis ad officium ſuum non ſpectantibus implicant, & cauſſas curæ ſuæ commiſſas expedire vel nolunt, vel nequeunt. Quam in rem illuſtre iſtud narrari ſolet ex Chronico Alexandr. & Cauſſino noſtro: cauſſam viduæ cujuſdam, nomine Juvenalis, triennio tractam, ejus precibus à Rege Theodorico commendatam, biduóque pro illa pronuntiatum: evocatos judices, cùm laudem exſpectarent ob æquam ſententiam, duci juſſos, & capite plecti, ob injuſtas moras. Nec minùs ſpectabile in oppoſitum eſt, quod refert Mendoza tomo 2. in lib. Reg. cap. 8. verſu 26. num. 21. fuiſſe non pridem, in Luſitania nobiliſſimum magiſtratum, dirimendis litibus tam aſſiduum; ut menſæ accumbens hoc ſibi primum ferculum apponi juberet, atramentum & calamum, quibus expediret negotia ad ſe adeuntium, etiam inter prandendum. De Thoma Moro diximus Excurſ. 4. ad cap. 1. num. 8. Nam tamen ita expedire debent, ut in partem alteram vitiumque contrarium excurrant: uti de Imperatore Claudio notavit Seneca in luſu de ejus morte, pronuntiâſſe ſæpè, *Una tantùm parte auditâ, ſæpe & neutrâ.* Scitum illud & veriſſimum Sapientis Mimi: *Ad pœnitendum properat, qui citò judicat.* Deus ipſe, ut doceat homines in judicando præcipites eſſe non

debere,

Digitized by Google

debere, ut Philo notat lib. de Confuſione linguarum, ante plectendos ſtructores immanis turris lateritiæ dicit, *Deſcendam & videbo.* Similiter actum cum Sodomitis. Et Lucifer Calarit. lib. 1. ad Conſtantium, à quo ſolicitabatur ad D. Athanaſium damnandum notat, *Adam & Evam principes generis noſtri auditos, ſententiâ percuſſos Dei:* poſt pauca ſubdit: *Interrogatus Cain ſumit ſententiam, & tu Domini inauditum vis puniri Sacerdoetem? .... Numquid non licuerat Deo, priuſquam Cain evocaret atque interrogaret, punire? Sed noluit, dans formam, quo genere inciperemus judicare commiſſos nobis.*

VI. Quinta, ignorantia. Hæ judicum noxæ oriuntur ex voluntatis defectu: quinta naſcitur ex intellectu. Si enim Scientia deſit, etſi adſit conſcientia, quomodò pervidebit in tam denſis tenebris legum obſcurarum: quæ etiam ſæpe numerò conduplicantur artibus vel litigantium, vel patronorum, ut mox dicemus? Si autem pervidere non poteſt, alienis ſaltem oculis, quod tamen ipſum miſerum eſt, abdicet officium, aut ab exercendo abſtineat: ne ſe in laqueos inſolubiles reſtitutionum faciendarum induat, & meritò ipſi impingatur illa Ammiani Marcell. hiſtoria lib. 25. cap. 2. *In oppido Piſtorienſi propè horam diei tertiam, ſpectantibus multis, aſinus tribunali aſcenſo, audiebatur deſtinatius rugiens: & ſtupefactis omnibus, qui aderant, quiſque didicerant referentibus aliis, nullóque conjectante ventura, poſteà quod conjectabatur evênit.* Subjicit de quodam judice ignaro, illuc paullò pòſt miſſo: cujus judicia meri ruditus aſinini eſſe debuerunt, cùm ex humili genere, & piſtoris arte, provinciam adminiſtraret Correctoris officio.

VII. Vitilitigatorum verſutiæ. Habeant judices quidquid ad conſcientiam facit; & quod à Scientia opus eſt: idcóne tribunalibus cautum fuerit? Nondum, niſi cauſſidicis vitilitigatoribus ſilentium æternum imponatur. Iſti ſunt, qui lites ſerunt & trahunt, innumeris captiunculis, ſormulis, technis, ſycophantiis. Iſti ſunt *canes & voratores curiarum*, ut Bartolus loquitur l. Omnes populi ff. de Juſt. & jure. *Togati vultures*, apud Apuleium lib. 10. *Lupi Arabiæ*, prædâ inſatiabiles, apud Hieron. in cap. 3. Sophon. De illis multò magis quàm de jodicibus declamabat D. Auguſt. ſerm. 19. de verb. Dom. *qui peccata peccatis congeminantes fraudes ſuas ac rapinas commodum vocant: quibus quaſi ex conſuetudine venduntur leges, corrumpuntur jura, ſententia ipſa venalis eſt: & nulla jam cauſſa poteſt eſſe ſine cauſſa.* Homines Lamponi ſimiles, ſcribæ Alexandrino, fraudes innumeras texere ſolito, quem ideo Alexandrini eleganter vocabant καλαμοσφάκτην, id eſt calamo jugulantem, ut refert Philo lib. in Flaccum. *Qui*, quomodò militari ſtylo ſcribit Ammianus Marcell. lib. 30. *ut in profeſſione turbulenta clareſcant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per proſtitutas frontes, viléſque latratus, quò velint, aditus ſibi patefaciunt crebros. Qui inter ſolicitudines judicum per multa diſtentas, irreſolubili nexu vincientes negotium, laborant, ut omnis quies litibus implicetur.*

VIII. Appellationes. Inde tot ex unica cauſſa controverſiæ plerumque multiplicatæ, quot ex uno ſurculo aut ſtipite rami, fæcundiſſimo proventu. Incidentia vocant, principali adnata aut adjuncta, quæ judices, quantumvis conentur, ac finiendis litibus prohibent. Et, ut ipſi, amputatis malitiæ & verſutiarum germinibus, finem faciant: intercurrunt appellationes, inventum ex ſe ſalubre, ſed prout uſus fert peſtiferum, ad vitas hominum conſumendas in æternis litibus. Dicam de illis id ſolum, quod Bern. lib. 3. de Conſid. *Fateor, grande & generale mundo eſſe bonum appellationes: idq́; tam neceſſarium, quàm Solem iſtum mortalibus. Revera quidam Sol eſt juſtitia, prodens ac redarguens opera tenebrarum. Prorſus fovendæ, ac manutenendæ: ſed quas extorſit neceſſitas, non calliditas adinvênit. Uſurpatoria ſunt omnes hujuſmodi, non ſubvenientes neceſſitati, ſed opitulantes iniquitati.... Dico aliquid, quod ad rem pertinet, exempli cauſſâ. Quidam ſibi publicè deſponſaverat uxorem. Adeſt dies celebris nuptiarum: parata omnia: invitati multi. Et ecce homo, concupiſcens uxorem proximi ſui, in vocem appellationis inopinatæ prorupit: aſſirmans ſibi traditam prius, ſuam potius eſſe debere. Stupet ſponſus, hærent omnes, non audet ſacerdos progredi: fruſtratur omnis apparatus ille, deſcendit quiſque in domum ſuam, ſuam cœnam manducaturus. Sponſa à thalamo & menſa ſponſi ſuſpenditur, quouſque Roma reditum eſt. Pariſius contigit hoc, nobili Galliarum civitate, urbe Regia.*

Faciamus tamen cum judicibus incorruptis integerrimos etiam eſſe cauſſidicos, conſcientiæ memores in timore Domini, & reſtitutionis horribile onus, ſi qui ſecus patrârint, metuentes: an ideò tamen lites ceſſabunt? Numquam equidem, niſi cùm actores deſinent eſſe nimis cupidi, & rei nimiùm obſtinati. Ut actor non peccet, ante omnia diſpiciat, an id de quo lis inſtituenda foret, tanti ſit. Si enim de nihilo vel exiguo famæ, honoris, rerum, diſceptatio eſt; vel ſi ſpes emolumenti, in re quamvis magna, non apparet: ſtultum planè eſt ad remedia tam diſpendioſa currere, neque ullus id ſecerit, niſi ex pravo aliquo animi affectu prudentiam obfuſcante. Rixa erat Gen. 13. paſtóribus Loth, cum paſtoribus Abrahæ de paſcuis communibus: operæ pretium non eſſe judicavit ſapientiſſimus ſenex diu contendere de re tantilla, ut alibi etiam indicavimus Excurſ. 4. ad cap. 1. Filius pacifici patris imitator idem egit, Gen. 26. cum Geraræ incolis, quia litigando videbat exiguam ſpem lucri, cum ingenti inimicitiarum periculo. Itaque perdere & deſiſtere maluit quàm vel inutiliter, vel damnosè rixari. Fecit ante Chriſti oracula, & ante D. Paulli monitum, quod nos poſt illa vix capimus. Chriſtus dicit, ſi quis rapit tunicam detur altera: ſi quis angariat te ad paſſus mille, vade & alia duo. D. Paullus 1. 6. Corinthios, homines ad litigandum pronos, acerbè increpans, *Quare non magis injuriam patimini*, inquit, *Contenditis judicio, etiam apud infideles?* Nolitne ergo Paullus repeti ſuum? Id Chriſtus vetuerit? Neutiquam. Sed nec magiſter, nec diſcipulus, à Chriſtianis volunt lites & rixas creari de rebus parvis, cum magno diſpendio, proculcata caritate, ex affectu vindictæ, aut iræ odiíve motu, non impulſu juſtitiæ. IX. Actorum præcipitatio.

Quare actor, ubi operæpretium eſſe deprehenderit, ſuum repetere, ſi peccare non vult, peccatíve periculo ſeſe exponere, ſervet quod vir æterna memoria dignus Marchio Rentiacus ſæculi noſtri ſidus inter conjugatos, ſolebat litigaturis præſcribere, ut in ejus vita narratur: quæ ferè præcepta ſunt Epiſcopi Geneven. Saleſii, 3. epiſt. 66. Primùm & ante omnia tentetur via amicæ compoſitionis, neque umquam ad litigandum deſcendat, niſi invitus: viri enim probi eſſe non poſſunt, qui lubenter litigant. Deinde, ſi amica via tranſigi non poteſt, ob alterius pertinaciam aut injuſtitiam, ineat viam juris, ſolo juris ſui repetendi intuitu. Denique, interim dum lis trahitur, caveat ab ullo vindictæ, odii, rancoris, averſionis affectu: multò magis abſtineat à verbis ſcriptíſve contumelioſis; quæ ad nihil utilia ſunt, quàm ad pravum X. Quomodò agere debeant.

animam

animum prodendom, lædendamque caritatem. De iſtis dici poteſt, quod Auguſtinus epiſt. 75. ad Aurelium Epiſcopum, qui irâ præfervidâ magiſtratum quemdam excommunicaverat: *Auſſer litem, & renova pacem: ne tibi percat homo amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus.*

XI. Peccata defendẽtium, ſeu reorum.

Nec ſibi blandiatur reus ſeu defenſor, quaſi minùs peccet quàm actor. Cupiditate nimia hic peccare poteſt, ille pertinaciâ: utrùm autem magis vituperandum & noxium eſt? Apud homines quidem actori juris plus eſſe oportet, quàm reo: faciliúsque parcitur defendenti, quàm offendenti. Sed coram Deo par eſt conditio utriuſque: & qui injuſtè vel malè aggreditur, & qui injuſtè vel malè defendit in æquo ſunt. Novit quis ſe debere reſtitutionem damno, reparationem famæ, ſatisfactionem honori, etiam antequàm petatur. Petitur; recuſat, tergiverſatur, fugit, appellat: ut actorem fatiget, & ad iniquas conditiones adigat. Quid de illo cenſeas? Injuſtúmne eſſe, injuriam actori facere, præter ea quæ poſtulat, debere etiam damnorum refuſionem? Non auſim, inquis, pronuntiare, quando id eſt quotidianum. Non ergo damnes peccata, quia ſunt quotidiana? Sed age, dicamus de quæſtore: pecuniam publicam habet, differt tamen creditorem & trahit, ut ab illo aliquid extorqueat, ſupra ſtipendium ſuum: an illi facit injuriam? Interrogemus litigatorem iſtum, qui debet. Proculdubiò inquet, quæſtor iſte in culpa eſt, & injuſtè extorquet. Quid ergo tu? An par cauſſa tua non eſt? O quàm oculati ſumus in alienis! De te ipſo tergiverſator, & litigator, pronuntiâſti.

XII. Sol cauſſarum, Deus.

Supererant teſtes: at quid de illis tantillo tempore? Quid de officio, obligatione, pœnis ab hominibus, à Deo, ut in illis Suſannæ caſtitatiſque & veritatis victimis? Verbum unicum dicam, quod notavi Exodi 22. v. 3. ubi nos habemus: *Si orto Sole hoc fecerit:* Septuag. habent, ἐὰν ἀνατείλῃ ὁ ἥλιος ἐπ' αὐτῷ. Chaldæus interpretatur, *Si oculus teſtium fuerit ſuper eum.* Quid hoc ſibi vult? Sol in Hebræo, & Græco, teſtis in Chaldæo? An quia teſtis debet eſſe mundus, lucidus, conſtans, incorruptus, integer uti Sol, qui eſt pulcerrima imago veritatis? An quia Sol ipſe teſtis eſt malefactorum? Non equidem viſibilis ille & materialis fons diei: ſed Sol mentium, qui neſcit occaſum, qui inviſibilis videt omnia, & teſtium mendacia, & reorum fugas, & actorum iras, & cauſſidicorum fraudes, & judicum injuſtitias. Zacharias moriens dicebat *Videat Deus, & requirat*, id eſt, *Videbit Deus, & judicabit.* Infallibilis veritatis verbum: nihil in judiciis agitur, quod extrema dies non retractatura ſit. Si appellari debeat ad ſeverum & ſapientem judicem, inferior cavet ne quid erret. Atqui, ô judices, ô teſtes, ô cauſſidici, &c. *Videbit Deus, & judicabit*: imò & jam nunc *Videt & judicat. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.*

SECTIO SEPTIMA.

Expenduntur defectus juſtitiæ Vindicativæ.

I. Juſtitiæ excellentia.

CONSTAT virtutum omnium Moralium ſummam atque eminentiſſimam eſſe juſtitiam, idque duplici potiſſimùm ex capite. Primùm ratione ſubjecti, ut vocant, deinde ratione objecti. Reſidet enim in voluntate facultatum omnium magiſtra ac rectrice, ipſamque rectricem gubernat, prævuote ac ſubſerviente in intellectu prudentia, appetitum concupiſcibilem moderante & frænante temperantia, iraſcibilem vel cohibente vel excitante, uti ratio fert, fortitudine. Prætereà cùm fortitudo interdum ſuæ utilitati laboret, temperantia ſæpiſſimè imò & prudentia ad commodum temperantis ipſius prudentiſque referatur ac revolvatur: juſtitia contrà ſibi numquam ſtudet, ſed aliis; excelsâ planè ac cælesti generoſitate, cauſſarum inſtar univerſalium ut vocant, quæ ſubjectis rebus conſulunt non ſibi; ut in cælis, Sole, aſtris, Deoque ipſo videre eſt. Hanc juſtitiæ naturam perſpexit, virtutum Moralium & Chriſtianarum egregius Doctor, Ambroſius, qui eam vocat, *Virtutem aliis natam, non ſibi*, lib. de Paradiſo cap. 3. ſerm. 16. in pſalm. 118. & 1. off. c. 28. Oratione item de obitu fratris Satyri ſub finem, ſic ait: *Sibi parcior juſtitia, foris tota eſt, & quidquid habet, quadam inclementiâ ſui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.*

II. Nominatim Vindicativæ.

Quod cùm de ſingulis juſtitiæ partibus verum ſit, in Vindicativa tamen ſingulariter ſpectatur. Jam olim pingi ſolita juſtitia conſidens, ad tranquillitatem mentis indicandam; obvelatis oculis, non ut eos ad ſe reflectat, ſed ut à perſonarum acceptione abſtineat; lævâ bilancem tenens, ut rerum perſonarumque merita, non commoda ſua expendat; dextrâ gladium exertum præferens, ut aliorum bonum vel commune vel privatum aut conſervet integrum, aut læſum tueatur, expetita de lædentibus juſta ultione. Plurimùm itaque Vindicativa juſtitia tum in aliis differt à privata Vindicta, tum hac in re: quod iſta de malo illato ſibi ipſa ſatisfacere cupit, per crudelem mali repenſi voluptatem. Illa verò non ſibi ſatisfacit, ſed reipublicæ, tertióve privato, quem aliena injuria violavit. An autem illam ſive quà reum reſpicit, ſive quà rempublicam ſaltem aut tertium, Commutativæ juſtitiæ accenſere oporteat; quandoquidem Commutativæ officium ſit jus læſum reparare & exæquare vel agendo vel patiendo? An etiam aliquà ad Diſtributivam pertineat, cùm ſpectari debeant in puniendo & merita lædentis, & qualitas læſi, unde culpa, adeóque & pœna, excreſcit aut minuitur? In ſcholis iſthæc diſceptantur. Mihi videbatur, non ad ingeniorum exercitationem, ſed ad morum informationem populique captum, magis appoſitè ſtatui Vindicativam juſtitiæ partem ſejunctam à cæteris. Ejus officia quemadmodùm & alibi factum, ex cõtrariis effectibus commodiſſimè ſpectabimus. Quinos omnino, uti & in aliis partibus, invenio, Per exceſſum duos: ſi inſontes puniantur: ſi ſontes quidem, at ultra meritum. Per defectum tres: ſi ſontes compenſentur, & præmium ſupplicii vice accipiant: ſi impunè tranſeantur: ſi leviter puniantur.

III. Inſontium pœna quàm iniqua?

Primus adversùs juſtitiam Vindicativam error, ejuſque velut letale vulnus, ac plaga cordis, eſt innocentum addictio: quam ab innocentiæ conſcio fieri, adeò naturæ repugnat, ut ne licere quidem conſtet ad ſalutem univerſæ reipublicæ: tamquam: ſi tyrannus aliquis excidium minetur civitati, niſi caput innocentis cujuſpiam ſibi exoſi ad ſe tranſmittatur. Etſi enim liceat membrum ad univerſi corporis ſanitatem amputare, non tamen ideo licet membrum reipublicæ: quia civi etiam quà membrum eſt reipublicæ, peculiaris injuria inferri poteſt: membro autem humani corporis jus nullum eſt, niſi in ordine ad corpus univerſum

quod

quod ex membris compooitur; atque adeò peculiaris nulla membro injuria inferri poteſt, illud reſecando ad conſervationem totius. Summùm itaque, io ea excidii communis intentatione, liceret civitati civem innoxium noo defendere; imò & diſcrimioi mortis objicere, dedendo in tyranni manus. Tunc enim nihil facit civitas, quod ex ſe ſit malum: etſi malum futurum ſit ex injuſtitia tyranni, ut fusè diſputant Theologi. Quamvis eorum diſputationi tacita hominum idiotarum cogitatio difficulter acquieſcat: tantus eſt omnibus innocentiæ amor ingenitus, & tantum ejus defendendæ ſtudium.

IV. Quam ſeverè plectenda.

Hinc collige, quàm graviter peccent, & quanta ipſi pœna digni ſint, qui non ex invidia modò, aut avaritia, aut damnando alio affectu ſupplicium inſooti decernunt: ſed etiam qui jacturæ alicujus, quantumvis magnæ, meto in illam conſentiunt. Ita peccavit Darius Medorum Rex, cùm metu ſeditionis Danielem dedit, coveæ leonum includendum: peccavêre primores Judæorum, qui Cayphæ hæredem vineæ occidit volenti non obſtitêre: peccavit Achab, qui Jezabeli artibus ſuis Nabothum obruenti acquievit. Peccârat, teſte Spondano od an. 1325. Carolus Valeſius filius Regis, frater, & pater, & trium Regum patruus, injuſtam damnationem machinatus Engueronno Marinio. Sed vix facinus patratum erat, cùm Deum tantæ injuriæ judicem veritus, publicè famam, cùm vitam non poſſet, reſtituit: corpus in publico furca pendens propinquis reddendum curavit: ipſi juſta magoificè ſumptibus ſuis fecit: largiſſimas diſtribuit eleëmoſynas, commendans pauperibus, ut pro Engueranno primùm orarent, tum pro ſe: moriens juſſit, ut præcones ferales cùm de more fuoos ſuum indicerent, etiam Enguerannum precibus omnium commendorent. Ita Chriſtianus pœoitens de morte innocentis & vivus & moriens teſtatus eſt, vix à ſe fieri ſatis potuiſſe. Nec mirum, quando in ſupplicio injuſto non homicidii tantùm flagitium, ſed & calumniæ duplicis admiſerat, uoóque ictu vitam ſimul honoris, & famæ, & corporis inſonti abſtulerat: quorum facinorum ſingula in genere ſuo ſumma ſunt, & juſti judicis univerſorum vindictam, niſi illuſtri pœnitentia, vitare non poſſuot.

V. Pœna ſupra meritum.

Alterum genus criminis frequens oon eſt, niſi apud barbaros, & inhumanos, qui dolore alieno gaudeant, & pœnis fruantur: quæ hominum monſtra, ubi in hiſtoriis mentio occurrit, omnes deteſtantur. Certè non abeſt longè ab inſonoum ſupplicio nimis crudele ſontium tormentum: quando etſi ſonti infertur quod meritus eſt, inſonti tamen imponitur quidquid meritum excedit. Itaque humanitas, ne in crudelitatis aut ſeveritatis nimiæ ſcopulum impingat, magis ſemper inclinat ad clementiam. Sic alumno ſuo ſuadebat Seneca l. 1. de Clem. *Si Dii placabiles & æqui delicta potentum non ſtatim fulminibus perſequuntur: quantò æquius eſt, hominem hominibus præpoſitum miti animo exercere imperium, & cogitare, utrum mundi ſtatus gratior nobis pulcriórque ſit ſereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies eſt quieti moderatique imperii, quàm ſereni cæli & nitentis.* Eodem libro idem: *Non minùs*, inquit, *Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam medico multa funera. Remiſſius imperanti melius paretur.* Et paullò pòſt: *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulcriúſque eſt, quàm illa corona, Ob civ. ſerv. &c. Hæc divina potentia eſt, gregatim ac publicè ſervare: multos autem occidere & indiſcretos, incendii ac ruinæ potentia eſt.* Ob hanc cauſſam Conſtantinus Magnus, ut teſtaretur quàm à puniendo alienus eſſet, aucto undique Byzantio laxatiſque paſſim ædificiis, carcerem tamen anguſtum atque humilem uti antè erat, reliquit, paucorúmque hominum capacem. Nec ſequentes Imperatores eum laxavêre uſque ad Phocæ tempora: qui cùm plurimos in cuſtodiam daret, miſerata eorum pædorem pia fœmina ædes ſuas carceribus ampliandis dedit. Ita Baronius narrat, annis 330. & 607.

VI. Impunitas noxia bonis, & reipublicæ.

Cavendum tamen, ne clementia nimis io impunitatem degeneret, cum publici boni aperta pernicie. *Impunitas* enim, ut Bernardus, mellens licèt & ad clementiam pronus, loquitur libro de Conſcien. eſt *ſecuritatis & negligentiæ mater, noverca virtutum, religionis tinea, tinea ſanctitatis.* Et ep. 118. ad Innoc. Papam: *Quanta, putamus, impunitas iſta in Eccleſia parturit punienda.* Rerumpublicarum axes duo ſunt, Virtutum merces, Pœna vitiorum: abſque illis curſus teneri non poteſt. Rectiſſimè Ennodius Theodoricum Regem loquentem cum D. Epiphanio inducit, in hujus vita: *Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit.... Qui criminoſos patitur impune tranſire, ad vitia hortatur inſontes.* Nocet itaque plurimùm inſontibus, quos conſortio ſontium contaminat, praviſque exemplis inficit: adeóque & toti reipublicæ periculum creat. Qua de re diximus ad lib. 1. cap. 7. Excurſus ſect. 3. num. 7. 8. 9.

VII. Noxia ipſis judicibus.

Quare Eccleſ. c. 7. Siracides graviter monuit: *Noli quærere fieri judex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Remiſſus es; nimis affectui privato indulges; odia times; animi ſatis non habes, ut te adversùs obſtantia erigas: idoneus oon es juſtitiæ adminiſter. Pinxêre illam olim, Chryſippo teſte apud Gellium l. 14. cap. 4. *Formâ atque filo virginali; aſpectu vehementi & formidabili; luminibus oculorum acribus; neque humili, neque atroci, ſed reverendæ cujuſdam triſtitiæ dignitate.* Subjicit Gellius: *Ex imagine autem hujus ſignificatione intelligi voluit, judicem; qui juſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contráque improbos nocentéſque immiſericordem, atque inexorabilem, erectúmque, & arduum, ac potentem; vi & majeſtate æquitatis veritatíſque terrificum.* Qui talem ſeſe non ſentit, munus abdicet: alioqui D. Leonem audiat epiſt. 76. ad Anatolium Epiſc: *Quibus non potuerit prodeſſe correctio, non parcat abſciſſio. Oportet enim nos Evangelici meminiſſe mandati, ut ſi nos oculus, aut pes, aut dextera ſcandalizaverit, manus à compage corporis auferatur: quia melius ſit his in Eccleſia carere membris, quàm cum ipſis in æterna ire ſupplicia.* Deinde remiſſis, & diſſimulatoribus quarumvis culparum: *Abjicienda prorſus*, inquit, *peſtifera hæc à ſacerdotali rigore patientia eſt; quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* Idque aſtruit exemplo Heli ſacerdotis, quem divinæ juſtitiæ ſententia percuſſit: *Quia ſegni indulgentia diſſimulavit plectere peccatores.* Et Aug. lib. 5. de Civit. cap. 9. poſtquam de Deo loquens dicit, *Peccatis indignatus implerit tantis calamitatibus mundum:* ſubdit, de nimis lenibus ac ſegnibus judicibus ac Prælatis: *Jure vitam iſtam, quando divinitus affliguntur, amaram ſentiunt: cujus amando dulcedinem, peccantibus amari eſſe noluerunt.* Breviſſimè & ſcitiſſimè dictum à Publio Mimo: *Judex damnatur, cùm nocens abſolvitur.*

VIII. Et criminoſis.

Quid quòd ipſis nocentibus nocetur indulgentiâ nimiâ? Senſus enim pœnæ coercuiſſet, quos

amor

amor virtutis non tangebat: aut ſi corrigi non poterant, ſpatium ſaltem vitæ prorogatum non fuiſſet, ad peccata multiplicanda, & theſaurizandam vindictam in die iræ, & juſti judicii Dei. Scriptor vitæ B. Joannis de Montemirabili, primùm Caſtellani Cameracenſis, deinde monachi Ciſtercienſis, narrat, cùm Crepicordii oppido ſuo non longè à Cameracenſi civitate, epulum multis nobilibus præberet, & ad menſam de more pauperes adhibuiſſet, inter hos aſſediſſe cæcum. Sublata menſa Deóque actis gratiis, cæcum iſtum B. Joanni gratias plurimas habuiſſe, non de epulo tantùm, ſed de plurimis etiam beneficiis quæ commemorare non ſufficeret. Rogatum privatim à domeſticorum uno, quænam illa eſſent beneficia, reſpondiſſe, adulterum ſe olim fuiſſe, & ad latrocinia exercenda proclivem: captum à B. Joanne, & pro meritis damnatum ad cæcitatem, oculiſque orbatum: inde ex perdito factum ſe pœnitentem, & quod benè jam viveret, juſtitiæ ſe debere. De uno id narratum, pleriſque accidit: damnati erant, niſi damnarentur. Miſericorditer ſævit juſtus judex; remiſſus nimis & fractus crudeliter miſeretur.

IX. Quàm exeeranda criminum præmia?

Multò autem magis ſævit in ſe & ſuos, rempublicamque ac bonos omnes, adéòque in reos ipſos: ſi crimina non tantùm impunè tranſeat, ſed etiam in pœnæ vicem mercede donet. Antiochus hoc fecerit, 2. Machab. 4. quando pellici Tharſenſes dono dedit & Mallotas, in pudicitiæ proſtitutæ mercedem: unde etiam ingens orta ſeditio. Fecerint Sichimitæ, Jud. c. 9. quando Abimelecho adjutores opprimendis inſontibus fuêre; & cruentam patratis fratricidiis belluam munerati, mox pœnas dedêre, ab eo ipſo cæſi, quem tam altè immerentem & nocentem evexerant. Ita Infideles, aut Infidelibus non multò meliores Fideles fecerint. At quis non abominetur Chriſtianorum: ſi vel ſcintillula veritatis ac juſtitiæ luceat in intellectu, ardeat in voluntate?

X. Jungenda Juſtitiæ Clementia.

Quid ergo, ſemper exerto gladio juſtitia minabitur, numquam olivæ ramum protendet? Non obviabunt ſibi Miſericordia & Veritas? Non oſculabuntur Juſtitia & Pax? Juſtitiam divinam non imitabitur ejus vicarius, tardiſſimè deſcendentem ad vindicandum, & non niſi poſt longæ patientiæ moras: & tunc etiam cum mora punientem, & citra condignum? Nonne qui peccantes primos homines ejecit è paradiſo, eiſdem veſtem dedit tegendo corpori, pœnitentiam tegendæ animæ? Nonne, qui diluvio terras operuit, idem olivam & columbam fecit, arcumque ſine ſagitta poſuit in nubibus? Nonne Davidem ſtipabant, 2. Reg. c. 15. legiones *Cerethi* id eſt *interfectores*, & *Phelethi* id eſt *liberatores*: ut inde intelligamus Paſtori populorum liberatricem clementiam jungendam cum interfectrice juſtitia? Nonne à Salomone inter alia Templi ornamenta ſculpti ſunt *leones, & boves*, 3. Reg. 7. ut indicaretur, interprete Beda, juſtorum mentibus ineſſe debere *invectionem correctionis cum ſpiritu manſuetudinis*? Nonne à Samaritano infuſum vulneribus vinum ſimul & oleum, Luc. 10. *ut per vinum*, inquit Gregorius Paſtor. par. 2. *mordeantur vulnera, per oleum foveantur*? Nonne Hebr. 9. virga ſimul & manna in arca fuêre: ut eodem Gregorio explicante ſignificetur, *ſi in boni rectoris pectore eſt virga diſtrictionis, ſit & in mãna dulcedinis*? Nonne Spiritus ſanctus & in igne venit, & in columba: *quia*, ut idem Gregorius ait, *omnes quos implet, & columbæ ſimplicitate manſuetos, & igne zeli ardentes exhibet*? Nonne, qui 1. Tim. 5. dixit, *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*: idem dixit, 2. Tim. 4. *Increpa in omni patientia*? Nonne qui Eliam miſit ſicut ignem, & in curru igneo evexit, idem illi non apparuit, neque in turbine, neque in flamma, ſed in ſpiritu auræ tenuis? Tam citò excidit, quid ad clementiæ laudem dixerit Seneca: & quàm damnârit tempeſtates perpetuas, & frequentia funera?

XI. In ſuppliciis quid ſpectandum.

Omninò temperamentum neceſſarium eſt, & ita juſtitiæ jungenda clementia, ſeveritatique lenitas ſocianda, ut medium teneatur. Eam contemperationem indicavit Seneca lib. 1. de Ira, poſtquam rectori civitatis propoſuit medici exemplum, à lenioribus remediis paullatim ad aſperiora venientis: *Noviſſimè*, inquit, *ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles, decurrat: ultima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire, etiam pereuntis interſit. . . . Non quia delectetur ullius pœnâ; procul enim eſt à ſapiente tam inhumana feritas, ſed ut documentum omnium ſint; & qui vivi noluerunt prodeſſe, mortè certè eorum reſpublica utatur.* Diſtinctiùs aliquanto loquitur lib. 1. de Clem. *Tranſeamus ad alienas injurias: in quibus vindicandis hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet; aut ut eum quem punit emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant.* Mala varia ex impunitate oriri jam diximus, bonorum, reipublicæ, judicis, reorum ipſorum. Judex ergo, ſi peccare non vult, attendat, quid reo utile ſit, quid bonis, quid aliis improbis, quid reipublicæ. Privatorum quidem bonum tuetur Vindicativa juſtitia: maximè tamen ad boni publici conſervationem gladius ejus diſtringitur.

XII. Lex talionis juſta.

Cùm autem poſuerimus quintam hujus juſtitiæ plagam, ſi puniantur quidem criminoſi, ſed infra meritum; quærat quis, ecquænam regula ad ejuſmodi exæquationem aptiſſima ſit? Nam ſi pœna ad culpæ menſuram non exigatur, jam receditur ab æqualitate, quæ ipſa juſtitiæ anima & vita eſt. Quam ergo regulam demus? Dari quidem poteſt nulla, quæ caſus omnes complectatur: plurimos tamen ac fermè omnes comprehendit lex talionis, valdè laudata D. Thomæ 2. 2. q. 68. a. 4. in corp. *Juſtitiæ æqualitas hoc requirit, ut nocumentum quod quis alteri intendit, ipſe patiatur.* Eam talionis legem gentium omnium conſenſione probatam invenio. Inter leges 12. tabularum fuit, apud Gel. l. 10. *Si quis membrum rupit meum, ex pacto talio eſto. Quid æquius*, inquit Quintilianus declam. 11. *excogitari, quid juſtius poteſt? Graſſatus eſt aliquis ferro? Præbeat & ipſe cervices. Miſcuit noxium virus? Refundatur in ſuum facinus auctorem. Oculos rapuit, effodit? Reddat de ſua cæcitate ſolatium. Breviſſima juſtitia eſt vindicta, cùm facinus pœna menſura eſt. Atque ſi naturam ultionis inſpicias, optimè vindicatur quiſque, quomodò miſer eſt.* Quod breviùs dictum à Sapiente Mimo: *Nil acerbi eſt, ſi in te fiat, alteri quod feceris.* En talionis legem apud Romanos. Græcis item celebrata fuit illis Rhadamanti verbis apud Ariſtotelem Eth. 5. *Si quæ quis fecit injuſtè, eadem & patiatur.* Quam ſententiam alii verſibus duobus expreſsêre:

Iuſta malis hæc eſt admiſſo crimine pœna,
Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipſi.

En talionem apud Græcos.

XIII. Ubique ſervata ſolita.

Damnandos curârant perfidi calumniatores à Nabuchodonoſore Hebræos ephebos ad fornacem: ipſi in iiſdem flamis periêre. Qui Dario ſuaſerant ut Danielem leonibus objiceret, ipſi ab iiſdem devorantur. En talionem apud Aſſyrios. Paratur crux excelliſſima Mardochæo: qui

parandam

parandam curârat ipſe appenditur juſſu Aſſuëri; en talionem apud Perſas. Suſannam innoxiam lapidationi curant addicendam perjuri ſenes, ipſi mox lapidantur: en talionem apud Judæos. Uxor Othonis III. Imperatoris malis artibus & accuſatione injuſta Comitem quemdam impellit in exitium: deprehensâ poſt ſupplicium hujus innocentiâ, inflexibili rigore, ipſamet Imperatrix extremo ſupplicio per maritum addicitur & plectitur. Narrat Baron. an. 998. Carolo IV. item Imperatori offertur vir nobilis, cui Zachoræ nomen: utroque oculo ſacerdotem orbârat, ſed multis factum excuſabat, & vim pecuniæ ingentem pro damnis offerebat. At, inquit Imperator, cæco reſtitui oculi pecuniâ non poſſunt: æquiùs nihil eſt, quàm ut toleres quod feciſti, & viſum amittas. En talionem apud Chriſtianos.

XIV. *A Deo ipſo.* Deus ipſe ferè legem eamdem in hujus vitæ ſuppliciis irrogandis ſequi ſolitus: ut in ſacris Literis paſſim, hiſtoriiſque Eccleſiaſticis videre eſt. Abelum Cain occiderat, à Lamecho occiditur. Hebræorum maſculos Nilo mergendos curat Pharao: cum Ægyptiorum exercitu fluctibus obruitur, ipſe vel filius. Captivorum pedes extremos & manus præcidere ſolitus Adonibezec, capitur à Judæis & eodem prorsùs ſupplicio multatur, agnoſcitque vindictæ divinæ talionem, Jud. 1. Jezabel innoxio Nabotho vitam adimit: eâdem pœnâ plectitur, & à canibus devoratur. David alterius uxorem polluit: ipſius uxores, Dei permiſſu, clara luce ab Abſalone filio vitiantur. Joas Zachariam Jojadæ ſacerdotis filium jubet lapidari: cùm evolutus eſſet annus Syri in illo ignominioſa exercuêre judicia; & ſurrexerunt contra eum ſervi ſui, & occiderunt eum. Servâvit nimirum Deus legem quam tulerat Exod. c. 21. Levit. c. 24. Deut. c. 19. Neque in homicidiis tantùm, & mutilationibus, ſed etiam in aliis injuriis. D. Brixius cùm junior eſſet, & linguæ ſolutioris, D. Martinum ſannis, contumeliis, detractionibus appetierat: ſenior idem ab aliis juſtiſſimo Dei judicio patitur. D. Ephræm puer bovem alienam abigit, & ejus vice alius inſimulatur: multò pòſt ipſe in carcerem abducitur ob furtum alienum, & ab Angelo monetur talionis. D. Arnulfum Metenſem Præſulem detractor quidam de infami crimine vult inſimulare: ipſe in eo deprehenſus vitam perdidit. Sacerdos lingua infami & ſe & alios commandere ſolitus; ipſe linguam ſuam dentibus commordens moritur, ut narrat teſtis oculatus Thomas Cantipr. Qui D. Ignatium igni damnandum pronuntiârat, eadem nocte comburitur cum ædibus ſuis. Ita plerumque conſilio ſuo, & laqueis irretiti qui alios implicare voluerant. Ita lapides in altum jacti reciderunt in projicientem: & qui fôdit foveam incidit in eam. Ita & à Legiſlatore gratiæ ſancitum: *qui gladium acceperint, gladio peribunt: In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis: Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini: Ita & pater veſter cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Quare, ut Paullus monuit 1. Theſſ. c. 4. *Ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.* Non ceſſabit divina Juſtitia, ſi otioſa eſt vindicta humana.

SECTIO OCTAVA.

Quid ſit juſtitia Legalis, & ut adversùs illam peccetur?

I. *Quatuor flumina Paradiſi, virtutes quatuor.* AMBROSIUS lib. de Paradiſo cap. 13. ad Philonis exemplum l. 1. Allegor. de Paradiſi fonte in quatuor rivos diſſecto agens: *Sapientia,* inquit, *Dei fons virtutum, quæ nos ad æternæ curſum dirigunt vitæ, in quatuor initia dividitur; hoc eſt, quatuor quædam ex fonte illo manantia fluenta virtutum.* Prudentiam enim adumbrat Phiſon, auri, carbunculi, & lapidis praſii ferax: *dives enim utilitatum prudentia eſt, quæ pluribus proſit,* non reſtricta ad anguſtias. Temperantiam exhibet Geon terram Æthiopiæ alluens, quomodò illa abluit corpus abjectum, & carnis viliſſimæ reſtinguit incendium. Fortitudini *quæ quodam curſu rapido reſiſtentia quæque transverberat,* reſpondet Tigris fluminum rapidiſſimus. Juſtitiam ubertatis nutricem, gaudii matrem, exprimit Euphrates, ipſa ſua appellatione, ſignificans lætitiam, quam fertilibus Meſopotamiæ & Aſſyriæ agris irrigatione ſua tribuebat.

II. *Quatuor partes juſtitiæ iiſdem fluvius adumbratæ.* Ad hoc exemplum dicere poſſimus juſtitiam ipſam fontem eſſe paradiſi, unde quatuor fluenta ſeu partes dividantur. Primus rivorum eſt Phiſon, *qui non unam gentem circumfluit:* aptiſſima juſtitiæ Diſtributivæ figura, ſeſe ultrò & benignè in alios diffundentis, publicorúmque bonorum fœcundas irrigationes in ſingulos partientis, quantum neceſſe eſt. Geon Ægyptum & Æthiopas allambens, & irrigans, Commutativam indicabit, in commerciis & commutationibus verſari ſolitam, iiſque rebus pretia ponentem, quas Æthiopia longè in omnes terras tranſmittit. Tigri Vindicativa pingetur, quæ vadit impetu contra Aſſyrios, & per obſtantes viriorum obices evadit: neque enim quemquam patitur fieri judicem, aut in magiſtratu collocari, qui virtute non valeat irrumpere iniquitates. Euphrates amœnus lætusque juſtitiam Legalem refert; ſine qua rebus publicis amænitas nulla, nulla fæcunditas, nuda omnia obſoletáque: nil uſquam, niſi miſera pauperies; & morti proxima, informiſque leti ſoror, ſine ordine confuſio. Cùm enim lex ſit, Philone teſte βασιλεὺς δίκαιος, *Rex juſtus,* quomodò Rex debet eſſe νόμος ἔμψυχος, *lex animata:* cùm Demoſtheni ſit εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, *inventum & munus Deorum:* cùm Senecæ ſit, 4. de Beneficiis, *juſti injuſtiq́ regula,* & D. Thomæ, 1 2. q. 90. a. 1. *regula & menſura actuum:* & cùm, ſine juſtitia, reſpublica nulla corpus civile nullum coagmentari poſſit aut vivere: conſequens eſt ſine Legali juſtitia certiſſimum eſſe reipublicæ omnis exitium.

III. *Juſtitia virtutes omnes complectitur.* Quod ut meliùs intelligamus, diſpiciendum eſt primùm: Quid ſit juſtitia Legalis: deinde, quarumnam potiſſimum legum obſervantiam imperet, & exigat. Scholæ Philoſophicæ, imò & Theologicæ Ariſtotelem ſecutæ juſtitiam partiuntur in eam quæ Generalis dicitur, & eam quæ Particularis. Particularem eam eſſe, quæ diſtributiones aut commutationes dirigit: Generalem eam eſſe, quæ Legalis appellatur. Quantum autem extendatur, & quid ſub ſe generatim comprehendat, non omnium una eſt opinio: & ex omnibus aliquid erit, quod dicamus. Quinque omninò opiniones recenſebo, quarum aliquæ, ut in iſtis ſubtilioribus diſceptationibus aliquando accidit, ſolo ferè

nomine diſſentiunt. Primùm ſunt, qui complecti velint genus omne virtutum: iſque ſacris Scriptoribus loquendi modus eſt, ut juſtum vocent, hominem omni ex parte abſolutum, univerſa peccata, quæ etiam injuſtitiæ paſſim & iniquitates & ἀνομίαι vocantur, vitantem: mandata omnia, quæ ideò juſtitiæ & juſtificationes dicuntur, obſervantem, quantum ſcilicet mortalitatis conditio patitur. Ita à D. Luca c. 1. dictum de D. Joannis parentibus, *Erant juſti ambo ante Dominum incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus.* Ita apud D. Joannem legimus, *JESVM Chriſtum juſtum*, 1. epiſt. 2. Ita Noë, Gen. 6. dicitur *vir juſtus* atque perfectus. Eadem ſententia *Simeon* deſcribitur à D. Luca c. 2. *vir juſtus, timoratus, expectans conſolationem Iſraël.* Sic ſumma D. Joſephi laus eſt apud Matth. *Joſeph cùm eſſet vir juſtus.* Et Joſeph alter comparatus cum D. Mathia ſimili formula *juſtus* dictus, aliique plurimi: unde hanc juſtitiæ notionem multis ſtabilit & confirmat D. Anſelmus, dialogo de veritate. Imò & profanorum aliqui ſic accepêre, ut Polus Pythagoræus l. de juſtitia apud Raynaudum, ſect. 1. de juſtitia, & Libanius in juſtitiæ laudatione. Illius ſententia eſt: *Juſtitia inter homines mihi videtur mater, & nutrix, cæterarum virtutum appellanda.* Id fusè demonſtrat, ex eo quòd virtutum nulla ſine ejus fundamento poſſit conſiſtere, & quod in univerſo, in civitatibus, in domibus, in familiis, in corporibus, in animis temperet ac tueatur concordem harmoniam. Tum redit ad caput: *Cùm igitur hæc virtus totum ſimul, ac partes ſingulas, ita moderetur, & in concordia conſervet, quomodò non mater & nutrix, tum virtutum, tum rerum omnium, communi judicio dici deberet?*

IV. *Juſtitia Legalis arctatur ad virtutes alterum reſpicientes.* Philoſopho tamen viſum Legalem ſive Generalem juſtitiam paullulùm reſtringere: ut virtutes tantùm complectatur, quatenùs alterum reſpiciunt. *Atque hæc quidem juſtitia*, inquit 5. Eth. c. 1. *virtus perfecta eſt, non abſolutè tamen, ſed ad alterum.* Eò ſpectant omnia viri boni officia, fusè à D. Ambroſio explicata libris de Officiis, exemplo Tullii inter Latinos profanos, Panætii inter Græcos. Officia enim illa etſi in ſe bona ſint, ad aliorum tamen etiam utilitatem convenienter referuntur. Ita religio & pœnitentia ad Deum ſpectat, pietas ad patriam, gratitudo ad benefactores, amicitia ad conjunctos, obedientia ad ſuperiores, miſericordia ad infælices, clementia ad reos, benevolentia, comitas, affabilitas, humanitas, caritas ad omnes. Imò fortitudo ipſa, temperantia, & prudentia, ſingulæque earum partes ad alterum referri poſſunt: quà hominem faciunt non ſibi ſolùm meliorem, ſed etiam aptiorem ut aliis proſit. Vir autem bonus nemo ſoli ſibi natus eſt: & quemadmodùm vulgò Siracidæ verbis dicitur, etſi alia ſententia & ſignificatione apud Siracidem poſita ſint, *Vnicuique Deus mandavit de proximo ſuo.* cap. 17. Quam in rem breviſſimè & ſapientiſſimè Auguſtinus l. 19. de Civit. cap. 14. in ſocietate hominum, cujus pax eſt ordinata concordia, *Hic*, inquit, *ordo eſt, primùm, ut nulli noceat; deinde, ut etiam proſit, cui poterit.*

V. *Alii reſtringunt ad affectum boni communis.* Alii juſtitiæ Legalis officium exiſtimant eſſe intentionem & conſervationem boni communis. Eáque eſt opinio Angelici Doctoris, 5. Eth. lect. 2. in fine, ubi hæc habet verba: *Quia ubi eſt ſpecialis ratio objecti, etiam in materia generali, oportet eſſe ſpecialem habitum: inde eſt, quod ipſa juſtitia Legalis eſt determinata virtus, habens ſpeciem ex hoc quòd intendit ad bonum commune.* Et verò cùm res ſit prorsùs rationi conſona, adeoque materia virtutis, ut pars membrumve reipublicæ vel communitatis, totius corporis bonum eligat præ ſuo, & tueri conetur: & cùm alia virtus nulla appareat, quæ id officii præſtet præter juſtitiam Legalem: conſequens erit, hoc illi tribuendum. Eum ferè in modum ratiocinantur Theologi, D. Thomæ ſententiam ſubſecuti. Equidem fatendum, iſtam boni communis conſervandi neceſſitatem ita hominibus innatam: ut vel in ipſo corpore noſtro ex motibus non rationabilibus tantùm, ſed etiam animalibus, diſcamus. Quia hoſte gladium capiti intentante, aut in pectus dirigente, non opponat protinùs brachium quamvis nudum, ut hujus periculo illud tueatur, tamquam ſaluti totius corporis magis neceſſarium? Quis puer lapſurus, aut collabens, palmas ſtatim non extendit, ut caput ad ſolum non affligatur? Si membris ſingulis ſua eſſent judicia propria & voluntates, facerent ſine dubio ex propria ſententia, quod ex communi nunc faciunt: & integritatem ſuam ſeque tota lubentiſſimè pro reliqui corporis, cui tamquam partes ſerviunt, conſervatione offerrent.

Ita & res habet in politicis corporibus. Debemus id corpus politicum amare, ejuſque bonum commune procurare, ubi nos vel ſors vel voluntas collocavit. Eò uſque, ut etiam Jeremias à captivis Judæis velit orari pro Rege Babylonis. Imò Sapiens nemo recuſabit vel paupertem, vel diſcrimen vitæ, vel mutilationem, vel mortem ipſam, ſi ad corporis univerſi vitam neceſſe eſt. Nam quod diximus ſuperiore ſectione: Vitam innocenti etiam ad civitatis, aut regni, imò & mundi totius conſervationem tolli non poſſe: ita intelligendum eſt, ut innocens licitè quidem occidi nequaquam poſſit: pati tamen ipſe mortem injuſtam debeat, ſi aliter bonum commune conſervari non poteſt, imò & morti ultrò ſeſe offerre. Hinc celebrati illi ſacris Literis Heroës Joſue, Samſon, David, Mathathias, Judas Machabæus, diſcrimen nullum refugêre, ubi de populi Judaici ſalute agebatur. Neque alia, poſt religionis defenſionem, ratio efficacior afferri poterat, ad animandos in quævis pericula abjectiſſimos licèt gregarios milites, quàm iſta 1. Machab. 3. *Meliùs eſt nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ & Sanctorum.* Et ante Mathathias moribundus monuerat, *Vindicate vindictam populi.* Item cap. 6. Judas Machabæus, *dedit ſe ut liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum.* VI. *Quanti bonum commune faciendum.*

VII. *Alii ſumunt pro Obedientia legibus debita.* Non longè ab hac explicatione juſtitiæ Legalis recedunt, qui cum Tullio, 1. de Legibus, dicunt: *Juſtitiam in eo ſitam eſſe, ut legibus obtemperetur.* Parùm enim intereſt, an dicas, quod iſti; ab ea reſpici bonum commune ſub ratione debiti ex lege, ordinando actus omnium virtutum particularium in bonum commune reipublicæ, bonáque & perſonas civium pro communi bono, & uſu, vel neceſſitate reipublicæ impendendo. An verò dicas; ab ea intendi obſervantiam legum, quæ utique omnes ad boni communis ſalutem ordinari debent. Quamquam illo modo ſumendo, magis videatur induere naturam ejus virtutis, quam antiqui vocavêre pietatem erga patriam: poſteriore autem modo obedientiam imitatur, & in eam tranſit, adeóque juſtitiæ Legali tribui deberent prærogativæ omnes & encomia, quæ apud Scriptores leguntur de obedientiæ laudibus. Quale illud eſt Auguſt. lib. 1. cont. adverſ. Legis ac prophetarum, cap. 4. *Obedientia maxima eſt virtus, &, ut ſic dixerim omnium origo materq; virtutum, in ea natura, cui ſic datum eſt arbitrium liberæ voluntatis, ut eam tamen neceſſe ſit vivere ſub poteſtate melioris.*

Tale

Tale & illud Damaſceni lib. 2. de fide, cap. 7. ubi dicit, potuiſſe Lunæ dari à Deo proprium lumen, quomodò & Soli: non datum, ut ordo inter creaturas quæ ſubſunt, & præſunt, oſtendatur, & doceamur communicare invicem, & lubenter ſubeſſe. Tale etiam quidquid orat. 26. habet Nazianz. ubi ordinem mirificè commendat, & diſpoſitionem partium inter ſe obedientium ac ſubſervientium. Ordinem quoque in Eccleſiis conſtitutum (addi poſſit in omnibus communitatibus) ut alii oves ſint, alii paſtores: alii præſint, alii ſubſint, ac pareant: alius velut caput ſit, alius pes, alius manus, alius oculi, &c. Omnes corpus unum ſumus; alii dominantur, & præſunt; alii parent, & reguntur. Idem Orat. 9. habet eximium illud & veriſſimum: *Obedientiam tam terrena, quàm cœleſtia, tueri & conſervare: ſummopere itaque cavendum, ne excluſâ obedientiâ invehatur anarchia, regeréque ſeſe ipſi velint, qui regi debent, cum aperta multitudinis totius pernicie.*

IX. *Videtur eſſe affectus erga leges ad boni commune.* Quia tamen ſic ſumpta juſtitia Legalis, pro obedientia legibus debita, non diſtingueretur à virtute obedientiæ: nec Theologi, juſtitiæ ſpeciem veram ac legitimam, cum ea quæ ſolummodo ad juſtitiam reductivè pertinet, commiſceri paterentur. Ad vitandam ergo & confuſionem illam, & diſputationem, definiri poſſet juſtitia Legalis, quæ membro reipublicæ ſeu communitatis imperat obſervantiam legum iſtius communitatis, eamque exigit; tamquam jure debitam corpori, & toti, à membro ac parte: non autem tamquam debitam ſuperiori à ſubdito. En manifeſtam ab obedientia diſtinctionem: hæc enim ſpectat obſequium; illa non tam obſequium, quàm convenientiam & conſonantiam: hæc capitis tantùm nutum attendit; illa membrorum omnium communem voluntatem: hæc ad privatam utilitatem reſtringi poteſt; illa in publicam ultimò dirigitur: hæc in certo præceptorum numero verſatur, quantum ſuperiori placuerit; illa, quidquid legum in benè conſtituta republica eſt, amplectitur. Cùm autem ſint leges quintuplices: quæ ex Naturali jure manârunt; quas jus Gentium fixit; quæ Divino jure indictæ ſunt; quas jus Humanum commune invexit; quæ particularibus, ſeu provincialibus, ſeu municipalibus ſtatutis, ſancitæ ſunt: nova hic quæſtio ſubnaſcitur, an ea quinque legum genera juſtitia Legalis comprehendat: & eamobrem juſtitiæ Generalis appellationem ſortita ſit.

X. *Lex naturæ quid ſit.* Ad Legem Naturæ ſolam reſtrinxit vir è D. Franciſci familia eruditus inprimis & pius, ſanctiſſimi Arianenſis Comitis D. Eleazari olim Confeſſarius, Franc. Maironis. De qua lege tres omninò teſtes produco valdè ſignificanter & luculentè locutos. Primus prodeat Hieronymus q. 8. ad Algaſiam, ubi ex Tertulliano aliquid exſcripſiſſe videtur libro de Corona Militis. Cùm Exc. 3. ad cap. 4. ſect. 1. num. 6, Tertullianus locutus ſit, nunc Hieronymum audiemus: *Naturalem legem ſcriptam in cordibus noſtris Apoſtolus docet: cùm enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciant; iſti legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui indicant legis opus ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium perhibente illis conſcientia. Iſta lex, quæ in corde ſcribitur, omnes continet nationes, & nullus eſt hominum, qui hanc legem neſciat. Unde omnis mundus ſub peccato, & univerſi homines prævaricatores legis ſunt: & idcirco juſtum judicium eſt Dei, ſcribentis in corde humani generis: Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiſcentiam eſſe malum, ex eo quòd ſibi ea nolit fieri? Si enim mala eſſe neſciret, nequaquam doleret ſibi eſſe illata. Per hanc naturalem legem, & Cain cognovit peccatum ſuum dicens, Major eſt cauſſa mea, quam ut dimittar. Et Adam & Eva cognoverunt peccatum ſuum, & propterea abſconditi ſunt ſub ligno vitæ. Pharao quoque, antequam lex daretur per Moyſen, ſtimulatus lege naturæ, crimina ſua confitetur, & dicit: Dominus juſtus, ego autem & populus meus impii. Hanc legem neſcit pueritia, ignorat infantia, & peccans abſque mandato, non tenetur in lege peccati: maledicit patri & matri, & parentes verberat, & quia necdum accepit legem ſapientiæ, mortuum eſt in eo peccatum. Cùm autem mandatum venerit, hoc eſt, tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala; tunc incipit peccatum reviviſcere, & ille mori, reúſque eſſe peccati.*

XI. *Aliæ ejus deſcriptiodes.* Eâdem ſententiâ loquitur Proſper, ſive apud Proſperum auctor poëmatis de Provid. hiſce verſibus. Ubi tamen notandum, quod ait ex lege naturæ ſanctè aliquos vixiſſe, intelligi id debere de ſanctitate tantùm naturali, & morali, aut de conjunctâ cum legis opere gratiâ divinâ.

Ite ipſi in veſtra penetralia mentis, & intùs
Inciſos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite legem.
Nam quis erit, modò non pecus agri, aut bellua Ponti,
Qui vitiis adeò ſtolidè oblectetur apertis,
Ut quod agit, velit ipſe pati? Mendacia fallax,
Furta capax, furioſum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.
Unus enim pater eſt cunctorum: & ſemine recto
Nemo caret, ſimiliſque omnes produxit origo.
Unde etenim nondum deſcripta lege fuerunt,
Qui placidum ſanctis agerent in moribus ævum,
Nec ſummi Patris ignari, nec juris egeni?
Ergo omnes unà in vitam cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus, quæ condita libris.

Similiter Tullius locutus in libris de republica apud Lactantium lib. Inſtit. 6. cap. 8. *Eſt quidem vera lex, recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna: quæ vocet ad officium, jubendo; vetando, à fraude deterreat: quæ tamen neque probos fruſtra jubet aut vetat; neque improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec prorogari fas eſt, nec derogare ex hac aliquid licet, nec tota abrogari poteſt. Nec verò aut per Senatum, aut per populum, ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator, aut interpres ejus alius. Neque erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes, & omni tempore, una lex & ſempiterna & immutabilis continebit: uniúsque erit communis quaſi magiſter, & Imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, & hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.*

XII. *Juſtitia Legalis leges omnes complexa.* Ei communi & ingenitæ omnibus legi parere juſtitiam Legalem affirmabat Mayronius in 3. d. 37. q. 9. Si quis autem ab eo petierit, cur etiam juſtitia Legalis non inclinet ad ſervandum jus Gentium? Quod Aug. lib. 3. Conf. cap. 8. vocat *generale pactum ſocietatis humanæ*: ſeu ut alii deſcribunt, *jus gentibus omnibus benè inſtitutis commune*, & earum conſenſu vel uſu inductum, conſentaneè ad naturam rationalem, non tamen ita ut neceſſarium eſſet ſic fieri ex principiis honeſtatis? Si quis item petat à Mayronio cur ejuſdem juſtitiæ munus non ſit amplecti jus Divinum, ſeu leges à Deo per Chriſtum Angelóſve extra ordinem impoſitas? Cur ad eam non ſpectet leges omnes Humanas complecti; ſeu quæ à poteſtate ſacra, ſeu quæ à profana ferûntur?

Præſertim cùm aliquo modo ad jus Divinum pertineat, hiſco obtemperare, quandoquidem ita Deus ſanxerit. unò & ad legem Naturæ, quæ ad quaſvis juſtas leges obſervandas ſecundùm rectam rationem inducit. Incommodè itaque juſtitia Legalis arctetur ad ſolam Naturæ legem, ſi ejus natura collocetur in voluntate benè erga leges afficienda: cùm ratio & æquitas poſtulent generatim benè erga leges omnes affici. Quamquam exiſtimârim ejus juſtitiæ præcipuum eſſe officium ad eas leges inclinare & afficere, quæ peculiari ſingularum rerumpublicarum jure firmatæ ſunt. Sicut enim hominibus ſingulis, ſupra communes naturæ humanæ conditiones, ſunt peculiares aliquæ & individuæ: ita & rebuſpublicis ſingulis propriæ ſunt leges ac conſuetudines, per quas ab aliis ſecernuntur. Iis præſertim ſtudet juſtitia Legalis, ut de facili non mutentur; quam in rem Legiſlator neſcio quis apud Diodorum l. 12. ſtatuerat, ut qui contra legem jam receptam aliquid vellet proponere, in concionem veniret appenſo ad collum laqueo: ſi ejus propoſitio parti concionis majori non placeret, ſtatim ſuſpenderetur. Imò nec facilè earum gratia fiat: niſi quomodò monebat Bern. lib. 4. de Conſid. *ubi neceſſitas urget ... vel ubi utilitas provocat ... utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

XIII. Diſtributiva & Vindicativa juvant Legalem.

Multò minus patietur Legalis juſtitia, ut citra juſtam abrogationem, vel diſpenſationem gratiámve, legibus non pareatur. Id enim foret benè coagmentatum corpus diſſolvere; &, ut propheta loquitur, ſtruere murum abſque cæmento & temperamento, qui utique caſurus eſt. Quare juſtitia Legalis non tantùm imperat affectum erga leges, ſed etiam obſervantiam exigit: & ſi ad exigendum ſola non ſufficit, auxilium advocat ſororum ſuarum Diſtributivæ, & Vindicativæ: illius, ut obſervantiam compenſando, ſpem excitet: hujus, ut negligentiam vindicando, metum admoveat. In ſcholis numerant legis actus quaternos, prohibere, præcipere, permittere, punire. Plena meo judicio diviſio non eſt. Numquid enim non eſt legis officium, compenſare pariter, ac punire? Jacent omnes, & inſtar ſunt vanæ formidinis, ad terrendas aves in hortis poſitæ, ubi ſpes mercedis non excitat, aut metus non reprimit. Spes abeſt, ubi Diſtributiva officio ſuo non fungitur. Metus abeſt, quando Vindicativa ſocors otiatur. Jungantur itaque hic, & illa: ſpes metu humanior, at metus ſpe fortior. Etſi enim *malus magiſter officii metus* dicatur, officii tamen magiſter eſt, & publicè prorſus neceſſarius ad coërcendam improbitatis licentiam.

XIV. Spes & metus cuſtodes legum.

Dicebamus ſub initium ex Philone, Demoſthene, S. Thoma, quid ſit lex: neque attulimus vulgatam illam deſcriptionem: Lex eſt tela araneæ, quam dum craſſiores muſcæ perrumpunt, minores illaqueantur. Imò generatim dixerimus, leges quaſvis ſine Diſtributivæ, & Vindicativæ juſtitiæ auxilio, eſſe telas aranearum laxas cum ſolo ſubtegmine, quas evadunt minores muſcæ, frangunt craſſiores. Non eſt neceſſe, ut hujus definitionis veritati firmandæ, ad rerumpublicarum adminiſtrationem circumferamus oculos: in familiis ſingulis, in ipſa mentis noſtræ civitate aut domo, quotidiana exempla deprehendemus. Pulcerrimas familiis leges ſcripſit D. Paulus, quas Excur. ad cap. 7. libri 1. ſect. 3. attigimus. Amore quidem & caritate mutua ſervari deberent; & Paullus commendat, non filiis modò, ſed & ſervis, ut obediant heris ſicut Domino, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate. Sed ſi abeſt ſpes, ſi metus amori non auxiliatur, non ſervi tantùm, ſed & filii, diuturnum ac conſtans obſequium vix ſunt præbituri. Quid quòd in ipſa Dei domo, & familia, neceſſe eſt etiam Vindicativa intentet gladium, & Diſtributiva mercedem, canteturque Domino miſericordia ſimul & judicium; & timor abſtrahat à malo, ſpes ad bonum alliciat? Inclinamus corda noſtra ad faciendas juſtificationes Domini in æternum, propter retributionem. Petimus ut configat timore ſuo carnes noſtras, quia à mandatis ejus timemus: & ut ſtatuat nobis eloquium ſuum in timore ſuo. Etſi non neſciamus dictum à S. Paullo 2. Tim. 1. *Non dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis.* Etſi Chriſtus amabiliſſimus Legiſlator, ſupra fontem ſedens, petat & offerat aquas amoris: etſi audierimus centies: *Finis præcepti caritas: Plenitudo legis dilectio: Qui diligit, legem implevit.*

EXCUR-

EXCURSUS II. MORALIS

Ad Cap. 16. *verſ.* 20. Miſit occupare Ieruſalem, & montem Templi.

Menſura peccatorum.

SECTIO PRIMA.

Civitatibus ac populis peccatorum ac ſuppliciorum certa à Deo Menſura dicta eſt.

I. *Nova Judææ calamitas.*

OCciso Simone ac liberis, parricida Ptolemæus, ad aſſerendum ſibi Pontificatum, miſit extemplò qui Hieroſolymam recuperarent, ac montem Templi, munitum arcis inſtar, ut inde in Judæam univerſam dominaretur. Quod etſi, quemadmodùm in Commentariis narravimus, efficere nequierit, non tamen ſine confuſione ingenti reipublicæ, agrique omnis deſolatione conatus ambitioſus & ſacrilegus abiit. Hinc nova per malum inſtrumentum Judæis illata ſupplicia, calamitateſque communes: atque adeò criminum cauſſa id factum, & commenſa à juſto Numine pœna menſuræ noxarum. Cujus Menſuræ, quia ſæpè à nobis mentio facta eſt, plurimumque ad omnem de malis publicis materiam intelligendam facit: ejus hoc loco naturam, veritatemque accuratè rimabimur: atque iſta occaſione ad extremam populi Judaïci Menſuram tranſibimus, à Chriſto bis disertè præſignificatam; expletámque, quando Deus *miſit* Romanos *occupare Ieruſalem, & montem Templi*, ac funditùs evertere.

II. *Ponderum, & menſuræ æqualitas præſcripta.*

Salomon politices ſcientiſſimus disertè cavet, Prov. 20. v. 23. ut alia loca taceam, ne qua in ponderibus menſuriſve fraus admittatur. Hauſit hoc ex Levit. 19. v. 35. & 36. ubi ſignificanter *juſta pondera, & æqua menſura* indicuntur. Ex cap. 30. Exodi, menſura ac pondus Tabernaculi ſtatuuntur pro ponderum omnium, ac menſurarum, norma. Quo exemplo Juſtinianus Auth. de Collatoribus, §. Tu autem. jubet in primariis Chriſtianorum templis aſſervari pondera ac menſuras, ne qua publicè mutatio poſſit irrepere. Etſi enim negotiatores ac dimenſores ſcire debeant, ſi malâ fide pondera menſuráſve vitient, ſeſe contra juſtitiam peccare, ac pro ratâ ad reſtitutionem obligari. Legiſlatores tamen ſapientes, non ignari avaritiæ hominum à conſcientia frænos ſatis validos non eſſe, addendas illi coercendæ habenas legum ac pœnarum putaverunt.

III. *Et à Deo ſervata.*

Quam legem eo in genere Deus tulit, ipſe ſervare in ponderanda & admetienda culpis pœna ſolitus eſt. Prov. 16. *Pondus & ſtatera judicia Domini: & opera ejus omnes lapides ſacculi:* quia ſaxa erant pondera, & in ſacculis ad uſum recondebantur, ideò vocantur lapides ſacculi, & illis opera judiciorum ſeu juſtitiæ divinæ comparantur. Sapientiæ 11. ubi de ſuppliciis Ægyptiorum agitur, eáque comparantur cum culpis: *Omnia*, inquit, *in Menſurâ, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* En ipſum Menſuræ nomen, quod Iſaiæ, de calamitatibus patriæ ſuæ ob peccata imminentibus loquenti, placuit cap. 27. *In Menſurâ, contra Menſuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam:* modum ſuppliciorum modo criminum admetieris. Et cap. 28. Deus eadem ratione de re eadem loquitur: *Ponam in pondere judicium, & juſtitiam in Menſura.* Uſurpavit eamdem vocem Chriſtus, Matth. 23. ubi ad extremum Judaïci populi exitium alludens: *Et vos*, inquit, *implete Menſuram patrum veſtrorum, ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus*, ſeu reatu, ſive exemplo trahatur in pœnam veſtram: exemplo trahetur *Abel juſti* martyrium, reatu *ſanguis Zachariæ filii Barachiæ.*

IV. *Deus non continuò punit peccata.*

Ut iſthæc clariùs percipiantur: primò diſpiciamus quid illa Menſura ſit, & quæ ejus ratio: deinde verúmne, præſtitutam eſſe certam ejuſmodi Menſuram civitatibus omnibus ac populis. Ante omnia, ponenda fundamenta tria, quibus Menſura incumbet. Primum ſit: peccata, ſeu privatorum, ſeu publica, non ſtatim ac patrata ſunt, ſolere per divinam juſtitiam caſtigari: tum ut peccantibus à miſericordi Domino ſpatium pœnitendi concedatur: tum quia, ſi iniquitates obſervaret Dominus, quis ſuſtineret, & qui homines, aut quotuſquiſque ſaltem hominum ſupereſſet? Probandæ Dei patientiæ in tolerandis ac diſſimulandis privatorum culpis, aliud argumentum opus non eſt, quàm ipſi nos. Demonſtrandæ ejuſmodi miſericordi longanimitati, in ferendis communibus populorum noxis, dum aliæ probationes infrà congerendæ expectantur, modò ſufficiat illud Exod. c. 32. ubi Moſi, pœnam adorati à populo vituli aurei enixè deprecanti, ait, ſe diſſimulaturum: *In die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.*

V. *Privatorum pœna omnis aliquandò ad vitam alteram differtur: non populorū.*

Alterum fundamentum eſt: Privati peccantis pœnam interdum omninò, & totam, differri ad vitæ alterius tempus. Itaque viſi impii dies omnes ſerenos tranſigere: & poſſe ſub mortem facere, quod Auguſtus cùm extremo morbo laboraret: qui benè pexus, comptus, & indutus, & in lecto aſſurgens, amicos rogavit; ecquid in ſcena perſonam benè egiſſe videretur, ut diſcedenti plauderent. Cauſſa verò ejus dilationis hæc eſt: quòd privati hominis vita brevis interminabili æternitate clauditur, per quam miſer reus momentaneam fælicitatem longâ calamitate commutabit. Aliter res

habet in rerumpublicarum ſuppliciis: quæ licèt Deus procraſtinare ſoleat, numquam tamen rejicit ad tempus æternitatis. Tum quia, longa pleramque rerumpublicarum & populorum vita, ſeu duratio eſt; ſuccedentibus inter ſe ætatibus ac generatinoibus. Tum quia, in altera vita reſpublicæ ejuſmodi nullæ ſunt, neque ulla ſupereſt diſtinctio Judæi aut Græci, Galli vel Iberi, Pannonis aut Germani. Duæ omninò ibi ſunt civitates: Babylon apud inferos, Jeruſalem in cælis: quarum ſuburbana ſunt uſque ad diem judicii purgatorii ignes, ad Babylonem ſpectantes ob tormentorum magnitudinem, ad Jeruſalem pertinentes ob ſecuritatem de ſalute. Quando igitur nulli in altera vita populi ſupererunt, ibi puniri non poterunt: adeóque decet, imò oportet, ut hic caſtigentur, & ut divinæ Juſtitiæ ſatisfiat, & ut ſuppliciis publicis alii populi, ac privati quique, efficaciùs à delinquendo deterreantur.

VI. In populorum communibus ſuppliciis etiam avorum crimina puniuntur.

Tertium fundamentum eſt: calamitatibus publicis non præſentia ſolùm populi, ſed etiam præterita crimina caſtigari, patrum avorumque. Ita Exod. 20. dicit Deus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* E quibus verbis etſi putet Auguſtinus Ench. cap. 46. & 47. non improbabiliter dici, peccatis parentum obligari filios, velut originalibus quibuſdam, ad tertiam uſque & quartam generationem. Conſtat tamen, eo loco agi de communibus populorum ſuppliciis ob peccata majorum. Ita Exod. 34. Moſes, poſtquam Dei miſericordiam commemoravit, hoc juſtitiæ arcanum non obliviſcitur: *Qui reddis iniquitatem patrum filiis, in tertiam & quartam progeniem.* Vide & Levit. 26. v. 39. 40. Iſa. 14. verſ. 21. ut alia plurima loca prætercam in eamdem ſententiam.

VII. Reſpondetur objectioni.

Neque obſtat illud Deut. 24. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Nam ea lex intelligenda eſt, de pœna perſonali per Judices infligenda: ubi ob reum patrem liberos occidere non licet, vel contrà. Major eſt difficultas Ezech. c. 18. verſ. 17. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ex eo loco Hieronymus in Ezech. c. 18. colligit à Deo filium numquam puniri ob peccata parentum: *quia injuſtum videtur*, inquit, *ut alius peccet, & alius puniatur.* Adeóque locum ſupra relatum ex 20. Exo. dicit parabolicè intelligendum, & probat ex verbis Ezechielis: *Proverbium vertitis in parabolam dicentes; Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.* Sed Hieronymi pace, dubitari non poteſt, quin locus ille Exodi, alöque textus Scripturæ, intelligi debeant verè ac literaliter de ſuppliciis, quæ in poſteros peccatores ob ſua ac majorum crimina expetuntur. Adde ſententiis notatis, ſi lubet, aliam Iſa. 65. *Reddam & retribuam in ſinu eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul.* Et Jerem. 32. *Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitates patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos.* Et Dan. 9. *Propter peccata noſtra, & patrum noſtrorum*, &c.

VIII. Cur id fiat?

Fruſtra itaque nobis Lyricus Romanus ſuum illud occinat: *Delicta majorum immeritus lues, Romane.* Quomodò enim corpus ejus effætum luit juvenilis peccata: ita reipublicæ corpus annoſum juſtè plecti poteſt, ob noxas admiſſas longo inde intervallo. Etſi enim ætatibus ſuccedentibus privati omnes, qui tunc vivebant, obierint: idem tamen reipublicæ corpus eſt, eadem urbs, civitáſve, aut populus. Sicut hominum corpora eadem in juventute ac ſenectute cenſentur: etſi nutritio, accretióque, ac decretio, perpetuas fecerint membrorum mutationes. Adde numquam hodie viventem populum puniri ob peccata majorum, niſi ſuis ipſis peccatis ultimam manum appoſuerint, numerumque, ab Juſtitia divina deſignatum, expleverint.

IX. Vera Menſuræ ratio.

Et hæc vera eſt Menſuræ, qua de agimus, ratio ac natura, ex certo peccatorum numero conflatæ, quem Juſtitia divina nationi cuilibet populóve præſtituit, & quo expleto communi quapiam calamitate eam nationem aut populum caſtigari neceſſe eſt; niſi vel emendatione morum, vel inſigni pœnitentiâ, ſupplicium prævenerit, ut brevì dicomus. Quemadmodùm ſtata eſt diſpoſitio caloris, & intenſionis gradus, antequam lignum exardeſcat: & propria eſt rotarum circumvolutio, antequam horæ ſignum audiatur: & certa humidi calidique conflictatio in viſceribus noſtris, antequam mors ingruat. Sed eâ diſpoſitione, & circumvolutione, ac conflictatione poſitâ, niſi extrinſecùs inexſpectatum impedimentum accidat, effectus ſequetur.

X. Probatur ex Scriptura.

Id ex Scriptura evidens eſt, Gen. 15. *Generatione quartâ revertentur huc: necdum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Ita Deus Abrahamo. Completas fuiſſe, quando Iſraëlitæ Palæſtinam intravêre, patet ex Deut. 9. ubi Moſes monet Iſraëlitas, ne fortitudini ſuæ aut benefactis tribuant ingreſſum in terram promiſſionis: *Propter impietates ſuas illæ deletæ ſunt nationes. Quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ ſunt.* Gen. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* Quem clamorem Auguſtinus interpretatur *publicam peccandi licentiam*, à Deo puniri maximè ſolitam. Et cap. 4. de vitâ Chriſt. locum iſtum ſic legit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum completus eſt: & peccata eorum magna vehementer completa ſunt.* Eódem referri debent Iſaiæ verba cap. 7. *Adhuc ſexaginta quinque anni, & deſinet Ephraïm eſſe populus.* Item cap. 13. 15. 17. 19. 21. 22. 23. *Onus Babylonis: Moab: Damaſci: Ægypti*, &c. Expende item Amos c. 1. *Super tribus ſceleribus Damaſci, Gazæ*, &c. ubi diſertè numerus figitur ex communi hominum ſermone, quo dicimus, *Tertia ſolvet.* Quamquam Deus etiam tertiæ parcit, & ad quartam uſque tolerat: id eſt ultra patientiæ humanæ modum differt peccantium pœnas. Adde Dan. c. 5. ſcriptas in pariete voces, *Mane: numeravit Deus regnum tuum*: Græcè, ἐμέτρησεν, *admenſus eſt.* Attendenda etiam, cap. 5. Zachariæ, amphora impietate plena, quæ à fœminis duabus, rapacitatis atque injuſtitiæ figuram gerentibus, transfertur Babylonem, ubi gens Iſraelitica gemuit. Adverte item Græcè haberi pro amphora, μέτρον, id eſt, *Menſura.* Danielis cap. 8. ubi deſcribitur Antiochi Epiphanis rabies in Judæos, verſu 23. dicitur: *Cum creverint iniquitates, conſurget vir impudens facie.* Græcè habetur πληρουμένων τῶν ἁμαρτιῶν, *Completis iniquitatibus*: Plenâ ſcilicet Judæorum menſurâ.

XI. An plenitudo Menſuræ cognoſci poſſit?

Quærat hîc aliquis. Sciríne poſſit, quando populi Menſura ad deſtinatum ab Juſtitia divina cumulum excreverit? Dicendum, id certò cognoſci non poſſe; niſi ab eo, cui ſoli futura æquè, ac præterita & præſentia, pateant. Deum tamen imminentia rebuſpublicis exitia præſignificare ſolitum, aut frequentatis miſeriis publicis, quæ iram ejus indicent, aut oſtentis quibuſdam extraordinariis, aut vaticiniis inſolitis. De miſeriis minoribus majorum prænuntiis, idem ferè eſt atque in

ægrotaturis

Digitized by Google

ægrotaturis magno aliquo morbo, qui ante tentari valetudinem concutique ſentiunt, & ſi ſapiunt ad medicum maturè adeunt, ut venienti malo occurrant. Vide dicta Excurſ. 2. ad cap. 4. ſect. 2. n. 5. De oſtentis dicendi locus erit 2. Mach. cap. 5. ubi de armatorum aëreorum congreſſu narratur. Vaticinia paſſim in Prophetis occurrunt. Illuſtre in Eccleſiaſticis hiſtoriis ex Joſ. 7. de Bello cap. 12. Baronius recitat ad an. 65. Annis octo ante Hieroſolymitanum excidium, ruſticanus homo cùm Judaïco more ad feſtum celebrandum veniſſet, ſubitò velut alienus à ſenſibus exclamare: Vox ab Oriente, Vox ab Occidente, Vox à quatuor ventis, Vox contra Hieroſolymam, Vox adversùs Templum, Vox adversùs conjuges novos, Vox in omnem populum. Pax tunc alta erat, nec tamen deſiit horrendum carmen intonare, quantumvis verberibus dirè cæſus, donec circumſeſſâ civitate, conſcenſis mænibus inclamavit, Væ Hieroſolymæ: Væ Templo: Væ mihi. Ad quæ poſtrema verba, lapide baliſtâ excuſſo obtritus eſt. Narrat Spond. an. 1472. pridie quàm horrenda ſeditio Bononienſis nobilitatis partem maximam mutuâ cæde perdidit, ignotum quempiam aſino inſidentem, Cruce ligneâ inſtructum ac concionabundum, plebi denuntiâſſe, ut mores corrigeret, ni Dei iram experiri vellet. Idem an. 1527. narrat, ante captam à Cæſareis Romam, ab externo mendico, qui verberibus numquam abſterreri potuit, vicatim inclamatum, Væ Romæ: Væ Papæ: Væ Clero ac populo Romano. Non abſimilia Leodii ante funeſtiſſima Borboniana tempora evenêre, noſque alibi perſtringimus. In eumdem modum ubique fermè nationum excidiis, aut inſignibus cladibus, vaticinia præire, ex hiſtoriis notum eſt. Adeóque generatim dici poſſe videtur, quod de Hebræis Amos c. 3. *Quia non facit Dominus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas.*

XII. Poſſitne depleri Menſura? Quæratur deinde: ubi plena Menſura, aut proximè plenam eſt, an depleri queat? Poſſe tam indubitatum mihi eſt, quàm certa Jonæ ac Ninivitarum hiſtoria. Idem tot probant prophetarum tamque manifeſtæ voces, quibus ad pœnitentiam populus vocatur, ut calamitates impendentes præveniat. Apertè idem conficitur, ex loco Exo. 20. ſuprà adducto, ubi Deus dicit peccata puniri *in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Itaque ſi filii aut nepotes non peccent, non punientur. Objiciebant Manichæi impiè crudelitatem Deo antiqui Teſtamenti, ex eo loco, quòd parentum culpas filiis imputaret. Reſpondet Aug. cap. 7. cont. Adimantum: *Ex eo quod addidit, qui me oderunt, intelligitur eos tantum puniri peccatis parentum, qui in eadem perverſitate parentum perſeverare voluerunt.* Quare populi minis cæleſtibus territi, aut minoribus malis frequenter exerciti, ut perniciem vitent, ad publicam pœnitentiam orationesque confugiant.

XIII. Menſura privatorum. Menſuræ iſtius occaſione deſideret etiam quiſpiam intelligere, quid de privatorum Menſura ſentiam: certúmne Deus deſignârit numerum peccatorum, quæ in reprobis toleret, ac deinde iis expletis, gratias deinceps ex toto deneget? Ea videtur eſſe communior Theologorum ſententia, ex noto Auguſtini verbo: *Impius cùm vult, non poteſt; quia, cùm potuit, noluit.* Item ex D. Gregorii dictis 3. parte Paſtoralis, titulo *Pigri & Præcipites* toto: ubi inter alia ait: *Dum opportunè agere quæ poſſumus, nolumus: paullò pòſt cùm volumus, non valemus.* Eódem ſpectare videtur induratio Pharaonis: rejectio Saülis: verba Iſaiæ 55. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt:* verba Chriſti Joan. 8. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Denique idem colligitur ex doctrina Prædeſtinationis & Reprobationis, quam fieri poſt prævifam certam meritorum aut demeritorum ſummam Theologi communiùs docent: indicatque Eccleſia, cùm Deo dicit: *Qui vivorum dominaris ſimul, & mortuorum, omniúmque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis.*

XIV. Sententia mitior. Eam de Menſura gratiarum, peccatorumque, ſententiam, ad humilianda Deo capita, & operandam cum timore & tremore ſalutem prodeſſe, multi exiſtimant. Ego, bonâ eorum veniâ, etiam horrori inducendo, & abjiciendis proximè ad deſperationem animis, aptam eſſe arbitror. Quare verior mihi juxta videtur, ac mitior, eorum ſententia, qui aiunt: Privatis non aliam gratiæ, quàm vitæ, Menſuram eſſe præfixam. Dum vivunt, gratias ipſis numquam eſſe occluſas: nec peccatorum cumulum oppleri, niſi impœnitentiâ finali. Certè Tridentinum ſeſſ. 6. c. 29. generatim de Fidelibus pronuntiat: *Si quis dixerit eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per gratiam reſurgere; anathema ſit.* Ubi vides nec induratum quidem peccatorem excipi. Hinc etiam Sancti, & Eccleſia, pro peccatoribus quibuſlibet orant: qua de re vide Joan. 1. cap. 5. & D. Bernard. de Gradibus Humilit. gradu 12. ubi dicit, agens de obdurato. *Apertè non audeo dicere, Veni Domine, ſuſcita mortuum noſtrum: corde tamen tremulo intùs clamare non ceſſo; Si fortè, ſi fortè, ſi fortè deſiderium pauperum exaudiat Dominus.* Et Aug. in pſalm. 39 pro iis omnibus orari vult: affertque medici exemplum qui deſperato ægro dicit: *Bonus Dominus: orate pro eo.* De nemine umquam, qui adhuc vivit, deſperemus: dum vivit, converti poteſt. Vide Excurſ. 2. ad c. 4. ſect. 4. num. 12.

SECTIO SECUNDA.

Menſuræ exemplum in natione Iudaïca, ex parabola vineæ. Matth. 21.

I. Chriſti parabola. COMMINATUS eſt bis præſertim Chriſtus Judæis extremum exitium: occultâ primùm parabolâ, tum aperto vaticinio. Matthæi cap. 21. quam præcinuerat diſertè Iſaias parabolam de vineâ, Phariſæis Chriſtus proponit, ſententiamque eorum de propoſitâ materiâ exquirit, atque hinc in ipſorũ caput retorquet. Cùm à Deo Judaïcus populus Chriſtianis in exemplum fugiendorum ac timẽdorum proponatur: operæpretium erit, hîc expendere ſententiæ, adversùs ipſos à juſtiſſimo ſimul ac clementiſſimo Judice pronuntiatæ, gravitatem, & cauſſam. Sententia hiſce verbis continetur: *Ideò dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Cauſſam indicat particula *ideò*. Sententiæ duplex pars eſt: prima, *Auferretur à vobis regnum Dei:* altera, *Et dabitur genti facienti fructus ejus.*

II. Rigor ſententiæ è duplici capite. Eò rigidior & terribilior eſt condemnatio, quò plures reos comprehendit, & quò major pœna infligitur, ſeu quò majus bonum per ſupplicia tollitur. Adulteri pœna hodie eſt ferè pecuniaria & honoraria: Zaleuci lege, non honore modò, ſed etiam oculis adulter multabatur: aliarum gentium moribus additur vitæ privatio, quâ de re, ſi digredi placebit, conſulere poteris Baronium anno 201. & 271. & 339. & 745. Quid ſi pœna mortis non unum ſolummodò caput petat, ſed liberos, & agnatos?

Digitized by Google

agnatos? Quid ſi familiam univerſam? Quid ſi ulteriùs ad poſteros uſque porrigatur? Quemadmodùm ab Alexandro Scotiæ Rege factum perhibet Spondanus an. 1222. Quadringentis enim, qui Epiſcopo Catanesio necem intulerant, extremo ſupplicio affectis, impuberes eorum filios, cùm puberes jam occiſi eſſent, eviravit, ne quis de ſcelerata ſtirpe ſupereſſet.

III. Multi unâ ſententiâ damnati.

Utrumque caput convenit in primam partem ſententiæ à Chriſto prolatæ. *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei.* Non ab uno auferetur, ſed *à vobis*, id eſt à pluribus: neque à plebeiis hominibus, ſed à vobis cuſtodibus legis & capitibus gentis Judaicæ: adeóque à familiis veſtris, à ſynagogis, & à gente univerſa: neque ab iis modò qui hic ſunt, aut in Judæâ habitant, ſed etiam à cæteris, qui per orbem ſparſi licèt, vobis tamen legum & morum conjonctione colligati ſunt, velut capitibus membra: neque in præſens tantùm, ſed etiam in ſeram retrò poſteritatem, ad tot ſæcula, quot hinc uſque ad ſæculi interitum interfluent. Quis ſeriò expenſa tali condemnatione non exhorreſcat? Damnatur populus Dei, numeroſiſſima gens, latiſſimè diffuſæ cognationes: junguntur patribus liberi, tritavis trinepotes, agnatis conſanguinei, amicis neceſſarii, pauperibus divites, indoctis eruditi, infimis ſummi: innumera capita promiſcui generis & conditionum, locis ac temporibus longiſſimè ſemota, uno ſupplicio involvuntur. Quis ad hoc divinæ Juſtitiæ conſilium, tam ferreus aut Infidelis ſit, ut non expaveſcat?

IV. Paucitas Judæorum ſalvandorũ.

An ergo, inquies, nulli de Judæis excepti, ſalvi nulli? Imò: ſalus enim ex Judæis, eſt & pro Judæis. Audivêre Chriſtum nonnulli, Petrum plures. Secuti aliis temporibus alii. In Balearibus inſulis ad patrata D. Stephani reliquiis miracula plurimi Chriſtianam fidem arripuêre ſæculo Chriſtiano quinto. Ab uno D. Vincentio Ferrerio multa Judæorum millia ad fidem vocata feruntur. Audio in Apocalypſi ſub mundi finem memorari centum quadraginta quatuor millia, ſignata ex omni tribu filiorum Iſrael. Sed quantacumque illa Hebræorum converſorum ſumma videatur, quantula eſt ad ſummam derelictorum? Quid ad duos Judæorum milliones Memphi habitantes? Tot enim cenſeri ſcribit Radzivilius in Itinerario. Quid ad multitudinem paſſim orbe univerſo diſſipatam, urbesque & regna infauſtâ fæcunditate implentem? Itaque de paucitate ſalvandorum Judæorum, præ multitudine pereuntium, aptiſſimè dici poteſt iſtud Iſaiæ 30. *Comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione pravalidâ, & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aqua de fovea.* Item illud ejuſdem prophetæ cap. 24. *Quomodò ſi pauca olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem ſuam, atque laudabunt.* Quod non minùs eleganter, aliâ ſimilitudine, expreſſum ab armentario propheta Amos c. 3. *Quomodò ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: ſic eruentur filii Iſraël.* Et mox cap. 4. *Facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio.*

V. Quale bonum Judæis ablatum?

Cæteris verò membris non erutis quid eveniet? Quid fiet oleis & racemis præcocibus? Quid inutilibus lagenæ contritæ fragmentis? *Auferetur*, inquit Chriſtus, *à vobis regnum Dei.* Non honor tolletur, quo etiam Electorum meorum multi caruêre, & dehinc carituri ſunt. Non aurum & facultates quas impensè diligitis, non cara pignora, non amici & conjuges, non oculi, non ſi quod membrum pretioſius, non ipſa caduca hæc & temporalis vita, quam etiam poſſident muſcæ, & Sancti amittunt. Quamquam & iſthæc omnia vobis brevi peritura ſunt: quando capta, exuſta, exciſa Hieroſolyma, civibus ſuis mater ſimul erit & ſepulcrum; ſuperſtitibus paucis, quos victorum ſatietas ac faſtidium, odio publico ludibriisque ſervabunt. Non iſtorum tamen bonorum jacturam vobis nunc intento. Alia longè amittetis, non corporum ſed animarum bona, non caduca ſed æterna: *auferetur* enim *à vobis regnum Dei.*

VI. Quid ſit regnum Dei?

Theophylactus hîc *regnum Dei* interpretatur, ſingularem erga populum Iſraëliticum Dei curam & affectum. Erat enim proprium ejus velut peculium: neque erat alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut aderat Iſraelitis Deus ſuus. Origenes tract. 19. in Matth. & Hieronymus interpretantur Scripturam ſacram, cujus vera intelligentia Judæis periit, poſito velamine ſuper oculos eorum. Prædixerat Iſaias c. 29. *Claudet oculos veſtros, Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones operiet, & erit vobis viſio omnium ſicut viſio libri ſignati.* Si quis ab altero nuper amico læſus, non modò eum alloqui dedignetur, ſed etiam literas omnes ſuas ſchedáſve ipſi olim commiſſas repetat vel auferat, maximæ indignationis indicium eſt. Similem in modum aget Deus cum Judæis: non modò deinceps cum ipſis per Prophetas non loquetur, ſed & ipſas literas ſuas, id eſt Scripturas ſacras repetet, novâ prorſus & inuſitatâ ratione: libros enim retinebunt, verba legent, apices omnes digerent & dinumerabunt, nihil tamen aptè & utiliter intelligent, ſed friuolis & ſtultis explicationibus ſeſe involvent præbebuntque ridendos. D. Ambr. ad Luc. 20. nomine Regni Dei ait ſignificari Eccleſiam: ut Chriſtus dicat, *auferetur à vobis regnum Dei*, quia de Eccleſia mea non eritis, orbati templo, ſacerdotio, ſacrificio, vera fide ac religione, adeóque extra ſpem *ſalutis* cujus *janua eſt introitus fidei.* De regno Dei expulſis quid ſupereſt, niſi ut ſint in regno dæmonis? Quemadmodùm enim civitates duæ ſunt, ita & regna: & qui in hoc non eſt, in altero ſit oportet.

VII. Varia perdendi ratio.

Pondus horrendi hujuſce adversùs perfidam gentem judicii magis ſentietur, ſi Phariſæorum verba quæ de ſeipſis inſcii pronuntiavêre, examinemus. Interrogati à Chriſto ecquidnam homicidis iſtis vinitoribus fieret, reſpondêre incunctanter, *Malos malè perdet.* Quid autem hoc eſt, *malè perdet.* Perdíne benè aliquis poteſt? Súntne ruinæ ſalutares, exitia conducibilia? Sunt omninò, ut ante me advertit Toletus, in doctiſſima de hoc ipſo argumento concione. Advertit & D. Greg. 33. Moral. c. 11. Nam aliquando Deus ſinit perire quoſdam ne pereant, & *facit de vulnere medicamentum, quia nos de medicamento vulnus facimus; ut qui virtute percutimur, vitio curemur.* Ita in luxuriam aliquos labi permiſit ad curandam ſuperbiam: alios in alia peccata, ut exinde fortiores exurgerent. Divorum Petri ac Thomæ Apoſtolorum exempla ſpectabiliſſima ſunt: quorum hic eò fide fuit excelſior, quò diutiùs fidei reſtiterat: ille tantò amavit ardentiùs, quantò negaverat timidiùs. D. Juſtinus reſponſione ad Gentilium quæſtiones, quæſt. 19. aliam & ſuaviorem perdendi viam oſtendit: quando Deus temporalium quorumdam bonorum jacturâ ſpectat ſalutem animæ, perfectionem virtutis, expurgationem culpæ pœnæve. Ita, inquit Juſtinus, Joſiam Regum optimum Deus vulnerari, & ex vulneribus mori, florente

ætate

ætate voloit, ut ab aliquorum defectuum nævis quibus etiam ſanctiſſimi carere non ſolent, prorsùs emundatus, io altera vita minùs cruciaretur. Eumdem in modum Chriſtua ad extremam egeſtatem Prodigum redactum deſcripſit, ut aliquando meminiſſet domus paternæ, cogitaretque de reditu.

VIII. Quid eſt malè perdere? Contra autem malè perdi à Deo dici poſſunt, qui ſinuntur præcipites ire ad crimina, onde nullam pœnitendi, majorésve animos ſumendi occaſionem ſumpturi prævidentur. Item quibus calamitates temporales nîl boni conferent, ſed infælicis æternitatis erunt velut prægnſtus qoidam, & triſtis prænuntiatio. Si dixeris oeminem puniri bis in idipſum, ſeu ut apud Gregorium aliqui dicunt, Deum bis noo judicare, & tulpam bis feriri non poſſe: quomodò itaque fiat, ut interdum à Deo impii caſtigentur in hac vita, mox iterum caſtigandi io alterâ? Reſpondebo, ſupplicia iſthæc, etſi locis diſtincta, re tamen eadem eſſe, & habenda inſtar unici: miſerorum illorum inferos ab hac vita inchoari: hic guſtari primis labris poculum iræ divinæ, cujus fæx numquam poterit interminatâ ævi futuri longitudine exhaoriri. Aliquando judex inſignem reum variis locis plectendum ſententia unica pronuntiat, ut eò pluribus ſit exemplo ac terrori: hic manus truncetur, alibi muſculi forcipibus lacerentur, tertio loco caput amputetur. Unum iſta ſupplicium ſunt quia uoa ſententia irrogantur, variis licèt locis ac temporibus. *Deus*, ut inquit Gregorius Moral. in Job, lib. 9. cap. 24. *per mala præſentia irrogare jam tormenta ſequentia incipit.* Et lib. 18. cap. 13. *Incorrectu unum flagellum ſit quod temporaliter incipit, ſed in æternu ſupplicio conſummatur.* Ita Saüli factum, ſi tamen modò apud inferos eſt agitaturque à dæmone poſt mortem, quem ante exagitabat ſpiritus nequam à Domino. Sic furiis obſeſſum Neronem, doloribus confectum Antiochum Epiphanem, vagum inopémque Jaſonem, captivum cineribusque ſepultum Menelaüm, extorrem primùm deinde ægritudine obrutum Alcimum, æterna ſupplicia excepêre. Eumdem in modum vobiſcum aget Deus, ô Judæi! ex ore veſtro vos judicabit ſervi nequam: *malos malè perdet*, intentabit minas quibus oon reſipiſcatis, ingeret ſupplicia temporalia, quibus juſtitiæ ipſius non ſatisfiet: nam poſt iſthæc omnia ſequetur ioexhauſta ſempiternorum tormentorum ſeries, quandoquidem *auferetur à vobu regnum Dei.*

IX. Altera ſententiæ pars. *Et*, quò doleat magis, *dabitur genti facienti fructus ejus.* En alteram ſententiæ partem, longè ſeveriorem ac terribiliorem, quam primâ fronte videatur. Domine Deus zelotes, & vindex, ſi tibi fixum eſt immutabili decreto, in criminum noſtrorum pœnam, auferre à nobis regnum tuum: diſſipa ergo illud & disjice, ut oe veſtigium quidem illius ſuperſit, relictâ oominis ſolius triſti ad poſteros memoriâ. Enimverò non ſic, inquit Chriſtus: auferetur à vobis, non tamen peribit: ſed ut tantò vobis durior ſit ejus jactura, in ipſis veſtris filiorúmque veſtrorum oculis, ringamini licet & invidia tabeſcatis, *dabitur genti.* Gentine dabitur, id eſt Gentilibus, oationi incircumciſæ, populo abjecto ac ſpreto, qui hactenus Judæis ita contemptui & odio fuit. O acerbam denuntiationem! Tolletur favor divinus, fides, religio, ſpes æternæ vitæ à perfidis Judæis: oec tolletur modò, ſed ad cumulum triſtitiæ tradetur in manus cooteinptiſſimæ & inimicæ nationis.

Id tantò ante prænuntiârat Moſes, Deuter. 32. X. Quam acerba. *Ipſi me provocaverunt in eo, qui non eſt Deus.... Ego provocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* Ad idola, & pejores idolis adinventiones ſuas, me deſerto converſi ſunt: ego ipſis derelictis ad idololatras me meaque beneficia conferam. Ligna, lapides, invidiam, ambitionem, avaritiam, aliásque ejuſmodi res nihili, mihi prætulêre: ego ipſis gentem quam pro nihilo habent anteponam, cósque iſta comparatione maximè cruciabo. Notat D. Ambroſius in cap. 9. epiſt. ad Rom. Judæis plurimùm doluiſſe, quòd religio ad Genoles tranſierit: prorsùs ut ipſi, qui ex circumciſione erant, Chriſtiani ægerrimè ferrent, naſcente Eccleſia Evangelium Gentibus promulgari. Quamobrem D. Paulus epiſtolam ſcripſit ad Romanos, id eſt ad Judæos præſertim Romæ habitantes, ut intelligerent, Chriſtum miſſum non tantùm ad fæces Iſraël convertendas, ſed etiam ut eſſet ſalus gentium uſque ad extremum terræ. Adeò verum eſt, Judæis moleſtiſſimum fuiſſe, quod regnum Dei communicaretur alienigenis: quantò autem moleſtius erit quando ipſis ablatum *dabitur genti?*

Origenes Tract. 19. in Matth. ſapienter expendit vocem illam *dabitur*: non dicit Chriſtus, vendetur regnum Dei incircumciſis, aut pretio commutabitur. XI. Datum regnum Dei gentibus, & quomodò. Unde enim Infidelibus pretium, aut merces, ante ſuſceptam fidem, quibus fidem coëmere aut permutare poſſint? *Dabitur* itaque ipſis, gratìs, citra pretium: nec gratis modò & ſine merito ollo, inquit Amb. l. 2. de Vocat. gent. c. 2. ſed etiam contraria omninò demeritis. Cùm enim rationis lumine Deum unum agnoſcere debuiſſent, eique debitum honorem exhibere: voluntate magis, quàm intellectu, cæci mutaverant gloriam ſuam in ſimilitudinem rerum omnium creatarum, etiam viliſſimarum. Hos tamen homines, tam exigui & nullius apud Deum meriti, imò tantorum demeritorum ac criminum, videbitis, ô Judæi, vobis eſcluſis legitimos teſtamenti divini poſſeſſores. Eveniet vobis, quod olim Propheta, ſummo ſacerdoti Heli pœnam nimiæ indulgentiæ denontians, inculcavit: *Videbis æmulum tuum in Templo, in univerſis proſperis Iſrael.* 1. Reg. cap. 2.

Et *ut deficiant oculi veſtri, & tabeſcat anima veſtra*, quemadmodùm ibidem propheta loquitur, XII Datum eſt irrevocabiliter. non dabitur regnum Dei æmulis veſtris commodato, aut locato, vel depoſiti inſtar, aliquando repetendum aut tollendum, quomodò vobis jam fiet: ſed dabitur irrevocabili donatione, ut numquam Gentibus deſertis redeat ad Judæos; ſicut Judæis repudiatis, aut Synagogâ potiùs Judæorum deſertâ, ad Gentes tranſierit. Nam *ego*, inquit Chriſtus, *vobiſcum ſum* diſcipuli mei *uſque ad conſummationem ſæculi: & portæ inferi numquam prævalebunt adversùs* Eccleſiam, nec Petri fides umquam deficiet. *Dabitur* itaque regnum Dei, perpetua ſucceſſione inconcuſsè poſſidendum, *Genti, facienti fructus ejus;* quod etiam noo parùm conferet ad dolorem Judæorum augendum: cùm videbunt, ex illâ incircumciſorum confuſa & abjecta multitudine, plurimos emergere inſigni ſcientiæ laude, & gloria ſanctitatis! ubique miracula coruſcare, undique emicare decora virtutum, innumeros ex utroque ſexu & ex omni ætate ac conditione, ſpretis mundi illecebris minísque omnibus, vitam ac ſanguinem auctori ſuo generoſiſſimè reddere. Ut quos doctos ſanctosque viros ac

fœminas Synagoga numerat, ne milleſimam quidem partem conficere poſſint tot heroüm & heroinarum à quibus Eccleſia illuſtrata eſt: impleto ea in re vaticinio Iſaïæ cap. 14. *Lauda ſterilis, quæ non paris... quia multi filii deſertæ magis, quàm ejus quæ habet virum.*

XIII. Quid ſint fructus regni?

Verba iſta, *facienti fructus ejus*, otioſè tranſmittenda non ſunt. Diximus genti immeritæ datum regnum Dei: dicit tamen Chriſtus datum iri genti *facienti fructus ejus*. An quia fecit? An quia facit? Neutrum horum: ſed ut faciat, ideirco dabitur. Quid autem faciat? *Fructus ejus*, id eſt, fructus regni Dei. Neque enim Eccleſia & Chriſtiani fructus ſuos facere debent, ſed regni fructus, & Deo magis laborare quàm ſibi. Opera autem Chriſtianorum appellantur *fructus regni*: primùm, ut à malis fructibus diſtinguantur, imò ab indifferentibus, quod majus eſt à moralibus, ex naturali bonitate ac ſanctimonia profectis: debent enim eſſe fructus non tantùm rationis ſed fidei, nec philoſophiæ ſolùm ſed Eccleſiæ. Deinde, ut deôrum præſtantia intelligatur: ſunt enim nobiliſſimæ planè ac regiæ actiones, & ſpiritu principali dignæ: quemadmodùm contrà malæ actiones ſunt opera ſervilia & mancipiorum appetitui indignè ſamulantium. Tertiò: ut diſcamus, etſi libero utamur arbitrio, ſupernaturalia tamen opera produci à nobis non poſſe ſine gratiâ Dei: neque enim, ut Joannes Baptiſta loquitur Joan. 3. poteſt homo accipere quidquam, niſi datum ei fuerit de cœlo. Quare, ſicut planta ex ſemine Indico Leodii nata vocatur planta Indica ratione originis: ita actiones ſupernaturales ex ſemine gratiæ ortæ vocantur fructus regni, licèt in arbitrii liberi ſolo natæ ſint. Denique: iſta appellatione ſignificatur, fructus bonorum operum in cælo demum matureſcere, & cum ſuavitate guſtari. Beati enim præter mercedem illam magnam nimis Dei videndi, & de ſe eo gaudendi, habebunt auctarii vice, gaudium de quibuſlibet virtutum actibus perpetuum. Delectat quidem etiam dum hic vivimus memoria benefactorum; at ea lætitia paucorum annorum eſt, &, ut tardiſſimè, morte finitur. In cælo autem ævum totum interminatè durabit vel minimæ actionis pro Deo factæ ſuaviſſima recordatio, apponeturque in magna illa cœna inter bellaria, inſtar fructus regni.

XIV. Juſtitia ſententiæ Chriſti.

Et hinc apparet, non acerbiorem quàm juſtiorem Chriſti de Judæis ſententiam. *Ideò*, inquit, *dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei*: Ob hanc cauſſam, quia regni fructus non feciſtis, regnum amplius poſſidere non meremini: tranſeant ad alias manus vinea mea, cum in veſtris ſilveſcat: migrent veteres coloni rem domini non curantes, & locum dent melioribus. Iſaias ejus rei præſcius, imò, quod ſupra omnem admirationem eſt, hujus ipſius parabolæ à Chriſto poſt ſeptingenteſimum annum recitandæ conſcius, præcinuit capite 5. dilecto canticum patruelis ſui vineæ ſuæ: id eſt, quam de vinea parabolam Chriſtus, ejus ex patre Davide conſanguineus, olim Judaico populo enarraturus erat, eâdem ſententiâ vaticinatus eſt. Hoc ſolùm inter Chriſti parabolam & Iſaïæ vaticinium intereſt: quod hic de vinea, illic de vinitoribus judicium feratur. Torcularia, ſepes, macerias, cuſtodiam, curam ac culturam diligentiſſimam vineæ legimus in Iſaia: ac deinde datam illam in conculcationem & direptionem; quia expectatum eſt ut faceret uvas, fecit autem labruſcas. Chriſtus poſtquam equidem imaginibus Dei favorem, curam, legem, beneficia perpetua depinxit, deinde colonorum moribus ac barbarâ crudelitate adumbravit ſacrilegia Judaïcæ nationis, menſuram ejus ad ſummum brevi complectura, ſciſcitatur, *Quid faciet dominus vineæ?* Pendente adhuc per interrogationem ſententiâ, oſtendens, datum iri Iudæis ſpatium annorum quadraginta, ut reſipiſcant, quibus elapſis, ad extremum *malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.*

Audiamus modò Paullum, Rom. cap. 11. juſtiſſimæ iſtius ſententiæ fidum interpretem, & ex illa de nobis argumentantem. Abſtulit Deus regnum ſuum Judæis, populo electo, quia faciebant fructus ejus: ſi ergo nos, gens alienigena, qui aliquando eramus non populus Dei, non faciamus fructus ejus, quid nobis eveniet? Cave, Chriſtiane, *ſi naturalibus ramis non pepercit, ne fortè & tibi non parcat.* Oleæ fertilis ſterileſcentes ramos ſedulus hortulanus amputavit, eorúmque vice deſectas ex oleaſtro virgas inſeruit: ſi hæ in arborem frugiferam inſitæ ſterileſcant, quid acturum exiſtimas? Parcétne oleaſtro, qui oleæ non pepercit? Iſta ſimilitudine exprimit Paullus, quod Chriſtus vite & vinea. Sua cuique anima vinea eſt. Quam huic ſepem, quem laborem, quos imbres, quantam curam Chriſtus adhibuit? Qui autem inde fructus in torcularia domini illati ſunt, aut inferri poterunt? Ingrediamur in illam cogitatione, diſtringamus palmites, excutiamus pampinos, numeremus racemos, inſpiciamus cor noſtrum diligenter, annos annis, res rebus, profectum profectui comparemus. Ambroſii ſententia eſt lib. 2. de pœn. cap. 2. imò Chriſti, ideirco Judæos à Deo derelictos, quia pœnitentiæ tempus inane labi paſſi ſunt. Reſipiſcamus, & faciamus fructus dignos pœnitentiæ, ne & nobis non parcat, qui naturalibus ramis non pepercit. Horrendum enim planè eſt, vineam macerîâ ſubrutâ dari in direptionem, & animam Chriſtianam à Deo deſertam tradi deſideriis cordis ſui & paſſionibus ignominiæ conculcandam. Optimè paterfamilias viſita me vineam tuam, puta, circumfode, alliga metu ſalutari judiciorum tuorum: timeam hîc, ut non lugeam in æternum.

XV. Chriſtiani exemplum timeant.

SECTIO TERTIA.

Gentis Iudaicæ extrema pernicies manifeſtè à Chriſtô defleta, ac prænuntiata, Luc. 19.

I. Triplices Chriſti lacrymæ.

TRIA ſunt in Oriente plantarum arbuſcularúmve genera, è quibus pretioſæ admodùm lacrymæ exſudant, aut exſtillant: myrrha, thus, & balſamum. Myrrham paſſim Arabia, Syria, conterminæque regiones ferunt. Thus in Arabiâ ſola naſcitur, cui exinde nomen Fælici. Balſamum ſoli Judææ olim cognitum fuiſſe, perhibent quidam, ideóque balſami arbuſculam à Tito de Judæa domita Romæ triumphante inter trophæa oſtentatam, ſymboli inſtar. Addunt tamen alii etiam in Ægypto natum id genus, hodiéque naſci, imò & in Americæ regionibus nonnullis, unde ad

nos

Digitized by Google

nos liquor pretioſus, balſami appellatione agglutinandis vulneribus admodùm efficax inſertur. Arbori ſeſe Chriſtus comparavit, cùm dixit *Arbor bona bonos fructus facit.* Verè arbor vitæ Chriſtus, quæ verba vitæ æternæ nobis protulit, & ſalutaria divinorum operum exempla, quæ facientes vivamus in eis. Neque illis contentus, etiam lacrymas fudit, easque generum trium. Primas myrrhæ inſtar amaras, ex dolore infantilis corpuſculi, cùm naſcens frigidum aërem hauſit hiberno cælo: potuit enim dicere, quod Sapiens cap. 7. *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*; multò autem magis flevit infantulus, octavo die circumciſus, cum acutiſſimo ſenſu doloris ex vulnere. Alteras lacrymas emiſit thuris inſtar odoriferas in orationibus ſuis, in quibus fleſſe teſtis eſt D. Paullus Heb. c.5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque .... cum clamore valido & lacrymis offerens*, &c. Factum id exiſtimatur quando oravit in horto, & ſanguine ſudavit: præterea quando in Cruce Patrem pro inimicis oravit, ac deinde amabiliter de ipſo queſtus eſt ſe derelictum. Tertiæ Chriſti lacrymæ ex ſuavi miſericordiæ affectu fluxêre medicæ ac lenientes ad balſami modum. uti quando *lacrymatus eſt JESUS*, flente Magdalena, & cùm *videns civitatem flevit ſuper eam.*

II. Mirus Chriſti fletus de Hieroſolymis.

Hoc fletu, ad civitatis adſpectum manante, nullus in Chriſto vel advertendus magis, vel amirandus eſt. Puerulum ad inſolitæ auræ frigus, aut ad vulneris ſenſum, vagire & lacrymari nec novum nec mirum eſt: novum planè foret non flere, quod Zoroaſtri uni ferunt accidiſſe habitúmque pro portento: Chriſtus portentum id noluit, quia venit infirmus, per omnia fratribus aſſimilatus, & in ſimilitudinem carnis peccati. Flere orantem, cùm horrore imminentis Paſſionis natura ipſo permittente concuteretur, cùm exſudaret ſanguinem, cùm capite ſpinis contecto manibus perfoſſis inter acerbiſſima ac ludibria cruci affixus penderet, nemo miretur. Flere, cùm hoſpitis ſuæ lacrymas cerneret, cùm ſingultientem audiret Magdalenam, cui tot beneficia contulerat, à qua multum obſequii acceperat, adſtantium nullus miratus eſt: caritati hoc tribuêre, & ſuavi humanitatis effectui. At flere talem, eo loco, eo die, cùm Hieroſolymam ſolenniter ingreditur inter plebis occurſus & applauſus, id verò mirabile eſt: prorſus ut operæpretium ſit expendendæ huic Chriſti actioni diſputare, Quomodò Chriſtum fletus in Hieroſolymæ ingreſſu decuerit.

III. Indecoræ ſapienti lacrymæ.

Videri enim primâ fronte poſſint lacrymæ Chriſtum dedecuiſſe, ſi ipſum lacrymantem, ſi locum, ſi tempus attendamus. Lacrymari muliebre potiùs eſt ac puerile, quàm ſapientis ac fortis viri? Nam materia fletus eſt humor è cerebro exſtillans, quãdo illud vel paſſiones frigidæ condenſant ac ſtringunt, vel calidæ diducunt ac rarefaciunt. Paſſiones autem ſapienti ac forti viro dedecoroſæ ſunt, præſertim adcò vehementes, ut non cor tantùm ſedem ſuam concutiant, ſed etiam cerebrum petant id eſt arcem mentis. Lacrymas quidam non incommodè appellavêre ſanguinem animi, utique non effluxurum niſi animo vulnerato: ſapientem verò ita vulnerari & vulnus confiteri ſtoicorum ſchola non probavit. Certè David, tenerorum & valdè humanorum affectuum vir, cùm Abſalonem fugiens per eumdem, ubi Chriſtus lacrymari cæpit, clivum olivarum aſcenderet, flevit, ſed operto capite, 2. Reg. cap. 15. quaſi ipſum puderet imbecillitatis ſuæ. Idem 2. Reg. c.18. Abſalonis morte percuſſus aſcendit cœnaculum portæ, ut dolori & lacrymis habenas laxaret ſine arbitris. Ezechias 4. Reg. cap. 20. ad denuntiatam ab Iſaia mortem, *convertit faciem ſuam ad parietem*, quia motum animi per oculos erumpere ſentiebat, pudebatque, *& flevit fletu magno.* Eliſæum largiter fleſſe legimus, 4. Reg. cap. 8. quando Aſaelem unxit Syriæ Regem: at ſolùm in conclavi, non alio teſte, quàm malorum, quæ prævidebat ac deflebat, inſtrumento. Si ergo Eliſæum, Ezechiam, Davidem, ſapientem quemlibet dedecent lacrymæ, Chriſtúmne ſapientiam ipſam decere poſſint?

IV. Caritas cauſſa fletus.

Equidem fatendum eſt, indignos eſſe excelſis animis fletus, immodicos & nimis profuſos pro cauſſæ ratione. At ſi æqua cauſſa eſt, & modus ſervatur, non magis dedecebunt, quàm humanitas, & caritas. Paullum Æmilium triumphantem captivo Perſeo Regi ac filiis illacrymaſſe: Cæſarem capiti Pompeii lacrymas exſolviſſe quis indignetur. Flet Chriſtus, non fortunam ut Æmilius, non generi hoſtis interitum ut Cæſar, non regni filiive jacturam ut David, non mortis ſuæ nuntium ut Ezechias, non tribuum tantum aliquot Hebræarum calamitates ut Eliſæus: ſed extremam populi totius Judaici ac gentis omnis Hebrææ, menſurâ, mox ad ſummum completa præcipitantis, exitium. Illacrymante Chriſto morti Lazari dicebant Judæi, *ecce quomodò amabat eum*: dicamus idem de lacrymis populo Judaico impenſis, teſtes eſſe certiſſimos, *quomodò amabat eum.* Prævidet quid ſibi ſexto abhinc die eventurum ſit, quid Judæis quadrageſimo abhinc anno, ſui oblitus hos deflet, uti mater ægra de filio ægra magis quàm de ſe ſolicita eſt: *Ecce quomodò amabat eum.* Flet mala inferenda in pœnam eorum quæ ſibi inferentur; flet culpam quæ tantæ pœnæ cauſſam datura erat: quemadmodum ſi à ſicariis comprehendendus, & vulnerandus non tibi ſed eorum ſupplicio inde ſecuturo illacrymeris: *Ecce quomodò amabat eum.*

V. Quod ejus argumentum.

Potuit dicere, Ecce dies venit in me, & circumdabunt me inimici mei, & circumvallabunt me, & ad terram proſternent me, & non relinquent in me guttam ſanguinis. Verùm ſuis malis ad aliena convertitur, neque oculis ſolùm teſtatur doloris magnitudinem, ſed etiam voce. Plangit malorum genera duo, præſens, ac futurum: præſentem culpam, futuram pœnam: magis tamen culpam quæ cauſſaverat, quàm pœnam quæ effectus, atque ideo bis de illa loquitur in initio & in fine vaticinii ſui. *Si cognoviſſes*, inquit, *& tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis.* Miſereſcere nos ſolet magis eorum qui nondum mala ſua vident aut ſentiunt ſed poſtmodùm ſenſuri ſunt. Puerulum videmus patre orbum, inter damna ſua ludentem: ingemiſcimus, & taciti apud nos dicimus, ô miſelle quantam jacturam feciſti, & quàm ſerò cognoſces. Sapiens Prov. 7. infælicitatem hominis ad voluptatem projecti deſcribens, *quaſi*, inquit, *bos ductus ad victimam, & ignorat quod ad vincula ſtultus trahatur.* Ægrotat ut phreneticus, &, quod caput eſt, ægrotare ſe neſcit: adeóque laborat duplici morbo, corporis & rationis, tantò miſerior & lamentabilior quantò ſe minus lugendum exiſtimat.

VI. Voluntaria cæcitas Judæorum.

Sic erant Judæi, ignari malorum ſuorum, & quod malis ipſis pejus erat, ipſam ignorantiam ſuam amantes, & faventes ſtupiditati ſuæ. Eſſe cæci volebant, quæ ſumma cæcitas eſt: volebant

eſſe miſeri, quæ immedicabilia calamitas eſt. Præmonuerat ipſos Chriſtus, Luc. 13. *Jeruſalem, Jeruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos*, &c. Jam Matth. 21. cùm vineæ parabolam recitavit. Deinde cùm ficui ſterili imprecatus eam areſecit radicitùs. Tum quando Apoſtolis dicentibus, *Magiſter*, quales lapides, reſpondit, *non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Præterea cùm Matth. 23. dixit, *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Denique cùm in ultimo itinere tractus ad Calvariam monuit lamentantes mulieres ut flerent ſeipſas & filios ſuos. Quibus Chriſti vaticinia acceſsêre alia ante excidium Hieroſolymorum: nominatim quod ex Joſepho & Baronio retulimus ſuprà ſect. 1.

VII. Quàm apertum Chriſti vaticinium.

Sed expreſſiſſimum & apertiſſimum eſt inter omnia quod nunc exponemus. *Si cognoviſſes & tu*, inquit, *& quidem in hac die tua*, quam ego tibi gratiæ meæ radiis effeci oriens ex alto ad cæcitatem tuam depellendam. Neque ea vitæ meæ die tibi impensâ contentus, addam annos quadraginta, quibus reſipiſcere poſſis, ac lucem oblatam intueri. Præteribunt velociter, ſicut dies una: & ſi illâ non utaris, ſi occaſionem contemnes, tetra diem tuam nox excipiet. Noctem enim amaſti, *abſcondita* fuit lux *ab oculis tuis*, quia oculos tuos lumini ultro ſe ingerenti ſubduxiſti: tenebræ itaque ingerentur tenebras diligenti & velamen ponenti ſuper oculos ſuos ne videat. *Quia ecce venient dies inte*, non jam una dies, ſed multæ: nec ſerenæ, ac miſericordiæ auram ſpirantes, ſed dies nubis & caliginis, dies tempeſtatis & turbinis, dies juſtitiæ & vindictæ. Quando in hoc ipſo loco, ubi vaticinor caſtra locabunt Romani duce Tito: & quidem ipſo Paſchæ tempore, quale nunc imminet, & morti meæ deſtinatum eſt.

VIII. Quàm particulatim digeſtum.

Tunc *circumdabunt te inimici tui vallo.* Aggeribus demum vallari cœpta Hieroſolyma Maii die duodecimo, cùm Aprilis decima quarta ſeriò obſideri cœpiſſet, ſed nondum ſtructis aggeribus. Id opus perfectum eſt Maii viceſimo nono. Quinos aggeres fuiſſe ait Joſephus. *Et circumdabunt te.* Ejuſdem vocis geminatio, geminam concluſionem ſignificat. Aggeribus enim additus celeritate vix credibili, murus perpetuus, triduo circum urbem ductus, quo de vide Baronium anno 72. num. 5. Ita Dominus concluſit illos manibus Infidelium. *Et coanguſtabunt te undique.* Prohibito egreſſu, orta fames horribilis, adactis ad obſcœnos cibos locupletiſſimis quibuſque, & matribus in viſcera ſua liberos regerentibus. *Et ad terram proſternent te.* Civitas capta per partes, primùm murus exterior, tum interior. Templum exuſtum Tito invito: Auguſti decimâ id factum ait Baronius. Tirinus exiſtimat captum templum Auguſti quarta, arſiſſe quinta, eadem ſcilicet qua per Nabuchodonoſorem incenſum fuerat. *Et filios tuos qui in te ſunt.* Judæorum eâ obſidione mortuorum numerum habet Baronius anno 72. num. 7. & 19. Per unicam portam ab Aprilis decima ad primam Julii elata fuiſſe cadaverum centum & quindecim millia & octoginta ſcribit Joſephus, non annumeratis vilioribus quæ projiciebantur. Quingentos circiter captivorum diebus ſingulis cruci affixos fuiſſe idem perhibet: ut ſcilicet Crucifixo Dei filio litaretur. Univerſim undecies centena millia fame, peſte, gladio, ſuppliciis abſumpta numerantur. *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Templo in cineres redacto in domos ac mœnia ſævitum: neque ex tam ſplendida & opulenta civitate quidquam ſuperfuit, præter aliquam muri particulam, unde agnoſci poſſet civitatem aliquando illic ſtetiſſe. Non eſt itaque relictus in civitate lapis ſuper lapidem: ſolum manſit pars mœnium velut monumentum cineribus tumulatæ civitatis appoſitum, & quaſi titulus ſepulcri. Adde eruta poſtmodum rudera, cineres disjectos, nomen ipſum urbis extinctum, mutatamque Ælia Hieroſolymam. Judæis tantæ cladi ſuperſtitibus opes, honorem, libertatem, legem, religionem, omnia denique periiſſe: hodiéque patria extorres, ſpretos, exoſos, ad probra, ad ludibria vivere.

IX. Cauſſa tantorum malorum.

Horremus ad excidii calamitoſiſſimi memoriam: ſed magis horrenda eſt cauſſa effectu, ti. oma ſupplicio. Hæc, inquit Chriſtus, eventura tibi ſunt, popule infælix, *eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ*, & cognoſcere nolueris. Cæcitas cæcitatem induxit, una noctem peperit, voluntas ad malum obſtinata perniciem attulit. Si eodem die arſit templum ſub Tito, quo Nabuchodonoſoris juſſu arſerat: eo die ſacerdotes liturgiam id eſt diurnum cantum clauſerunt pſalmo nonageſimo tertio, & ejus ultimo verſu: *Et reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet illos, diſperdet eos Dominus Deus noſter.* Sic diſtribuente temporum & rerum articulos providentiâ divinâ, ut cauſſa ſupplicii ſuper Judaicæ nationis caput ſcripta eſſet, quomodo capiti Chriſti ſuperpoſita fuerat. Certè non Judæis modò, ſed & Romanis ipſis perſuaſum fuit, non aliunde, quàm à Deo, in vindictam criminum tantas calamitates accidiſſe. Narrant enim Titum, hoſtium miſeriis illacrymantem, ſubmiſſas à finitimis civitatibus, victoriam gratulantibus, coronas reſpuiſſe, dixiſſeque, non id ſibi bellum tribuendum, ſed Numini Judæorum noxas Romanorum manibus ulto.

X. Tempus fletus.

Amamus Titi humanitatem fletus inimicæ nationi impendentem: non amemus Chriſtum ea futurorum æquè claro ac præſentium intuitu plangentem, non ea tantùm mala quæ Titus intuebatur, ſed alia longè majora & diuturniora, quæ nonniſi oculis mentis divinitùs illuſtratæ patere poſſunt. At, inquis, fleſſet quidem Chriſtus, verùm tempore alio. *Omnia* enim *tempus habent*, & *tempus eſt flendi, & tempus ridendi.* Solenni magiſtri ſui ingreſſu lætabantur Apoſtoli, acclamabant pueri, plebs geſtiebat. Quid triumpho cum lacrymis? Quid tot gaudiorum indiciis cum dolore? Et ubi iſtud eſt ſocietatis humanæ præceptum, rationi maximè conſentaneum, à Paullo commendatum, Rom. 12. *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus?* Mœſtitia oppreſſum Davidem ob Abſalonis infauſtam necem Joab monuit, ut ſeſe populi gaudiis aptaret, néve victoriæ diem lætum triſti vultu funeſtaret: timendas alioqui populi obmurmurationes & tumultus. Quorſum ergo Chriſtus humanitatis amantiſſimus, & ſocialis vitæ perpetuus cultor, flet cum gaudentibus, & lætitiæ triſtitiam conjungit?

XI. Deflenda ſæpè proſperitas.

Nimirum ut ſapientiſſimus magiſter diſcipulos doceat in ipſis plerumque gaudiis eſſe dolorum argumenta. Homini in externis hærendum non eſſe, neque unicam rerum ſuperficiem intuendam, ſed videndum quid ſub larva lateat. Gaudes digito monſtrari & dicier hic eſt, circumſpicis te magnificè ob multitudinem aſſeclarum, paſceris acclamationibus, lætaris obſequiorum frequentia, triumphorum pompa extolleris. At quid iſthæc

omnia

Digitized by Google

omnia ſunt ſi introſpicis, miſelle & vane homuncio? *Vidi*, inquit iſtorum unus Eccl. 1. *cuncta quæ ſunt ſub Sole, & in omnibus vanitas & afflictio ſpiritus.* Vidit oculis melioribus ſolito res caducas, & vidit noo caducas modò eſſe & vanas, ſed etiam affligentea ſpiritum, adeóque dignas lamentatione. Eccleſiaſticus cap. 11. idem, opinor, intuebatur quod Eccleſiaſtes, cùm moneret, *in die bonorum, ne immemor ſis malorum*: bonum diem Solis occaſus finiet, ortus ſorſan proferet malum: labenti ore inhære, in fluxo ſolidum gaudium ne quære, ita lætitiæ fructus decerpe, ut amaritiem memineris: *à mane enim ad veſperam immutabitur tempus, & hæc citata in oculis Dei.* Cùm cælum æſtuat, aut, ut apud Iſaiam legitur, calor ſub nube torret, ſcimus pluviarum materiam colligi. Cùm ferventiſſimus eſt proſperitatis æſtus, tunc maximè lacrymis materia præparatur. Quò ſpiſſior eſt fumus, eò magis ad fletum oculi punguntur: fumo honoris ex ſapientium oculis proliciuntur lacrymæ. Flet Chriſtus inter occurſus & applauſus fumoſos, memor horribilis illius fumi, quo ardens intra annos quadraginta Hieroſolyma obtegetur, præibitque inſtar figuræ excidium mundi & horribile incendium cujus *fumus aſcendet in ſæcula ſæculorum.*

XII. Locus flendus. Ob eamdem rationem quomòdo tempori lacrymæ non ſunt incongruæ, ita nec loco. In colle Olivarum erat Chriſtus, quo loco Titus caſtra metatus eſt. Patebat inde proſpectus pulcerrimæ, populoſiſſimæ, ditiſſimæ, ſanctiſſimæ à vero Dei cultu temploque civitatis. Si antiquitas commendabilis eſt, duràrat annos ſupra bis mille. Si multitudo civium ſpectanda, caput erat florentiſſimæ provinciæ & numeroſiſſimæ nationis. Si opes ponderandæ, meliùs de illa dixeris, quàm quod de Emporio Arabici ſinus Armuziâ dictum: fac orbem eſſe annulum, hæc erit gemma. Si ædificiorum ſplendor attendendus, vix uſquam magnificentia æqualis: vel templum ſolum contemplare ubi apud Joſeph. lib. 15. Antiq. cap. 14. muri ex lapidibus candidis viginti cubitos longis, latis decem, altis octo, ferro intus vinctis: columnæ centum ſexaginta duæ, pedes ſeptem & viginti altæ, craſſæ ad trium hominum complexum. Quid jam commemorem eo loco ſedem Dei fuiſſe, viſionem pacis, miraculorum, ſpectaculorum, Prophetarum ac ſanctiſſimorum aliorum hominum habitationem, Sanctum ipſum Sanctorum Chriſtum JESUM ibi frequentiſſimè conciones habuiſſe & mira patraſſe? Quid dicam plebem ipſam legis divinæ, ſaltem quoad ritus externos ac cæremonias adeo retinentem fuiſſe, quantum aliàs unquam, ut Baronius notat anno 72. num. 21. &c.

XIII. Qualis civitas viſa. Hæſiſſemus nos equidem in iſtis ſoliti, cùm peregrinamur, ſpectare mœnia, ædes, plateas, templorum magnificentiam, civium cultum, mores, multitudinem, opulentiam. Miramur ſepulcra dealbata, cadaverum plena: arculas inauratas, ſordibus ad ludibrium infertas, melioribus præoptamus. Eum in modum Apoſtoli Marc. c. 13. templi ſplendore attoniti, *Magiſter*, inquiunt, *aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.* Aliter Chriſtus intuetur, cùm videns civitatem flet ſuper eam. Non illacrymatur vico alicui aut caſtello, non Bethaniæ vicinæ, ſed civitati, quia plura in urbibus lugenda admittuntur. Tranſiſtas mœnium pinnas, murorum ſpiſſitudinem, Palatiorum lautitias, turrium celſitudinem, templi majeſtatem, ſacrificiorum ac rituum ſanctimoniam, videt civitatem, id eſt cives, quibus civitas conſtat non ſaxis ac muris. Eos cives videt ſine aſſeclarum pompâ, ſine purpuræ ſericive velamine, ſine morum ac geſtuum elegantia, ſine vultuum fuco, ſine corporis pulcritudine, nudos, ſolos, quales ipſi ſeſe fecêre malè agendo. Deprehendit civitatem à Davide deſcriptam pſal. 54. *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injuſtitia, & non defecit de plateis ejus uſura & dolus.* Foſſam ejus urbis luxuria ſordibus impleverat; muros ſuperbia excelſo faſtu extulerat: hypocriſis, & ſimulata ſanctimonia gypſo parietes ædium induxerat: invidia, calumnia, detractio ſilices vicorum & compitorum duritie ac frequentia ſuperabant: impietas templum, palatia rapacitas, diſcordia domos privatas impleverat. Tot malis accedebat extremum, quod non noſſent quæ ad pacem ſibi, & tempus viſitationis animi amicæ ignorarent: idcircò poſt annos aliquot hoſtiliter viſitandi & caſtigandi caſtigatione inimici, caſtigatione crudeli. Intuetur iſta Chriſtus oculis quibus animi cernuntur, futura proſpiciuntur: & flet ubertim, gaudentibus aliis: quia longè alia ſunt judicia Dei, alia hominum.

O urbs Catholica, ô provincia, ô règnum, ô Europa, *ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi*: pacem inquam illam tot jam annis exulem, adeo expetitam. Ierem. cap. 7. *Ite*, inquit Deus Judæis, *ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum in principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël.* Videte, jam non Silo, ſed Hieroſolymam viſionem pacis. Sed non de pace iſthac ſatis multa variis locis diximus. Ad Chriſtianam mentem convertamur, ad civitatem magni Regis, ad viſionem pacis. *Si cognoviſſes & tu, quæ ad pacem, & quidem in hac die tua.* Quid ageres? Fleres proculdubio, & lacrymas tuas quò pretioſiùs fluerent, Chriſti lacrymis miſceres. Si mirari Chriſtum in monte flentem non debuimus: multò minus mirari oportet miſeros mortales gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Defluunt aquæ ad ima: emittuntur fontes in convallibus, inter medium montium pertranſeunt aquæ. Cùm hîc vivimus erit ſæpe lacrymarum materia, quandoquidem Dei filio non defuit: id ſolum nobis curandum ut ejus exemplo rectè impendantur. XIV. Quomodò flendum Chriſtiano.

Malè collocat, qui ſimulationi dat, aut iræ, aut invidiæ, aut amori laſcivo, aut pravo alteri affectui: eæ ſunt crocodili lacrymæ. Præter hoc genus malorum, aliæ ſunt medii ordinis, ex natura ob naturæ mala nobis noſtriſve obvenientia profluentes. Has negat Chryſoſt. homil. 12. in epiſt. ad Coloſſ. eſſe *lacrymas* ſapientis, ſeu, ut ipſe loquitur, *philoſophiæ*, δάκρυα τῆς φιλοσοφίας. A Petro Cellenſi lib. de Pan. c. 12. vocantur inanes: verba ejus ſunt: *Inanes ſunt lacrymæ, quas damnum vel incommodum extorquet temporale. Flendum ſolummodò eſt aut pro peccato commiſſo, aut pro amiſſo paradiſo.* Tertium ergo genus eſt bonarum lacrymarum, itidem triplex. Sunt enim lacrymæ balſami, thuris, myrrhæ. Hæ amaræ pœnitentium ſunt, uti Petri, qui *egreſſus foras*, id eſt à ſeipſo & à peccato ſuo egreſſus, *flevit amarè.* Iſtæ ſuaveolentes ſunt precantium & pietate liqueſcentium, quomodo Ignatii noſtri flentis cùm ſuſpiceret in cælum. Illæ medicæ ſunt ex miſericordia profectæ, de fonte caritatis ſcaturientes, XV. Tria lacrymarum genera.

calamitatibus proximorum impenſæ præſertim ſpirituali cæcitati, & exitio pereuntium animarum. Habes de hoc argumento libros Chryſoſtomi de Compunctione, & Bellarmini de gemitu columbæ. Nos his contenti, Menſuræ finem facimus, & lacrymis modum ponimus. Tu Lector, ſi quid tibi publicóve utile fortè hic reperiſti, aut ſtudio inveniſti, Deo adſcribe, cujus ope ſcripſimus, cujus gloriæ laborare debuimus; maximè lugendi ac deflendi, ſi alium nobis ſtatuimus dicendi, ſcribendive finem.

FINIS.

APPROBATIO ORDINARII.

PRODEUNT publicâ exſpectatione & utilitate, R.[di] admodum Patris IOANNIS ERARDI FULLONII Societatis JESU Theologi, nuper Cathedralis apud Nos Templi Eccleſiſte, *Commentarii & Excurſus ad Librum Machabæorum primum*. Leodii 21. Decembris 1659.

IO. ERNESTVS DE SVRLET
Canon. & Vicarius generalis Leod.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra-ſcriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Provincialis juxta privilegium eidem Societati conceſſum quo Typographis omnibus prohibetur ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do IOANNI MATHIÆ HOVIO ut ad ſex annos proximos imprimere poſſit librum cui titulus: *Commentarii & Excurſus ad librum Machabæorum primum*, auctore R. P. IOAN. ERARDO FVLLONIO Societatis IESV Theologo. Datum Leodii 5. Auguſti 1659.

HUBERTUS WILTHEIM.

Errata

Errata graviora, & correctu magis neceſſaria.

PAgina 32. *l.* 3. agit, *rep.* ait.
Pag. 65. *l.* 14. *a fine*, ipſum, *rep.* ipſius.
Pag. 71. *col.* 2. *l.* 42. cunarum, *rep.* curiarum.
Pag. 73. *col.* 2. *l.* 38. erunt, *rep.* erit.
Pag. 143. *col.* 2. *l.* 16. inſtitit, *rep.* inſtruit.
Pag. 227. *col.* 2. *l.* 16. *ſic lege*, ipſis cognitis rei.
Pag. 230. *col.* 2. *l.* 10. *à fine*, Quanta, *rep.* Quarta.
Pag. 250. *col.* 1. *l.* 30. venerit ut, *rep.* venerit &
Pag. 252. *col.* 2. *l.* 17. incurata, *rep.* inaurata.
Pag. 274. *col.* 1. *l.* 2. ſuperiorem, *rep.* inferiorem
Pag. 290. *col.* 2. *l.* 22. auxilio, *rep.* exilio.
Pag. 312. *col.* 2. *l.* 27. commendarent, *rep.* commodarent.
Pag. 336. *col.* 1. *l.* 4. *a fine*, Infidelibus, *rep.* Fidelibus.
Pag. 348. *col.* 1. *l.* 21. *a fine*, conatus, *rep.* coactus.
Pag. 357. *col.* 1. *l.* 18. divini, *rep.* diurni.
Pag. 370. *col.* 2. *l.* 6. lucidam, *rep.* luridam.
Ibid. l. 31. *a fine*, inſona, *rep.* inſana.
Pag. 372. *col.* 1. *l.* 29. *a fine*, Quod, *rep.* Qui.
Pag. 379. *col.* 2. *l.* 81. quàm inane, *rep.* quam ſuper inane.
Pag. 380. *col.* 1. *l.* 18. accenſet, *rep.* accenſe.
Ibid. col. 2. *l.* 82. *ſic lege*, ſeu ex ratiocinatione, & ſcientia; ſeu ex aſſerveratione, *&c.*
Pag. 382. *col.* 1. *l.* 19. natam, *rep.* notam.
Ibid. lib. 11. *a fine*, Ac, *rep.* Hue.
Pag. 387. *col.* 2. *l.* 17. Propterea, *rep.* Prætereà.
Pag. 388. *col.* 2. *l.* 15. & quomodo, *dele*, &
Ib. l. 19. 12. 8. *à fine*, bonus. ego. mercantur, *rep.* bonæ. ergo. mereantur.
Pag. 391. *col.* 2. *l.* 9. *a fine*, hodie morum, *rep.* hodiernorum.
Pag. 394. *col.* 2. *l.* 3. amatis, *rep.* amandatis.
Pag. 395. *col.* 2. *l.* 32. *à fine*, refert, *rep.* infert
Pag. 399, *col.* 1, *l.* 4. *a fine*, noviſſe, *rep.* neviſſe.
Ibid. col. 2, *l.* 21. facienti, *rep.* famenti.
Pag. 406, *col.* 1, *l.* 25. inſtat, *rep.* inter.
Pag. 407, *col.* 2, *l.* 23, *a fine*, mox, *rep.* nox.
Pag. 411, *col.* 1, *l.* 21, Atque, *rep.* At ne.
Pag. 423, *col.* 2, *l.* 35, ſide, *rep.* fine.
Pag. 424, *col.* 2, *l.* 14, *a fine*, Noſtris, *rep.* Noſtis.
Pag. 415, *col.* 2, *l.* 21, *a fine*, comitate, *rep.* comitatu.
Pag. 427, *col.* 2, *l.* 27, tum, *rep.* tunc
Pag. 432, *col.* 2, *l.* 19. formam, *rep.* famam.
Pag. 419. *col.* 1, *l. ult.* patria, *rep.* putria.
Pag. 455. *col.* 2. *l.* 26, extimam, *adde* ſuperficiem.
Pag. 436, *col.* 1, *l.* 2, *a fine*, fatiſque, *rep.* ſtatiſque.
Pag. 457, *col.* 1, *l.* 18, *a fine*, ſanctum, *adde*, juvenis ſocerum ſanctum.
Pag. 460, *col.* 2, *l.* 11, viam, *rep.* vitam
Pag. 464, *col.* 2, *l.* 4. *a fine*, juſtitia, *rep.* injuſtitia
Pag. 469, *col.* 2, *l.* 32, *a fine*, pruvidentiâ, *rep.* porrovidentia.
Pag. 474, *col.* 1, *l.* 7, alter, *rep.* altor
Pag. 496, *col.* 2, *l.* 6, ſeſquimilia, *rep.* ſeſquimillio.
Pag. 501, *col.* 2, *l.* 14, *a fine*, excurrunt, *rep.* caurunt.
Pag. 509, *col.* 1, *l.* 2, *a fine*, naturæ, *rep.* maturè,
Ibid. col. 2, *l.* 5, reſiſtentes, *rep.* retinentes.
Pag. 515, *col.* 1, *l.* 5, *a fine*, *dele*, cum.
Pag. 517, *col.* 2, *l.* 4, pater, *rep.* frater.
Pag. 522, *col.* 2, *l.* 10, quæ, *rep.* quâ.
Ibid. l. 2, *a fine*, indocti, *rep.* docti.
Pag. 529, *col.* 1, *l.* 11, furto, *rep.* furvo.
Ibid. l. 32, interdum, *rep.* interdiu.

Errata leviora, & correctu faciliora.

IN *notis ad typographum, num* 5. contingere, *rep.* compingere. *Pag.* 6. exceptus, *rep.* excerptus. P. 52 hodie, *rep.* hominum. P. 72. univerſo, quærelæ, *rep.* univerſum, querelæ P. 82 ceduntur, *& alibi*, cedendas, *rep.* caduntur, cædendas. P. 97. liberumque, *rep.* liberorumque. P. 101. ſevè, brævius, *rep.* ſeu è, brevius. P. 104. allegârit, *rep.* allegavit. P. 108. opud, *rep.* opus. P. 113. hortatum, *rep.* hortatus, P. 119. gaudere, *rep.* gauderi. P. 120. pervani, *rep.* Peruani. P. 130. mentibus, *rep.* montibus. P. 134. contritas, *rep.* contritus P. 138. decreſſorem, *rep.* deceſſorem. P. 151, tum, *rep.* tam. P. 157. Dei, *rep.* Deo. P. 199. oculo, *rep.* oculos. P. 215 ingulaſſe, *rep.* jugulâſſe: *& alibi etiam* n *pro* u, *aut contra* n *pro* u *nprou*, *&c.* P. 236. celebro, *rep.* cerebro. P. 259. aſſert, *rep.* effert. P. 261. donea, *rep.* donec. P. 282, ſibi, *rep.* ſibi. P. 285, in eos, *rep.* inter eos. P. 290, hic, *rep.* hic *& alibi*. P. 297, multiplicari, *rep.* multiplicâſti. P. 311, clamat, *rep.* clamet. P. 320, quarumque, *rep.* quarumcumque. P. 351, loquebantur, *rep.* loquebâtur. P. 367, Naſos, *rep.* Naſut. P. 368, Catinenſis, adſertiorum, *rep.* Catanenſis, adſcititiorum, P. 369, tranſplantur, latitiam, ſtabiliti, immuneris, deſiſſimæ, *rep.* tranſplantatur, lætitiam, ſtabiliſti, intumeris, denſiſſimæ P. 370. colligit, veracula, *rep.* collegit, verrucula P. 374. eſſundere, *rep.* effundere. P. 375 Aurei, *rep.* Avrelii. P. 378, intuere, timuerit, *rep.* intueare, timuerit. P. 379. exſpectant, *rep.* exſpectent. P. 387, conſanguinatis, *rep.* conſanguinitatis. P. 388, promontarium, Callimei, apertæ, Opræ, annu, *rep.* promontorii, Callimei, apertè, Omæ, annos. P. 389 ac, *rep.* ab. P. 391, Quos, *rep.* Quod. P. 392 quid, *rep.* aliquid. P. 397, aliæ, amurcæ, *rep.* alia, amurca. P. 398, cui, eſſundere, *rep.* qui, affundere. P. 400, *& alibi*, regionem, *rep.* religionem. P. 406. prohibebant, *rep.* prohibeant. P. 407. Bonfrenius, *rep.* Bonfrerium. P. 408, cæpit, Galaatdi, *rep.* cepit, Galaaditi P. 409. Eò profectu ſtidem, *rep.* Eò profecto, ibidem. P. 411, videbatur, *rep.* ut videbatur P. 413, aliquot, inſultas, ut, *rep.* aliquos, infeſtat, &. P. 415. coactus, *rep.* coactos. P. 416 relatuſque, *rep.* relatuque P. 418, qui, *rep.* quia. P. 420. ſtella ſita, *rep.* ſtellas ſitas. P. 421, abjectas, *rep.* objectas. P. 421, reſponſu, *rep.* reſponſum, P. 423, ducti, *rep.* educti. P. 424. Expectamus, *rep.* Expectemus. P. 427, morſorum, Principatus, fuerat, induſtum, *rep.* merſorum, Principatui, fuerant, indutum, P. 429, imitatur, das, *rep.* imitetur, dans. P. 430, Admirabile, Angelus, ne utrave, *rep.* Admirabilis, angulus, neutriſve. P. 431, humeris, ventis, Paullus, *rep.* humeri, ventris, Paullinus. P. 434, oſtendo, oſculata, *rep.* oſtenſo, oſculatæ. P. 435. incumbuerunt, Poſteà, *rep.* incubuerunt, Poſterà. P. 442. plena, ſupponi, renuit, *rep.* plana, reponi, renuunt. P. 443, at, *rep.* aut. P. 444. rationabatur, Propheticis, varietatis, *rep.* ratiocinabatur, ex Prophetis, veritatis. P. 447. Antonii publicæ, *rep.* Antonino, publica. P. 449. non nihilo, *rep.* non de nihilo. P. 451, placueris, perfeceris, *rep.* placuerit, perfecerit. P. 455, ſic ad octingenta, *rep.* ſi, ac octoginta. P. 458. Exclamat. *rep.* Exclamet. P. 459. Adeòne, *rep.* Adeoque. P. 465. extrema, *rep.* externa. P. 466, invocat, *rep.* invoca. P. 468, *& alibi*, Gebennenſi, *rep.* Genevenſi P. 491. conſtruxit, *rep.* conſtruxiſti. P. 493, octypa, ſabum, *rep.* ectypa, ſchin. P. 495, ſubaudivi, ipſi, *rep.* ſubaudito, ipſis. P. 497, Scripturâ, Demetrii, cadavere, Sarpendonem. *rep.* Scriptura, Demetrium, cadavera, Sarpedonem. P. 500, abominationis, *rep.* abominationem. P. 501, Ego, *rep.* Ergo. P. 505, id, ductum, renamus, poſita, *rep.* id eſt, dictum, referamus, poſita. P. 510, ſub, Hierichuntina, *rep.* ſuæ, Hierichuntem. P. 511, Indultam, ſecuro, Elas, indicari, *rep.* inultam, ſecurè, Elæ, indicare. P. 514, ſinia, alibi, *rep.* ſilia, alii. P. 515, ad cap. 2, *rep.* ad cap. 7. P. 518, memoriæ, adulator, Engoliſm. enixa, aut, *rep.* memoriam, adulatur, Engoliſm. innixa, ut. P. 519, regis, Elial, *rep.* Regii, Eliab. P. 520. popius, menſem, *rep.* propius, menſam. P. 521, & quàm, tranſituri, morituros, *rep.* quam, tranſituris, moriturum. P. 523, inſiderint, verè, cordolentis, ſimilitudinem, *rep.* inſederint, voce, condolentis, ſimilitudinum. P. 528, contemptas, at æternitate, *rep.* contemptus, in æternitate. P. 530. aqua, *rep.* aquas. P. 531, impune, *rep.* magis impunè. P. 532, Nam. *rep.* Non,

Errata in Græcis.

Pag. 102. καλὰ, rep. καλά. P. 173. ἐξενολόγες, rep. ἐξενολόγει. P. 312. μεγιςάντων, rep. μεγιςάνων. Pag. 337. Ξ ſeu *Chi*, rep. ſeu *Cſi*. P. 388. λάαι, rep. λάας. Pag. 405. ἄϊδρομος, rep. ἐῦδρομος. P. 411. βαίσων, rep. βαίων. Ibid. ἡγουμένον, rep. ἡγουμένου. P. 428. ἰσχηρὸς, rep. ἰσχυρὸς. P. 428. ἐυλογμῶν, rep. ἐυλογιῶν. Ibid. πλᾶγμα, rep. πρᾶγμα. P. 429. βουβευέτω, rep. βραβευέτω. P. 433. γάῤῥος, rep. χάῤῥος. P. 439. πάτρ. σώτρ. ἐυεργέτης, rep. πατὴρ. σωτὴρ. ἐυεργέτης. P. 497. κεδρίων, rep. κεδρῶν. P. 533. καλαμοσφάκληγι, rep. καλαμοσφάκλην.

Errata in Hebrais.

Literæ *Beth* & *Caph*, *Rech* & *Daleth* inter ſe aliquando commutatæ ſunt. Ea menda, uti & interpunctiones in Latinis tranſmutatas, orthographiam variatam, aliáque minuta conſultò prætermiſſa, vel quæ recognoſcentis diligentiam fugerunt, facilè per ſe corriget eruditus Lector, facillimè excuſabit, cùm ſciet potiſſimam partem abſente auctore irrepſiſſe.

Indicis Concionatorii errata colligere per otium non licuit. Incurriſſe tamen quædam certum eſt, quando in ipſa ad conciones in Adventum præfatiuncula habetur, *qualis decet*, pro *qualem decet*.

INDEX

Digitized by Google

INDICES
CONCIONATORII
AD
LIBRUM PRIMUM
MACHABÆORVM

BELLORVM
ET IN IIS,
QUARUMVIS CALAMITATUM
CAVSSÆ
EFFECTA REMEDIA
COMPENDIO QUÆSITA.

EDITVS primùm fuit hic libellus Coloniæ anno 1646. & typographi nomine, votis ac verbis meis, inſcriptus Illuſtriſſimo Nuntio, nunc Pontifici Maximo ALEXANDRO VII. *cui proſperam longævitatem, ad Eccleſiæ bonum, vovent Chriſtiani omnes. Iterum recuſus fuit Namurci, tertiò Leodii. Iam rurſus edimus, quia non infructuoſum fore ſperamus, & cenſent qui legêre. Epiſtolam ac moniciunculam, primæ editioni præfixam, præmittimus. Ad ſingulorum paragraphorum margines annotamus loca, ubi eæ materiæ fuſiùs in Excurſibus noſtris Moralibus traduntur: quaſque jam antè Gallico de Cauſſis bellorum libro partim explicavimus.*

ILLUSTRISSIMO;

AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. FABIO CHISIO

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO NERITONENSI

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

D. INNOCENTII

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

ac prædictæ S. Sedis ad Tractum Rheni, & alias inferioris Germaniæ partes cum poteſtate Legati de latere

NVNTIO ORDINARIO,

ET AD TRACTATUS PACIS UNIVERSALIS, MONASTERII

NVNTIO EXTRAORDINARIO, &c.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

Miſſum eſt ad prælum meum è Belgio hoc de Bellis, imò de Pace, opuſculum, & à prælo meo ſub oculos tuos venire geſtit, id eſt, ad *Angelum Pacis*. Nec metuo tibi importunum ac moleſtum veniat, inter tantas ac tam graves pro Republicâ Chriſtianâ curas: agit enim quod agis; & lingua tua, id eſt Chriſtiana, ac pia loquitur; & quia Multa paucis complectitur, non diu te diſtinebit legendo. Profitetur auctor ſe in ſcribendo ſpectaſſe, ego in edendo, publicum bonum, ad quod tu, publico natus, cogitationes tuas jampridem maximo ſtudio retuliſti. Nam Summus Chriſtianæ pacis poſt Deum arbiter, te in
Aug. 19. de Civ. Germaniam noſtram miſit Nuntium de Pace, qua *nihil gratius audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius poteſt inveniri.* Id ſolùm nunc intueris, id verſas,
Cic. pro Sext. *quod præſtantiſſimum eſt, maximéque optabile omnibus ſanis, & bonis, & beatis, cum dignitate*, imo cum Religione ac Pietate, *Otium*. Vulgò dicunt cæli inſtar eſſe Monaſterium cum Pace, tu omni conatu eniteris, ne tot undique ſummi viri convenerint Monaſterium ſine Pace. Atque utinam *Deus Pacis*, à cujus arbitrio publica omnia privataque pendent, longas illas curas, ac ſtudia fælici tandem exitu claudat.
Enn. in Vi. S. Epiph. Acclamabit tunc tibi undique Europa, quomodo in ſimili cauſa Divo Epiphanio Ticinenſi Italia. Aſpiciemus te Chriſtiani omnes ut columbam oliviferam, ad nos emiſſam ab altero Noëmo, Arcæ Chriſtianæ inter malorum diluvia fluctuantis
Gen. 5. Innocentiſſimo Rectore, qui *conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus.* Hoc vovet, & ſua ac ſe totum obſequiis tuis æternùm dedicat, &c.

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

ARGVMENTVM *hoc tracto, quia temporibus congruum, & forſan publicè utile: id ſaltem ſpecto Compendio, contra quàm cogitaveram, trado: tum ne in longiori oratione dicam, vel invitus, quod partes offendat, tum quia* talibus malis non tam prolixi libri debentur, quàm prolixi fletus & gemitus. *Succingo, & ſtringo ſtylum, pro ratione compendii. Seco rem in numeros, ut vitem brevitatis ſociam obſcuritatem. Ipſa priſcorum auctorum verba meis intexo, quia id doctioribus plus voluptatis affert, indoctioribus plus reverentiæ & fidei. Tu pro humanite tuâ, in eâ brevitate, multa ne expecta: adjice de tuo, quod ex me deerit: Si quid diſplicebit, excuſa, aut ignoſce. Hæc te monitum, & rogatum volui.* Aug. ep. 122.

PROVIDENTIA

ÆTERNA,
QUÆ circum te temporum noſtrorum varietates convolvis.
IMMOBILIS,
Quæ motuum & viciſſitudinum publicarum prima motrix es.
INDEFINITA,
Quæ Rerumpublicarum omnium terminos & fata definis.
FORTISSIMA,
Cujus decretis nulla vis obſiſtere poſſit & conſilium.
SUAVISSIMA,
Quæ ipſorum hoſtium conatus in tuos fines leniter flectis.
SAPIENTISSIMA,
Cui fortunæ noſtræ eventus demenſi, numerati, perpenſi ſunt.
JUSTISSIMA,
Quæ publicis ſuppliciis etiam privatorum crimina plectis.
CLEMENTISSIMA,
Quæ hîc omnem pœnarum acerbitatem miſericordiâ temperas.
OPTIMA,
Quæ mala non toleras, niſi quia ad bonum refers.
IMMENSA,
Cujus tranquilliſſimam ſolicitudinem nec minima fugiunt.
SUPREMA,
Quæ infimorum reſpectum Majeſtate tua indignum non ducis.
ARIS TUIS ET GLORIÆ

Has litteras appendo, antè id unum precatus, ut noſtræ, ſervorum tuorum, & Fidelium mentes, quomodo à te conditæ ſunt, & per te motæ; ita in te deinceps intentæ, & ex te ſuſpenſæ, nihil malint eſſe, quàm quod de illis decreverit ordinis tui inconcuſſa ſtabilitas.

BELLORVM CAUSSÆ.

Exc. 5. ad c. 1. num. 8. n. 16. I. QUÆRENDÆ CAUSSÆ BELLORUM.

CAUSSAS belli, quo jam tot annos Europa fermè tota quatitur, & tantum non ruit, compendio inquiro. Faciliùs enim per illarum cognitionem ad Remedia tanto malò invenienda tranſibimus. Pudet tam diligentes nos eſſe in cæterarum rerum cauſis inveſtigandis; hic tam incurioſè torpere. Nuper terræ-motus quot ſtudioſorum excitavit ingenia? Hunc tot terrarum ac regnorum motum quis ad fontes inſpexit? Nam quæ politico ſtylo in id argumentum paſſim vulgata ſunt, affirmaverim vix ad veritatem magis pertinere, quàm vulgi ſermones de terræ-motus origine. Hærent enim in obviis, ad ima non penetrant: & effecta ferè aſpiciunt, cauſſas non ſcrutantur. Chriſtianâ igitur meditatione & calamo opus, ſi quid proficere velimus ad verum. Id conor. Tu ſi quid amplius vis & potes, fac, quod Angelus Stylitæ: *Altiùs foda.* In vitâ S. Simeonis.

II. OBTUSÆ. Exc. 4. ad c. 2. Quò certiùs ingrediamur & rimemur penitiùs, placet cauſſas in partes ſuas ſecare. Agunt enim aliæ, aliæ impellunt agentes. Agunt homines: quis ambigat? Et aguntur. Impellunt perturbationes animorum: &, ut ille olim: *Vox & ea vetus eſt*

§ 2 *cauſſa*

Sall. in fragm. *Arnob. l. 1. cont. Gent.* *cauſa bellandi, profunda cupido imperii & divitiarum.* Et verò ſi Chriſtiani *ſalutaribus Chriſti pacificiſq; decretis autem vellent commodare paulliſper, & non faſtu ſuperciliſq; tumidi, ſuis potius ſenſibus, quàm illius commonitionibus crederent, univerſus jam pridem orbis, mitiora in opera converſis uſibus ferri, tranquillitate in molliſſimâ degeret, & in concordiam ſalutarem incorrupti fœderum ſanctionibus convenirent.* An igitur tot regna pugnantia & Reges damnaveris, & juſtè bellum, non excipi tantum, ſed & inferri poſſe negaveris? Quod dant ratio, & fides, & & exempla ſanctiſſimorum Principum, tibi non negarim: ſed neque tu hoc mihi: Lites, id eſt bella privatorum, vix umquam abſque perturbationibus animorum vel ſuſcipi, vel duci; bella, id eſt lites publicas, numquam. Juſtitiæ miſcet noxiam cupiditatem utraque vel altera partium. Pauci belligeratores ſunt, de quibus rectè, mutato nomine, non dixeris: *Marius exercitum, Marium ducebat ambitio*, aut aliquid forſan ambitione humilius. *Senec. ep. 94.* Certè in hoc noſtrum lugubre ſæculum ingreſſurus hiſtoricus non ignobilis, diſertè præfatur, an & verè: *Spondanus an. 1600.* Ambitionem, avaritiam, inſatiabiles cupiditates, vetera odia nationum, aut, ſi molliori verbo uti voles, antipathias, proferendi imperii immania deſideria, aliosque ejuſmodi motus animorum, motuum Europæ ferè cauſſas eſſe, cæteras plerumque prætexi in ſpeciem.

Exc. 2. ad c. 22. ſect. 1. tota. & 2. num. 8. 9. &c.

III. Sacra-tiores.

Intelligentias à corpore ſejunctas hominibus ſe ad bella jungere indubitatum eſt. Scimus enim, centies ſub Hebræorum & Chriſtianorum Principum ſignis, aſpectabili formâ militaſſe Angelos; & malos Dæmones, Magicis incantationibus excitos, operas in prælia edidiſſe: quod in civili crudelia Syllæ victoria factum, Auguſtino teſte; *Aug. 2. de Civ. c. 24.* apud aliquas gentes, vel ipſis ſeſſibus, quotidianum eſt. *Olaus Magnus, &c.* Adhæc incredibiles vaſtiſſimorum imperiorum minæ, & nata momento de nihilo regna, ſatis indicant, vires humanis majores ex abdito in ejuſmodi mutationibus pugnaſſe. Hoc pacto, fœda barbararum nationum eluvies Romanorum Imp. olim afflixit: Turci, gens inermis & vaga, ad ſummam potentiam venere *Guil. Tyrius l. 1. c. 7.* Tartari, Indorum mancipia, fabro ferrario duce, orbe fermè toto terrorem & incendia circumtulerunt: *Spond. anno 1202.* Ziſca inops, cæcus, impius tumultuantis plebeculæ dux, *Id. an. 1424.* omnibus prælia victor, Germaniam concuſſit: exorta repentè nova timendorum populorum nomina, inſtar fungorum unâ nocte erumpentium. Impulere bonos genios hominum amor, malos odium. Illos egit imperium Dei, hos ſolvit permiſſus. Illos juſſis Deus adeſſe præſidio populis, quos ſervatos vellet, à puniendis tantiſper abſiſtere; hos, in criminum noſtrorum pœnam, odia in genus humanum exercere, & turbas ciere non vetuit. *Aug. 9. de Civ. c. 23.* *Sicut enim ipſi mali homines in terrâ, ſic etiam illi* Dæmones *non omnia quæ volunt facere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur, cujus plenè judicia nemo comprehendit, nemo juſtè reprehendit.* *Iſa. 19.* Babylonico bello *ſapientes conſiliarii Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Stulti facti ſunt Principes Taneos, emarcuerunt Principes Memphéos: deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus. Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens;* Dei nempe permiſſu, per Principes tenebrarum affuſâ conſilia nocte. *Joſeph. 2. de bello.* Imminentibus Solymorum excidio Romanis, audita templo excedere Angeli, & ſirum illud totidem fermè verbis iterare: *Ier. 51.* *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam:* nudante ſcilicet Deo præſidiariis cæleſtibus mox ruituram civitatem.

Exc. ad c. 24. ſect. 2.

VI. Ul-tima.

Princeps igitur ea cauſis agentibus eſt Providentia divina, mater, & altrix rerum publicarum, ac regnorum. Deum enim præſidere mundo, quem condidit, ne ipſa quidem Impietas ex animo negaverit: imò quietiſſimas ejus curas etiam ad minima univerſi membra pertinere nemo dubitarit, non dico plus, ſed vel cordatus. Quid autem de hominum civitatibus ac populis, nobiliſſima utique parte univerſi? Affirmatiſſimè dicendum, acclamantibus undique ſæculis, Deum arbitrum eſſe certaminum: cujus conſilio diſpenſari huic pacem, illi bellum, huic clades, illi victorias, huic imperia, illi ſervitutem: & vel ob hanc cauſam ei toties tributam appellationem *Dei exercituum.* *Aug. 5 de Civ. c. 11.* Nam *nullo modo credendum eſt regna hominum, eorumq; dominationes & ſervitutes à ſua providentia legibus alienas eſſe voluiſſe, qui nec exigui & contemptibilis animalis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium, ſine ſuarum partium convenientia & quadam veluti pace dereliquit.* *Dan. 7.* Cùm priſca quatuor Imperia, totidem animalium ſpecie, de mari ad ventorum flatus emergentium, Danieli Deus oſtenderet, nil agebat aliud, quàm ut diſceremus, Providentiam principem eſſe cauſſam tempeſtatum bellicarum, & ab illâ ſignatos ortus, morbos, interitus Imperiorum. *Tertul. 2. ad Nationes.* *Quæriſe, quis temporum vices ordinavit? Idem regna diſpenſat.* *Iſa. 45.* *Dominus, & non eſt alter: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* *Dan. 2.* *Mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque conſtituit.*

Exc. ad c. 8. ſect. 2.

V. Cur Deus impiis uta-tur.

At ſi Providentia divina, quam ſanè juſtiſſimam & ſapientiſſimam eſſe fatendum eſt, bellorum motus omnes & eventus regit: quid igitur in illis agunt malorum Dæmonum & hominum conatus & odia? Primum id agunt, ut bonis eò ſint duriora ſupplicia, quò à vilioribus ſortoribus patiuntur: nihil autem Dei inimico vilius eſt. Deinde ex eo intelligis, quàm nihili Deus faciat ejuſmodi populos, & Principes, quos pro carnificibus, aut flagellis ad filiorum pœnam adhibet, ipſos poſtmodum in tormenta & ignem ituros. Amplius: ex iſto ſæpe *Summa illa Providentia protulit inſigne miraculum, ut mali malos bonos facerent:* *Boëthius l. 4. proſâ 6.* *Nam dum iniqua ſibi à peſſimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutum frugem rediere, dum ſe eis diſſimiles ſtudent eſſe quos oderunt.* Denique vel inde fateberis miram eſſe ſapientiæ, ac potentiæ divinæ vim, *cui mala quoque bona ſint, cum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum.* *Ibidem.* Sapientiſſimus gubernator, etiam adverſo vento, vela implet, & portum occupat. Scientiſſimus Muſicæ artifex, ſuavem partium univerſi concentum ex ipsâ vitiorum diſſonantia elicit: *In malis Dei voluntas fit, & ſimul à malis.* *Gumma Theolog.*

Exc. 5. ad c. 2. ſect. 1. & 2.

VI. Pecca-ta movent.

Summam illam juſtitiam impellunt hominum culpæ ad decernenda bellorum ſupplicia. *Paſſim in Scriptura.* Teſtis idem eſt qui Judex Deus, populum Hebræorum, niſi ex eâ cauſa nunquam publicè calamitoſum fuiſſe. *Paſſim apud Prophetas nominatim Iſaiæ a cap. 13. uſque ad 25.* Clades cæteris Aſiæ populis olim immiſſas, ex eodem capite ſacræ literæ ducunt. Tota id nobis regna & imperia pronuntiant, omnia hiſtoriarum ſæcula teſtantur, belli fontem eſſe peccata. Audivimus acclamantes undique ſapientiſſimos Patres: *Hier. ad Heliodor.* *Noſtris peccatis barbaros fortes eſſe, noſtris vitiis Romanos ſuperari exercitus.* *Aug. 1 de Civ.* *Quæ ab hoſtibus dura & aſpera perpetimur, illi Providentiæ divinæ tribuenda, quæ ſolet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere.* *Amb. ſer. 85.* *Civitatis non niſi propter civium peccata inferri excidium.* *Greg. l. 4. Regiſtri ep. 76. ad Maur. Imper.* *Peccata noſtra barbaricis viribus ſociari, & culpâ noſtrâ hoſtium gladios exacui.* *Salv. l. 7. de Provid.* *Neq; nos hoſtium fortitudine obrui, ſed ſola vitiorum noſtrorum impuritate ſuperari.* Cùm autem par ſit noſtrorum, & iſtorum bellorum ratio, parem etiam originem eſſe neceſſe eſt. Inſcribamus igitur Urbium Catholicarum muris, exercituum reliquiis, Provinciarum cineribus, regnorum clauſtris, intercalaria ſapientis hiſtorici verba: *Peccatis noſtris exigentibus.* *Guil. Tyr. v. infra n. 12.* Privatas quidem calamitates aliquando à Deo innocentibus immitti certum eſt: at publicas numquam. *Item Naz. orat. de Grand. & Baſ. or. de fame.* Videbis Sanctiſſimum virum, orbum liberis, nudum facultatibus, afflictiſſimo corpore, ægro animo, à civium ſocietate ſecluſum contagii metu, ad ſimeti ſordes abjectum; neque, opinor, tam novitius eris, ut neſcias, eas ipſi ærumnas divinitùs immiſſas, non ad criminum pœnam, ſed ad occaſionem exercendæ & corroborandæ virtutis: *Eb. ſpoliat tu tus liber Iob.* *Paternum enim habet Deus adverſus bonos animum, & illos fortiter amat, operibuſq; ac doloribus exagitat, ut verum colligant robur.* *Senec. l. de Prov.* At cum audieris urbes aut regna bellis quaſſa, fame exhauſta, lue populata aliiſve communium calamitatum generibus oppreſſa, iſthæc eſſe ſcelerum ſupplicia ne dubites: Nam *miſeros facit populos peccatum,* *Prov. 14.* neque unquam Deus *gentem ignorantem aut juſtam interficiet.* *Gen. 20.* Et in hanc ſententiam accipe iſtud tam aſſeveranter & planè ab Eccleſiâ dictum: *Nulla nobis nocebit adverſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas.* *Fer. 4. poſt Cin.*

Exc. ad c. 8. ſect. 2.

VII Cur ra-go mali flo-reant.

Cur autem infideles ſæpè aut pace floreant, aut victoriis, ſi Deus bellorum cladibus peccata caſtigat? Veteri ac vulgari querelæ pauca verba oppono. Primum: *ſummam juſtitiam eſſe voluntatem Dei: ſatis eſſe pro univerſis rationibus Auctorem Deum.* *Salv. l. 1. de Prov.* *Etſi cauſam tantæ diſpoſitionis ignoremus, tamen quia bonus mundum rector temperat, rectè cuncta fieri non dubitandum.* *Idem l. 3. Boet. l. 4. pr. 6.* Alterum: Pacem, Victoriam, Imperia magnifaciebas, impellit iſta Deus in ipſas inimicorum manus, ut ſcias vile donum eſſe, & te in Eccleſiâ ad altiora imperia renatum: *Nullo modo poteſt magis Deus concupiſcenda traducere, quàm ſi illa ad turpiſſimos defert, ab optimis abigit.* *Sen. l. de Prov.* Deinde: Viles infidelium animas, & in terram pronas, vix efficacius ad virtutis aliquam ſpeciem excitans, quàm fœlicitatis mortalis præmio: *Ut pueris dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint ut diſcere prima.* *Horatius.* Tum: *Indulgentiſſimus Deus nullum omninò abſque remuneratione eſſe permittit operantem bonum:* *Leor Infinitio aut. de caſto connubio c. 40.* *Rogatoribus quidem, & hujus ſæculi incolis temporalem*

temporalem reddit pro labore mercedem, quam appetunt; Juſtis autem aliter merita compenſantur. Sic Romanis idololatris datum eſſe orbis imperium cenſuit Auguſtinus: Similem ob cauſſam Hæreticos Vandalos Africæ dominos fuiſſe Salvianus exiſtimat: imo & de Babylonio Monarchâ, Tyriorum domitore, idem Oracula divina pronuntiant. Ecquis igitur ſanæ mentis Chriſtianus miretur, aut ægrè ferat, brevium & caducorum bonorum cupedias objici hominibus æternùm perituris? Mendico ſtipem ſuam non invideas, non vinum reo ad patibulum vadenti: *Neque peccatoribus invidendum eſt hoc miſera fœlicitatis interſtitium.* Denique: ſi nondum acquieſcis, hanc poſtremam accipe & decretoriam rationem: Infideles Catholicorum damna, aut quieti ac ſecuri ſpectant, aut victores rident, quia Catholicæ civitates, quæ bellis atteruntur, Menſuram criminum ſuorum ad ſummum implevere, nondum infideles ſuam.

Lib. 5. de Civ. — *L. 7. de Prov.* — *Ezech. 29.* — *Aug. in Pſal. 36.*

VIII. Menſura criminum. Eſt ergo ſua ſingulis Rebuſpublicis ſtatuta criminum ſumma, quam ubi explerint, publicâ illas calamitate perſequi ſuprema Juſtitia decrevit. Ita ubi *completa fuerunt iniquitates Amorrhæorum*, immiſſi à Deo in eorum terras ultores criminum Iſraelitæ, gentes impias in ultimum egerunt exitium. Sic poſtquam Judæa gens *Impietatem projecit in medio amphoræ*, id eſt ſuam criminum Menſuram, Regibus & populo paſſim in vitia ruentibus, cumulavit, migrare coacta eſt Babylonem *in terram Sennaar*, & annorum ſeptuaginta ſervitute priſtinos errores expiare. Ipſe Judæorum Dominus Baltaſar, cùm ad certum pondus & numerum peccando perveniſſet, dignitatem & vitam amiſit, capta regia civitate, ac diviſo regno, & dato Medis & Perſis. Hebræi denique, poſtquam ultimam *Menſuram patrum ſuorum implevere*, ſcelerum pœnis agentibus in extremam cladem præcipitaverunt, toto orbe ſparſi nobile populis omnibus documentum, ut qui ſe pacatos, ac ſalvos volent, à cumulandis ſceleribus abſtineant. Eam ſummam deinceps communi ac noto vocabulo *Menſuram* appellabimus: & *Republica* nomine ſignificabimus, Civitates, Populos, Regna, omnem denique hominum ſocietatem, quæ civile corpus quadam quaſi partium conjunctione conſtituit.

Exc. 2. ad c. 36. ſect. 1. — *Gen. 15.* — *Zachar. 5.* — *Dan. 5.* — *Matth. 23.*

IX. Conſtat noſtris et avorum peccatis. Ad Menſuræ rationem intelligendam ſtatuendum, an eò ſpectent majorum delicta, an hodierna tantum, id eſt eorum, qui hodie Reipublicæ partes ſunt? Acerbum enim videatur, de poſteris, eorum quæ non commiſerint, pœnas expetere. Atqui certum eſt, non noſtris tantùm, ſed & avorum culpis conſtare Menſuram, niſi aut pœnis jam deleta ſint, aut pœnitentiâ expiata, aut benefactis compenſata. En ipſum Dei oraculum; *Ego Deus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Idem ex Chriſti ad Judæos verbis intelligas. Neque id iniquum videri poteſt. Quomodo enim ſenile corpus ſæpe luit valetudine juvenilem licentiam, ita frequenter effœta Reſpublica iis morbis conflictatur, quorum cauſas vegetior collegerit. Nam quamdiu populus iiſdem legibus, & moribus continetur, ſemper idem corpus eſt, licèt aliæ partes ſint. Adde hodiernum populum nunquam majorum commiſſa luere, niſi peccando ultimum illis cumulum adjecerit.

Ibid. c. 7. 8. — *Exod. 20.* — *Matt. 23. ſupra.*

X. Certa sed ignota. Scire item velis, quæ ſingulis Rebuſpublicis Menſura deſtinata ſit, id eſt, quantum ut illis Deus peccatorum numerum ferat, ante decernenda ſupplicia. Sed tam grande ſecretum non aliter quam ipſis pœnis, aut pœnarum minis, & divinis oraculis deprehendi poteſt. Quemadmodum ſingulis hominibus ſua eſt certa vivendi meta, ignota tamen ſingulis: ita ſuos Rerumpublicarum ſuppliciis, ac funeribus terminos Æternæ Mentis conſilium fixit, quos nemo novit, niſi de cœlo prodigiis, aut vaticiniis moveatur. Cur Ira Dei populos peſte minuat, fame debilitet, terræ motibus quatiat, tempeſtatibus atterat, cædibus vaſtet, diluviis ſepeliat, ſcimus; crimina puniuntur. At quando, quâ viâ, & quomodò lenta in eorum exitium vindicta veniat, neſcimus. Itaque quod ille nobis olim, hoc nos hodie Rebuſpublicis inculcemus: *Mors te expectat, tu & illam expecta*, & interim Deo te ſubjice: *Neque enim ambigendum eſt omnia Dei eſſe: & ſi non ſint perſpicua, tamen eſſe conſulta.*

Ib. num. 11. & ſeq. — *Sen. ep. 26.* — *Paul. ep. 38.*

XI. Chriſtianorum minor menſura. Hoc certum & notum, Rebuſpublicis Catholicorum minorem eſſe, quàm infidelium Menſuram. Advertas hoc licet in gente Hebræa, quæ publicis cladibus ſæpius attrita eſt, quàm finitimi Barbarorum populi: & in Annalibus Catholicis, plures, opinor, Noſtrorum, quàm Mahumetanorum, vel Hæreticorum, aut aliorum Infidelium calamitates numerâris. Quod eò fit, ut ante monuimus, quia ſuus etiam apud Infideles quibuſdam virtutibus cultus eſt. Videas Mahumetanos juſtos, Chinenſes prudentes, Japones fortes, Hæreticos modeſtos. Eæ virtutes, cùm divinum nihil habeant, quia Fidei conjunctæ non ſunt, & humanæ tamen ſint, neque mercedem æternam ſpectare poſſunt, & caducis bonis, convenienter ſcilicet earum ordini præmio, compenſantur: quem in modum cum Romanâ republicâ actum eſſe, jam olim cenſuit Auguſtinus. Ex aliâ verò parte, de *Noſtris multi ſunt ſimplices, ne rudes, tum infirmi. plerique verò in ventum, &, ſi placuerit, Chriſtiani:* multa apud nos, fermè dixero quanta apud Infideles, peccantur, quibus mota ultrix Dei manus aliam ex alia Europæ partem deſignat ad pœnam. *Nam omnis Chriſtianorum culpa divinitatis injuria eſt: atrocius ſub ſancti nominis profeſſione peccatur; ipſa errores noſtros religio, quam profitemur, accuſat.* Dixit Chriſtus ſervum domini mandatorum ignarum, ſi erret, corripi leniter, at cum conſcientiâ beſtiis voluntatis peccantem, ſeveriùs plecti: *quid ergo mirum ſi Chriſtianis temporibus, iſte mundus, tamquam ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & faciens digna plagis, vapulat multis?* Nuper Selymus, ambitioſiſſimus Turcorum Princeps, Ægypto ſubactâ, victis Perſis, Oriente pacato, quietis impatiens, belli materiam in Occidente quærere ſtatuerat: tum ut Alexandri & Julii Cæſaris, quos ſibi potiſſimùm imitandos propoſuerat, famam æquaret: tum quia ſe Conſtantini Magni hæredem, Orientis pariter & Occidentis Dominum diceret: hoc denique præſertim argumento, quod parata ſibi eſſet ac facilis de Chriſtianis victoria. Chriſtum enim illis auxilio non futurum, quos pro ſuis agnoſcere, niſi cum pudore, non poſſet. Alias omnino eſſe Chriſti leges, alios mores Chriſtianorum: juſtas illas, caſtas, divinas; hos avaros, rapaces, contaminatos, intemperantes. Iratum procul dubio cælum tam indignè religione ſuâ viventibus: adeoque eſſe non poſſe quin proſperâ adverſus illos fortunâ uteretur. Non ineptè profectò iſta, Infidelis Princeps, de Chriſtianâ gente, ad exemplum Achioris, eâdem formâ de Judæorum criminibus & calamitatibus apud Holofernem diſputantis. Neque enim dubium eſt, Deum populorum ſuorum crimina tamdiu diſſimulare non ſolere, quàm Allophylorum & à verâ religione alienorum, ſed ea publicis & non tardis ſuppliciis perſequi.

Exc. 1. ad c. 15 ſumè toto. — *v. c. 7. ſupra.* — *Aug. lib. 5. de Civit. cap. 15.* — *Tertul. in Scorp.* — *Salv. 4. de Prov.* — *Luc. 12.* — *de Civ. & epiſt. 122.* — *Spond. anno 1518.* — *Judith 5.*

XII. Implentur peccatis reipublicæ. Ad Menſuram implendam primo loco pertinent ea peccata, quæ Reipublicæ tribuuntur, id eſt, quæ à privatis quidem patrantur, nam aliter fieri non poteſt, ſed ſub publico nomine. Ea trium generum ſunt. Aut enim capita Reipublicæ peccant, aut membra omnia, aut pleraque; quod autem capita faciunt, aut partes univerſæ, aut plures, id omne toti corpori adſcribitur. Exemplum ſit: ſi inſontes plectuntur, noxii impunè graſſantur, officia ad indignos veniunt, capitum culpa eſt. *Si Pietas publicè proſcribitur, ſi injuſta bella communibus odiis geruntur, peccant membra univerſa.* Si paſſim temperantia profligatur, ſi fraudes in commerciis frequentantur, plurium membrorum vitium eſt. Ejuſmodi omnia vitiorum genera, præ aliis, calamitates publicæ petunt: tum quia Reipublicæ crimina, quâ publica ſunt, æternis ſuppliciis plecti non poſſunt; nam nullius illic Reipublicæ corpus eſt: tum quòd boni communis interſit, aliquos interdum populos communi pœnâ delicta luere, ad cæterorum exemplum.

Exc. ad c. 7. ſect. 1. — *Vide Leſſium l. 13. de Perf. divinis c. 21.*

XIII. Impietate præſertim. Ex his, quæ Reipublicæ crimina vocavimus, ea præſertim pernicioſa ſunt, quæ in religionem, & pietatem pugnant. Nam cùm homines in civilem ſocietatem coire non debeant niſi causâ melius ex natura vivendi, nec vivant niſi colendi Dei gratiâ: conſequens eſt ultimum rerum publicarum finem eſſe Dei cultum, qui tollit, aut violat, illas lædat neceſſe eſt. Hujus autem generis ſcelera ſunt non tantùm illa, quæ religioni & Fidei in ſe adverſantur, aut quæ locis & rebus ſacris vim afferunt, ſed & quæ ſacrorum hominum reverentiam & libertatem publicè minuunt: *Sacrilegii enim genus eſt, Dei odiſſe cultores.* Ab iſtis fontibus ortæ plerumque gentium ſtrages, urbium ruinæ, regnorum excidia. *Propter hanc cauſam peccavit domus Ieroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ. Reges Iuda dederunt regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienigenæ genti, quia reliquerunt legem Altiſſimi, & contempſerunt timorem Dei.* Carthago, & omnes Africæ Romanæ Urbes, jugo Vandalorum oppreſſæ, *barbaros pertulerunt, quos ſancti Viri in illis barbaros pertulerant.* Conſtantinopolitanum Imperium Imperatore Nicephoro Phoca, hoſtes laceravere, quia ſacris hominibus, & locis bellum indixerat, id fatente per publicum edictum Imperii hærede

Ib. ſect. 2. — *V. Aug. 19. de Civ. c. 21. & 19. ſub finem.* — *Salv. 8. de Prov.* — *3. Reg. 13.* — *Eccli. 49.* — *Salv. ibid.* — *Vide Ribad. in Principe Chriſt. l. 7. c. 15. et alia.*

hæredeBaſilin. Exercitus florentiſſimi deleti, quòd vis per milites illata templis. Totæ provinciæ ac regna, admiſſis ſuperſtitionibus, clades & interitum acceſſivere. Religioni enim, Sapientiæ, ac Potentiæ arctiſſima, ſi Aquinati credimus, cognatio eſt prorſus ut ſi illam ſolveris, has interire, vel valdè conflictari neceſſe ſit. Nec ſana conſilia ſperaveris, neque auxilium & vires cælitùs adverſus hoſtem exſpectaveris, ſi populus avitam Religionem Impietate prodiderit.

6. Tho. opuſc. 20.

Ib. ſect. 3.

XIV. Et injustitia. Infinita de Impietate prætereo: Sed & plura de Injuſtitiâ dicenda ſunt. Nam hanc rerumpublicarum ſaluti, Impietate magis exitioſam eſſe non dubito. Vix id credibile videatur, æſtimanti Impietatem tantò gravius Injuſtitia vitium eſſe, quantò Pietas nobilior Juſtitiâ virtus eſt. Sed mecum ſentias, ſi adverteris, in futuræ quidem vitæ judiciis ſupplicia pro gravitate criminum, privatis infligi; verum mortalis vitæ tempore, & in publicis præſertim calamitatibus, aliter rem habere. Suprema enim arbitra Rerumpublicarum & legis-latrix Providentia, in regendis populis eandem viam ſequitur, quam ſapiens magiſtratus, cui ſolenne eſt ad commune civitatis bonum ea vitia acriùs propulſare, & ſeveriùs vindicare, quæ publicè magis noxia ſunt, etſi aliis minùs noxiis leviora. At verò Injuſtitiam civili corpori Impietate perniciosiorem eſſe, vel hinc certum eſt, quòd Pietas ejus tantùm finis ſit, Juſtitia vinculum: plus autem corpori noces, ſi vinculum ſolvis, quàm ſi tollis finem. Quod cùm de omni Injuſtitiæ ſpecie verum ſit, ſeu quæ in communi vita verſatur, ſeu quæ ad leges ſervandas pertinet, ſeu quæ ad Reipublicæ munia & gradus conferendos, aut ad malefactorum vindictam ſpectat; tum de his duobus poſtremis generibus certiſſimum eſt. Nam officiorum in indignos diſtributio, & noxiorum impunitas, evidentiſſima indicia ſunt morientis Reipublicæ: indigna enim eſt, cui vitam conſervet ſummus motor univerſi, ſi ipſa ſibi, capitibus infirmis, & membris putribus adſciſcendis, mortem acceſſit. Certè Reſpublicas non paucas, peſſumdatâ Pietate, ſervatâ tamen Juſtitiâ, diu ſtetiſſe vidimus: nullas longo tempore incolumes fuiſſe, profligatâ Juſtitiâ, ſalvâ licet religione. Monuit jam olim Siracides *regnum à gente in gentem transferri propter injuſtitias*. & ſacri Vates eidem præſertim cauſæ Solymorum excidium, & Iſraelitarum cladem adſcripſerunt, quòd illic in *Civitate olim fideli, plena judicii, juſtitiæ domicilio*, jam habitarent *homicidæ, & ſocii furum*; apud hos *juſtus pro argento venderetur, & pauper pro calceamentis*. Quid autem de iis urbibus dixeris, unde exulant & Juſtitia & Religio? Ubi publicis facinoribus, aræ Impietati & Injuſtitiæ ſtatuuntur, quomodo à Dicæarcho Macedone, claſſis Regiæ Præfecto factum perhibent? Quid? Niſi in certam perniciem ruere, quarum corpus fine ſuo caret, partes vinculo. De cujuſlibet Reipublicæ ſalute illud intrepide pronuntia, quod de Francorum regno aiunt, roganti Regi Clodovæo, D. Remigium vaticinando reſpondiſſe. *Tamdiu duraturum, quamdiu ſtarent Religio & Juſtitia.* Vivere civitas non poteſt, cùm iſtæ occiderunt.

Eccl. 10.

Iſa. 1.

Amos 8.

Sabinus an. 551.

Vita Sancti Remigii.

Exc. 3. ad c. 2. toto.

XV. Proxima intemperantia. His Rerumpublicarum voraginibus proxima eſt Intemperantia, quo nomine appello utramque ejus partem, Ebrietatem, & Luxuriam. Pronus enim ab utraque ad Impietatem & injuſtitiam lapſus eſt. Intemperans multa Deo detrahit, multa aliis, quò ſeſe ſolutiùs & largiùs effundat in voluptates: excutit quà poteſt arbitri numinis metum, & de alieno facilè ſupplet, ſi de ſuo deſunt, fomenta cupiditatum. Adde, quòd vitiis illis paſſim graſſantibus, tam nervi Rerumpublicarum tentantur, quàm corporum: frangunt enim animos, corpora debilitant, nec tempori parcunt, nec ſecreto, quod præcipuum conſiliorum, & benè gerendi adminiculum eſt. Via inde generoſum ullum militem expectes, rarum ſperes ſapientem magiſtratum, ubi peſtes illæ vulgari conſuetudine inoleverunt. *Hoc multarum tibi Urbium oſtendet eventus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt, & quicquid virtute erat partum, Intemperantia concidit*: Luxuria Siciliam fermè totam peregrinorum dominorum ſanguine madeſecit, Angliam ab Europa noſtrâ animis violentiùs, quàm freto, disjunxit. Florentiſſimum Chriſtianorum ſub ſanctiſſimo Rege exercitum, barbaris Ægyptiis ad necem, & vincula prodidit. Mauris ultrò Gothicum imperium obtulit, cùm *Vitiis, ac potiſſimùm libidine, vigor extinctus eſſet.* Ut ſcias parem eſſe Ebrietatis & Luxuriæ cauſam: *Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc maximas gentes, bellicoſaſq́; hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſſimas nobis, & jugum recuſantes in alienum egit arbitrium: hæc invictos acie, mero domuit.* Natabat vino pavimentum Balthaſaris, cùm horribilis ſententia in ejus caput & imperium, Vindictâ divinâ dictante, ſcriberetur. Benadadum, cum Principibus in tentorio temulentum, exigua Samaritarum manus oppreſſit. Elæ Iſraelitarum Regi, in ædibus Præfecti Regiæ urbis ebrio, Zambri ſceptrum & vitam abſtulit. Inclamabant vates, cùm imminens Judaico populo excidium prædicerent, *Væ qui conſurgitis manè ad Ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis. nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam: & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit.* Cùm Vandali, timida gens & Infidelis, caput Africæ Carthaginem invaſere, cives invenerunt *omnes penè vinolentiâ temulentos, ſed omnes peccatis ebrios.* Idem, arbitror, de quibuſdam Germaniæ populis, in hoc Suecico bello redivivus Salvianus diceret, affirmaretque, proximam, ab Impietate & Injuſtitiâ, populorum peſtem eſſe Intemperantiam.

Sen. ep. 94.

Spond. an. 1280.

Sanderus in ſchiſm. Anglic.

Ionvil. in Vitâ S. Lud.

Mariana l. 6. c. 23.

Sen. ep. 83.

Dan. 5.

3. Reg. 20.

3. Reg. 16.

Iſa. 5.

Salv. l. 7.

XVI. Privatorum culpæ faciunt ad mensuram. A publicis criminibus tranſeo ad Privatorum culpas, quibus licèt minor, ſua tamen etiam vis eſt ad Menſuræ cumulum. Quam hoc verum ſit, ex Achano, Davide, Jona jam olim didiciſti; quorum hic tempeſtatem, ille luem, alius ſtragem unico crimine in multos impulit. Simile illud de impuriſſimâ muliere, quæ jugulatis in ſpem alterius conjugii liberis, navem, quam ad fugam conſcenderat, in eodem veſtigio totos quindecim dies, vento licèt ſecundiſſimo, fixit immobilem: donec eo onere cœlitùs liberata, reliquos vectores in portum tulit incredibili celeritate. Tam autem id æquum eſſe, quàm verum eſt, hinc æſtimabis, quòd privati membra ſint Reipublicæ, & ſæpè fiat, ut corpus totum laboret partis unicæ interitu. Adde, cùm crimen unius communi ſupplicio cælitùs plectitur, illud hujus in ſolidum cauſam non eſſe, ſed ultimum Menſuræ Publicæ cumulum adjicere, eamq́ue peccatorum ſummam perficere, quam ad vindictam Juſtitia divina ſtatuerat. Culpa tamen uni adſcribitur, quomodo decumano fluctui exitium navis, jam ante ab aliis fluctibus debilitatæ. Abſque enim illo unius peccato fuiſſet, ſtetiſſet etiam aliquamdiu præcipitans Reſpublica, & longius placando Deo, & minuendæ Menſuræ ſpatium habuiſſet. *Apud eos, qui talia metuunt, diſciplina ſancitur, ut non ſolùm ſe quiſque curet in populo: ſed invicem ſibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis, & unius hominis, alia pro aliis membra ſint ſollicita.* Caveamus igitur impium, *caveamus perfidum, caveamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus.* Impuro capiti in Balduini Imperatoris palatio pernoctare non liceat, ne domus tota ardeat unius incendio. Pereat, Narſetis juſſu, antè ipſos ordines, in procinctu certaminis, facinoroſus miles, ne Romano exercitui eripiat ſperatam de Gothis victoriam. Expiet ſcelus, aut pœnâ aut pœnitentiâ, malus civis, ſi non ſuâ, ac patriæ ſaltem caritate, ne unius noxa diſcrimini Rempublicam omnem objiciat.

Ex. 2. ad e. 5.

Ioſue 7.

2. Reg. 24.

Ion. 1.

Prat. ſpir. c. 76.

Aug. qu. 8. in Ioſ.

Amb. l. 4. in Luc. c. 5.

Nicetas Chon.

Robal. in Tranſ. l. 2. c. 5.

XVII. Præcipue nobilium. Ex privatis tamen magis Iram Dei ad calamitates publicas ſollicitant quorum peccata vulgò magis ſpectabilia & noxia ſunt. Principes, puto, & Magiſtratus intelligis, nobileſque, tum viros, tum fœminas. Poſiti enim ſunt in theatro dignitatis, totque habent actuum ſuorum ſpectatores, imò inſpectores, quot ſubditos; adeoque peccant cùm tantò majori Reipublicæ noxâ, quantò plures exemplo in perniciem trahunt. Deinde eò graviora ſunt ipſorum delicta, quo deſtinatiùs errare ſolent quàm plebeii, & quò plura Deus in illos beneficia contulit: gravitas autem criminum ad Menſuram magnopere pertinet, ſi cum publico damno conjuncta eſt. Horrenda eſt Dei in Iſraelitas ſententia: *Non addam, ut diligam eos.* Quid verò noxæ commiſerunt infælices filii, clementiſſime Pater, ut eos in totum abdices & damnes? En primam exhæredationis cauſſam: *Omnes Principes eorum recedentes.* Completa illorum, magnatibus præſertim peccantibus, Menſura eſt, jam præda hoſtibus fient, jam mei amplius non erunt. Affine huic ab Iſaïa de Judæis vaticinium. *Omne caput languidum*, Principes viri ac fœminæ, civitatis capita, vitiis elanguerunt; exinde *omne cor mærens*, afflictæ calamitatibus popularium mentes: *à plantâ pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo* Judaico regno, *ſanitas, ſed vulnus, & livor, & plaga tumens*; undique infortuniis miſeranda gens premitur. Tranſi ab iſtis Hebræorum populorum exemplis ad Chriſtiana tempora, non diſpares, & cauſſas, & exitus invenies. Duo tamen hic te monitum volo. Primùm: ſi privatus es, ne idcirco de primoribus obmurmures, aut detractum eas, neque illis neges, quam patriæ patribus debes caritatem. Eſt enim hominis præfidentis, ſeditioſi, inſani majorum ſibi arrogare cenſuram, ſubditos abalienare à capite, provocare potentiorem. Alterum:

Exc. 2. ad c. 1.

Oſee 9.

Iſa. 1.

ſpſa

ipſa Principum errata, pœnam culparum tuarum, & Reipublicæ totius eſſe judices. *Aug. l. 5. de Civit.* *Nam etiam talibus dominandi poteſtas non datur, niſi eum ſummi Dei providentia res humanas judicat tal bus Dominus dignas.* *Bar. an. 610.* Querebatur quondam amanter cum Providentiâ divinâ vir pius, quod in Cæſareo faſtigio collocaſſet Phocam, vilis ac crudelis ingenii hominem, & cruci quàm ſolio aptiorem. Reſponſum cælitus, vel ob hoc ipſum eò dignitatis evectum, quod indignus eſſet imperio: perditos autem Conſtantinopolitanorum civium mores tali capite dignos eſſe. *Ib. 34.* *Regnare facit Deus hominem hypocritam propter peccata populi.*

Exc. 4. ad c. 5. XVIII. ECCLESIASTICORUM.

Par Eccleſiaſticorum, & nobilium cauſa eſt, quia par ratio; nec diutius immoror in re minimè dubiâ. Duo tantùm etiam hic te moneo. Primum: ne tantum tibi ſumas, ut illorum more, quibus Fides nulla eſt, aut dubia Religio, paſſim Eccleſiaſticum Ordinem aut proſcindas, aut carpas: imò, ſi quem ex illo errantem videris, veſte obtegas, ad exemplum Chriſtianiſſimi Imperatoris. *Conſtantini Magni.* Liceat Paullino notare, *jam paenè forenſibus turbis æmulos Eccleſiarum tumultus.* *Paul. ep. 19.* Conſideret Bernardus cum Eugenio ſuo, *Bern. 1. de Conſid.* quàm ſonorè *perſtrepant in palatio leges, ſed Iuſtiniani, non Domini.* Queratur Salvianus, *Salv. 5. de Prov.* de *novorum honorum religioſis ambitoribus: qui adeò non ſæculares tantùm, ſed etiam pluſquam ſæculares eſſe voluerunt, ut non ſufficeret eis, quod antea fuerant, niſi plus eſſent quàm fuiſſent.* Narrent & audiant, quorum ſcire intereſt, *quæ honeſtè non poſſunt, vel accuſari.* Concedatur Cypriano fremere in ætatis ſuæ *Id. l. 4. Cypr. ep. 74.* Sacerdotes lapſos, quod *apud altare conſiſtere, & contrectare perſeveraverunt pudorem meaſſis, fidem perfidi, religionem profani, divina terreni, ſancta ſacrilegi.* Invehatur *Spond. an. 1352.* Innocentius VI. Pontifex in Eccleſiæ proceres, qui turpitudine morum fœdant dignitatem ſuam, & eos honeſtiſſimo vocabulo in publico conſeſſu *Stercora curiæ* appellare non dubitet. Videat ſacer medicus quò labes proſerpat venalium beneficiorum, & ad ejuſmodi mines referas cauſam ægrotantis Eccleſiæ; affirmetque, nec de obulo, multiplices bellorum noſtrorum miſerias, quarum magna pars ad *Ioan. 2.* Eccleſiaſticum ordinem pertinet, *flagellum* eſſe de *funiculis,* quo *domum orationis* Chriſtus expurgat. Liceant iſta talibus, at non privatis & laicis, quibus edictum eſt, *Pſal. 104.* *Nolite tangere Chriſtos meos.* Alterum moneo: ne, ob aliquorum Eccleſiaſticorum culpam, totum ordinem iniquus Judex in crimen voces. Mali ſunt, avari ſunt, ambitioſi ſunt, invidi ſunt, & alii, ſi voles: nec diſſimulo. At meliorum longè major, Deo gratiæ, pars eſt. Nec mirari debes in tam numeroſo exercitu timidum militem, neque in tanta civitate malum civem. *Tert. l. 2. ad Nat.* *Neceſſe eſt in corpore & quantum velis integro, aut puro, ut nævus aliquis effruticet, aut verrucula exurgat, aut lentigo ſordeſcat. Cælum ipſum nulla ſerenitas tam colata purgat, ut non alicujus nubecula floccula reſignetur. Major boni portio modico malo ad teſtimonium ſui utitur.*

XIX. VENIALIA ETIAM SPECTANT AD MENSURAM.

Quærat hîc aliquis, quid de culpis levibus ac venialibus cenſeam, an etiam Menſuræ partem contineant, & cauſæ dici poſſint calamitatum publicarum? *Exc. 3. ad c. 5. uſque ad num. 10.* Si affirmaverim, provocabunt, opinor, nonnulli à ſententia mea ad mitius tribunal, & me damnabunt nimiæ ſeveritatis. Atqui ſcimus errores Davidis, Ezechiæ, Azariæ, & Joſephi, in immoderata gloriæ cupiditate, hunc clade exercitus, illum exſcindendi Regni Judaici infauſto vaticinio, alium triſti peſtilentis plexum: *1. Machab. 5. 4. Reg. 20. 2. Reg. 24.* cùm tamen ea gloriæ cupiditas, niſi alia extrinſecùs accedant, crimen utique ex ſe grave non ſit. Præterea, quemadmodum levis aura corpus infirmum ſolicitat, ſic culpa levis vexat Rempublicam, jam ante ex gravioribus criminibus febrientem. Deinde, quantulacumque noxa ſit, quam committimus, tamen offenſa Dei eſt: offenſa autem ſummæ Majeſtatis, ſi rectè æſtimes, pluris eſt quantâlibet jactura caducæ fælicitatis. Denique, hic fuit jam olim innocentiſſimorum virorum ſenſus, qui licèt etiam ad prodigium ſancti eſſent, tamen lamentabilem Judæorum apud Aſſyrios ſervitutem *Dan. 3.* vitiis ſuis adſcripſerunt: quæ certè leviſſima fuiſſe, reſtatur mirabilis erga ipſos reverentia ferarum, & flammarum. *Aug. ep. 122.* *Si ergo illa dicunt, qui excellentiſſimâ ſanctitate ignes, & leones circa ſe innoxios habuerunt, quid nos oportet dicere in humilitate noſtra, qui tam longè illis impares ſumus, quantùmcumque juſtitiam ſervare videamur?*

XX. ADDO QUA PECCATA SINGULORUM.

Et hinc ad extremum inferas, de nobis eſſe neminem, qui ſibi Bellorum hodiernorum cauſam tribuere non poſſit. *Ib. à num. 10. ad finem.* Habent publica crimina civitates, & Provinciæ Chriſtianæ. Rei ſunt gravium delictorum privati non pauci. Quem levioris ſaltem noxæ conſcientia non mordeat, nemo eſt. Ad complendam Infælicium Provinciarum, & Europæ laborantis Menſuram, omnia iſta delictorum genera, alia aliis magis, pertinuere. Itaque *Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum.* *Pſal. 118.* Hæc verba eâdem ſententiâ ſinguli dicimus, in triſti ardentis Europæ ſpectaculo, quâ, carnificis gladium jugulo excepturus Imperator, pronunciavit, in lugubri cæde cariſſimorum liberorum. *Maur. apud Baronium an. 602.* *Hac fidelitèr lege, fideliter prædica, & quantum potes cave, & tacendum doce, ne adverſus Deum in his tentationibus, & tribulationibus murmuretur.* *Aug. ep. 122.*

EFFECTA BELLORUM.

I. COR BONO EFFECTA CONSIDERANDA.

Exc. 2. ad c. 15. ſect. 1. num. 1. & 2.

QUOD ægro Medicus, hoc nos, ſi placet, faciemus ægrotanti Europæ: Cauſſas morbi inſpeximus, etiam ad effecta veniendum, & diſquirendum, quid denique è Bello, malorum aut bonorum naſcatur. Nam niſi hæc accuratè inſpexeris, vix poſſit eſſe Cauſſarum perfecta cognitio: & quomodo ab his ad illa non difficulter, ita rurſum ab illis ad has facilis reditus eſt. Præterea Effectis viam ad Remedia præſtruemus, imò ipſa effectorum inſpectio, erit inſtar anticipati Remedii. Quemadmodum enim ægris morbi metus ſæpenumerò morbo ipſo gravior eſt: ita nunc pleroſque plus bellorum metus, quàm bella cruciant. Finguntenim ſibi illa, & horrent inſtar quarundam Furiarum, quibus nulla vis ſit niſi ad perniciem generis humani. Sed Furiis larvam detrahamus, & intrepidè coram in os illas intueamur: deprehendemus profectò ſæpe eſſe ludibria puerorum, quæ ipſos territant ſapientes.

II. DUPLICIA SUNT.

Ib. num. 3.

Effectorum belli duo genera ſunt inter ſe multum diſtantia. Hæc, Prima, aut Proxima, aut, ſi voles, vulgari nomine Immediata vocaveris: illa, Secunda, Remota, Mediata, & quod forſan malis, Effectorum altera Effecta. Idem in morbis reperias. Quorum Prima Effecta ſunt, inquies, cruciatus, debilitas, aliaque ejuſmodi: Secunda, quæ ex illis, cùm morbi deſierint, poſtmodum oriuntur. Iſta tam inter ſe diſtant, ut cùm illa ſemper incommodent, hæc plerumque proſint. Vidimus certè aliquos jamdudum amentes, poſtquam eos acuta febris diu jactavit, & febri & inſania caruiſſe, eiſque valetudinem corporis, ad mentis ſanitatem profuiſſe. Mirata eſt priſca ætas Clementem VI. tam tenacis memoriæ, ut, vel ſi vellet, quod ſemel legerat oblivviſci non poſſet: & quò magis ſtupeas, eam facultatem ab inflicto in capite magno vulnere acceperat. Ita interdum morbi & vulnera ſalubria ſunt, & fælices miſeriæ.

III. PRIMA EFFECTA NOXIA.

Ib. num. 4. uſque ad finem.

Prima Bellorum Effecta tam horrenda vulgò exiſtimantur, ut etiam eminus conſpecta, fortiſſimis viris lacrymas & vociferationes excuderint. Vis ea tibi ſub unum aſpectum poni? Age, percurramus omnem fælicitatis ſpeciem, quæ in mortales cadit. Fortunæ bona magni æſtimas? Innumeri per bella rapinis, vaſtationibus, incendiis amiſere. Honor & dignitas tibi pluris ſunt? Illuſtres familiæ plurimæ corruerunt de ſummo gradu, abjectæ ad ſordes paupertatis, cui honor in hoc tam aureo, quàm ferreo ſæculo nullus eſt. Sanitatem, ac vitam habes præ cenſu, & dignitate? Nova quotidie mortium genera, nova funera lugemus: ut olim Italia graſſantibus Longobardis, ita multa hodie regna, *non habent qui in eis vivant, & habent tamen quotidie qui moriantur.* *Greg. in Regis. ep. 14.* Bonum patriæ, bonus Civis, ante alia ducis? Nullum patriæ bonum majus eſt, quàm quod Bello primum amittitur: Pace enim *nihil gratius ſolet audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius poteſt inveniri.* *Aug. 19. de Civit.* Animorum forſan bono,

bono, ut ſapientem, id eſt Chriſtianum decet, ſummum pretium ponis? At quàm multi per bella propter vitam, vivendi cauſſas perdidere? Quot in ſumma rerum cæleſtium ignorantia jacuerunt? Quantus morientium numerus divinis humaniſque ſolatiis caruit? Amas ante omnia ſummi Numinis cultum & gloriam, quæ bonorum ultimus finis eſt? Cùm igitur oculos circumtuleris ad templa fumantia, cùm ſacratarum ædium cineres calcaveris, cùm religioſarum Virginum & Virorum lamenta audieris, cùm extorrem tot locis, ſqualidam, ſilentem, abjectam Pietatem videris, exclamantem te audio: *Tabeſcere me fecit zelus meus: Altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt: Uſquequò peccatores, Domine, uſquequò peccatores gloriabuntur?*

Pſal. 118. 3 Reg. 19. Pſal. 93.

IV. SECUNDA EFFECTA PROSUNT.

Quid ergo ſalubre de hac venenata arbore decerpemus? An aliquid in tam monſtroſa facie commendabile reperiri poteſt? Sanè. Quomodò enim aiunt Perſica cum ſolo naturam mutaſſe: ita calamitates publicæ peſtiferæ ſunt aut innoxiæ, pro calamitoſorum ingenio. Et quemadmodum fertur ſtatua neſcio quæ olim videri ſolita, accedentibus læta, recedentibus triſtis: ita ſi ad Belli faciem contemplandam propè & fidenter acceſſeris, lineamenta quædam & colores placebunt, ſi timidè & quaſi fugitans reſpexeris, monſtrum informe videbitur. Qui à præſentibus mentem abducere non poſſunt, nec judicant niſi de iis quæ ſentiunt, craſſi ſenſus animalia, illi, in tam denſa calamitatum nocte, ne radium quidem bonæ lucis intuentur. At qui à præſentibus ad futura oculos extendunt, & in ſemine fructus aſpicere norunt; iis bona, in ipſa malorum turbâ latentia, deprehendere difficile non eſt. *Eſt planè* Bellum, *quaſi ſævitia medicinæ, de ſcalpello, de cauterio, de ſinapis incendio, Non tamen ſecari, & inuri, & extendi malum eſt, quia dolores utiles affert. Horrorem operis fructus excuſat. Ululans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici, poſtmodum eaſdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & ſævas jam negabit.* Quis ubi illa Jeremiæ verba audierit, *Dominus aperuit theſauros ſuos,* non illico, ex vi Latinæ vocis, fingat animo victoriam, pacem, opulentiam, læta omnia? Sed audi quod ſequitur: *Et protulit vaſa iræ ſuæ,* bellicas ſcilicet calamitates, arcus Perſarum, falcatos Medorum currus, Cyri & Darii in Babylonios exercitum, inſtrumenta Vindictæ divinæ. Ergo iſta in theſauris Dei inſtar pretioſæ ſupellectilis reponuntur? Planè: quia ejus Providentiæ ad multos & optimos fines inſtrumenta ſunt, & ſuis temporibus proferenda ſervantur.

Statua Dianæ apud Tinlgiraium.

Tert. in Scorp.

Jerem. 50.

V. UNIVERSO.

Gentium barbararum expolitio, eventuum Varietas, inutilis multitudinis diminutio pertinet, opinor, ad utilitatem Univerſi. Hæc Belli Effecta ſunt. Mundi gubernatrix Providentia per excidia civitatum, populationes provinciarum, ſtrages mortalium, *quod exuberat tollit, ut per ſua diſpendia modum rebus luxuriantibus figat.* Ea itaque non abs re *purgationes orbis terrarum* vocaverimus, quomodò Plato *ſæva diluvia & conflagrationes mundi* appellavit: aut, ſi mavis, Tertullianico verbo nominemus *Tonſuram inoleſcentis generis humani.* Nam *onerosi ſumus mundo, vix nobis elementa ſufficiunt, & neceſſitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum jam nos natura non ſuſtinet.* Minuenda igitur erat nimia multitudo, ſeipſam premens, & laborans mole ſua: ferro exſecandæ & urendæ partes oneroſæ corpori, & membra ultra modum creſcentia. Quid quòd ne ipſa quidem animalia ſine inimicitiis mutuis, imò & præliis eſſe auctor naturæ voluit, ne naturam onerarent? Viſæ crocodilorum in delphinos acies, his victoribus. Spectatæ falconum & corvorum ex condicto pugnæ; & concurrentes inter ſe gemini vulturum exercitus in ſpeciem civilis belli: ut falsò querulus ille, flens Romanorum inteſtinam diſcordiam, dixerit, pluſquam ferina eſſe hominum odia in ſuum genus ſævientium, cum feræ tantùm in diſpares pugnent. Tolle majorum animantium bella in minores, & iſtarum inter ſe, jam ob piſcium multitudinem, ob avium & muſcarum ſpiſſiſſimas nebulas, ob quadrupedum & cicurum & ferarum numeroſiſſimos exercitus, non ultrà hominum generi Oceanus navigabilis, neque aër ſpirabilis, nec terra habitabilis fuerit. Paſſim deſerendæ nobis domus, cedenda etiam Viliſſimis muribus oppida erunt, quod aliquando in Bavaria factum, niſi nos mutua animalium odia tutiores faciant. Adeò non utile ſolum iſtud bellorum genus, ſed etiam publicè neceſſarium eſt. Adde, quòd ipſa Belli & Pacis viciſſitudo faciat non tantùm ad purgationem & exonerationem, ſed etiam ad ornatum Univerſi. Quemadmodum enim nox oppoſita luci, & procellæ ſerenitati, gratiam conciliant; jucundiorque eſt tempeſtatum inter ſe mutatio, quàm Cœli ſemper amœna, & vana facies; eadem fermè ratione delectat civilium eventuum, aliorum ex aliis naſcentium, varietas. Multa bonorum genera non ſentiuntur, niſi poſtquam amiſſa ſunt. Paci quis juſtam æſtimationem poneret? Jactura dedit, vel accendit pretium. Hoc præterea à Bello commodi eſt, & quod plerumque nationes inter ſe permiſtæ, faciliùs ad humanitatem flectuntur. Trunci prius ſteriles, inſiti, aut mutato ſolo, frugiferæ arbores fiunt: Populi in natali ſolo barbari, poſtquam ad aliud victores tranſiere, aut victi exteros in ſuum recepere, barbariem frequenter exuerunt. Feros Britannos à priſcis audivimus; eos Anglo Saxones, & Picti, ad mollitiem uſque excoluerunt. Gothi in Hiſpanus, Vandali in Luſitaniæ finibus, Longobardi apud Inſubres Septentrionum rigorem & feritatem poſuere. Scythæ & Thraces, ac Turcæ in Græcia nuper ad delitias molliti ſunt. Quis ſcit an hodierna bella, colluvie nationum, mores victis, aut victoribus meliores non induant?

Exc. ad c. 6. ſect. 2.

Arn. c. om. Gen.

Plato apud Arnobium ib.

Tert. de Anima.

Sen. 4. nat. quæſ.

Spond. an. 1410.

id. an. 1324.

Herod.

V. Lipſ. de Conſtan. l. 2. c. 12. &c.

Spond. an. 1037.

VI. REBUS PUBLICIS.

Audiſti Univerſum bellis purgari, ornari, perfici: adeoque ob illa indignari non debere ſapientem: *ſcit enim illa ipſa, quibus lædi videbitur, ad conſervationem univerſi pertinere, & ex his eſſe, quæ curſum mundi, officiumque conſummant; & eventa hæc omnia, non commodis noſtris, ſed ipſis pendenda eſſe utilitatibus naturæ.* Non credis toti mundo bella prodeſſe? At hoc credes, ſæpe Rebuſpublicis profuiſſe. Non enim ignorat jam ab antiquo vocari ſolita ſcopas civitatum, quòd earum plerumque ſordes, & purgamenta everrant. Infinitum ſit ire per ſingula; notiora indicemus. Romanam *rempublicam plus toga læſere, quàm lorica*: & peſ longæ pacis atque opulentiæ mala, *non muros nobis, ſed mentes ipſium Civitatis dira nequitia omni hoſte pejor, irrupit*: quæ etiam de Luſitanicæ nationis famâ, & Reipublicæ Genuenſis dignitate multùm diminutâ, nobilium hiſtoricorum ſententia eſt. Apud pleraſque gentes, ubi bella ceſſavere, omnia paſſim eſſe latrociniis infeſta, ſeditionibus civitates lacerari, inteſtinis diſcordiis ruere Reſpublicas, notius eſt quàm ut indicem. Fæliciorem olim fuiſſe Judæorum ſtatum inter armorum metus nemo negaverit, quàm cùm rerum ſecundarum inſolentiâ elati, tam vitiis, quàm multitudine abundabant: *ſolita labe poſt victoriam, poſt ſervitutem corrigi. Ipſa Eccleſia, quæ perſecutionibus crevit, poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt.* Pugnabat ſcilicet, ut alius querebatur, contra ipſam fælicitas ſua; creſcentibus vitiis, cum incremento populorum; recedente diſciplinâ, dum copiæ accederent; veniente proſperitate quæſtuum, cum magno fœnore detrimentorum. Cæpit igitur eſſe *quantò ditior multitudine, tantò egentior devotione; latior corpore, anguſtior mente; eademque, ut ita dixerim, & in ſe major, & in ſe minor; novoque & inaudito genere proceſſum & receſſum, creſcens ſimul & decreſcens.* Eccleſiam certè nunquam fuiſſe ſanctiorem, quàm cùm in eam undique hoſtes Religionis invaderent, etiam ſilentibus illis Patribus, & Tertulliano oculato teſte, cineres Martyrum clamant. Vides plus hinc confici quàm propoſueram: Pacem non profanis tantum Rebuſpublicis, ſed etiam ſacris nocuiſſe, bella commodaſſe.

Ib. ſect. 2.

Sen. ep. 74.

Arn. l. 1. cont. Gen.

Tert. de Pallio.

Aug. ep. 5. ad Marcell.

Maffæus de rebus Ind.

Spond. an. 1181

ex Folietâ l. 8.

Ambr. in Pſal. 45.

Hier. in Vit. Mal.

Salv. 2. ad Eccl.

Tert. de fug. in perſ.

VII. PRIVATIS AD VERSUS PECCATA.

Quid autem privatim utilitatis afferant, dici vix poteſt: Scrutari enim oporteat mentes ſingulorum, & inſpicere quantum illæ calamitatum publicarum metu, aut ſenſu mutaverint. Hoc univerſim affirmandum. Privatos multos à vitioſis cogitationibus multitudine curarum, ex calamitate publicâ naſcentium, avocatos: *Vivere enim non licet, & fornicari libebit?* Aliquos etiam in futurum adverſus vitia, ac præſertim libidinum rabiem armatos, jacturâ divitiarum & otii, quæ potiſſima languidarum cupiditatum alimenta ſunt, & quæ ſi *Deus pollere permittit, tunc indignatur gravius, cùm autem copioſas libidines inopes reddit, miſericorditer adverſatur.* Unde intelligas quàm mirabili modo ſumma Providentia Juſtitiam Miſericordiâ temperet: cùm ipſa peccatorum noſtrorum ſupplicia, vertat in remedia peccatorum, non eorum ſolùm, quæ jam patrata ſunt, ſed etiam quæ nunc, & poſtmodùm, infirmi, & ex nobis ad mala proni homunciones admiſiſſemus, niſi occaſio defuiſſet. Ferro & chalybi, tamquam improbis feſtinatæ mortis inſtrumentis, diras olim Poetæ imprecabantur: ſed metallum vitæ noxium, medicè ad vitæ ſubſidia contulere. Ita Bello divinâ Providentia fecit, ſi, quod tam ſapiens & experta manus temperat medicamentum, ex præſcripto ſumas. Ante ſupremum judicii diem, ex Chriſti oraculo, *Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum.* Quorſum verò calamitates bellicas miſeris mortalibus: cùm brevi æterna mala improbis immineant? Hoc, inquit Irenæus,

Exc. 2. ad c. 4. ſect. 1. & 2.

Hier. ep. ad Ruſt.

Aug. ep. ad Marcell.

Luc. 21.

Iren. l. 5. in fine.

in

by Google

in bonorum gratiam fiet. Cùm enim Purgatorius ignis poſt Judicium arſurus non ſit, nec boni ad ſuperos niſi perpurgati admitti poſſint: alias ipſis flammas ad expiationem divina Juſtitia decrevit, Bellorum incendia: ut eorum metu & ſenſu, tum pœnæ prætetitarum noxarum ſatisfaciant, tum caveant in poſterum. Idem de hodiernis calamitatibus dixerim: Purgatorium ignem eſſe, qui commiſſa excoquat, & committenda præveniat. Ferro & flammis, & inveterata ulcera curamus, & venientibus occurrimus: cauterio membra inurimus, non in præſens modò, ſed & in poſterum tempus de ſanitate ſolliciti. Sic Deus *ſalvandis ipſa quoque conſulit ira, & ſanat medicus vulnera vulneribus.* *Perverſitas quam putas, ratio eſt: quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt: tu Deo de momentaneis æterna medicante. Incidiſti in manus ejus, ſed fœliciter incidiſti.*

Proſper in Aſ.
Tertul. in Scorp.

Exc. 1. ad c. 12. ſect. 1.

VIII.
AD VIRTUTES EXCOLENDAS.

Et hoc benigniſſimæ illius Providentiæ miraculum eſt, quòd Bella mala non tantùm ad curandos animi morbos, ſed etiam ad virtutum omne genus excolendum referantur. Quod illi quondam de calamitatibus univerſim, hoc aptè de iſtis dixeris, eſſe *Inventarium devinorum, & diſciplinam virtutis.* Victores Gothi Fidem apud victos repererunt; Paravæ & Chinæ ab auxiliaribus Chriſtianis accepere: eamdem ob cauſam omnibus ferme Americanis barbaris vinci profuit. Quod inter bella multi fiduciam in Deum excitent, quòd ad templa ſupplices confugiant, quòd ad cœlum frequentiùs vota & ſuſpiria mittant *miſeria beneficium eſt.* *Indulſiſti genti* Judaicæ Domine, *indulſiſti* obduratiſſimæ, & ingratiſſimæ *genti, numquid glorificatus es! Domine in anguſtiâ requiſierunt te: in tribulatione murmuris,* inter mala quæ ſeriò ad lamenta & querelas magnitudine ſuâ cogerent, audin cœpit *doctrina tua in eis.* Sæculi decimi tertii anno ingeſimo tertio, nomen, *Generalis Devotionis*, dederunt publicæ Italorum ſupplicationes, paſſim totis agris & urbibus habitu miſerabili incedentium, & divinam clementiam ſacris canticis implorantium. Nempe *cùm occideret eos Deus, veniebant ad eum.* Quatiebat infeſta in Pontificios ſigna Federicus Imperator: Guelforum & Gibellinorum rabidæ factiones Civitatum viſcera laniabant. En tam inſolitæ Pietatis fontem, ſenium miſeriarum publicarum: *rara enim fumant fœlicibus aræ.* Nec *Pietatem ſolùm*, ſed nec *Prudentiam* unquam melius diſcas, quàm inter adverſa, ea præſertim quæ ſubitis mutationibus, quomodò in Bellis fit, præſentem animum & novum in horas conſilium poſtulant. Ungenda eſt felle calamitatum mens illius, quem oculatum & prudentem eſſe volueris. Numquam cælitus magis illuſtratus animus Ezechielis fuit, quàm cùm eſſet *in medio captivorum juxta fluvium Chobar*. ut ſcias, vel ipſam è bello ortam ſervitutem plurimum ad intelligentiam acuendam prodeſſe. Proprium *Temperantiæ* tempus, eſt calamitas, cùm oppoſitus vitiis materia ſubducitur: quod per Bella potiſſimum evenit, publicè vaſtitatem inferentia, privatim pauperiem. Multi, olim nobiliſſimo bellatori Antonio ſuppares, per belli mala coacti ſunt radiculis, infælicis vitæ reliquias tolerare, aut ſaltem, ad vilem & ruſticam menſam, diſcere, quàm parvo venter contentus ſit. Alii, qui nuper ſobrietatem niſi de nomine non norant, frigidæ potu, vel contempti alterius liquoris, extinctâ ſiti, negavere *Unquam ſe bibiſſe jucundius.* Neque hic nobis ſuum illud accinat Salvianus: *Quod prius actum eſt, virtoſitate fuit; quod nunc non agitur, neceſſitate.* Fælix enim eſt illa neceſſitas, quæ ſubtractâ vitiis materiâ, ingeſtâ occaſione virtutum, cogit nos eſſe meliores. Præterea, quis erit *Fortitudinis* locus, niſi eam Deus cum malâ fortunâ commiſerit! Unde ſciemus quid habeat roboris animus noſter, ſi ei non detur in triſtium temporum, qualia nunc ſunt, varietate explicare vim ſuam. Ignoraſſet forſan poſteritas, quàm excelſa & infracta ſanctæ Marcellæ mens fuerit, niſi capta ab Alarico Româ, ejulantibus aliis, ipſa lætiſſimo vultu, gratias Deo agens, inter Gothorum enſes captiva inceſſiſſet. Abſque eâdem clade foret, neſciremus nobile virilis animi exemplum in decrepitâ virgine, quæ ſacrum Divi Petri theſaurum, cujus cuſtos erat, coacta proferre, ita barbarum militem prædæ avidum perculit vi ſermonis, & admiratione conſtantiæ, ut Alarici juſſu, Gothi non theſauro tantùm, & virgini pepercerint, ſed etiam ejus reſpectu Chriſtianis omnibus, qui ſe ad illam velut ad aſylum quoddam contuliſſent. Similem in modum credendum eſt, hodie multos, etiam antehac delicatos & molles, & ad ipſam infælicitatis umbram ac ſuſpicionem trepidos, ſupra fortunam ſeſe erexiſſe, poſtquam cum illâ comminus pedem contulerunt; autoſque uſurpare magnificam Philoſophi & Chriſtianam vocem: *Nihil mihi videtur infælicius eo, cui nihil umquam evenit adverſi; non enim licuit illi ſe experiri.* Vis denique ſcire, Bella quas Virtutes exerceant? Omnes

Pacianus Epiſc. Barcin. Minutius in Octa.
Salv. 6. de Prov.
Iſa. 26.
Spond. an. 1233.
Pſal. 77.
Sil. Ital.
Ib. 11.
Ezech. 1.
Plut. in Ant.
Darius apud Cic. 5. Tuſc. Salv. 6. de Prov.
Hier. ep. ad Princ.
Baron. anno 410.
Demetrius apud Sen. l. de Prov.

nomina. Nullam enim invenies, cui perficiendæ inter haſce publicas calamitates multiplex occaſio non ſit.

IX.
CUR QUIBUSDAM NON PROSINT.

An vero, inquies, etiam vitiis inter bella occaſio non eſt? Nonne plurimis miſeriarum ſenſus, non patientiam tantum, verùm etiam fidem excuſſit? Quot vidimus in patriæ ſuæ clade triſtes, abjectos, deſperabundos? Quam multi *in excidiis non rem tantum, atque ſubſtantiam, ſed ſenſum quoque & intelligentiam perdidere!* Vetera dicta, objicis, & quibus jam olim reſponſum eſt. Audi unum ex ſapientibus noſtris loquentem de temporum noſtris ſimilium ratione. *Manet diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum: & licet ſub eodem tormento, non eſt tamen idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub uno igne aurum rutilat, & palea fumat, & ſub eadem tribula ſtipula comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideò oleum cum amurca confunditur, quia eodem prali pondere exprimitur. Ita una eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos vaſtat, damnat, & exterminat. Unde in eadem afflictione, mali Deum deteſtantur atque blaſphemant; boni autem precantur & laudant. Tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum & fragrat ſuaviter unguentum.* Transfer iſta ad bellorum noſtrorum miſerias. Sentimus illas Chriſtiani fermè omnes, aut experientiâ aut miſericordiâ, non omnes tamen in bonum vertimus: non quia virtuti noxiæ ſint, ſed quòd illis mali malè utimur. Ut illud ſcilicet orbis meritò occini poſſit. *Quid hoc mali eſt? Iumenta & pecudes ſectione curantur. Nos & urimur, & ſecamur: ſed nec ferri ſectione, nec cauterii aduſtione ſanamur. Et quod eſt gravius, curâ ipſâ deteriores ſimus.* Bellum medicina eſt, quam ſi obedienti ægro facias, proſit; impatienti, noceat. Bellum palæſtra eſt, in qua coronam alii merentur, alii ignominiam. Bellum fornax eſt, videas in iſta paleam conſumi, aurum nitteſcere; in illo aliis ſanctimoniam, aliis improbitatem creſcere. Bellum bonis *παιδεία* eſt, impiis *τιμωρία*: aut, ut verbis noſtris loquamur; Improbis, quia uti in bonum nolunt, eſt *Plaga inimici*; Probis, utilis & grata ab amica manu caſtigatio.

Ib. ſect. 2.
Salv. 4. de Prov.
Aug. 1. de Civ.
Salv. 7. de Prov.
Ariſtot. apud Leſ. 13. de Perf. div. c. 22. ſic diſtinguit Iudicaiem punitionem, & paternam correptionem.
Ier. 13.

X.
AD BEATAM ÆTERNITATEM.

Quidni etiam bellum, eodem jure, quo cætera calamitatum genera, vehiculum ad iter beatæ immortalitatis, cæli ſcalas, ventum navigationi Chriſtianæ ſecundum nominemus? Certè, ſi quid ſanctis viris fidei eſt, conſtat Chriſtianorum Exercituum clades, excidia civitatum, populationes regnorum, multis viam in cœlum aperuiſſe. Leonem Nonum Pontificem, milites ſuos à barbaris cæſos lugentem, nuntius de cœlo ampliùs flere vetuit, quia *Pretioſa eſſet mors ſanctorum in iſto prælio interfectorum.* Flos Germanicæ & Gallicæ gentis, cum Imperatore & Rege in Syriam D. Bernardi ſermonibus excitus, re nulla præclarè geſta, concidit. Attonitis omnibus tam triſti tanti apparatus eventu, auditum cœlitus, id Deum iſto bello ſpectaſſe, non ut urbes, ſed ut cœlum à plurimis caperetur. Ipſo die, quo Jeroſolyma Chriſtianis à Saladino erepta eſt, Chriſtina, quam Mirabilem dicimus, agri Leodienſis virgo, omnibus lætitia incedere viſa, & rogata quid hoc eſſet inſueti gaudii, Ferro, inquit, & flamma hodie Jeroſolyma vaſtatur, & per ejus urbis ruinas, ac bella inde naſcentia, patebit multis ad beatam æternitatem aditus. Cæſo cum copiis omnibus à Tartaris Henrico Sileſiæ Duce, cui Boni agnomen dederat morum ſuavitas, jacebant, ſtupebant, vociferabantur domeſtici: at ſancta Mater, erecto vultu, ſiccis oculis, gratias, inquit, potius Deo, qui ſibi & patriæ tam generosè filium mori voluit. Penetrarat ſcilicet fortiſſima fœmina in adytum Providentiæ, & didicerat aſcendi aliquando in cœlum per bellicas ſtrages. Iſta, inquis, bella, ſacra ſunt; at in noſtris pluſquam civilibus, quid affine? Verbo reſpondeo. Sacra bella omnia ſunt, ſi cum juſtitia conjuncta, ex officii neceſſitate ſuſcipiuntur, aut ex boni communis ſtudio, vel ex Patriæ, quam Deo debemus, caritate.

Exc. 1. ad c. 2.
Raderus in Bavaria San.
Abbas Caſamaru ep. 233. inter epiſtolas Bern.
Baron. anno 1187.
Spond. anno 1241.

XI.
PROSUNT POSTERIS.

Ad extremum faciamus Bella nobis noxia eſſe, ſed utilia erunt ad poſteros. Diſcent illi ex noſtris, quod nos ex avitum calamitatibus. Spectabunt in hodiernis Europæ malis, quaſi in celebris Rei ſupplicio, quantum interſit Rerumpublicarum, publicè virtutem colere, ut ſalvæ ſint. Uti enim ſapiens Magiſtratus damnatum multis criminibus reum, ſpectabili loco torqueri jubet ad exemplum cæterorum, ita Vindicta divina provincias Chriſtianas, multorum jam olim facinorum reas, hoſtibus excarnificandas tradit, ad aliorum ſæculorum terrorem. Nam quiſquis publicus hoſtis eſt, jure nominari poſſit *Virga furoris* Dei, ut Aſſyrius prædo; aut *flagellum*, ut vaſtator Hunnus; aut *Ira*, ut

Exc. ad c. 10. ſect. 1. à num. 6. ad 13.
Iſa. 10.
Baron. anno 451.

§ 5 Tamurlanes;

Spond. anno 1399. Phrenaticũ ſic eum vocat apud Spond. anno 1416.

Tamirlanes; aut expreſſiſſimo in rem noſtram vocabulo, *Carnifex Dei*, ut Mahumetus Turcorum Princeps, per quem Vindicta divina Chriſtianis Imperia duo, Regna duodecim, ſupra ducentas urbes nominatas eripuit. Diſcent præterea poſteri, in noſtra tam varia privatorum publicaque fortuna, quàm caducæ ſint res mortalium, quamque inſanum ſit in tam lubrico gradum figere: trans cælum mittendas cupiditates, ut conſiſtere poſſint. Non jam nobis ad recantatas priſcorum tragœdias recurrendum eſt, fœcundo malorum ſæculo nati ſumus: ætatis memoriam occupare poſſit, quod paucis annis vidimus. Quid ad Aſiaticorum & Græcorum imperiorum funera me vocas, ut diſcam tam illorum, quàm hominum fata volvi? Quid mihi Romæ oſtendis ingens Romanæ Reipublicæ & dignitatis ſepulchrum, ut ſciam & omnes, & omnia ſpectare in ultimum diem? Quò me per antiquarum urbium veſtigia circumducere, & nunc mihi fumantem Bajazethi in Aſia regiam Sebaſten, & jacentem cum Tamirlane ſuo, & congeſtis totius Orientis opibus, Samarcandam monſtrare; inde celeberrimarum in Africa urbium ſpatia, quæ nomina diſtinguere? Habet aſſatim recentior hiſtoria, quibus intelligamus, imò ſentiamus, vanas hominum curas, & rerum inania. Deturbatas de altiſſimo gradu familias non numeramus, ſepultorum cum totis exercitibus Ducum magnitudinem non metimur: age, numera urbium buſta, metire cadavera provinciarum, & pronuncia, ecquid in rebus mortalibus ſtabile, ecquid amabile, ecquid excelſo animo dignum exiſtimes. Audire itaque mihi videor, ex Bellorum noſtrorum memoria inſonantes aliè poſteritati factorum præconum voces: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, ſervite Domino in timore: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* *Pſal. 2. Eccleſ. 12.*

XII. PROSUNT ET NOBIS.

Quid autem ad nos iſtud de poſteris: & quo jure, ut ipſis benè ſit, nos mala patiamur? Juſtiſſimè equidem, dixero: Sontes enim & Rei patimur. Sed agite, ne mala veſtra poſteris ſolùm utilia ſint, & vos in commodum veſtrum vertite. *Nam in veſtrâ ſitum eſt manu qualem vobis fortunam formare malitis. Omnis enim quæ videtur aſpera, aut exercet, aut corrigit, aut punit.* Bellis publica & privata crimina puniuntur: pœnæ infructuoſæ non ſint, ſed transferantur ad vitiorum emendationem, & ad exercitationem virtutum. Ea eſt ſcilicet divinæ juſtitiæ ſuavitas, ut reorum ſupplicia, ad ipſorum commodum, ſi ipſi velint, retulerit. Hoc in Europæ malis æternæ Mentis conſilium intuetur, & expectat a nobis. Non obſequuntur miſeri, non utuntur? Ergo illud Auguſtini meritò audient. *Vos nec contriti ab hoſte luxuriam repreſſiſtis. Perdidiſtis utilitatem calamitatis: & miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis.*

Exc. 2. ad c. 4. ſect. 2. à num. 1. ad finem. *Boët. l. 4. pr. 7.* *Aug. 1. de Civit.*

REMEDIA BELLORUM.

Exc. 2. ad c. 3. ſect. 1. num. 3. & 2. *Cic. l. 5. in Ver.*

I. SUNT REMEDIA BELLORUM.

AIUNT *Vrbem Syracuſas ita ſitu, eaq; naturâ ſoli & cæli eſſe, ut nulla unquam dies tam magnâ turbulentaq; tempeſtate fuerit, quin aliquando ſolem ejus dies, homines viderint.* Idem de Chriſtiana Republica, & animis proborum affirmare licet: nullâ unquam tam atrâ malæ fortunæ procellâ conflictari, ut non aliqua lux ſolatii, aliquod bonæ ſpei ſidus affulgeat. Dic hodierna bella, magnis motibus Europam jactantia, inſtar horridæ tempeſtatis eſſe; rectè dices: Sed & hoc adjice, inter medios turbines afflare ſi velimus ſuavem auram, & ſerenum diem emicare. Dic, ſi mavis, Bella noſtra morbum varium eſſe, quo gentes Chriſtianæ partim languent, partim ardent: non errabis. Sed & iſtud verum eſt, morbum hunc immedicabilem non eſſe, neque ægram Europam, haberi debere pro depoſita. Accipe remedia quædam, *non blanda, ſed neceſſaria, non delicioſa, ſed fortia.* & ſac memineris, pro compendii modo non tam dari, quàm indicari poſſe, & plus à te cogitandum, quàm à me dicendum.

Ennodius in dictione pro Dedic. Auditorii.

Ib. num. 2.

II. EA QUE DUPLICIA.

Diximus Cauſarum & Effectorum Belli genera duo eſſe, ſunt & Remediorum. Apud Medicos alia medicamenta Anodyna dicuntur, alia Alexipharmaca, quæ nonon vocabulo rectè appellaveris Lenientia, & Curantia. Illa enim ad mitigandum tantùm, aut ſopiendum dolorem adhibentur; hæc ad ſanitatem. Bella morbos eſſe dicebamus: habent & Remedia ſua. Alia juvant ferendis tranquillè publicis calamitatibus, quæ cum privatorum malis ſemper conjunctæ ſunt: nullæ enim, ut aiebat Solon, tam validæ ſeræ, tam firmi obices ſunt, quibus commune univerſæ civitatis malum à ſingulorum civium domibus arceatur. Alia plus aliquid ſpondent, & ad ſpem erigunt fortunæ melioris & deſideratæ pacis. Atque utinam tam facilè admovere hæc poſſemus, quàm deſignare, & tantum noſtris diſputationibus ad quietem publicam conferre, quantum olim Chryſoſtomus prolatus è feretro voculis duabus, *Pax vobis*, cùm ſolenni pompâ corpus ipſius Conſtantinopolim reveheretur. Nam quidquid verborum ad ſolatium adhibuerimus, ægri tamen, longitudine miſeriarum animi obmurmurare non deſinent: *Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.*

Baron. anno 438. *Virg.*

Exc. ad c. 14. ſect. 1.

III. LENIT MALA CONSIDERATIO PROVIDENTIÆ.

Præſentius ad leniendos dolores noſtros remedium reperiri nullum poſſe exiſtimo, quàm altam ac conſtantem de ſumma & æterna Providentia cogitationem. Piget Chriſtianorum, poſt tot magnificas ac generoſas profanorum Philoſophorum voces, tam parum ſapientium. Inclamant nobis undique: *In mundo Deum eſſe, quod in Navi gubernatorem, in quadrigis rectorem, in Choro choragum, in exercitu Ducem; hoc intereſſe, quod illi moti, hic immotus moveat. Ferendum non culpandum, quod vitari non poteſt. Indignandum non eſſe quidquam accidere, addi enim malo malum indignatione, non minui. Ab illo ſincerè Deum colo, qui temporum tolerat neceſſitates.* Nos in ipſa luce Evangelii nati, & educati in ſinu Veritatis, quid ad horum ſenſum? Credimus certiſſimâ fide, nec patiamur, ſi quis ambigat, an credamus, ſummum Rerumpublicarum Magiſtratum Providentiam divinam eſſe, ab hac ſignari nativitates, valetudines, mortes populorum, in ſacro conſiliorum ejus arcano notatas eſſe Vitas Ducum, fortunas exercituum, cladium & victoriarum momenta. Quidni igitur ad omnes publicos motus & trepidationes, toties ingeminamus: Sic voluiſti, ô ſupreme arbiter, & benè voluiſti: malè ergo nolim. *Sicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Sicut fuerit voluntas in Cælo, ſic fiat. Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat. Bonus ſermo Domini, quem locutus es.* Quis patiatur hominem ignarum, inexpertum, de ſiglinâ & luto totum, ſapientis conſilio obmurmurantem? Ægrum vix pedibus inſiſtentem, in Milones & Diagoras ori quis ferat? Audeâtne reus in vinculis tremens, æquiſſimi juxtà & Clementiſſimi Judicis ſententiæ obſtrepere? An vile ac pannoſum mendicabulum carpat benignitatem liberaliſſimi divitis, cujus beneficiis in dies vivit? Qui hoc faciat, non imprudens modò, & ingratus ſit; ſed & vecors, ac furioſus. Atqui ea eſt inſania hominum adverſus Providentiæ divinæ decreta nitentium. quam qui fatentur, fatentur autem quotquot inſani non ſunt, etiam hoc affirment neceſſe eſt, omnia ab illâ, & Benè, & Juſtè, & Sapienter, & Fortiter adminiſtrari: adeoque phreneticum eſſe, qui quæ ab eâ ſtatuta ſint, vel indignabundus, vel invitus accipiat. *Non eſt Sapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum: conſilium autem ejus in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generationem & generationem: & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic feceris,* & cur Europam tam triſti motu concuſſerit? *In ditione ejus cuncta ſunt poſita, Dominus omnium eſt, nec eſt qui* tantæ *Majeſtati* obſiſtere poſſit: nos in regno ejus nati, & ad ſacramentum patientiæ neceſſitate adacti, obluctabimur & turbabimur his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt? Fatemur Judicem eſſe ſummum, æquiſſimum, clementiſſimum, *præter quem ſtatuimus metuendum neminem.* Dicamus igitur cum ſanctiſſimis Pontificibus, qui Longobardorum & Mamalucorum victorias luxere: *Si juſta Deo placere ſcimus, pati autem nulla, niſi quæ Deo placuerint, poſſumus, juſta ſunt cuncta quæ patimur, & valdè injuſtum eſt, ſi de juſta paſſione murmuramus. Omnia, quæ feciſti nobis Domine, in vero judicio feciſti, qui vincis per incommutabilem tuam Juſtitia veritatem, cùm à ſuperba contatis ignorantiâ de Injuſtitia judicaris.* Scimus primam in Dei Conſilio Bonitatem

Arist. l. περὶ κόσμου, & ex Stobæum.

Publius Mimus. *Ambroſ.* *Epigr. Græc. l. 1.* *Epict. Enchir.*

Iob. 1. *1. Machab. 3.* *1. Reg. 3.* *4. Reg. 20.*

Prov. 21. *Pſal. 32.* *2. Reg. 16.* *Heſth. 13.*

Lucifer Calar. l. 1. adv. Conſt. Greg. l. 2. in lib. 1. 12. Innoc. 4. ep. ad S. Lud. Reg. poſt cladem Ægyptiacam.

Bonitatem eſſe, in eventis omnibus publicis, privatiſque, ad bonum ſpectare, Juſtitiam ſemper Miſericordiâ miſcere. Patiamur igitur ejus benigniſſimâ voluntate aliquid utilis mali, qui tam diu mala noſtra paſſus eſt: oſculemur dexteram cariſſimi Medici, & ſuaviſſimi patris, qui levioribus incommodis graviora ſanat, & maximo malo minimum, &, ut tardiſſimè, cum vitâ tranſiturum opponit. *Non igitur mala ſunt, quæ nos mala ducimus, & cùm Victoribus diris non parcit dextra Tonantis, Amplectenda manus, non exanimanda querelâ eſt. Dominus autem, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciet.* Paucis, Fides & Ratio hoc nobis edicet. SAPIENTISSIMA PROVIDENTIA EST, ASSENTIAMUR. POTENTISSIMA, SEQUAMUR. JUSTISSIMA, PAREAMUS. OPTIMA, AMPLECTAMUR. *Deo parere Libertas eſt.* Sapientia eſt, Religio eſt; inter bona, vitæ beatæ, inter mala, ſolatiorum ſumma eſt.

Proſper l. de Prov. — *2. Paral. 19.* — *Sen. de Vit. beat.*

IV. BONA BELLIS NON MINUUNTUR.

Exc. 1. ad c. 2. ſect. 1. ad num. 6.

Si præter peremptoriam iſtam ex Providentia divina rationem, ſolatia alia deſideras, hoc primum accipe: Nihil nobis verorum bonorum per bella minui, non dicam tolli. Vera enim tantùm ſunt animi bona, quæ nobis invitis nullus eripiat: alia, quæ extrà animum & in noſtra poteſtate non ſunt, bonorum nomen ſolum, non rem habent. Per publicas calamitates honor, divitiæ, tranquillitas, patria, cætera ejuſmodi confligantur: Virtus, quam ſolam noſtram jure dixerimus, nobis nolentibus vulnerari non poteſt. Hanc altam & Chriſtiano dignam conſolationem lubentiùs forſan ex Chryſoſtomo, quàm ex me intelliges. Scis quàm eleganter triſtiſſimis temporibus diſputarit exul in gratiam miſerorum, *Neminem lædi niſi à ſeipſo*: quia nemo læditur niſi verorum bonorum jacturam patiatur, bonum autem hominis, quà homo eſt, ſola Virtus eſt, quam non eripiat ulla vis niſi volenti. Audi etiam Auguſtinum eadem Africanis ſuis Vandalico bello inculcantem Chriſtiani barbarorum incurſionibus *amiſerunt omnia quæ habebant, Sed numquid fidem, numquid pietatem, numquid interioris hominis bona, qui eſt apud Deum dives? Hæ ſunt opes Chriſtianorum, quibus opulentus dicebat Apoſtolus: Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Sed multi, inquiunt, Chriſtianorum captivi ducti ſunt. Hoc ſanè miſerrimum eſt, ſi aliquò duci potuerunt, ubi Deum ſuum non invenerunt.* Imo, quo te Chriſtianum magis pudeat, audi Philoſophum de ſe profitentem, & de alio narrantem. Quidquid evenerit, quantumcunque nobis non noſtrorum fortunæ vis eripiat, *quocunque nos moverimus, duo quæ pulcherrima ſunt ſequentur, natura communis, & propria virtus.* Megaris vi captis & direptis, Demetrius Poliorcetes ejus Urbis civem, Stilpontem Philoſophum, interrogat, num quid ea clade amiſerit? Hic placido vultu, quaſi ſi de aliena fortuna quæreretur: nihil, inquit, meorum amiſi, intacta omnia ſunt. Domum tamen avidus miles invaſerat, filias rapuerat, patriam vaſtarat. Quid ad iſta delicate Chriſtiane? cui rerum caducarum jactura etiam animi mors eſt; tantùm abeſt, ut te putes, cùm omnia perdideris, nihil perdidiſſe.

Homil. quod nemo &c. ſcripta non longè ante mortem in exilio. — *Aug. 1. de Civ.* — *Sen. conſ. ad Helv.* — *Homil. de Conſt. &c.*

V. IMÒ CRESCUNT.

Ib. à num. 6. ad 9.

Vera bona bellis non minui diximus: imò augeri dicendum eſt. Quid enim te prohibeat, ſi voles, Judæos imitari, ad ejuſmodi tonitrua pavidos, & reſipiſcentes? Cur non ſequaris Paullas, Marcellas, Paullinos communi Romanæ rei ruinâ ultos ad inſignia exempla caritatis? Quidni in tam vario fortunæ ſpectaculo faſtidium te capiat rerum humanarum, quomodo tres illos nobiles, qui in poſtremâ Urbis Romanæ clade Ordinis Religioſi illuſtria fundamenta jecerunt? *Deſpiciendus à nobis mundus hic fuerat, etiamſi blandiretur, ſi rebus proſperis demulceret animum: at poſtquam tot flagellis premitur, tantâ adverſitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat?* Dicta non itero: jam in Effectis monſtravi, quantam virtutum materiam, ſi uti lubeat, invenias in hoc genere calamitatum. Miſeriæ, inſtar ſunt ignis, quo metalla excoquuntur, ligna conſumuntur. Vetus hoc dictum eſt, quod priſci ſapientis verbis non invitus, ſcio, accipies: *Fornax mundus, palea iniqui, aurum juſti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: Ubi me ponit aurifex, tolero. Iubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad comburendum me, & quaſi conſumendum me, illa in cinerem vertitur, ego ſordibus careo.*

Bernabita, apud Spond. an. 1533. — *Greg. 3. Dial. c. 38.* — *Aug in Pſal. 61.*

VI. AN PACEM ÆTERNAM.

Ibid. Ib. num. 9. & 10.

Quemadmodum autem excoctum aurum *in monili lucet, in ornamento lucet*: Sic probi, malorum tolerantiâ purgati, ad lucem veniunt beatæ æternitatis. Et hoc præſentiſſimi ad ſolatium in publicis calamitatibus remedii novum genus eſt. Ita olim inter barbaricos enſes, & incendia, *ſervi Dei humiles, & ſancti, qui dupliciter mala temporalia patiebantur, quia & ab ipſis impiis, & cum ipſis patiebantur, habebant conſolationes ſuas & ſpem futuri ſæculi.* Neque aliud ſolatium Longobardicis temporibus quærebat magnus Pontifex, qui ad Eulogium Alexandrinum; *Dolor*, inquit, *corporis, & amaritudo cordis, & immenſa vaſtitas mortalitatis inter Barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia, non temporalem, ſed æternam conſolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, ſed interceſſione Veſtræ Beatitudinis hanc me obtinere confido.* Digna verò Chriſtiano cogitatio: dum hic omnia turbantur, illam tranquillitatis ſedem ſuſpicere: dum mutuis odiis, & cædibus paſſim ſævitur, ad illam æternæ caritatis domum oculos attollere: dum metus, lamenta, ruinæ, funera undique nuntiantur, ad eam patriam aſpirare, unde æternum exulant dolor & gemitus: dum hic bella fervent, & lenta Pacis ſpes nimis diu ducitur, ejus Civitatis meminiſſe, *cujus finis, vel Pax in vitâ æternâ, vel vita æterna in pace dicendus eſt.* Age, attolle oculos, & animos, infælix Chriſtiane, cælum ſuſpice, æternitatem cogita. Hæc te, ſi miſeriarum bono uteris, poſt calamitates perpetua conſolatio, hic poſt tempeſtates ſecuriſſimus portus expectat.

Aug. ep. 122. — *Greg. l. 11. Reg. ep. 44.* — *Aug. 22. de Civ.*

VII. CONSOLATIONES HUMANÆ.

Exc. 2. ad c. 3.

Divinæ iſtæ conſolationes ſunt: vis etiam humanas? Cogita primùm ſpem fortunæ melioris. Hæc animum tuum in futura protendens, à præſentibus tantiſper avocabit. Hæc te paſcet dulci Pacis imagine, quam aliquando haberi neceſſe eſt, vel ex laſſitudine pugnantium. Hæc tibi etiam victorias & fælicitatem pinget, facietque te, ſi non beatum, at minus miſerum: nemo enim eo miſerior eſt, quàm qui putat ſe ſemper miſerum fore. Propone deinde tibi mutationes & bella partium Univerſi. Vide ut hinc mare terras invadat, inde repellatur. Ut aër perpetuis motibus inquietus, ſedem præbeat prælis aqueorum & igneorum corpuſculorum inter ſe concurſantium. Cælum ipſum, quò nec mortem, nec mutationem pervadere Vetus Philoſophia finxerat, novorum ſiderum radiis oſtendit corrumpi ſe poſſe. Nos homunciones indignemur, inſtabiles eſſe fortunas noſtras, cùm hoc totum, quod videmus, legi mutationum pareat? Perpende denique non eam eſſe temporum noſtrorum infælicitatem, ut infæliciora non fuerint. Judæorum, paucis annis, quibus exciſi ſunt, ſupra duodecies centena millia periere: noſtrorum nemo, opinor, tam malis ſuis faveat, ut eum illis comparet. Confer, ſi potes, Civilia Romanorum bella cum noſtris: viſe ſtratas Victricis gentis exercitibus provincias: numera cruentas miſerorum Proſcriptorum Legiones: quid in noſtris æquale? Cùm Pontifex Maximus exul & lugens quaſſatam Religionem, laceratamque barbaricis, & ſuis armis Aſiam, & Europam, his verbis, Eccleſiæ nomine, Concilii Lugdunenſis Patres affatus eſt: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*; tunc certè pejori quàm nunc loco publicas res fuiſſe fateberis. At verò, inquis, *malevoli ſolatii genus eſt turba miſerorum.* Redi itaque ad priora, & divinis illis cogitationibus animum ſuſtenta. Nam etſi mentem in omnes partes verſaveris, nihil ad leniendum calamitatum ſenſum potentius invenies, quàm ſpem beatæ æternitatis, & Chriſtiana fiduciâ ac caritate nixum voluntatis humanæ cum Providentiâ divinâ conſenſum. Fælicem, qui licèt jaceat in terris, *aſcendet* tamen, quod Bernardus avunculo, Templi militi, ſuadebat, *ſuper Solem*; & hic militans ubi penuria eſt, inde donativum exſpectabit ubi abundantia eſt. Fæliciſſimum, qui ad omnia eventa publica & privata dicere conſueverit cum Catharina Genuenſi; *Gratiſſimum venerit ſupplicium ab amabili Dei manu*: imo cum Chriſto, ſublatis in cælum oculis, placidè pronuntiabit, *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.*

Vide Lipſ. de Conſt. l. 2. c. 21. — *Innoc. 4. apud Spond. anno 1245.* — *Sen. in conſ. ad Marciam.* — *Bern. ep. 288. ad Andream avunc.* — *Vita c. 10.* — *Matth. 11.*

VIII. REMEDIA EFFICACIA.

Exc. ad c. 13. ſect. 2.

Sed video, ad alterum genus Remediorum properas. Nihil enim ægro jucundius, quàm in efficaci medicamento ſpem ſalutis de proximo intueri. Accede igitur, accipe præſentiſſimum adverſus bellica mala remedium. Putas oſtendi tibi communem Chriſtiani nominis hoſtem, ingenti claſſe compedes Adriatico & Tyrrheno mari minitantem. Quis enim ſcit, an ad reconciliandos diſſidentium nationum animos non plus valeat terror exterorum, quam domeſticorum amor? Certè in hoc publico à Turcis metu ſperare non dubitem, quod in eadem cauſa Pius Pontifex; *Neque Rhenenſium nobilitatem, neque Gallorum magnanimitatem, neque prudentiam Italorum, neque Hiſpanorum fortitudinem, neque Anglorum audaciam in tali neceſſitate defuturam.* Exiſtimes forſan remedium illo potentius fore, ſummi cujuſdam Principis, & extra factiones poſiti, arbitrium; cui ſtare partes non recuſent, quòd æquali utrimque

Æneas Sylvius ad Cuſanum Card. apud Spond. anno 1458.

Spond. anno 1155.

affectus ſit, auctoritate maxima. Qualem nuper fuiſſe memorant Marcellum Pontificem, qui in ipſis ſupremæ dignitatis auſpiciis ad Reges ſcripſit, niſi diſſidere ceſſarent, Româ ſe ad illos profecturum, ut præſentiâ ſuâ ad concordiam flecteret. Qualem etiam dixeris hodie illum eſſe, qui Europæ fluctuanti columbam & olivæ ramum prætendit, dulcia concordiæ & pacis indicia.

Ib. & Exe. 2. ad c. 3. ſect. 1.

IX.
ORATIONES AD DEUM.

Certiſſima quidem hæc ad pacem via eſt, & fermè humanitus unica. Sed quid hominum ſtudia proficient, ſi eorum deſideriis & conatibus Deus non adeſt? Quò medicamentis ægrum fovere, ſi vim non tribuat ille, per quem omnia agunt, & poſſunt? Altius itaque eundum eſt, *&* *exclamandum ad Deum, ut non ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam à tantis malis liberet nos,* & noſtris de pace conſiliis, ipſe *Pacis auctor & amator* interſit. *Stat enim hoc Fidei fundamentum immotum & validum adverſus omnes ventos, pluviam, torrentes, non flatibus pellendum, non ſtillicidiis penetrandum, non inundantibus ſubruendum*: à Primo Univerſi Motore res etiam omnes civiles agi & verſari, ab eo populorum omnium fortunas pendere, de eius manu pacem expectandam, à quo bella profecta eſſe diximus. Et verò quot victoriæ, rebus deſperatiſſimis, cælitus partæ! Quot in mutuam perniciem furentes populi, in ipſâ cædium immanitate, miraculo compoſiti? Quoties auxiliares copiæ & pacis arbitri de cælo precibus devocati! Tot nobis teſtes ſunt, orandum Deum, ſi efficacia cupimus eſſe, quæ ad pacandam Europam adhibentur. Factum id, inquis, jam ſæpe, & ecce ſemper eadem tempeſtate jactamur; imò, quod gravius eſt, Infideles, qui ſanè mentes & manus puras ad Cælum tollere non poſſunt, iſta ultrò accipiunt, quæ nos nec ſupplices impetramus. Et credis etiam voles remedium efficax eſſe adverſus bella orationes ad Deum? Huic de Infidelibus querelæ alio loco paucis ſat multa & fortia oppoſuimus. De orationum autem efficacia hoc ſolum habe: Si æger præſentiſſimo remedio male uſus non convaleſcit, artis culpam non eſſe.

Aug. ep. 122.

Hilar. l. 10. de Trin.

Paſſim in Scripturâ & apud Ribad. in Principe Chriſt. l. 2. c. 42 & c.

De Cauſis bellorum, 7.

Ib. ſect. 2. &c.

X.
QUALES ESSE DEBEANT.

Itaque ſi aliquid à Deo imperatum volumus? Primum id ſervemus, ut ad publicas calamitates avertendas, non privatim ſolum, ſed etiam publicè ſupplicetur. Alterum, ut cum Europæ ſint communia mala ſint, undique communibus votis Chriſtiani omnes *oremus certatim concordi, ſanctóq; certamine*, & quaſi manu factâ Dei clementiam expugnemus. *Hæc vis Deo grata eſt*; cui cùm poſtulata ſupplicibus concedere ſemper ſuave ſit, tum maximè amat, & quodammodò veretur multitudinem orantium *conſonantem in preces, & ſpiritus conſenſione concordem.* Quibus autem cœtibus, quo ordine, quo ritu communiter ſupplicandum ſit, quæ precibus jungenda Jejunia, quæ aliæ corporis afflictationes publicè adhibendæ, Patres populi Chriſtiani ſtatuent pro ſuo boni communis ſtudio. Multa in hanc rem utilia ex majorum memoriâ depeti poſſent. Unum indico: Conſtantes & publicas preces innoxiæ ætatis, quam adulti communibus criminum ſuorum pœnis involverunt, plurimum apud Deum poſſe. Ob hanc cauſſam cùm ingens finitimorum populorum exercitus Judaico regno immineret, orante Deum palàm, & clara voce, Joſaphato Rege, *Omnis Juda ſtabat coram Domino cum parvulis & uxoribus & liberis.* In eamdem formam Joel, poſtquam atrociſſimam tempeſtatem Hebræis impendentem prænuntiavit, ad eam avertendam jubet, non adultos ſolum in templum convenire, ſed etiam *congregari parvulos, & ſugentes ubera.* Ita Holoferne terrorem tota Syriâ circumferente, trepidi Judæi, indictis publicè precibus ad placandum Deum, *infantes proſtraverunt contra faciem templi Domini*: quaſi nihil eſſet ad flectendam Dei clementiam, quomodo ad mitigandos Principum animos, tenerâ ætate potentius. Imminebat excidio rebellis in Apulia urbis Divus Henricus Imperator, & nulla ſpes civibus erat vel auxilii, vel veniæ: cùm effuſum portis ingens puerorum agmen lacrymabili voce ingeminantium, *Domine miſerere*, optimo Principi, & lacrymas, & vindictæ conſilium excuſſit. Galliæ Rex Ludovicus infenſo in Ligures animo ibat expugnaturus Genuam: ſed obviam miſſi cum matribus liberi, ſupplici habitu, miſericordiam & veniam inclamantes, ejus animum expugnavere. Deus ipſe jam in Aſſyriorum perniciem manus armaverat, cum repentè ad pacem & clementiam flexit, ſupplicem Civitatis Regiæ multitudinem miſeratus, & eam præſertim, quæ *neſciebat quid eſſet inter dexteram & ſiniſtram ſuam.*

Aug. ep. 121. ad Probam. Tert. in Apol. Chryſ. hom. 2. in 2. ad Cor. Cypr. de Or.

2. Paral. 20.

Joel 2.

Judith 4.

Rod. in Bav.

Bar. l. 11.

Pet. Matth. in Lud. 12.

Jon. 4.

Ib. ſect. 3.

XI.
CUM SANCTITATE CONIUNCTÆ SINT.

Ad extremum quiſquis efficaces obtinendæ Paci orationes ſuas eſſe voluerit, à pœnitentia malefactorum, & morum emendatione, earum initium ducat neceſſe eſt. Hoc primum ac ſummum Rhetoricæ cæleſtis præceptum eſt, hæc ara exorandi certiſſima: Gratus eſto Deo, ut preces tuæ gratæ ſint. *Quid enim eſt ad pacem Dei accedere ſine pace? Et qua ratione eſt ut ſuſurremur à Deo non reſpici terras, cùm ipſi non reſpiciamus ad cælum, & moleſtum ſit à Deo deſpici preces noſtras, cùm Domini præcepta deſpiciantur à nobis?* Quâ fronte Belli finem à Deo poſtules, qui Miſericordiæ divinæ criminibus tuis atrox bellum indixeris? Quomodò victoriam de hoſtibus flagitare audeas ab eo, cujus ipſe hoſtis ſis? Quo ore de armorum violentiâ conqueraris, qui etiam armatas in Chriſtum manus, & ejus ſanguine cruentas oſtentes? Audivimus ea criminum genera quæ Pietatem ex directo, vel per ſacrorum locorum & hominum latera petunt, publicè in primis noxia eſſe. Ad hæc ea, quæ Juſtitiæ adverſantur, & Rerumpublicarum vincula, immeritorum præſertim honoribus, & ſontium impunitate diſſociant, alia item, quæ profligata temperantia tentant nervos civitatum; imò & ſingula Privatorum peccata, ad illius civilis ſocietatis, cujus partes ſunt, perniciem ſpectare. Intelleximus etiam illuc præcipuè ab Optimâ & Juſtiſſima Providentia referri Bellorum calamitates, ut maiorum ſenſu improbi, ad reſipiſcendum, probi ad virtutes augendas proficiant. Reſtituant igitur ad dignam Chriſtianis hominibus formam, & Privati mores ſuos, & Publicos, in quibus Reſpublica curæ eſt. *Civitati enim*, adde & Provinciæ & Regno, *non niſi propter civium peccata infertur excidium. Deſine ergo peccare, & Civitas non peribit. Quid fugis patriam? ſi vis ſalvus eſſe, tua potiùs peccata ſubterfuge, ſi tu peccare deſieris, victus eſt inimicus.* Audi & Origenem de bellis, quæ Summi Judicis adventum præcurrent, diſputantem, & cum de noſtris loqui exiſtima. *Occaſione illa quidem, ſi ſolam rerum faciem aſpicias, aut ex indigentiâ nationum, quæ ſibi neceſſaria ſunt armis aliunde petentium, quia aliter impetrare non poſſunt, aut ex immodica divitiarum, vel latiùs imperandi cupiditate. Sed ſi altiùs ſcruteris, invenies procul dubiò in populis, qui bello conflictantur, inſignem cumulum vitiorum quorum odio, Providentia divina concitatores tumultuum publicorum non prohibet; prohibitura, ſi ceſſaret improbitas. Verbo, communium omnium calamitatum cauſſa ſunt Chriſtiani, qui olim ſanctiſſimam religionem profitentur, tanta ſanctitati non convenienter vivunt.*

Tert. de Orat. Sal. l. 3. de Prov.

Iſa. 1. Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.

Ambr. ſerm. 81.

Tract. 28. in Matth.

Ibidem.

XII.
EPILOGUS.

Fruſtra igitur Pacem inclamaveris, partes compoſueris, arbitros dederis, cælum precibus pulſaveris, omnes ætates ad communiter ſupplicandum vocaveris: ſi bellorum cauſſa ſublata non eſt, ſi non imminuta Menſura criminum, ſi Juſtitiæ divinæ pœnâ, aut pœnitentiâ, non factum ſatis: Pax aut omnino, aut diu non erit. Nicephorus Phocas barbaro, rapaci, impio animo Imperator, ut ſe adverſus populi odia tueretur, munitiſſimum palatium arcis inſtar Conſtantinopoli ad ſecurum ædificarat. Opere jam fermè abſoluto, ſcaphâ prætervectus neſcio quis per noctem exclamavit: *Fruſtra iſthæc munimenta, Imperator: intus enim malum eſt.* Excitatus ad eas voces animis, miſſi, qui infauſtum præconem comprehenderent. Evaſerat, vel evanuerat. Incertum, aliquiſne ex cælo nuntius, an homo fuerit: iſtud certum, vera monuiſſe. Nam ipſo die, quo Phocas claves, & curam arcis Præfecto commiſit, uxoris perfidæ conſpiratione, à gregario milite interemptus eſt, & hic, ad majus fortunæ ludibrium, in parricidii mercedem, thorum & ſolium Imperatoris occupavit. Hoc ego tibi Europa, hoc vobis Reſpublicæ Chriſtianæ, hoc tibi quiſquis es amans Pacis inclamo, utinam tantâ voce, quanta cauſſa eſt: INTUS EST MALUM. Gemitis, in commune conſulitis, Pacem poſcitis: vana illa ſunt omnia, quamdiu peſtis in viſceribus latet. Admove ſecuri radicibus, ſapiens Chriſtiane, fontes obſtrue, venenum evome, peccata expia & emenda. Hæc una ad Pacem via eſt, quia unica ad placandum Deum, à cujus nutu Bellum & Pax ſuſpenſa ſunt. *Qui peccare deſinis, iram Dei mortalem facis.*

Bar. anno 964.

Lact. de Ira Dei c. 21.

O mucro Domini uſquequo non quieſces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile. Jerem. 47.

Aperite portas, & ingrediatur gens juſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abiit: Servabis Pacem, Pacem quia in te ſperavimus. Iſa. 26.

INDEX

INDEX CONCIONVM MORALIVM IN DOMINICAS, FESTA, FERIAS ADVENTUS ET QUADRAGESIMÆ.

EXHIBEO tibi, mi *Lector, Conciones, quas ipſe habui, judicavique, ex uſu & experientia, publicè aptiores atque utiliores. Aliquæ fuſiùs extenſæ ſunt in Commentariis & Excurſibus: aliarum tantum argumenta non uſquequaque dilatata traduntur, ſic tamen ut quivis Concionator, non omninò imperitus; qualis certè in tanto munere eſſe non decet, facilè inde ſibi concionem poſſit conficere. Moralia ferè tantùm argumenta de virtutibus & vitiis hic trado: Controverſias & conciones de illis, Deo propitio, ad ſecundum librum luculentè traditurus. Boni interim hæc conſule.*

INDEX PRIMUS IN DOMINICAS, FESTA, ET FERIAS ADVENTVS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

THEMA. *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, reſpicite & levate capita veſtra.* Luc. 21.

Poſt brevem Evangelii enarrationem, qua nec gratius quidquam auditoribus, neque utilius eſt, quando in Evangelia dicitur, & poſt imploratum Spiritus Sancti auxilium: incipi poterit à diſtinctione duplicis judicii divini, Temporalis ſcilicet, & Æterni, illius in hac vita, hujus in altera. Indicatur ea diſtinctio ab Auguſtino lib 20. de Civ cap. 2. &c. Habemus eamdem in Scripturis. Nam de Temporali & Vitæ hujus judicio, ſumendum illud Oſee 2. *Judicium Domino cum habitatoribus terræ:* & illud Iſaiæ, *Cùm feceris judicia in terra, juſtitiam diſcent habitatores orbis.* De Æterno autem & vitæ alterius judicio frequentiſſimè habemus: *Pater omne judicium dedit filio: ſedebitis judicantes duodecim tribus Iſraël: judicium ſedit & libri aperti ſunt.* De utroque genere judicii Chriſtus agit Luc. 21. Nam de priore ſunt iſta verba, *Surget gens contra gentem, erunt terræ motus*, &c. Ad poſterius ſpectant, quæcumque in Evangelio hodierno habemus. Quæremus de utroque, quomodò Chriſtus in illis Chriſtianos ſuos ſe gerere deſideret: qua diſpoſitione animi velit à nobis judicium extremum exſpectari: qua item comparatione judicium calamitatum præſentium ſpectari à nobis, & ſentiri cupiat.

De extremo Judicio aperta Chriſti verba ſunt, *Areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione*, vos diſcipuli mei *reſpicite & levate capita veſtra*, qui geſtus eſt deſiderantis, fidentis & læti animi ſignum. Itane verò, ô Chriſte, tu nos gaudere jubes, fidere, deſiderare, quando non homines ſolùm areſcunt, ſed & ipſi Sancti ſola præcogitatione trepidant. Quis vir D. Chryſoſtomus? Ille tamen hom. 13. ad pop. Antioch. magis affirmat ſe ea cogitatione percelli, quàm rerum denuntiatione horrendi ſupplicii. Quis vir D. Bernardus? Ille tamen Serm. 4 ad ſororem de modo bene vivendi, ait, *Qui incipit judicium credere, incipit timere.* Quid jam Pelagiam, Nonno de Judicio concionante converſam, memorem? Quid Bulgarorum Regem, pictura judicii ad fidem adductum? Narrat Baron. tom. 10. an. 845. Quid converſos, D. Vincentio Ferrerio de ea

materia concionante? Trepidant non peccatores tantùm, ſed & Sancti: quid ergo nos in eo die, terrores undique ingerente, reperiemus ubi requieſcat pes noſter?

Objecta tria deſiderii & gaudii, inter tot metûs argumenta, invenio: primum, honorem Dei: alterum, honorem filiorum & ſervorum Dei: tertium, beatitudinem corporum. Dei judicia temporalia plerumque hîc ſunt occulta, aliquando diu differuntur: ideoque quia differtur adversùs malos ſententia, filii hominum abſque timore ullo perpetrant mala. Ipſis piorum animis ea cogitatio non raro faceſſivit negotium: Davidis pœnè moti ſunt pedes, pœnè effuſi ſunt greſſus: Habacuc eodem fermè modo concuſſus, aliique paris ſanctitatis. Ideò deſiderabile nobis eſt Judicium Dei, ubi ſecreta & interiora Dei judicia nobis pateſcent, mirandaque iſtius Providentiæ æquiſſimæ gubernatio in conſiliis ſuper filios hominum. Expendit hoc inſigniter Auguſtinus 20. de Civ. cap. 2. *Neſcimus quo judicio Dei, bonus ille ſit pauper &c.* Deſiderabile itaque nobis eſt judicium extremum pro Dei honore Et hanc præſertim ob cauſſam S. Catharina Genuenſis aliquando, cum ea verba in conceſſu dicerentur, *Surgite mortui venite ad judicium*, exclamavit cum impetu, ſtupentibus omnibus: *Iam cuperem venire.* Vide Vitæ ejus cap 42.

Quamquam, etſi id non foret, tamen ob ſolum honorem filiorum Dei eſſet deſiderabile judicium, ac præſertim ad gloriam Unigeniti Filii Dei, primogeniti ex mortuis, Chriſti Salvatoris, quà homo eſt. Quomodo habitus fuit in vita mortali? Quomodo ab hæreticis in Euchariſtia? Ab Infidelibus aliis in imaginibus &c. Tunc autem in nubibus cæli cum poteſtate & majeſtate. *Hic eſt ille dicam fabri filius &c.* Verba ſunt Tertulliani lib de Spectaculis, Chriſtum judicem Judæis & incredulis pro ſpectaculo proponentis, *Ecce dicam*, cum Auguſtino, *hominem quem crucifixiſtis: ecce Deum & hominem, in quem credere noluiſtis: videtis vulnera quæ inflixiſtis?* In ea cogitatione defixus, opinor, D. Joannes Evangeliſta Apoc. ult. verſu 20. cum à Chriſto audiſſet, *Etiam, venio citò*, ſtatim in hæc verba erupit, deſiderii & gaudii, *Veni Domine IESV.* Eamdem ob rationem D. Auguſtinus Tract 9. in epiſtolam Joannis dicebat: *Fratres, date operam intus agere vobiſcum, ut deſideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta caritas, niſi cùm cœperit ille dies deſiderari.* Deſiderabat ruſticanus ille adoleſcens annorum 18. qui cùm ab annis abhinc circiter viginti in Sacerdotem Societatis noſtræ incidiſſet in itinere, ita de Judicii deſiderio Chriſtianè diſſeruit, ut ſuſpicaretur Sacerdos ſe cum Angelo agere, niſi paullò poſt adoleſcens peccata confiteri cœpiſſet. Res typis vulgata eſt, cum benè longo dialogo. Multis ante ipſum, & ante Chriſtum, ſæculis paſtor alius, quem Deus de poſt fœtantes acceperat paſcere populum ſuum, ita ejus extremi diei deſiderio æſtuabat, ut lætari velit cælos & terram, quia venit *Deus judicare terram in juſtitia, & populos in æquitate.* Æquiſſimus Dominus filium ſuum, qui judicatus fuit, conſtituit univerſorum Judicem, ut ipſi ablatum honorem reſtituat centuplicato fœnore.

Neque ipſi ſolùm, ſed & fratribus ac filiis ejus. Quàm multi Martyres obiêre illamentati, inſepulti, peſſimè etiam poſt mortem habiti? Quot Sancti pro impiis habiti, imò & pro Magis? Quotus quiſque hominum piorum cenſuras temerariorum judiciorum, & linguarum notas atque obelos, potuit evadere? Vide quid de judiciis hominum præcipitibus dicat Chryſoſt hom. 5. in cap. 2. epiſt ad Rom. Vide & Aug. ſerm 202 de Temp. Solatio maximo eſt fidelibus membris, cùm cogitant venturum diem, qui omnes illas noctes diſſipet: affore aliquando judicium, quo opiniones omnes & ſuſpiciones diluantur. Eò Chriſtianos vocabat Tertullianus libro de ſpectaculis *Ille ultimus ac perpetuus judicii dies, ille nationibus inſperatus, ille deriſus.* Eò reſpexit Epiſcopus Gebennenſis B. Franciſcus Saleſius, quando infami calumnia Pariſiis appetitus, & de ea ab amicis monitus, id ſolum quietè reſpondit, *Affore diem, quo dies omnes recenſerentur.*

Si honoris ratio non ſatis tangit, tanget forſan propriùs beatitudo corporis, ſine qua aliquid animæ ad fælicitatem deeſt. *Exſpectatio enim creaturæ revelationem Filiorum Dei exſpectat*, ut inquit D Paullus Rom. 8. Exſpectatio, inquam, ſive *ἀποκαραδοκία*, Extenſio capitum, ad exſpectationem ſignificandam: quod ipſum Chriſtus hodie dicit, *Reſpicite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*, abſolutio à miſeriis hujus vitæ & reſurrectio corporis beati. O fælicem exſpectationem ac Redemptionem, quando corpori noſtro, & ſingulis ſenſibus, qui in Dei cauſſa laborarunt, dicere poterimus, quod B. Petrus de Alcantara poſt mortem apparens dixiſſe fertur, *Fœlix labor tanto dignus præmio.* Interim noſtra converſatio, ſeu ut Hilarius legit libro 11 de Trin. noſtra exſpectatio in cælis eſt, *unde etiam Salvatorem exſpectamus*, iſto ſolenni adventu ac judicio, *Dominum IESVM Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*

De Judicio Extremo jam dio dicimus: quid autem de Temporali? Reliquo Adventûs tempore dicendum erit, idem quod de Extremo, *Reſpicite & levate capita veſtra*, ô Chriſtiani, in quibuſvis malis temporalibus. *Quoniam appropinquat redemptio veſtra*: Areſcant alii præ timore: ſit 10 aliis, ut Nahum dicebat cap 2. *Cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies eorum ſicut nigredo ollæ.* At vos Chriſtiani, canite in eo Dei judicio, quod Angeli in Nativitate Chriſti cecinere, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ad gloriam Dei, & bonum veſtrum ſimul iſthæc omnia eveniunt. Narrant, equitem audita ſuaviſſima voce in aviis ſilvarum, eam ſecutum, veniſſe ad moribundum non hominem, ſed ſpirans cadaver, erat enim leproſus, cui partes corporis ſcaturientes undique habant. Mirante equite cantum in eo ſtatu: at tu, inquit leproſus, miraris ne captivum gaudere & cantare, cùm carcer ejus dirumpitur, & in proximo eſt jucundiſſima numquamque deſitura libertas? Ex Salmerone id habeo, ipſe ex aliis. Si parabolam eſſe exiſtimatis: efficere tamen poteritis, ut veriſſima ſit rei factæ ac faciendæ narratio. Modus alius non eſt, quàm Voluntatis humanæ cum divina conjunctio in omnibus eventis. Eam qui habet, ſeu ſanus ſit, ſeu leproſus; ſive integer ſit honor, ſeu per partes abeat; ſeu vita conſtet, ſeu mors immineat, ſemper reſpiciet & levabit caput ſuum, canetque tranquillè cum Angelis, Gloria in excelſis &c.

FERIA SECUNDA.

THEMA. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Explicandus primum ad literam hic cantus Angelicus: & præſertim inſiſtendum parti ſecundæ, è qua aliqui tertiam faciunt: homines bonæ voluntatis ſumi dupliciter, indico pag. 4. * ſect. 1. num. 1. In ſecundo ſenſu, ſive de bona voluntate activa, intelligemus ſerè toto hoc Adventu. Invocemus Spiritum Sanctum & Virginem ſalutemus Ave. * In Tractatu de Bona Voluntate ſub finem Exercitium ad caput XIV.

Ingreſſus ſit ex Procemio num. 1. & 2. ubi dicitur generatim de Bona Voluntate, cujus bonitas exſiſtit ex applicatione cum divina. Tum ſubdatur de Tractatûs illius Suavitate & Utilitate: quâ de re aliquid habes in præfatione ad lectorem. Et certè ipſa multitudo Tractatorum & Scriptorum ea de re oſtendit ſatis ejus utilitatem. Scripsêre Chryſoſtomus, Salvianus, Proſper libros de Providentia. Jam recentiores quàm multi? Quid de veteribus, Seneca, Epicteto &c. Merces bonas eſſe argumento eſt emptorum multitudo, ſi ſunt intelligentes. Ita Sermonem de Providentia, de Conformitate, de Reſignatione, de Bona Voluntate, quæ variis nominibus eadem ſunt, eſſe publicè privatimque utiliſſimum, vel inde patet quod tam multi tractavere. Ibid.

Eum igitur & nos ut Deus dederit, deducemus. Subde quæ in procemio habentur à num. 6. uſque ad finem. Ibid.
Prætereundi enim 3. 4. 5. qui aliis diebus erunt uſui.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Gloria in excelſis Deo.* Luc. 2.

Ponendum primum fundamentum: eſſe Providentiam: prout habes part. 1. ſect. 1. ad numerum Ibid.
uſque decimum. Cùm enim ſit in ſuperioribus numeris valde denſa materia, & operæ pretium ſit eam bis tractari: reliqua commodè reſervabitur ad Dominicam Adventus tertiam.

FERIA QUARTA.

THEMA idem.

Fundamentum alterum totum ex ſect. 2. partis ejuſdem. Ibid.

FERIA QUINTA.

THEMA. *In terra pax hominibus.* Luc. 2.

Fundamentum tertium totum ut habetur ſect. 3. Ibid.
partis ejuſdem. Si tamen contingeret Adventum ita longum eſſe, ut materiæ non viderentur ſuffecturæ: commodiſſimè

Digitized by Google

commodiſſimè dividetur hoc Fundamentum in conciones duas, ut prima ſit de cura hominum generatim, altera de cura proborum * à num. 11. ad finem.

* In Tractatu de Bona Voluntate ſub finem Excurſum ad caput XIV.

DIE S. ANDREÆ.

THEMA *Venite poſt me* Mat. 4. Deſcribitur nobis hodie in Evangelio altera D. Andreæ vocatio. Prima fuit ad ſequendum, hæc ad cognoſcendum. Itaque tantùm habemus hic, quomodò vitam meliorem D. Andreas inceperit. In eo tamen initio video finem optimum, ſignificatum myſticis illis vocibus, *Venite poſt me*. Sicut enim cùm Chriſtus dixit Petro ad mare Tiberiadis, *ſequere me*, intelligebat de morte Crucis, ut clarè colligitur ex Evangelio. Ita hic, cùm dicit Andreæ & Petro, utrique poſtmodum Crucifixo, *Venite poſt me*, quidni dicatur alludere ad genus mortis ſuo ſimile? Prætermiſſis itaque, quæcumque de vita ejus ac geſtis dicuntur, laudibus, quæ à Sanctis Hippolyto, Hieronymo, Chryſoſtomo, Chryſologo, Damiano &c. in illum congeruntur, dicam de morte ſola. Spiritum Sanctum invocemus.

Ultimus actus præcipuè in tragœdia ſpectari ſolet, quia eò affectus maximè concurrunt: in Oratione Peroratio imprimit motum: in argumento ultima concluſio victrix eſt: in lite ultima probatio, ſeu replica, plus momenti habet quàm reliquæ: in prælio ultimus impetus eſt palmarius. Vita tragœdia eſt, oratio, argumentum, lis, prælium. Nonne talis fuit Vita D. Andreæ? Ejus tragœdiæ, &c. clauſula fuit mors. Sicut enim mors a Tertulliano dicitur finis omnium quæſtionum: ita dici poteſt prælii, litis, argumenti, Orationis, tragœdiæ finis. Digniſſima ergo eſt conſideratione & attentione noſtra. Gratias Sanctis D. Andreæ filiis Achaiæ diaconis, qui ſic illam nobis expreſſére, & oculis ſubjecére: ut videamus intereſſe. Noſtis, & ideo non immemores, captum, productum, interrogatum, reſpondiſſe, &c. poſt Crucis amplexus, de illa, ut ex Cathedra, concionatum.

Quot mira in illo ultimo actu notaſtis? Tria ego: Amorem erga Euchariſtiam tenerrimum: Zelum animarum, qui de Crucifixo concionatorem biduo fecit. Rapit me maximè affectus erga Crucem, & in illo hæreo, ac quæro primò, Cur D. Andreas ita amavit? Secundò, Cur & nos amare debeamus?

Ethnici ſpectantes hanc actionem ridebant ſine dubio, ſaltem ad primum aſpectum, quod Crucem diſſuaviaretur & complecteretur, ſicut dementatus aliquis amore, dicens *Teneo te lumen meum*: aut ſicut illa in Canticis, *Inveni quem diligit anima mea, tenebo eum, nec dimittam.* Hinc etiam vulgo Martyrium D. Andreæ vocatur, Sponſalia ipſius cum Cruce. Sed quid in ea dignum amore invenis, ò Sancte? Amor enim non poteſt ferri niſi ad bonum: &, ut laudabilis ſit, ferri debet in bonum verum, non autem imaginarium. At quod bonum invenis in illa Sponſa? Pulcritudinem alii quærunt, & vanum eſt: alii divitias, & hoc fluxum eſt: alii nobilitatem, & hoc etiam ad vanitatem accedit: alii, & ſapientiùs bonos mores. An tu bonos mores quæris in Cruce? Crudeliſſimum eſt ſupplicium. An nobilitatem? Origo ejus ſupplicii eſt à parricidis ſicariis, ſceleratis. An opes? Nudus exponeris: etiam totum ſanguinem prodigere cogêris pro dote. An pulcritudinem? Vile lignum eſt: inter ſepulcreta & cadavera poſitum, ipſis delicatorum oculis intolerabile. Quid ergo denique amabile in Cruce Andreas deprehendit? Quatuor iſta: Pulcritudinem, *Decorem*, inquit, *à membris Domini ſuſcepiſti*: Opes, dedit enim cælum, *Suſcipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo.* Nobilitatem à Chriſti Sanguine, *Qui per te me redemit*: Bonos mores, *O bona Crux, diu deſiderata*, &c. Breviùs & clariùs dico: amavit Andreas crucem, quia in illa reperit omnia amoris objecta, Bonum Jucundum ſeu delectabile, Honeſtum, Utile.

Reperit bonum Jucundum, *O bona Crux*, quia plenus conſolatione interiori, à Deo infuſa: præterquam quòd lætitia eſt amori naturaliter proportionata. D. Paullus, 2. Cor. 1. Sicut abundant paſſiones, ita & conſolatio. Solitum id in Martyribus. Vide Vitam S. Hermyli apud Surium 13. Jan. S. Eleutherii 18. Apr. &c. Reperit bonum Honeſtum: *Quia decorem ex membris Chriſti ſuſcepiſti.* Quid honorificentius, quàm ſimilem eſſe Regi? Quàm rependere Chriſto, quod dedit nobis! Animavit hæc cogitatio excelſas animas, ut dicerent cum Paullo ad Gal. 6. *Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti.*

Ibid. Vide proœm. num. 6.

Reperit bonum Utile: *Redde me magiſtro.* Aſpiciebat Crucem, ut tabulam naufragii, aut potius arcam: ut currum triumphalem: ut ſcalam Jacob. Animati illa cogitatione Martyres, ita ut nil, quomodò loquitur Tertullianus, crus ſentiret in nervo, cum animus in cælo eſſet. Paſſim teſtimonia occurrunt.

En rationes, cur D. Andreas Crucem amarit. En cur deſiderarit, quam alii minùs illuſtrati averſantur. En cur quæſierit, quam alii ultrò oblatam fugiunt. En cur amplexus ſit, quam alii cùm propè ſunt, tangere nolunt. En rationes, cur Cruces noſtras amare debeamus, ò Chriſtiani. At quas, ſi Cruci D. Andreæ comparentur? Quomodò tamen illas amabo, inquis? Primò quia jucundæ erunt, ſi Deo te tradis: & ſecundùm multitudinem dolorum, conſolationes ejus lætificabunt animam tuam. Eſto hoc non ſit: reperies tamen bonum honeſtum, imitationem Chriſti: qua de re conſule, ſi lubet, Bernardum ſerm. de quadruplici debito. Tam potenti conſiderationi adde tertiam: per Crucem redempti, per illam in cælum debemus aſcendere. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur &c.* Si ea, ut decet, in animum demittimus, dicemus cum Andrea, cum Xaverio, cum Martyribus, *O bona Crux &c.* Fer nos in cælum, ut Crucifixi Crucifixum laudemus.

DOMINICA SECUNDA.

THEMA. *Ioannes in Vinculis.* Matth. 11.

Argumentum totum erit de cauſſis, cur Deus D. Joannem, tam innocentem virum, carcere includi & plecti à carnifice voluerit: interim dum Herodes adulter voluptatibus innatabat. Ratio prima peti poteſt ex Chriſti gloria, ad quam D. Joannes, ejus præcurſor, totus ordinabatur, velut ad finem ſuum: præcucurrerat cum vitâ, præcurrat & morte: Sole adveniente, ſtella decedat. Altera, ex ipſius Joannis gloria: nihil enim honorificentius homini probo poteſt accidere, quàm pro Deo, pro virtute, pro veritate pati, & mori. *Vobis datum eſt, non tantùm ut in eum credatis, ſed etiam, ut pro ipſo patiamini.* Tertia ratio petenda ex bono noſtro: ut, præter plurima alia exempla, etiam Joannis paſſione doceamur, Bonis mala accidere ſolere. Cur id fit? Multa in eam rem tradit Seneca libro de Providentia, & omnino Chriſtianè: aliunde etiam materia non difficulter peti poteſt. Nos hanc concionem extendimus Excurſu 3. ſect. 2. ad cap. 2. Machab.

FERIIS HEBDOMADÆ SECUNDÆ ADVENTUS.

SI Fundamenta Bonæ Voluntatis pertractata fuerint, tranſibitur ad Officia eo omninò ordine ac modo, quo habentur in Parte ſecunda. Si tamen ſuperfuturi dies videbuntur vel hac hebdomada, vel ſequenti, dividi poterit * Sectio 1. partis 2. in Conciones duas: ut in prima agatur de malis, quæ nobis à Deo immediatè eveniunt; in altera, de evenientibus à Deo mediatè, per malam hominum voluntatem.

* In Tractatu de Bona Voluntate ſub finem Excurſum ad caput XIV.

Thema iſtis concionibus unicum erit, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

DIE S. NICOLAI.

THEMA. *Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Matth. 25.

Sive feſtum ex conſuetudine fiat: ſive non obſervetur ex Bulla Urbani VIII. tamen, quia iſte Sanctus Dei eſt perecelebris in ejus Eccleſia, poterit pro arbitrio Concionatoris haberi de eo Sermo, conveniens materiæ de Providentia. Poſt narratum Evangelium, & Spiritus Sancti gratiam imploratam ingreſſus ſic fiet.

Quid nomine Talentorum intelligatur hodie in Evangelio, non ita clarum eſt, ut alii aliter non ſentiant. Ego illis ſententiis omiſſis exiſtimàrim ſignificari dona Dei, ſeu ſupernaturalia, ſeu naturalia; ſive externa, ſive interna, ſive ſpiritualia, ſive corporalia: omnia denique: nam omnia data ſunt nobis ad cælum comparandum, & negotiandum pro æternitate. Siquidem nobis dictum eſt, qualeſcumque ſimus *Negotiamini, dum venio*: & quidquid nobis Deus donavit, media ſunt ad gloriam ejus, ac ſalutem noſtram procurandam, qui fines noſtri ſunt. Super hac explicatione ponamus quæſtiones duas. Primam, Cur tanta ſit diverſitas talentorum, donorúmve Dei, inter homines, præſertim inter Chriſtianos, qui ejuſdem fidei & Domini ſunt? Secundam, Cur diverſitas donorum tanta ſit in uno homine, tamquam in S. Nicolao, pro varietate ætatum, temporum, aliarumve conditionum?

Deſcribit Pſalmiſta pſal. 44. Eccleſiam, ut multi interpretantur,

interpretantur, his verbis: *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Et verò benè Regina dicitur, Regi ſummo deſponſa, & conjuncta. Benè à dextris, quam protegit brachium Domini uſque ad conſummationem ſæculi. Benè in veſtitu deaurato, quia aurum Caritatis nota eſt Chriſtianitatis. Benè circumdata varietate, ob mirabiles diverſitates graduum, ordinum, conditionum, ſtatuum qui ſunt in Eccleſia. Adde gratias gratis datas: ut quidam ſint Doctores, alii Prophetæ &c. quidam omnes ferme ſimul gratias habeant, quomodò S. Nicolaus, qui Virgo fuit, Epiſcopus, Doctor, ſpiritu prophetiæ pollens, gratia ſanitatum & miraculorum eximius, Martyris inſtar & Apoſtoli. Certè ſtatim poſt Apoſtolos nominatur à S. Chryſoſtomo in Liturgia ſua. Quid ſi addamus huic varietati diverſitatem complexionum, ex quatuor humoribus inter ſe inæqualiter permiſtis? Quid ſi gradus ingeniorum, & propenſionum conſideremus? Quid ſi interius in animam ad dona gratiæ penetremus? Meritò igitur quærimus, cur tanta diverſitas? Cur non æqualiter omnibus dona ſua Deus diſpertiat? Scio reſponderi poſſe præciſè ex Evangelio: Deum talenta partitum, *Unicuique ſecundùm propriam virtutem*, id eſt ſecundum vires, capacitatem, diſpoſitionem. Sed reſponſio iſta quæſtioni non ſatisfacit. Mox enim ulterius quæretur: Cur iſta virium, capacitatis, diſpoſitionis diverſitas?

Peto ulteriùs, cur tantam in aſpectabili mundo, & rebus infra hominem poſitis, creator varietatem eſſe voluerit? In cælis quàm admirabilis ſtellarum in curſu, magnitudine, ſitu, influxibus, inæqualitas? Quanta in elementis compugnantia? Herbarum & plantarum ſpeciebus libri magni impleti ſunt. Deſcriptiones lapidum omnigenorum, & foſſilium, volumina implevêre. Volucrum viginti ſpecies ſupra centum Aldrovandus numerat: Quadrupedum ducentas Geſnerus: reptilium & inſectorum pauciores non ſunt; plures multò piſcium, quorum ingenia terreſtribus animalibus exæquavit Plutarchus, numerum multi præponunt avium & quadrupedum ſimul ſumptorum numero. Si rationem tot inter creata ſpecierum à te poſtulem, reſpondebis, opinor, ex D. Thoma lib. 3. contra Gentes cap. 97. factum id à Deo ad gloriæ ſuæ & magnitudinis manifeſtationem. Tantus erat creator, ut non ſatis unâ atque alterâ creaturâ ipſius imago exhiberi poſſet: Cælorum itaque vaſtitas ejus immenſitatem, Sol pulcritudinem, Ignis activitatem, Aer intimam præſentiam & communicabilitatem, Terra immutabilitatem, Miſta ſuis ſingula compoſitionibus Potentiam, Bonitatem, Sapientiam repræſentent. Ratio altera ſit, ad ornatum Univerſi. Monochromæ picturæ non ita delectant, quàm diverſi colores: neque unius vocis ſine inflexione ductus æquè auribus placet, ac permutatio unius vel plurium inter ſe. Eodem modo ratiocinare de pictura, & muſica Univerſi. Ratio tertia petitur, ex mutua utilitate: Sole ſtellæ egent ad lumen: his ſublunaria ob influxum: elementis miſta: inſectis aves pleræque ad alimenta, plantis quadrupedia, omnibus homines.

Transferamus haſce varietatis in natura cauſſas, ad varietatem ſtatuum & gratiarum in Eccleſia Dei. Repræſentandæ erant variis imaginibus variæ perfectiones Dei. Pontifices majeſtatem repræſentent, Reges dominium, Doctores ſapientiam, Ambroſius fortitudinem, Nicolaus liberalitatem, Xaverius caritatem, alii Divorum alia: eorum viſis virtutibus, laudent Chriſtiani Deum, diverſimodè glorioſum in Sanctis ſuis. Pulcra eſſe debuit Eccleſia Dei: eſt aula ipſius: eſt Paradiſus terreſtris & hortus deliciarum. In aula regia, non una aut paucæ res ſunt ſpectabiles. In horto niſi areolarum, ſepium, viarum ſit jucunda varietas, quis allicietur ad ſpectandum? Adde utilitatem mutuam. Si omnes ſint divites, quis ſerviet, quis arva colet? Si omnes pauperes, quis juvabit? Si omnes æquè ſapientes, quis volet regi? Si idiotæ omnes, quis reget? Si omnes ſint Sancti, ubi patiendi & caritatis exercendæ materiæ? Si Sancti nulli emineant in virtutibus quibuſdam, ubi ſpectabuntur exempla? Apoc. cap. 12. deſcribitur mulier, id eſt Eccleſia, *amicta Sole:* ſignificantur dignitates, illuſtres gradus in Eccleſia. *Luna ſub pedibus ejus:* qui in nocte perſecutionum, tenebris calamitatum, lumen ſuum fuderunt Martyres. *In capite ejus corona ſtellarum duodecim:* Doctores, qui enim docti fuerint fient ſtellæ in perpetuas æternitates. Dantur *alæ* mulieri, id eſt viri Apoſtolici, qui ad propagandam fidem excurrunt. Denique *terra adjuvit mulierem*, id eſt homines idiotæ & artifices juveſunt Eccleſiam, & aliquando conſtantiâ ſuâ in fide, & virtute magis quam docti. Quiſque in ſtatu ſuo utilis eſt Eccleſiæ: uti ſtellæ ſingulæ in cuſtodiis ſuis. Et verò non eſt opus alio ſtatu, ut quis benè ſe gerat. Tempore Domitiani & Neronis erant multo cerdones, qui meliùs imperatorem egiſſent, quàm ipſi. Sed Deo ſatis erat, ſi benè cerdonem agerent. Deus non attendit in qua materia opereris, ſed quàm benè. Sculptor aliquis in buxo meliùs laborat, quam alius in ebore: aurifaber hic plus in ære placet, quam alter in auro. Ita in ſtatuum & virtutum exercitio accidit, ut dicemus etiam poſtmodum.

Antè enim ſolvenda eſt altera quæſtio: cur Deus non tantùm aliis det alias gratias, ſed etiam uni eidemque homini diverſas. Unum talentum largitur Nicolao, cùm puer eſſet: duo juveni: quinque provecto: Cur non quinque ab initio? Hic optimè quadrat reſponſum Evangelii, *Unicuique ſecundùm propriam virtutem*, id eſt ſecundùm ſtatum ejus, & diſpoſitionem, quam de ſe affert, voluntatem gratiis aptando. Habes liquorem aliquem pretioſum: antequam phialæ infundas, eam digito exploras, & auri admoves, ut percipias an ſonet integram vel fractam. Perfluat anima hominis, & gratiæ liquorem in Sacramentis infuſum ſtatim amittat, frangaturque prima occaſione peccandi. Deus ne facilè alias gratias infundet tam fragili? Maneamus in Chriſti ſimilitudine. Mercator ſervo non ſtatim credit ingentem ſummam, experitur prius in parva: Si ſuper pauca fuit fidelis, ſupra multa conſtituetur, & quaſi anima heri fiet. Ita Joſepho accidit Gen. cap. 39.

Ita & Sancto Nicolao. Puer ſortitur animam bonam, indolem aptam virtuti: en talentum unum. Benè uſo dantur talenta duo, Sacerdotium, & paternæ divitiæ. Etiam illis benè utenti dantur, cum Epiſcopatu, quinque: Gratiæ, Naturæ, Scientiæ, Poteſtatis, Opum, de quibus conſule, ſi lubet, Salmeronem tract. 39. tomi 10. Uſum etiam talentorum ex actis S. Nicolai facilè extendes.

Ad nos redeamus, & documenta duo eliciamus. Primum pro iis, qui multa talenta acceperunt à Deo: alterum pro iis, qui pauca. Habes, Chriſtiane, multa à Deo beneficia: fac ne glorieris; fac bene utaris. Mendicum de ſtipe accepta inſoleſcere quis ferat: quis mancipium de re non ſua, ſed domini? Præterea laus non eſt multum accepiſſe, ſed benè uſum eſſe: non ſola ſunt peccata commiſſionis, verùm & omiſſionis, & cui plus datum eſt, plus repetetur ab eo. Tu verò pauca talenta habes, duo aut unum. Cave invideas, cave abjicias animum, cave conquæraris. Tam qui duo acceperat audivit, *Euge ſerve bone*, quàm qui quinque. In negotiatione quotidie videmus, induſtrium hominem plus paucis lucrari, quàm multis alium: ita & in negotiatione ſpirituali accidit. Nam facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ampliorem, & ampliorem. Utere itaque rectè talento tuo, neque in terram defodias, ſed, ut ait Greg. hom. 31. *Cor à terrenis cogitationibus leva.*

DIE CONCEPTIONIS
D. VIRGINIS.

THEMA. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.* Pſ. 86.

Senſus literalis planus eſt. Applicant D. Virgini Athanaſius, Auguſtinus, Ildefonſus, Bernardus &c. Et quod pluris facio Eccleſia &c. Eum ſenſum ſequemur. Sed ipſius oratio, ad gratiam Spiritus Sancti implorandam, ſit hujus Sermonis, ut & cæterorum, fundamentum. Ave.

D. Petrus, cujus converſionis fundamentum, D. Virginis precibus ac lacrymis, ſecundùm Chriſti gratiam, à multis tribuitur, 1. cap. 2. vult omnes Dei ſervos eſſe architectos: *Superædificamini domus ſpiritualis*, & quidem *cujus culmen pertingat ad cælum:* Sapienter, non ſtultè, ut Gen. cap. 11. O quale ædificium hodie nobis proponitur pro exemplari? *Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Tam excelſi ædificii fundamenta benè ſubſtructa eſſe oportet. Quæ illa ſint, videamus,

Audiſtis hodie genealogiam: quàm nobilem, priſcam, ſanctam in multis? En ortu Matris D. Matris fundamenta. Parum hoc inquit; ergo alia longè firmiora, qui montes ærei vocantur apud Zachariam cap 6. ſunt divinæ Providentiæ & prædeſtinationis æternæ decreta de Conceptione D. Virginis immaculata. Hic recenſe ſeriem decretorum. En ergo fundamenta in montibus ſanctis, id eſt ſanctiſſimis divinitatis decretis. Ex ea explicatione ſequitur tertia: Fundamenta D. Virginis, id eſt Conceptionem, non tantum immaculata fuiſſe, ſed etiam gratiis & actibus virtutum elevata ſuper montes ſanctos, id eſt ſupra merita omnium Sanctorum.

Non ita de Matre noſtra dicamus, ut noſtri ſimus immemores. Nonne & nos habitacula ſumus divinitatis: Ubi ergo fundamenta noſtra? In montibus ſanctis, inquies, id eſt in Eccleſia, & in ſanctorum doctrina, quorum filii ſumus. At quàm multi in Eccleſia non domos Dei poſuêre, ſed habitacula draconum? Aliud ergo etiam fundamentum

quærendum

quærendum eſt, Chriſtus & ejus gratia, ac prædeſtinatio in ipſo. Unde ſciam? Utinam tam fælix ſim! Vide num domus tua ſit D. Virgini innixa, Chriſto pariter innitetur. Non videtis poſt Chriſtum D. Virginis cultum eſſe pro fundamento domibus omnibus religioſis? Recenſini faciles ſunt. Nonne familiis omnibus præcipuus? Nonne domibus omnibus privatis? Ubi fundamenta vitæ noſtræ, à matribus noſtris D. Virgini commendatæ, quando primùm concepti fuimus? Ubi fundamenta infantiæ? Ubi annorum: ubi dierum ſingulorum, nonne à D. V. invocatione? O Virgo, *Glorioſa dicta ſunt de te* in Eccleſia: *memor etiam eſto Rahab*: & fac ut *omnium noſtrum* de tua Conceptione, & beatâ noſtrâ ſpe *lætantium, ſit habitatio in te*.

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Vox clamantis*. Joan. 1.
Recitato Evangelio, & poſt Angelicam Salutationem.

Obvium cuique eſt, quo ſenſu Joannes potuerit dicere ſe vocem clamantis. Erat vox Verbi Divini: Vox gratiæ: Vox boni exempli: Vox clamans, ut ſinguli ſecundum ſtatum ſuum viverent &c. O vocem argenteam, claram, penetrantem, non aures, ſed corda! O ſi tales modò voces audiremus? Quid, quæſo, faceretis? Pœniteret vos peccatorum? Reſtitueretis ablata? Deo in omnibus obediretis? Contenti eſſetis ſtipendiis donorum, & beneficiorum, quæ dat Deus ſingulis prout vult? Hæccine faceretis, ſi una vobis inſonaret vox clamantis Joannis? Atqui non unam quotidie, ſed centena millia auditis: totidem, quot ſunt creaturæ. Eſtné creatura ulla, quæ non ſit vox Verbi, per Verbum facta, ad Verbum ut finem? Eſtné ulla, quæ non poſſit ſano ſenſu appellari Joannes, id eſt Gratia Dei? Tum quia gratiâ Dei eſt, id quod eſt: tum quia in hominis gratiam producta, qui ideò ultimo loco productus eſt, ut in mundum induceretur, velut convivæ aut ſpectatores ad convivium & ludum antè præparatum, ut advertit Philo libro de mundi opificio. Eſtné creatura, quæ nobis non inclamet verba Bernardi, *Accipe* ſeu utere. *Redde* gratias Deo, *Cave* abutaris: tria puncta, & unum exemplum? Eſtne ulla, quæ nobis facturâ ſua, & exemplo, non commendet illa, quò Sermones Joannis omnes ſpectabant, à Deo regi omnia, & nos ab eodem regi debere? Audivimus quidem eas voces, cùm primum tractatûs hujus fundamentum jaceremus: vociferati ſunt nobis ſimul tres mundi: Sed nunc exactiùs & diſtinctiùs iiſdem auſcultemus. Pertexantur cætera * ſectionis 1. in parte 2. à numero 10. ad finem uſque.

* In Tractatu de Bono Voluntate ſub finem Excurſum ad caput XIV.

FERIIS HEBDOMADÆ III.

QUod ſupererit Officium Bonæ Voluntatis, abſolvatur: Dein transeatur ad Adjumenta, quo ordine ac modo expoſita ſunt. Thema pro primo erit, *Gloria in excelſis Deo*: itidem pro ſecundo, quia ex comparatione Providentiæ humanæ, magis elucet gloria Divinæ. Pro tertio thema erit, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: à contrario enim in terra infælicitas, & inquietudo, hominibus malæ voluntatis. Si videatur diei alicui defuturum ſuum argumentum: ex primo Adjumento, ubi materia valdè luculenta eſt, commodiſſimè fiant conciones duæ.

DOMINICA IIII. ADVENTUS.

THEMA. *Parate viam Domini*. Luc. 3.
Poſt enarrationem Evangelii, & Salutationem Angelicam.

Verba quibus Joannes uſus, & quæ ſingulis Adventûs diebus, jam autem præcipuè, Eccleſia uſurpat, nihil aliud ſignificant, ſi in litera hæremus, quàm diſponite vos ad excipiendum Salvatorem, ſeu, ut loquitur Gregorius lib. 19. Mor. cap. 3. *In corde veſtro venienti ſapientiæ aditum reſerate*. Nihilominùs Interpretes varii varia congeſſere. nemo nitidius quàm Ambroſius ſerm. 65. *Videamus ipſe Joannes, qui parare viam Domino jubet, quam ipſe paraverit Salvatori. Per omnia planè advenienti Chriſto tramitem vita ſua compoſuit, & direxit*. Via ergo eſt vita noſtra. Cui Ambroſii explicationi filius ejus ſpiritalis videtur conſonare, lib. de Eccl. Cath. moribus cap. 7. *Vera religionis fide præceptiſq́ ſervatis, non deſeramus viam, quam nobis Deus, & Patriarcharum ſegregatione, & Legis vinculo, & Prophetarum præſagio, & ſuſcepti hominis Sacramento, & Apoſtolorum teſtimonio, & Martyrum Sanguine, & Gentium occupatione munivit*. Sanctorum iſtorum Doctorum exemplo dicamus, Viam Domini non aliam eſſe, quam Bonæ Voluntatis: per illam ad nos Dominus venit, per illam debemus ire ad Dominum: neque ullam inveniemus meliorem, quocumque nos vertamus. Via, opinor, ut optima ſit, Recta imprimis eſſe debet: Plana: Nuda: Clara.

Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem, quando ſeſe vult regere. *In circuitu enim ambulat*, & ad ſe ſemper reflectitur, id eſt ad malum. Contra, *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas*, quantumvis obliquæ videantur eminùs aſpicientibus. Non jam Joſephum, Abrahamum, Moſen oſtendo: illum exulem, iſtum peregrinum, hunc errantem. Joannem conſidera qui parari viam jubet, quâ ipſe viâ inceſſerit, quàm rectâ, quàm citò pervenerit, quia Dei voluntate ambulavit; à parentibus ſemotus, quos amabat; à Chriſto ipſo abſens, quem unicè anhelabat. Si auſteritatem Joannis iſtius horres, contemplare viam Domini naſcentis in Bethleem, euntis in Ægyptum, revertentis in Nazareth, &c. aſcendentis in Crucem: ambages iſtæ putentur, ſi oculi fidei deſint: at oculatis nihil apparet rectius. Omnia enim exacta ſunt ad ipſam rectitudinem, Dei voluntatem. Quid fecit Chriſtus? Quod Pater voluit. Quid paſſus eſt? Quod Pater voluit. Interroga naſcentem, cur hic, ſic, jam, &c. Reſpondebit, *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam*, &c. Cur cum Samaritana agat, &c. ſciſcitare: dicet, *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem*, &c. Cur omiſſis doctis pauperes elegerit: *Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te*. Quæ verba in horto audis? Quid ſibi vult iſtud, *Conſummatum eſt*. &, *Pater in manus*, &c?

Inceſſit ante nos Chriſtus eâ viâ, & quidquid aſperum erat, exemplis ſuis complanavit. Quamquam quid aſperum poteſt eſſe, ubi eſt Dei voluntas? Nihil enim illi reſiſtit: nec voluntati ejus, qui vult quod vult Deus. Nec montes occurrunt temeritatis præſidentis: nec valles depreſſæ & abjectæ puſillanimitatis. Qui non plus vult, quàm Deus expetit, non plus vult quam debet. Qui patitur quod Deus vult, numquam patietur ſupra id quod poterit, quia Deus faciet cum tentatione proventum. & *ubi plus periculi, ibi plus auxilii*, ut dicit Ambroſius, &c.

Nudiſſimam eſſe viam neceſſe eſt, cùm ipſi placeat Puritati. Nihil magis à præteritis peccatis expurgat, quàm voluntas Deo ſubjecta: bonum latronem intuere, &c. Nihil magis præſentia impedit, & futura prævenit: ut de ſe Gregorius Lopez, celebris in Mexicano regno anachoreta, non pridem mortuus, teſtatus eſt, eo exercitio maximas ſeſe tentationes evaſiſſe. Dicebat enim ferè continenter, *Domine fiat voluntas tua*. Longè frequentiùs, quàm D. Gertrudis, cui ſolemne trecenties ea verba quotidie pronuntiare.

Clariùs autem illâ viâ quid eſt, quam Claritas domini circumfulſit, Sol in nocte ortus? Cùm audimus gentem eſſe, ubi nox annum medium durat, quàm triſtis imago nobis videtur? Triduum unum noctis perpetuæ triſtiſſimum fuit Ægyptiis. Ita ſunt qui ſeſe regere volunt. In tenebris ambulant, neſciunt quò vadant, palpant etiam in meridie: cæci ſeipſos cæcos ducentes, &, ut Bernardus loquebatur, ſtulto ſe diſcipulos tradentes. Deo laus, *nox præceſſit, dies appropinquavit*. Luminoſiſſima eſt via Regia ſanctæ Crucis, quia Regia. Rege per tenebras incedente, ubique accenduntur funalia: Chriſto per viam Crucis incedente, arſerunt piorum corda, & totam illam ſemitam ita illuminaverunt, ut quamvis Chriſti exemplum deeſſet, à Sanctorum tamen ipſum ſequentium exemplis dicere poſſet veriſſimè, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*. Sol lucet, Luna lucet, ſtellæ lucent: undique dies oculis ingeritur. Ambulemus in lumine Dei noſtri. O Chriſte rectitudo ipſa deduc nos: Æqualitas complana nos: Puritas expurga nos: Lux illumina nos.

FERIIS HEBDOMADÆ IIII.

TRactentur Fructus bonæ voluntatis. Pro primo thema ſit *Gloria in excelſis Deo*: pro aliis duobus *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Epilogus quartam Concionem faciet, præfixo utroque themate. neque omittendus videtur, etſi Adventus brevior eſſet: potiùs contrahendæ forent aliæ Conciones.

DIE S. THOMÆ.

THEMA. *Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didymus*. Joan. 20.
Thomæ nomen duo ſignificat, Abyſſus, & Geminus. Ex hoc Evangelio verè fuit Abyſſus D. Thomas, & quidem

quidem duplex, miſeriæ & miſericordiæ: abyſſus abyſſum invocavit. Fuit geminus facie duplici, unâ horrendâ peccatoris, aliâ pulcerrima pœnitentis & Juſti. Utramque intueamur: illam pinxit liberum arbitrium, hanc gratia, quam imploremus. AVE.

Ex frequentiſſimis pariter & maximis Providentiæ divinæ miraculis, eſt rerum compoſitio ex contrariis, & viciſſitudo perpetua. Siracides cap. 33. *Duo contra duo, unum contra unum.* Intuere mundum magnum, tempeſtates annuas, elementorum pugnas, lucis & tenebrarum alternationem. Intuere mundum politicum; nunc pacem, nunc bellum; nunc proſperitatem, nunc adverſitatem; nunc ortus regnorum, nunc interitus. Intuere mundum parvum, id eſt hominem, quæ pugna in humoribus, quæ varietas in ætatibus, quæ in membris ſanitateque mutatio? Quid autem ſi interiorem hominem inſpicias; nunc bonum, nunc malum; nunc in cælos erectum, nunc in terra repentem; nunc totum Dei, nunc totum ſui; nunc peccatorem, nunc juſtum? Neque in hominibus tantum idiotis tales mutationes permiſit Deus, ſed etiam incolumnis cæli, in Apoſtolis ſuis, ut ſi quando, quod abſit, fragilitas noſtra ad malum nos trahat, animum non deſpondeamus, neque obſtupeſcamus, tamquam ad rem inſolitam.

Thomas ille tam generoſus, ut mortem cum Chriſto, & pro Chriſto, provocaret, *Eamus & nos, & moriamur cum eo:* ille talis ante Chriſti mortem, quo devenit poſt mortem? Ad abyſſum & fundum peccati. Unde tamen mox ad altiſſimum ſanctimoniæ culmen ſurrexit, gratia Chriſti reſuſcitati. Dubitari non debet, quin peccatum D. Thomæ fuerit Infidelitas & quidem poſitiva. Varia enim ſunt Infidelitatis genera, & ſpecies &c. Non dubitavit Auguſtinus ſerm. 59. *Dum curioſus exiſtit in vulnere, mortem incurrit in fide.* Ea infidelitas fuit Hæreſis, cùm pertinacia. Acceſſit Superbia, quod alios præ ſe contemneret: Præſumptio, quod vellet tangere Chriſtum, & pro ſe fieri miraculum: Obduratio ad tot dies, & tot ſine dubio Apoſtolorum obteſtationes. Cauſſæ iſtorum peccatorum fuerunt, Abſentia à bono conſortio, alia Infidelitas, Paſſio vehemens. Hæc facilè extendentur, tum ex rei ipſius natura, tum ex Interpretibus, præſertim Toleto.

En Thomam valdè malo loco: numquam forſan tam malo ipſum vidiſtis. Sed manete tantiſper, & miraculum miſericordiæ intuemini. Venit Chriſtus, fornacem amoris geſtans in pectore, ut expellat frigus omne peccati &c. Compenſat Thomas Fide Infidelitatem, *Deus meus* &c. adeò ut proponatur ab Eccleſia pro exemplo fidei in Collecta hodierna. Conſtantia ſuccedit pertinaciæ, in tot Apoſtolicæ vitæ malis patiens &c. Humilitas contundit ſuperbiam, placet ipſi ut peccata ſua publicentur. Præſumſumptionem vera ſpes expellit, inde miracula. Obdurationi longæ opponitur diuturna per Indias peregrinatio cum laboribus.

Habemus timendi materiam in D. Thoma, talis, &c. Multò majorem ſperandi: clamat nobis idem, quod D. Paullus, *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus &c.* Quid duos numeramus, cum innumeri? Dicimus, Judicium extremum eſſe Theatrum divinæ Juſtitiæ. Mihi videtur, non minùs eſſe Theatrum Miſericordiæ. Fingamus nos ibi eſſe, nec jam in turba eorum, qui à dextris ſunt, hæreamus; ſed eos intueamur, qui ſedent ſuper ſedes duodecim? Quinam illi fuerunt? Spero, Chriſte, per ſuavem & fortem tuam gratiam fore, ut, unà cum illis, providentiæ tuæ mirabilia, & miſericordias tuas, in æternum cantem.

NATALI CHRISTI.

THEMA. *Pax hominibus.* Luc. 2.

Totus ſermo erit de quadruplici pace, per Chriſtum naſcentem hominibus oblata. Parvulus noſter Samuel, poſtulatus tot votis à Deo, & conceſſus, ingreditur in Bethleem: pacificus eſt ejus ingreſſus. Pacem primam offert, concordiam voluntatum divinæ & humanæ, quæ, antè inter ſe diſcordes, jam in una perſona mirè conveniunt, & Deus eſt in Chriſto mundum reconcilians ſibi, eique pacem ultro accini jubens per Angelos ſuos. Altera eſt tranquilla libertas à jugo peccati, ſub quo nos vetuſta ſervitus tenebat. Tertia, eſt ordinatus rerum appetitus: docet enim nativitatis ſuæ circumſtantiis temporalia contemnere, quibus bella & turbæ in animis hominum cieri ſolent. Quarta, eſt affluentia bonorum omnium ſpiritalium, quæ nobis dives cæli negotiator datum venit paupertate ſua. Concludi poterit adhortatione ad caritatem, & concordiam mutuam, in die pacis: cùm enim *Natalis Chriſti*, ut ait D. Leo, ſit *natalis pacis*, fideles offerre ipſi debent, *pacificorum concordiam filiorum.* Argumentum hoc tractamus fusè Excurſu ad cap. 13. Mach. ſect. 6.

DIE S. STEPHANI.

THEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Ante Salutationem Angelicam, quæratur, cur feſtum Sancti Stephani fiat ſtatim poſt Natalem? Vide Baronium in Martyrologio, & Concionem S. Fulgentii: Subde pro ultima ratione, quia verè fuit homo bonæ voluntatis, cui Nativitas Chriſti pacem attulit, & ſpiritalem Nativitatem. AVE.

Heri diximus de quatuor ſignificationibus Pacis; de particula autem iſta, Bonæ Voluntatis nihil. Variæ ſunt explicationes: quidam legunt Bona Voluntas: alii dicunt Bonæ voluntatis referri ad Pacem: alii & communiter referunt ad Homines, & hi dupliciter explicant, pax hominibus quibus benè vult Deus, aut qui benè volunt, ſuam voluntatem dirigendo ad Deum. Conſule Interpretes. Oſtendemus utroque modo D. Stephanum fuiſſe Hominem Bonæ Voluntatis, & meritò illi Pacem nuntiatam. Benè Deum voluiſſe Stephano, colliges ex prærogativis, quas congerunt varii. Electus è primis diſcipulis, forſan è 72. Diaconus. Primus Diaconus ſive Archidiaconus. Inde Spiritus Sancti gratia aucta. Miracula patrata. Prædeſtinatus ut eſſet Protomartyr. Spectante, juvante, pugnante pro ipſo Chriſto.

Bonæ Voluntati Dei reſpondit ipſe bona ſua voluntate. Voluit quod Deus: *Intendens in cælum vidit gloriam Dei*, & ſalutem hominum, nil aliud reſpexit. Conſidera in Concilio Vult Deus patientiam, & ut mala toleremus, etiam per hominum malam voluntatem accidentia: tulit Stephanus, audi orantem, imitatur Chriſtum, ſecuti alii.

Io terra Pax homini bonæ voluntatis. Vis Stephane quod Deus vult; vult ipſe quod vis, te ſalvare. Libertatem habebis, efferêris ſupra minas, calcabis mortem ipſam. Appetitus erit tranquilliſſimus, facieſque Angelica vultum animi ſerem teſtabitur. Affluet tibi abundantia bonorum omnium, cum vita æterna. *Finis enim hujus civitatis* Jeruſalem apud Aug. 19. de Civ. cap. 11. *vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus eſt.* Ad eamdem coronam cum Stephano enitamur, iiſdem gradibus voluntatis.

DIE S. JOANNIS.

THEMA idem.

Apud homines magni fit iſte titulus Homo boni judicii, ſensûs, ingenii, converſationis &c. Quid autem iſta ſine bona voluntate? Facit voluntas bonum: intellectus doctum. Amiſit diabolus bonam voluntatem, non bonum intellectum, & tamen diabolus eſt, &c. Exemplum bonæ voluntatis in D. Joanne. D. Virgo mater Chriſti & Joannis. AVE.

Ingreſſus ſit ex D. Thoma p. 1. q. 20. a. 1. *Utrùm amor ſit in Deo:* tum a. 2. *Utrùm omnia amet*, & quomodò aliter quàm nos: denique ex a. 4. in corpore, quid ſit Deo magis diligere, ſcilicet majus bonum velle. Unde colligo clarè, cùm Deus ſingulariter Sanctum Joannem dilexerit, plurima ipſi bona contuliſſe. Prærogativas Joannis congeres huc, ſi placuerit. Ego contentus eſſem duabus: Virginitate corporis eximia, ita ut ne D. Virginem quidem umquam dicatur fixè intuitus, Virginitate animi, ut putetur numquam mortaliter peccaſſe, diſcipulus ille non moritur, & quod de D. Matre Ambroſius, *Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente.* Nec mirum cum Caritas tanta eſſet in ejus corde, quæ eum faciebat hominem perfectiſſimæ voluntatis. Vide ejus epiſtolas Canonicas. Audi perpetuum de Caritate monitum cùm eſſet Senex. Attende quid fecerit pro adoleſcente ſicario. Tam bona voluntas ſine pace eſſe non poterat: hinc illa animi compoſitio, vultus æquabilis, libertas à paſſionibus &c.

DIE SS. INNOCENTIUM.

THEMA idem.

Apud S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. dixerunt aliqui Innocentes Martyres fuiſſe homines bonæ voluntatis activæ. Fuiſſe eis acceleratum uſum rationis &c. Sed certum eſt fuiſſe tantum Bonæ Voluntatis paſſivæ. AVE.

In tragœdia hodierna actores duo ſunt præcipui: occultus unus, alter apertus. Hic eſt Herodes Aſcalonita, qualis vir? Alter, eſt Deus, ſine quo Herodes nil agere potuit, &c. & à quo ad bonum directa mala. Illius Injuſtam crudelitatem videbimus: hujus ex illa Juſtam bonitatem, tam malo inſtrumento, tam miſericorditer utentis.

Injuſtitiam

Injuſtitiam Herodis aliqui voluerunt minuere, quod parentibus non invitis cædem patrarit, ideò non videri patres reſtitiſſe, tantum audiri luctum Rachel, id eſt matrum: imò ad inducendos parentes, occiſum ab eo ſuum filium. Excuſatio calva, ſine cauſſâ, innoxios, pueros, in quos jus mortis patres non habent, occidere qui liceat? Sed eſto Injuſtitia tanta non ſit: quis tamen Nero, Tamirlanes, Barbarus non odio ſit, ſi in eos annos ſæviat? Adde tanto numero: eodem tempore, cùm Pharao tolleret unum poſt alium, prout naſcebantur: cauſſam, ex ambitione: finem, ut Meſſiam tolleret.

Relinquamus Monſtrum iſtud, Dei Juſtitiam & Bonitatem attendamus. De Juſtitia antiqui aliqui videntur laboraſſe: ideoque dixiſſe, vel ob peccata futura, vel ob præſentia, permiſſam à Deo cædem infantium. Effugia iſta, nolumus, cùm pateat Juſtitia Dei: primo, quòd ſit Dominus vitæ: fructus immaturos decerpit hortulanus, &c. Secundò, Ob cauſſam ſuperiorem, & magis ad bonum commune ſpectantem, inferior & minus utilis corrumpitur. Tertio, peccata parentum puniuntur, qui Chriſtum & Mariam non exceperunt in diverſorio, & turbati ſunt cum Herode. Ita primogeniti in Ægypto occiſi propter Patres. Quartò, parvum malum compenſantur maximo bono, titulo & honore Martyrii. Quid de iſta re Patres dicant, quid Eccleſia. Martyres etiam in utero matrum enim infantes nondum nati, ſi commorantur matribus in fidei cauſſâ. Ab Herode diſcimus, imperare affectui erga res temporales. Effrænis abripit hominem, & præcipitat paullatim ad ima vitiorum. Neque ambitio ſolum, ſed avaritia, ſed luxuria: numquam dicunt, ſufficit.

A Deo diſcamus, omnia in bonum convertere. *Diligentibus Deum*, ut ait Rom. 8. Paullus, *omnia cooperantur in bonum.* Bonis ſpiritualibus, ad profectum utantur: bonis temporalibus, ad caritatem: malis ſpiritalibus, ad humilitatem: malis temporalibus, ad patientiam & augmentum virtutum omnium.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVITATIS.

THEMA. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in Reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.* Luc. 2.

Legitur hoc Evangelium in Octava Nativitatis. 1 Quia de infantia Salvatoris agit. 2. Quia quomodo dicitur D. V. conſervaſſe omnia verba paſtorum, ita & hic Simeonis. 3. Quia Simeon divinum horoſcopum facit de Chriſto infante, ipſique eventuris: Explicabimus. AVE.

D. Auguſtinus, diverſos in igne damnatorum effectus conſiderans, lib. 21. de Civ. cap. 4. oſtendit eamdem effectuum diverſitatem naturaliter eſſe in palea, & in igne. Conſule eum locum. Chriſtus recens natus Ignis eſt divinus, & quidem jacens in Palea, & quaſi Palea ipſemet repoſitus in præſepio. Effectus varios ejus ignis, & Paleæ, inſignis Philoſophus Simeon demonſtrat, *Ecce*, &c. Quomodo in ruinam, quo naſcente canitur Pax? Quomodo verò in Reſurrectionem, ſi in ruinam? Quomodo ſignum cui contradicetur, quem omnes amare deberent, gloriamque ac pacem cum Angelis accinere? Difficultates enodemus.

Apud Toletum, Salmeronem, Maldonatum, aliosque, abunde invenies, quibus ſententiis poſſit dici veniſſe Chriſtus in ruinam. Deinde quibus etiam in Reſurrectionem. Denique, quomodò in ſignum cui contradicetur, id eſt ſcopum jaculatoribus propoſitum: qua de re inſignis eſt Origenis ſententia, quomodò in omnibus Chriſto contradictum ſit. Præcipuè tamen in Paſſione *ſuſtinuit tamen adverſus ſemetipſum à peccatoribus contradictionem.* Imò & religioni ipſius contradictum, & modò &c.

Ex illis Concludamus, primo, Zelum nobis eſſe debere defendendi Chriſti adverſus contradictores. Opprobria exprobrantium ipſi cadant ſuper nos: *Bonum nobis, ſi nobis dignetur uti pro clypeo*, ut dicebat Bernardus. Secundò, ſi alii in ipſum jaculentur, ut ſcopum ſuæ averſionis: nos in illum omnes actiones noſtras, & affectus dirigamus, velut ſcopum noſtræ bonæ voluntatis. Ipſe eſt α & ω principium & finis. Ex ipſius gratia orta bona voluntas, ad eum revertatur, ut iterum fluat. Ita nobis erit Chriſtus non in ruinam, ſed in Reſurrectionem.

DIE S. SILVESTRI.

THEMA. *Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes.* Luc. 12.

Parabolas binas exhibet Evangelium, eodem fine utramque, ut doceamur eſſe paratu ad mortem. Neſcimus certè an ſequentem annum, etſi tantillo tempore à nobis diſtet, viſuri ſimus. Opto tamen in anteceſſum cum votis optimis, &c. Videmus fuiſſe vigilantem S. Silveſtrum. AVE.

Si quæ res eſt, in qua debemus eſſe Reſignati, Indifferentes, Fiducia pleni, quæ Officia numeravimus bonæ voluntatis, ea eſt mors noſtra, quam neſcimus quando Deus nobis aſſignarit. Pendeamus igitur in futurum à Dei voluntate, qui vitæ noſtræ poſuit terminos, qui præteriri non poterunt: permittamus nos ejus Providentiæ, & reſignemus, quando nos mori volet. & ut faciliùs utrumque illud faciamus, fidamus Deo, ſperemusque futurum, ut mors non accidat nobis, niſi ad bonum noſtrum. Ne tamen fiducia noſtra malè fundata ſit, & evadat in præſumptionem, demus operam, ut benè ordinemus vitam noſtram, & noctis hujus vigilias diligenter agamus. *Beati* enim *ſervi*, &c. Exemplum nobis proponitur in D. Silveſtro. Vigilias quatuor noctis olim fuiſſe conſtat, ſuntque etiam hodie apud pleroſque. Nox vita noſtra eſt, præ die æternitatis: quatuor ejus vigiliæ, Juventus, Virilitas, Senectus, Ætas decrepita, etſi alii aliter partiuntur. Pueritiam non numero, quia vix vigilia eſt, dormit plerumque ratio. In Juventute complector adoleſcentiam. Virilitas maturos cogitando & agendo annos, in vegeto adhuc corpore, comprehendit. Senectus in declivi eſt, affectis jam viribus, ſed nondum abjectis. Decrepitam ætatem voco, quæ Pſalmiſtæ vocatur *labor, & dolor.*

Prima vigilia Silveſtri acta ſub Cyrillo Presbytero, & qualiter. Olim ſoliti ſe dare in diſciplinam virorum proborum: Origenes puer Clementi traditus: Gregorius Thaumaturgus Origeni: Martinus Hilario &c. Quid jam agendum.

Alterâ vigiliâ, fit Sacerdos. Quanti gradus ille faciendus: quomodo fierent olim impulſu populi, uti Paullinus, Auguſtinus &c.

Tertiâ, Pontificatus Maximus. Miracula ab eo patrata poſſunt per prætermiſſionem narrari ex Baronio. Vera Sanctitas in operibus. Duo ſtringo, Arii condemnationem, Conſtantini converſionem. Per hanc dici poteſt S. Silveſter Apoſtolus totius orbis, ſicut S. Remigius dicitur Apoſtolus Franciæ ob Regem Clodovæum converſum.

Quartam vigiliam non attigit S. Silveſter. Neque intereſt quando moriaris, dum benè. Qui primâ vigiliâ deprehenduntur vigiles, æquè audiunt *Beati*, atque qui quartâ. Somnus peccati vitandus omnibus, omni ætate: quia neſcimus, quâ horâ venturus ſit Dominus. *Omnibus dico, vigilate*, Videte vobis, & providete in futurum, ut & vobis provideat Deus.

DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus IESVS.* Luc. 2.

Poſt vota fælicis anni, ut ſolet, præmiſſa, dicatur non ſufficere optari bonum annum, ſed diſcendum modum eum habendi, quod jam fiet. AVE

Si quæremus, quis optimus vitæ noſtræ annus, alii aliter reſpondebunt, pro genio ſuo & affectu. Chriſtiano optimus ille eſt, qui maximè de bona æternitate participat, eò tendit, Æternitati pingit, laborat: Agit, Abſtinet, Suſtinet. Huc refer* priorem numerum tertium & quartum. Ut benè agamus, ſumamus nomen JESU: ut abſtineamus, cultrum circumſionis: ut ſuſtineamus, lacrymas & Sanguinem Chriſti circumciſi. *In Tractatu de Bona Voluntate ſub finem Excuſſum ad caput XIV.

Omnia in nomine Domini IESV, bonas actiones, imò & indifferentes, &c. Vide hac de re Chryſoſtomum Oratione habita Calendis, ad illud, *Omnia in gloriam Dei facite.* Flores inſcripti nomina Regum, aut potiùs Regis Regum, naſcuntur in terris Chriſtianorum.

Non ſufficit agere in nomine JESU, niſi abſtineatur in ejus nomine, circumcidantur non tantùm peccata, ſed occaſiones peccandi. Xenia milites Duci, ſubditi Principi, filii parentibus hodie offerunt. Chriſto nihil nos hodie melius, quàm ſeriam voluntatem hoc anno, qui forſan poſtremus nobis erit, abſtinendi à peccatis. Quid enim nobis prodeſt, ſi univerſum mundum lucremur, animæ detrimentum patiamur? Quò abiêre anni præteriti? Quid nobis inde ſupereſt, ſi malè viximus, &c.

Nec tantùm mala culpæ caveamus, ſed mala pœnæ patiamur. Pati facile eſt: pauci noſtrum ſine dolore annum præteritum tranſiêre, pauci hunc tranſibunt. Demus operam, ut benè patiamur. Bonæ voluntatis homo hoc facit: Conſiderationes potentiſſimas in eum finem attulimus, toto hoc Tractatu. Addi pro coronide debent lacrymæ Chriſti. Si tanti facit ipſe lacrymas noſtras;

 ut

ut ponat in conſpectu ſuo; ponamus & nos ipſius fletum puerilem in conſpectu noſtro, jungamus & ſanguinem. *Venient ſine peccato, non tamen ſine flagello*.

Claudatur concio iteratis votis anni Chriſtiani, & vitæ fœlicis. Fieri poterunt verbis, quæ Moſes juſſu Dei Sacerdotibus olim præſcripſerat. *Sic benedicetis Filiis Iſraël, & dicetis eis*, &c.

Poteram iſthæc omnia multò fuſiùs extendiſſe. Sed viſum eſt meliùs induſtriæ Concionatoris aliquid relinquere, ut rem ſuam faciat. Sua enim plerique lubentiùs, honeſtiùs ſaltem, dicunt. Quamquam etiam non rarò evenit, ut melius aliena quidam dicant, quàm alii ſua, quia vel ſunt corporis habitudine, vel animi præparatione meliore. Quomodò interdum accidit, ut procuratores mercatorum plus eorum diſtrahendis mercibus lucri faciant, quam mercatores ipſi: quia negotiationem majore vel induſtria, vel fœlicitate exercent. Id tibi opto, ſi quis hiſce aliiſque noſtris utêre.

INDEX ALTER
IN DOMINICAS, FESTA,
ET FERIAS ADVENTVS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

THEMA. *Videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate* Luc. 21.

Evangelium quamvis breve tres tamen partes habet, primam de ſignis quibuſdam Judicium præcurſuris; alteram de adventu judicis; tertiam quomodo ſe tunc habere debeant Apoſtoli eorumque diſcipuli. Hærebimus in altera poſt invocatum Spiritum Sanctum ope Virginis. Ave.

Adverto in Evangeliis quatuor Dominicarum Adventus totidem nobis Chriſti Salvatoris noſtri titulos conſiderandos proponi, ut nos ad ipſum convenienter excipiendum diſponamus. Hodie proponitur ut Judex. *Videbunt Filium hominis* &c. Dominicâ ſecundâ exhibetur ut Meſſias, cùm ab ipſo quærunt diſcipuli Joannis: *Tu es qui venturus es*, &c. Tertiâ deſcribitur ut amicus, cùm de illo dicit Joannes Phariſæis: *Medius veſtrûm ſtetit*. Quarta vocatur Dominus à Joanne, & ab Iſaia: *Parate viam Domini*. Quænam verò via paranda eſt illi Domino, qui ſpecie ſua & pulcritudine procedit & regnat, niſi via caritatis & ſinceræ dilectionis? Quid illi tam familiaris converſationis unico reddemus melius, quam ſpem & fiduciam? Quid Meſſiæ & Doctori debemus magis, quàm fidem firmam & ſubmiſſam credulitatem? Quid convenientius ſummo Judici offeremus, quam ſanctum & Chriſtianum timorem? En Adventûs totius argumentum ſolidiſſimum & utiliſſimum. De caritate dicemus, de ſpe, de fide, de timore. Timor erit cæterarum virtutum fundamentum: timoris ipſius fundamentum erit Chriſtus Judex, qualem ſe ipſe pingit: *Videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate*. Videamus nunc illum eminus, comminùs ſpectaturi aliquando.

Quis Judex erit? Quæ poteſtas ejus? Quæ majeſtas? Duo tribunalia & poteſtates duas judiciarias habet Chriſtus. Miſericordiæ unam, alteram Juſtitiæ. Pœnitentiæ unam, alteram pœnæ: unam in hac vita, alteram in alia. In utraque Filius Dei, & filius hominis eſt: in utraque tamen diſertè dicit ſe filium hominis, non autem Filium Dei. Matth. 9. cùm paralytico peccata remiſiſſet. *Ut ſciatis*, inquit, *quia filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata*. En de tribunali Miſericordiæ. Jam de tribunali Juſtitiæ: *Videbunt filium hominis*, &c. Et cùm ſederet quaſi reus ante Caipham, *A modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. An ergo propriè Chriſtus, qua homo, Judex erit? Sive an propriè loquendo Perſona Verbi divini judicabit per ſuam naturam humanam? Omnino ſicut per naturam humanam Deus paſſus eſt & judicatus, ita & per illam cognoſcet de meritis ſingulorum, & extremam ſententiam pronuntiabit. Pete ab Auguſtino, ecquis & quà ſit judicaturus: Reſpondebit in pſ. 96. *Ille qui ſtetit ante judicem, ille qui alapas accepit, ille qui flagellatus eſt, ille qui conſputus eſt, ille qui ſpinis coronatus eſt, ille qui colaphis cæſus eſt, ille qui in ligno ſuſpenſus eſt, ille cui pendenti in ligno inſultatum eſt, ille qui in cruce mortuus, ille qui lancea percuſſus, ille qui ſepultus eſt*. Particulatim magis ſignificari non poterat Chriſtum, quà hominem, judicaturum. Id ipſum in ſymbolis omnibus Chriſtiani innuunt, quando poſt Verbi incarnationem vitam, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, & ſeſſionem ad dexteram Patris, quæ omnia humanæ in Chriſto naturæ propria ſunt, ſubditur, venturum *judicare vivos & mortuos*. Et D. Petrus Act. 10. Cornelium Centurionem catechizans: *Ipſe eſt*, inquit, *qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum: huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent*. Quorſum autem tot teſtes, cum Chriſtus ipſe apertè dicat Joan. 5. *Pater omne judicium dedit Filio, & poteſtatem dedit illi judicium facere, quia filius hominis eſt*. Cauſſas autem cur Pater dederit *Filio judicium, quia eſt filius hominis*, recenſet D. Thomas 3. part. q. 59. a. 2. in corpore, & a. 3. Reduci poſſunt ad capita tria: primum ex Chriſti meritis, alterum ex gratia unionis hypoſtaticæ, habituali, capitis, tertium ex modo agendi Providentiæ divinæ, quæ ſicut homines regit per homines, ita & judicat.

Ne autem putes, ideò minus formidabilem fore judicem, quia judicabit quà homo, ſubditur, venturum *cum poteſtate magna*. Verè magnâ; imò maximâ: Primùm homines omnes & Angelos complectitur, nemo erit exceptus. Vide ea de re D. Thomam art. 6. D. Auguſtinus adhuc Presbyter ſcribebat Maximino Epiſcopo Donatiſtæ, ep. 203. *Tranſit honor hujus ſæculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio, nec abſida gradata, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem, ubi cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare. Quæ hic honorant, ibi onerant: quæ hic relevant, ibi gravant*. Quod Sanctus Doctor de Epiſcopo Donatiſta dixit, hoc de nobilibus, divitibus, Principibus, Regibus, Cæſaribus, Pontificibus dicamus. Æqua omnes ſorte ſtabunt impotentes coram poteſtate magna: *omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, judicaturi vivos & mortuos. Secundò poteſtas ea maxima eſt, quia ad cauſſarum omne genus extenditur, ad gravia, & venialia peccata; ad manifeſta, & occulta; ad actiones, & cogitationes; ad ſcriptiones, & locutiones. Cyprianus ep. 69. literas tum ſuas, tum Pupiani dicit *in die judicii ante tribunal Chriſti* recitatum iri. Auguſtinus ep. 162. ſcribit ſermonem fore Donatiſtis teſtem & accuſatorem in judicio. Hieronymus in illud Dei apud Sophoniam c. 1. *Scrutabor Jeruſalem in lucernis: Omnia*, inquit, *vitia ſcrutabitur Dominus in Jeruſalem, & in medium proferet, & de otioſo quoque verbo fiet judicium*. Eamdem prophetæ ſententiam expendit Bern. ſerm. 55. ubi notanda hæc verba peccatoribus: *Quid tutum in Babylone ſi Jeruſalem manet ſcrutinium?* Tertiò poteſtas Chriſti maxima erit, quia ultima & decretoria, unde nulla ampliùs dabitur appellatio, nec reviſionis gratia. Chriſtus enim ſic delegatus eſt, ut a delegante auctoritatem omnem

acceperit:

acceperit: *nec Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Nihil in Judice terribilius, quàm Suprema illa & inappellabilis poteſtas. Sedecias, 4 Reg. 25. Nabuchodonoſori oblatus, & audiens eum loquentem *judicia*, obmutuit: quia non erat effugii locus, nec cauſſa ſua ab alio Rege ſuperiore poterat recognoſci. Dandulus Venetorum legatus, ut patriæ ſuæ ſacris ſublnoræ veniam à Summo Pontifice, & ſacrarium cauſſarum ultimo in terris judice impetret, ſiſtit ſe ipſi habitu rei albatus, in induſio & compedibus. Timemus judicia homunciorum, ſupremæ iſtius poteſtatis vicariorum, qui animam non poſſunt occidere. *Oſtendam vobis quem timeatis. Timete eum qui poteſt* inevitabiliter *corpus & animam perdere in gehennam.*

Ita dico vobis hunc timete, qui cum *poteſtate magna* ſimul veniet, & cum horrifica *majeſtate*, ſeu comitatum ejus & apparatum intueamur, ſeu ſolum ipſum aſpiciamus. Præveniamus cogitatione diem illum, & jam nunc fingamus nobis poſt elementorum omnium agitationes, poſt operum omnium humanorum generale incendium, inſonuiſſe tubam quæ judicandos omnes evocet à quatuor ventis, & cogat in Judææ ſolum, quod nomine vallis Joſaphat intelligitur. Prodit ante omnia *ſignum filii hominis*, ſeu ipſa Crux rutilans, ſeu ejus imago ex luce. Sequuntur Angeli innumeri, & agmina Beatorum fulgentium ſicut Sol. Prodit Beata Virgo, jam non amplius mater miſericordiæ, quia venit tempus juſtitiæ. Denique procedit ſplendida nube velut curru invectus Judex, cicatricibus Solis inſtar lumen evibrantibus, vultu flammeo, micantibus oculis, ſeveritate frontis præferens adversùs peccata judicium conſcriptum. Pingere ipſum melius nequeo, quàm verbis Danielis Prophetæ cap. 7. *Aſpiciebam, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis*, cui antiquus dierum *dedit poteſtatem, & honorem, & regnum; fluvius igneus rapidusq; egrediebatur ab ore ejus*, ſicut ab ore Patris; *& thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accenſus.* Viſo itaque Rege tremendæ majeſtatis, *Reges terræ, & Principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis & petris montium*; quæſiemot, ſed fruſtra, ubi ſe abdere poſſent: *& dicunt montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum. & ab ira Agni*, jam non agni amplius, ſed leonis. Apoc. 6. Vide hoſce noſtros Comm. ad c. 3. verſ. 4.

Daniel c. 10. videt Angelum, & corruit exanimis, amicus Dei coram ſervo Dei, & amico ſuo. Quid inimicus Dei faciat coram Deo, & Chriſto ejus? *Quoniam venit dies magnus iræ illorum, & quis poterit ſtare?* Apoc 6. Aman coram Aſſuero & Eſthere *obſtupuit, vultum Regis & Reginæ ferre non valens:* lib. Eſther c. 7. Viderat Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex aulicos è ſuis duos, in templo irreverenter confabulantes: in conclave rediens utrumque ſevero vultu notavit, & vetuit ne amplius in conſpectum ſuum venirent. Ea denuntiatione perculſus eorum unus paullò pòſt contabuit: alter ſtupido & attonito ſimilis manſit in vitæ reliquum. *Indignatio Regis* mortalis *nuntius mortis* fuit aulicis duobus. quid erit indignatio Regis immortalis, toto vultu & corporis habitu denuntiata, cum horribili iſto edicto, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

O Judex univerſorum, *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Quo niſi ab ira tua ad miſericordiam tuam? Judicat filius hominis, & damnat. Judicat idem filius hominis, & ſalvat. *Pater omne judicium dedit filio, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Sed ille ipſe *filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Accedamus ad tribunal miſericordiæ & pœnitentiæ, ne ſiſtamur rei ante tribunal juſtitiæ & pœnæ Locus enim eſt præventioni in peccatis noſtris: omnia ſunt fruſtra ſori. Præveniamus fletibus fletum, fructuoſo timore timorem inutilem: damnemus nos, ne damnemur; corrigamus, ne caſtigemur. *In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies*, inquit Aug. Heſychio.

FERIA SECUNDA,
aut aliâ prout feſta incurrent.

THEMA. *Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis.* Luc. 21. Quæſierat Heſychius ab Auguſtino de tempore judicii. Hic epiſtola tota 80. ipſi reſpondens, docet magis ſtudendum, ut nos judicio præparemus, quàm ut tempus ſciamus: ubi inter alia: *Non ille diligit adventum Domini, qui eum aſſerit propinquare, nec ille qui eum aſſerit non appropinquare: ſed ille potiùs, qui eum ſive propè, ſive longè ſit, ſinceritate fidei, firmitate ſpei, ardore caritatis exſpectat.* Ita omninò eſt. Chriſtus judex Chriſtianis non fidei modò materiam præbet, sed ſpei etiam & caritatis: eſt in illo mirando ſpectaculo quod fiduciam noſtram erigat, quod amorem exerceat. Idcirco Chriſtus juſſit à diſcipulis ſuis levari capita, areſcentibus hominibus præ timore. Quia tamen plerumque quantumvis Chriſtiani ſimus, etiam homines & nimis homines ſumus; ne tunc neſcamus timere, jam timere diſcamus, ac primùm timoris ipſius naturam ſcrutemur. Materiam hujus concionis habes Excurſu 1. ad c. 4. ſect. 2. ſex numeris.

FERIA TERTIA.

THEMA. *In terris preſſura gentium, pre confuſione ſonitûs maris.* Luc. 21.

Mirum à Chriſto caritatis Doctore judicii diem ita ſuis inculcatum, ut Apoſtoli fermè ipſi viſurum ſe crederent, nec prætérituram generationem ſuam donec omnia fierent. Martyres deinde, & Doctores plerique, judicium ſæculo ſuo exſpectavêre. Mirum etiam Deum, qui amari mavult quàm timeri; Scripturam tamen à judicii mentione inchoaſſe, in eadem finiſſe. In fine Apocalypſis dicit Chriſtus, *Venio citò.* Initio Geneſeos Deus ſe vocat Elohim, quod judicibus nomen eſt; & ſtatim verſu 4. dicitur diviſiſſe lucem à tenebris, id eſt bonos Angelos à malis, inquit Rupertus l. 9. de operibus Spiritus Sancti c. 2. ubi notat à Deo poſitum timorem, *quaſi adituum terribilem, ad cuſtodiendum introitum & exitum Scripturæ.* Ita Deus Creator & Salvator caritatem à nobis exigens, timorem ſimul commendat, & eum quidem cui ſervili nomen; & verò ſervi ſumus tui, ô Deus, & filii ancillæ tuæ. AVE.

Concio erit de pretio timoris ſervilis. Materiam habes ſect. eâdem à num. 7 ad 12.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis.* Luc. 21. Obvia eſt explicatio hujus ſententiæ ad literam. D. Bonaventura ſigna in Sole interpretatur accommodatitiè falſa Antichriſti miracula: in Luna, voluptates carnis: in ſtellis, mala undique ingruentia ad ſpei & patientiæ concuſſionem. Alii aptant Chriſto, Virgini, Beatis: Solem Chriſtum, Lunam Virginem, ſtellas Beatos Angelos & homines obtenebratum iri in judicio, quia gratiæ ſuæ & furoris lumen non præbebunt peccatoribus. Nos eadem ſigna applicabimus rebus quæ maximè Chriſtiano timendæ ſunt. Mortem, judicium, infernum exſpectaris: alia tamen dabimus minus primo adſpectu ſenſibilia, revera tamen magis timenda. AVE.

Materiam habes ſect. eâdem à num. 12. ad num. 17.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Reſpicite & levate capita veſtra.* Luc. 21. Cælum intueri non audet peccator, curvo capite incedit: qui malè ſibi conſcius non eſt erigit vultum, & cælos intuetur. Hic eſt præcipuus timoris ſervilis effectus, fuga peccati. Diximus de natura, pretio, objecto, jam de effectu. Quatuor bonarum matrum tandem ſunt malæ filiæ. Vide ſect. eadem à num. 17. ad finem, & poſt Salutationem Angelicam incipe ab explicatione ſententiæ qua Salomon Eccleſiaſten ſuum claudit. *Deum time, & mandata ejus obſerva*, &c.

DIE S. ANDREÆ.

THEMA. *Ambulans IESVS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres mittentes rete in mare.* Matth. 4.

Poſt Evangelii explicationem, dic primum iſtud eſſe fundamentum excelſæ ſanctimoniæ magni illius Apoſtoli, quem non Scoti modò, Burgundi, Thraces, Pius II. Conſtantinus Magnus, aliique ſingulariter honoravère, ſed Orbis Catholicus univerſus, tamquam alterum Crucifixum, Crucis inſignem amatorem: Venerabilis Sacramenti publicatorem, indefeſſum etiam in ipſa morte veritatis defenſorem. Nos omiſſis vitæ reliquis, ſolum vocationis ipſius myſterium conſiderabimus. AVE.

Deſcribitur cap. 10. Apoc. Angelus &c. ponens pedem dextrum ſuper mare, alium ſuper terram. Conſtat intelligi illud magis ad literam de Chriſti ſecundo adventu, &

ſignis præcedentibus. Sunt tamen qui de primo ſaltem accommodatitiè explicent, & quidem de hac ipſa Chriſti ambulatione juxta mare Galilææ. Eſt enim Chriſtus Angelus magni conſilii, ideò velut cogitabundus ambulat; eſt fortis, rem magnam aggrediens mundi convertendi: amictus iride, humanitate. facies ejus eſt ut Sol omnia illuminans, & corda ipſa penetrans lumine vocationis ſuæ: pedes ejus ſunt ignei, quia omnes ejus paſſus ſunt amoris: habet in manu libellum apertum, in quo legem gratiæ deſcribere incipit: pedem ponit ſuper mare, ut ex aquis educat novos Moyſes, rectores populi, thaumaturgos: pedem alterum ponit ſuper terram, ut Eccleſiam fundet, ſuper fundamentum Apoſtolorum quos incipit vocare. Cur autem Angelus iſte magni conſilii, & tam fortis, tales eligit, & tam infirmos? Cur binos? Cur laborantes?

Conſilii divini in ea vocatione altitudinem nemo non Doctorum miratus eſt, hodieque miratur, etiam poſt eximium de iſto myſterio reſponſum Apoſtoli 1. Cor. 1. in quo tres rationes invenio, primam ex Dei gloria, alteram ad hoſtium dedecus, tertiam ad commendos in humilitate amicos Dei. *Infirma & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt*, aliter omnino quàm nos ſolemus. Pictor, ſtatuarius, architectus ex materia præparata concinnant opus ſuum. Deo materiâ opus non eſt; *vocat enim ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.* In opere creationis *extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.* Job 26. ut eò magis eluceret infinita ejus potentia. *Fundâſti terram*, inquit Pſal. 103. *ſuper ſtabilitatem ſuam*, ſeu ut Hieronymus vertit, *ſuper baſim ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Etſi centro tantum ſuo circumligata, non alio fulcro quàm ſitûs naturalis, & varè ſuper nihilum appenſa, non tamen commovebitur in æternum. Eodem modo agit Deus Salvator in conſtitutione Eccleſiæ, appendit eam ſuper nihilum, homines viles & nihili ponit in ejus fundamentis, tam firmo & ſtabili poſitu, ut portæ inferi numquam adversùs eam prævaleant. Quis id miraculi faciat, niſi Deus, vocans quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. Si divites, potentes, doctos, eloquentes vocâſſet, tribuiſſent forſan aliqui converſionem mundi iſtis naturæ auxiliis. ut rectè advertit Ambr. l. 5. in Lucæ c. 6. quem locum in Officio Romano legimus die S. Bartholomæi. Ne ergo aliquid de gloria Dei minuatur, eliguntur Andreas & Petrus, pauperes, ignobiles, indocti, infacundi, numquam dicturi, utpote ſatis conſcii virium ſuarum; *Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Dabit Chriſtus lubens utrique, poteſtatem faciendi miracula, claves cæli & inferorum, ipſamque Crucem ſuam: at gloriam reparati mundi non dabit, Solus creator, Solus inſtaurator.

Altera ratio ſumitur ex impiorum majori dedecore, quos Deus tam vilibus inſtrumentis ſubjugat. Exodi 4. Moſes exul eligitur ad confundendam ſuperbiam Pharaonis, & muſcis, ranis, virga utitur. Jerichontis muri non arietibus, ſed ſonitu quaſſi corruunt. Saul Davidem perſequens 1. Reg 19. cantu detinetur. David non in armis Saulis, ſed in paſtoritio habitu, Goliathum proſternit. Samſon in maxilla aſini delet Philiſthæos. Chriſtus *ut confundat fortia* in maxilla aſini vincit ſapientiam & potentiam idololatrarum, per indoctos Apoſtolos, qui præ ſuperbis illis animalibus vix benè rudere videbantur. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.*

Tertia ratio eſt, *ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus*: & ne quis putet perſonarum acceptionem eſſe apud Deum. Quam rationem inſigniter ponderat Aug. ſerm. 30. de ver. Domini. *Magna artificis miſericordia. Sciebat enim, ſi eligeret Senatorem; diceret Senator, dignitas mea electa eſt. Si eligeret divitem, diceret dives, opulentia mea electa eſt. Si Regem diceret Rex poteſtas mea, ſi Oratorem, eloquentia mea, ſi Philoſophum, ſapientia mea electa eſt. Interim, inquit Dominus, differantur ſuperbi iſti, multum tument. Da mihi prius iſtum piſcatorem. Veni tu pauper, nihil habes, nihil noſti, ſequere me. Tam largo fonti vas inane admovendum eſt. Dimiſit retia piſcator, accepit gratiam, & factus eſt divinus orator. Leguntur modò verba piſcatorum, & ſubduntur colla oratorum.* Sic & alias egit Deus, 1. Reg. 16. Præponitur fratribus David parvulus, nec reſpicitur vultus illorum, nec ſtatura, nec primogenitura. Quid quod ſæpè ipſis primogenitis præpoſiti minores natu? Ut Machabæum noſtrum Joanni & Simoni antepoſitum omittam: præfectus Abel Caino; Japheth non Chamo ſolùm, ſed & Semo; Iſaac Iſmaëli; Jacob Eſau; Phares Zaræ; Joſeph Rubeno; Ephraim Manaſſi: & ipſe quidem decuſſatis brachiis, quæ crucis D. Andreæ figura eſt. In tabernaculo & Templo Iſraëlitico fuere cedrina, purpurea, argentea, aurea plurima. Sed altare ſtetit ex lapidibus, & quidem impolitis. In Eccleſia, quæ verè eſt *tabernaculum Dei cum hominibus*, ſunt homines docti, opulenti, potentes: ſed altare, id eſt qui propiùs ad Deum accedunt, Apoſtoli duodecim lapidibus figurati, ſunt rudes omnino & impoliti.

Facilior erit alterius quæſtionis ſolutio: cur binos vocârit, & fratres quidem, quomodo & filios Zebedæi? Nimirum ut indicaret, fundamenta Eccleſiæ ſuæ debere Fraternâ inter ſe caritate conjungi. De ea prædixit Deus, Iſ. 54. *Fundabo te in ſapphyris*: quod gemmæ genus aiunt conciliandi amoris vim habere, & araneis inimicum eſſe, adeoque ſymbolum caritatis, imò oculis humanis gratiſſimum. qui cùm bini ſint & operando conjungantur, apta etiam ſunt figura caritatis. Apoc. c. 21. portis civitatis cæleſtis genera varia lapidum tribuuntur, prætermiſſo adamante; qui cum duriſſimus ſit, non congruit caritati. Margaritis emicare, & patere cunctis oſtia Jeruſalem ſupernæ, canit Eccleſia: margaritas autem Latina lingua uniones vocavit, quod uniantur inter ſe, & ferè binæ formentur. Cherubim duo, 3 Reg 6 formantur ex lignis olivarum & auro, illis manſuetudinem ſignificantibus, hoc caritatem: adde menſuram unam fuiſſe & unum opus utriuſque? deinde binos fuiſſe: denique alam unius alterius alæ conjunctam, quod de caritate explicat Greg. 29. Mor. c. 16. ad illud Ezech 1. *Juncta erant pennæ alterius ad alterum.* Tot ſymbolis Deus indicare voluit, idem quod hodierna Apoſtolorum vocatione, cùm binos elegit.

At cur operantes, & in propria quidem arte? Indubiùm quia ut intelligeremus, Deo gratos eſſe homines ſtrenuos, in ſuo quemque munere. Eccl. 38. deſcribitur varietas opificum & ſubditur, *ſine his non ædificatur civitas.* Si opifices iſti in alienas artes involarent, per eos deſtrueretur civitas. *Beatus vir, qui aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in loco quem ei Deus poſuit.* Zachariæ patri S. Joannis apparet Angelus, *cùm fungeretur ordine vicis ſuæ*, non alienæ. Andreas viriliter ex nomine ſuo laborans, & quidem in arte ſua, non autem alienâ, vocatur à Domino. Exerceamus ſinguli ſortem noſtram, donec Chriſtus aliter ſtatuerit.

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMA. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus.* Matt. 11.

Continet partes duas hoc Evangelium: primam de magna legatione, & ejus expoſitione: alteram de laudibus Joannis. Primam explicabimus, ubi nobis proponitur Chriſtus ut Meſſias. Nomen hoc à timore quidam deducunt: ſed certum eſt à hebræo *Maſchah* ortum quod unctionem ſignificat. Aug. in Joannem Tract. 15. *Meſſias unctus eſt. Unctus, Græcè Chriſtus eſt, Hebraicè Meſſias eſt: unde & Punicè Meſſe dicitur unge. Cognatæ quippe iſtæ ſunt linguæ & vicinæ, Hebraica, Punica & Syra.* De hoc itaque titulo Chriſti. Ave.

Ut Chriſtianus fidei oblitus, naturæ obſequens & paſſionibus animalibus, quod genus Libertini appellantur, ad frugem redeat, ſeriò ipſi inculcanda eſt futuræ vitæ conſideratio. Ut Hæreticus ad Eccleſiam reducatur, explicanda ipſi ſunt veræ Eccleſiæ ſigna: quam ſi ſemel admiſerit, articulis aliis non obluctabitur. Ut Mahometanus, Judæus, Paganus ad Chriſti fidem alliciantur, perſuadendum ipſis eum eſſe Meſſiam, ſeu Doctorem à Deo datum, cujus doctrinam amplecti neceſſe eſt. Itaque Doctores plurimi, qui contra Gentiles & Judæos ſcripſêre, huic uni fermè capiti probando inſtitêre, Chriſtum eſſe Meſſiam divinumque Legiſlatorem. Vide Tertullianum, Lactantium, Auguſtinum, Cyprianum, Chryſoſtomum, Athanaſium, D. Thomam, &c. Ampliùs dico, non convertendis modò his iſtum articulum eſſe neceſſarium, ſed etiam hæreticis, quorum pleriſque *prius eſt malè facere quàm malè ſentire*; imò & Catholicis Libertinis. Si enim tum his tum illis benè impreſſum fuerit, Evangelicam doctrinam à Meſſia eſſe, id eſt à Doctore divino & Filio Dei, Facilè adducentur ut eam ament, deinde ei obediant, eique obediendo deſinant ſimul malè facere & malè ſentire. Cum ergo ea veritas adeò ſit utilis & neceſſaria cognitu, videamus primùm ſigna, quibus Chriſtus verus Meſſias probatur; deinde quibus Chriſtiani agnoſcimur, & diſcipuli Meſſiæ.

Triplex Solis lumen eſt: quod ipſum comitatur, quando ſicut ſponſus procedit de thalamo ſuo; quod ipſum ſequitur in crepuſculo veſpertino, Heſpero, Luna. Chriſtus Sol juſtitiæ, ut eum vocat Malachias; cui nomen Oriens, ut ait Propheta Zacharias; qui venit illuminatorus ſedentes in tenebris & umbra mortis, ut cecinit alter Zacharias. Is ergo Sol tria habet ſigna certiſſima divini ortûs ſui, & ſimul

deſcenſus

deſcenſuris de cælo in terras: quæ præceſsêre, quæ comitata ſunt, quæ ſecuta. Præceſsêre figuræ, prophetiæ, ipſorum etiam Paganorum, uti Sibyllæ Cumææ a Virgilio Latinis verſibus loquentis ſub ipſum Chriſti natalem; miracula prophetarum, & virorum ſanctorum in lege naturæ, & Moſi, Meſſiam exſpectantium. Comitata ſunt Zachariæ, Eliſabethæ, Joannis confeſſio ſtatim poſt Incarnationem; adoratio Paſtorum, Magorum, Simeonis, infanticidium &c. Doctrina, &c. Paſſio ipſa, & ejus circumſtantiæ, quas qui viderant redibant percutientes pectora, & dicentes: *Verè Filius Dei erat iſte.* Secuta ſunt, doctrina, virtus, miracula Apoſtolorum, virorum Apoſtolicorum, Martyrum, Virginum &c. Ea ſigna tantum perſtringo, quia facilè materiam implebis. O Deus, quàm verè dixiſti per Iſaiam c. 6. Eccleſiæ tuæ, *Super te orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur*, clarioribus radiis quàm ipſis ſolaribus! O quàm cæci, qui, in tanta & vibrante undique luce, tam miſerè cæcutiunt!

Sed eo quæſtionem: Cur de tot divinitatis ſuæ ſignis ſola hodierna ſeptem Chriſtus diſcipulis Joannis exponit? Cur non claras illas prophetias explicat, figuras applicat, &c? Cur Verbum divinum eloquentiſſimo ſuo ſermone non ſuadet? Quia nihil operibus ad perſuadendum validius eſt.

Sed ſi opera adducere ſtatuerat, cur non opera virtutum, manſuetudinis, patientiæ, humilitatis ſummæ? Quia opera miraculorum a Deo producuntur in teſtimonium veritatis: *Pater Deus* filium ſuum illis ſignavit: ſicut veræ Chriſti Eccleſiæ præcipuum à miraculis ſignum eſt, & à Deo teſte.

Sed ſi miracula afferenda erant, cur non alia multa, quæ præceſſere, producuntur; quale eſt converſiò aquæ in vinum, multis præſentibus? Meo quidem judicio hæc potiſſimùm prolata ſunt, quia Meſſiam præceſſere, comitata ſunt, & ſecuta. Præceſsêre, annis antè ſeptingentis prædicta per Iſaiam c. 35. ubi nota etiam leproſorum mundationem & mortuorum ſuſcitationem in illis verbis innui, *orietur viror calami & junci.* Item c. 61. & 53. Comitata ſunt, tum in illa ipſa hora, tum aliàs, &c. Secuta ſunt in Apoſtolis & viris Apoſtolicis, de quibus ipſe aſſeverârat, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Poterunt quædam recitari, nominatim à Sanctis quorum commemoratio in id tempus incidit, ut D. Nicolao, S. Franc. Xaverio, aliiſque patrata.

Cum bona veſtra venia, addam aliquid quod mihi in mentem venit & vobis forſan non erit ingratum. ſeptem illas notas Chriſto non literaliter modò, ſed etiam allegoricè & moraliter congruere. Sapiens Prov. 9. dat domui ſapientiæ *columnas ſeptem.* Chriſtus incarnata ſapientia Eccleſiam ſuffulſit ſeptem Sacramentis; qui vel unum vult deſtruere, Eccleſiam arietat. In Baptiſmo *Cæci vident*, quia Sacramentum eſt fidei & luminis animarum. In Confirmatione *Claudi ambulant*, quia debiles gratiâ roborantur. In Pœnitentia *Leproſi mundantur* peccatores. In Euchariſtia *Surdi audiunt* Verbum ipſum divinum. In Extrema unctione *Mortui reſurgunt*, ſeu qui *appropinquaverunt ad portas mortis*, cùm pro ſalute animæ & corporis ſit. In Ordine *pauperes evangelizantur*, & de patrimonio Chriſti viventes ad evangelizandum inſtituuntur. In Matrimonio *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus* in Chriſto: quomodò hæretici qui illud damnârunt, aut nimis extulerunt, & Catholici qui malè utuntur.

Agnoſco etiam in illis ſeptem capitalia vitia adumbrata, quæ Chriſtus verbis & exemplis eliminavit. Superbi amore ſui *cæci, vident* per humilitatem. Avari ad pauperum preces antea *Surdi, audiunt* per liberalitatem. Iracundi ad proximi amorem *claudi, ambulant* per manſuetudinem. Luxurioſi per ſordes *leproſi*, mundantur continentiâ. Invidi per triſtitiam de bono proximorum *mortui*, reſurgunt per caritatem. Guloſi alvo implendæ dediti, obliti famelicos & *pauperes, evangelium*, id eſt bona inopibus nuntia portant, cùm eis donant quod ſibi ſubtrahunt. Accedioſi qui antè ad omnia Chriſti mandata ſcandalizabantur, jam ad ea currunt per generoſam pietatem. Nonne à Chriſti ætate ea morum converſio paſſim viſa, divinam ipſius legem clariſſimè comprobavit?

Invenimus igitur *Meſſiam, qui dicitur Chriſtus.* Sed invenimuſne Chriſti diſcipulos? Quibus notis? Affert Tert. vide Exc. t. ad c. 15. num. 8. Affert Amb. pſ. 118. Meſſiam noſtrum ſic inductus loquentem: *Non eſt meus quem libido ſuccendit; quia mea eſt caſtitas. Non eſt meus, quem cura ſpoliandi minores exagitat, quia mea eſt largitio. Non eſt meus, quem aura mobilitatis inquietat, quia mea eſt tranquillitas.* Brevius notas omnes comprehendit Lucifer Calaritanus, in libro, Monendum eſſe pro Dei filio: *Cernimus una hac voce religioſá, Chriſtianum ſum, omnia crimina excludi.* Chriſtianus nec cæcus ſit; nec claudus, nec mutus, nec leproſus, nec mortuus, nec pauper, nec ſcandaloſus: id eſt peccator non ſit. Is verè Meſſiæ diſcipulus eſt, qui omni animo fugit peccatum; quod ipſe ſublatum venit, quia animarum ſcandalum eſt, ſumma paupertas, lepra, dæmonium mutum, debilitas, claudicatio, cæcitas, mors. O Chriſte, tu es qui veniſti Doctor, tu es qui venturus es Judex: non alium exſpectamus, tibi credimus, te audimus, te ſequimur.

FERIA SECUNDA,
aut ut feſta incurrent.

THEMA. *Cæci vident.* Matt. 11.
Hildebertus Cænomanenſis, & alii, hoc de cæcitate ignorantiæ per fidem Chriſti depulſa interpretantur. Unigenitus enim qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit, ipſe Doctor fuit. Doctori fidem habent diſcipuli: qualem nos Chriſto debemus. De virtute nunc. Petamus Spiritum S. per eam cui dictum eſt, Beata quæ credidiſti. Ave.

Materiam habes Exc. ad c. 11. ſect. 4. uſque ad num. 7.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Claudi ambulant.* Matth. 11.
Una ex ſeptem notis divinitatis Chriſti eſt, claudos ambulâſſe ipſius præcepto. Idem miraculum legitur in Actis c. 3. primum omnium eidem articulo firmando patratorum. *Fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam.* Fides claudo uni corporali firmavit greſſus, firmat innumeris ſpiritualibus, qui, ut dicebat Elias 3. Reg. 18. claudicant in utramque partem. De ea fidei firmitate. Ave.

Materiam habes ibid. à num. 7. ad 12.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt.* &c. Matth. 11.
S. Ignatius noſter in fine Exercitiorum affert regulas octodecim, pro ſervanda fidei integritate. Nos heri pro ejus firmitate augenda duas attulimus: tertiam hodie addo, efficaciam. Opera probant Chriſtum, opera probent Chriſtianum. Ave.

Materiam habes ibid. à num. 12. ad finem.

DIE S. NICOLAI.

THEMA. *Homo quidam peregrè proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Matth. 25.
Eccleſia Cant. 5. agens de ſponſo, id eſt de Chriſto laudat inter alia ejus manus, tornatiles, aureas, plenas hyacinthis. Beda id explicat de manibus Chriſti in cruce extenſis, pertuſis vi clavorum, perefluentibus liberalitate. Sed non minùs commodè explicari poteſt de manibus Chriſti, omni tempore vitæ mortalis, & immortalis: nam *pertranſiit benefaciendo*, & *peregrè proficiſcens tradidit ſervis bona ſua*, ut in hodierna parabola habemus. Filii hodie ſolent aſpicere manus parentum: Eccleſia vult ut manus Chriſti, optimi parentis, adſpiciamus. Explica parabolam, & breviter dic, quid talentis ſignificetur. Videbimus, quomodò talentum naturale bonorum temporalium impendeu Nicolaius, quomodò nos impendere debeamus. Ave.

Eliu quartus amicorum Job, c. 37. poſt multa de meteoris declamata, habet hanc ſententiam: *in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.* Interpretationes doctas & varias afferre facilè poteris. Duæ mihi inprimis placent. Idem ſignificari, quod illa Sapientis ſententia, *ex ſtudiis ſuis agnoſcitur puer*, an eleemoſynarius, jejunator, caſtus, amator virginitatis futurus, ſicut de S. Nicolao, Athanaſio, D. Thoma, D. Borromæo &c. agnitum. Aut idem eſſe, ac ſi diceret; Deus in manu & in operibus ſignat, & agnoſci vult, magnitudinem virtutis hominum quorumlibet: Chriſtus operibus ſe probat Chriſtum, non ſermone: ita Chriſtiani, inquit Cypr. lib. de patien. *philoſophi non verbis, ſed factis ſumus,* .. *non loquimur magna, ſed vivimus.* Eamdem menſuram virtutis attulit Sapiens, Prov. 31. *Manum ſuam miſit ad fortia. Operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*, non exſpectatò ut pauper ipſe prior expeteret. Vis ſcire, quanta fuerit

virtus

virtus D. Nicolai? Manus attende, maximè cùm extenſæ fuerunt ad pauperem per opera caritatis: planè ſunt ſimiles manibus Chriſti, *tornatiles, aurea, plena hyacinthis.* In quibus conditionibus totidem invenio conditiones eleemoſynæ, ut tornatilis ſit, id eſt prompta, ut aurea, id eſt rectæ intentionis; ut plena hyacinthis, ſeu ut aliis placet, tharſis, vel caudis pavonis, id eſt oculata & prudens.

Sapiens c. 11. ænigma proponit: *Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua, &c.* Explicat Chryſoſt. &c. de eleemoſyna, quæ manè danda, hoc eſt citò. Et verò, *Differre honeſta ſemper ſerum & noxium. Iactura vita maxima eſt, dilatio.* Erinaceus ſymbolum procraſtinationis, quò fœtum differt diutius, eò difficilius enititur, quia hirtus aculeis & ſpinoſus eſt. Divitiæ ſunt ſpinæ, ut explicat Chriſtus in parabola ſeminis boni: eas ſpinas quanto diutiùs retines, tanto hærent firmius. Dicis in morte facturum te eleemoſynas, id eſt *veſpere.* Sed unde ſcis fore, ut liceat condere teſtamentum? Itaque *manè ſemina.* Salvianus lib. 4. ad Eccl. dicit, faciendum nobis, *more hominum tranſmigrantium, qui res ſuas prius tranſferunt, quàm ſeipſos:* ita nobis transferendas res noſtras in cælum ante mortem. Vulgò dicitur, in tenebris lampadem præferri, aut faculam, non autem poſtponi: lampas eſt eleemoſyna, ardens caritate, præferatur in itinere æternitatis. Magis quotidianum eſt, de non differenda diu ſtipe egentibus. Clamant hoc tempore frigido ad portam: ne ſinas diu clamare. Non meminiſti Abrahami Gen. 18. ultrò peregrinos accerſentis? Non Jobi, qui numquam negavit *pauperibus quod volebant,* prævenient petitionem, ſi ſciret voluntatem? Non audiſti de Richardo Ciceſtrenſi Epiſcopo, advocante pauperes ad ſtipem in plateis? Neſcis de Sancto Nicolao noſtro non exſpectante ut rogaretur; non à puellis earum, aut earum patre, ſed & ab aliis.

Manus ejus ſcilicet erant tornatiles, & aureæ: *Neſciat,* inquit Chriſtus, *ſiniſtra tua, quid faciat dextera.* Siniſtram intentionem ne miſce tam dextro eleemoſynæ operi; nec laudem vanam inde, ut Phariſæi, aucupare. Etſi, ut Borromæi, ut Joannes Alexandrini, ut Nicolai teipſum depauperans ad eleemoſynam: fruſtra erunt tornatiles manus, ſi aureæ non ſint, & recta intentione. Ergóne palam non licebit ſtipem dare, non ad portam? Reſpondet Gregorius licere *opus facere in publico,* ſic tamen ut *intentio maneat in occulto,* coram Deo ſit, & Deum quærat. Quæ autem intentio? Explicamus hoc Adventu virtutes quatuor: ab omnibus motivum ſumere poteſt eleemoſyna. Ex Timore, ſi des ut pœnam & peccata eleemoſynis redimas. Ex Fide, ſi credis eſſe præceptum dandi eleemoſynam; Leſſius dicit ſatis illi fieri, ſi commodè habentes dent viceſimam partem bonorum: ſi ergo credens verbis Dei jubentis, ideò das, obedis fidei. Ex Spe, ſi facis amicos de mammona, ut recipiaris in æterna tabernacula. Ex Caritate, ſi quia Deus tibi tradidit bona ſua, quia beneficus, quia amabilis, vis & ipſi dare pro ipſo. O intentionem verè auream, qualis fuit Nicolai, cùm in nocte dedit, ſolo Deo teſte: in luce tamen caritatis, per quam nox ſicut dies illuminabitur. Plurima ſunt in D. Nicolao magna. Nil majus liberali caritate. Manus habet tornatiles, aureas.

Plenas etiam hyacinthis. Oculatas habet manus: non quia credunt, quod vident; ſed quia vident, quod credunt. Credunt eleemoſynam Deo, credunt fideliſſimo depoſitario: ſed vident qualiter credant, id eſt prudenter, caritate ordinata eleemoſynas diſtribuunt. Iterum Sapiens ænigma proponit c. 10. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* O quale onguentum eleemoſyna, cujus odore repletur domus Chriſti! Ejus tamen ſuavitatem perdunt muſcæ morientes, imprudens ejus diſtributio. Primum tibi debes, de quo monendus non es: jam liberis, verè, & hoc pauci monendi ſunt, pauci inquam, nam aliquos monuit Auguſtinus. Hoc ergo docendi non eſtis: ſed ordinem caritatis erga pauperes. Templis da bonum: ſed templa viva non obliviſcere. Pauperibus mendicis da, ſed honeſtos qui mendicare non audent, præfer. Succurre quibus corpus periclitatur, magis ſi cum corpore ſimul & animus. Oculatiſſimæ fuerunt S. Nicolai manus in eo genere: honeſtis ſtipem dat, corpore, famâ, animâ perituris, &c.

O Sancte, laudent qui volent oculos tuos à caſtitate, aures à juſtitia, linguam à fidei defenſione in Nicæno Concilio, &c. Ego manus tuas, id eſt manus caritatis: quas quia tota vita benè exercuiſti, meritus es in morte animam ſuam deponere in manus Chriſti, cum his verbis: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.*

Pro divitibus diximus, nihilne pro pauperibus? Verbum dicat Aug. in pſ. 125. *Da eleemoſynas, & omnia munda ſunt vobis. Unde autem procedit eleemoſyna? De corde. Si enim manum porrigas, nec corde miſerearis, nihil feciſti. Si autem corde miſerearis, etiamſi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemoſynam.* Pauperes offerte Deo cor. Divites offerte Deo manus & cor. Omnes ſimul iterum aſpiciamus manus Chriſti liberales & plagis pertuſas, dicamusque cum S. Nicolao tota vita, *In manus tuas commendo ſpiritum meum.*

DIE CONCEPTIONIS
D. VIRGINIS.

THEMA. *Ago conceptiones tuas.* Eccl. 32.

Quæratur an Deus ſemper faciat optimum, quâ de re aliquid indicatum eſt Tractatu de Bona voluntate par. 1. ſect. a num. 12. Quidquid ſit hujus quæſtionis: hoc certum Conceptionem D. Virginis conceptionum omnium eſſe pulcerrimam & optimam nulli cedere niſi Conceptioni Chriſti. Ut id melius digeramus contemplemur 1. quæ Dei de D. Virgine fuerit conceptio. 2. quæ D. Virginis conceptæ de Deo. 3. quæ noſtra de D Virgine.

Dei æterna de D Virgine Conceptio deſcribitur hodie ab Eccleſia in epiſtolâ Miſſæ, quam facile eſt myſtice applicare decretis Dei, & nos indicabimus Excur. ad c. 7. l. 2. ſect. 4. Interim alii materiam ſuggerent. Eam conceptionem Deus ſuo tempore executus eſt, producto corpore formoſiſſimo, infusâ anima perfectiſſima, dotata fidei, ſpei, caritatis ornamentis &c. Quis inter hæc locus Originali peccato?

Quis autem inter actus ſummos virtutum, quos ſtatim initio produxit anima Virginis Deum claré agnoſcens, forſan & videns intuitivè? Angeli primo creationis momento Deum adoravére, etiam mali: non dixerit ex toto animo Virgo, *Ecce ancilla Domini* ipſo momento conceptionis ſuæ magnitudinem & bonitatem creatoris ſui concipiens?

Utinam & nos ſic agamus *conceptiones noſtras.* Non illam dico quæ in poteſtate noſtra non fuit, per quam in peccatis concepêre nos matres noſtræ, regenerando gratiâ Chriſti per baptiſmum: ſed illas intelligentiæ noſtræ, & voluntatis. Ne ſcilicet concupiſcentia noſtra concipiat, & parturiat peccatum: ne concipiamus dolorem & pariamus iniquitatem. Conceptionum illarum malarum remedium erit alta de Deo concipere: adde & de Diva ejus Matre. Quis enim de filio benè ſentit, qui non ſimul de ipſa? Quis illum amavit ſerio, non illam? Hæc noſtra ſit ſeria & conſtans de D. V. conceptio, illam poſt filium & cum filio ſemper colere: illi dicere, *Dominare tu noſtri, & filius tuus.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Medius veſtrûm ſtetit.* Joan. 1.

Continetur Evangelio hodierno, primùm legatio à Phariſæis ad Joannem: ſecundò illuſtre Joannis de Chriſto teſtimonium, quod ideò ab Evangeliſta refertur, quia maximi erat momenti ad probandum de Chriſto, quòd Meſſias foret. *Medius,* inquit, *veſtrum ſtetit,* &c. Multiplex eſt iſtius ſententiæ interpretatio. Nos in illa inveniemus titulum Amici. Ave.

Auguſtinus ep. 121. ad Probam, poſtquam deſcripſit, homines in optima fortuna triſtes ſine amico, lætos in adverſa cum amico. *Ita,* inquit, *in quibuſlibet rebus humanis, nihil eſt homini amicum, ſine homine amico.* Notum de Alexandro magno, oſtendiſſe amicos ſuos petenti, ubi eſſent ejus opes. Et verò Eccleſiaſticus c. 6. dicit, *Amico fideli non eſt comparatio, & non eſt ponderatio digna auri & argenti,* &c At ubi talem amicum inveniemus? Certè ſecundus Philoſophus dicit, *Amicus eſt homo nuſquam comparens, Theſaurus nuſquam exiſtens, Homo incomprehenſibilis.* Amicitia, eſt reſpublica Platonis, vel Utopia Mori, res nuſquam niſi in ideis. Inveniemus tamen, ſi ſequamur deliberationem amicorum iſtorum, qui apud Aug. Conf. l. 8. dicebant: *Amicus Dei, ſi eſſe voluero, ecce jam fio.* Inveniemus, ſi judicem D. Joannis intueamur, & audiamus amicum ſponſi dicentem, *Medius veſtrûm ſtetit.* Sed quia Philoſophus Romanus rectè monuit ep. 3. *Elige, poſtea dilige:* Videamus 1. An Chriſtus ſit amicus noſter, & qualis: 2. Quales nos viciſſim.

Diſputant Philoſophi & Theologi, an poſſit propriè amicitia eſſe inter Deum & homines. Philoſophi aliqui aſſerunt, Plato, Plutarchus, Seneca l. de Provid. *Inter bonos viros ac Deum amicitia eſt, conciliante virtute. Amicitiam dico? Imò & neceſſitudo.* Negat Ariſtoteles l. 8. Ethicorum. Negandi rationes ſunt, 1. quòd abſit æqualitas inter homines & Deum. 2. quòd deſit cognitio amoris divini. 3 quòd Deus faciat omnia propter ſe. Sed Theologi poſt

S. Thomæ:

Digitized by Google

S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. amplectuntur affirmativam. Quia in Scriptura ſæpè Deus vocatur amicus hominum, & homines amici Dei. Propriè autem accipienda verba Scripturæ cùm nihil impedit, ut hic. Etſi enim æqualitas eſſe non poſſit inter homines & Deum, eſt tamen ſimilitudo, maximè per gratiam. Adeſt etiam ſufficiens cognitio Dei, & benevolentiæ ejus erga nos. Denique etſi Deus omnia faciat propter ſe, non deſinit tamen etiam quærere ſincerè bonum creaturæ, unde nihil ipſi commodi eſt. Quà de re ſi ante Incarnationem Filii Dei dubitari potuit, nullatenus poſt. Audimus enim Chriſtum dicentem Joan. 15. *Vos dixi amicos.* Joan. 20. *Vade ad fratres meos.* Vide Comm. ad c. 3. v. 2.

Ejus amici qualitates expendamus. 1. eſt æqualitas. Ita Jonathas Regius Princeps ex æquo agit cum Davide. Chriſtus, cui nomen Admirabilis, Deus, Fortis &c. ita ſe exæquavit nobis, ut humanum nihil ſit quod pati noluerit; excepto peccato fratribus per omnia aſſimilatus: poſſimusque dicere, Ecce Adam, Ecce filius Dei quaſi unus ex nobis. Aug. l. 14. de Civ. c. 9. *An amor eſt affectus hominis? Sed ipſe audiens adoleſcentem, ſeipſum de obſervatione mandatorum commendantem, intuitus dilexit eum? An timor? Sed in januâ paſſionis conſtitutus cœpit pavere & tædere? Sed & Lazarum* &c.

Æqualitati juncta eſt fidelitas. Rara illa. Multi ſunt amici ollæ, & menſæ. de quibus vide c. 12. quæſt. 6. & 8. ad epiſtolam Judæorum. Pauciſſimi ſimiles Jonathæ, & Davidi: quorum hic poſt mortem, ille in parentis indignatione conſtat tamen ſibi. Itaque B. Eugenius junior tamquam rem eximiam à Deo petit, initio orationis ſuæ, *Da fidum ſocium, da fixum ſemper amicum.* Quid magis fidus & fixus Chriſto? Qui majorem caritatem habuit, ut poneret animam etiam pro inimicis? Quis conſtantius manet nobiſcum, uſque ad conſummationem ſæculi? Quis magis comitatur & ſervat, etiam invitos? Quoties anima noſtra tranſiens torrentem, tranſiſſet aquam intolerabilem, ſi Dominus non fuiſſet nobiſcum? Franco Abbas lib. 3. de Gra. *Nec pereuntem perire patitur, nec ab averſo avertitur: ſed fugientem paterna caritate inſequitur, revocat, blanditur: & reverſo non ſolùm crimen ignoſcit, ſed & regnum promittit.* Patres Concilii Arauſicani: *Diſplicentes amat ſummus, ut fieret in nobis unde placeremus.*

Fidelitatem comitari debet communicatio ſecretorum, & bonorum. Secreta communicavit Jonathas Davidi: David bona Jonathæ in filio Miphiboſeth. Chriſtus, quæ accepit à Patre, nota fecit nobis: Medius noſtrum ſtetit, ut accepta de ſinu Patris enarraret, ut *Deum deinceps quilibet opifex Chriſtianus inveniret poſſit*, quomodo loquitur Tert. Quàm alta, quam tamen familiariter communicavit. Cor ſibi etiam findi poſt mortem voluit, ut ſecreta ejus rimaremur. Spiritum Sanctum ſuum dedit, ut myſteria fidei intelligamus. Quid jam de lumine gloriæ, in quo videbimus lumen? Bonorum ſuorum eodem modo nos fecit participes, imò ſe ſpoliavit egenus factus, ut nos ejus inopia divites eſſemus. *Deus puſillus inventus eſt*, inquit Tert. l. 2. cont. Marc. *ut homo maximus fieret. Converſabatur Deus, ut homo divinè agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo poſſet.* Dat nobis carnem ſuam, ſanguinem, thronum ipſum, cùm dicit: *Qui vicerit, faciam illum ſedere in throno meo.* Quid ſibi reſervat, niſi debitum à nobis ſolvendi amoris reciproci? Amas, inquit D. Th. opuſc. 61. c. 13. fratrem, qui natus dividit affectum paternum, ſubripit lac maternum, partiturus eſt hæreditatem. Non amabis *hunc fratrem, per quem crevit quantum ad effectum amor paternus; per quem hæres efficeris, & ad paternum conſortium admitteris?*

Nec contenti ſterili affectu contendamus eſſe ſimiles Chriſto per imitationem, ut optabat Paullus: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Nos enim ideò Chriſtiani vocamur & ſumus, quia ipſum Dominum IESUM Chriſtum in baptiſmate percipientes induimus*, per gratias ſcilicet & exempla virtutum. Ita loquitur Vigilius Papa, apud Bar. an. 553. damnans hæreſes Theodori ejuſdam. Simus & fideles Chriſto: ſicut D. Polycarpus, qui in amphitheatro dicebat, *86. annis ſervivi Chriſto* &c. Hiſtoria obvia eſt. Sic D. Artemon Presbyter temporibus Diocletiani, cùm Comes quidam perſecutor ei diceret, *Honora ſenectutem tuam, ò homo, & Diis ſacrifica*: reſpondit: *Sedecim annis Lector, Diaconus viginti octo, Presbyter triginta tres fui, & Diis nunc ſacrificem?* Simus fideles uſque ad mortem. Adſit communicatio ſecretorum: *Medius noſtrum ſtetit* Chriſtus in Venerabili Sacramento, petitiones noſtræ innoteſcant apud illum; Revelemus Domino viam noſtram. Accedat communicatio bonorum, non quia Chriſtus in ſe indiget, ſed in membris ſuis. Huc commodè referentur verba D. Leonis ſerm. 2. de jejunio decimi, in Officio hodierno. Sic amicitiam teneamus cum Chriſto in hac vita, ut duret æternùm.

FERIIS HEBDOMADÆ TERTIÆ.

THEMA idem erit. Materia de ſpe ac fiducia, quam Deo debemus, ſuggeritur Excurſu ad c. 11. ſect. 1. Primo die explicari poterit natura ſpei quà paſſio eſt, quà naturalis: quæ mala ſit, indifferens, bona: numeris tribus prioribus. Secundo, quæ ſpetare in Deo debeant, num. 7. 8. 9. Tertio, cur ſperandum, ſeu objectum formale: num. 9. ad 17. Quarto, quid, ſeu objectum materiale: à num. 17. ad finem. Quinto, fœlicitas, lætitia, pax ſperantium: num. 4. 5. 6.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

THEMA. *Parate viam Domini.* Luc. 3.
Explica Evangelium. Inſiſtemus titulo Domini, qui Chriſto datur. AVE.

Hugo à S. Victore tom. 2. ſerm. 5. agens de tempore Adventûs, & explicans illud prophetæ Amos c. 4. *Præparare in occurſum Domini tui Iſrael, quoniam venit: Sicut ſacer eſt*, inquit, *omnis locus inquantum locus, ſic ſacrum eſt omne tempus inquantum tempus. Dicimus tamen aliquando, reſpectu alicujus loci, bonus eſt aut malus iſte locus: & reſpectu alterius temporis, bonum aut malum eſt iſtud tempus. Sicut igitur aliquis locus dicitur minùs ſacer, propter perpetratam ibi culpam; & alius magis ſacer, propter operantem ibi gratiam: ſic aliquod tempus, &c... Eſt itaque modò tempus Adventûs Domini, in quo debemus per aliquam ſpiritualem religionem præparari. Tempus eſt, in quo venit Deus homo ad hominem, pro homine redimendo, liberando, juſtificando, beatificando: redimendo de culpa, liberando de pœna, juſtificando per gratiam, beatificando per gloriam.* Sanctum eſt tempus Adventûs, quia ſanctitatem nobis maximi myſterii repræſentat, incarnati & naſcentis Dei. Sanctum eſt, quia per illud nos ſanctificare debemus, ad ſpiritualem Chriſti Nativitatem piè celebrandam: eoque fine toties nobis Eccleſia hactenus iteravit, *Parate viam Domini* in Officiis Eccleſiaſticis: Dominica præterita idem per Joannem nobis prædicari voluit in Evangelio, hodie per Joannem & Iſaiam. Ut id faciamus conſiderandum 1. quis adveniat? 2. quomodò ipſi paranda via. Advenit Dominus dominantium: paranda ipſi via, pœnitentiâ, & caritate.

Duo genera ſunt dominii, unum Juriſdictionis, aliud Proprietatis. Illud reſpicit tantùm creaturas rationales, quæ ſunt capaces juris, præceptorum, libertatis. Hoc reſpicit omnes, quæ cedere poſſunt in poſſeſſionem. Chriſtum, quà Deus eſt, ſummum eſſe rerum omnium Dominum, quoad proprietatem, ut ipſe non dixiſſet, nimis clarum eſt ratione. 1. Creat: nihil autem magis noſtrum eſt, quàm factura noſtra. 2. Conſervat, & portat omnia verbo virtutis ſuæ: conſervatio autem eſt continuata creatio, & perpetua dependentia, ſicut luminis à Sole. 3. Creat, & conſervat pro ſe, ut fine: nulla creatura, & nulla particula creaturæ ullius, vel actio, non eſt pro Deo ut fine: itaque ſicut fecit, ita deſtruere, mutare, alterare eas poteſt, citra ullam injuriam. Ex hoc dominio Proprietatis, ſequitur altiſſimum Juriſdictionis in creaturas ejus capaces, Angelos & homines, præcipiendo, prohibendo, permittendo, puniendo, parcendo, præmiando. *Domine Deus in ditione tua univerſa ſunt poſita.* Hoc ergo certum de Chriſto, quà Deus eſt.

Sed quæritur, an etiam quà homo ſit Dominus ſupremus, &, ut vulgò loquimur, abſolutus? Negavêre aliqui, quia *non poſſunt eſſe duo domini in ſolidum ejuſdem rei*: ut habetur l. ut certò, §. de duobus, ff. Commodati. Poſſunt eſſe duo partim domini, & reſtricti. Sic Princeps eſt dominus fundorum ad bonum commune, privatus ad ſuum. Sic Directus dominus habet proprietatem: Utilis uſum & fructum. Contrà aiunt quidam poſſe eodem momento duos eſſe dominos ejuſdem rei: eodem enim momento quo quis tradit rem ſuam alteri eſt ejus dominus, alioqui dare non poſſet; & qui accipit etiam eſt dominus, quia init poſſeſſionem: itaque eodem momento tradens & accipiens ſunt ejuſdem rei domini in ſolidum. Sed iſta ſpeculatio exercendo in ſcholis ingenio inventa, hic in re morali ſupervacua eſt. Ponamus itaque quod certum eſt: duos, imò plures poſſe ejuſdem rei dominos eſſe ſubordinatos. Deus & Dominus, neque unquam à ſe dominium abdicabit,

qui toties repetiit, *Ego Dominus*. Sub illo tamen Chriſtus, quà homo, dominus eſt univerſorum: & quidem ea ratione, ut Auguſtus & Tiberius ipſi in imperio ſuo eſſent ſubordinati, potuiſſetque illos Chriſtus citra injuriam exuere dominatu. Sic cenſet D. Thomas, qui etiam opuſc. 20. advertit, ſub Chriſti nativitatem ab Auguſto Cæſare repudiatum, qui per Romanos offerebatur, titulum Domini, quia nimirum naſciturus mox erat verus Dominus. Aliud quidem ſpectabat Auguſtus, ſed hoc ſpectabat Deus, ex D. Thomæ ſententia. Nonne & hoc ipſum Chriſtus inſinuavit, Joan. 13. *Vos vocatis me magiſter, & domine, & benè dicitis.* Sicut autem univerſorum magiſter erat Chriſtus, ita & Dominus.

Sex titulis acquiri poteſt dominium in homines, Nativitate, Donatione, Excellentiâ, Bello, Emptione, Electione. Omnibus iſtis Chriſtus eſt noſter Dominus. quia natura filius Dei, ſupremi omnium Domini: quia Deus dedit illi gentes hæreditatem ſuam: quia caput eſt omnium hominum: quia principem hujus mundi ejecit foràs, & vaſa ejus diripuit: quia redemit nos ſanguine ſuo, *in hoc mortuus, ut vivorum & mortuorum dominetur*: quia nos ipſi eum elegimus jam inde à baptiſmo, & in Natali dicemus, *Tu ſolus Dominus, IESV Chriſte.* Iſtos titulos facilè quilibet concionator per ſe extendet. Tantum nota pro titulo Excellentiæ verba Auguſtini, non paſſim obvia, quæſt. 153. in Gen. *Hac in dominationibus & ſervitutibus clara juſtitia eſt, at qui excellunt ratione, excellant dominatione.*

Dominum tot titulis noſtrum, & altiſſimum Dominum excepturi, *parate viam. Fiant prava in directa, & aſpera in vias planas*, inquit Joannes præcurſor: ut ne id non ſatis intelligas, explicat dicendo, *Pœnitentiam agite.* Pœnitentia rectas facit ſemitas, complanat ſuperbiam, implet valles nimiæ verecundiæ. O quàm jucundum præbebant Chriſto ſpectaculum olim pœnitentes in Natali Chriſtiani! Celebratiſſima Theodoſii pœnitentia eo die accidit. Eam narrat Bar. an. 390. poſt recitatam ejus occaſionem ex cæde Theſſalonicenſium. Benè item illam ponderat D. Aug. hom. 9. *Erubeſcit Senator, quod non erubuit Imperator? Erubeſcit nec Senator, ſed tantùm curialis, quod non erubuit Imperator? Erubeſcit plebeius, ſive negotiator, quod non erubuit Imperator? Quæ iſta ſuperbia eſt?* Eodem Natalis die, ut ex Aviti Vienneſis epiſtola conſtat, baptizatus Clodovæus Rex, ſuſcipiente D. Remigio, & dicente: *Mitis depone colla Sicamber.* Pridie Natalem mortuus Godefridus Dux Bullionenſis, anno 1069. poſt diuturnam peccatorum pœnitentiam eamque publicam Virduni peractam, abdicatâ Lotharingici Regni præfectura, relictoque Godefrido Gibboſo filio, unde genus Godefrido Regi Hieroſolymitano.

Pœnitentiam faciliorem faciat caritas. Id tributum à nobis Dominus poſtulat: *Diliges Dominum.* Neque enim de illis eſt, qui dicunt; *Oderint, dum metuant.* Ignis nullus feſtivior ipſi, & gratior, quam amoris. Arſere feſto Natalis, an. 301. Nicomediæ in templo Chriſtiani omnes, juſſu impii Cæſaris. Hiſtoria digna relatu eſt, & apud Baronium invenies. Iſtis ignibus fæliciter non arſiſſent Martyres, ſi ignis caritatis abfuiſſet, quem Dominus venit mittere in terram, & vult vehementer accendi, ideoque ſe in palea & ſtabulo componit. De eo igne reliqua ſeptimana agemus. Interim ne caritas erga Deum ſit otioſa, jungamus caritatem in proximum, de qua Auguſtinus hom. 25. habitâ in anniverſario Ordinationis ſuæ: *Relevate, fratres, relevata ſarcinam meam. Benè vivit. Natalis Domini imminet: paſcendos compauperes noſtros habemus, & cum eis communicanda eſt humanitas.*

FERIIS HEBDOMADÆ QUARTÆ.

IDem Thema. Materia de Via Caritatis Recta, Brevi, Clara, Nitida in dies quatuor, qui tamen contrahi poſſunt: Habetur Excurſu 1. ad c. 5. ſect. 2.

DIE S. THOMÆ.

THEMA. *Dominus meus, & Deus meus.* Joan. 20. Poſt narratum Evangelium, & ſalutatam Virginem.

Trium quatuórve virtutum, quas hoc Adventu explicandas ſuſceperamus, argumentum vel exemplum in D. Thoma poſſemus oſtendere. Quis non timeat, cùm columnam illam videat corruiſſe, & in barathrum quidem obſtinatæ hæreſeos? Quis tamen non ſperet, cùm miſericordia Domini videat prædatam ovem tam ſuaviter requiri, & colligi? Quis non credat firmiſſimè, cum videat incredulum illum ita deinceps firmiter credentem, ut pro exemplo fidei proponatur: eoque fit firmior in iſta virtute, quò antè fuit imbecillior, ſicut oſſa, ubi ex fractura coaluere, firmiora ſunt? Quis non amet tam beneficum Dominum, tam bonum Deum, præeunte ad actus caritatis Apoſtolo & quatuor faculas cordibus noſtris ſubdente per quaternas voculas, *Dominus meus, & Deus meus*?

Sed actus iſtos caritatis meliùs ponemus in parte pœnitentiæ: cujus exemplum in D. Thoma intuebimur; ad parandam viam Domini, & faciendos fructus dignos pœnitentiæ, per quam ad nos veniet Chriſtus. Auguſtinus in ſp. 84. *Antè quàm confiteretis peccata, intercluſeras ad te viam Dei, non erat quà ad te veniret. Confiteris vitam, & aperis viam, & veniet ad te Chriſtus.* Solis radios arcet murus oppoſitus, imò feneſtella lignea. Adventum Solis divini, in nocte naſcentis impedit; non ingens tantùm moles criminum, ſed vel unicum mortale peccatum. Quare, ut pares viam Domini, age fructus pœnitentiæ, & Thomæ exemplum ſequere.

Contritio prima eſt pars pœnitentiæ. Generatim ſumenda, & quomodo ſufficit ad Sacramentum, eſt dolor de peccatis commiſſis, & propoſitum de non committendis, ex quolibet motivo ſupernaturali. Iſta non extendo, quia concionator ſatis ſcit, ſed auditor nunquam ſatis ſcit rem tam neceſſariam. Inculcandum præſertim: Contritionem extendi debere ad mortalia quælibet, quandoquidem in omnibus ſit cauſſa deteſtationis. Valdè itaque exerrat qui ab uno mortali alienum putat ſe diſpoſitum ad pœnitentiam, retinendo affectum ad aliud. Sufficit dæmoni, ut aiebat S. Franciſcus, ſi vel unum capillum noſtrum teneat, unde rudentem craſſum aeternis efficiet. Et avis ſolo ungue tenetur captiva, inquit S. Ephræm. Sit ergo contritio generalis, & omnia peccata reſpiciat. Dicit D. Thomas, *Dominus meus, & Deus meus.* Non dicit tantùm, tu es Dominus: ſic enim eſſet ſolummodo actus fidei. Non dicit, *tu eris Dominus*: ſic enim foret actus ſpei. Sic dicit cum impetu & affectu, *Dominus &c. Quis autem*, inquit Ambr. in pſ. 43. *dicit Deum ſuum, niſi qui ipſi exhibet plenum reverentiæ & pietatis affectum.* Amat ut Dominum, à quo diſceſſit. Amat ut Deum, quem oblitus eſt. Amat ut ſuum, cujus ipſe eſſe voluit. Inde dolor de præterito, voluntas in poſterum. Unde autem tam repente incenſa voluntas? Intulit digitum ſuum & manum in fornacem amoris, & ignem retulit. Inferamus & nos illuc, ut ſimilem calorem ſentiamus. Movet juvenem prodigum parens, oſteoſis calloſis ex labore manibus: non movebit Chriſtus prodigos ſanguinis ſui, oſtenſis vulneribus?

Quorſum autem ire tam longè ad Calvariam, cùm in proximo ſit Bethleem? *Infer digitum tuum huc*, ad pedes & manus infantuli: *mitte manum tuam* ſuper pectus ejus ubi corculum amore tui palpitat. Non damnabis illicò, pedes tuos qui cucurrêre ad malum, & manus veloces ad vitia, tendas ad virtutem: Non dices ad hunc tactum: ò cor meum quare mala cogitâſti, dum cor Verbi incarnati cogitat cogitationes pacis? Doleo Chriſte, quia *Dominus es*, & talis: doleo, quia *Deus* es, & Deus incarnatus: doleo, quia *meus es*: parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.

Si vera eſt Contritio, erit generoſa, & movebit ad faciendum quidquid Chriſtus ſtatuit pro tollendo peccato. Unum ex illis neceſſarium, cùm licet, eſt Confeſſio, cujus variæ qualitates: è præcipua eſt Integritas. Durum hoc & grave? At nonne Chriſtus meretur? Infer manum in cor ejus apertum, & vide an non exigat, ut ipſi cor tuum aperias in vicario. Nonne id ipſum exigit utilitas tua? Bellarminus explicans Lovanii pro concione iſtud Paulli, *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti*, &c: dicebat, Deum balnea duo poſuiſſe in Eccleſia, abluendis peccatis, Baptiſmum, & Pœnitentiam. Baptiſmum eſſe balneum aquæ dulcis, ubi infans ſine labore purgatur originali. Pœnitentiam eſſe ex aqua calida: ubi interdum adulti patiuntur, uſtulantur, clamant ob peccata actualia: quibus miſericors Deus remedium aliquantùm difficile providit, ut vel hoc ipſo homines à peccando cohiberentur.

Sed times tu peccatum uni homini ſecretiſſimo confiteri; cum Thomas non erubuerit clarè, coram tot teſtibus quot erant in cænaculo? Quid enim iſtud eſt, Dominum confiteri & Deum: niſi fateri, quod ante non credebat? Et jam non in cœnaculo unico, ſed in omni Eccleſia ejus peccatum publicatur, & gaudet: nec dubito prævidiſſe id futurum, & gaviſum fuiſſe. Exemplum iſtud Apoſtolicum eſt, & adeò forſan arduum. Non meminiſtis Theodoſiani, non aliorum?

Spectant exempla iſta non ad Confeſſionem ſolummodò, ſed etiam ad ſatisfactionem quæ duplex eſt, ut alias fuſius oſtendi poterit; & nos quædam diximus ad c. 5. Exc. 1. ſect. 2.

Prima

Prima neceſſaria eſt, quæ à Confeſſario imponitur: altera Voluntaria quæ ultrò à pœnitente aſſumitur, ad quam hortatur Cyprianus ſerm. de lapſis, vide etiam ſi lubet Bell. concione in 4. Dom. Adv. Utraque adumbratur in verbis D. Thomæ, cùm Chriſtum Dominum vocat, cui ſatiſfacere debet ſervus, quando eum læſit: & Deum nominat, cui creatura debet ratione offenſæ quidquid habet. Exprimitur in ejuſdem Apoſtoli exemplo. Neſcio an notaveritis umquam; Apoſtolos qui graviùs peccavêre, plùs etiam cæteris laboráſſe. Petrus negat Dominum: oneratur totius Eccleſiæ curâ & multis itineribus. Paullus perſequitur Eccleſiam: ſed Chriſtus oſtendit illi, quanta oporteret ipſum pati pro nomine ejus. D. Thomas infidelis eſt: mittitur à Deo ad extremos Infidelium, &c.

Chriſtiane, ſi *ſecutus es peccantem*, in hoc alióve peccato, *ſequere pœnitentem*. Contritus, confeſſus, ſatisfac. Satisfactio melior nulla, quàm de cætero non peccare, & peccantes reducere ad Deum, ſi non voce, ſaltem exemplo. O D. Thoma, impetra nobis pœnitentiam. O Chriſte, Verbum infans, tu *Dominus meus & Deus meus*; diſpone me gratiâ tuâ ad veram & pacatam in amore tuo pœnitentiam.

DIE NATALIS CHRISTI.

THEMA. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem, juxta portam!* 2. Reg. 23.

Cyrus Panopolites apud Baron. tom. 6. conſcensâ in die Natalis cathedrâ hoc ſolum dixit ad plebem: *Fratres mei, ſilentio celebrandus eſt hic dies, quia Verbum à Virgine conceptum eſt auditu.* Tam brevis concio mirè placuit, quia plus intellectui dabat, quàm auribus, plus voluntati, quàm intellectui. Cogitationi relinquebat, quod non dicebat; ut ex cogitatione affectus naſceretur. Utinam idem nos in paullò longiore concione faciamus. Dies enim hic, non diſcurſuum & verborum eſt, ſed Verbi unius incarnati: dies non pulcrorum conceptuum, ſed piorum affectuum. Loquimini, inquit Propheta, ad cor Jeruſalem, non ad aures, &c. Ave.

Narretur qua occaſione dicta verba thematis à Davide: quid tres fortes fecerint: excuſetur Davidem ob alias rationes, tum quia jam tunc credibile eſt prævidiſſe futurum ut oriretur oriturum *in Bethleem juxta portam* fons patens domui David; quem cæli roráſſent & nubes pluiſſent; qui in die magno feſtivitatis dicturus erat, *Qui ſitit veniat ad me & bibat.* Eum fontem, de petra virginea ſcaturientem, optabat Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, apud Baron. an. 535. tomo 8. cùm à Saracenis obſeſſus, dicebat ad populum verba Davidis. Et nos, Chriſtiani, poſiti in terra arida & inaquoſa, Philiſtinis & Saracenis, id eſt vitiis, circumceſſi, deſideremus eum fontem, ſitiamus, quæramus. *Paradiſus noſter Chriſtus Dominus eſt*, inquit D. Bernardus, cujus anniverſario die manè hæc ſcribebam anno 1658. *Fons noſter eſt Chriſtus Dominus*, & quidem in quatuor capita diviſus: Pœnitentiæ, Sapientiæ, Devotionis, Fervoris. Pœnitentia lavabit, ut antiquos pœnitentes. Sapientia reficiet, & tollet ſitim animæ docendo exempla contemptus terrenorum. Devotio irrigabit bona opera, ut S. Ignatii fletus ubertim eo die in ſacris, S. Franciſci Aſſiſinatis &c. Fervor calefaciet & maturabit noſtra propoſita: qualis vigoris millium Martyrum eo die &c. Sed *O ſi quis nobis daret potum* de illo fonte! *O Deus meus* nate juxta portam in Bethleem *ad te de luce vigilo*, imò ad te de nocte vigilo, quæ ſicut dies illuminata eſt! *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.*

Ne laboremus, ne difficile putemus ad hunc fontem penetrare. Præſtò ſunt tres generoſi milites, qui trans omnem vitiorum aciem penetrent, & nobis afferant deſiderii ſatietatem: Fides, Spes, Caritas. Præcedit Fides, *ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus per hunc in inviſibilium amorem rapiamur.* Prophetarum de Chriſto naſcituro, loco, tempore, modo, oracula recolit. Hiſtoriam nati audit ab Evangeliſtis tam particulatim deſcribi, *ut Nativitatem Domini non tam præteritam recolere, quàm præſentem videamur inſpicere*, quemadmodum loquitur D. Leo. Invenit Deum *infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*: videt infantem, credit Deum. Apud Gerſonem Arithmetica non concipit, quo pacto duo unum ſint: Geometria; quo pacto infinitum tam breve: Philoſophia, quomodò cauſſa fiat effectus: Rhetorica, quomodò verbum ſileat: Medicina, quomodò ſalus infirma ſit: Juriſprudentia, quomodò Dominus idem ſit & ſervus. Sed Theologia, id eſt Fides, ſtupentibus ſcientiis, ſilente ratione, dicit, *Divina eſt authoritas, cui credimus; divina eſt doctrina, quam ſequimur.* Credimus Domine, &c. & ſi ſe occaſio offerret ejus fidei defendendæ per mortem, quomodò civibus Nicomedienſibus, faceremus &c. Fidem Spes ſequatur, omiſſo tantiſper fratre ſuo Timore. *Apparuit enim benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei*, dixit nobis hodie Paullus. Olim Judæi dicebant, *non loquatur nobis Dominus*: & Sapiens ſuus illos monebat, *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria.* Sed jam mutata eſt rerum facies, & Deus immutabilis in homine aſſumpto ſe mutavit. *Quid tu times, ô homo, quid trepidas à facie Domini, quia venit? Venit non judicare ſed ſalvare terram*: Bern. ſer. 1. de Nativ. Et diſcipulus D. Bernardi Guerricus: *Quid times peccator accedere? Ne ſit tibi ſcrupulo, quod graviter deliquiſti, Neſcit puer læſus iraſci, & ſi iraſcitur facilè poteſt placari.* Et D. Leo, *Salvator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt, gaudeamus. Non enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ, ubi natalis eſt vitæ. Nemo ab hujus lætitiæ participatione ſecernitur.* Nemo, ne maximus quidem peccatorum. Quocumque enim me verto, incurro in argumenta fiduciæ. Angeli clamant, *Pax hominibus, Annuntio gaudium.* Virgo orat. Joſeph pro nobis eſt deprecatur. Deus ipſe eſt in Chriſto mundum ſibi reconcilians. flet pro nobis, & vagit infans. Non ſperem, non me in iſta brachiola cum ſecuriſſima fiducia projiciam? Non ipſi me totum credam, etiamſi me occident? *O fons miſericordiarum, & abyſſus judiciorum: quis de hoc fonte bibit, & non amavit?* Non tantùm ſperavit.

Prodeat ergo caritas, & loquatur. Loquatur verè? Regina Saba, videns Salomonem in throno, *non habebat ultra ſpiritum.* Caritas Regina virtutum, ubi thus & myrrha naſcitur, videns Deum in fæno, habeat ultra ſpiritum? Heſther coram Aſſuero deficit, quia vidit illum *quaſi Angelum* Dei: non deficiat caritas, cùm videt Deum, non quaſi Angelum, ſed quaſi homulum? Narrant, piæ cuidam matronæ contigiſſe, ut viſo Chriſto puerulo inſtar nocte ipſa Natali, ſtatim mortua conciderit, ipſo quo Chriſtus natus fertur momento. Narrant hoc, & prorſus credibile eſt ſeriò credenti, quid ſit Deum naſci pro homine, infantem eſſe pro homine, tam vilem tam contemptum pro homine. O Caritas qui te non ſentit, vivítne ſenſu? Qui te non intelligit, habétne rationem & fidem? Qui te non amat, habétne cor? Qui à te deinceps ſuſtinebit ſeparari, ſecúmne ipſe erit? Fiant affectus ſimiles, pro modulo uniuſcujuſque. Nam hic longius extendere, quales ipſe aliquando dixi, non expedit: cùm quiſque naturam ſequi debeat.

Reſpiremus pauxillum, Chriſtiani. Praxim trium virtutum in ſtabulo Bethleemitico audiſtis. Utinam quotidie, utinam per has ſaltem octavas in ſacro exerceatis: ibi enim puer involutus ſpeciebus idem eſt, eodemque fine, atque involutus pannis. Exercete, & invenietis mirè utilem ad vitam Chriſtianè inſtituendam, qui hujus myſterii præcipuus fructus eſt. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri erudiens nos, ut abnegantes impietatem... Sobriè, piè, & juſtè vivamus in hoc ſæculo, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.*

O Adventus deſiderabilis! ô Bethleem optata! ô fons vitæ! *Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, &c.* Aug. in pſ. 41. *Ut cervus curre. Quid eſt, ut cervus? Non ſit tarditas in currendo, impigrè curre... Quid eſt aliud in cervo? Serpentes necat, & poſt interemptionem majore ſiti exardeſcit... ad fontes celeriùs currit. Serpentes vitia ſunt: conſume ſerpentes iniquitatis, tunc ampliùs deſiderabis fontem veritatis*, donec veniat dulcis ſatietas æternitatis.

Claudere hic poteris, Lector, materiam de Virtutibus Theologicis, publicè nollimam: quamque dum tibi ſcribo, fateor impetus me cepit iterum dicendi ad populum. Sed vires jam deficiunt magis, quàm pro ætate, quæ vix quinquagenarium excedit. Itaque tu meliùs ut ſpero, dices, quàm ego, adeoque utiliùs. addita præſertim tuis ad mea. Mea enim iſthæc puto eſſe, quia apud alios nec vidi neque audivi: etſi forſan ea affinia quædam ſis reperturus.

De Feſtis quæ ſequuntur neceſſe non eſt argumentum ad eas virtutes aptare. Si tamen voles, breviter ſuggero, quomodò ego ibidem dixi.

DIE S. STEPHANI.

THEMA. *Elegerunt Stephanum, virum plenum fide.* Act. 6.

Plenitudines variæ in Stephano, Spiritûs Sancti, gratiæ, fortitudinis, ſapientiæ. Fundamentum omnium, eſt plenitudo fidei: ideò faciebat prodigia & ſigna magna. Inſpiciamus ergo ipſum, ut vivum fidei exemplar firmæ, & efficacis. Ad firmitatem monſtrandam, videte primùm

disputantem

diſputantem ſolum contra Academicos omnes Hieroſolymitanos. Erat enim ibi academia, ibique D. Stephanus ſtuduerat ſub Gamaliele, &c. Omnes unus confundit: non poterat reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur. Expende quis loqueretur, de quo crucifixo, coram quibus, quo loco. Vide deinde ipſum in Sanedrim Concilio, ubi 72. ſeniores doctiſſimi Rabbinorum. Quàm fortiter fidem prædicat. *Vox veritatis teſtis extingui nequit, Etſi recisis palpitet meatibus*, ut dicebat de D. Romano Prudentius. Et *deeſſe verba nonpoſſunt, habenti ſpiritum Dei*, ut aiebat D. Lucia Paſcaſio judici. Planè fecit illum Deus qualem pollicitus erat fore Jeremiam c. 1. & Ezech. c. 3. *Dedi te civitatem munitam. Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

Vide denique in corona carnificum. Firmitatem fidei muneratur, jam nunc Chriſtus viſione ſui: *Ecce video calos apertos* &c. Qualis fuit iſta viſio? Inde arripiunt inimici occaſionem cædis. Ejicitur, cingitur lapidantibus, hoſtes ejus ipſi coronam parant; imò fiunt ejus corona, ut loquitur Greg. Nyſſ. Ibi vivæ fidei effectus in hac vita B. Stephano ſupremus apparuit, cum pro inimicis oravit eum qui ſimiliter oràrat. Sapricius habebat fidem, ſed quia inimico non pepercit, amiſit fidem, & palmam martyrii. Stephanus plenus fide orat pro inimicis, & pro fide moritur, imò obdormit, non moritur. *Felix ſomnus*, inquit B. Petrus Damianus, *cum requie, requies cum voluptate; voluptas cum æternitate.*

Eò adſpiras, Chriſtiane? Fidem habe, firmam, efficacem. D. Paullus ſpectator triumphi hujus, de fide loquens: *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna* &c. *lapidati ſunt*. Putas, quando iſtud de lapidatione ſcripſit, non cogitabat de conſanguineo ſuo Stephano, pleno fide cùm lapidaretur?

O Sancte potentiſſime in orando, qui Paullum convertiſti, impetra nobis fidem, & Stephanum ſeu coronam fidei in lumine gloriæ tecum.

DIE S. JOANNIS.

THEMA. *Diſcipulus quem diligebat IESVS.* Joan 21. Ipſe ſibi dat illum titulum eximium: quomodò, cùm dicat Sapiens, *Laudet te alienus & non os tuum*? Sed hic alienus ipſum laudat, Spiritus Sanctus qui in ipſo loquitur: *& ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus*, ut nobis ſit exemplar perfectæ erga Deum caritatis. AVE.

Diſputavimus nuper cum Philoſophis & Theologis poſſetne eſſe amicitia inter Deum & homines, diximus &c. En novam hodie ejus amicitiæ probationem, in exemplo diſcipuli *quem diligebat IESVS*, qui diligebat JESUM. Amicitiæ ſeu fundamenta ſeu effecta tria ſunt, Familiaritas, Benevolentia, Similitudo.

Sol omnia reſpicit, ſed maximè inter ſtellas Lunam, inter lapides adamantem, inter metalla aurum, inter flores heliotropium &c. Apoſtoli ſtellæ erant, debebunt eſſe planetæ errare per orbem: erant lapides pretioſi, deſtinati ad ædificationem Jeroſolymæ ſupernæ &c. Omnes reſpexit Chriſtus, ſed maximè Joannem. Non diſputo utrùm appretiativè magis dilexerit eum, quàm Petrum: conſule, ſi lubet D. Th. 1. 1. q. 20. a. 4. Sufficit mihi dicere dilectum fuiſſe tenerius à Chriſto. Quid delicatius dici poteſt, quàm iſta familiaritas, cùm *recubuit in cœna ſuper pectus ejus*? D. Joannes Baptiſta nil potuit efficacius dicere ad exprimendam familiaritatem æternam Verbi cum Patre, quàm, *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.*

Cùm ad cor Chriſti ita fuerit applicitus D. Joannes noſter, dubitari non poteſt, quin maximam benevolentiam ſenſerit, quomodò jam tunc apparuit in ſecreti manifeſtatione. *Vos dixi*, inquit Chriſtus, *amicos, quia omnia quæ accepi à Patre nota feci vobis.* At cui magis nota fecit, quàm Joanni? Quis altiùs de divinitate dixit, quàm ipſe? Sed iſtis omiſſis, unicum expendamus argumentum à teſtamento Chriſti, quod eſt *Teſtatio mentis.* Quid ſupererat Chriſto crucifixo præter Matrem? Quid illa pretioſius? Cui commendat?

Similem ſimili Chriſtus *Virginem virgini commendavit*: imò ſimilis ſimili. Quid enim Chriſto ſimilius, ſi varietatem donorum ſpiritualium aſpicias? Virgo eſt: Confeſſor: Martyr: Evangeliſta: Apoſtolus: Propheta in Apocalypſi: Patriarcha, qui *Aſiæ Eccleſias fundavit*. Angelus eſt, quia Caii, & Electæ curam habet, ut Angeli ſingularium: Archangelus, quia curam habet provinciarum Aſiæ: Thronus ob quietem animi, Cherubinus ob ſcientiam, Seraphinus ob intenſiſſimam caritatem, quæ ita ſpirat in omnibus ejus epiſtolis, ut mirer, quare non ſumpſerit etiam iſtum titulum, *Diſcipulus, qui diligebat IESVM.*

Multa quæruntur de D. Joanne. An mortuus ſit, &c? Si mortuus, an ſuſcitatus, ut tres qui ſimul in Calvaria fuerunt, crucifixus & duo adſtantes, Chriſtus, D. Virgo, & Joannes, ſint ſimul in cælo? Quæſivimus & nos, an Chriſtus Joannem magis quàm Petrum dilexerit? Quæramus potiùs, quomodò futuri ſimus diſcipuli à JESU dilecti? Quomodo niſi ut eum diligamus, amoremque noſtrum ſimilitudine morum, benevolentia, familiaritate teſtemur?

DIE SS. INNOCENTIUM.

THEMA. *Vox in Rama audita eſt, ploratus, & ululatus.* Matth. 2.

Explicato ad literam Evangelio & themate, in quo aliqua eſt difficultas: proponatur in hiſtoria Innocentium argumentum Timoris Dei ex una parte, Spei in altera. Gaudent carnifices cum Herode, patratis cædibus: quomodò enim turbata eſt Hieroſolyma cum illo nuper, ita jam gaudent miniſteria carnificinæ cum illo. Flent matres, & patres, amiſſis parvulis. O quoties flemus cùm gaudendum, gaudemus cùm lugendum eſt.

Honor objectum eſt gaudii, ſecuritas à periculis objectum ejuſdem eſt, ſocietas Sanctorum, æterna fælicitas. Omnia iſthæc parvulis contigêre. Quantus honor eſſe Martyrem! Deſideravit Franciſcus Aſiſias, Romualdus, Tereſa, Xaverius, non potuère aſſequi. Hi antequam nôſſe poſſint, aſſequuntur, & quidem primitiæ fiunt Martyrum, ſolique cum D. Stephano poſſunt diſceptare de titulo Protomartyris. Jam ſecuritas, ſocietas in limbo &c. ſunt faciles. Quærere poteris an in cælo longè ſupra infantes poſt baptiſmum decedentes futuri ſint. Infer inde, quàm ſperandum in Dei bonitate: qui nil mercedis meritos filios parentum multò minùs meritorum, tanta tamen fælicitate muneratur.

Uti ex alia parte Herodem ob virtutis alicujus moralis ſpeciem in hac vita muneratus honore, quàm horrendè deinceps punit. Sunt qui à Chriſto putent depictum in parabola Epulonis. Hiſtoria ſaltem nota eſt, neque inutiliter narrabitur, ut diſcant Chriſtiani non in præſentia intendere, ſed in futura: timoreſque ſuos & triſtitias, uti ſpes & lætitias, non temporalibus impendere, ſed æternis.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVITATIS.

THEMA. *Ego ſum α & ω, Principium & Finis.* Apoc. 1. & 21. & 22.

Chriſtum vobis exhibuimus Judicem, Meſſiam, Amicum, Dominum, Infantem: exhibebimus nunc, pro concionum Adventualium clauſula, Principium & Finem, quà Deus eſt & quà homo. Finis anni eſt, in Chriſto illum finiamus, in quo debemus finire vitam. AVE.

Arabum verbum eſt *Sapientiſſimum hominum eſſe, qui fines reſpicit.* Melius dixiſſent, *qui finem reſpicit.* Unicus eſt enim, etſi homines alii aliò tendunt, & tempus perdunt. Quid D. Silveſtro profuiſſet fuiſſe Pontificem, Conſtantino convertendo adfuiſſe, Arianos damnâſſe &c. ſi Deo non laborâſſet? Quid Conſtantinum juvêre victoriæ, cura Eccleſiarum, ſi Deo in illis non ſervivit, ſed gloriæ ſuæ, quod abſit? Finis unus eſt, ad quem tendere debemus, cui laborare: ipſe ſe deſignat, *Ego ſum α & ω* &c.

Chriſtum quà Deus eſt, finem eſſe rerum omnium, nominatim hominis, facilè probabitur, & nos aliquid poſuimus in Tract. de Bona Volunt. Parte 4. ſect. 1. num. 2. & 3.

Videre etiam poteris apud Leſſium de Perf. divinis: dum hoc ipſum argumentum uti & ſequens apparo Excurſit ad c. 5. lib. 2. Mach. Chriſtum, quà hominem, eſſe finem non noſtrum modò, ſed etiam Angelorum omnium, docent non pauci graviſſimi Theologi, dicuntque, creatum propter homines mundum, homines propter Chriſtum, Chriſtum propter Deum. Ita ſenſit Rupertus, & Rabbini varii: quodque pluris facio, Athanaſius & Gregorius eò inclinant, & videtur inſinuare D. Paullus, &c. Certum ſaltem hoc, finem noſtrum eſſe, quà Deus eſt. Itaque 1. erigamus animos nobilitate finis noſtri. 2. Alios fines deſpiciamus, ut nobis inferiores. 3. Dirigamus eò non vitam tantùm univerſam, ſed actiones ſingulas. 4. Ut in futurum meliùs dirigamus, reſpiciamus annum, qui effluxit. Solet ſuaderi ſingulis diebus veſpere Examen conſcientiæ: faciamus nunc Examen anni. Percurre puncta, nec pudeat rem familiarem docere, quantumvis doctos.

DIE

DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA idem.

Chriſtus Principium eſt annorum noſtrorum, quà Deus, quà Homo. Quà Deus, eſt cauſſa efficiens, eſt finalis, imò & formalis in ideis: unde ex hac parte convenit Verbo, id eſt Chriſto Deo, nomen principii rerum & noſtri, quia *quod factum eſt in ipſo vita erat.*

Quà Homo etiam principium noſtrum eſt morale, meritorium, &c. Sine illo nihil poſſumus facere, *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite.* Scala eſt bonorum, *pater futuri ſæculi, princeps pacis.*

Quorſum autem probare, quod omnes ſcimus? Dicamus potiùs, quomodò nobis ab illo annus inchoandus ſit. Prorſus ut diem inchoare Chriſtiani ſemper deberent? ab actione gratiarum de tranſcurſa nocte; ab oblatione diurnarum omnium cogitationum, & actionum; à petitione auxilii divini ad diem rectè tranſigendam. Hanc praxim explica familiariter, nec tædeat pedeſtri ſermone imitari Dominum, qui docet utilia.

DIE EPIPHANIÆ.

THEMA. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matt. 2. Hodierna *dies* vulgo *Regum* appellatur, à Magis, quos Reges fuiſſe conſtans opinio eſt. Cur autem non dicitur potiùs dies *Regis*? Hodie enim quæritur à Regibus *Rex Iudæorum:* & in palatio ſtabuli, in præſepis throno, in pannorum paludamento, in paupérculæ matris & nutritii ſatellitio adoratur. Et nos agnoſcamus Regem, atque adoremus. AVE.

Conſtat Chriſtum veniſſe Salvatorem, Doctorem, Legiſlatorem, Sacerdotem. Quidni ergo Magi peccatores, docti, legum periti, forſan & ſacrificuli, petunt potius, *Vbi natus Salvator,* quàm ubi *natus Rex?* Alia ratio melior non occurrit; quàm quòd ſub Regis titulo, non ſub aliis, Chriſtus primùm Magis innotuit, ſeu apparitione ſtellæ ſolius, ſeu ſimul priſcis vaticiniis aut novis oraculis. Dicendúſne ergo Rex fuerat infans iſte, tam ſpretus & rejectus, cui *non erat locus in diverſorio?* De titulo iſto nemo dubitare poteſt *Habet in femore & in veſtimento ſcriptum, Rex Regum & dominus dominantium.* Unio hypoſtatica ipſum facit ſummi Regis filium, natura non adoptione, adeoque vel hinc caput eſt Angelorum & hominum, & dantur ei gentes pro hæreditate. Sed quæſtio eſt: an regnum iſtud Chriſti ſit merè ſpirituale, an etiam temporale? Qua breviter diſceptata, conſiderabimus veneratione noſtra & affectibus dignas ejus Regis qualitates: tum quid ipſi exinde debeamus.

Regnum Chriſti ad ſola bona interna & manſura ſpectâſſe, nihil ad externam civilis ſocietatis gubernationem pertinuiſſe cenſent nonnulli, fulciuntque opinionem ſuam hac Chriſti diſerta negatione ad Pilati interrogatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo,* quale ſcilicet nôrat Pilatus, & ſibi fingebat de Chriſto. Alii contra ſentiunt, moltaque afferunt ex ſacris literis: Davidi dictum, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam,* ſedes autem Davidis politicam gubernationem ſpectabat: Virgini ſimiliter dictum ab Angelo, *Sedebit ſuper ſolium David patris ſui:* ſuperſcriptum Cruci *Rex Iudæorum* non ſine Providentia Numinis; eumque titulum, frendentibus licèt Judæis, manſiſſe. Deo tunc per Pilatum, quomodò ante per Caipham, loquente, & pronuntiante Regem, ſicut pronuntiârat Salvatorem: in hodierno Apparitionis myſterio Chriſtum Magis revelatum ut Regem, non ſpiritalem tantum, ſed & temporalem, ideoque ab ipſis oblata munera quæ ejuſmodi Regem decerent, & dari dominis per ſubditos in Arabia viciniſque locis conſueſſent; neque aliud ab ipſis ſpectatum in donis, etſi aliorum myſteriorum ſignificationem Deus ſpectârit, & Patres explicent. Accedit, paſſim ſub Chriſti tempus Judæis perſuaſum fuiſſe, Regem ipſis brevì oriturum: ideoque regni amittendi metu Herodem turbatum æſtuaſſe & ſæviſſe in ætatem innoxiam, nec ſuimet peperciſſe. *Velit nolit,* inquit Euſeb. Gall. ſerm. 3. de Epiph. *Regem Chriſtum eſſe fatetur, qui ſe ab eo regno putat eſſe pellendum.* Adeoque iſta de venturo Judæis Rege perſuaſio invaluerat, ut ad Veſpaſiani uſque ætatem pervaſerit: cujus idcircò juſſu occiſi, quotquot de Davidica ſtirpe deprehendi potuêre.

Adde Patrum ſententiam. Auguſtinum & Bonaventuram adduximus Proleg. ſect. 6. num. 2. Gregorius hom. 10. longè apertiùs id aſſerit. Card. Turrecremata contrariam ſententiam ablegat ad Hæreticos. Plures, opinor Patres reperies, tum apud alios qui hanc quæſtionem tractant, tum apud Mendoſam noſtrum t. 2. in lib. Regum Ann. 15. ſect. 3. D. Thomam prætulimus Dom. 4. Adv. ubi de affini Domini titulo diſceptatur. Quid autem ad rationem oppoſitam? Reſponſio facillima eſt, ſi advertamus, aliud eſſe longè poteſtatem Regiam, aliud poteſtatis exercitium. Hoc uti Chriſtum noluiſſe, quia docturus venerat terrenorum contemptum: in quo etiamnum valde laboramus, multò amplius laboraturi, ſi Chriſtus exemplo non præiſſet, nec pauper & deſpectus veniſſet, ſed ſtipatus opum & honorum cumulis.

Et hinc eminet prima Regis noſtri & amabiliſſima qualitas: Bonitas ſcilicet quæ majeſtatem ipſius ad quiſquilias noſtras & ſordes abjecit, non ſuo commodo, ſed noſtro. Alfonſus, ut ferunt, minimi amicorum ulcus linxit, & exſuxit: Chriſtus infimorum quamvis ſubditorum pauperiem, ignominiam, dolores *Rex natus* ab ipſo ſtatim vitæ exordio ſentire voluit. De beneficentia, primaria Principum virtute, vide Comm. ad c. 22. ſub finem, & c. 14. v. 4. Qualitas altera eſt Potentia & magnitudo regni Alexandri Magni imperium ſpectavimus primis cap. 1. verſibus. Sed quantulum præ Chriſti regno, cujus poſſeſſio ſunt termini terræ? Quantæ autem nobis gloriæ eſt, ei ſubditos eſſe & famulari, præ quo omnes iſti titulorum acervatores, vix apiariorum, & formicariorum, ſunt Reguli? Præſertim ſi qualitas tertia, id eſt regni duratio attenditur O quot Regibus terrarum iſtud tribui de Marcello poëticum poteſt: *Oſtendent terris hunc tantùm fata!* Quot annui, & menſtrui regnavêre, imò & diurni! Ut non immeritò Tragicomœdiarum Regibus comparari poſſint, & illis, quos honeſtæ recreationi in Chriſtianis familiis creatos Reges fabarum dicimus. Sed fac vivere quantum Herodes, & ſupra tricennalia celebrare: quantum Auguſtus, quadrageſimum annum imperans, quando exiit ab eo edictum, cui Chriſtus in utero Matris obedivit: quantum Magi, quos Chriſto ſuperſtites fuiſſe, & Prædicatores ac Martyres fidei obiiſſe, fama eſt. Morientur tamen, & *in illa die peribunt cogitationes* omnes ipſis fidentium. Quantò meliùs illi ſerviemus, *cujus regni non erit finis?* Quæ verba quotieſcumque in ſymbolo D. Tereſia audiebat, tota ardebat.

Eum qui non creatus, ſed *natus eſt Rex,* Regem adſciſcamus. Dicamus ex animo quod Bethæi Abrahamo, *Princeps Dei es apud nos:* quod Iſrael ad Gedeonem, *Dominare noſtri, quia liberâſti nos:* quod Amaſa abavo Chriſti, *Tui ſumus, ô David, & tecum fili Iſai:* quod Chriſto Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus: *Venit avaritia.. jactantia, ambitio,* &c. *Ego autem IESVM mihi Dominum teneo, & dico, non habeo Regem niſi Dominum IESVM.* Apoc. 4. Seniores mittunt *coronas ſuas ante thronum* Chriſti regnantis: Magi mittunt ſuas ante thronum infantis. Mittamus & nos cum illis, & offeramus de corde puro myrrham fidei, thus ſpei, aurum caritatis. Hæ virtutes, Chriſtianæ, Regi cordium debentur. Producat fides in tempore myrrham abſtinentiæ, ſpes thus orationis dirigendæ in conſpectu Dei, eleemoſynæ aurum caritas: Nam bona eſt oratio cum iſtis comitibus.

INDEX PRIMUS CONCIONATORIVS IN QUADRAGESIMAM VNIVERSAM ET FESTA INCURRENTIA.

Si quando, Lector, in ea tempora incides, & loca, ubi bella graſſantur, aut aliæ calamitates publicæ: habes in his Commentariis, amplam pro multis ſermonibus popularibus materiam. Quidquid enim hic dicitur, Excurſibus præſertim Moralibus, omni loco convenit, & omnibus publicorum malorum temporibus: neque alia fermè opus eſt mutatione, quàm tituli. Verbi cauſſa ſi peſtis incubuit aut fames, non bellum, tracta cauſſas, effecta, remedia, peſtis, aut famis.

Aptiſſimè autem hoc argumentum tractabis per dies Quadrageſimæ: tum quia aliæ ejus partes ex aliis pendent, & plus obtinebunt auctoritatis & fructus, ſi continuis diebus ediſſerantur, quàm ſi interruptis: tum quia Quadrageſimæ tempus eſt acceptabile, dies ſalutis ac pœnitentiæ, ad quam perpetuò ducit iſtius materiæ tractatio. Eam ob rem tibi hic eam ſubjicio in dies ſingulos Quadrageſimæ diſtributam, Sabbathinis exceptis: quia his vix uſpiam haberi ſolet concio. Si tamen etiam Sabbatho concionaberis, facile tibi fuerit & ad iſtam diem materiam hanc extendere: cùm argumenta, Dominicis præſertim, deſtinata, adeò copioſa ſint, ut ſine additamento in dies duos dividi poſſint.

Propono primùm Thema ex hiſtoria ſacra Machabæorum, quàm judicavi inter omnes Scripturæ libros accommodatiſſimam argumento de bellis: præterquam quod numquam ad populum ediſſeri ſoleat, adeoque novitate ſuâ ſit placitura. Deinde indico, quam partem ejus hiſtoriæ narrare poſſis, idque ferè ante Salutationem Angelicam. Tum ſubjicio materiam concionis ex aliquo Excurſu Morali. Denique indico documenta, quibus concio claudatur, & auditor, Deo propitio, domum dimittatur, non doctior tantùm, ſed & melior.

Ne autem mirere, Themata hic interdum alia proponi, quàm quæ Excurſibus præfixa ſunt. Cùm enim in Commentariis ad hunc librum inſtituiſſem omnem de calamitatibus publicis, nominatim de bellis, materiam dare, & in unum quaſi corpus cogere quidquid ad eamdem rem pertinet: Themata ſumpſi ex ejus libri capitibus, prout ſe dabant, & locus opportunus videbatur. Hic verò ad conciones ea ſeligo ex utroque libro, quæ aptiora erant, ad contexendam per ſingulos concionum dies hiſtoriæ ſeriem, ad mortem uſque Judæ Machabæi, ac ſepulturam: quæ nos ad Quadrageſimæ terminum, JESU Chriſti mortem ac reſurrectionem deducet.

Quia tamen multis in locis plebs valdè avidè excipere ſolet explicationem Evangeliorum, quæ per dies ſingulos Quadrageſimæ legi ſolent, mavultque eam ſibi materiam tractari quàm aliam quamvis: ſi ea in re obſequi voles judicio & deſiderio plebis, ſuggero quotidiana ex Evangelio themata, quæ aliis ex Machabæorum hiſtoria petitis conjunges, ut ſis ſimilis ſcribæ docto in regno cælorum, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera; id eſt, Veteris ac Novi Teſtamenti doctrinâ ad populi Chriſtiani eruditionem pariter utitur. Themati ſubjicio quædam ex ipſis Evangeliis excerpta, quæ tractationi ejus diei commodè inſeri poſſunt, & a me aliquando inſerta ſunt. Alia ipſe comminiſci poteris, & aptare ex re nata ad iſtorum exemplum.

DIE CINERUM.

THEMA. *Alexander Philippi Macedo conſtituit prælia.* 1. Mach 1.

Alexandri res, & comparationem cum Chriſto habes in Commentariis. Ab ejus præliis ad bella ſpiritualia digredere, de quibus fusè agimus Exc 1. ad c 3. ſect. utraque. Documenta in hac concione aſſignanda non ſunt, cum tota documentum ſit.

THEMA *Theſaurizate vobis theſauros in cælo* Mat. 6. Monet nos Chriſtus, & Eccleſia, de ſpirituali negotiatione, de theſauro virtutum comparando, de meritis per bona opera in Quadrageſima coacervandis. Quid ad hæc lituus, & tympana, & bellorum cauſſæ effecta ac remedia? Plurimum ſanè. Nam ex his diſces, quàm nihil ſit in rebus humanis appetendum, neque in terra theſaurizandum: ubi non ærugo tantùm & tinea demoliuntur, ac fures effodiunt, ſed etiam publica vaſtitas momento floreutiſſimas fortunas vertit & exterminat. Docebit te bellum, quod poſt Chriſtum te Patres docere conati ſunt, & in his Proſper 2. de Vita Cont. c. 13 *Fugienda ſunt ex toto corde divitiæ: quas qui habere volunt ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt.* Pertæſus vanitatem pereuntium opum, ad illas aſpirabis, quas ibidem Proſper vocat elegantèr, *Patrimonium cordium.* Ejuſdem conſilium, aut Chriſti potiùs, ſed aliis quam in Evangelio verbis, audies: *Illa nobis ſunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare pariter poſſint & munire, quas nec acquirere poſſumus invite, nec perdere; quæ nos contra hoſtiles impetus armant, à mundo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atque nobilitant, nobiſcum ſunt, intra nos ſunt.* Ad has igitur divitias expetendas & conquirendas, nos, cum bono Deo, deducet tractatio materiæ noſtræ.

FERIA V. POST CINERES.

THEMA. *Radix peccatrix Antiochus.* 1. Mach. 1. Narratis breviter quæ ab Alexandri morte ad Epiphanem uſque Scriptura perſtringit: deſcriptis etiam Epiphanis vitiis, immenſa præſertim cupiditate: devertendum ad cauſſas bellorum ex cupiditatibus, Exc. 4. ad c. 1. toto. Documenta ibidem traduntur

THEMA. *Puer meus jacet.* Matth 8. Appetitum ſenſitivum puero ſcitè comparat D. Thom. 2. 2. q. 142. a. 2. Servo & mancipio nequam paſſim comparatur ab Aſceticis, eique aptantur quæ de malis ſervis habentur Eccl. 23. & alibi. ſervus ille jacet æger & inquietus, *male torquetur,* & torquet; publicè ac privatim omnium inquietudinum & bellorum cauſſa eſt. Pro remedio recurrendum cum Centurione ad Chriſtum, orandum, excitanda fides.

FERIA VI. POST CINERES.

THEMA. *Contigit videri diebus quadraginta equites per aera diſcurrentes,* 2. Mach. 5. Hiſtoria Antiochi hucuſque pertexatur ex ſerie Commentariis præfixa. Quæſtio de phænomenis illis tractabitur in Commentariis ad

ad eum libri 2. locum: poteris interim per te diſquirere an meteora eſſent, an potiùs Angeli aut dæmones in corporibus aſſumptis. Inde tranſibis ad materiam de Angelorum & dæmonum operâ in bellis: Exc. 2. ad c. 12 ſect. 1. totâ, & ſect. 2. num. 7. uſque ad 13. Documenta ne ſimus ſimiles dæmonibus turbantibus & fiamus in diabolum malum 1. Mach. 1.38. ſimus Angelis ſimiles quamvis minima, pro Dei obſequio maximi facientibus.

THEMA. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Matth. 5. Sub initium dicere poſſis, Deum ſole Providentiæ ſuæ illuſtrare non ſolùm bonos Angelos, ſed etiam malos, iiſque uti ad fines ſuos. In prima concionis concluſione, ſeu documento primo, dic, nos ſæpè nobis ipſis & aliis dæmones eſſe. *Homo homini lupus*, aiebat priſcus aliquis; jam autem, *homo homini dæmon.* Nonne dæmonem eſſe cenſeas fumoſam odii, igneam iræ paſſionem; quæ contempto Chriſti monito, *Diligite inimicos*, contempto Dei exemplo, ſolem oriri facientis &c. nihil audit niſi vindictam? In altera concluſione dic in minimis pro Deo curandis nos fore ipſi Deo ſimiles non magna tantum pro nobis operantis, ſed etiam minima: qui *ſolem oriri facit* nobiliſſimum aſtrum, idem *pluit*, & vilia meteora gubernat. Iſto exemplo Chriſtianus faciat oriri ſolem ſuæ caritatis, diligendo inimicos: & pluat, nec negligat aquæ frigidæ calicem ſitienti præbere. Magnum eſt quod Deo impenditur, quamvis exiguum. In fine ora Deum, ut ſuper te licèt immerentem, faciat oriri ſolem illuſtrationum ſuarum, & ſtillare imbrem gratiarum.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Mathathias & filii ejus operuerunt ſe ciliciis.* 1. Mach 2.

Capitur Hieroſolyma, Judæa laniatur: Mathathias confugit ad orandum Deum, cujus Providentia prima eſt gubernatrix rerumpublicarum, motrix bellorum. Exc ad c. 14. ſect. 1. In documentis dic, recurrendum ad Providentiam non in bellis ſolùm publicis, ſed etiam in familiarum privatis, & ſingulorum inteſtinis.

THEMA. *Deum tuum adorabis.* Matth. 4. Exc. & ſect. iiſdem, num. ult.

FERIA II. POST DOMINICAM I.

THEMA. *Inundaverunt ſuper eos mala* 1. Mach. 2. Edicto ferali propoſito, fit fuga: combuſti in ſpeluncis Sabbatho Judæi: paſſim à malis boni opprimuntur, cæduntur. Hinc quæſtio Exc. ad c. 8. ſect. 1. Cur Deus malis utatur ad puniendos bonos? Documentum: imitanda nobis Providentia divina, & captanda etiam de malis utilitas.

THEMA. *Diſcedite maledicti. Venite benedicti.* Matth 25. Extremus Tragicomœdiæ Univerſi actus eſt judicium univerſale: ubi oves ab hædis ſeparatæ audient benedictionem, in beneficentiæ ſuæ præmium: hædi pronuntiabuntur maledicti, in malefactorum mercedem, non ſolùm ob commiſſa, ſed etiam omiſſa. Sed, ô! Chriſte, quàm in illo die lucebit tua Providentia & Juſtitia, tam in hac ſæculi nocte obſcura eſt. Sæpè enim modò videntur eſſe ad dexteram tuam, qui deberent eſſe ad ſiniſtram. Sæpè hirci fætentes dominantur ovibus; nec tantùm eis dominantur, ſed etiam reliquias paſcuarum conculcant pedibus ſuis: non miſerentur miſerorum, imò miſeriores eos faciunt, urgent, ſpoliant, opprimunt. Bella ſpectemus. En Judæa tempore Machabæorum. En noſtro. Subjice Excurſum: & rationibus interſere commodè verba Chriſti *Diſcedite maledicti*, ut virgæ, *in ignem: Venite benedicti*, qui non tantùm bonis veſtris bene uſi eſtis, verùm & malis veſtris.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Nos pro peccatis noſtris hæc patimur.* 2. Mach. 7.

Martyrium ſeptem fratrum narretur uſque ad hæc verba ſeptimi, & quia illuſtris eſt admodum hiſtoria, extendenda erit in concionis ingreſſum: reliquam materiam præbebit Exc. 5. ad c. 1. ſect. 1. uſque ad num. 7. ubi Scripturæ ſententiis probatur, peccata cauſſas eſſe calamitatum omnium bellicarum. Documentum erit: pro magiſtratibus, ſi patriam ſalvam velint, peccata publica quà poſſunt prohibeant: pro parentibus, ut domeſtica impediant: pro ſingulis, ut à peccando caveant, ne fiant patriæ proditores.

THEMA. *Ex ore infantium perfeciſti laudem* Matt. 21. Prodit ex ore infantium perfecta laus Dei, ejuſque Providentiæ ac Juſtitiæ: à puero octenni vel novenni diſertiſſimè aſſignatur cauſſa malorum omnium publicorum. Ingrediente Chriſto Hieroſolymam commovetur univerſa civitas, & quærunt, quis eſt hic? Chriſti Juſtitia in orbem per bella ingrediente commoventur provinciæ, & quærunt, unde tanta mala? Reſpondet puer, à peccatis proficiſci. Uno ore clamant idem Prophetæ, &c. ſed & *ſi hi tacuerint, lapides clamabunt*, ruinæ orbium & regnorum eras idem vociferabuntur.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Poſt filios & mater conſumpta eſt* 2. Mach. 7. Narra Heroidis invictæ Martyrium, idem ſanguine & morte pronuntiantis, quod liberorum duo dixerant, peccatis tribuendam eſſe originem malorum Judææ. Pertexenda deinde iſtius veritatis elucidatio ex Patribus, & experientia. Exc & ſect. iiſdem, à num 7. ad finem. Documenta reſpondent heſternis. In admonitione ad parentes, non eſt omittendum exemplum hujus matris, tam ſanctè liberos animantis ad legis obſervationem.

THEMA. *Signum non dabitur, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Matth 12. Piſcis immanis, naufragii diſcrimen, jactura mercium in tempeſtate figuræ ſunt procellarum bellicarum imminentium generationi pravæ & adulteræ. *Generatio* Chriſti ſumus; ſed quia *prava & adultera*, ideo nobis datur *ſignum Ionæ*, pœna peccati, quâ filius & ſervus fugitivus ad Dominum cogatur reverti.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Domine, propter timorem tuum libenter hæc patior.* 2. Mach. 6.

Narratam inſigni Martyrio ſenis nonagenarii, digrediendum ad quæſtionem diſceptatam Excurſus ejuſdem ſect. 2. Utrùm omne calamitatum genus in peccatorum pœnam à Deo immittatur. Documentum: accipienda mala publica, ut pœna peccati: privata vel amoris motivo, vel timoris.

THEMA. *Domine, adjuva me.* Matth. 15. Inter exempla calamitatum privatarum repone Chananææ calamitatem valdè magnam. In ſecundo documento: agnoſcamus ſinguli in malis noſtris cum Chananæa nos eſſe canes apud Deum, ſicut Pſalmiſta *ut jumentum* ſe reputabat: canes non merentur panem filiorum, ſed verbera potiùs petamus tamen à Chriſto micas aliquas ſolatii, *Domine, adjuva me.*

FERIA SEXTA.

THEMA. *Nunc confortata eſt ſuperbia.* 1. Mach 2. Reliquimus feriâ 2. Mathathiam in ſolitudine: hodie poſt cæptam Judaicæ rei reſtitutionem videmus moribundum. Dat monita liberis: præcipua duo ſunt, non mirandum, ſi felices ſunt impii, neque ideò deſerendum Dei obſequium. Materia erit, de querimoniis variorum adverſùs Providentiam divinam, impios florere, pios opprimi ſinentem: ſubdetur ſolum ad eas reſponſum generale. Exc. ad c. 8 ſect. 1. uſque ad num. 7. Documenta: ne mireris te aliquando tentari de Providentia, & ſubnaſci querelas invito: diſce judicia tua divinis ſubmittere.

THEMA. *Ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula.* Joan. 5. Sine dubio fuêre multi ad probaticam piſcinam ægri de proborum numero. Ipſe languidus tricenarius non erat inceſtus ut Herodes, politicus ut Pilatus, avarus ut Annas, invidus ut Caïphas; quamvis eſſet peccator, & audiret: *Vade & jam ampliùs noli peccare.* Torquetur tamen magis iſtis omnibus: cur hoc, ô Deus? In documentis, cùm dixeris judicia Dei obſcura eſſe, & admiranda non diſcutienda: Subde, imitandum languidum, qui nec plebis murmura nec Phariſæorum increpationes curat, ſed rectum ambulat cum grabato. Obmurmurent Epicuræi, ganniant Infideles, ſuſurrent ipſæmet cogitationes noſtræ, quomodò Providentia regat, iſthæc tamen accidant? Eamus nos ſemper rectà & dicamus, *Qui me ſanum fecit*, qui me Chriſtianum fecit, *ille mihi dixit, ambula:* cæcâ obedientiâ obtemperandum tali imperio tanti Domini.

DOMINI-

Digitized by Google

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus.* 1. Mach. 3.

Poſt mortem Mathathiæ Judas adit Principatum: expendatur ejus cognomen. Res Judaicæ ſunt meliori loco: nondum tamen ceciderè impii. Hinc ad reliqua materiæ heſternæ procedendum, ſect. eàdem, à num 7. ad finem. Documenta ibidem exponuntur.

THEMA. *Faciamus hic tria tabernacula.* Matth. 17. Sparſim alludere poteris ſæpiùs ad Evangelium Transfigurationis. Bonos in hac vita non diu relinqui in monte Thabor, ne ibi cum Petro velint figere tabernaculum, immemores bonorum cæleſtium, & neſcientes quid dicant. Impios non mirum à Deo meſcari fælicitate temporali: cùm Chriſtus Apoſtolos ipſos ſuos adhuc animales conſolatione ſenſibili hodie delectârit, & animârit ad ſuum obſequium. Sæpè hic impii lucent ut ſol, qui poſtmodum in æternis tenebris lugebunt: transfigurati hic in Angelos lucis, poſtmodum defigurandi in Angelos Satanæ. Quis ſapiens Chriſtianorum illis invideat, & velit in monte tabernaculum figere, cùm exſpectet domum non manufactam æternam in cælis?

FERIA II. POST DOMINICAM II.

THEMA. *Omnes operarii iniquitatis conturbati ſunt,* 1. Mach 3.

Machabæus cum Serone & Apollonio fæliciter pugnat. Antiochus infauſtè proficiſcitur in Perſidem: incipiunt conturbari omnes operarii iniquitatis, menſurâ paulatim completâ. De ea menſura eſt Excurſus 2. ad c. ult. ſect. 5. Documenta ibidem.

THEMA. *Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Joan. 8. Adverte, uti poſtmodùm dicemus, hanc Chriſti propoſitionem eſſe conditionatam neque umquam privatorum menſuram compleri, niſi impœnitentia finali. Cùm afferes probationes ex Scriptura pro ratione menſuræ, dicere poſſis te imitatorem Chriſti eſſe, & verbum Dei non tuum auditoribus diſſerere: *Qui miſit me, verax eſt, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor.*

FERIA TERTIA.

THEMA. *Miſericordem Dominum poſtulabant, ut in finem ſervis ſuis reconciliaretur.* 2. Mach. 8.

Miſſus à Lyſia Nicanor, cæditur: primâ illâ de Nicanore reportatâ victoriâ, orant Judæi miſericordem Dominum &c. Materia erit, de menſura Fidelium populorum & Infidelium, utra citiùs impleatur. Exc. 1. ad c. 15. Documenta ibidem.

THEMA. *Dicunt, & non faciunt.* Matth. 23. Sic Chriſtianorum plerique. *Væ nobis*, inquit Hier. *ad quos Phariſæorum vitia tranſierunt.* Ubi humilitas toties à Chriſto commendata? Ubi *magiſter* Chriſtus? Ubi *Pater* Deus? Nonne magis audimus præcepta utilitatis noſtræ ad terrena, quàm Chriſti voces ad cæleſtia?

FERIA QUARTA.

THEMA. *Nationes convenerunt adverſùm nos.* 1. Mach. 3.

Nicanor iterum profligatur cum Gorgia, tum rurſus cum Timotheo & Bacchide. Et hæc eſt quinta Judæ uno anno victoria, miraculo ſine dubio parta. In iſta Judæorum fælicitate, Syro-Græcorum calamitate, Deus demonſtravit modum ſtabiliendæ fælicitatis publicæ. Materia erit Exc. ad c. 7. ſectio 1. de peccatis publicis. Documentum ſit de ſtatu familiarum ſingularum, & ſingularum animarum ſtabiliendo ſuper juſtitia & pietate: ut idem nobis vocabulum conveniat, quod Hieroſolymæ.

THEMA. *Sedeant unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram.* Matth. 20 Jacobus cum gladio pingi ſolitus juſtitiam exhibet, Joannes cum calice Pietatem: ſedeant Juſtitia & Pietas ad utrumque latus tuum ô Rex, ô Princeps, ô Pater-familias, ô Chriſtiane. Indignantur Apoſtoli, tum apertè murmurant, de ambitione duorum fratrum: en peccata cordis, oris, operis, quibus adumbrantur trigemina publica peccata.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Aſcendamus nunc mundare Sancta.* 1. Mach. 4.

Pugnat Judas cum Lyſia. Poſt victoriam ſtatim cogitat de Templo mundando, & reſtituendis ſacrificiis. Nempe religionis & eò ſpectantium cura ſtabilimentum eſt civitatum: contrà impietas exitioſa. Exc. eodem ſect. 2. Documenta ibidem.

THEMA. *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua.* Luc 16. Ex eorum ſententia, qui putant Epulonis nomine Herodem Aſcalonitam ſignificari, probabis ejus exemplo Dei cultum, quamvis in homine cæteroqui malo, eſſe familiæ fulcrum. Exſtruxerat Templum & ditârat: idcircò Deus ipſi domum fecit, alienigenæ inter Judæos. In Lazaro exemplum habes, quo probetur animæ ſtatum inniti debere fidei, & pietati erga Deum. Cur enim ab Angelis deportatus in Abrahæ ſinum? An quia pauper, & ulceroſus? Nonne damnantur aliqui ejuſmodi? In ſinum Abrahæ patris credentium delatus eſt, quia fidem coluit. Angelorum vehiculo honoratus eſt, quia Angelicè vixit, Dei faciem ſemper intuitus. Cum ſeniore Tobia pauperem quidem vitam duxit, ſed multa bona habuit, quia timuit Deum.

FERIA SEXTA.

THEMA. *Debellabat Iudas filios Eſau.* 1. Mach. 5.

Finitimi Judæis populi, inter eos Judæi, ex mera invidia opprimunt Judæos, qui apud ſe habitabant. Tam inſignis injuſtitia diu non manſit impunita, nec ſolet: nihil enim illâ publicè pernicioſius eſt. Exc. eodem, ſect. 3. Documenta ibidem.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Mortuus eſt Antiochus.* 1. Mach 6.

Putreſcit moribundus, quem putredo libidinum delectârat: convenientem vitæ exitum ſortiſcitur impius, injuſtus, luxurioſus. De luxuria rerumpublicarum peſte habemus Exc. 3. ad c. 1. ſect. 1. & 2. Concio tota documentorum eſt.

THEMA. *Locutus eſt mutus.* Luc. 11. Luxuriam eſſe dæmonium mutum, expellendum à fortiori armato, Chriſto in Euchariſtia: in eodem Excurſu indicamus.

FERIA SECUNDA.

THEMA. *Machabæus, & qui cum eo erant, deprecabantur Dominum, caput terrâ aſpergentes.* 2. Mach. 10.

Solitus Judas à jejuniis inchoare certamina: ſic ſemper victor, & jam Idumæos vincit. Angeli caſtum & temperantem ducem tuentur, adversùs luxurioſos & ebrioſos Syro-Græcos, eorumque fautores. Ebrietate perire reſpublicas dicimus Exc. eodem, ſect. 3. Ubi etiam invenies documenta.

THEMA. *Miſſus eſt Elias in Sarephtha.* Luc. 4. Eliæ jejunia nota ſunt. Mittitur in *Sarephtha*, quod ſignificat *buccella anguſtiam*: paucis enim contenta natura, vel Senecâ, imò Epicuro apud Senecam, teſte, ep. 20. & 112 Non tamen vetamus convivia, ſed frugalia ſint & Chriſtiana: ne Epicuræi ipſi nobis dicam impingant. In comparatione ebrioſitatis cum aliis vitiis, poteris meminiſſe invidiæ & iræ Nazarethanorum erga civem ſuum Chriſtum.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Omnes ſimul benedixerunt miſericordem Dominum.* 2. Mach. 11.

Fugit Timotheus, & capitur. Lyſias, homo faſtuoſus & avarus, exercitum copioſiſſimum ducit in Judæam. Pugnatur: pax fit. Quantum malus unus reipublicæ obeſt, quantum prodeſt bonus? Hoc in Juda experti Judæi, illud in Lyſia Syri ſenſère: nos in aliis ſpectabimus, unius peccato laborare reſpublicas, Exc. 2. ad c. 5 ubi etiam documenta deſignantur.

THEMA. *Si peccaverit frater tuus, corripe illum.* Matth 18. Meritò corripiendus, non pro ſuo tantum aut tuo bono, ſed etiam publico. Quemadmodùm enim, ut Chriſtus pollicetur, duorum vel trium oratio unanimis Dei miſericordiam flectit: ita unius interdum peccata juſtitiam provocant.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Iudas, invocato juſto judice Deo, venit adverſus interfectores fratrum.* 2. Mach 12.

Pace facta coluntur agri: turbatur Græcorum aliquot nobilium cupiditate. Simon & Judas apud Galaaditas, &

& Galilæos, conſulunt ſuis. Pereunt nationes peccatis nobilium, rebuſpublicis magnopere noxioſum: Exc. 2. ad c. 1. ubi etiam documenta invenies.

THEMA. *Cæci ſunt, & duces cæcorum.* Matth. 15. Nobilium non pauci ſimiles ſunt Phariſæis: pluris faciunt lotionem manuum, & urbanitatis cæremonias, quàm Dei præcepta: cæci ipſi, non tam doctrina alios præcipitant, quàm malis exemplis: *de corde exeunt cogitationes* &c. cor ſunt reipublicæ, quod ſi infectum eſt corpus non infici nequit, & diu non poteſt vivere.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Ceciderunt Sacerdotes in bello.* 1. Mach. 5. Simon quid in Galilæa geſſerit, quid Judas contra Timotheum: capta Carnaim, tum Ephron, ne uno quidem deſiderato. Celebratum cum lætitia feſtum Pentecoſtes. Sed lætitiam confundunt Sacerdotes dum volunt fortiter agere: cadunt ipſi, & trahunt ſecum in interitum millia hominum duo. En Eccleſiaſticos cauſſas publicorum malorum Exc. 4. ad c. 5. Documenta, ibidem.

THEMA. *Erat prædicans in Synagogis.* Luc. 4. Ad Phariſæos Chriſtus infert lumen doctrinæ, & ad Eccleſiaſticos: eò graviùs peccant, quòd plus ſciunt. Eò item magis ingrati, quo majorem in Synagogis auctoritatem habent, & dignitatem.

FERIA SEXTA.

THEMA. *Omnes benedixerunt juſtum judicium Domini* 2. Mach 12.

Poſt Pentecoſten movetur in Idumæos, pugnatur, Sabbathum agitur: reperiuntur apud cæſos Judæos donaria: mittitur pecunia Hieroſolymam, ad curanda pro his ſacrificia. Judicabat igitur Judas, vel pœnitere potuiſſe ſi grave erat peccatum, vel ex ignorantia aut cupiditate leviter peccàſſe, ideoque occiſos. Materia erit de peccatis venialibus, quomodò ad menſuram faciant, Exc. 3. ad c. 5. Documenta: timendus Deus: benedicendum in malis omnibus juſtum judicium Domini: orandum.

THEMA. *Venit mulier de Samaria, haurire aquam.* Joan. 4. Sic poteris ingredi in concionem, factâ Salutatione Angelicâ. Quæſtio hæc mira quibuſdam videbitur: an venialia bellorum cauſſa ſint, etiam in comparatione mortalium? Quæ enim horum & illorum poteſt eſſe æqualitas? Chriſto ſedente ad puteum venit mulier Samaritana; Chriſtus tendit retia ad aquas; expiſcatur à garrula muliere aliquam intemperantiæ diſſimulatam confeſſionem, tangit ulcus apertè; ſanat ſimul intemperantiam, & infidelitatem. Erat ergo Infidelis ſimul, & fornicaria. Quis ferat iſtæc crimina cum levi Moſis incredulitate inter petram percutiendam comparari? Abſit, ut mortale veniali conferamus vel in malitia, vel in pœna vitæ alterius: agimus hic ſolùm de vitæ hujus malis cùm privatis, tum publicis, quærimuſque utrùm veniale ad horum cauſſam faciat?

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Judas præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent.* 2. Mach. 15.

Deus amicos ſuos diu non ſinit quieſcere. Judas arcem obſidet: adeſt novus hoſtis, cum copiis novis. Oratur Deus: pugnat Judas. Initia ſuccedunt generoſo duci, cui bona & mala in bonum eveniunt; quomodò & nobis ſi rectè utamur. Adhuc diximus de juſtitia divina, culpas in bellis caſtigante: deinceps de miſericordia, ex malis bona eliciente. Materia erit, de bonis & malis bellorum effectis generatim, Exc. 2. ad c. 15. ſectionibus duabus. In fine pro documento varias tangere poteris calamitates, & ſingulis ſolatium ſuum, ex ſententiis Patrum ante deductis, aptare.

THEMA. *Unde ememus panes?* Joan. 6. Quot olim, quot hodie per bella ad eam neceſſitatem redacti, ut neſciant unde panes comparent? En mala belli effecta. Multi Chriſtum ſequebantur, *quia videbant ſigna quæ faciebat, ſuper his qui infirmabantur:* en fructum morborum, & utilitatem bellorum. Chriſte iiſdem oculis reſpice languentem Europam, quibus famelicam turbam: fac ut aliquando tecum cantemus *Lætare, gaudete in lætitia, qui in triſtitia fuiſtis.* De monte cælorum, ſpecta vallem lacrymarum.

FERIA II. POST DOMINICAM IV.

THEMA. *Eleazar dedit ſe, ut liberaret populum,* 1. Mach. 5.

Antiochus promovet caſtra: concurritur: Eleazar elephantum Regium occidit. Rhodocus capitur, & alii proditores detecti atque occiſi. Calamitas quælibet, præſertim publica, elephanti iſtius inſtar eſt: eminùs conſpecta terret; cominùs aggredere, videbis poſſe ſuperari. Materia: Bello expurgatur orbis, & reſpublicæ, Exc. ad c. 6. ſectionibus duabus. Documenta: laudemus Providentiam: eamdem imitemur, purgando ſuſpiriis ac deſideriis mundum & reſpublicas, ſed maximè rempublicam cordis noſtri.

THEMA. *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit.* Joan. 2. Templum avaritia fecerat locum nundinationum: expurgat flagello Chriſtus de variis funiculis contexto. Sic belli flagellum eſt ex omni fermè calamitatum genere, velut funiculis, compoſitum: eo Eccleſia purgatur, minuiturque oneroſa multitudo. In documento primo addere poſſis: quomodò Apoſtoli non intelligebant quæ Chriſtus prædicebat de Templo corporis ſui: ſed poſtmodùm recordati ſunt, & intellexêre; ita modò ſecreta Providentiæ non intelligimus, neſcimus modò quid faciat Chriſtus, ſciemus autem poſteà. Multi tunc Chriſto crediderunt, videntes ſigna quæ faciebat: credent, ſpero, & tibi multi, ô Chriſte, poſtquam magna illa iræ tuæ ſigna feceris, & dum tu mundum expurgas, ſeipſos mundabunt, ut cras dicemus.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Remanſerunt in Sanctis viri pauci.* 1 Mach 6. Judas obſidetur: pauci cum ipſo manent. Cur iterum, ô Deus, amicum tuum affligis? Sic emendantur peccata, impediuntur, præveniuntur: Exc. 2. ad c. 4. ſectionibus duabus. Documenta: Laus Providentiæ divinæ: Imitatio ejuſdem; ut peccata præterita purgemus per pœnitentiam, præſentia vitemus per vigilantiam, futura caveamus per prudentiam.

THEMA. *Nolite judicare ſecundùm faciem.* Joan. 7. Ignaris murmuratoribus ſapientia Chriſti dat præceptum, quod afflictis omnibus hodie commendandum eſt. Malæ illis videntur calamitates prima facie: ſed ſi interiùs penetrent, bonas eſſe videbunt non publicè ſolùm, verùm & privatim. Hoc dici poterit, tum in concionis ingreſſu, tum in concluſione de laude Providentiæ divinæ, de qua non judicandum ex facie, ſed ex fine.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV.

THEMA. *Propter legitima ipſorum, quæ deſpeximus, iratæ ſunt.* 1. Mach 6.

Philippus rebellat: Antiochus Judæ pacem offert: capitur Antiochia: Infideles ipſi notant, Judæis zelum & ſtudium religionis per bella accreviſſe. Materia: Virtutum genus omne per bella excolitur, Exc. 1. ad c. 12. ſect. 1. Documentum: Elige quam exerceas virtutem, cùm affligeris: fac etiam ipſe tibi horologium ad virtutes, horologium Paſſionis Chriſti ſit monitor tuor.

THEMA. *IESVS lutum fecit, & unxit oculos meos.* Ioan. 9 Cæcitas quantorum bellorum cauſſa cæco nato? Omitto Dei gloriam, Chriſti honorem, utilitatem ſpectantium, confuſionem Phariſæorum: ipſe cæcus inde lumen fidei accipit, conſtantiam quâ imperterritus agit cum Phariſæis, patientiam qua tolerat de Synagoga expelli. Quis antè non judicaſſet miſerum? Quis modò non judicet beatum? Ita multis infælicibus fælicitas ex miſeriis. De luto & ſaliva aliquid in Excurſu tangimus.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Carnes Sanctorum tuorum, & ſanguinem ipſorum, effuderunt in circuitu Ieruſalem.* 1. Mach. 7. ex pſ 78.

Occiduntur Eupator & Lyſias: regnat Demetrius: Judæi apoſtatæ ad eum deficiunt: Bacchides cum Alcimo venit in Judæam: innocentes interficiuntur. Iterum calamitate bellica virtutes exercentur, & via ad limbum Patrum aperitur, inde ad cælum. Calamitates bellicæ cæli ſcalæ: Exc. 1 ad c. 2. Documenta: Per illas ſcalas aſcendamus: Domos ipſas noſtras cæli ſcalas faciamus, cùm undiquè ſtatur ad cælum.

THEMA. *Noli flere.* Luc. 7. Vetat Chriſtus matrem flere in funere filii, mox ſuſcitandi: flere nos vetat in calamitatibus, unde mox ſuſcitandi ſumus ad vitam virtutum, deinde ad vitam immortalem. O vani homines! Lugetis mortuum triduanum, & diurnum; æternum non lugetis. Plus dolet vobis brevis calamitas, quàm diuturna: nec tam ſentitis fælicitatem perpetuam, quàm calamitatis præſentis momentum. Noli flere D. Hedwigis de amiſſo filio: noli flere D. Leo Papa de militum tuorum cæde: non obiêre mortem, ſed abiêre ad vitam.

FERIA SEXTA.

THEMA. *Iudas fecit vindictam in viros deſertores.* 1. Mach. 7.

Occiduntur à Bacchide apoſtatæ: Alcimus coërcetur, brevì moriturus: ita impii paullatim miſerè pereunt, ad poſteritatis exemplum: & Machabæorum bella non ipſis ſolùm proſunt, ſed etiam nobis. Materia: Bellicæ calamitates proſunt poſteris: Exc. ad c. 10. ſect. 1. à num. 6. ad 13. Tota concio documentum eſt: inſiſtatur tamen præcipuè vanitati rerum creatarum.

THEMA. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem.* Joan. 11. Nonne ex ea ægritudine mortuus Lazarus, ploratus, ſepultus? *Mors,* inquit Aug. *ipſa non erat ad mortem, ſed ad miraculum.* Dicamus Chriſto, *Ecce* populus Catholicus, *quem amas, infirmatur,* tot jam annis inter bella conflictatus. Reſpondebit Chriſtus, *infirmitas hæc non eſt ad mortem;* ſed ad Dei gloriam, & profectum veſtrum, & poſterorum. Diſcetur inde timor Dei, & creatorum omnium vanitas, longè efficaciùs quàm ex Lazari morte aut cujuſvis alterius.

DOMINICA PASSIONIS.

THEMA. *Iudæi rogabant eum, qui populum ſuum conſtituit, ut in æternum cuſtodiat.* 2. Mach. 14.

Superſunt duo Judæ prælia. Prius explicabimus hac ſeptimana. Alcimus adit Demetrium: mittitur ab hoc Nicanor, & cum Simone congreditur. Etſi victor, offert tamen pacem, non ſine manifeſta Numinis Providentiâ. Ex ejus Providentiæ conſideratione remedium anodynum, ſeu lenimen accipiemus adverſùs mala bellica: Exc. 2. ad c. 3. ſect. 1. num. 1. 2. & Exc. ad c. 14. ſect. 3. num. 15. 16. 17. 18. Deſumes etiam præcipua puncta ex Tractatu de Bona voluntate, præſertim ex partis 3. ſect. 1. Neque injucundum & infructuoſum erit recapitulari, quod in Adventu dixeris. Concludetur concio actibus Reſignationis.

THEMA. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Joan. 8. Quis ſermonem Chriſti magis ſervat, quàm qui ut ipſe honorificat Patrem, & voluntati ejus in omnibus acquieſcit? Exemplum Chriſti nobis hodie proponere incipit Eccleſia: incipit enim tempus Paſſionis, quo vexilla Regis prodeunt, & pangit lingua glorioſi lauream certaminis. Pontifice introeunte per ſanguinem ſuum in Sancta. Abraham exultavit ut videret diem Chriſti, diem opinor Paſſionis ejus: quem vidit, & gavisus eſt, in figura Iſaaci ſui ad mortem deſtinati, & comparati. Utinam & nos videamus diem Chriſti, & intueamur quomodò ſe potentiæ Patris permiſerit, ſapientiæ crediderit, juſtitiæ ſubmiſerit, bonitati adhæſerit.

FERIA II. POST DOM. PASSIONIS.

THEMA. *Domine univerſorum, voluiſti Templum habitationis tuæ fieri in nobis.* 2. Mach. 14.

Alcimus iterum ad Demetrium adit, de Nicanore expoſtulaturus: hic Iudam capere conatur, Sacerdotibus multa comminatur. Fit oratio ad Deum, ubi magnum conſolationis in malis argumentum. Materia: Calamitates non nocent, imò proſunt: Exc. 3. ad c. 2. ſect. 1. Tota concio documentum eſt.

THEMA. *Vado ad eum, qui miſit me.* Ioan 7. Poſſit dicere miſer quilibet calamitatibus ſuis: *Adhuc modicum vobiſcum ſum,* brevì tranſieritis, & per vos *vado ad eum qui miſit me.*

FERIA TERTIA.

THEMA. *Domine, fac vindictam in homine illo,* 1. Mach. 7.

Poſt pacis ſimulationem, Nicanor victus Hieroſolymam venit iterum minabundus, Raziamque ad mortem impellit. Sacerdotes orant, & ſpe vindictæ ſeſe ſolantur, Materia; ſolatium ex conſiderationibus humanis: Exc. 2. ad c. 2. Documenta ibidem

THEMA. *Ambulabat IESVS in Galilæam.* Joan. 7. Sæpè cogitavi, cur Chriſtus Galilæam è Judææ provinciis potiſſimùm elegerit, cui laborum maximam partem, miraculorum, ſermonum impenderet? Dicas forſan cum Matthæo c. 4. id factum, ut adimpleretur, quod dictum eſt à propheta: Primo tempore *alleviata eſt terra Zabulon & terra Nephtali,* &c. Sed particula, *ut,* conſecutionis eſt, non cauſſæ hoc loco: idemque ſignificat ac ſi dicas, unde factum eſt ut impleretur, &c. Præterquam quòd ea Prophetæ ſententia de Chriſto non videatur dici, niſi accommodatitiè. Quid ergo ſi Chriſtum dicamus magis Galilæâ delectatum, quia plures ibi erant peccatores; neque uſquam medicus convenientiùs eſt, quàm apud ægros? Quid ſi, ipſum illic educatum, & ex ordine caritatis plus dare propinquioribus voluiſſe: Quid ſi, rudiores fuiſſe Galilæos, & cum ſimplicibus Chriſtum lubentius ſermocinari? Quid ſi & viliores fuiſſe, Chriſtum autem ſibi viliſſima quæque ſelegiſſe? Quid ſi myſterium latet in voce Galilææ, quæ volubilitatem & mutabilitatem ſignificat? In ea Chriſtus verſari vult, & volvi ut cæteri hominum: ne miremur nos etiam volvi, mutari, affligi. Omnium hominum ea ſors eſt. Chriſtus amicis dicit: *Tempus meum nondum advênit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Idem inimicis dicere poſſimus: feſtos dies agunt, nos lugemus: eunt ipſi Hieroſolymam ad viſionem pacis, nos ambulamus in Galilæa. Sed vices mutabuntur aliquando: erimus Hieroſolymæ, cùm ipſi in Galilæa errabunt.

FERIA IV. POST DOM. PASSIONIS.

THEMA. *Hic eſt qui multum orat pro populo.* 2. Mach 15.

Nicanor Sabbathum prælio deſtinat. Iudas ſuos animat fide digni ſomnii narratione. Materia: efficax adverſùs bella remedium oratio: Exc. ad c. 14. ſect. 2.

THEMA. *Ambulabat IESVS in Templo.* Ioan 10. Ecce Templum in Templo eſt: Templum vivum divinitatis in Templo manufacto. Sic Chriſtus vocat corpus ſuum, *ſolvite templum hoc.* Ecce Salomon in ſua porticu eſt: nam *plusquam Salomon hic,* qui ambulat *in porticu Salomonis,* tamquam viator declinans ad manendum. Erant tunc Encænia Hieroſolymis, feſtum renovati Templi & de novo dedicati à Machabæo, Chriſti illuſtriſſimâ figurâ, Principe, Pontifice, Propheta, Duce, Legiſlatore, Triumphatore, ut Chriſtus. Hyems erat, menſis Decembris die circiter ſeptimâ. O quantum frigus inceſſerat pectora Iudæorum, Chriſtum inceſſentium, & lapidare volentium! Hyeme venit Hieroſolymam Chriſtus: ut ver, & æſtatem, & autumnum invehat mentibus, floresque & fructus virtutum ſermonibus ſuis & exemplis producat. Venit ad Encænia, ut ipſe ſe conſecret Patri, & animarum encænia faciat, immoletque ſpiritali ſacrificio oves acceptas de manu Patris. Ambulat, ut nos doceat viatores eſſe, ambulare debere paſſibus affectuum, deſideriisque & votis ad Deum. Ambulat in porticu Salomonis pacifici, qui pacem & bona omnia ſua impetravit à Deo per orationes: fælix futurus, ſi impetrata ſervâſſet. In ejus portico ambulat Chriſtus, ut moneat nos ejus exemplo ſapientiam & pacem à Deo per preces obtinenda. Ambulat in templo, in domo orationis, ut & illam diſcamus frequentare, ibi effundere corda noſtra: ſi templum adire non licet, habeamus ſaltem conclave in intimo cordis noſtri, templumque non manufactum, ubi ſuſpiria noſtra offeramus Domino, in bellis omnibus ſpiritalibus & corporalibus. Sic ipſemet fecit, *quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum:* brevì videbimus in horto orantem, in urbe, in Cruce, pro ſe, pro omnibus.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Iudas, & qui cum eo erant, invocato Domino per orationes, congreſſi ſunt.* 2. Mach. 15.

Pugna cum Nicanore, & victoria. Materia concionis: cur ſæpe orationes ſint inefficaces? Exc. 2. ad c. 3. ſect. 2. Concio documentum eſt.

THEMA. *Vides hanc mulierem?* Luc. 7. Vis Chriſtiane audire, poſt tam diuturna & infauſta bella, ex ore Chriſti, *Vade in pace?* Vide hanc mulierem, ora conſtanter, fidenter, cum culparum pœnitentia. Prius audit, *remittuntur tibi peccata,* quàm, *vade in pace.* *In animo contrito & ſpiritu humilitatis* ſuſcipietur oratio noſtra.

FERIA

FERIA SEXTA.

THEMA. *Benedictus, qui locum ſuum incontaminatum ſervavit.* 2. Mach 15.

Judas triumphabundus redit Hieroſolymam: benedicitur Deus, qui locum ſuum ſervavit immaculatum. Benedicemus etiam à Deo ſi locum noſtrum ſervemus incontaminatum, familias, conſcientiam. Materia: Orationes ut ſint efficaces prodeant ex corde puro. Exc. eodem, ſect. 3. quæ tota documentum eſt. Poteris tamen eorum præſertim peccatorum deteſtationem & fugam commendare, quæ inter bellorum potiſſimas cauſſas recenſueris.

THEMA. *Collegerunt Principes & Phariſæi concilium.* Ioan 11. Caiphas & aſſentatores volunt peccando ſtabilire rempublicam, ſed perdunt. *Vtramque amiſerant*, ſalutem æternam, & temporalem. Stabiliſſe debuerant pietate, juſtitiâ, innocentia, ut majores ſui ſub Machabæo, & Deus locum eorum ſervâſſet incontaminatum. Nos autem, Chriſtiani, *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit*, multis nos exercet calamitatum experimentis, & minis? Deliberandum non eſt, non cogendum ampliùs concilium Patrum: res aperta; ad Deum confugere oportet in animo contrito.

DOMINICA PALMARUM.

THEMA. *Audivit Iudas nomen Romanorum.* 1. Mach. 9.

Fiat comparatio Iudæ cum Chriſto. Ubi ad mortis brevem comparationem ventum fuerit, dices; opinari quoſdam eam Iudæ inflictam ob ſocietatem cum Romanis: ſed verius eſt accidiſſe ob populi peccata. En etiam cauſſam mortis in Chriſto ſimilem, *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Materia: Chriſtum rurſus crucifigi à peccatoribus Exc. 3. ad c. 4. ſect 3 Documenta alia non erunt danda, quàm concluſiones ibidem expreſſæ.

THEMA. *Rex tuus venit tibi manſuetus.* Matth. 21. Ante Salutationem Angelicam, inter comparationes Iudæ cum Chriſto, & hanc inſeres, de ingreſſu utriuſque glorioſo Hieroſolymam. Machabæus triumphat poſt victoriam, Chriſtus ante victoriam, quia de illa erat ſecurus.

FERIA II. HEBDOM. SANCTÆ.

THEMA. *Eamus ad adverſarios noſtros.* 1. Mach. 9.

Accedunt hoſtes, terrentur ſocii Iudæ, & ipſe Iudas, qui tamen mox reſumptis animis ſocios hortatur. Et nos ſurgamus, & eamus ad noſtros adverſarios, ſuperanda & debellanda peccata, potentiſſimâ conſideratione: Exc. eodem ſect. 1.

THEMA. *Domus impleta eſt ex odore unguenti.* Ioan. 12. Frequentat IESUS Bethaniam, obedientiæ & pœnitentiæ domum. Excitemus nos ad utramque virtutem, conſiderandâ peccati gravitate, ut & Salvator nos amet.

FERIA III. HEBDOM. SANCTÆ.

THEMA. *Liberemus animas noſtras* 1. Mach. 9.

Hortatur Iudas ſuos ad pugnam, illi dehortantur rogantes, ut ſe ſuoſque ſervet ad meliora tempora. Inter alia dicunt: *liberemus animas noſtras*, id eſt phraſi Scripturæ, ſervemus vitam. Uſurpabo ego aliâ ſententiâ: liberemus animas noſtras à morte æterna, peccati mortalis juſtiſſima mercede. Exc. eodem ſect. 2. ubi etiam documenta indicantur.

THEMA. *Iudas Iſcariotes abiit ad ſummos Sacerdotes.* Mar. 14. Quâ juſtitiâ damnatus Iudas ad pœnam æternam, ob proditionem & deſperationem? Non equidem id difficile dictu, de tali parricidio. At quâ juſtitia unicæ cogitationi rependitur æternum ſupplicium? Id audiemus.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Abſit rem iſtam facere.* 1. Mach 9.

Generosè ſuis reſpondet Machabæus; & ne minimo quidem parvi animi ſigno gloriam ſuam, & Iudaicæ gentis, maculare vult. An prudenter factum, in Commentariis diſcutimus. Nos ſaltem inde diſcamus, quantâ nobis animi conſtantiâ adversùs peccata pugnandum ſit. Materia erit de peccato mortali: deſumenturque ex ſectionibus iiſdem, ac repetitione præcedentium. Numquam enim ſatis horror criminum inculcari poterit, hac præſertim hebdomadâ.

THEMA. *Quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo IESUM interficerent.* Luc. 22 Peccati mortalis horrendi exemplum habes in Scribis, & Sacerdotibus; potentiâ Dei abutuntur, bonitatem conculcant, imperia ſpernunt, præſentiam non attendunt: Chriſtum crucifigunt, antequam crucifigant: ipſi ſe prædamnant ad ignes æternos antequam à judice damnentur.

FERIA V. SANCTIORIS HEBDOM.

THEMA. 1. Mach 9. *Ceciderunt vulnerati multi*, Ioan. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

Narretur poſtremum Iudæ certamen, & mors. Materia concionis erit, de remedio vulnerum noſtrorum à Chriſti vulneribus, qui verè nos ad mortem uſque, & quantum fieri potuit, *in finem dilexit*: cùm ipſe vulnerari voluerit, ut nos ſanaret, & de ſanguine ſuo medicamina nobis compoſuerit, eaque Eccleſiæ Sacramentis velut pyxidibus incluſerit ad uſum noſtrum. Xenophon in Cyro cenſebat, arcendos ab exercitibus medicos; quamobrem non diſpicio: neque enim milites invulnerabiles ſunt, nec morbis immunes, adeoque indigent ut hominum cæteri arte medicinæ. Longè ſapientiùs Chriſtus, Eccleſiæ militantis Dux, ejuſdem ſeſe medicum fecit & medicamentum perpetuum: cùm non neſciret ea nos infirmitate eſſe, ut morbis innumeris obnoxii, plagas prætereà accipere poſſimus tum letales, tum minus periculoſas, quæ tamen neglectæ in letales paullatim evaderent. De iis Chriſti medicamentis, quæ die Iovis ſancto præſertim proponuntur, agemus.

Feria quinta Sanctioris hebdomadæ olim vocabatur, dies Iovis Abſolutus, manetque etiamnum iſta apud quaſdam gentes appellatio. Rationem attigimus Exc. 1. ad c. 1. num 7. Communiter jam & paſſim vocatur dies Iovis Sanctus, & meritò, ob cæremoniarum ſacrarum quas tunc Eccleſia exercet, ſanctitatem. Attingo quatuor.

Prima ac præcipua eſt, commemoratio inſtituti Venerabilis Sacramenti per Chriſtum, pridie Paſſionis ſuæ, ſeu, ut Paullus loquitur, *in qua nocte tradebatur*: ardente eo magis amore & vivaciores flammas evibrante, quò propiùs aberat à vitæ termino. Ad incenſæ iſtius caritatis memoriam, Eccleſia ſacrum celebrandum curat in templis præcipuis per eum, qui Chriſti perſonam exhibet, fungiturque vice Paſtoris. De ejus manu Sacerdotes alii ſacrum Chriſti corpus accipiunt, quemadmodùm de Chriſti manu Apoſtoli. Deinde accedunt de plebe multi, quos pietas impellit, & ſtudium imitandorum majorum eo die communicantium, ut conſtat ex Patribus, nominatim ex Aug. ep 118 Ubi etiam advertis: conſuetudinem, jam meritò abolitam, in aliquibus civitatibus fuiſſe, eo die Chriſti corpus tradendi fidelibus non jejunis, quomodò Chriſtus dedit Apoſtolis. Optabat D. Carolus Borromæus, ut omnes eo die communicarent: optabat, ut ſæpius ſumerent divinum iſtud adversùs omnia animi mala medicamentum, & antidotum. Sic vocat Aug. ſerm. 5. appendicis ſermonum de diverſis: *Qui vulnus habet, medicum requirit... Medicina eſt cæleſtis & Venerabile Sacramentum.* Eidem applicari poteſt, quod dicit l. 3. de Symb. c. 5. loquens de D. Paullo: *Cæleſtis archiatri antidotum bibit, confectum ex ſanguine medici. Prior ipſe bibit, & bibendum amatoribus propinavit.* Certè audimus hodie pulcerrima D. Paulli ad Dominicæ Cœnæ frequentationem monita: quibus etiam hoc Aug. addi poteſt l. 1 de pecc. mer & remiſſ. c. 24. *Optimè Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud, quàm ſalutem; & Sacramentum Corporis Chriſti nihil aliud, quàm vitam, vocant:* quia ſcilicet hoc Sacramentum eſt ſanitas ægrorum, curatio vulneratorum, ſuſcitatio mortuorum. Cum fide & ſpe accedamus ægri, vulnerati, mortui. Ecquis enim noſtrum plagas ſaltem aliquas non patitur? Sanet nos, curet nos, vivificet nos: ut deinceps generosè pugnemus bella Domini; & quod Eccleſia hodie flagitat, *refecti vitalibus alimentis, quod tempore noſtræ mortalitatis exſequimur, immortalitatis munere conſequamur.*

Alterum officium eſt tabernaculi ſtructura: ubi hoſtia ſacra per Sacerdotem reponitur, à populo adoratur. Cenſent quidam id fieri in honorem ſepulturæ Chriſti, & notant ideo illic poni ſpecies panis ſine ſanguine, quaſi Corpus Chriſti exſangue; adhiberi cuſtodes, ut ſepulcro Chriſti; ornamenta apponi, quia ſepulcrum Chriſti glorioſum eſt: favetque huic opinioni ſermo vulgi, eam ſtructuram ſepulcrum appellantis. Alii meliùs exiſtimant eſſe monumentum Chriſti patientis: ideoque durare horas viginti quatuor, id eſt totidem quot Chriſti Paſſio, à lotione pedum ad ſepulturam: prætereà hoſtiam conſumi feria 6. à Sacerdote,

ad figuram conſummati in Cruce ſacrificii per Chriſtum. Optimè meo judicio loquuntur, qui vocant *Tabernaculum Dei cum hominibus*, ſeu Venerabilis Sacramenti nobiſcum militantis tentorium. Ornamentis, & cereis, magno numero apponi ſolitis, ſignificantur ornamenta & ardor Chriſtianorum, Chriſti corpus ſumentium cum debita præparatione.

Idem tertio hujus diei officio indicari arbitror, Lotione pedum non ab Eccleſiaſticorum primoribus modò, ſed etiam Laicorum præcipuis exerceri ſolitâ, erga ſubditos ſuos & pauperes. Fit hoc ſine dubio ad exhibendam Chriſti humilitatem: qui Joan. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit*, tantus, talis, eo tempore, *præcinxit ſe linteo & lavit pedes diſcipulorum*. Neque humilitatis ſolius commemoratio eſt, ſed etiam caritatis: ideoque inter lotionem pedum cantari ſolent Chriſti verba, *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem*: & illa explicationis inſtar iterantur: *In unum congregavit nos Chriſti amor. Ex corde diligamus nos ſincere. Ubi caritas & amor eſt, ibi Deus eſt.* Cur autem Chriſtus ante inſtitutionem Venerabilis Sacramenti eam lotionem exercere voluit, imo aliàs? Sine dubio ad ſignificandum Pœnitentiæ Sacramentum, quod ſacræ communioni præmitti decet, ubi aliquæ pedibus noſtris, id eſt affectibus, animæ ſordes adhæſere. Itaque Eccleſia poſt cæremoniam illam peractam ſic orari juſſit: *Adeſto Domine.. ut ſicut hic nobis, & à nobis, exteriora abluuntur inquinamenta; ſic à te omnium noſtrum interiora laventur peccata.* Et Chriſtus ipſe eâdem ſignificatione dixit Petro tergiverſanti, & obſequium Domini admittere renuenti: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, neque in cœna hac, neque in æterno convivio. Baptizârat ipſum Chriſtus, ut docet Aug. ep. 108. ad Seleucianam: ſed quia novæ abinde acceſſerant maculæ, ideircò addit: *Qui lotus eſt* baptiſmo, *non indiget niſi ut pedes lavet* pœnitentiæ Sacramento. Lavare Chriſtianoe cum Petro, ut habeas partem cum Chriſto. Ablingere & mundare aquis Pœnitentiæ, ut Euchariſtiæ particeps. Si, quod abſit, lethale crimen admiſiſti: neceſſe eſt expurges, ne medicamentum vertas in venenum. Si leves tantum culpas habes, & illas expedit abluere, ut eò ſalubrior ſit vis medicamenti, & fibras omnes mentis pervadat & roboret.

Quarta cæremonia, quam etſi manè peragatur, lotioni tamen pedum ad Pœnitentiam & Euchariſtiam ſpectanti poſtponimus: eſt Oleorum ſacrorum conſecratio. Antiquiſſimam eam eſſe conſuetudinem, conſtat ex Concilio Aquiſgranenſi c. 5. can. 8. ad an. 836. jubente, ut feria 5. *in Cœna Domini, unctio olei... ſecundum ſtatuta decretalium & traditionem Apoſtolicam peragatur*. Concilium item Leptinenſe an. 743. can. 3. jubet, ut Presbyter in Cœna Domini ſemper novum Chriſma accipiat ab Epiſcopo. Et Zacharias Pontifex ep. 13. ad Bonifacium Archiep. imperat, ut Chriſma conficiatur iſtâ feriâ, ſecundum *antiquam Eccleſiæ conſuetudinem*. Non abſimilia habentur in Vaſenſi Concilio, anno 442. & alibi. Cur autem hoc potiſſimum die, cum Sacerdotes reconciliandis pœnitentibus occupantur, eam conſecrationem Eccleſia inſtituit? An quia tunc profectus eſt Chriſtus *in hortum* olivarum, *qui dicebatur Gethſemani*, id eſt olivarum torcular? An quia Chriſtus, *oliva fructifera in domo Domini*, cæpit hodie poni in torculari Paſſionis, expreſſuſque eſt in horto ſudor ſanguineus ex ejus corpore? An quia dies hodiernus noſtræ pœnitentiæ ſimul conſecratus eſt, & miſericordiæ divinæ, quam oliva jam olim ſignificavit poſt diluvium, Gen. 10? *Computreſcet*, inquit Iſ. c. 10. *jugum à facie olei*: juſtitiæ divinæ rigor molleſcet dulcedine miſericordiæ.

Samaritanum id eſt ſeipſum, pingit Chriſtus vino & oleo vulneribus miſeri viatoris medentem: amoris ſui vinum, & oleum miſericordiæ plagis noſtris inſtillat, cùm ad Sacramenta accedimus, quibus ſanguinis ſui vim omnem medicam incluſit. Utamur benignitate Salvatoris, ne ipſemet exprobret nobis verbis Proſperi 3. de Vita Cont. c. 12. *Si potuiſtis, quare non reſtitiſtis deſideriis peccatorum? Si non potuiſtis, quare meum contra peccata non quæſiſtis auxilium? Aut vulnerati quare pœnitendo non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium?* Trajanum narrant in Pannoniis milites ægros inviſere ſolitum: læſis ſi linteamina deeſſent ad obligandas plagas, induſia ſibi detracta ac diſcerpta dediſſe. Imperator noſter Chriſtus, veſtibus omnibus ad tunicam uſque inconſutilem nudatus, corpus ipſum ſibi concerpi voluit ad vulnerum noſtrorum curationem. Pelicanum pingunt roſtro pectus laniantem, ut pullos nutriat. Sed avis ejuſmodi in rerum natura nuſquam cernitur, ſi unicam demas, quæ de cælo devolavit in terram, & in Calvaria, in Cruce, *in arduis poſuit nidum ſuum.* Ibi perfoſſo pectore, profuſo ſanguine, exhauſtâ vitâ, vitam, vigorem, animos ſuis inſpirat exſpirando: ut cum Angelico Doctore dicamus: *Pie pelicane IESV Domine, Me immundum munda tuo ſanguine* addamus, Vulneratum cura tuo ſanguine, Mortuum ſuſcita tuo ſanguine, *Cujus una ſtilla ſalvum facere, Totum mundum quit ab omni ſcelere.*

FERIA VI. HEBDOM. SANCTÆ.
SEU PARASCEVE.

THEMA. *Quomodò cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël?* 1. Mach. 9.
Materiam totam habes Exc. ad iſtud caput, ſect. 1.
THEMA. *Videbunt, in quem transfixerunt.* Joan. 19.

DIE SANCTO PASCHÆ.

THEMA. *Simon ſtatuit ſeptem pyramides.* 1. Mach. 13.
Materiam habes totam Exc. ad iſtud caput, ſect. 1.
THEMA. *Surrexit.* Mar. 16.

FERIA II. PASCHÆ.

THEMA idem 1 Mach. 13. Ex Evangelio, *Surrexit Dominus verè.* Luc. 24. Materia Exc. eodem ſect. 2.

DOMINICA QUASIMODO.

THEMA. *Siluit terra Iuda.* 1. Mach. 7.
Vivo adhuc Juda Machabæo, poſt frequentes pugnas, parta eſt quies aliqua & pax non diuturna. Vivente glorioſiſſimo triumphatore Chriſto, mortis poſt mortem victore, ſilet terra Juda: terra laudantium Dominum audit, *Pax vobis.* Hanc *pacem Iudæi Hieroſolymis* habitantes optavère *Iudæis qui ſunt in Ægypto.* 2. Mach 1. Beati ſpiritus laudantes Deum, & animæ ſanctorum habitantes in viſione pacis æternæ, cives cæleſtis Jeruſalem, optant nobis pacem bonam adhuc in Ægypto, & regione tenebrarum degentibus. Materiam habes de Pace Excurſu eodem, ſect. 5.
THEMA. *Pax vobis.* Joan. 20.

DIE S. MATTHIÆ.

THEMA. *Surrexit Mathathias.* 1. Mach 2.
Materiam ſuggerimus in Commentariis ad c. 2. v. 1.
THEMA. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Matth. 11. Etiam D. Matthias convenienter nomini ſuo traditus eſt Chriſto per Patrem, ut filius poſthumus, & per Chriſtum traditus Eccleſiæ, ſorte ſuper ipſum mirabiliter cadente.

DIE S. JOSEPHI.

THEMA. *Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodivit mandatum, & factus eſt Dominus Ægypti* 1. Mach. 2.
Comparatio Patriarchæ Joſephi cum Joſepho patre & educatore Chriſti celebratiſſima, præſertim ex quo illam D. Bernardus inſtituit. Commodè capita ab illo Doctore annotata perſtringentur, addeturque ab ipſo non productam in illis hanc Mathathiæ ſententiam, ubi magna & ſolida ad utriuſque Joſephi laudem materia continetur. AVE.

Illuſtriſſimus Heros Mathathias de Patriarcha Joſepho tria dicit, 1. fuiſſe in tempore anguſtiæ 2 cuſtodiſſe mandatum 3. factum Ægypti dominum. Tempus anguſtiæ, etſi propriè hîc unicum intelligitur, ut in Commentariis indicavimus, tripliciter tamen poſſumus interpretari: quando invidia fratrum vexatus, & venditus: quando heræ libidine ſollicitatus: quando ejuſdem heræ amore in odium verſo accuſatus & damnatus ad carcerem. Tripliciter item explicari poteſt mandati cuſtodia: de caritate erga fratres, quamvis invidos, unde etiam proceſſit ipſa apud patrem accuſatio de crimine peſſimo: de conſtanti caſtitate, & fidelitate erga Deum & herum: de patientia & fidelitate ſervatis in carcere. Omnia enim iſta ſunt mandata Dei, & legis naturalis. De dominatu Ægypti unica eſt explicatio: cum enim adeptus eſt poſt arcana & futura enuntiata, unde ipſi apud Ægyptios agnomen *Pſontomphanech*, id eſt linguâ Ægyptiacâ & Copticâ, *Revelator arcanorum*,

aremnorum, pro quo vulgata noſtrâ vertit, *Salvator Ægypti:* ſed 70. ipſum Copticum vocabulum ſervavére.

Apprimè omnia iſta D. Joſepho noſtro conveniunt. Paſſus eſt anguſtiæ tempora multipliciter: cùm filius David, Judæorum nobiliſſimus, tot Reges ac Principes in majoribus numerans, eò tamen devenit, ut fabrilem artem exercere debuerit: cùm ductâ conjuge ſanctiſſima, prægnantem tamen invênit, anxiuſque ac dubius conſilii de ipſa occultè dimittenda cogitavit, ne vel illi infamiam irrogaret, vel ipſe incurreret: cùm perſecutione ingruente, patria deſerenda fuit in exteram regionem migrandum, ſummis in anguſtiis cum conjuge filioque vivendum: cùm abſente per triduum duodenni Chriſto dolens eum quæſiit: cum ipſi præmoriendum fuit antè auditas Chriſti prædicationes, & viſam ejus ex miraculis gloriam; antè enim mortuum certò conficitur ex eo, quod in nuptiis Canæ non fuerit, & de illo deinceps nulla fiat mentio, variis aliiſque occaſionibus non prætermittenda. Mandatum item cuſtodivit multipliciter: cùm in paupertate ſuâ, ut aliàs ſemper ingeminavit, *fiat quod Deo placuerit:* cùm temerè de conjuge judicare & decernere noluit, ignarus licèt myſterii, ſed non neſcius quid deberet caritati. cùm juſſum divinum de Ægyptiaca profectione accepit ſilentio, & obedientiâ cæcâ executus eſt, donec revocaret qui miſerat; uti Noemus in arca manſit, donec eam recluderet, qui clauſerat. Dominum Ægypti factum quomodò dicamus hominem tam contemptum, & pauperem? Primùm, quando Domino ingrediente in Ægyptum ſuper nubem levem, commota ſunt ſimulacra, patrata miracula per Deum hominem, cujus *ut putabatur*, pater erat, adeoque paſſim, honorabatur. Deinde, quando ipſi per noctem, & in tenebris miſeriarum affuit Angelus, & ſecreta aperiens fecit & ipſum Joſephi alterius inſtar Pſonromphanechum. Tertiò, quia dominus fuit Chriſti domini dominantium, & Salvatoris Ægyptiorum, id eſt peccatorum. Quartò, quia in Ægypto id eſt mundo tenebrarum harum, plurimùm poteſt apud Fideles, & Infideles. Apoſtoli Franciæ novæ, nomine ejus invocato, mira patravére. In Oriente nomen ejus ubique celebratur. In America urbes & regiones ab ipſo appellationem ſortitæ. Quò magis mundus ad finem & noctem vergit, eò D. Joſephus magis accreſcit & colitur.

THEMA. *Ioſeph vir juſtus.* Math. 1. Planè juſtus, qui ſic cuſtodivit mandatum in die anguſtiæ.

DIE ANNUNTIATIONIS.

THEMA. *Supra modum Mater mirabilis.* 2. Mach. 7. De matre ſeptem Martyrum id dictum; eximiè congruit Matri Chriſti: mirabili ob profundiſſimam humilitatem in die Annuntiationis, & gloriæ: mirabili ob indomitam patientiam in die Paſſionis, & ignominiæ. Duo illa tractatione jungimus, conjuncta forſan tempore & die. Dabimus hanc materiam, Deo dante, ad c. 7. l. 2. Exc. ſect. 3. *uſque* ad num. 11.

THEMA. *Ecce ancilla Domini,* Luc 1. Tam hoc dixit Virgo in Calvaria, quàm in Nazaretano cubiculo: omni tempore ancilla Dei. Veræ virtutis ſignum utraque fortuna. Vide Comm. ad c. 15. in fine.

INDEX ALTER CONCIONATORIUS IN QUADRAGESIMAM UNIVERSAM, ET FESTA INCURRENTIA.

FERIA IV. CINERUM.

THEMA. *Cùm jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes.* Matth. 6.

Explicato Evangelio, propone quomodo triſtes nolit eſſe Chriſtus jejunantes, Eccleſia contra videatur velle triſtes. Convenientiam cæremoniæ Eccleſiaſticæ, & moniti divini intelligemus ex conſideratione Cinerum. AVE.

De cineribus totus fermè eſt Excurſus 1. ad c. 1.

FERIA V. CINERUM.

THEMA. *Non inveni tantam fidem in Iſraël* Matth. 8.

Poſt narratum Evangelium, incipere potes à laudibus militaris ſcientiæ & fortitudinis, de qua habes Exc. 2. ad c 1. ſect. 2. num. 4. & contra aliquid habes ad c. 9. v. 61. Tranſi deinde ad virtutes Centurionis. Unicam commendat Chriſtus: cæteras nobis relinquit conſiderandas. Tres invenio: dicit Chriſtus, non inveni tantam fidem *in Iſraël:* ego prætereà *non inveni tantam caritatem,* nec *tantam humilitatem.* Fidei excellentis indicia in illo ſunt quatuor, totidem caritatis, & humilitatis.

Primùm credit Chriſto poteſtatem eſſe ſanandi infirmos, etſi pauciſſimos antè ſanâſſet, forſan leproſum ſolum. Deinde credit tantum benignitatis habere, ut poſtulato ſtatim acquieſcat, & miſereatur ægri, ſtatû ipſius paucis verbis expoſito. Tertiò credit ſanari poſſe ſine cæremoniis ſolo *verbo*; opus non eſſe ut imponat manum, quod pro filia petebat Archiſynagogus. Quartò credidit abſentem poſſe ſanari. ideoque non petit ut veniat, quod non filio Regulus poſtulavit, pro Lazaro Martha optavit. Meritò itaque Chriſtus miratus eſt in homine militari fidem tantam: & ſic ſe geſſit, quaſi miraretur, quia reverà erat miranda hominibus, etſi non homini Deo. Meritò item dixit, non inventam à ſe tantam fidem in Iſrael: comparatione factâ vel cum iis qui tum aderant, vel cum Judæorum vulgo; non autem cum fide, v. g. Joannis Baptiſtæ, aut D V. cui dictum eſt, *Beata, quæ credidiſti.*

Quid ſi fides ejus comparetur cum noſtra? Quid autem ſi caritas conferatur? Primùm domi retinet famulum ægrum. *Contra eos,* inquit Hugo, *qui ſtatim famulos ægros ejiciunt, & ad hoſpitale mittunt.* Quamdiu *vadit, & venit* famulus, eſtque uſui, amatur, eſt *pretioſus:* deſinit paululiſper vadere, & venire; inutilis ejiciatur. Non ergo ipſum amas, ſed te. Caritatem non habes, habe ſaltem gratitudinem. Incanuit obſequiis tuis, in illis morbum incurrit, fidelis fuit: tam citò memoria iſtorum abſterſa eſt? Laborat ergo mens tua deteriori morbo, quàm corpus ipſius. O ſi talem invenias medicum, qualem Spondanus narrat an. 1328. Carolum Calabriæ Ducem! Cùm Vicarium ageret Neapoli, campanam ante palatii fores appenderat, quam fas eſſet cuique juſtitiam poſcenti pulſare. Equus Capetii, id

nobili nomen erat, ob ſenium dimiſſus, eam caſu pulſavit. Accurrit Carolus, auditoque cujus equus eſſet vocandum dominum curavit: qui faſſus ſibi aliquando utilem fuiſſe, nunc inutilem, ad alimenta damnatus eſt. Altera caritatis nota eſt in ſtudio quod adhibet ad ſanitatem a Chriſto impetrandam allegando Judæos, ipſemet accedendo, eadem ferme præſtando quæ pro filio ſuo David 2 Reg. 12. Tertiò caritas elucet in verbis affectûs plenis, quibus morbum explicat. *Omnia iſta*, inquit Rabanus, *cum dolore narravit... Sic debent omnes condolere ſervis, & eorum curam habere.* Eumdem affectum aliqui advertunt in voce *puer* pro ſervus: ſed nos de ejus vocis acceptione diximus ad c. 1 v 7. Quartum caritatis indicium eſt apud Lucam, ædificatio Synagogæ pro Judæis: Bibit fluenta putei ſui cum domeſticis, & aquæ ejus egrediuntur foràs ad exteros, id eſt ad rationem Judaicam. Longè abeſt hic miles à rapiendis alienis, qui ſua largitur tam liberaliter. Forſan ipſi ſtipendia numerabantur exactius, quam hodie ſolent: qua de re nos diximus aliquid ad v. 27. c. 3. At certè etiam ex iſtis, qui ſtipendia ex aſſe recipiunt, pauciſſimos invenias parcentes alienis, tantum abeſt ut de ſuo largi ſint.

Exhaurienda non eſt admiratio noſtra in caritate: ſervandum aliquid etiam humilitati. Primùm, quia etſi tantis virtutibus polleret, ſe tamen indignum arbitratus eſt, ad cujus *tectum* Chriſtus intraret, non quòd idola haberet, ut cenſuit Liranus: non quia *homo peccator* erat, id eſt publicis peccatis infamis: ſed quia verè humilis. Unde Aug. de illo ſerm. 8. de ver. Dom. *Illum, quem intrare timebat in domum ſuam, geſtabat in corde.* Secundò, non ſolùm ſe indignum judicavit ad quem Chriſtus veniret, ſed etiam qui ad Chriſtum veniens ab illo admitteretur: non tantum dicit quod Abrahamus, *loquar, cùm ſim cinis* &c. aut quod D. Joan. Bapt. *non ſum dignus ſolvere calceamenta*, ſed etiam non ſum dignus *venire ad te.* Tertiò, poteſtate ſua aliis imperandi adeò non ſuperbit, ut prius agnoſcat ſe ſubditum, quàm dominum: *Homo ſum ſub poteſtate.* Quartò benefacta nulla ſua Chriſto commemorat: alii meminerunt, ipſe non. Peccaſſetne, ſi ſimile aliquid dixiſſet Ezechiæ, *Memento quomodò ambulaverim &c.?* Memento quomodò Judæos dilexerim gentem tuam, ædificaverim Synagogam &c.

O quàm ſæpè Chriſtiani à virtutibus iſtis abſumus! Dignitas aliqua nos facit immemores noſtri, dominantes in cleris, benefacere nolumus, & *benefici* volumus vocari. Audebone dicere, quod Aelredus Abbas, 3. Spec. c. 26. *Ut iſti habeant currentes canes, aves volantes, equos ſpumantes, nudantur, Domine IESV, latera tua, videntur verba tua, effunduntur viſcera tua.* Unde iſtud? Ex defectu fidei. Clamabat priſcus aliquis: *ubi pietas?* Peto ego, *ubi*, in tanto humilitatis & caritatis defectu, *fides* eſt Dei ſpectantis, approbantis, munerantis bonas actiones. *Erubeſce Sidon, ait mare*, Iſ. 23. Miles in nocte infidelitatis natus nos ſuperat: neque ille tantum, ſed *& multi ab Oriente &c. accumbent cum Abraham &c. filii autem regni ejicientur foràs.* O Chriſte fac ſim de electis, non de ejectis.

FERIA VI. CINERUM.

THEMA. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus &c.* Matt. 5.

Poſt Evangelium narratum & Spiritum Sanctum invocatum poteris Vindictæ appetitum exagitare & manſuetudinem commendare: primùm à Chriſti edicto, *Dico vobis:* deinde à Dei exemplo quod Chriſtus etiam proponit: tum à Judæorum, quamvis vindictæ avidorum dictis & factis: à Gentilium denique teſtimoniis & exemplis. Quam materiam paullò fuſiùs indicamus in Comm. ad c. 2. v. 67. Vide etiam aliquid ad c. 3. v. 41.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *IESVS ductus eſt à Spiritu in deſertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4.

Concio erit de pugna dæmonis in Chriſtum. Initium ducetur à deſcriptione loci: tum notabitur in dæmone ſtudium nocendi, fallacia, mendacitas, ambitio: quæ habes Exc. 2. ad c. 12. ſect. 2. ſeptem numeris primis, & decimo tertio.

THEMA aliud. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ibid.

Verbum ibi ſumitur pro re, ea nihilominus occaſione, & quia dæmon & Chriſtus verbis Scripturæ utuntur, tractare poteris, ſi auditori expediet, de Verbo Dei, ejuſque alimento. Sect. 4. prolegom. comparamus Scripturam ſacram cum Paradiſo terreſtri, arbore vitæ, &c. Deinde ſect. 5. num. 1. 2. 3. &c. agimus de hæreticis Scriptura mentibus, & revincendis.

THEMA tertium *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Ibid.

Narrato Evangelio, ſic incipere poteris. Parſimonia eſt negotiatio temporis, omnium quæſtuoſiſſima, maximè exercenda eſt per Quadrageſimam, quam S. Leo vocat ſerm. 4. *Sacratiſſimum maximumq; jejunium*, & Eccleſia vocat *tempus acceptabile, dies ſalutis.* Patrum aliquis vocabat *Ver ſpiritûs:* Eccleſia accinente, *Dies venit, dies tua, In qua reflorent omnia.* Bellarminus ingenioſè & verè applicat Quadrageſimæ verba Eccleſiaſtæ c. 3. *Omnia tempus habent*, oſtenditque bonæ omni actioni tunc eſſe tempus. Cur ergo tam multi, forſan & nos, tam multas Quadrageſimas ſine fructu exegimus? Sine dubio, quia non rectè tranſegimus. Ut hæc nobis meliùs abeat, ſi tamen abibit, & nos antè non abibimus: conſiderandum 1. quam ſanctè inſtitutum ſit hoc jejunium, & quàm obliget 2. exemplum Chriſti intueamur ad rectam ejus obſervationem.

Partem primam, quia ad controverſias cum Hæreticis pertinet, alteri loco reſervabimus. Conſule interim qui de illis ſcripſêre complures, & ſi vis etiam S. Thom 2 2 q. 147. ar. 6 ubi quærit, *Utrùm tempora jejunii rectè ab Eccleſia determinentur?* Diſputare etiam commodè poteris, obligetne id jejunium jure divino, quod olim aliqui cenſuêre, an jure humano tantùm, quæ hodie receptiſſima ſententia eſt, apud plurimos qui de præceptis Eccleſiaſticis ſcripſêre. Cùm igitur legis apud antiquorum quoſdam, indictum à Chriſto id jejunium: intellige ab Eccleſia inſtitutum Chriſti auctoritate, Chriſti imitatione, ad Chriſti patientis memoriam, ad reſurgentis exſpectationem.

Item quia ejus exemplo jejunandum nobis eſt, ut inde fructum ſpiritalem capiamus. Quid autem potiſſimum imitemur? An quòd in deſertum ſeceſſerit, orationibuſque vacaverit? Sic nobis aliquando ſolitudo cordis petenda hoc tempore, vacandum frequentiùs Verbo divino audiendo, legendo, cogitando. Auguſt agens ad populum Cæſarienſem, in collatione cum Emerito Donatiſta: *Obſtringe*, inquit, *fratrem meum & Coepiſcopum Deuterium, ut quemadmodum apud Carthaginem, Tagaſten, Hipponem.... ſic etiam facere non pigreſcat, ut annis omnibus per jejuniorum dies*, id eſt quadrageſimam, *quando vobis jejunantibus plus vacat audire, eadem geſta... recitentur.* Non ſolùm jejunii tempore *plus vacat audire*, ſed etiam plus legere, orare, &c. Et hoc eſt deſertum cordis, & ſolitudo ad quam ducit nos Deus, ut loquatur nobiſcum. Si quis objiciat, ſibi ne nunc quidem vacare: monebo, ut ſaltem hoc tempore aſſueſcat alias ſuas cogitationes omnes referre ad Deum, & ſic de ipſo extra ipſum cogitare D. Tho. 1. p. q. 64. ar. 1 ad 3. *Non eſt mortalis conditionis ſemper actu cogitare de Deo. Cogitare de rebus aliis propter Deum, eſt virtute cogitare de ipſo.*

An imitabimur Chriſtum jejunando ad eſuriem uſque: *poſteà eſuriit?* Timent enim aliqui, inquit Bellarminus, ne detur vacuum in rerum natura, ſi ſtomachus aliquando vacuus ſit. Latratum ventriculi famentis magis timent, quam moloſſi baubatum: & tam facilè idcirco ad diſpenſationes ſubreptitias currunt, ut jam vix particula Catholicorum jejunet. Alii jejunant quidem, ſed nimis lautè. In eos dicebat Aug. ſerm. 68. de diverſis, habito Dominica 1. Quadrag. *Nemo ſub abſtinentiæ ſpecie mutare potiùs affectet, quàm reſecare delitias, ut pretioſos cibos quærat, quia carnes non veſcitur.... Ne, per occaſionem quaſi domandæ carnis, agat negotium voluptatis.* Idem vehementer urget ſerm. 74.

An Chriſtum ſequemur in provocando ad pugnam diabolo, ſuperandis vitiis noſtris; uno ſaltem, quo maximè vexamur deligendo & opprimendo? Suadet Aug. 4. de Trin. cùm dicit *Ad ſuperandas tentationes Chriſtus mediator, non ſolùm per adjutorium, ſed etiam per exemplum.* Obviàm it tentatori, & nos procedamus: crocodilum terreamus adverſi, non excitemus averſi.

An ſequemur in cibo Angelorum manducando? *Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei:* & nobis miniſtrabunt Angeli, id eſt Sacerdotes, panem Angelicum. D. Carolus Borr. in Synodorum ſuarum parte 4. vult Fideles excitari ad frequentem in Quadrag. communionem: *Crebris præterea monitis illud, quod beatiſſimus Sylverius Pont. ſtatuit, in conſuetudinem revocare ſtudebat, ut qui ſæpiùs non communicant, in Quadrageſima ſaltem Dominicis diebus Corpus Domini ſumant, & die item Cœnæ Domini ex antiquo inſtituto: ac præterea in Adventu iiſdem præſtent.*

Ad extremum imitandus nobis in hoc præſertim Chriſtus, quòd ſtatim à baptiſmo jejunavit. Indicare nimirum voluit iſta diſſitorum conjunctione, idem quod poſteà in

monte,

monte, myſtico ſaltem ſenſu, innuit: *Cùm jejunas faciem tuam lava*, id eſt conſcientiam, quæ animi tui vultus & & pulcritudo eſt, emenda. Cui enim bono jejunium tuum, ſi a vitiis non jejunas? Etſi auſterè abſtineas, ut Æthiopes, qui pane & aqua contenti Quadrageſimam agere dicuntur: etſi ut Stylitæ, ut D. Carol. Borrom. ut anachoreta Helvetus apud Spond. an. 1480. qui totos annos viginti nîl guſtavit: quid penderunt iſta ſine amicitia Dei, cùm dona iniquorum non probet Altiſſimus? De jejunio nominatim vide D. Leonem ſerm. 4. de Quadrag. in lect. Dom. hujus. Audi Aug. ſerm. 64. de Temp. *Illa eſt in Quadrageſima diebus grandis utilitas, quòd admonemur ab illicitis abſtinere … Qui enim nos abſtinemus à carnibus, quibus aliis diebus uti licet.. imprimis peccata fugiamus, quæ omninò numquam licent: & qui volumus jejunare à cibis, ante omnia jejunemus à vitiis.* Audi Hieron. ad Celantiam: *Quid prodeſt tenuare abſtinentiâ corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbiâ? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, ſi invidiâ lividi ſumus? Quid virtutis habet vinum non bibere, & irâ atque odio inebriari?* Unus pro omnibus ſit Iſaias c. 58. *Clama ne ceſſes.. Quare jejunavimus, & non adſpexiſti? .. Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra*, &c.

Poterit ſecunda hæc pars toti concioni ſufficere; & apta erit præparatio ad pleraſque hujus Quadrageſimæ conciones, quæ de peccatis agent.

FERIA SECUNDA.

THEMA. *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 25.

Poſt narrationem Evangelii, adverte, die Cinerum lectum Evangelium, quo commendabatur oratio & eleemoſyna cum jejunio: *unge caput tuum:* præclarum unguentum, & Chriſto capiti noſtro gratiſſimum, oratio & miſericordia. Nota item, die Jovis Centurionem oràſſe pro ſervo, & miſericordem fuiſſe qui Synagogam ædificârat: en iterum comites jejunii commendatas orationem, & eleemoſynam. Feria deinde ſexta modum orandi à Chriſto præſcriptum, item condonandi inimicis, quod eſt eximium miſericordiæ opus. Dominica denique, Chriſtum præiſſe exemplo orandi, cùm receſſit in deſertum: Angelos docuiſſe opera miſericordiæ, cùm miniſtrârunt Chriſto, cui & nos miniſtrabimus, ſi egenis ſubveniamus; &, quod monebat D. Leo, impendamus pauperi, quæ ſubtrahimus corpori. Ecce hodie rurſus commendat Eccleſia miſericordiam, jubens hoc Evangelium legi; unde vix aliud peccatum Chriſto odioſius eſſe apparet, quàm durities immiſericordem; vix aliam virtutem gratiorem, quàm miſericordiam. Sed mercede ejus tantiſper ſepoſita, rationes alias ad nos permovendos inveniamus in verbis iſtis, *Quamdiu feciſtis* &c. de quibus loquens D. Cypr. lib. de op. & eleem. *Quid potuit*, inquit, *Chriſtus nobis majus edicere? Quomodò potuit magis juſtitiæ & miſericordiæ noſtra opera provocare?* Latent in illis argumenta ad miſericordiam commendandam potentiſſima quinque in totidem fermè verbis: *Uni ex his, Fratribus, Meis, Minimis, mihi feciſtis.*

In primo, *Uni ex his*, continetur demonſtratio perſonæ quaſi præſentis. Præſens ſcilicet eſt Chriſti animo pauper aut indigus, cuicumque ſubvenis. Illum tibi ipſemet demonſtrat & deſignat: dat tibi de induſtria eam caritatis materiam. Ne putes fortuitum eſſe, quod tibi egenus occurrit: nihil fortuito fit, iſtud minimè. Prov. 22. *Pauper & dives obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus.* Noli itaque prætermittere occaſionem tibi à Deo datam: exerce opus quod in manus tuas non incidit, ſed deponitur, altiſſimo Providentiæ divinæ conſilio; quo duobus conſulitur, egeno ad juvandam patientiam, diviti ad caritatem exercendam. Paullinus ep. 12. ad Sev. *Intelligamus conſilium auctoris, quo divitem pauperi, & pauperem diviti præparavit: ut abundans egenti ſubſtantia alimonia ſit, & opulento inops materia juſtitiæ.* Idem ep. 34. ad Alethium: *Potuerat Deus aquè univerſos divites facere, ut nemo indigeret alterius.. Fecit miſerum, ut agnoſceret miſericordem. Fecit inopem, ut exerceret opulentum. Materia divitiarum tibi eſt fraterna paupertas.*

Paupertas inquam fratris tui, imò fratris Chriſti. Neque enim eos dedignatur vocare fratres dicens, *Uni ex his fratribus.* Frater Chriſti, quia ejuſdem atque ipſe naturæ, originis ejuſdem. Corpus, quod miſericordia ſublevas, Deo germanum eſt: anima, quam ſolaris, Deo cognata eſt. Fuêre olim Hæretici Anthropomorphitæ; ſic dicti, quia humani corporis formam Deo tribuebant, quà Deus eſt: Deus illam met ſibi tribuit, quà homo eſt, carnem, & carnis hoſpitam ac ſociam mentem, talem ſumpſit, qualem in ægro iſto, in iſto mendicabulo, in iſto ergaſtulo vides. Animam habet uterque à Deo creatam, & *divinæ particulam auræ.* Corpus utriuſque ab Adamo & Noemo traxit originem. Eoſdem majores cenſet Chriſtus quos quilibet miſerorum. Adde Chriſtum fratrem eorum dici ſingulariter, quia ſimilis fuit ipſis, pauper, exul, peregrinus, captivus, nudus, reputatus quaſi leproſus. Scribebat Paullinus Alethio ep. 33. *Facilè judicabis parricidali crimine contemnis pauperes noſtro arbitrio, quos nullo videmus à nobis Dei opere diſcretos. Quomodò enim excludantur à noſtris modicis habitationibus, quos unâ Deus nobiſcum mundi incluſit domo? Quomodò dedignemur terrenæ poſſeſſionis uſu facere participes, quos & in unâ divinæ originis participatione conſortes habemus?* Si contemnere pauperes citra crimen non poſſumus, quia fratres noſtri ſunt: licebitne aſpernari quando fratres Chriſti ſunt? Præſertim ſi non naturâ ſolùm, ſed & gratiâ ſunt fratres, id eſt amici; quod arctiſſimum eſt fraternitatis genus, & à Chriſto indicatur vocula, *Meis.* Viſitas ægrum Chriſtianum, vel peregrinum colligis, aut veſtis, aut refocillas. O ſi animam intuerère ſub ſordibus, pædore, ulceribus latentem! ſi fidei lumen, patientiæ pulcritudinem, caritatis majeſtatem, æternæ gloriæ præparationem cerneres, quanto affectu ad venerandum, amandum, juvandum illum rapereris? Dicebat Ambr. l. 3. Off. c. 16. *Meliores ſunt amicitiæ inopum plerumque, quàm divitum: & frequenter divites ſine amicis ſunt, quibus abundant pauperes.* Quod de amicitia humana ille pronuntiavit, divinæ applicari poteſt: plerumque *pauperes* Deo magis amici ſunt, & *beati, quia ipſorum eſt regnum cælorum.*

Quartum argumentum continetur voce, *Minimis.* Quò abjectiores ſunt & miſeriores, eò deſpicabiliores forſan aliquis putaverit. Non ita Chriſtus, qui quò minores ſunt, eò magis commendat, & omnium minimos maximè, cùm illos ſolos commemoret. Sic etiam agit vera caritas teſte Aug. ep. 158. ad Marcell. *Caritas, quæ tamquam nutrix fovet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubveniendi, infirmiores fortioribus anteponit: quos tales vult eſſe, quales illi ſunt; quos non contemnendo, ſed de hoc confidendo, interim præterit.*

Ultimum argumentum & potentiſſimum in illis eſt, *Mihi feciſtis.* Si Chriſtum videas mendicantem, nudum, errantem, jacentem non miſereris, non opitulêris? Et ſi id feceris, nonne ab ipſo gratiam ſperes? Imò nonne pro gratia magna accipias, datam tibi id præſtandi occaſionem? Atqui tantumdem præſtiteris, quando cuilibet Chriſtiano feceris. *Ubicumque homo eſt*, inquit Sen. l. de Vi. Bea. *ibi beneficio locus eſt.* Longè amplius nobis jam dicitur: Ubicumque homo eſt, ibi locus eſt beneficio erga Deum, non erga hominem. Nudum veſti, induis Chriſtum. Eſurientem paſce, nutris Chriſtum. Excipe peregrinum, colligis Chriſtum. Plenæ ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ probationibus hujus veritatis, quarum aliquas dabimus l. 2. Exc.. ad c. 12. ſect. penult. Erigamus interim fidem ad Chriſti verba: excitemus ſpem ad Chriſti promiſſa. *Putas*, inquit Cypr. l. de opere & eleëm. *quia, qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur?* Putas non recipietur in æterna tabernacula, & vocabitur ad cœnam Agni, & audiet. *Venite benedicti?*

FERIA TERTIA.

THEMA. *Intravit IESUS in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes.* Matth. 21.

Materia erit de Zelo, quæ luculentè extenditur in Comm. ad c. 2. v. 16.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Matth. 12.

De Recidiva ſeu relapſu in peccatum ſolet explicari iſta Chriſti ſeu parabola ſeu allegoria. Et verò in peccatis, ſicut in morbis, longè pejus & periculoſius recidere, quàm cadere: quod ipſum licèt ſpectare in exemplo Evangelico Phariſæorum, generationis pravæ & adulteræ, relabentis identidem, in invidiam, aliiſque forſan inmorituræ. Primùm, quia ingratitudo major eſt erga Deum, & minus veniam meretur: *Nullam enim poſſunt veniam promereri, qui non deſinunt peccare poſt veniam*, inquit Valentin. I. ſcribens ad Prætextum urbis Præfectum, de Urſicino & Schiſmaticis ejus aſſeclis, qui contra Damaſum Papam tantum tumultum excitârant, ut cædes plus centum uno die patrarentur. Alterum, quia dæmon ex

hominis

Digitized by Google

hominis relapſu ferocior evadit, animoſiuſque impugnat, quem videt ſibi iterum non caviſſe. Tertium, quia homo fit infirmus & langueſcit, non tantum ob auxiliorum divinorum ſubſtractionem; ſed etiam naturâ ipſâ deficiente, & vires amittente, dum conſuetudo prava iteratis actibus roboratur. Indico ſolum hanc materiam, quæ apud alios paſſim, & aliter explicatur, ſi fortè quis eam tractare voluerit. Conſule præſertim Mendoſam tomo 2. in lib. Regum, c. 5. v. 6. num. 26. uſque ad 29. & c. 7. v. 6. num. 6. & Ann. 26. ſect. 2. tota.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Miſerere mei Domine fili David* Matt 15.

Deſideriorum regendorum exemplum dabimus in Chananæa. Numquam melius inanitatem rerum humanarum agnoſcimus, quàm ubi in calamitatem aliquam incidimus. Sic David, cujus filium Chananæa inclamat, de ſolio deturbatus plurima excellenter dicit de vanitate vitæ noſtræ, digna quæ expendantur. Pulcherrimum iſtud: *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens.* Græcè habetur *τὰ σύμπαντα ματαιότης omnia vanitas,* ſeu, *quoad omnia vanitas.* Verè enim univerſa vanitas, ſeu omnium rerum vanitas ineſt homini, ſicut ipſe rerum omnium eſt compendium: ſimul quoad omnia vanitas; quoad corpus mutabile, cum elementis; quoad accretionem & defluvium, cum plantis; quoad paſſiones, & imaginationem, cum brutis; quoad intellectum varias rerum formas accipientem & formantem, diverſorii publici inſtar, cum Angelis; quoad voluntatem vertibilem nunc ad jucundum, nunc ad honeſtum, nunc ad utile, cum Angelis iiſdem, in quibus Deus reperit pravitatem. Alias de intellectu regendo & formando dicemus: nunc de voluntate. Scripſit P. Nierembergius librum de Arte voluntatis, nos de Bona voluntate. Artem illam Evangeliſta hic in exemplo ponit Chananææ mulieris; de qua D. Chryſoſt. tam excelsè ſentiebat, ut ſerm. in reditu ab exilio eam proponat pro exemplari prudentiæ, ſapientiæ, generoſitatis Chriſtianæ, ac denique confert cum Evangeliſtis. In illa ego aliiſque id notamur, ad deſideriorum noſtrorum rectitudinem tria requiri, objectum, tempus, conſtantiam.

Objectum bonum ſit. Loquatur Chananæa, ut audiamus, quid deſideret, an in materia objectóve non excerret. *Miſerere*, inquit, *mei fili David, filia mea*, &c. non pro ſe petit, ſed pro filia, dicit tamen *miſerere mei:* ſic loquitur caritas. Non petit, quod uxor Zebedæi &c. Non quod multæ matres hodie, quibus parum eſt ſi filiæ poſſideantur à Dæmone, ſi ſint *univerſa vanitas:* modo pulchellæ ſint, quærantur, amentur. Petit ipſa ſolùm ut hoſpite peſſimo liberetur, inimico hominis, & Dei. Diſputârit forſan hic aliquis, an interdum animæ bonum non ſit poſſeſſio corporis per Dæmonem? Sic Paullus tradidit Satanæ Corinthium, ut ſpiritus ſalvus fieret. Sic Stagirius monachus arreptus à Dæmone, ut pejori tyrannide peccati liberaretur, apud Chryſ. l. de Provid. Sic Arabs juvencula formæ elegantia ſe Veneri comparans in balneis, apud Proſp. de prædict. & promiſſ. p. 3. c. 6. Et verò certum eſt, peccati ſervitutem & tyrannidem pejorem eſſe, quàm iſtas Dæmonis invaſiones & infeſſiones. De ea vide Comm ad c. 1. v. 16. Cur ergo Chananæa non petit filiam potius iſta ſpiritali poſſeſſione liberari, quàm hac corporali? Reſpondendum, videri nec Chananæam ipſam, nec filiam ejus fuiſſe Infidelem, aut peccatricem magnam: cùm de illa dicat Chriſtus, *ô mulier, magna eſt fides tua.* Itaque ſapiſſimè petit ut dæmon expellatur de corpore filiæ, cujus animam non poſſidebat.

Opportunè etiam petit, occaſionem arripit tranſeuntis Chriſti, *in tempore accepto* exauditur. Orat, ut *omnis Sanctus, in tempore oportuno.* O quàm multa nos extra tempus deſideramus! Orare volumus, cum ſtudendum; jejunare, cum ægrotandum; largiri, cùm inopiâ laborandum &c.

Petit conſtanter: ſilentio primùm prætermiſſa, deinde quaſi canis rejecta, urget, inſtat, non dimittit Angelum Domini, donec benedictionem acceperit. Poteris huc aliquid transferre ex ſect. 7. Exc. 2. ad c. 3. à num. 10.

FERIA SEXTA.

THEMA. *Erat Hieroſolymis probatica piſcina.* Joan. 5.

Quænam illa, ubi, unde, ad quid? Putem vel ex aquis de victimarum ablutione defluentibus collectam: vel abluendis ante ſacrificia ovibus deſtinatam fuiſſe. Illud potiùs crediderim, & deſcribitur Ezech. 47. earum aquarum, ſanguine de victimis defluente tinctarum, copia. Ezech. 47. An vis illa ſanandi ex ſanguine ſtatui poſſet? Quam multæ aquæ medicæ ubivis terrarum? Quis Angelus? Quid ſignificet Bethſaida vel Betheſda potius?

Iſtis explicatis, quæ paſſim ab Interpretibus traduntur, dic 1. Eccleſiam eſſe Betheſdam, ſeu domum miſericordiæ divinæ, & humanæ. Divinæ erga pœnitentes, quam etiam à vicariis ſuis Deus vult exerceri: humanæ erga miſeros omnes, quos totus Chriſtus ſuis commendavit. Eſſe item domum effuſionis gratiarum divinarum, longè abundantiorum poſt Chriſtum, quàm antè: pauci enim tunc ſanabantur, unus, ſecundùm tempus veniente Angelo: jam omnibus ſalus effuſa eſt. 2 Porticibus quinque ſignificari totidem Eccleſiæ ordines, de quibus in Comm. ad c. 5. v. 2. &c. ubi agitur de quinario liberorum Mathathiæ. Cui quinario alium addere poſſis ſervandæ in Eccleſia caſtitatis, Virginum, Cælibum, Viduorum, Conjugatorum, Pœnitentium. 3. Multitudine languidorum, aridorum, cæcorum, &c. ſignificari varietatem peccatorum in Eccleſia, velut in magno hoſpitali. Non eſt enim qui non peccet, etſi alii aliis graviùs. 4 Probaticâ piſcinâ indicari lavacrum ſanguinis Chriſti, agni immaculati in remiſſionem peccatorum. Aut ſignificari lavacrum eſſe ovium Chriſti, id eſt electorum, non autem hædorum qui in peccato ſuo moriuntur. 5. Angelo deſcendente & turbante aquam, exprimi monitorem & nuntium interiorem, id eſt conſcientiam, qua interdum ſalutariter conturbatur mens peccatoris. 6. Interrogationem Chriſti, *vis ſanus fieri*, quæ ſuperflua videri poterat erga languidum, de cujus voluntate conſtabat, non eſſe otioſam, nec vacare myſterio pro languidis ſpiritalibus. Eorum enim nemo ſanatur invitus, quod etiam Pagani vidêre: Sen. ep 34 *Magna pars ſanitatis velle fieri bonum.* Quid mirum, ſi Patres noſtri id ubique occinunt? Aug. ſerm. 31. de novis: *Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te: ſi nolueris, non eſt datus pro te.* Hæc ex me ſufficiant: apud alios inventu facilia non tero.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Matth. 17.

De vera literali cauſſa Transfigurationis Chriſti, & morali una ad beatitudinis temporalis rationem indicandam, agimus Exc. ad c. 14. ſect. 3. à num. 2. uſque ad 7.

THEMA aliud. *Transfiguratus eſt.* Ibid.

De peccati & pœnitentiæ transfiguratione materiam indicamus ibid. num. 6. & 7.

THEMA tertium. *Apparuerunt Moſes & Elias.* Ibid.

De comitibus Providentiæ divinæ, miſericordiâ, & juſtitia luculentè tractamus ibid. à num. 8. ad finem. Numerus primus erit pro ingreſſu in concionem.

Dominicis plures ſuggero materias optio erit Lectoris: ego tamen, quia hâc Quadrageſimâ ferè de peccatis eorumque remediis agetur, mallem Dominicis tractare argumenta eodem ſpectantia, quale tum hac tum Dominica præterita unum proponimus.

FERIA II. POST DOMINICAM II.

THEMA. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Joan. 8.

Evangelium, quæ vox quadrupliciter in novo Teſtamento ſumitur, ut Interpretes advertunt, pro re læta, pro doctrina Chriſti, pro ejus prædicatione, pro hiſtoria Evangelica. Ea vox ex origine ſua ſignificat bonum nuntium, ſeu, ut vulgò loquimur bonum novum: unde etiam olim *dare evangelia*, ſignificabat dare boni nuntii allati mercedem. At quomodo evangelium eſt, aut dici poteſt, hodierna lectio, ubi tam triſtis denuntiatio, tam acerba nova, in themate noſtro expreſſa, continentur? Fatendum eſt acerba eſſe debuiſſe Judæis, quibus primò dicta ſunt: at nobis, quibus iterantur læta eſſe debent, quia ad ſalutem noſtram ſpectant: quid autem ſalute noſtra lætius? Hoc facilè videbimus, conſideratâ maledictionis illius magnitudine & cauſſâ.

Tres ſunt maledictionis partes. 1. *Ego vado.* Quò? Ad Paſſionem? Ad Reſurrectionem? Quid autem novi dicis? Moriturum te Iſaias prædixit, reſurrecturum David: imò uterque moriturum, uterque reſurrecturum. Tu ipſe nonne ferià 4 nuper dixiſti te daturum Phariſæis *Ionæ prophetæ ſignum?* Nonne mox dices, *cùm exaltaveritis filium hominis?* Aliud hic ſignificat Chriſtus, non ſe abiturum per mortem, aut reſurrectionem, ſed diſceſſurum gratiæ ſubtractione?

Ægre

Æger medicum, dux errantem viatorem, pater filios immaturos & immorigeros deſerat. O mæſtum & periculoſum dei electis diſceſſum! Quàm dolebant diſcipuli D Paulli Act. 20. *in verbo quod dixerat, quia faciem ejus amplius non eſſent viſuri.* Amittebatur homo magnus, ſed homo, non autem Deus. Jam amittitur homo & Deus in uno Chriſto. Jer. 51. Angeli deſerunt Babylonem, quia *non eſt curata.* Apud Joſephum audiuntur Angeli Templo excedentes. Hic ipſe Angelus Patris abſcedit. O triſte Evangelium.

2. *Quæretis me.* Amiſſum deſiderabitis, quem præſentem contempſiſtis. Sic ſolemus mortales: *Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus invidi.* Quæſitum tamen *non invenietis*, quia malè quæretis, non *in toto corde veſtro*, non tempori: *quò ego vado, vos non poteritis venire*, quia non vultis. Nam ſi ſeriò velletis, ſi opportunè, ſi ardenter quæreretis, ſcio promiſſum Jer. 25. *Quæretis me, & invenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro* &c. Et per Iſaiam dictum eſt, *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.* Non meminiſtis Chananææ, quæ quia tempeſtivè & conſtanter petiit, obtinuit? Phariſæi tempore non utuntur, & brevi tempus non erit amplius. *Ambulate*, dicit Chriſtus *dum lucem habetis.* Operamini dum dies eſt. *venit nox, quando nemo poteſt operari.*

3. *Et in peccato veſtro moriemini.* Quid autem mortem iſtam conſequetur, niſi mors ſecunda, & æterna? Iſ 38. denuntiatur Ezechiæ mors temporalis: quàm percuſſus fuit eo nuntio? Sauli 1. Reg 28. Samuelis anima mortem prædicit: quàm conſternatus miſer? Hic de ſalute agitur, de æternitate infælici denuntiatur. Aug. Tract. 38. in Joan. ad hæc verba: *Tota infelicitas Iudæorum erat, non peccatum habere, ſed in peccatis mori. Hoc eſt quod debet fugere omnis Chriſtianus. Propter hoc ad baptiſmum curritur*, &c. *Infeliciſſima conditio, miſera ſors eorum, qui ex ore veridico audierunt, in peccatis veſtris moriemini.* Horribilis omninò ſententia: ſed verbulum unum dicamus ad horrorem leniendum Quotieſcumque Deus mortem æternam alicui denuntiat, intelligenda ſemper eſt conditio, niſi pœnitentia præveniat juſtitiam. Fac alicui dici, quod Paullo Cracovienſi Epiſcopo libidinoſo, bellorum incentori, perdito, apud Spond anno 1273. voce aerea dictum: *Væ tibi, melius eſſet, ſi natus non fuiſſes.* Ea vox undecumque profecta, conditionatè accipienda eſt. Eodem modo, hic ſumenda Chriſti denuntiatio, *Moriemini in peccato*, ſi in illo vultis perſeverare.

Quale autem illud peccatum, tam tremendæ ſententiæ cauſſa? Non Dei peccatum qui vobis gratias ſufficientes largitur: non majorum veſtrorum, quorum aliqui vobis bono exemplo præiere, ſed *veſtrum.* Quod præcipuè è multis? An luxuria, ut Zembri: an ambitio, ut Abſalon: an malum conſilium, ut Achitophel: an deſperatio, ut Saul? *Si non credideritis; moriemini in peccato veſtro.* Eo conditionem Chriſtus apponit, & cauſſam ſimul deſignat. Peccatum Judæorum præcipuum fuit, non credidiſſe: *fides* autem *janua ſalutis.* At cur non crediderunt? *Vos de deorſum eſtis*, inquit Chriſtus: quomodò poteſtis credere, qui terrenis hæretis affixi?

Dicebamus, maledictionem Judæis interminatam, nobis benedictionem eſſe. Quomodò? Erravêre præeuntes, præcipitavêre in barathrum, quia in fidem impegêre, nimio terrenorum affectu. Cavete, inquit Chriſtus, ab eodem ſcopulo. Grates tibi, Chriſte, qui nobis periculum demonſtras, ut evitemus.

FERIA III. POST DOMINICAM II.

THEMA. *Super cathedram Moſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* Matth 23.

Occaſione indignorum hominum ad cathedram Moſi elevatorum, indignè doctrinam & Sacramenta novæ Legis adminiſtrantium, &c. tractabitur de Juſtitia Diſtributiva, de qua Exc. 1. ad c. 16. ſect. 1. tota.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Audientes decem indignati ſunt.* Matth. 20.
De ambitione, eodem Exc. ſect. 2.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Luc. 16.

Si profana cum ſacris conferre deceret, hoc Evangelium dicerem ſimul Tragœdiam eſſe & Comœdiam. *Recepiſti bona in vita tua*, en lætum tragœdiæ initium, & decurſum. *Lazarus ſimiliter mala*, en comœdiæ triſtem ingreſſum, & implicatum progreſſum. Hic conſolatur, en lætum exitum comœdiæ. *Tu verò cruciaris*, en finem tragicum ex principio honorato & jucundo. Petit Aug ſerm 25 de ver. Dom ſecun. Luc qua in re ſimiles fuerint Epulo & Lazarus, in theatrum idem à Deo producti, qua in re diſſimiles? Breviter dixero, nulla in re ſimiles, quàm quòd uterque homo fuerit, & uterque mortuus: in cæteris maximum inter illos chaos firmatum, tam in ſtatu præſentis, quam alterius vitæ. Geminum hunc ſtatum conſideremus ſoli Evangelico textui inhærentes: ubi abundè nobis materiæ Chriſti ſapientia ſubminiſtravit, ut via aliunde quidquam ad explicationem accerſere ſit neceſſe.

Status mundanus Epulonis his verbis à Chriſto deſcribitur: *Homo erat* &c. Etſi veſtibus ſplendens ſolis inſtar, homo tamen erat. An Ninenſis, an Herodes? Nomen ſiluit Chriſtus, etſi non parabola tantùm, ſed etiam hiſtoria eſſe videatur: quia *nomen impiorum putreſcet.* *Erat*, non dicitur *eſt*, aut *fuit*: quia omnia in mundo imperfecta, vitæ præſentia, fugientia cum adhuc tenentur. Per ſingulas partes progredere hoc modo, & cùm ages de veſtibus, & epulis, breviter diſputa quando, & quatenus in illis peccetur.

A tam jucundo & pompatico ſpectaculo tantiſper digrediamur ad palatii portam. Ibi *erat*, imperfecta enim ſunt & fugientia mala hujus vitæ, quomodò & bona: *languens Lazarus*, meritò nominandus, quia ſcriptus in libro vitæ, & in memoria æterna. *Lazarus*, id eſt Dei auxilium, quia deſtituti ab hominibus Deo cordi ſunt. Mala Lazari optimè expenſa v. apud Chryſ. hom. de Lazaro, & Quod nemo læditur. Verbo dixeris, nihil boni habuiſſe, niſi in animo, brevi ſpectandum.

Factum eſt, ut moreretur Lazarus, &c. Præmoritur Epuloni miſer, cui mors debebat eſſe in votis: nã ut Boethius canebat,

Mors hominum felix, quæ ſe nec dulcibus annis
Inſerit, & mœſtis ſæpe vocata venit:

& Siracides c. 41. *O mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti*, &c. Miſero miſericors Deus aperit portum quietis: de limine Epulonis eum ad Abrahæ ſinum mittit inter Angelorum manus.

Sequitur dives, qui antè ſemper præceſſerat: in morte ipſa incipiunt eſſe primi noviſſimi. Quid verò poſt mortem: ubi *ſepultus eſt in inferno*, in abyſſo impenetrabili, in voragine ineluctabili, in fornace inextinguibili: ubi ne ſtilla quidem miſericordiæ & refrigerii effunditur vel ſummo digito, ſed juſtitiæ fluctus tota potentiæ divinæ manu ingeruntur? O pœnam! O æternitatem! Hic breviter attinge, quod ſatis fuſè tradimus Exc. 3. ad c. 4. ſect. 2.

Nihil in Evangelio ſupereſt, clauditur ſcena, ſpectatores plaudite Lazaro, flete Epuloni, ſi tamen flere decet talem. Fruſtra jam à vobis petiero, uti ſimiles eſſe malitis in altera vita. *magnum chaos* intereſt. Ac in hac vita utrum mavultis ſequi? Si in optione facienda laboratis, en meam. Non recuſem divitias, dignitates &c. neque enim mala ſunt de ſe, & benè uſi ſunt multi. Nec valde velim exhorrere paupertatem, dedecus, morbos, quæ multorum bonorum ſemina plurimis fuêre. Hoc ſolum à Deo poſtulo, ut in utrolibet ſtatu rectè ad æternitatem vivam. *Nam nullum bonum niſi æternum, nullum malum niſi æternum.*

FERIA SEXTA.

THEMA. *Ideò dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Matth. 21.
Materiam luculentam habes Exc. 2. ad c. 16. ſect. 2.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

Detractio Chriſto non parcit. Dæmon eſt Beelzebub, id eſt dominus muſcarum. muſcæ detractores. Materia fusè traditur Exc. 1. ad c. 16. ſect 3.

THEMA aliud. *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Luc. 11.

Qua de cauſſa id Phariſæis Chriſtus dixerit, clarum eſt ex Evangelio. Qua autem de cauſſa id Chriſtianis dici voluit, niſi ut diſcordiam fugeremus, quibus adeò caritas & concordia commendata eſt? Ad Chriſti mentem primum effecta diſcordiæ, dein cauſſas conſideremus. Duo genera diſcordiæ notat Chriſtus, primum in regnis, alterum in domibus: publicum illud, hoc privatum. Utriuſque

finem eumdem eſſe dicit, deſolationem, & ruinam: *regnum deſolabitur, domus cadet.* Ratio clara eſt, quia publicæ res civitatum, & privatæ familiarum coaleſcunt concordiâ: neceſſe eſt autem, ut quidlibet conſervetur ſicut incæpit. Solutâ ergo concordiâ, unde civitates & familiæ cæpêre, & ipſas ſolvi ac perire neceſſe eſt. De concordiæ bono quædam reperies in Comm. ad c. 3. v. 2. ad c. 8. v. 14. ad c. 10. v. 11. &c. Quamdiu linguâ unâ utuntur ſtructores turris Nembrothianæ, opus procedit: at ubi ſeſe invicem intelligere deſierunt, *pendent opera interrupta, minæque Murorum ingentes.* Id paſſim in hiſtoria ſacra profanaque videre eſt. Sola inſpiciamus exempla hiſtoriæ noſtræ Machabæorum. In Alexandri monarchiâ diviſâ cap. 1. pluribus verſibus, nominatim 9. & 10. In Syromacedonum regno ruente per bella civilia, pluribus capitibus. In Romanorum imperio cap. 8. In Judæorum republica, quam perdidêre diſſenſiones ambitioſorum Jaſonis, Lyſimachi, Menelai: reſtituit Mathathiæ & filiorum concordia. In ipſa Aſſamonæorum ſtirpe, quæ domeſticâ denique diſcordiâ concidit: dum gallinacei duo inter ſe pugnant, utrumque occupavit accipiter: Romani Judæos inter ſe diſcrepantes expreſſere. O quoties id contigit in deplorandis Catholicorum inter ſe bellis!

Ab effectis ad cauſſas aſcendamus, fontemque malorum obſtruamus. Diſcordia duplex eſſe poteſt, judicii, & voluntatis. Si in ſolo judicio eſt, non multum inde periculi.

Nam ſentire bonos eadem de rebus iiſdem,

Incolumi licuit ſemper amicitia.

Et Dan. c. 10. habemus diſſenſionem Angelorum duorum ſuper liberatione Judæorum à captivitate: Angelum enim intelligi per Principem Perſarum, alteri Angelo reſiſtentem, communiter cenſent. Sin diſſenſio à judicio ad voluntatem tranſit, ut inde averſio conſequatur, neceſſe eſt vel ſuperbiam, vel invidiam, vel appetitum privati commodi inordinatum, vel pravos alios affectus ſubeſſe. *Unde enim bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris.* Quædam huc transferre potens de Exc. Mor. 4. ad c. 1.

FERIA II. POST DOMINICAM III.

THEMA. *Surrexerunt, & ejecerunt eum extra civitatem.* Luc. 4.

Hinc de Chriſto detractum hodie habitum contumelioſè verbo & facto. De contumelia invenies Exc. 1. ad c. 16. ſect. 4.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Adhibe teſtes.. Dic Eccleſiæ.* Matth. 18.

Vulgò putatur agi in iſto Evangelio de modo correctionis fraternæ: ſed multi, in his Salmeron, omninò exiſtimant agi de modo quo debet ſe gerere, qui injuriam accepit à proximo. Cùm autem reparatio per lites jam ferè quæratur, de iis dicere licebit ex ſect. 6. Exc. ejuſdem.

FERIA QUARTA.

THEMA. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta.* Matth. 15.

Tria injuſtitiæ genera numerantur, quorum priora duo tam aperta ſunt ut explicatione vix egeant, neque adeò frequentia ſunt: tertio peccatur crebrò, & non ſatis vulgò dignoſcitur. Exc. eodem ſect. 5.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Exibant dæmonia, & increpans non ſinebat ea loqui.* Luc. 4.

Cur tacere cogit dæmones Chriſtus? Nonne idem dicunt, quod Eliſabetha, Joannes, Simeon, Magi agnovêre? Nonne idem confitentur, quod fides Petri? Innocentius III. tres ſilentii dæmonibus indicti rationes affert: tertia eſt, quia ex ore diaboli mendacis talem veritatem audiri non decebat. Ita apud Lacedæmonios, ſi quid recti vir malus diceret ad publicam utilitatem, idem volebant referri à viro probo: alioqui non utebantur bonâ ſententiâ, ex ore malo & indigno. An ideò forſan juſſi tacere dæmones, quia veritatem & laudem malo fine publicabant: uti interdum à politicis laudantur rivales, ut reddantur odioſi? An potiùs, ut nos iſto exemplo doceret, laudes Dei, & veritates fidei, in ore peccatoris ſpecioſas non eſſe?

Accipit Deus, imò & perficit laudem ex ore infantium & lactentium, qui non nôrunt quid dicant. Accipit laudem ab ipſis inanimis, cùm laudant illum cæli, terra, aſtra matutina, nives, glacies, ſpiritus procellarum. In laudes ſuas impendi voluit, citharas, pſalteria, tubas corneas & ductiles, cinyras, nabla, aliaque inſtrumenta vocalia, ſed mortua. Renuit tamen audire præconia ſua à peccatoribus, non quia poſitivè ingrata ſunt, ſed quia indecora. Non peccat peccator Deum laudans, ſed ipſi non placet. Apertè id à Siracide pronuntiatum c. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Apertè & fusè à Pſalmiſta pſ. 49. *Peccatori autem dixit Deus* &c. Quem locum Origenes legens, poſt ſacrificium idolo immolatum ſtuprationis metu, ubertim flevit. Hiſtoriam narrat D. Epiphanius: indicat Auguſtinus, etſi generatim dicit *viro Chriſtiano* accidiſſe. Eam ſententiam Auguſtini, mihi jam elapſam, olim miſi noſtro P. Halloix, hanc maculam ab Origene amoliri ſatagenti, quod & facit Baronius an. 253. Sed iſtâ de Origene controverſiâ judicio lectorum & auditorum relictâ, conſtat ideo Dei laudes peccatori indecoras eſſe, quia ipſe peccator Deo dedecoroſus eſt. Detrahis de proximo, & caritatem Dei laudas? Puritatem Dei prædicas, & ſacrilege luxurians! Miſericordiam Dei extollis, & vindictam perpetuò coquis! Quæ iſta vocum & morum diſſonantia eſt? Si homo laudari non vult, niſi *à laudato viro:* laudes ſuas accipiat Deus, à tam illaudabili? S. Auguſt. in pſ. 102. exponens iſtud. *Benedicite Dominum omnes virtutes ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Quid prodeſt,* inquit, *quia hymnum cantat vita tua, ſi ſacrilegium exhalat vita tua! Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem ejus.*

Veritates fidei multò etiam magis dedecent peccatorem, quàm laudes Dei. Cùm enim Deum laudat, non ideò dicit ſe habere aut imitari, quod laudat. Sed cùm veritates fidei prædicat & commendat, id dicit quod ipſe credit. Nemo autem credit, niſi velit credere: habet ergo fidei veritates in mente, habet in voluntate, non habet in opere. Scribas & Phariſæos vidimus nuper ſedentes ſuper cathedram Moyſi, dicentes, & non facientes. In ipſis damnamus, quod in nobis quotidianum eſt: ut mereamur iſtud priſci audire, *Aut vive, ut loqueris; aut loquere, ut vivis:* & iſtud Chriſti, *Ex ore tuo te judico.* Credis Angelos, & ſinum Abrahæ, & flammas ſine refrigerio: ſic tamen vivis, quaſi non crederes? Deum credis detractionum & contumeliarum teſtem, furtorum vindicem, omnis injuſtitiæ ſupremum judicem: rapis tamen, & lædis, & invehens, quaſi inaniæ forent quibus fidem adhibes? Operibus Chriſtianiſmo renuntias, & Chriſtianiſmum profiteris? Objiciebat Paganis Tertullianus in Apologetico, quod Chriſtianis nunc objici poteſt. *Habitu, victu, inſtructu, ſenſu, ipſo denique ſermone proavis renuntiaſtis: laudatis ſemper antiquitatem, & novè de die vivitis.* Sit tibi, quiſquis es Chriſtianæ peccator, pro ſymbolo eſt iſtud Ferdinandi Leodienſis Principis, *Avita fide:* ſimul pro ſymbolo ſit illud Lipſii, *Moribus antiquis.*

FERIA SEXTA.

THEMA. *Da mihi bibere. Rabbi manduca.* Joan. 4.

Ex agnino Chriſti ore numquam horrenda magis ſententia proceſſit, quam hæc, *Diſcedite à me maledicti* &c. Matth. 25. Tu Chriſte benedicte, qui veniſti in nomine Domini, maledicis? Tu qui ſanguine tuo cælum aperis, jam tanto mittis in ignem æternum? Patere, juſtiſſime judex, ut ex te ſententiæ tuæ rationes ſciſcitemur. *Eſurivi enim,* inquit, *& non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum... Quod uni ex minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis.* Adeóne magnum crimen eſt, in extrema neceſſitate non dare cibum cuivis egenti, aut potum? ut ideò Epulo ſepeliatur in inferno! Quanti ergo erit criminis ipſi Chriſto ſamenti & ſitienti non dare? Laſſatur hodie via noſtra, & viæ dux; famet panis Angelorum; ſitit, fons ortus in Bethleem aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam. Non vides ſedere fatigatum? Non audis dicentem *da mihi bibere?* Non ſpectas Apoſtolos euntes ad emenda cibaria, eaque afferentes? Sed aquam aliam, cibos alios deſiderat. A Samaritana, eique ſimilibus, petit aquas pœnitentiæ. Ab Apoſtolis, Apoſtolorumque diſcipulis petit cibum zeli animarum.

Pœnitentiæ motiva ſolum iſta tangamus, quæ ſe in Evangelio hodierno offerunt. 1. ex peccatorum materia, quæ ſunt hujus vitæ bona, aptiſſimè in puteo Jacob figurata. *Inde bibit Iacob & pecora ejus:* ex bonis mundi pleriſque bibunt pecora, ornantur equi, luxuriantur canes, inebriantur porci: *Cohæres Chriſti,* inquit Aug. *quid gaudes,*

quia

quia ſocius oi pecorum? ***Puteus altus eſt***, difficulter inde hauritur: oculorum laboris, temporis, curæ impenditur bonis caducis, & ſæpè deeſt in quo hauriatur, aut crebro hauritur, ſitulaque pertuſâ. Qui bibit ex aqua illa ſitiet iterum: ex aqua divitiarum, honorum, voluptatum quantumcumque potaveris iterum ſities: Samaritana quinque viros habuit, & adhuc ſitit. 2. Videbat inſatiabilem peccandi cupiditatem Chriſtus: videri ſe vidit Samaritana, ***venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.*** Hoc alterum pœnitentiæ motivum eſt à perſona offenſa: peccâſti coram teſte, & judice: confiteri non pudeat, quod ſcitur, antequam fatearis. Gen. 20. Abimelechus Saræ dicit, ***Quocumque perrexeris, memento te deprehenſam.*** Deprehenſa es ò Samaritana, deprehenſus es Chriſtiane, quocumque perrexeris, in angulum, in conclave, in cor tuum. ***Speculator adſtat deſuper***, qui dicit tibi omnia quæcumque feciſti, niſi prior occupes, & dicas. 3. Motivum eſt à perſona offendente. Samaritana gloriatur, verè an falsò, de majoribus ſuis ſanctis, & de ſancto loco ubi nata eſt: ***Nonne tu melior es patre noſtro Iacob? Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.*** Interim degenerat ipſa, & majoribus ac patriæ dedecori eſt, eoque gravius peccat. Jer. 7. ***Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, Templum Domini &c.*** ***Vita*** enim à profeſſione diſcordans abrogat illuſtris tituli honorem, inquit Salv. imò peccatum auget; ideoque dictum nuper Phariſæis, ***Auferetur à vobis regnum Dei &c.*** 4 Motivum, ex Chriſti deſiderio. Bis ipſum legimus ſitiſſe: ad puteum Sichar, & in Calvaria. Samaritana eludit poſtulatum: Judæi præbent vinum felleum, & acetum. Quid agitis peccatores quamdiu differtis lacrymas pœnitentiæ! Clamat, ***Sitio: dicit, Da mihi bibere,*** Salvator veſter: vos vel nihil datis non pœnitendo; vel datis aliquid nihilo pejus, iterum peccando. Offert aquam Chriſtus Samaritanæ, vobis ſanguinem & aquam: bibite, ſed date etiam bibere: refocillate laſſum, ſuſtentate ſedentem, potate ſitibundum, audite morientem.

Nec peccatoribus tantùm refocillandus Chriſtus, ſed etiam juſtis. Aquam ſi præbuêre, expiavêre quidquid admiſerant: an ideò Chriſto ſatisfactum? Sitis ejus expleta eſt; reſtat fames, appetitus cibi & ſicci, cupiditas zeli animarum. Motiva ejus terna proponit Chriſtus. 1. à mercede: ***Qui metit mercedem accipit, & congregat in vitam æternam.*** Gen. 27. Jacob hœdinis carnibus ferinam imitatus, ab Iſaaco ampliſſimam benedictionem accipit: Iſaacus noſter Chriſtus ferinam amat & hœdinam, peccatores hœdos offerri ſibi deſiderat ante judicium, ut in judicio à ſiniſtris eos non ſtatuat: offerentibus ampliſſimam dat benedictionem. 2. ab exemplo Sanctorum: ***Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.*** Quantum majores noſtri pro animabus præſtitêre. 3. ab ipſo Chriſti exemplo. Offerunt Apoſtoli cibos, reſpondet: ***Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem &c. ut perficiam opus ejus.*** Opus Dei homo per creationem, perficitur à Chriſto per redemptionem. Juva redemptorem, cooperare Salvatori, & das ipſi cibum ſuum. Paſcebat Simon Chriſtum, quando Magdalena irrupit in convivium, & pœnitentia ſua Chriſtum potavit, & pavit. Illo lautè ***Salvator mundi*** libenter utitur: iſtis eſcis libenter veſcitur. Convertamus cum Samaritana, & demus Chriſto bibere: convertamus peccatores cum Apoſtolis, imò cum Samaritana, quæ ex peccatrice repentè fit Apoſtola, & ſic demus Chriſto manducare. Converte me peccatorum ſalus, ut converſus convertam alios: ***Docebo iniquos vias tuas &c.***

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. ***Vnde ememus panes?*** Joan. 6.
De ſpe, rebus deſperatis, Exc. ad c. 11. ſect. 2.
THEMA alterum ***Colligite, quæ ſuperaverunt*** Ib.

Hodie iſtud Evangelium legitur; quia tempus congruit, Paſcha inſtante; quia lætum eſt, Dominicâ ***Lætare***; quia panes & piſces ſunt eſcæ Quadrageſimales; quia ſæpiùs communicandum, & imminet communio Paſchalis, cujus hic eſt figura illuſtriſſima. Quærit D. Thomas 3. p. q. 73. a. 6. ***Vtrùm Agnus Paſchalis fuerit figura præcipua hujus Sacramenti.*** Fuerit præcipua inter omnes quæ in Lege naturæ præceſſerunt, Arborem vitæ, Noemicam vineam, Sacrificium Melchiſedech: & inter eas quæ ſecutæ in Lege Moyſis, Manna, Panes propoſitionis, Panem Eliæ, Farinam Eliſæi, Prandium Danielis. At ſi ad figuras novi Teſtamenti tranſeamus, hæc longè præcedit: præmiſſa idcircò à Chriſto diſputationi ſuæ de carnis & ſanguinis eſu ac potu: à nullo Evangeliſtarum omiſſa, ne à Divo quidem Joanne, qui ferè ab aliis prætermiſſa ſupplere ſolummodò ſolitus eſt.

Prima hujus figuræ cum Venerabili Sacramento convenientia materiam reſpicit. Duplex eſt materia Sacramenti, tranſiens, permanens: illam D. Thomas vocat Sacramentum tantùm; hanc, rem & Sacramentum. In miraculo hodierno materia tranſiens eſt panis hordeaceus, quem meliori mutatum fuiſſe per Chriſti potentiam, & triticei ſuavitatem & albilitatem æquâſſe, non malè fulta opinio eſt. Solent enim miraculis res fieri meliores, ut in Cana Galilææ aqua tranſiit in ***vinum bonum***. Ad panes acceſſerunt piſces duo, Chriſti, ſubeuntis in locum materiæ, ſymbolum antiquiſſimum. Dicitur ἰχθύς, piſcis, à Sibylla: in qua voce notat initiales harum contineri Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, ***IESVS Chriſtus Dei filius Salvator.*** Vide Aug. 18. de Civ. c. 23 cujus etiam hoc eſt: ***Chriſtus piſcis, eò quòd in hujus mortalitatis abyſſo, velut in profunditate aquarum vivus, id eſt ſine peccato, eſſe potuerit.*** Eâdem ſignificatione, quâ modo, Chriſtus ad mare Tiberiadis, poſt Reſurrectionem, præbuit panem & piſcem.

2. Miniſter miraculi primarius eſt Chriſtus: ſecundarii Apoſtoli, miniſtrantes diſpoſitis per contubernia, quod dat illi Chriſtus ut apponant turbæ. In Venerabili Sacramento primarius miniſter eſt Chriſtus: ipſe inſtituit iiſdemque planè cæremoniis quibus uſus in multiplicatione panum, quas facilè eſt comparare inter ſe. Secundarii miniſtri ſunt Sacerdotes, præſertim Parochi in Paſcha qui miniſtrant diſpoſitis ***per contubernia***, id eſt per parœcias.

3. Suſcipientes ſunt viri, fæminæ, parvuli, etiam ***unus hîc eſt puer unus***, habens quinque panes, quem putant fuiſſe D. Martialem. In Venerabili Sacramento ſuſcipientes ſunt viri, fæminæ, parvuli. Viris præſentibus inſtitutum, fæminis communicatum, parvulis etiam infantibus olim non negatum, jam ſubtractum ob irreverentiam, quia neceſſarium non eſt. Accedant tamen parvuli, qui rationis uſum habent, ex præcepto Chriſti & Eccleſiæ: & quamvis conſuetudo ætatem ampliet, non uſquequaque tamen probanda eſt, nec probavit B. Saleſius l. 2. ep. 44. ſcribens matronæ de puero annorum circiter, cui nondum Euchariſtia præbita fuerat.

4. Miracula bina maxima: multiplicatio panum: reliquiæ panibus longè copioſiores. Quam mirabilis multiplicatio, ut ita loquar, ſeu replicatio Chriſti in Venerabili Sacramento! Quàm ſtupenda inconſumptibilitas, ***ſumit unus, ſumunt mille &c. Nec ſumptus conſumitur.*** Vide Greg. 3. Dial. c. 37 &c.

5. Effectus, ſatietas: ***Saturati ſunt***, quod Prodigo non contigit ſiliquis porcorum veſcenti, nec Samaritanæ aqua putei Jacob potanti. O quanta dulcedine & ſatietate ſpirituali repleti, non tantùm Thomæ Aquinates, Philippi Nerii, Eleazarii &c. cùm Chriſti corpus ſumerent: ſed etiam ***mercenarii***, & advenæ, ***in domo patris panibus*** abundantes! Narrat Nider 1. Form. c. 12 de equite quodam, nuper peccatore, paulatim ad meliorem vitam inveſcato, ſuavitate communicandi.

6 Diſpoſitio. Secuti ſunt Chriſtum: ſequere & tu, deſere peccata. Aug. in fine Enarr. in pſ. 93. ***Numquid conſilio corrigendi, & mutanda mala vita in bonam, non eſt locus, non eſt tempus?... Ecce dum loquor, muta cor.*** Secuti ſunt in deſertum: mentem collige in ſolitudinem interiorem, ne tibi contingat, quod monet D. Thomas, 3. p. q. 79. a. 8, carere actuali refectione ſpiritualis dulcedinis in ſynaxi, qui accedunt mente diſtracti per venialia. Famebant: deſidera Chriſtum, vide ne ſis de faſtidioſis divitibus, quos dimittit inanes. Diſcumbunt ſuper fœnum, & per contubernia: humilitatem & caritatem amat Chriſtus, ***mitis & humilis corde.*** Conſule pro diſpoſitione, ſi placet B. Saleſium l. 2. ep. 41.

FERIA II. POST DOMINICAM IV.

THEMA. ***Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit.*** De Juſtitia Vindicativa. Exc. 1. ad c. 16. ſect. 9.

FERIA TERTIA.

THEMA. ***Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?*** Joan. 7.

Non dicit Chriſtus à Judæorum nemine legem ſervari: ſed petit, an nemo ſervare dicendus ſit, cùm Sabbatho ſit opus Legis. Ea occaſione tractare poteris de Juſtitia Legali, eamque aptare ad populi captum, ex iis quæ ſcripſimus Exc. eodem ſect. ult.

FERIA QUARTA.

THEMA. ***Quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*** Joan. 9.

Aug. l. 50 hom. hom. 45. & Tract. 44. in Joan. agnoſcit in hoc cæco figuram totius mundi, & cæcitatem

mentis dicit eſſe *pœnam hæreditariam.* Ambroſius ante Auguſtinum eamdem comparationem inſtituit l. 3. de Sacr. c. 2. Ante Ambroſium Irenæus l. adv. hær. Val. valde particularim confert hujus cæci hiſtoriam cum peccato originali. Iſtis præeuntibus dicemus de *antiquo peccato*, ut vocat Aug. l. de mor. Eccl. Cath. c. 22. *quo nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius.*

Suppono nil aliud eſſe quàm privationem gratiæ, eamque juſtiſſimam, &c. Suppono item omnes unico Homine Deo excepto, ejuſque matre, eam privationem incurrere: licèt aliter Pelagiani ſcoſerint, hodieque aliqui Calviniſtarum. Ex iſtis fidei Catholicæ ac certiſſimæ thesibus conſequitur, effectum originalis in parvulis decedentibus ſine baptiſmo eſſe cæcitatem, id eſt privationem luminis gloriæ, quæ reſpondet gratiæ. Sed *quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Ne trepidate: intellectu cæci non erunt, manebunt ipſis naturalia, ſolis carebunt ſupernaturalibus naturæ indebitis. An ergo non ſentient pœnam ignis? Non dolebunt? Ubi erunt? Expende ſententias, ad quarum mitiſſimam ego propendeo, nec longe abſcedit Aug. l. 5. cont. Jul. *Non audeo dicere, quod ut non eſſent, quàm ut ibi eſſent, magis expediret.* Similes illis erunt, quibus ob parentum peccata, Rex aut Reſpublica nil detraxit, niſi nobilitatem: ita illis Deus nil auffert niſi gratiam, & gloriam, cæteris intactis.

Adultorum cæcitas ex originali manans difficilior eſt & periculoſior cæcitate parvulorum: ducit enim non ad indolentiam & ad limbum, ſed ad inferos & dolores inexplicabiles, niſi remedium citò adhibeatur: At quale remedium? Ubi illud inveniet Braſilus, Indus, Tartarus? Ergóne iſte infælix damnabitur ob Adami peccatum? *Quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Parcite obſecro murmurationibus cæci mortales, maximè cùm agitur de cæcitate ſpirituali. Cæcus manet nemo, niſi qui manere vult: damnatur nemo, niſi qui vel renuit accipere lumen, vel acceptum extinxit. Hæc meæ non eſt ſententia, ſed Pauli 2. Cor. 5. ubi probat omnes in peccatum originale incurriſſe, ex eo quòd Chriſtus ſit pro omnibus mortuus: *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Quæ verba explicans Auguſt. l. 6. cont. Jul. ſic ait: *Ex hoc probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus, Impingo, incul'co, infercio, nolo moriaris: unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.* Tam certum eſt Chriſtum pro omnibus mortuum, quàm certum eſt omnes originali culpa notatos; cùm hoc ex illo probetur, tamquam ex notiori ignotius. Ergo & certum eſt, gratias ſufficientes ipſis dari ex meritis Chriſti; ut ſalvari poſſint, ſi velint. Nihil alioqui ipſis utilitatis manaret ex morte Chriſti, nec pro illis mortuus dici poſſet. Idem probare efficaciter poſſis ex iſtis 1. Tim. 4. *Salvator omnium, maximè Fidelium:* quomodò enim ſalvator, ſi non modo actu non ſalvat, ſed nec dat quibus ſalvari poſſint gratias?

Sed nos quid utilitatis ex originali haurimus, poſt quam Dei gratia donati & fide illuſtrati ſumus? Primum, quod lutum ponit ſuper oculos noſtros, & vilitatis noſtræ nos admonet ejus recordatio, imo & reliquiæ ejus in nobis manentes, lex in membris noſtris repugnans legi mentis noſtræ, infirmitas ignorantia, &c. Alterum, quòd inde miſericordia Dei nobis notior ex incarnatione filii ſui, qui venit præcipuè ut tolleret *peccatum mundi.* Ut de toto humano genere dici poſſit: non peccavit neque parentes ejus, ſed *ut manifeſtentur opera Dei in illo*, cùm mittetur *ad natatoriam Siloë*, ad aquas quæ vadunt in ſilentio & pace. Tertium, quòd, ex boni noſtri comparatione cum cæcitate Infidelium, accendimur ad orandum pro illis, ut *mittat Dominus operarios*, &c.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Luc. 7.
Primus peccantium gradus in hoc mortuo adumbratur Exc. 2. ad c. 4. ſect. 4. uſque ad num. 6.

FERIA SEXTA.

THEMA. *Quatriduanus eſt* Joan. 11.
Alterum peccantium gradum exhibet Lazarus. Ib. à num. 6. uſque ad 10.

DOMINICA V. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum: IESVS autem abſcondit ſe.* Joan. 8.
Tertium & ultimum peccantium gradum exprimunt Judæi obdurati. Ibid. à num. 10. uſque ad finem.

THEMA alterum. *IESVS abſcondit ſe.* Ibid. Subducens ſe Chriſtus, & divinam faciem ſuam obduratis Judæis ſubtrahens, præfigurat, quod alias apertè prædicit, futurum ut à Deo deſerantur, & in calamitates incidant infructuoſas, quibus non benè utantur. Poteris hic diſputare an etiam malè uſurpata bona ſit calamitas? Quæſtio iſta tractatur Exc. ad c. 12. ſect. 2.

FERIA SECUNDA.

THEMA. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Joan. 7.
De peccatis cogitationum Exc. 2. ad c. 4. ſect. 3. à num. 1. ad 4.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Murmur multum erat de eo in turba.* Joan. 7.
De vitiis linguæ. Ibid. à num. 4. ad 6.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Multa opera bona oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Joan. 10.
De peccatis opere patratis. Ibid. à num. 6. ad 9.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7.
De peccatis occultis. Ibid. à num. 9. uſque ad 13.

FERIA SEXTA.

THEMA. *Collegerunt Principes & Phariſæi concilium adverſus IESVM.* Joan. 11.
De peccatis alienis. Ibid. uſque ad finem. Materia hæc indicatur paullò, quàm aliæ ſuccinctius, ſed facillimum cuilibet fuerit iſtam ſupplere, & alias.

DOMINICA VI. QUADRAGESIMÆ, SEU PALMARUM.

THEMA. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Math. 21.
Diximus prima Quadrageſimæ Dominica ſacrum Euchariſtiæ epulum ſolito magis frequentandum hoc tempore, & D. Caroli Borromæi ſententiam adduximus. Dominica item Lætare diximus de Communione, & ad calcem concionis indicavimus locum B. Saleſii Gebennenſis Epiſcopi, quem hic reddo ex l. 2. ep. 41. ad magnum aliquem virum, qui vitam perfectiùs inſtituere deliberabat: *Experientia annorum quinque ſupra viginti, quos in obſequio animarum impendi, me docuit vim omnipotentem hujus Sacramenti in roborandis, mundis, ſolandis mentibus, &, ut breviter dicam, deificandis: ſi congrua fide, puritate, humilitate frequentetur.* Cùm autem omni parte anni id verum ſit, tempore præſertim Quadrageſimæ: hiſce opinor ſeptimanis duabus eſſe veriſſimum, quibus Chriſtiani omnes, tepidiſſimi licèt atque craſſiſſimi, de divino iſto ferculo participatum veniunt. Melius itaque hodie, quàm de hoc argumento dicere non poſſim, & primum in Chriſti Hieroſolymam ingreſſu adumbrare ingreſſum ejus ad nos per Euchariſtiam: deinde in modo quo exceptus eſt ingrediens oſtendere, quâ ipſum ratione excipere oporteat.

Chriſtus Bethaniâ, id eſt domo obedientiæ, egreſſus, venit Hieroſolymam, viſionem pacis. In communione Paſchali venit ad nos Chriſtus ex domo obedientiæ, eſt enim præcepta tunc communio. Alias vel caritatis, vel ſpei, vel timoris caſti motivo ſumitur Venerabile Sacramentum: jam Dei juſſu per Eccleſiam. Neque ad viſionem pacis cum Deo perveniri poteſt, niſi illi obediatur. Caveant parentes ne liberis ſuis nimis diu hujus legis gratiam faciant, alioqui ipſorum vice luituri.

Tranſiit Chriſtus Bethphage, id eſt domo oris, quod Sacerdotale prædium fuit. Sacerdotum enim eſt Chriſtum miniſtrare: & quidem in Paſcha oportet ut proprii Sacerdotes miniſtrent, aliis temporibus à quolibet excipi poteſt, neque attendendus quis ſecundarius ſit miniſter, ſed quis primarius Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Tranſiit

Digitized by Google

Tranſit etiam per Olivetum, montem miſericordiæ & caritatis. Quid enim in hoc Sacramento magis elucet, quàm Chriſti miſericordia & bonitas? Potentiæ opera hic ſpectamus, ſpectamus & ſapientiæ: ſed miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus, neminem quamvis peccatorem aſpernabundæ. Verè *Sacramentum amoris.*

Ingreditur ſuper aſinam & pullum aſinæ, id eſt vel ſuper alterum ſolum, vel alternis ſuper utrumque: venit Rex manſuetus & pauper. O quàm manſuetus, quàm pauper, quàm humilis venit ad nos in Euchariſtia Deus majeſtatis! Quid autem nos illi ingredienti præſtabimus?

Primùm quod Apoſtoli, ut ipſum fide individua comitemur, eique ſubſternamus veſtes noſtras, omnes habitus & potentias animæ noſtræ, veſtem præſertim nuptialem id eſt caritatem. Si ea caremus, à Chriſto mutuemur. Tert. l. de Corona militis: *Tui ordines, & tui magiſtratus, & ipſum curia nomen, Eccleſia eſt Chriſti. Illic purpura tua, Sanguis Domini; & latus clavus in Cruce ipſius.*

Deinde faciamus quod cives Hieroſolymitani, prodeamus cùm ramis palmarum, & olivarum; *quæ in illo*, ut hodie canit Eccleſia, *& triumphos victoriæ, & miſericordiæ pinguedinem declararent.* In nobis declarent victoriam de vitiis, miſericordiam erga pauperes, hoc præcipuè ſancto tempore. Dicunt Judæis, quod jam nos Chriſtianis, Eſdras & Nehemias, 2. Eſd. 8. *Ite, comedite ... & mittite partes his, qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari.*

Acclamemus, *Benedictus qui venit, Hoſanna Rex Iſrael:* agnoſcamus Chriſtum Regem noſtrum, imperet nobis, de nobis ſtatuat, prout vult. Hic fidei finis eſt, hoc ſinceræ caritatis certiſſimum indicium, ſi velimus quod vult Chriſtus, ſicut boni ſubditi bono Regi obtemperant.

Si acclamemus, ut brevi non mutemus: ſic accipiamus Chriſtum, ut mox non ejiciamus, quod fecêre Judæi. Apud Bar. an. 254. ex Euſeb dicuntur olim Chriſtiani quidam appellati Clinici, quia in κλίνῃ id eſt lecto baptizari ſe volebant, inſtante morte. Quam multi eadem forma appellari poſſunt Paſchales Chriſtiani? Confitentur, communicant, bona quædam opera præſtant, plurima in futurum proponunt Paſchæ tempore: poſtmodum pauciſſima faciunt. De Venerabili Sacramento loquens Chriſtus dicit *Qui manducat in me manet, & ego in eo.* Maneamus, & in Paſcha ſeu tranſitu malum tranſitum non faciamus.

THEMA alterum. *Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Ibid. Materia erit de pompa hujus vitæ, honoribus, laudibus, acclamationibus: indignis æquè accidere ut dignis: cito tranſire: fletibus ſæpè miſceri: aliquando in contrarium mutari ut Chriſto accidit poſt quintum diem, ubi ingreditur, & egreditur Hieroſolyma valdè diverſis circumſtantiis. Longè alius habitus, ſocietas, rami, vehiculum vociferationes: Poteris huc quædam transferre ex ſect. 2. Exc. ad c. 10. Item ex Tract. de bon. vol. par. 2. ſect. 3. in fine. Ingreſſum D. Melaniæ ſenioris in urbem Nolanam, ubi eam excepit D. Paullinus v. ep. 10. ad Sev. Inſidebat burico, ut aſello Chriſtus. Cum Carolus Magnus victis Longobardis Romam vénit, etſi improviſus venire cuperet, tamen ab Hadriano Pontifice de ejus adventu monito, miſſi obviàm pueri cum ramis, clamantes, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

FERIA II. PALMARUM.

THEMA. *Maria accepit libram nardi piſtici pretioſi.* Joan. 12.

Pœnitentiæ exemplar Magdalena pœnitentiæ figuram manibus geſtat, & capiti Chriſti affundit. Unguenti *libra* eſt ut juſtitia pœnitentiæ ſignificetur; *nardi*, ut humilitas; *piſtici*, ut fidelitas; *pretioſi*, ut fructus & honor. Honorifica enim eſt peccatorum confeſſio, tantum abeſt ut ſit dedecoroſa. Pudor pœnitentis pudendus non eſt. Habes Exc. 2. ad c. 5. ſect. 2. uſque ad num. 6.

FERIA TERTIA.

THEMA. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi.* Mar. 14.

Eadem mulier eſt, eadem figura pœnitentiæ, de cujus altera parte habes ibid. à num. 6. ad 10.

FERIA QUARTA.

THEMA. *Occurret vobis homo amphoram aquæ portans ſequimini eum.* Luc. 22.

Aqua pœnitentiam ſignificat: hæc nominatim, quâ veroſimiliter Chriſtus uſus eſt abluendis pedibus diſcipulorum ante Sacramentum Euchariſtiæ inſtituendum; ut diſceremus optimam omnium præparationem ejus ſuſceptioni, eſſe puritatem mentis. Illi conſequendæ pars 3. pœnitentiæ ſubſerviet, de qua ibid. uſque ad finem.

FERIA QUINTA.

THEMA. *Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput.* Joan. 13.

Nova in his verbis, & lotione figura eſt perfectæ pœnitentiæ. Ideò etiam legitur hoc Evangelium die Jovis, quo olim dari ſolita abſolutio. Vide Exc. 1. ad c. 5. num. 7. Ideo etiam ſolet hodie fieri benedictio oleorum ſacrorum, quibus ſignificatur miſericordia divina. Afferamus vaſa vacua non pauca, ut excipiamus. Præbeamus pedes, & manus, & caput ſancto Chriſti lavacro per pœnitentiam. Utiliſſimè fiet anacephalæoſis dictorum de peccatis & eorum expiatione pleriſque iſtius Quadrageſimæ concionibus.

PARASCEVE.

THEMA. *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit.* 2. Cor. 5.

Quia tota ferè Quadrageſima de peccatis tractatum fuerit, convenienter hodie oſtendes in Chriſto patiente figuram peccatoris, de qua Exc. ad c. 9. ſect. 3. Si autem alia materia magis placuerit, habes luculentam ſect. 2. ad illa Chriſti, *Suſtinete, vigilate, orate.*

DIE SANCTO PASCHÆ.

THEMA. *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non eſt hic.* Marci 16.

Habes materiam Exc. ad c. 13. ſect. 4. à num. 8 ad finem.

FERIA SECUNDA.

THEMA. *Mulieres quædam è noſtris ante lucem fuerunt ad monumentum.* Luc. 24.

De mulierum iſtarum virtutibus, ibid. ab initio ſect. ad num. 8.

DOMINICA QUASIMODO.

THEMA. *Alleluia, Alleluia, Alleluia.* Habes ibid. ſect. 3.

THEMA aliud. *Infer digitum huc, & vide manus meas.* Joan. 20.

Quinque vulnerum, à Chriſto reſurgente ſervatorum, cauſſæ quinque pro nobis dum in hac vita ſumus. Pro altera vita Chriſtus ea ſervavit ad honorem ſuum. *Ut ſi vir fortis*, inquit Aug. ep. 49. ad Deogratias, *pro patria dimicans adverſis vulneribus acceptis, ea ſanari vellet, ſed cicatrices ad gloriam manere.* Ita etiam in Martyribus cicatrices manſuras ad gloriam cenſet idem l. 22. de Civit. Etſi contrarium docuiſſe videatur Euſeb Gall. hom. 10. *In noſtra reſurrectione nulla alicujus manebunt indicia læſura*, &c. Pro Sanctis ſervavit Chriſtus ſua vulnera ad incrementum gaudii. Cogitate quanta ſuavitate Conſtantinus Imperator oſculatus ſit cicatrices Epiſcoporum Confeſſorum in Concilio Nicæno: quanto pietatis ſenſu D. Thomas Apoſtolus, intuitus Chriſti plagas, exclamârit, *Dominus meus & Deus meus:* quanto ardore & affectu Sancti diſſuaviabuntur eadem vulnera in cælo, & dicent, *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & gloriam & benedictionem* &c.

Alteri vitæ voluptas iſta tribuitur: huic vitæ datur utilitas, eaque, ut mihi videtur, quintuplex primùm in fide confirmanda. Difficilis eſt creditu articulus Reſurrectionis, ideò ſtabilitus à Chriſto multis argumentis. Vide S. Thomam 3. p. q. 55. ar. 6. Ego adverto probâſſe per tres animæ potentias: *aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas*, en intellectum *hæc ſunt verba, quæ dixi* &c. en memoriam *gaviſi ſunt diſcipuli, cor noſtrum erat ardens*, en voluntatem. Item per ſenſus quinque: per oculos. *videte:* per aures, *pax vobis:* per guſtum & odoratum, comedendo, piſces aſſando: per tactum, *palpate.* Et hanc cauſſam ſervatorum vulnerum tradunt Euch. Leo &c. Imò S. Joannes cùm dicit, *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis.*

Secunda utilitas eſt in ſpe noſtra excitanda. Ita ſentit l. 10. in Luc. c. 24. Cypr. &c. dicunt Chriſtum cum

§§§§§§ 3 vulneribus

vulneribus ſurrexiſſe, ut quaſi tot ora pro nobis ad Patrem exorandum aperiat: ſeu formaliter Chriſtus in cælo orare dicendus eſt, ſed interpretativè ſolum, ſeu utroque modo. Erige itaque, Chriſtiane, fiduciam tuam ad tuum patronum & ejus vulnera: ſi reus eſt, ſunt quinque civitates refugii, de quibus Iſ. 18. ſi ſervus, quinque ſicli: ſi pauper, quinque talenta: ſi in bello contra Goliathum, quinque lapides torrentis: ſi in judicio, quinque defenſores.

Ne tamen fiducia evadat in præſumptionem, eadem vulnera erunt accuſatores totidem male utentibus miſericordiæ tempore. Vide Euch. ſive Euſeb Gall. hom. 10. & Auguſtinum 2. de Symb. c. 8. *Videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt*, inquit dilectus diſcipulus Apoc. 1. Quantus horror Conſtanti Imperatori fratricidæ, cùm Theodoſii fratris umbra ſanguinem ipſi ingereret? Vide Bar. an. 659. initio. Quantus Chriſtiano timor & horror à Chriſto, plagas exprobrante &c?

Ne id nobis contingat, ex ſalutari timore naſcatur quarta utilitas, compunctio. Eam hauriamus de fontibus Salvatoris patentibus *in ablutionem peccatoris*. Exhauſti non ſunt. durat ejus promiſſio, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Inde, inquit Bern. ſerm. 61. *Non ſolùm ablutionis prima undas haurimus, ſed etiam compunctionis perennes effluunt rivi, & miſericordiarum ſuavitas. Et tertius pietatis affectus*, id eſt caritas incenſa, quintus quinque vulnerum in nobis effectus. Habitabant in Chriſti vulneribus Martyres, inquit ibid. Bern. quando tormenta ridebant: habitabat Auguſtinus, Elzearius, &c. habitemus & nos, ut ardeamus. Momus olim dicitur queſtus, in fabrica humani corporis deeſſe feneſtram ad pectus, ut inſpiceretur, quis amicus ſincerus eſſet, quis amandus? Ad Chriſti cor patet lata feneſtra, per quam emicant flammæ amoris &c.

In hanc concionem ingredi poteris per diſputationem D. Th. 3. p. q. 54. ar. 4. an decuerit Chriſtum cum vulneribus reſurgere? Eâ quæſtione diſceptatâ, tranſi ad cauſſas.

DIE ANNUNTIATIONIS D. VIRGINIS.

THEMA. *Ecce ancilla Domini*. Luc. 1.

Diſputabitur, utrùm carior & honorificentior ſit D. Virgini titulus Ancillæ Domini, an Matris Dei? Habebis eam materiam, Deo propitio, in Exc. ad c. 7. libri 2. ſect. 2.

DIE S. JOSEPHI.

THEMA. *Ioſeph, fili David, noli timere*. Matth. 1.

Prima parte tractabis de prærogativis naturalibus & ſupernaturalibus D. Joſephi. Altera pars erit de ipſius afflictionibus, timore, angore, triſtitia, paupertate. Deinde obiter ages de Dei conſuetudine in affligendis & probandis electis, deſumeſque aliqua ex ſect. 2. Exc. 3. ad c. 2.

DIE S. MATTHIÆ.

THEMA. *Tollite jugum meum ſuper vos*. Matth. 11.

D. Matthias dici poteſt omnium Clericorum primus, quia ſorte electus: atqui *propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ſors, id eſt pars, Clericorum eſt*, inquit Hier. ep. 2. Imo S. Auguſt. in pſ. 67. putat ſic dictos ex electione S. Matthiæ: *Nam & Cleros & Clericos hinc appellatos puto, qui ſunt in Eccleſiaſticis gradibus ordinati, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primum ab Apoſtolis legimus ordinatum. Clericus autem dicitur à κλῆρος, quia ſorte in ſortem Domini adſciſcitur*.

Ejus Clerici primi omnium nominatio ab Apoſtolis, & comparatio cum Joſepho juſto primum eſt argumentum magnæ ſanctimoniæ. Alterum eſt, electio divinitùs facta Sanctique Spiritus de ipſo judicium. Tertium, ex hac ejus ſententia familiari apud Clementem Alex. *Adversùs carnem pugnandum, & in nullo prorſus voluptati ejus concedendum: anima verò alenda ſapientiæ paſtibus, & ſcientia cibis in majus ſemper augenda*. Ita poſthumus Chriſti filius tulit ejus jugum ſuave, & ſequentibus ſe Clericis dedit exemplum ferendi. *Nihil enim prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus*, inquit Salv. l. 3. de Prov. Fruſtra à Cæſaribus ipſis vocabuntur Clerici *Venerabiles, Reverendiſſimi*: fruſtra eorum *miniſteria* dicentur *beatiſſima*, cod. de Epiſc. & Cler. fruſtra à Senatore ſeu Caſſiodoro dicetur l. 8. ep. 24 *profeſſio Clericorum vita cœleſtis*: ſi non tollant jugum Domini, & ſint exemplo cæteris. Dicebat S. Matthias: *Si electi vicinus peccavit, peccavit electus: nam ſi ſe ita geſſiſſet, ut jubet verbum vel ratio, ita ejus vitam vicinus eſſet reveritus, ut non peccâſſet*.

INDEX

INDEX CONCIONATORIVS IN DOMINICAS, ET FESTA EXTRA ADVENTUM ET QUADRAGESIMAM,

Quibus materia in hoc tomo partim fuſè proponitur, partim indicatur: uberiore indice ad poſteriorem tomum reſervato, uti & concionibus de controverſiis fidei.

DOMINICA INTRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

THEMA. *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc 2.

Quis noſtrûm deinceps miretur ſe aliquando dolere? Tales dolent, & vehementer dolent: neque enim fortiſſima fœminarum conquereretur, niſi vehementer doleret: nec dolorem tantum ſentiret, ſi magna non foret dolendi cauſſa. Merito itaque diſputabimus, cur par iſtud eximiæ ſanctimoniæ Deus dolere voluerit: inde ad nos.

An ob peccatum aliquod actuale doluêre Virgo & Joſeph? Magdeburgenſes hic Virginem Evæ conferunt, amittenti fructum vitæ. Loſſius è ſchola Lutheri ait, ideo ipſam meritò in ſummos animi languores incidiſſe, quia Chriſtum perdidit, &c. Sed Auguſtinus & Ambroſius reſpondeant: *Claudat ora perfidia ne matrem Domini aliquo audeat temerare convitio.* Vide iſthæc & plura apud Salm. hoc loco. An ergo ob peccatum originale doluit Virgo? Id aliquando ſenſit Catholicus Doctor, omnium piorum quantumvis inſontium mala inde manare, nec Virginem excepit, ſed ea ſententia à Pio V. proſcripta eſt. Reſtat cauſſa tertia, exercitatio virtutis, quam in D. Virgine ſolam à Deo ſpectatam eſſe, dubitari non debet: ſolam item in Joſepho fuiſſe, perſuadet ejus inſignis virtus. Cur Deus bonos affligat, habes Exc. 3 ad c. 2. ſect. 2. & huc quædam transferre poteris.

Cur autem nos interdum affligimur? Non peto cur aliquando nobis incurrant homines &c. ſed cur Deus? Nec peto, cur publicæ calamitates immittantur, id enim alterius loci eſt: ſed cur privatæ? Has viri magni actualibus ſuis peccatis tribuere ſolent. Vide Exc. 5. ad c. 1. ſect. 2. Non tamen certum, inferri ſemper privatas calamitates ob peccata actualia. Vide ibid. Neque omninò ſemper ob originale, etſi hoc omnes incurrimus. Pii V. cenſura pios Bajanâ ſententia liberavit, ut modo dicebamus. Supereſt itaque exercitium virtutum. De omni afflictione generatim pronuntiare hoc poſſumus, *malis nos probari vel emendari.*

Si eâdem Dominica placebit dicere ad illud, *Ibant ſecundùm conſuetudinem diei feſti* &c. de feſtorum obſervatione: vide dicta de eo argumento in Comm. c. 2. v. 42.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

THEMA. *Erat mater IESV ibi: vocatus eſt & IESVS, & diſcipuli ejus ad nuptias.* Joan. 2.

Erant nunc qui Chriſtianam virtutem ſibi fingunt triſtem, inhumanam, feram, inimicam honeſtæ animorum & corporum relaxationi. Audio quidem Chriſtum dicentem, *Attendite ne graventur corda veſtra crapulâ* &c. Audio Petrum ſucclamantem, *Sobrii eſtote:* & Paulum, *Nolite inebriari.* Vera iſta ſunt: ſed idcône vetita convivia? Malè omninò argumentaretur, qui hoc inde confingeret: poſteaquam vidiſſet Chriſtum non in Simonis modò, aut Magdalenæ, aut Matthæi ædibus convivantem, ſed in nuptialibus ipſis epulis, ubi ipſemet vinum largiùs præbuit. Jam non eſt opus ut ad Siracidæ auctoritatem confugiamus pro epularum apologetico faciendo, non ad Aſſueri, Jobi, Abrahami convivia &c. ſufficit unicus Chriſtus vocatus ad nuptias, comedens, bibens, vinum præbens. Quid dicemus, Chriſtum cauſſam eſſe peccati? Nec vinum, neque epulæ, res malæ ſunt: ſed malus eſt earum abuſus. Vide Aug. l. 1. de lib. arb. c. 15.

Vis non abuti? Fac, ut qui convivium inſtruxit in Cana: invita Chriſtum, Virginem, Diſcipulos. Chriſtumne, ut benedicat menſæ? Quàm damnanda conſuetudo accumbentium ſine ulla precatione. An D. Virginem, ut illud ex antiquis moribus dicatur, *Beata viſcera Mariæ Virginis* &c? An Diſcipulos, ut gratias agant, poſt ſumptum cibum, & non diſcedant porcinè?

Chriſtus præſideat, ut adſit ſapientia. Virgo veniat, ut non abſit honeſtas. Accedant diſcipuli, ut accedat caſtitas. Sapientiam ſic intelligo, non quòd non ſit interdum dulce deſipere in loco; non quòd omnes ibi geſtus & voces ponderandæ ſint, non quòd importunè ingerenda monita, & graves ſententiæ: quamquam interdum expedit interſeri aliquid ejuſmodi, & ſic Chriſtus ſolitus. Sapientiam itaque intelligo, conſervationem integræ rationis, ut non ultra potetur, quàm mens toleret. An ebrietas ſit peccatum mortale, diſceptamus in Comm. ad c. ult. ubi de cæde Simonis agitur. Multa congeruntur à ſcriptoribus adverſus illud peccatum: Chriſtiano ſufficiet, dedecere, & Deo diſplicere. Vide etiam Exc. 3. ad c. 1. ſect. 3.

Qui ſic convivabitur, ut ratio ſemper præſideat, & imperet, facillimè etiam ſervabit honeſtum in verbis, & actionibus. D. Auguſtinus menſam ſuam volebat alienæ famæ violatoribus vetitam eſſe: credo magis etiam prohibuiſſet impiis de Scriptura jocatoribus, & ſcurriliter de caſtitate ludentibus: *ſcurrilitas nec nominetur in vobis.* Quid autem ſi ab uno intemperantiæ vitio ad aliud, non verbis modò, ſed deſideriis &c. proſilitur?

Si temperantia in conviviis ſumptus reſtrinxerit, habebit inde certas quod pauperibus largiatur. Job non comedit buccellam ſolus. Eſdras voluit mitti epularum partes iis, qui non habebant. Tobias ſimilibus aſſueverat. Monet Chriſtus invitandos, qui non reddant. Alethius apud Paulinum ep. 33 pauperibus epulum præbuit. Majores noſtri ſoliti ad xenodochia, aut pauperum domos, mittere reliquias conviviorum. Dicebat apud Senecam neſcio quis: *Sine amico viſceratio, lupi vita eſt.* Ego melius dixero; ſine paupere convivium, Chriſtiani vita non eſt, ſed eorum in quos declamabat Amos propheta, qui bibebant vinum in phialis, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.

Si eâdem Dominicâ placuerit dicere ad illud, *Omnis homo primum vinum bonum ponit, deinde* &c. reperiet nonnulla de mutabilitate affectuum & judiciorum humanorum, ad c. 10. v. 1. q. 3. & ad v. 68. Item ad c. 15. v. 46.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Vide feria 5. poſt Cineres.

DOMINICA IV. POST EPIPH.

THEMA. *Motus magnus factus eſt.* Matth. 8. Tempeſtas pios agitat. Pœnitentes & pii graviùs peccatoribus tentati: ad c. 5. v. 8. Infeſtationes dæmonis adversùs pios: ad c. 15. ſub finem.

DOMINICA V. POST EPIPH.

THEMA. *Sinite utraque creſcere.* Matth. 13. Cur malos Deus patienter toleret? Habetur id argumentum fusè Exc. ad c. 8. ſect.

Huic Dominicæ aptari etiam percommodè poteſt quæſtio, Cur Deus peccata permittat? Vide Exc. ult. ad c. 1. ſect. ult. totâ.

DOMINICA VI. POST EPIPH.

THEMA. *Simile eſt regnum cælorum fermento.* Mat. 13. Cur boni malis permiſti? Exc. 2. ad c. 5. à num. 2. ad 8.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

THEMA. *An oculus tuus nequam eſt?* Matth. 20. De invidia. Habes ubertim c. 5. ad v. 1. Vide etiam Exc. 4. ad illud cap. num. 13. & c. 10. ad v. 59.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

THEMA. *In corde bono & optimo audientes verbum retinent.* Luc 8.
De audiendo verbo Dei habes ad c. 9. v. 23. fusè.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

THEMA. *Cæcus ſedebat ſecus viam mendicans.* Luc. 18. De rerum vanitate: habes Exc. ad c. 10. ſect. 2. totâ.

THEMA aliud. *IESV, fili David, miſerere mei.* De ſpe in Chriſtum: habes Exc. 2. ad c. 11. ſect. 3. totâ.

DOMINICA II. POST PASCHA.

THEMA. *Bonus paſtor.* Joan. 10. Cura de ſubditis, c. 5. v. 22. & 53. Exemplum Prælatorum, c. 16. v. 6. Exemplum parentum Exc. ad c. 7. ſect. 1. num. 9. Emigratio è locis virtuti infeſtis, c. 5. v. 22. &c. Mala ſortis prudenter declinare licet, c. 6. v. 47.

DOMINICA III. POST PASCHA.

THEMA. *Quid eſt hoc, quod dicit, modicum?* Joan. 16. De modico hujus vitæ, habes Exc. ad c. 10. ſect. 3. tota.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

THEMA. *Expedit vobis, ut ego vadam.* Joan. 16. Calamitas cum baptiſmo comparata, habes Exc. ad c. 12. ſect. 1. num. ult.

DOMINICA V. POST PASCHA.

THEMA. *Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.*
De orationis efficacia, habes Exc. 2. ad c. 3, ſect. 1. totâ.

DIE ASCENSIONIS.

THEMA. *Non eſt veſtrum noſſe tempora.* Act. 1. A Providentia divina pendendum eſt in futurum, qua de re habes ſect. totam 3. in Tract. de bona vol. part. 2.

DOMINICA INTRA OCT. ASCEN.

THEMA. *Reminiſcamini, quia ego dixi vobis* Joan. 15. De prævidendis malis, vide eodem tractatu & ſect. Item ad c. 5. v. 37. & ad c. 6. v. 46. copiosè.

DOMINICA PENTECOSTES.

THEMA. *Apparuerunt diſpertitæ linguæ.* Act. 2. Quanti referat benè & Chriſtianè dicere, habes ſect. totâ 6. Prolegomenon. Vide etiam c. 13. ad v. 7.

DOMINICA TRINITATIS.

THEMA. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Rom 11.

Altiſſimo Trinitatis myſterio commodè aptabis, quæ habentur Proleg. ſect. 3. num. 12. Cur Deus Scripturam obſcuram eſſe voluerit?

DIE VENERABILIS SACRAMENTI.

THEMA. *Caro mea verè eſt cibus.* Joan 6. Beneficentia Principalis virtus. Vide quæſt. 8. Chriſtiano-politica. Multitudo populi gloria Principis, ad c. 12. v. 38.

DOM. INTRA OCT. VEN. SACRAM.

THEMA. *Cœperunt ſimul omnes excuſare.* Luc. 14. Cauſſæ defectionis à fide, ad c. 1. v. 19.

DOMINICA III. POST PENT.

THEMA. *Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15.
Lætitia de converſione peccatoris, ad c. 4. v. 58.

DOMINICA IV. POST PENT.

THEMA *Annuerunt ſociis.* Luc. 5. Probanda aliorum, & deceſſorum, conſilia, ad c. 13. v. 49. & 53.

DOMINICA V. POST PENT.

THEMA. *Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit.* Matth. 5. De ira laudabili & illaudabili, c. 2. v. 24.

DOMINICA VI. POST PENT.

THEMA. *Suſtulerunt, quod ſuperaverat de fragmentis.* Mat. 8
De minimis Scripturæ fragmentis non pendendis, c. 2. v. 2.

DOMINICA VII. POST PENT.

THEMA. *Attendite à falſis prophetis.* Matth. 7. Vitiis dati virtutum tituli, c. 6. ſub initium. Hæretici Scriptura utentes ex ea revincendi, Proleg. ſect. 5. num 1, 2. 3. &c.

DOMINICA VIII. POST PENT.

THEMA. *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt* Luc. 16.
De prudentiæ partibus in hac parabola expreſſis, habes ubertim ad c. 2. v. 65. &c. Conſule etiam c. 8. v. 3.

DOMINICA IX. POST PENT.

THEMA. *Videns civitatem flevit.* Luc. 19. De hoc Chriſti fletu, habes Exc. 2. ad c. ult. ſect. ult. totâ.

DOMINICA X. POST PENT.

THEMA. *Deſcendit hic juſtificatus ab illo.* Luc. 18. Phariſæus malus orator, quia mentem Deus audit, non linguam. Diſcipuli ingrati & hypocritæ, c. 16. v. 11.

DOMINICA XI. POST PENT.

THEMA. *Benè omnia fecit.* Matth. 7. Gratiæ Deo agendæ, & laus Dei in ſpiritualibus victoriis, c. 13. v. 49. &c.

DOMINICA XII. POST PENT.

THEMA. *Homo quidam .. incidit in latrones.* Luc. 10. Domeſtici Eccleſiæ hoſtes, c. 12. v. 38. Viri magni Eccleſiæ muri ſunt, cur aliquando lapſi, læſi, ſemivivi relicti? Vide ibid.

DOMINICA XIII. POST PENT.

THEMA. *Levaverunt vocem.* Luc. 17. De efficacia publicæ & unanimæ orationis, habes tota fermè ſect. 6. Exc. 2. ad c. 3.

DOMINICA XIV. POST PENT.

THEMA. *Quærite primùm regnum Dei.* Matth. 6. De cura religionis, ad c. 4. v. 36. Habes, & fusè, Excurſu ad c. 7.

DOMINICA XV. POST PENT.

THEMA. *Defunctus efferebatur.* Luc. 7. De ſepultura & Chriſtianis ad illam ritibus, habes uberem materiam ad c. 2. v. 70. in funere Mathathiæ.

DOMINICA XVI. POST PENT.

THEMA *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Luc. 14. Ambitio jura confundit, &c. Ejus infælix exitus: c. 11. v. 1. 14. 18. 19.

DOMINICA XVII. POST PENT.

THEMA. *Diliges proximum ſicut teipſum.* Matth 22. Sic cura externos, ut non ſis immemor domeſticorum & tui: cap 11. ad finem Caritas enim erga te, & erga tuos, menſura eſt caritatis tuæ erga alios.

DOMINICA XVIII. POST PENT.

THEMA. *Confide, fili.* Matth. 9. Fiduciæ demonſtratio conciliat animos: cap 10. v. 22.

DOMINICA XIX. POST PENT.

THEMA. *Pauci electi.* Matth. 22. An pauciores ex Fidelium numero ſalvabuntur, quàm damnabuntur? Hæc quæſtio in utramque partem diſceptatur, ad c. 6. v. 57.

DOMINICA XX. POST PENT.

THEMA. *Deſcende priuſquam moriatur filius meus.* Joan. 4. Multi ſeſe negligunt præ ſuis. Habes id argumentum non obiter tractatum, c. 2. ad v. 49.

DOMINICA XXI. POST PENT.

THEMA. *Sic & Pater veſter cæleſtis faciet vobis.* Matth. 18. Pœnæ cum culpa proportio, c 9. v. 58. Juſtitia vindex injuſtitiæ, c. 15. v. 37. De talione, v. Ind. mat.

DOMINICA XXII. POST PENT.

THEMA. *Miſerunt Phariſæi diſcipulos ſuos cum Herodianis.* Matth. 22. Calliditas hoſtium Eccleſiæ, & pertinacia: c. 12. v. 28. Politici hominis mores: c. 12. v. 38. Affectatâ inimici reconciliatio ſuſpecta: c. 10. v. 46.

DOMINICA XXIII. POST PENT.

THEMA. *Filia mea modò defuncta eſt.* Matth. 9. Vanitas rerum ſpectata in morte ſingulorum. Exc. ad c. 10. ſect. 1. uſque ad num. 6.

DOMINICA ULT. POST PENT.

THEMA. *Cælum & terra tranſibunt.* Matth. 24. Eadem varietas ſpectatur in morte Univerſi: ibid. à num. 13. ad finem.

THEMA aliud. *Abominatio deſolationis.* De hoc habes Exc. 1. ad c. 15. fermè toto.

FESTO PURIFICATIONIS.

THEMA. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Luc. 2. Pax à Simeone cantata. Exc. ad c. 13. ſect. ultimâ totâ.

FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

THEMA. *Non turbetur cor veſtrum.* Joan. 14. Tranquillitas Chriſtiano neceſſaria. Exc. 1. ad c. 4. ſect. 1. totâ.

FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

AGere poteris de variis gradibus Crucem invenientium. Qua de re luculentè diſſeritur Tractatu de bona voluntate, par. 3. ſect. 3. Licebit etiam addere quidpiam de fragmentis S Crucis honori publico expoſitis: uti ſunt illa de quibus ad calcem ſect. ult. Excurſu ad c. 9.

FESTO NATIVITATIS S. JOANNIS.

OCcaſione nominis divinitùs inditi D. Joanni, commodè perſtringentur, qui ſacra & patria nomina dedignati, arripiunt exotica & profana: notamus illud ad c. 1 v. 16. & ad c 6. v. 5. Quomodò D Joannes Chriſtum variis vitæ partibus præcucurrerit, indicamus Exc. 3. ad c. 2. ſect. 2. num. 4. & 5.

FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULLI.

DE Chriſto & Apoſtolis generatim dicimus c. 2. v. 2. &c. ad iſtud præcipuè, *adjuvabant eum*, Judam, *fratres ſui.*

FESTO VISITATIONIS D. V.

CUm D. Virgo non ſolùm viſendæ cognatæ cauſâ tantum iter ſuſceperit, ſed etiam juvandæ obſequiis: non incommodè ea occaſione agetur de proximo juvando, ſed prudenter; eſt enim periculum in juvandis proximis, c. 5. v. 67.

FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

FUit in civitate peccatrix: fuit in civitate pœnitens. Inde malo exemplo multos ſeduxit: hinc bono exemplo plurimos reduxit, & reducit etiamnum. De malo exemplo præſenti, ejuſque efficacia ad ſeducendum. c. 2. v. 3. De bonis exemplis, ad v. 18. 27. 52. uſque 61.

FESTO D. JACOBI.

QUia legitur Evangelium de ambitione filiorum Zebedæi, poteris eam inſectari. Ne majora te accipias, ne ultrò te ingeras in munia, c. 5 v. 55. Ambitionis arma, c. 7. v. 25. Fusè de iſto argumento tractamus Exc. 1. ad c. ult.

§§§§§§§

FESTO

FESTO D. ANNÆ.

MAtris iſtius gloria ex filia. Filii ornamenta parentum, c. 2. v. 16. Adminicula liberi, c. 16. v. 3.

FESTO ASSUMPTIONIS D. V.

TRiumphus eſt Virginis, quemadmodùm Aſcenſio triumphus eſt Chriſti: commodè poſſunt inter ſe comparari, quoad varia. Quomodò à Deo victoriæ ſpirituales, & triumphi? Vide c. 16. v. 2.

FESTO D. LAURENTII.

DIvus Sixtus Papa monuit illum triduo functurum glorioſiori certamine: Conſilia ſenum, militia juvenum, c. 14. v. 9. Eccleſia creſcit perſecutionibus: prælia adverſus Paganos, Hæreticos, &c. An Martyribus accenſendi, qui Sabbathis non repugnavêre: an qui bellis ſacris cæduntur? Vide quæſtiones Theologicas 15. & 25.

FESTO S. BARTHOLOMÆI.

AGitur in Evangelio, generatim de Apoſtolorum electione per Chriſtum facta, ſimplicium & ad mores antiquos factorum: de ſimplicitate, quàm Deo grata ſit, & de moribus antiquis, c. 4. v. 47. &c.

FESTO NATIVITATIS D. V.

POrphyrogenita Virgo, cùm introducitur in orbem terræ, adoratur ab Angelis, agnoſcitur pro domina. Principes paullatim aſſueſiant regendo: Pueris nec ſacra nec profana munia credenda, c. 13. v. 54.

FESTO S. MATTHÆI.

IN convivio facta per Levi umbra aliqua magnificentiæ Eccleſiaſticorum, de qua c. 10. v. 59. ubi advertimus ad magnificentiam Jonathæ & Principum Eccleſiæ. Si de Evangelio dicere placuerit, aptè conferes Evangelia quatuor totidem Paradiſi terreſtris fontibus. Scripturam Paradiſo terreſtri comparatam per partes ſingulas invenies Proleg. ſect. 4. tota.

FESTO S. MICHAELIS.

NOmen Michaelis *Quis ut Deus*, idem ſonat Machabæi noſtri teſſera militaris, *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine?* Miles Chriſtianus ſit Michael, ſit Machabæus. Vide Proleg. ſect. 1 num. 6. &c. Belli juſta cauſſa religio, c. 6. v. 58. Militis Chriſtiani robur à laudibus Dei, c. 11. ad calcem.

FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

THEMA. *Simon vir conſilii. Judas fortis viribus*, 1. Mach. 2.
Argumentum indicamus eo capite, ad v. 66.

FESTO SANCTORUM OMNIUM.

SI de ſcalis, quibus Sancti omnes in cælum eniſi ſunt, dicere lubuerit, habes c. 6. v. 54. quomodò perſecutio bonos ſecernat à malis.

IN COMMEMORATIONE DEFUNCTORUM.

SI celebrem illam Hagiographi ex lib. 2. ſententiam afferas, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare*, expediet fulcire ejus libri auctoritatem, & oſtendere habendam pro canonica: quod demonſtratur Proleg. ſect. 3. Poteris & hanc in tranſcurſu quæſtiunculam attingere, Cur defuncti vocentur apud Chriſtianos qui mortui ſunt? Vide c. 2. v. 70.

FESTO D. MARTINI.

SPiritalis bellator à facilioribus incipiat, c. 6. v. 18. Sic paullatim D. Martinus ad majora progreſſus.

FESTO PRÆSENTATIONIS D. V.

CUra pueritiæ quanta debeat eſſe parentibus: vide Dom. 2. poſt Paſcha, Dom. 17. poſt Pentecoſten, & Feſtum D. Annæ. Puerorum peccata, c. 7. ad v. 8. quæſt. 7.

FESTO D. CATHARINÆ.

CIviles odia perniicioſiora hoſtilibus, c. 9. v. 61. & c. 10. v. 2. Malum conſilium conſultori peſſimum, c. 9. v. 61. & 69.

COMMUNI APOSTOLORUM.

Vide Feſta Divorum Petri & Paulli, & Bartholomæi.

COMMUNI EVANGELISTARUM.

Vide Feſtum D. Matthæi.

COMMUNI MARTYRUM.

Vide Feſtum D. Laurentii.

COMMUNI DOCTORUM.

THEMA. *Refulſit Sol in clypeos aureos*. 1. Mach. 6.
Indicatur id argumentum ad v. 39. & alia ibidem non obiter ſuggeruntur, de Divo præſertim Thoma Aquinate.

COMMUNI CONFESSORUM.

MOrtificatio paſſionum, & ejus via certiſſima, c. 13. v. 58. Eccleſiaſtici fugiant ſæcularia judicia, c. 7. v. 5. Quanti ſint Eccleſiaſticorum exempla, v. Exc. 4. ad c. 5.

COMMUNI VIRGINUM.

Vide Feſtum D. Catharinæ.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

REverentia ſacrorum, c. 4. v. 46. Expende etiam eodem capite Encænia Machabæi.

IN PRECIBUS QUADRAGINTA HORARUM.

HAbes Excurſum totum ſecundum ad caput 3. Et Excurſus ad c. 14. ſectionem alteram.

IN VESTITIONIBUS ET PROFESSIONIBUS RELIGIOSIS.

Recurrere poteris ad commune Confeſſorum & Virginum.

IN FUNERIBUS.

VIde Dominicam 25. poſt Pentecoſten, & Commemorationem Defunctorum.

Iſthæc, ingenioſè Lector, tibi non inutilia fuerint, præterquam quòd plurima ipſe transferre poteris ad Dominicas, & Feſta, ex iis quæ valdè uberiùs in Adventum & Quadrageſimam ſcripſimus. Interim copioſum ad Dominicas, & Feſta, indicem apparabo, in Commentariis ad alterum Machabæorum librum: quod opus mihi jam in manibus eſt, & brevì, ſi Deus vitam ac vires dederit, & per alias occupationes licuerit, abſolvetur. Ora Deum pro me, Lector, & ſi quid in hiſce Commentariis, Excurſibus, Indicibus vel mutandum, vel addendum, vel demendum occurret, ſignifica: præſertim ſi aliquid videbitur Eccleſiæ, Pontificum, Patrum ſcitis, & noviſſimo URBANI VIII. de miraculis ac Sanctis Beatiſve decreto minùs conforme; quod tamen à me ſedulò cautum exiſtimo. Sed quidquid illud fuerit, quo de caritas & humanitas tua monendum me judicârit, eo animo accipiam, qui nihil mavult, aut malle debet, quàm Dei gloriæ ſtudere, & publicè aliquid prodeſſe.

INDEX

INDEX MATERIARVM IN COMMENTARIIS ET EXCURSIBUS CONTENTARUM.

Litera p. paginam, c. columnam ſignificat.

Multa etiam in Indice Concionatorio materia eſt: ſed eam Lector per ſe ſine aliis indiciis inveniet.

A

ABſtinentia. Cur jejuni ante prælium cum Serone Judæi. p. 132. c. 2. A gaſtrimargia, ſeu veotris ſtultitia, præcipuum Chriſtiano bellum. p. 146. c. utr.

Æternitas. Mala, quàm horribilis. p. 197. c. 2. Præ æternitatis longitudine quantula vita noſtra. p. 357. c. utr.

Alcimus. Nomen mutat. p. 269. c. 1. Ambit Sacerdotium. ibid. Accipit,& cum Bacchide venit in Judæam. p. 269. c. 2. Occidit Aſſidæos. p. 270. c. 2. Judæam infeſtat. p. 271. c. 1. Iterum adit Demetrium. ibid. c. 2. Nicanor illi addicitur. ibid. Rurſum cum Bacchide & exercitu venit in Judæam. p. 306. c. 1. Jubet deſtrui muros Templi. p. 313. c. 2. Paralyſi percuſſus moritur. p. 314. c. 1.

Alexander Magnus. Ao Philippi filius? p. 47. c. 2. &c. Quomodò Monarcha Græciæ? p. 48. c. utr. Cur dictus bicornis? p. 49. c. 1. Quæ ejus prælia? ibid. Quàm latè dominus, quàm dives? ibid. c. 2. Ejus exercitus. p. 50. c. 1. Ambitio. ib. Potu nimio mortuus. ibid. Ante mortem inter ſuos monarchiam partitur. p. 51. c. 2. Ubi mortuus. p. 52. c. 1. Ambitio ſucceſſorum. p. 52. c. 2.

Alexander Veles. Nothus Antiochi Epiphanis. p. 342. &c. Et ipſe dictus Epiphanes. p. 343. c. 1. Fautores habet Reges, & Romanos. ibid. c. 2. Et Judæos. p. 346. c. 1. Vicit Demetrium. ib. c. 2. A Socero deceptus,& victus,occiditur. p. 361. &c.

Alleluia. Cantus Beatorum. p. 421. c. 1. Cantus Eccleſiæ. ibid. Tempore Paſchali cur frequentetur? ib. &c. Quid ſignificet? p. 422. c. 1. In funeribus olim cantatum. p. 424. c. 1. Fæliciter cantatum à militibus, à lectore. ibid.

Ambitio. Ejus mala. p. 52. c. 2. Arma. p. 271. c. 2. Fas omne peſſumdat. p. 361. c. 1. Altiora viribus non quærenda. p. 221. c. 2. &c. Ex ſuperbia oritur. p. 519. c. 2. Ejus natura, cooditiones, mala. p. 518. c. 2. &c.

Amicitia. Conſtans. p. 388. c. 2. Ejus indicia. p. 389. c. 1. p. 483. c. 1. Falſa ex utilitate. p. 496. c. 1. Sincera amicitiæ profeſſio. ibid. Rari amici. p. 473. c. 2.

Angelus. Cæli miles. p. 397. c. 1. Non nocet, niſi cum moderamine. p. 398. c. 1. Nihil illi vile, quod Deus vult. ibid. Ubique ſpectat faciem Patris. ibid. c. 2. Cor homini datus? ibid. Invocandus in publicis malis. p. 399. c. 2. Summa ejus laus obſequi Deo. ibid. Cur Angeli mulieribos reſurrectionem Chriſti nuntiàrint. p. 425. c. 1.

Anni. Græcorum unde incipiendi. p. 53. c. 2. &c. Quantum inter ſe utriuſque libri Machab. chrooologiæ diſtent. p. 53. &c. Tempora Principatu Simonis à Judæis conſignari cœpta. p. 411. c. 1.

Animalia. Inter ſe pugnant velut ex condicto. p. 261. c. 1. Alioqui multitudo onerosa ſit Univerſo. ibid.

Antiochus Deus. Puerulus fit Rex. p. 366. c. 1. Occiditur à Tryphone. p. 410. c. 1.

Antiochus Epiphanes. Cur ſic dictus. p. 53. c. 1. Melius Epimanes. ibid. Invadit Ægyptum. p. 60. c. 1. &c. Invadit Hieroſolymam & Templum. p. 61. c. 2. &c. Opprimit libertatem & religionem Judæorum. p. 62. c. 2. &c. Antichriſti figura. p. 65. c. 2. Machabæi victoriis exacerbatur. p. 134. c. 1. Proficiſcitur in Perſidem. p. 135. c. utr. Vult ſpoliare Templum. p. 246. &c. Æger animo ob res Judaicas, moritur. p. 247. c. 2. Poſteritas ejus deleta. p. 269. c. 1.

Antiochus Eupator. Puer Rex ſalutatur. p. 247. c. 2. Ducit ingentes copias adversùs Judam. p. 249. &c. Capit Bethſuram. p. 256. c. 2. Obſidet Judam. p. 257. c. 1. Pacem cum illo iuit. p. 259. c. 2. Disjicit munitiones Templi. ibid. Antiochiam de Philippo recipit. ibid. Occiditur, & & quamobrem. p. 268. c. 2.

Antiochus Magnus. Quomodò bellum dicatur Romanis intuliſſe? p. 287. c. 2. Quomodò ab illis captus? p. 288. c. 1. Quomodò illi adempta India & Madia? ibid. c. 2.

Antiochus Sidetes. Unde illi iſtud agnomen. p. 493. c. 1. Conciliat ſibi Simonem. ibid. Inſequitur, & obſidet Tryphonem. p. 494. c. 1. &c. Abnuntiat amicitiæ Simonis. p. 496. c. 1. Tryphonem elapſum urget. p. 496. c. 2. &c. Cendebæum Judæis immittit. p. 497. c. 2. &c. Obſidet Hieroſolymam. p. 512. c. 2. Unde ipſi agnomen Pii. ibid. & p. 513. c. 1.

Apollonius. Samaritidis præfectus. p. 130. c. 2. à Juda victus, occiſus. p. 131. c. utr. Alter cognominis, præfectus Cœloſyriæ deficit ad Demetrium, provocat Jonathan, vincitur. p. 247. c. 2. &c.

Aſsidæi. Qui? p. 107. c. 1. Bellare illis licuit. ib. Veniunt ad Alcimum. p. 269. c. 2. Credulitas eorum nimia. p. 270. c. 1. Decipiuntur, & occiduntur. ibid.

Avaritia. Fœmineum peccatum. p. 81. c. 2: Specioſa larva inducitur à dæmone. p. 240. c. 2. Fons bellorum, litium, turbarum: vide *Cupiditas.* Quàm fœda in licitationibus officiorum præſertim ſacrorum. p. 517. c. 2. &c. p. 529. c. 2.

Aula. Quatenus ibi libertas ſervanda, & quæ? p. 362. c. 1. Pietas proſcripta ex Pſeudopoliticorum aulis. p. 392. c. 1.

Aſſamonæi. Eorum familia. p. 514. c. 1. Extincta. ib. Ejus nobilitas. ib. c. 2. Unde appellationis origo. p. 514. c. 2.

B

B*Acchanalia.* Eorum licentia ſtultis ſimiles facit. p. 70. c. 1.

Bacchides. Cum Alcimo in Judæam miſſus. p. 269. c. 2. Occidit Judæos. p. 270. c. 2. Alcimo commiſsâ Judæa vadit in Syriam. p. 271. c. 1. Iterum cum Alcimo venit in Judæam. p. 306. c. 1. Ducit adversùs Judam. ib. c. 2. Vincit. p. 309. c. 1. Dominatur Judæâ universâ. ibid. c. 2. Diſcedit. p. 314. c. 1. Tertiò revocatur in Judæam. ib. c. 2. Malos conſultores occidit. ib. & p. 316. c. 2. Deſerta obſidione urbis Bethbeſen, pacem init cum Jonatha. p. 317. c. 1.

Baptiſmus. Apoſtatarum liberis confertur invitis parentibus. p. 108. c. 1. Cum tribulatione comparatus. p. 395. c. 2.

Beatitudo æterna. An in veteri Teſtamento laboratum illius intuitu? p. 109. c. 1. Potens ex illa in miſeriis ſolatium. p. 121. c. 2. Et in bellis ſpiritalibus incitamentum. p. 145. c. utr.

Bellum. Ex cupiditatibus oritur. p. 82. &c. Juſtum, quando neceſſarium. p. 83. c. 2. p. 113. c. 2. Ob peccata immittitur. p. 85. &c. Defenſivum bellum licebat Sabbathis, licet feſtis. p. 106. c. 2. Offenſivum quando diebus feſtis liceat? ibid. Eſt cæli janitor. p. 115. c. utr. Spirituale deſcribitur. p. 143. &c. Machinæ bellicæ. p. 257. c. 1. Bellum igni, flagello, fræno, jugo, venatis comparatum. p. 260. c. 1. Purgat Univerſum. ibid. Et urbes. p. 262. &c. Docet vanitatem rerum. p. 351. c. utr. Dat occaſionem virtutibus exercendis. p. 394. &c. Cur ſæpiùs Fideles infeſtet, quàm Infideles? p. 499. &c. Morborum variorum inſtar eſt. p. 501. c. 2. Mala & bona ejus effecta. ibid. &c.

Bona temporalia. Eorum vanitas. p. 50. c. 2. p. 52. c. 1. p. 66. &c. p. 110. c. utr. p. 350. &c. p. 468. c. 2. &c. p. 474. c. 2. &c. Amanti Deum nihil ſunt. p. 228. c. 2. Abundantia illorum noxia. p. 191. &c. p. 263. c. utr. Dantur improbis, ut viteſcant. p. 294. &c. Benè & malè illis uti poſſumus. p. 253. c. 2. Cur bona vocentur, & quàm parùm aptè. p. 528. c. 2.

C

C*Ælum.* Non eſſe incorruptibile, colligitur ex ſtellis novis. p. 118. c. 2. Conflagrabit ante diem judicii. p. 352. c. 2. Magnitudo, altitudo, celeritas firmamenti. p. 455. c. 2.

Cæremoniæ. Initio Quadrageſimæ in ſacris Cineribus. p. 68. c. 2. Cur hi è palmis fiant? p. 69. c. 1. Funerales cæremoniæ. p. 114. c. 2. &c.

Caritas in Deum. Eſt zeli parens. p. 103. c. 1. Eſt via Dei ad nos, noſtra ad Deum. p. 224. c. 1. Ejus rectitudo. ibid. c. 2. &c. Compendium ad virtutem. p. 226. c. utr. Facit jugum ſuave. p. 227. c. 1. Ex Dei cognitione ortus, auget ejus cognitionem. ib. c. 2. Affert rerum contemptum. p. 228. c. 2. Dolor ejus & timor de peccato. p. 226. c. 2. &c. Etiam minima peccata odit & plangit. p. 236. c. 2. &c. Ejus judicium certiſſimum ex conformatione voluntatis humanæ cum divina. p. 403. c. utr.

Caritas in proximum. Ad Deum refertur. p. 228. c. 1. Illuſtrat mentem. ib. Quanti ſit unio mutua. p. 261. c. 1. Quàm cara Chriſto. p. 432. c. 2. Ejus neceſſitas. p. 538. c. 1. Zelus animarum accenditur improborum multitudine. p. 301. c. 1. Ambitio illi comparatur. p. 521. c. 1.

Caritas erga ſe. Zelum exercet. p. 104. c. 2. Non ſis immemor tui, in aliorum cura. p. 223. c. 1. p. 367. c. 2. Multi ſeſe verè non amant. p. 473. c. 1.

Caſtitas. Ejus laus. p. 78. c. 2. Amuleta illi conſervandæ. ibib. &c. Servatur pretio vitæ. p. 116. c. 1.

Chamæleon. Quos colores induat, & quomodò. p. 251. c. 1.

Chriſtianus. Quomodò Machabæus eſſe debeat? p. 3. Eſt Sacerdos pacis. p. 70. c. 2. Nota illi voluntas Dei. p. 451. c. 2. Malus ſimilis eſt transfugæ Judæo. p. 59. c. 2. Nocet exemplo. p. 202. c. 2. Quàm gravia ejus peccata, & cur? p. 500. c. utr.

Chriſtus. Alexandri nomine expreſſus. p. 52. c. 2. Mathatiæ item nomine, & conditione. p 97. c. 1. Et Judæ Machabæi. p. 129. &c. p. 308. c. 2. Quomodò paſſionibus uſus? p. 182. c. 2. Quacumque ſpectetur, amorem noſtrum poſtulat. p. 225. c. 2. Patiens deſcribitur. p. 318. &c. Spei Chriſtianæ objectum eſt. p. 375. &c. Ejus manſuetudo. p. 376. c. 2. p. 450. c. 1. Deſcribitur reſurgens. p. 414. &c. Quomodò in reſurrectione Salvator, Floridus, Separatus. p. 426. c. 1. Crucifixus cur vocatus in reſurrectione? p. 426. c. 2. Ipſe eſt pax noſtra. p. 430. &c. Simone adumbratur. p. 441. c. utr. Ejus Transfiguratio. p. 448. &c.

Circumciſio. An celari poſſet. p. 59. c. 1. Cur inſtituta? ib. Quis circumcidere ſolitus? p. 67. c. 2. Apoſtatatarum liberi invitis parentibus circumciſi. p. 107. c. 2.

Cogitatio. Mala, peccatum eſt. p. 204. c. 2. Ejus gradus. p. 205. c. 1. Remedia. ib. & p. 206. c. 2.

Concionator. Quomodò dicere debeat. p. 19 &c. In vitia. p. 146. c. 2. Neceſſitas benè dicendi verbi divini. p. 309. c. 2. &c. Benè audiendi. p. 310. c. utr.

Concordia. Quanti. p. 128. c. 2. p. 290. c. 2. p. 291. c. 2. p. 344. c. 1. Quàm Chriſto grata. p. 432. c. 2. Diſcordia regnorum pernicies. p. 247. c. 2. Odia civilia graviſſima & pertinaciſſima. p. 315. c. 1.

Conſanguinei. Quando aliis præponi poſſint ſine acceptione perſonarum. p. 517. c. 1. Eorum amor moderandus. ibid.

Conſcientia. Ei invigilandum. p. 188. c. 2. p. 324. &c. Ejus examen. p. 189. c. 2. Omnibus innata. p. 195. c. 1. Quadruplex ejus genus. p. 204. c. 1. Obdurata quàm exitioſa. p. 188. c. 1. p. 204. c. 1.

Conſilium. Quanti ſit. p. 110. c. 2. p. 111. c. utr. p. 440. c. 1. Senectus dandis conſiliis apta. p. 111. c. 1. p. 439. c. 1. Malum conſilium conſultori peſſimum. p. 314. c. 2. p. 316. c. 2. Conſilia dæmon obturbat. p. 401. c. 1.

Index materiarum.

Conſiliarius. Bonus quanti ſit. p 111. c. 1. p. 440. c. 1. Patris loco eſt. ib. Ejus conditiones. ib. c. 2. Eliminandi ſatores diſcordiæ. p. 316. c. 2. p. 401. c. 2. Servanda in conſiliis libertas. p. 362. c. 1. Quomodo ſequenda deceſſorum conſilia. p. 412. c. 1. p. 513. c. 1.

Conſortium. Malum quàm pernicioſum. p. 64. c. 1. p. 142. c. utr. p. 236. c. 1. Bonum quàm optabile. p. 233. &c. Cum Infideli licet ſocietas. p. 292. &c. Vitandum tamen conſortium. p. 380. c. 1.

Conſuetudo. Eſt legis inſtar. p. 58. c. 2. Antiqua non de facili mutetur. p. 177. c. 2. Mala quàm exitioſa. p. 203. c. utr.

Convivium. Non fiat conbibium, nec rationi, ſanitati, rei familiari exitioſum ſit. p. 81. c 2 &c.

Crux. Sanctæ Crucis pars inſignis unde Trajectum miſſa. p. 337. c. 2. Quæ ejus inſcriptio ib. Unde Crux Leodienſis. p. 338. c. 1. Unde Tongrenſis. ibid. p. 2.

Cupiditas. Fons bellorum. p. 82. &c. p 446. c. 1. Fons litium. p. 84. c. 1 Fons turbarum. ib. c. 2. Et metus. p. 469. c. 1. p. 484. c. 2. &c.

D

D*Æmon.* Hoſtis hominum. p. 143. c. 2. &c. p. 399. &c. In ducibus Syrorum adumbratur. p. 169. c. 2. Intrepidè aggrediendus. p. 219. c. 1. Cur ejus operâ uti homini non liceat? p. 293. c. 2. Ejus artes. p. 399. &c. Quomodò lætetur. ibid. Ejus calliditas, mendacitas, ambitio. p. 400. &c. Poteſtas in regnis & conſiliis. ibib. Nil poteſt citra Dei permiſſum. p. 462. c. 1. p. 464. c. 1.

Demetrius Seleuci filius. p. 267. c. 1. Cur Soter dictus. ibid. Exiit Româ cum paucis. ibib. c. 2. Tripolin appellit. p. 268. c. 1. Aſiæ regnum vindicat, occiſis Eupatore & Lyſia. ibid. &c. Mittit adversùs Judæos. p. 269. c. 2. &c. Ambit eorum amicitiam. p 343. c. 2. p. 345. c. utr. Vincitur, occiditur. p. 346. c. 2.

Demetrius Nicanor. Venit In Aſiam, & ad illum deficitur. p. 347. c. 2. Invitatur ad ſocietatem & affinitatem ab Philometore. p. 362. c. 2. Exauctorat domeſticum militem, & ab eo deficitur. p. 365. c. 1. Adversùs rebelles juvatur à Judæis. p. 365. c. 2. In illos ingratus. p. 366. c. 1. Vincitur à Tryphone. p. 366. c. 2. Societatem init cum Jonatha. p. 410. c. 2. Vincitur, & capitur ab Arſace. p. 438. utr. p. 495. c. 1.

Deus. Opertus quaſi pallio zeli. p. 104. c. 1. Ejus odium in peccata. p. 187. c 2. p. 194. c. 2. Ejus dominium in creaturas. p. 195. c 1. Ejus bonitas. ib. c. 2. Præſentia. p. 196. c. 1. Potentia, & concurſus. ib. & c. 2. Amor in hominem. p. 197. c. 1. Juſtitia in pœnis peccatorum. p. 197. &c. Non eſt cauſſa obdurationis. p. 214. c. 1. Undique amabiliſſimus eſt. p. 225. c. 1. Juſtè unius cauſsâ plures punit. p. 235. c. utr. Item peccata Venialia. p. 237. &c. Juſtè malis dat proſperitatem. p. 195. &c. Judicia ejus non ſcrutanda. ibid. Patientia ejus in peccatoribus tolerandis. p. 296. c. utr. p. 300. &c. Liberalitas in compenſandis rectè factis. p. 296. c. 2. &c. Sapientia, & bonitas in bonis per malos caſtigandis. p. 298. &c. Potentia, bonitas, ſapientia Dei fulciunt ſpem noſtram. p. 370. &c. Elucent maximè erga derelictos, & rebus deſperatis. p. 373. &c. Proprium Dei opus miſericordia. p 377. c. utr. Deus Princeps eſt populorum. p. 443. Cur dictus Deus Sabaoth. p. 445. c. 2. Miſericordia & juſtitia Deo aſſident. p. 450. c. utr. Quomodò Deus rem unam amet & curet præ alia. p. 459. c. 1. Quas in peccato partes habeat? p. 463. c. utr. Neceſſariò Deus agit ob gloriam ſuam. p. 479. c. 2. &c. Gloria Dei duplex. p. 478. c. 2.

Diligentia. Matutina commendatur. p. 178. c. 1. p. 425. c. 2.

Doctor. Eccleſiæ generatim laudatus. p. 252. c. 2. Nominatim D. Thomas Aquinas. ibid &c. Doctorum auctoritas. p. 147. c. 2.

E

E*Brietas.* Cauſſa mortis. p. 50. c. 2. Religioni, juſtitiæ, conſilio, ſecreto, ſanitati inimica. p. 79. c. 2. Luxuriæ ſoror & mater. p. 80. c. 1. &c. Rebuſpublicis noxia. p. 80. c. 2. &c. Ebrius abſenti, mortuo, animali, porco ſimilis. p. 81. c. 2. Ebrietatis appellatio pro ſatietate ſumpta. p. 511. c. 2. Ebrietas quando excuſabilis? p. 512. c. 1. Damnanda in Principibus. ibid. &c. c. 2.

Eccleſia. Ejus membra quinque totidem Mathathiæ liberis adumbrata. p. 99. c. 2. &c. Cùm floret, tunc maximè impetitur. p. 214. c. 2. Creſcit perſecutionibus. p. 215. c. 1. Perpetuò impugnatur. p. 306. c. 1. p. 390. c. 2. Eſt locus ſanctus. p. 500. c. 1.

Eccleſiaſtici. Munus eorum orare pro populo. p. 161. c. 2. Malorum peccata, quàm gravia. p. 239. c. 1. &c. Quàm publicè noxia. ib. c. 2. &c. Quàm probroſa illis ambitio, avaritia, luxuria. p. 240. c. utr. Boni ſunt inter malus. p. 241. c. 1. Tegenda eorum vitia per Laicos. ibid. c. 2. Punienda per Prælatos. p. 242. c. 1. Indecorus illis ad laica tribunalia recurſus. p. 269. c. 1. Eorum immunitas impunè non violata. p. 279. c. 1. Cur Chriſtus jam opulentos eſſe voluerit? p. 347. c. 1. Canonicorum amus, ſive amnus, quid ſignificet? p. 239. c. 1. Eorum tempora. p. 400. c. 1. Vitanda in eorum muniis diſtribuendis acceptio perſonarum. p. 516. c. 2. &c.

Eleazarus. Machabæi frater. p. 99. c. 1. Ratio cognominis Avaran. p. 254. c. 1. Ejus facinus in occidendo elephanto. ibid. c. 2.

Eleemoſyna. Ex rapinis reſpuenda. p. 282. c. 2.

Elephantes. Quot Eupator duxerit in Judæos? p 249. c. 2. Quomodò illis oſtenſus ſanguis uvæ & mori? p. 250. c. 2. Quod onus geſtârint? p. 251. c. 2. Quanti robôris ſint? p. 252. c. 1. Quomodò ex vulgi opinione capiantur. p. 475. c. 1.

Epiſcopus. Puer non eligendus. p. 413. c. 2.

Eſſeni. An iidem qui Aſſidæi. p. 107. c. 1. Unde dicti. ibid. c. 2. De fato quid ſenſerint. p. 307. c. 1. & 308. c. 2.

Euchariſtia. Remedium luxuriæ. p. 78. c. 2. In publicis neceſſitatibus exponitur. p. 140. c. 2. Efficaces coram illa preces. p. 160. c. 2. p. 161. c. 1. Amorem noſtrum exigit. p. 225. c. 2. &c.

Exemplum. Malum, quàm pernicioſum. p. 64. c. 1. p. 206. c. 2. Bonum, efficaciter perſuadet. p. 104. c. 2. p. 480. c. 2. &c. Exemplorum tum bonorum, tum malorum, vis. p. 233. &c. Eorum narratio commendatur. p. 109. c. 2.

F

F*Ames.* Ob peccata immittitur. p. 89. c. 1. Purgat Univerſum. p. 260. c. 2. Ex bello orta ingens. p. 502. c. 2.

Index materiarum.

Fatum. Quale Eſſeni agooverint, quale optimi Stoicorum. p. 308. c. 2. p. 458. c. 1. Fruſtra illi reſiſtitur. p. 470. c. 2. p. 476. c. 2.

Feſta. Eorum vera obſervatio quæ, & quod opus ſervile? p. 107. c. 1. Inchoata à primo veſpere apud Judæos. p. 178. c. 1. Eorum indictio per Eccleſiam. p. 280. c. 2. &c.

Fides. Ejus nominis variæ acceptiones. p. 378. c. 2. Quid virtutis ſit? ibid. Ejua natura, eminentia, neceſſitas, uſus. p. 379. &c. Eſt amica rationi. p. 452. c. 2. Ea langueſceote pronus eſt lapſus in peccata. p. 197. c. 1. p. 199. c. 1. Ab illa cur deficiatur. p. 58. c. 1.

Fidelitas. Conciliatur fiduciã. p. 344. c. 2. Perfidiæ pœna. p. 268. c. 2. Odium. p. 270. c. 2.

Fortitudo. Honor illi junctus. p. 180. c. 1. Laudanda in ſobriis militaris audacia. p. 80. c. 1. Exempla illius vide titulo *Eleazarus, Iudas, Ionathas,* &c. Temeritas, fortitudinis ſimia, in quo propriè ſita. p. 307. c. 2. Magnitudo animi quàm excelſa virtus. p. 485. c. 2.

G

GLoria. Apud homines quatenus appeti poſſit? p. 109. c. 1. p. 132. c. 1. p. 254. c. 2. p. 347. c. 1. p. 410. c. 1. p. 528. c. 1. Eſt materia virtutis. p. 308. c. 1. p. 520. c. 2. p. 522. c. 1.

Gorgias. Miſſus adverſùs Judam. p. 135. c. 2. Quàm ſciens rei bellicæ. p. 169. c. 1. Judam occupare cogitat. p. 170. c. 1. Fugit. p. 172. c. 1.

Gratia. Habitualis quid ſit, & quanti facienda p. 187. c. 2. Gratia actualis quotuplex, ejus neceſſitas. ib. Eam reſpuentes, obduraotur. p. 204. c. 2. Quomodò voluntas ea utatur? p. 508. c. 2. Quomodò ex illa meritum? p. 482. c. 1. Vivis non deeſt. p. 543. c. 2.

Gratitudo. Erga Deum in victoriis. p. 172. c. 2. p. 221. c. 1. p. 412. c. utr. p. 508. c. 2. Semper agendæ Deo gratiæ. p. 421. c. 2. Etiam in adverſis. p. 452. c. 2. &c. Gratitudo erga Principem. p. 442. c. 1. p. 443. c. 2. Iogratorum mores. p. 336. c. 1. p. 510. c. 1. &c.

Gymnaſium. Quotupliciter ſumi poteſt. p. 58. c. 2. &c. Quale Hieroſolymis apoſtatæ Judæi inſtituerint. ibidem.

H

HÆreſis. Difficilior expugnatu quàm Paganiſmus. p. 215. c. 2. &c. Cui bono à Deo permittatur? p. 216. c. 1. Quomodò impugnanda? p. 217. c. 2. &c. Libido plerumque ejus cauſſa eſt. p. 240. c. 2. Hæretici in Eccleſiaſticos invehi ſoliti. ibid. & p. 241. c. 2. Quomodò in eos ordinatè pugnandum. p. 248. c. 2. Concubinarum filiis adumbrati. p. 297. c. 2. Mater eorum ſuperbia. p. 391. c. 2. Hæreſis comparatur ſtatuæ Nabuchodonoſoris. p. 445. c. 1. Lutheraniſmus exprimitur imagine Syrorum Templo infeſtorum. p. 64. c. 2. Calviniſmum exhibet arx Syrorum, p. 63. c. 2. Qualis fides Calvioiſtarum. p. 378. c. 2. Qualis ſpiritus privatus. p. 7. & 8.

Hieroſolyma. Capitur ab Epiphane, vaſtatur, &c. p. 61. c. 2. Ao aliquæ ejus civitatis portæ eſſent in monte Sion. p. 407. c. 2. Arx capitur à Simone. p. 411. c. 2. Ejus urbis appellationes propheticæ. p. 277. c. 1. p. 480. c. 2. Excidium. p. 277. c. 1. p. 543. c. 2. &c. Totius Judaicæ nationis pernicies. ibidem.

Hiſpania. Nupera ejus damna unde? p. 279. c. 2. Bella cum Romanis. p. 286. c. 2. Metalli fodinæ. ib.

Hiſtoricus. Publicè utilis eſt. p. 11. Quam regulam ſervare debeat. p. 223. c. 2. Quamvis diligens aliquando aberrat. p. 228. c. 1.

Homo. Quàm nobilis creatura quoad corpus. p. 197. c. 1. p. 456. c. 1. Quoad animam. ibidem. Quàm Deo carus. ibid. & p. 458. c. 2. &c.

Hypocriſis. Vitiis indit nomina virtutum. p. 248. c. 1. Callida eſt. p. 510. c. 1. p. 511. c. 2. Tegit vitia. p. 529. c. 1.

I

IAnua. Sacræ apud idololatras. p. 66. c. 1.

Impudentia. Antichriſti character. p. 53. c. 2. Animi ad vitia projecti indicium. ib. Fons peccatorum. p. 77. c. 2. Verecundia duplex, bona, & mala. p. 229. c. 2. p. 230. c. utr.

Infans. Deo grata ætas, & publicis precationibus adhibita. p. 162. &c.

Infernus. Utiliſſimè recogitatur. p. 197. c. 1. Quæ illius pœnæ? ib. c. utr. Cur peccato unico infligantur? ib. &c. An inde aliqui à Chriſto reſurgente liberati? p. 416. c. 1. Quomodò ibi corpora immortalia. p. 419. c. 2.

Intentio. Quotuplex eſſe poſſit? p. 155. c. 1. Mala, opus bonum vitiat. ib. Bonæ actionis varii fines. ibid. Gloriam Dei ſpectant Angeli & Beati: nobis itidem ſpectanda. p. 479. c. 2. &c.

Invidia. Inter ſimiles frequens. p. 211. c. 1. Ejus naturæ. ib. c. 2. Ejus malitiæ. ibid. Indicia. ibid. Effectus. p. 212. c. 1. Pœna. ibid. & p. 347. c. 1. Remedium à Dei voluntate. p. 479. c. 2.

Inundatio. Ob peccata immittitur. p. 89. c. utr.

D. Ioannes Bapt. Miſer fuit ſub Herode fortunato. p. 122. &c. Præcucurrit Chriſtum omnibus vitæ partibus, & morte. ib. In morte Aogelus, pluſquam Propheta, &c. ib. Exemplum eſt proborum miſerorum. ibid.

Ioannes. Mathathiæ primogenitus. p. 98. c. 1. Ejus cognomen. p. 99. c. 1. Mittitur ad Nabuthæoa. p. 312. c. 1. Occiditur à Jambritis. ib.

Ioannes. Simonis filius ab eo rebus admovetur. p. 413. c. 1. Gazæ præfectus eſt. ibid. Secundogenitus fuit. p. 509. c. 1. Ducit in Cendebæum. ib. c. 2. Cur equite uſus, & quomodò. ib. Victor evadit. ib. Res ejus reliquæ. p. 512. c. 2. &c. Unde ipſi nomen Hircani? p. 513. c. 1. Ejus poſteri. ibid c. 2.

Jonathas. Quod nomen & cognomen. p. 99. c. 2. Succedit Judæ. p 310. c. 2. In ſolitudinem ſe recipit. ibid. Opprimit Jambritas p. 312. c. 2. Pugnat cum Bacchide. p. 313. c. 2. Tranat Jordanem. ib. Quietè agit. p. 314. c. 1. Iterum cogitur abſcedere. p. 315. c. 1. Pacem init cum Syris p. 317 c. 1. Jodicia incipit à ſeveritate. ib. c. 2. Amicitia ejus certatim à Demetrio & Alexandro ambitur. p. 343. &c. Publicè exercet muna Pontificatûs. p. 344. c. 2. Cur Alexaodro iovaſori faveat contra Regem legitimum. p. 346. c. 1. Ab illo honoratur. ib. c. 2. Joppen capit. p. 348. c. 2. Vincit Apollooium, Azotum captum iocendit. ibid. c. 2. Aſcalooe excipitur, hoooratur ab Alexandro. p. 349. c. utr. Occurrit Regi Ægypti. p 362. c. 1. Obſidet arcem, adit Demetrium. p. 364. c. 1. Auxilia ei ſubmittit. p. 365. c. 2. Hoooratur ab Antiochulo. p. 366. c. 2. Variæ ejus expeditiooes. ib. c. 2. &c. Vincit Demetrianos. p. 367. c. utr. Societatem cum Romanis & fraternitatem cum Laconibus renovat. p. 387. c. utr. Demetrianos inſequitur. p. 390. c. 2. Aliæ ejus expeditiones. ib. &c. A Tryphone circumvenitur. p. 392. c. 2.

Lugetur

Lugetur à populo. p.393. c.1. Occiditur cum liberis. p. 408. c. 2.

Ioſephus. Pugnat contra præceptum Judæ, Azaria comite, vincitur, cadit. p. 221. &c. Noo videtur mortaliter peccâſſe. ib. c. 2. Erat de genere ſacerdotali. p. 222. c. 2.

Iudas Machabeus. Ab ejus cognomioe appellati duo libri ſacri. pag. 1. Item Machabæi martyres. p. 2. Quæ iſtius nominis origo Hebræa? ib. An ex ſymbolo & decurtatione ortum? ib. Mathathiæ primogenitus non fuit. pag. 98. c. 2. Commendatur à viribus corporis & animi. p. 111. e. 2. Succedit patri. p. 128. &c. Apollonium vincit. p. 131. c. 1. Et Seronem. p. 133. c. 2. Oratione ad bellum ſe comperat. p. 137. e. 2. Nicanorem profligat. p. 170. c. 2. Caſtra ſpoliat, & fugat Gorgiam. p. 172. c. 2. Vincit Lyſiam. p 174. c. 1. Emundat Templum, & feſtum Encæniorum indicit. p 176 &c. Variæ ejus expeditiones in Paganos. p.212. &e. Areem obſidet. p. 248. e. 2. Cum Eupatore congreſſua, recedit. p. 256. c. 1. Obſidetur. p. 257. c. 1. Honoratur ab Eopatore. p. 259. c, 2. Continet ſe in munitionibus Templi, & cur? p. 271. c. 1. Alcimum compeſcit. ib. Fraudem Nieanoris odoratur. p 272. c. 1. Eum vincit. ib. c. 2. Iterum. p. 274. c utr. Cur Romaoorum ſocietatem poſtulârit? p. 285. c. utr. Non peccavit fœdere cum illis ineundo p. 292. &c. A ſuis deſertus extimeſcit, mox reſumit animos. p. 307. e. 1. Non peccavit extremo certamine. ib. &c. Moritur, lugetur, laudatur. p. 309 e. 1.

Iudicium extremum. Ignis antecurret. p. 352. c. utr. Cæloa ipſos exuret. p. 352. c. 2. Vanitas rerum inde agnoſcitur. p. 353. c. 1.

Iuſtitia. Vinculum eſt rerumpublicarum. p. 276. c. 2. Iis etiam magis neceſſaria, quàm religio. p. 280. e. utr. Quid virtutis ſit? p. 215. c. 1. Quanti apud omnes? ib. Eſt ſumma virtutum omnium moralium. p. 534. c. 1. &c. Confertur eum foote Paradiſi terreſtris. p. 257. c. 2.

Juſtitia Commutativa. Quid ſit? p. 280. c. 2. p. 522. e. 1. Ejus labes populis exitioſa. p. 281. e 2. Obſervatio, eſt fundamentum familiarum. p. 282. c. utr. Quomodò adversùs illam peccetur. p. 522. c. 1 &c. Detractionis natura, partes &c. ib. &c. Contumeliæ item natura, & partes. p. 525. &c. Injuriæ in bona fortunæ, furta, rapinæ, &c. p. 528. &c.

Iuſtitia Diſtributiva. Quid ſit? p 280 c. 2. Ejus labea populis exitioſa. p. 281. c. 1. Quàm excelſa ſit virtus. p. 515. c. 2. In quo ſita. ibid. &c. Aceeptio perſonarum vitium illi oppoſitum. p. 516. e. 1. Quibua in rebus admittatur, & quas ob cauſſas. ibid. &c. In judiciis frequens. p. 532. c. 1.

Juſtitia Legalis. Quid ſit? p. 280. e. 2. p. 537. e. 2. &c. Ejus labes populis exitioſa. p. 281. e. 1. Cur vocetur juſtitia Generalis. p. 537. c. 2. &c. Quarum legum obſervantiam exigat. p. 538. e. 2. &c.

Juſtitia Vindicativa. Quid ſit? p. 280. c. 2. Ejua labes populis exitioſa. p 281. e. utr. Obſervatio in familiis. p. 283. c. utr. Quando & erga quos maximè exercenda. p. 317. e. utr. Quomodo contra illam peccetur. p. 534 &c. An inſons puniri, an dedi poſſit? p. 535. c. 1. &c. Quomodo & qua temperatione irroganda ſupplicia. p. 536. c. utr. Lex talionis æquiſſima. ib. c. 2. &c. Furtum morte plecti poteſt. p. 530. c. 2. &c.

Iuventus. Senilis, & apta eonſiliis. p. 111. c. 2. Ejus eſt exequi. p. 439. c. 1.

L

L*Acedemonii*. Quomodò fratres Judæorum. p. 387. c. 1. Hebraicæ originis indicia. e. 2.

Leodium. Captum, incenſum. p. 87. e. 1. p. 106. c. 2. Toogrenſis Epiſcopatus quando & quomodo illuc tranſlatus. p. 138. &c. Neutralitas ipſi debita, & ditioni univerſæ. Io ep. dedic. & p. 280. c. 2. Quantum Priocipi MAXIMILIANO debeat. In ep. ded. Orationibus ſtat. p. 447. c. 2. Quàm ſæpè bellis vexatum. p. 499. c. 1.

Lex. Naturæ ſingulis inſita. p. 195. c. 1. p. 539. c. 2. Patriæ leges ſervandæ, & familiarum. p. 280. c. 2. p. 282. c. 2. Lex talionis à Deo ſervata. p. 366. c. 1. & p 537. e 1. Eſt æquiſſima. p. 536. e. 2. &c. Leges quanti faciendæ. p. 537. c. 2. Lex gentium. p. 539. e. 1.

Liberi. Ornamenta parentum, & fulcra. p. 101. c. 2. p. 509. e 1. Vitia parentum imitantur. p. 275. e. 2. Honorent pareotes. p. 283. c. 2.

Libri. Sunt medicamenta. p. 13. Libri cauſti. p. 66 c. 1. Malis quid faciendum. p. 380. e. 1. Libri famoſi quàm execrandi. p. 525. c. 2. &c Libri Machabæorum. vide Prolegomena. Libri ſacri. vide Scriptura.

Limbus. Significatus phraſi Hebræa de morte. p. 113. c. 2. Indicatur variis locis in Scriptura. p. 415. c. 2. Patrea ibi à Chriſto recreati. ib.

Lingua. Nimium elocutionis ſtudium vitioſum. p. 20. & 21. Peccata linguæ quàm periculoſa. p. 205. c. 2. &c. Silentium quanti. p. 320. e. 1.

Lis. Quomodò ducenda. p. 533. c. 2. &e. Quantum poteſt, fugienda. p. 84. c. 1. Amputanda. ib. c. 2. Quantâ eurâ de Judicibus providendum? p 516. e. 2. p. 532. c. 2. p. 535. c. 2. Judicum, Cauſſidicorum, Actorum, Defenſorum, Teſtium vitia in litibus. p. 531. c. 2. &c.

Luxuria. Ejus artes, & damna. p. 63. c. 1. Effecta. p. 74. e. utr. Quàm exitioſa publicè. p. 75. &c. Impietatis & injuſtitiæ fons eſt. ib. Monſtra luxuriæ. p. 77. e. 1. Lupanaria pernicioſa. ib. e. 2. Remedia luxuriæ. p. 78. e. 2. p. 79. c. 1. Incentiva. p. 80. e. 1. Crudele vitium. p. 363. c. 2.

Lyſias. Ab Epiphane præfectus Syriæ. p. 135. c. 1. Mittit exercitum in Judæos. ib. Per ſe bellum gerit, & vincitur. p. 173. &c. Cum Eupatore in Judam movet. p. 249. &e. Perſuadet illi pacem cum Juda. p. 258. e. 2. Cum illo occiditur. p. 268. e. 2.

M

M*Agnificentia*. Virtus Regia & Principalis. p. 347. c. 1. p. 410. e. 1. p 414. e. 2.

Manſuetudo. Quàm commendata Chriſtianis. p. 112. e. 2 &c. p. 321. c. utr. Inſignia ejus exempla & incitamenta. p. 113. c. 1. Vindicta quæ & quatenus licita. ib. & p. 119. e. utr. & p. 464. c. 2. De inimicis moderatè loquendum. p. 136. c. 2. Imitanda Chriſti manſuetudo. p. 321. c. utr. p. 449. c. 2. Crudelitatis fontes. p. 62 e. 2. p. 363. c. 2.

Maria Virgo. Quomodò paſſionibus uſa. p. 183. c. 1. Erecta ſteot ad Chriſti erucem. p. 273. e. 2. p. 322. e. 2. p. 481. e. 2. Pacis interventrix. p. 435. c. utr. Miraculum ad nives. p. 408. c. 1.

Martyrium. Judæi Sabbathis noo repugnantes, & exuſti, ſintne Martyres? p. 105. &c. Milites in in bello ſacro cæſi an Martyribus aceenſendi. p. 116. c. utr. Martyria, ſemen Chriſtianorum. p. 215. c. otr. p 480. c. 2. &c. Gratum Deo ſpectaculum. p. 481. c. utr.

Digitized by Google

Mathathias. Quid nomine ſignificet? p. 96 c. 2. Figura S. Mathiæ, & Chriſti. p. 97. c. 1. Ex genere Sacerdotali & Regio fuit. ib. Summus Pontifex. ib. c. 2. Oriundus ex Modin. p. 98. c. 1. Monogamus. ib. Parens quinque filiorum. ib. c. 2. Luget calamitates populi Judaici. p. 100. c. 2. Solicitatur ad idololatriam. p. 101. c. utr. Ejus ira & zelus p. 102. &c. Sancit repugnandum Sabbathis. p. 106. c. 1. Colligit exercitum, & hoſtes religionis perſequitur. p. 107. &c. Moribundus dat liberis præcepta. p. 108. &c. Prophetat de morte Epiphanis. p. 110. c. 2. Moritur. p. 113. c. 2. Sepelitur & lugetur. p. 114. c. utr.

Matrimonium. Caſtè quærendum. p 78. c. utr.

Menſes. Romani, Hebræi, Macedonici. p. 57. Dioſcorus menſis. p. 56. c. 2.

Menſura. Juſtitiæ divinæ, quibus peccatis maximè impleatur. p. 295. &c. Chriſtianorum. p. 499. &c. Quid ſit, & unde appareat. p. 541. &c. An præſciri poſſit ejus complementum. p. 542. c. 2. &c.

Militia. Laus ejus, & neceſſitas. p. 77. c. 2. & p. 78, c. 1. Aliquando affinis eſt malitiæ. p. 314. c. 2. Juſta cauſſa militem animat. p. 133. c. 1. Et ſtipendiorum numeratio. p. 134. c. utr. Et deſperatio. p. 137. c. 1. p. 383. c. 1. p. 392. c. 2. Miles à Septemtrionibus maximè timendus. p. 319. c. 1. Externus quatenùs adſciſcendus. p. 440. c. 2.

Miſericordia. Cur in Davide commendetur à Mathathia? p. 109. c. 1. Eſt Regia virtus. ib. c. 2. Aliquando ſignificat pietatem. ib. Erga magis miſeros proniùs fertur. p. 372. c. 2. p. 377. c. 2. Juſtitiæ præferenda. p. 450. c. 2.

Modeſtia. Antemurale caſtitatis. p 425. c. 2. Commendanda ſexui fœmineo. ib. In comitatu, cultu, geſtu ſpectata, ibidem.

Moneta. Quanam uſi Judæi? p. 493. Siclus Iſraeliticus. ibid.

Mors. Rerum vanitatem docet. p. 50. c. 2. p. 52. c. 1. p. 110. c. 2. p. 350. c. utr. Et virtutes. p. 69. c. 2. &c. Cur Fideles mortui dicantur defuncti. p. 113. c. 2. &c. Mors non timenda Chriſtiano. p. 115. c. 1. Eſt vehiculum. p. 116. c. 2. Cur ſomno comparetur. p. 419. c. 1.

Mortificatio. Eſt militia ſpiritualis. p. 143. &c. Triplex paſſionum motus. p. 182. c. 2. Veram apathiam ſoli Chriſtus & Virgo habuêre. ibid. Quomodò habendæ paſſiones in poteſtate. p. 183. c. utr. p. 307. c. utr. Quomodo ſperandæ. p. 248. c. 2. p. 412. c. 1. Paſſiones homini diabolus. p. 402. c. 2.

Mulier. A fœminis impietas, & pietas. p. 75. c. 1. Ab iiſdem aliquando bona conſilia. p. 111. c. 2.

N

N*Icanor.* Gorgia ſuperior. p. 135. c. 2. A Juda profligatus. p. 170. c. 2. Mittitur à Demetrio in Judæam cum Alcimo. p. 271. c. 2. Cur Judæis infenſus. ib. Conatur Judam in fraudem inducere. p. 272. c. 1. Vincitur. ib. c. 2. Comminatur atrociter Judæis. p. 273. c. 1. Iterum victus occiditur. p. 274. c. 1.

Nix. Prodigioſa & æſtiva. p. 407. c. 2. &c.

Nobilitas. Quotuplex. p. 71. c. 1 Ex quot capitibus? ibid. Eminet aut virtute, aut vitiis. ib. c. 2. Peccata illam dedecent. p. 72. &c.

Nomina. Profana dedecent Fideles. p. 57. c. 2. p. 269. c. 1. Sæpe abludunt à rebus. p. 247. c. 2.

O

O*Bedientia.* Per Simonem adumbratur. p. 215. c. 2 Ejus defectus clade punitus. p 221. c. 2. Obſervatio, victrix. p. 290 c. 2. Deo & hominibus gratiſſima. p. 467. c. 2. &c. Fons perfectionis. p. 483. c. 1. p. 538. c. 2.

Oratio. In locis ſacris fructuoſa. p. 137. c. 2. Communis ſit voce clamoſa. p 141. c. 1. Utilitas orationis ad impetrandum. p. 147. c. 2. Efficacia. ibid. &c. Cur ſæpè ſit inefficax? p. 150. &c. Peccatorem orantem audit Deus interdum, at non ex debito. p. 152. c. 2. Juſtus ſit, aut pœnitens, qui orat. p. 153. &c. Orandum bono fine. p. 154. &c. Bona petenda. p 156 &c. Privatam orationem privatim, publicam publicè fieri convenit. p. 159. c. 2. Efficacia publicæ orationis. ibid. & p. 160. Qui potiſſimùm publicè orare debeant. p. 161. &c. Quo loco, ſitu, attentione, ardore, tempore, perſeverantiâ orandum. p. 163. &c. Matutina oratio. p 178. c. 1. Proborum hominum oratio quanti? p. 233. c. 2. Orandum pro Regibus etiam impiis. p. 273. c. 1. Oratio victrix. p. 315. c. utr. p. 367. c. 2. Fervor & fiducia in orando. p. 378. c. 1. Oratio in publicis periculis quàm potens. p. 446. &c.

P

P*Aradiſus terreſtris.* Scripturæ comparatur. p. 12. &c. Et virtutibus moralibus, juſtitiæ nominatim. p. 537. c. 2. An illic futura venena, & alia noxia? p. 300. c. 1. An mora? p. 419. c. 1.

Parentes. Aliquando ſalutem poſtponunt commodis liberorum. p. 108. c. 2. Transfundunt vitia in liberos. p. 275. c. 2. Peccata liberorum puniunt. p. 283. c. utr. Honorandi à liberis p. 283. c. 2.

Paſſio Chriſti. Medicamentum peccati. p. 199. c. 2. Peccatis expiandis illata. p. 200. c. 2. Adumbratur præliis & morte Judæ. p. 318. &c. Deſcribuntur omnes ejus partes cum Chriſti doloribus & virtutibus. ibid. &c. Paſſionis ſcandalo occurrit Transfiguratio. p. 448. c. 1.

Patientia. Fulciri poteſt conſiderationibus humanis, ſocietate aliorum in pœna, & mundi mutationibus. p. 117. &c. Firmatur præcogitatione. vide tit. Tribulatio. Perficitur ſocietate improborum. p. 301. c. 2. Perfectæ virtutis eſt. p. 451. c 2. Exemplo Chriſti animanda. p. 452. c. 1. Non reſpuit naturales conſiderationes. ib. Ejus fundamenta perfectio, fructus &c. ib. & reliquo tract. de bo. volun. Mala impatientiæ. p. 476. &c.

Patria. Ejus amor Deo & naturæ debitus. p. 158. c. 2. p. 503. c. 2. p. 538. c. 2. Miles domeſticus ob amorem patriæ externo melior. p. 440. c. 2.

Paupertas. Commendatur. p. 502. c. 2. Viles vulgò facit. p. 503. c. 1.

Pax. Animi, quàm neceſſaria, qualis eſſe poſſit, quomodò obtinenda? p. 182. &c. p. 429. c. utr. p. 433. c. 2. &c. p. 484. c. 2. &c. p. 489. c. 2. Quantum pacis bonum? p. 428. c. 1. p. 433. c. 1. Ex bello pax gratior. p 261. c. 2. Quæ pax à Chriſto reſurgente Apoſtolis data, & cur? p. 427. &c. Cur & quæ, Chriſto naſcente, ab Angelis cantata? p. 429. &c. Cur, & quæ cantata à Simeone? p. 433. c. utr.

Peccator. Mancipium peccati. p. 59. c. 2. &c. p. 431. c. 2. Puer & fatuus. p. 202. c. utr. Fœtidus. p. 203. c. 1. Filius Belial. p. 206. c. 1. In Paſſione Chriſti adumbratus. p. 328. c. 2. &c.

Peccatum. Cauſſa bellorum. p. 85. 86. Et omnium malorum publicorum. p. 89. Originale

cur

Index materiarum.

cur Deus permiſerit? p. 90. c. 2. Chriſtus illud curat. p. 202. c. 1. p. 203. c. 1. Actuale cur Deus permittat? p. 90. &c. Mortale quid ſit? p. 194. &c. Quotupliciter Deo injurium. ib. Cur æternâ pœnâ punitur? p. 197. &c. Satisfieri pro illo, niſi à Deo homine non potuit. p. 199. c. 2. &c. Per illud Chriſtus rurſum crucifigitur. p. 201. c. 1. Ex quot capitibus mortale dicitur? p. 202. c. 2. Venialia quædam peccata ſunt. p. 236. c. 1. Frequentiſſima. ib. c. 2. Affectus ad illa vitandus, & cur? ib. &c. Peccata occulta quotuplicia. p. 206. c. 2. Quæ ſic appellanda, & quæ eorum remedia? p. 207. c. 1. Aliena, quando tolerari poſſiut, quando imputentur? p. 92. c. 2. &c. p. 207. c. 2. p. 281. c. 2. Peccata publica quæ ſint? p. 275. c. utr.

Perſeverantia. Quanti ſit in omni opere, præſertim oratione? p. 165. c. 1. Quæ ejus conditiones? ib. c. 2. &c. Quomodò à conſtantia diſtinguatur? p. 287. c. 1. Inconſtantiæ typus. p. 348. c. 2. p. 445. c. 1.

Pertinacia. In quo ſita? p. 308. c. 1. Eâ Judas non peccavit. ibid. c. 2.

Peſtis. Ex cloacis. p. 77. c. 2. Ob peccata immittitur. p. 89. c. 1. Purgat Univerſum. p. 260. c. 2.

Pænitentia Sacramentum. Remedium luxuriæ, confeſſio. p. 78. c. 2. Quinque illius qualitates. p. 189. c. 1. Tres ejus partes. p. 229. c. 1. p. 232. c. 1. Quale examen requiratur. p. 207. c. 2. Fugienda anxietas de præteritis. p. 193. c. 2. Glorioſa eſt confeſſio coram Deo, ſanctis, ſapientibus. p. 229. &c. Satisfactio. p. 232. c. utr. Suavitas erga pœnitentes commendatur. p. 326. c. 1. Æqualitas erga quoſlibet ſervanda. p. 72. c. 1.

Pœnitentia virtus. Ejus ritus primis Eccleſiæ ſæculis. p. 68. c. 2. &c. Gaudium de converſis peccatoribus. p. 180. c. 2. Semper pœnitendum. p. 193. c. 2. p. 232. c. 2. Pœnitentia omnibus patet. p. 203. c. 2. Falſa qualis ſit. p. 230. c. 2. Attritionis & Contritionis natura. p. 231. c. 1. Hujus uſus & efficacia. ibid. c. 2. Ejus ſemper tempus in hac vita. p. 543. c. 2.

Præcepta Dei. Cur dicantur juſtificationes, juſtitiæ, &c. p. 64. c. 2.

Prædeſtinatio. Signum reprobationis, calamitate non emendari. p. 193. c. 1. Item obduratio in peccato. p. 204. c. 1. Parvus prædeſtinatorum numerus. p. 257. c. 2. &c. Prædeſtinati Catholicorum plures, quàm reprobi. p. 258. c. utr.

Prælatus. Debiles animet. p. 220. c. 2. Curam magnam habeat ſuorum ſervandorum. p. 221. c. 1. Quis eligendus. p. 310. c. 2. p. 517. c. utr. Ab oratione munus inchoet. ibid. & p. 315. c. utr. Præeat exemplis & verbis. p. 510. c. 1. Sit ſuavis & fortis. p. 536. c. 1.

Præſentia Dei. Recogitanda, ut non peccetur. p. 79. c. 1. p. 205. c. 1. p. 206. c. 2. &c. A peccante contemnitur. p. 196. c. 1.

Prophetia. Mathathiæ de morte Epiphanis. p. 110. c. 1. Variæ de monarchiis prophetiæ. p. 444. c. utr. Quis à Machabæo propheta fidelis dictus? p. 177. c. 1. Vaticinia de urbium excidiis. p. 543. c. 1.

Providentia divina. Cur bonos malis miſceat? p. 233. &c. p. 300. &c. Cur malis det proſperitatem? p. 294. &c. Cur malis utatur ad plectendos bonos? p. 198. &c. Præſidet populis. p. 443. &c. Id cuivis notum. p. 453. &c. Res etiam minimas curat. p. 456. c. 2. &c. In omnibus intuenda. p. 458. c. utr. In quo ſita ſit. p. 469. c. 2. Quomodò agat. ibid. &c.

Prudentia. Ejus partes: potiſſima executio. p. 112. c. 1. Prudentia longanimis, victrix p. 286. c. 2. Cavenda nimia credulitas. p. 397. c. 2. Quàm cæca prudentia humana? p. 473. c. utr. &c. Quomodò jungenda prudentia ſerpentis columbinæ, ſimplicitati. ibid. & p. 510. c. 2.

Ptolemeus Dorymini. A Lyſia miſſus in Judæam. p. 135. c. 2. Cœleſyriæ præfectus. ibid.

Ptolemeus Philometor. Dat filiam ſuam Alexandro Veli. p. 346. c. 2. Inhiat regno generi. p. 361. &c. Eum vincit, & moritur, p. 363. c. utr.

Ptolemeus gener Simonis. Ejus ingratitudo. p. 510. Facinus in ſocerum. ib. c. 2. Exitus p. 511. c. 1.

Purgatorium. Ex illo æſtimanda peccati venialis gravitas. p. 237. c. 1. Animæ non omninò expurgatæ inde nolunt exire. p. 396. c. 2. p. 461. c. 2. Omneſne in Chriſti Reſurrectione liberatæ? p. 416. c. 1. Primis Eccleſiæ ſæculis oratum pro mortuis

Q

Q*Vadrageſima.* Adumbrat vitam humanam. p. 68. c. utr. Cur à cineribus inchoetur. ibid. &c.

R

R*Eligio.* Quanti ſit unam ſervare. p. 63. c. 2. &c. Ejus cura prima eſſe debet. p. 174. c. 2. Eſt finis rerumpublicarum. p. 276. c. 1. p. 445. c. 2. Eſt fundamentum familiarum. p. 280. c. 1. Cauſſa belli juſtiſſima. p. 259. c. 1. Reverentia erga res ſacras. p. 177. c. 1. Ad veram religionem cogi aliquando expedit. p. 279. c. 2. Impietas populis exitioſa. p. 277. &c. Impietatis pœna congrua. p. 314. c. 1.

Reſurrectio. Chriſti, quàm mirabilis. p. 414. &c. Fidelium item. p. 418. &c. Corporis glorioſi dotes expenduntur. p. 419. c. 2. &c.

Rex, & Princeps. Multitudo dominorum, pernicies populorum. p. 52. c. 2. Princeps malus à Deo datur in pœnam. p. 73. c. 2. Bonus, magnum Dei donum. p. 96. c. 2. Reverentia & amor erga Reges ac Principes. p. 74. c. 1. &c. Væ terræ, cujus Rex puer. p. 248. c. 1. p. 413. c. 2. Orandum pro Regibus etiam impiis. p. 273. c. 1. Multitudo populi gloria Principis. p. 392. c. 1. Beneficentia virtus Principalis. ib. & p. 535. c. 1. &c. Princeps eſt auxiliator populi. p. 393. c. 2. Militum amor illi neceſſarius. p. 413. c. 2. Paullatim aſſuefiat regendo. ib. Idea boni Principis. p. 439. c. 1. &c.

Romani. Eorum potentia. p. 285. &c. Prudentia. p. 286. c. 2. Victoriæ. ibid. &c. Ordo Senatorum, concordia mutua. p. 289. &c. Appellantur de amicitiis à Judæis. p. 291. c. 1. In ea ſpectant utilitatem ſuam. ibid. c. 2. Renovant ſocietatem cum Jonatha. p. 387. c. 1. Et cum Simone. p. 442. c. 1.

S

S*Abbathum.* Ejus apud Judæos obſervatio religioſa. p. 105. c. 2. Superſtitioſa. ib. & p. 106. c. 2. Sabbathum ſpirituale. p. 106. c. 2. &c.

Sacerdos. In antiquo Teſtamento an deberet eſſe monogamus? p. 98. c. 2. Qualis eſſe olim debuerit, & jam debeat? p. 176. c. utr. Ejus peccata quàm gravia, & damnoſa. p. 239. &c.

Sacramenta. Novæ legis gratiam augent. p. 229. c. 2. In illis diſtribuendis fugienda acceptio perſonarum. p. 516. c. 1.

Sancti. Adhuc viventes ſunt fulcra urbium, munimenta, columnæ, ſalvatores. p. 161. c. 2.

Præſentiâ,

Præſentiâ, precibus, verbis, exemplis proſunt. p. 233. c. 2. &c. Cura Dei de illis. p. 460. c. 2. &c. Veræ ſanctitatis ac virtutis ſigna. p. 498. c. utr.

Scriptura ſacra. Senſus ejus varii, in his Accommodatitius. ep. ad lect. numero 4. 5. Non intereſt à quo ſcripta ſit. p. 4. Scripturæ libri quomodò Proto & Deutero-Canonici? p. 5. 6. Cur Deus Scripturam voluerit eſſe obſcuram? p. 12. &c. Ejus dignitas, & utilitas. p. 10. &c. Comparatur Paradiſo terreſtri. p. 12. &c. Armamentario & armis omnigenis. p. 15. &c. Libri Scripturæ exuſti. p. 66. c. 1. Malè habiti à Syrogræcis. p. 140. c. utr. Profanatio Scripturæ. ib. c. 2. Ad Scripturæ intelligentiam neceſſaria cognitio literarum. p. 141. c. 2. Dies eſt Scriptura, & Dei donum, cujus particula non perdenda. p. 99. c. 1. Judæis ejus intelligentia clauſa. p. 544. c. 2.

Sepultura. Eam curant pii. p. 114. Profani negligunt. ibid. Uſus cœmeteriorum. ibid. Sepultura in templo. ib. Impii ab hac prohibendi. ib. Cæremoniæ exequiales. vide tit. Cæremoniæ. Monumentum à Simone excitatum. p. 409. c. 2. Quid ſignificet? p. 410. c. 1. p. 414. c. 2. Sepultura modeſta. ibid. c. utr.

Seron. Cœleſyriæ præfectus. p. 131. c. 2. Glorioſus & venditator. p. 132. c. 1. Cæditur à Juda. p. 133. c. 2.

Simon. An Mathathiæ primogenitus? p. 98. c. 2. Commendatur à prudentia. p. 110. c. 2. &c. Ejus in Galilæam expeditio. p. 215. &c. Eruptio ex Bethbeſſen. p. 317. c. 2. &c. Expeditio in Joppen. p. 391. c. 1. Offert ſe in Ducem. p. 405. c. 2. Auſpicatur Ducatum. p. 406. c. 1. Cur pecuniam, & Jonathæ filios Tryphoni dederit? p. 406. c. 2. Eludit Tryphonis conatum. p. 407. c. 2. Sepelit Jonathan, excitat monumentum. p. 409. &c. Præſidia munit. p. 410. c. 2. Demetrium conciliat. ibid. Libertatem Judæis reſtituit. p. 411. c. 1. Ab ejus Principatu anni numerati. ib. Gazam capit, & munit. ib. &c. Arcem recipit. ib. c. 2. In ea habitat. p. 412. c. 2. Joannem filium rebus admovet. p. 413. c. 1. Exemplar eſt boni Principis. p. 439. &c. Chriſti figura. p. 441. c. utr. Cum Spartiatis amicitiam renovat. ib. c. 2. Et cum Romanis. p. 442. c. 1. p. 494. c. 1. Principatus à Judæis familiæ ipſius addicitur. p. 442. c. utr. Abrumpitur ejus amicitia cum Sidete. p. 496. c. 1. Filio mandat curam belli. p. 508. &c. Occiditur à genero. p. 510. c. 2. Verè ebrius. p. 511. c. 2.

Spes. Non confundit. p. 110. c. 1. Excitat animos. p. 133. c. 1. Eſt parens tranquillitatis. p. 184. c. 1. Adeſt Deus rebus deſperatis. p. 258. c. 2. p. 312. c. 1. p. 367. c. 2. p. 372. c. 2. &c. Spes naturalis deſcribitur. p. 368. c. 1. Malæ ſpei genera quatuor. ib. & p. 473. c. 1. Spes ſupernaturalis, & ejus prærogativæ. p. 369. &c. Chriſtus ſpei noſtræ fulcimentum. p. 375. c. 1. Præſumptio de ſalute. p. 378. c. 2. Qualis ſpes rebus adverſis habenda. p. 465. c. 1. &c. p. 475. c. 2.

Syria regnum. Quàm potens. p. 136. c. 1. p. 173. c. 2. Unde ejus ruina? p. 497. c. 1.

T

T*Emplum.* Eſt locus orationis. p. 165. c. utr. Hieroſolymitanum profanatur. p. 65. c. 1. Emundatur. p. 176. &c. Encænia ejus indicta. p. 180. c. 2. Munitur. p. 181. c. 2. Munitiones disjiciuntur. p. 259. c. 2. Loca ſacra non violantur impunè. p. 278. c. 2.

Tentatio. Interna, & externa. p. 143. &c. Adumbratur in Gorgia & Lyſia. p. 169. c. 2. Ingruit pœnitentibus. p. 214. c. 1. Fortiter repugnandum. p. 219. c. 1. p. 498. c. utr.

Timor. Hominum, vanus eſt. p. 110. c. 2. Timoris natura, quà paſſio eſt. p. 184. c. 2. Virtuti & vitiis ſubſervit. p. 185. c. 1. p. 307. c. utr. Remedium timoris vitioſi. ibid. &c. Timor ſupernaturalis duplex. p. 185. c. 2. Servilis accenſetur virtutibus Theologicis. p. 186. c. 1. Utilis eſt omni hominum generi. p. 186. c. 2. &c. Quæ Chriſtiano maximè timenda. p. 187. &c. p. 378. c. 2. Timor filialis naſcitur ex caritate. p. 229. c. 2.

Tongri. Epiſcopalis ſedes inde Trajectum traducta non eſt. p. 138. &c. p. 338. c. 2.

Tribulatio. Inſontibus aliquando à Deo infligitur. p. 88. c. utr. Publica omnis eſt à peccatis. p. 87. &c. Prodeſt ſi rectè utimur. p. 120. &c. p. 262. &c. p. 393. &c. p. 465. c. 2. &c. p. 504. &c. Cur bonis eveniat? p. 122. &c. Peccata mundat, & prævenit. p. 191. &c. Secernit bonos à malis. p. 257. c. 2. Etiam malis bona eſt. p. 395. &c. Præcogitatione muniendus adverſùs illam animus. p. 219. c. 2. p. 255. c. utr. p. 469. c. 1. &c. Deſiderata ſanctè. p. 481. c. 2. Maxima miſeria non benè miſeriis uti. p. 193. c. 1.

Tryphon. Filium Alexandri opponit Demetrio. p. 365. c. 1. Pſeudopolitici exemplar. eſt. p. 392. c. 2. Capit Jonathan. ibid. Retinet contra fidem. p. 406. c. 2. Fruſtra tentat arci ſuccurrere. p. 407. c. utr. Occidit Jonathan & liberos. p. 408. c. 2. Et Antiochulum. p. 410. c. 1. Regnum invadit. ibid. c. 2. Fugit Antiochum Sideten. p. 494. c. 1. Obſidetur Doræ. p. 494. c. 2. &c. Elabitur. p. 496. c. 2. Ejus mors. p. 497. c. 2.

V

V*Eritas.* Ejus firmitas. p. 10. Utilitas & effectus. p. 326. c. 1.

Victoria. Piorum eſt. p. 133. c. 2. Cur improbis aliquando contingit? p. 189. c. 1. Elapſa ſpoliorum cupidine. p. 172. c. 1.

Voluntas. Libera poſt peccatum. p. 451. c. 1. Ex objecto bona. ibid. Quomodò agat cum gratia. p. 508. c. 2. Ejus potentiæ nobilitas. p. 480. c. 1.

Z

Z*Elus.* Laudatur in Mathathia. p. 102. &c. Ejus natura, & modus. p. 103. &c. Bellis excitatur. p. 503. c. 2.

F I N I S.

Errata vide ante Indicem concionatorium, & illis adde

P. 431. c. 1. lin. ult. faſciculis, *rep.* faſciolis.

VA11521490